Schmier, Benedict,

Sacra theologia scholastico-polemico-practica

Bd.: 2

Augusta Vindelicorum 1737

2 Dogm. 303-2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10325677-3
VD18 12740381-001

2 Dogm. 303 (2
Schmier
Dogm
303.

<36633621560014

<36633621560014

Bayer. Staatsbibliothek

Collegii S. J. Monachii 1730

# SACRÆ THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-POLEMICO-PRACTICÆ TOMUS SECUNDUS.

*Qui incipit à*

## TRACTATU VII.

## & pergit ad XVI.

AUCTORE

**PATRE BENEDICTO SCHMIER,**

Ord. S. Benedicti, Liberi exempti-Imperialis Monasterii Ottoburani Professo Capitulari, SS. Theol. & Utriusque Juris Doctore, & in Alma Archiepiscopali Benedictina Salisburgensi Universitate Trium Facultatum Superiorum Professore, Decano, ac Vice-Rectore Emerito; Protonotario Apostolico; Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi S. R. I. Principis Salisburgensis Consiliario Ecclesiastico, nec non Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis Abbatis Campidonensis Consiliario Intimo; modò apud Thaumaturgam Deiparam Virginem in Elderen, propè Ottoburam, Superiore.

*Cum Licentia & Facultate Superiorum.*

Anno à Partu Virginis MDCCXXXVII.

SUMPTIBUS STRÖTTER, GASTEL ET ILGER BIBLIOPOLARUM AUGUSTÆ ET PEDEPONTI.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Typis Antonii Maximiliani Heiss, Celsissimi & Reverendissimi Principis & Episcopi Constantiensis Typographi Aulici.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

# Tractatus VII.

## De
## Ecclesia Christi in Terris
Militante,
Sive
## De Fide.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De Natura, Signis, visibilitate, & indefectibilitate veræ Ecclesiæ.

*Quid sit Ecclesia Militans? Et: an solos prædestinatos comprehendat?*
*An Hæretici, Apostatæ & Schismatici sint de Ecclesia?*
*An Ecclesia Christi sit & semper fuerit visibilis?*
*Quæ sint signa ac Notæ veræ Ecclesiæ? Et: an alteri, quàm Romanæ sint propriæ?*
*Occurritur hujus Quæstionis argutiis adversis.*
*An Psalmorum & alij cantus sit una ex Notis veræ Ecclesiæ?*
*An Miracula sint solius Ecclesiæ Romano-Catholicæ nota propria?*
*Argutiis adversis occurritur.*
*An vera Ecclesia sub suo capite visibili transiverit, vel potuerit transire in falsam, deficere, & errare?*
*Occurritur argutiis adversis.*
*Collatio Ecclesiæ Catholicæ veteris cum hodierna, Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi à S.R.E. Cardinale Peronio olim proposita.*
*An Lutherus reformatione attentârit zelo bono & legitima vocatione?*
*An, & quibus erroribus Lutherus Ecclesiam deformârit?*
*Erronea Dogmata Lutheri.*
*Quibus Doctoribus Novatores successerint?*
*An non Lutherus etiam à se ipso dissenserit?*
*Melanchtonis erronea Dogmata.*
*Calvini erronea Dogmata.*
*Zvvinglii erronea Dogmata.*
*Wicleffi erronea Dogmata.*
*Joannis Hus erronea Dogmata.*
*De Anabaptistis.*
*De Sacramentariis.*
*Sitne Augustana Confessio certa fidei, & tuta salutis regula?*

## DISSERTATIO II.

### De Sacris Scripturis: & Controversiarum Judice.

*An vitiosus Circulus committatur, dum per Ecclesiam probantur sacra Biblia, & per hæc vicissim probatur Ecclesia, contra non-catholicos, Scripturam tamen admittentes?*

*An*

*An non Adversarii vitiosum Circulum committant?*
*Quinam Sacræ Scripturæ libri sint Canonici? & qualiter in eorum receptione vel rejectione fallantur, & fallant Ecclesiæ adversarij?*
*Canon Bibliorum Hebræorum, quem Judæorum Synagoga recipit.*
*Canon Bibliorum Græcorum ac Latinorum, à Christianorum Ecclesia receptus.*
*Protocanonicæ Scripturæ.*
*Deutcrocanonicæ Scripturæ.*
*Theodulphi Aurelianensis Episcopi versus, in fronte Bibliorum descripti.*
*Sintne Sac. Scripturæ tam apertæ per se, ut sine interpretatione ad terminandas fidei Controversias sufficiant?*
*Occurritur quibusdam Argutiis.*
*Rectène in Ecclesia Catholica lectio Bibliorum, præsertim in propria lingua vulgari, non omnibus promiscuè sit permissa?*
*Sitne præter scriptum DEI verbum, etiam admittendum non scriptum, sive traditio Divina?*
*Occurritur quibusdam Argutiis.*
*De visibili Ecclesiæ militantis Capite, Romano Pontifice, an sit agnoscendus pro Controversiarum Judice?*
*Occurritur argutiis adversis.*
*Corollarium duplex de superioritate Papæ supra Concilium.*
*Sitne de fide, Clementem XII. legitimè electum, esse verum Papam, seu Vicarium Christi?*
*De intolerabili calumnia Vicarium Christi Antichristum nominantium.*

# DISSERTATIO III.
## De Fide Divina seu Theologica.

*Quid sit Fides Divina?*
*Duæ animadversiones circa fidem informem, & fiduciariam, contra Novatores.*
*Quodnam sit objectum fidei Divinæ, seu Theologicæ?*
*An revelatio privata sufficiat ad assensum fidei?*
*Utrùm pro assensu fidei Theologicæ eliciendo revelatio debeat esse obscura ex parte objecti? Item: an fides stare possit cum evidentiâ in attestante?*
*Occurritur argumentis adversis.*
*Corollaria de obscuritate Fidei.*
*Quanta sit fidei certitudo? Et: an Fidei Divinæ possit subesse falsum?*
*Qualiter fides in viatoribus necessitate, tum medii, tum præcepti, requiratur ad consequendam æternam salutem?*
*Quænam post promulgatum Evangelium sola necessitate præcepti credenda sint?*
*Quo tempore præceptum eliciendi actum fidei obliget?*
*Quibus actibus præceptum fidei impleatur?*
*An Sectarius, Catholicam Religionem judicans probabiliorem, possit persistere in sua, quam judicat solùm probabilem?*
*Quando obliget præceptum fidem exteriùs profitendi?*
*Liceâtne Christianis uti vestibus, aut aliis notis seu signis infidelium?*
*Sintne Apostatæ, seu desertores veræ Religionis Christianæ tolerandi?*
*Quinquaginta rationes & motiva, cur in tanta varietate Religionum & Confessionum fidei, in Christianitate moderno tempore vigentium, sola Religio Romano-Catholica sit eligenda, & omnibus aliis præferenda?*
*Schema eorum, qui ex serenissimis ac illustrissimis Prosapiis oriundi per unius sæculi decursum ab Heterodoxa ad Romanam & Orthodoxam fidem, vocante Numine, rediêre.*

# PROLOQIUM.

NUllæ ſunt Sanctorum Patrum, Eccleſiæque Doctorum judiciô, majores divitiæ, nulli Theſauri, nulli honores, nulla Mundi hujus major ſubſtantia, quàm fides Catholica, Religionis puritas, & Eccleſiæ Chriſti veritas atque dignitas, utì contrà nullum malum Reipublicæ nocentius, nulláque peſtis capitalior, quàm hæreſeos invaleſcens calamitas. Arius olim à parva ſcintilla incepiſſe videbatur: ſed quia non ſtatim oppreſſa fuit, in latiſſimum incendium exarſit. Poſterioribus quoque ſæculis prô dolor! Germania noſtra ſenſit, per quam ingentem peripheriam novatorum virulenta dogmata, primitus in uno aut altero parvo angulo diſſeminata, ſeſe diffuderint, ſeditonéſque, & cruenta bella cauſârint cum innumerabilium hominum, etiam innocentûm victimâ, & miſeranda ſtrage. Quemadmodùm autem Sancti Patres, Sancti Spiritûs tum excitati, tum adjuti gratiâ, ſuo tempore contra Eccleſiæ Militantis hoſtes cum armatura & ſcuto fidei in aciem proceſsêre, ùt Irenæus, Athanaſius, Baſilius, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus: ita Divini Numinis nunquam ſatìs admiranda & adoranda Providentia pòſterioribus turbatoribus fortiſſimos fidei athletas & viros non minùs doctrina, quàm virtute & pietate præſtantiſſimos oppoſuit, qui Catholica dogmata adeò perſpicuè, ſolidè, ac nervosè tractârunt, ut impetus hoſtiles validiſſimè repreſſerint, fregeríntque, quámvis Eccleſia novos & novos aſſultus in dies experiri debeat. Cæterùm ego tenuitatis virium mearum minimè ignarus, in præſenti Lucubratione Polemico-Theologica proprio Marte decertare nec contendo nec præſumo, ſed Sacræ Scripturæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, probatorúmque Doctorum doctrinis & auctoritate ſuffultus, in defendenda Eccleſia Militante gregarium, attamen conſtantem fidelémque militem profitebor: quod ipſum ſtrictè obſervavi in *Fundamento & Vertice Univerſi Juris Canonici,* id eſt, *in Tractatu de Romano Pontifice.*

Abſint ſcommata, livor, & quævis vituperanda paſſio. Da mihi, Domine, Sedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam!

DIS-

# DISSERTATIO PRIMA.

## *De Natura, Signis, visibilitate, & indefectibilitate veræ Ecclesiæ.*

ECclesiæ nomen modò sumitur *pro materiali*, sive pro loco & templo materiali, in quo Christi fideles congregantur: modò pro *formali*, sive pro cœtu hominum; derivatúrque à verbo Græco ἐκκαλέω, idem sonante, ac *evoco*: unde populus DEI dicitur cœtus vocatorum; non ab alio, quàm à DEO ter Opt. Maximo. Et licèt quandoque nomen Ecclesiæ in malam partem sumatur, ùt Psal. 25. ubi mentio fit Ecclesiæ *malignantium*; attamen absolutè & sine addito positum Ecclesiam Christi significat: quæ ulteriùs ratione triplicis statûs solet tripliciter appellari; scilicet militans, purgans, & Triumphans. Militans hujus Tractatûs præcipuum objectum est. Sit igitur

## QUÆSTIO PRIMA.

### *Quid sit Ecclesia Militans? Et: an solos Prædestinatos comprehendat?*

1. JOannes Wiclef apud Waldensem *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *&* 9. Ecclesiam definit, quòd sit prædestinatorum congregatio. Confessio Augustana *art.* 7. eam describit, esse Sanctorum Congregationem, qui verè credunt, & obediunt DEO. Meminit Card. Bellarminus *tom.* 2. *de Controv. fidei, cap.* 2. *lib.* 3. secundùm assertionem Martini Lutheri in *lib. de Concilijs & Ecclesia*, Ecclesiam esse populum sanctum Christianum. Utque ostendat, se loqui de sanctitate singulorum membrorum, contendit, Summum Pontificem & Cardinales non esse membra Ecclesiæ, eò quòd non sint sancti. Verùm, cùm Lutherus (cui assensum acclinant Confessionistæ Augustani *Artic.* 6. *&* 20.) cujuslibet hominis justi opera peccata esse, perversè doceat, & omne peccatum reipsa esse per se mortale, nullum verò ex se veniale, licèt nullum crimen à DEO imputetur illis, qui credunt (qui est novus intolerabilis error) manifestò sequitur, secundùm Lutherum & Confessionistas ostendi non posse, ex quibus membris Ecclesia coalescat: quia juxta illos omnes adulti forent simul justi, & simul peccatores reipsa, scilicet ratione operum. His præmissis, statuitur

2. Assertio prima: Ecclesia Militans est universus cœtus hominum fidelium sub Romano Pontifice tanquam legitimo Petri Successore, & Christi in terris Vicario coadunatus. Aliam & latiorem descriptionem leges apud Bellarmin. *loc. cit.* hujus tenoris: Ecclesia vera est cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus sub Regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in Terris Vicarij Romani Pontificis. Hæc secunda descriptio pro illius primæ exegesi inservit.

3. Assertio secunda: Non soli prædestinati, sed etiam reprobi ad Militantem Ecclesiam pertinent. Est contra Wicleff. Huss, & Calvinum. Quorum posterior apud Bellarm. docet, fidem semel habitam, „nunquam in æternum perdi posse: proinde om„nem, qui habet fidem, necessariò esse „prædestinatum (quod idem anteà docuerat Jovinianus apud Hieron. *lib.* 2. *cont. Jovinian.*) docet etiam, veram Ecclesiam „à solo DEO cognosci posse, ejúsque fun-

„ damentum esse Divinam Electionem; quia „ nimirum constat ex fidelibus, qui necessa- „ riò (ut ait) sunt de numero Electorum &c. Sed mirum alicui videri debet, cur istis clara sit & perfecta omnis Divina Scriptura, & tamen cœcutiant ad apertas parabolas, quibus Ecclesia Militans jam comparatur areæ, in qua triticum congregabitur in horreum, paleæ verò tradentur comburendæ igni inextinguibili, *Matth.* 13. jam sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti; ubi boni eliguntur in vasa, mali autem foras mittuntur, quando exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, apud eund. *Matth. d. cap.* 13. jam Convivio Nuptiali, in quo comparent tam mali, quàm boni: mali autem in tenebras exteriores conjiciuntur, non habentes vestem nuptialem, additurque ratio, multos esse vocatos, paucos verò electos seu prædestinatos. Nec absimilis est parabola de Virginibus prudentibus, quæ paratæ lampadibus oleô refertis cum sponso intraverunt ad nuptias, fatuis Virginibus clausurâ portæ exclusis. Nec est, cur Calvinus SS. Patribus & Ecclesiæ Doctoribus anteferatur. Audiat S. Cyprianū *Epist.* 51. *Non debet impediri*, ait, *aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus:* D. Gregorium Magnum *Hom.* 12. *in Evang.* ibi: *in præsentis temporis Ecclesia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt:* & illuminatissimum Augustinum *tr.* 45. in Joan. *Secundùm præscientiam DEI & prædestinationem, quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus, & quàm multi foris? quàm multi modò luxuriantur, casti futuri? Quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum?*

4. Ratio quoque assertionem orthodoxam sustentat. Nam omnes, qui defactò per gratiam sunt justi & filii DEI adoptivi, & Spiritûs Sancti sanctificatione vera Christi membra, defactò sunt in Ecclesia Militante. At innumeri reprobi sunt defactò justi per gratiam, filii DEI adoptivi, & Spiritûs S. sanctificatione ipsa membra Christi (quod non negat Calvinus) ergo etiam innumeri reprobi defactò sunt in Ecclesia Militante. Sanè ex errore Calvini quicunque infideles, Judæi, Machometani, qui jam à tot sæculis ad veram Christi fidem conversi fuerunt, & posthàc convertentur cum prædestinatione ad gloriam, fuissent, & essent pro tempore infidelitatis vera Christianæ Ecclesiæ membra; adeóque fideles simul ac infideles. Et quomodò Paulus de seipso cum veritate diceret, se cùm adhuc Judaismo immersus existeret, persecutorem fuisse Ecclesiæ, cujus tunc, licet nondum baptizatus, bene tamen prædestinatus, membrum erat? Et quomodò Judas, unus ex reprobis, si extra Ecclesiam fuerit constitutus, Apostolatum cùm alijs Apostolis Christi gerere poterat? Certè ipse Calvinus, si solos prædestinatos veræ Ecclesiæ aggreget, suam prætensam Ecclesiam, quam augere, membrísque instruere, tanto annisu contenderat, in nihilum redigit: ait enim, soli DEO permittendam esse *cognitionem suæ Ecclesiæ, cujus fundamentum est arcana ejus electio*. Si hoc ita sit, nemo cognoscet, quænam sit Ecclesia Calviniana, nemo ejus Auctorem & primipilum, quia, ut quis cognosceret, quòd Calvino, & ejus Ecclesiæ se associet, deberet priùs habere cognitionem de membrorum Calvinisticorum prædestinatione, quæ tamen soli DEO nota est. Ecce! quousque Calvinus detrudatur, si corpus prætensæ Ecclesiæ suæ ex solis prædestinatis componat. Sed contrà cum Calvino

5. Arguis primò: Quando Salvator Joan. 10. dixit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili:* & cap. seq. Evangelista subjunxit: *JESUS mortuus erat pro Gente, & non solùm pro gente, sed etiam, ut filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum*, luculenter insinuatur, inter oves Christi, filios DEI, consequenter & inter membra Ecclesiæ Christi computari omnes prædestinatos, etiam pro eo tempore, quo adhuc gentilitatis erroribus involvuntur. Deinde 1. *Joan.* 2. ab Ecclesia exclusi pronuntiantur, qui in gratia Christi non perseverabant. *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Hos textus expendens D. Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 9. subjicit: Quidam filii DEI, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur à nobis, nec sunt tamen à DEO. . . . *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Item, *non erant filii, etiam quando videbantur in professione & nomine filiorum. . . Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filii DEI fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.* Ex quo subvertitur, quod nos diximus, justos, non prædestinatos, esse membra Ecclesiæ: neque enim sunt verè filii DEI, nec veræ oves.

6. Pro conciliandis & solvendis ejusmodi textibus, Resp. Bellarm. *loc. cit. cap.* 7. dupliciter aliquem dici posse ovem, filium, aut membrum Christi vel Ecclesiæ: uno modo secundùm prædestinationem: altero modo secundùm præsentem justitiam. Et juxta hunc diversum modum explicari debet Apostolus, quando *Rom.* 8. dicit: *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus:* Et 2. *Timoth.* 2. *Novit Dominus, qui sunt ejus*; id est, prædestinatos. Itaque illi, quos DEUS efficaciter ad gloriam prædestinavit, ante conversionem ad orthodoxam fidem, & adeptionem gratiæ, rectè vocantur oves, filii DEI, aut membra Ecclesiæ Christi secundùm prædestinationem; non autem secundùm præsentem justitiam, utpote quia illo tempore carent: item dicuntur membra &c. in potentia, non actu: vicissim reprobi rectè dicuntur oves, filii DEI, & membra Corporis Christi secundùm præsentem justitiam; quia hic & nunc sunt per fidem

fidem, gratiam & charitatem saltem habitualem Christo uniti; at non secundùm prædestinationem & permanentiam. Quò pertinet illud Pauli 2. Tim. 2. *In magna autem domo sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam in gloriam, & quædam in contumeliā.* Per vasa destinata in gloriam intelligit prædestinatos, & per vasa dicta in contumeliam reprobos, tametsi in eadem domo sint: & illud Augustini *Tract.* 45. in Joan. secundùm *præscientiam, & prædestinationem, quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intus?* ubi judicare vult, multos prædestinatos esse extra Ecclesiam, actu scil. attamen aliquando futuros esse intra Ecclesiam: & multos reprobos actu esse intra Ecclesiam.

7. Præterea reprobus, quamdiu existit in fide & charitate, verè potest dici filius DEI, & membrum Corporis Christi vivum, veritate essentiæ seu formæ: *Omnis enim, qui diligit, ex DEO natus est.* 1. *Joan.* 4. non item veritate permanentiæ & finis: nam iste modus solis prædestinatis convenit: cùm secundùm veritatem finis dicatur filius DEI, qui hæreditatem assequetur tanquam finem filiationis juxta Apost. ad Galat. *cap.* 4. *Quòd si filius; & hæres per DEUM.*

8. Arguis secundò: cùm Ecclesia sit unum ovile, *Joan.* 10. ovium verò nomine veniunt prædestinati, juxta D. August. *cit. Tract.* 45. in Joan. manifestò infertur, reprobos esse simpliciter extra Christi Ecclesiam. Resp. inprimis hoc argumentum malè supponere, quòd ovium nomine in scriptura soli homines boni comprehendantur: cujus contrarium colligimus ex illo apud Joan. ult. *Pasce oves meas:* & *Psal.* 73. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ:* quibus locis dubio procul etiam homines mali, & oves morbidæ intelliguntur. Adde, in ovili contineri non solas oves, sed etiam hædos (de quorum finali separatione ab ovibus Christus *Math.* 25. loquitur) licèt ovile nomen sortiatur ab ovibus tanquam parte meliori, sicuti Civitas à civibus, tametsi in ea multi non cives reperiantur.

9. Arguis tertiò: Augustinus *lib.* 5. *de Baptis. cap. ult.* Arcam Noë habet pro figura Ecclesiæ: quemadmodùm ergo intra Arcam non erant, nisi soli salvandi ex aquis diluvii, ita nec intra Ecclesiam alii sunt, quàm promovendi ad gloriam. Resp. Bellarmin. *loc. cit.* similitudines non in omnibus convenire. Augustinus ibi Ecclesiam in eo Arcæ Noemi assimilat, quòd sicut extra Arcam nemo salvabatur, ita nemo salvetur extra Ecclesiam. Vid. S. Cyprianus *lib. de Unitate Eccles.* & D. Hieron. in Epist. ad Damasum de *tribus Hypostasibus.* Posset argumentum retorqueri: In Arca præter animalia munda etiam continebantur immunda: utráque fuerunt salvata: si ergo omnimodam prætendas similitudinem, in Ecclesia quoque salvari reprobos æquè ac prædestinatos, concedere debebis.

10. Arguis quartò ex eod. Augustino, in *Psal.* 131. ubi ait: In his est domus DEI, quos *prædestinavit & præscivit, esse perseveraturos.* Ergo &c. Resp. posse hìc intelligi Ecclesiam Triumphantem. Si verò S. Patrem de Militante loqui contendas, eam consideravit secundùm partem nobiliorem, qua electi, & in gratia constituti continentur: vel dic, eum loqui de membris Ecclesiæ undequáque veris, quæ nimirum ad eam spectant non solùm veritate *essentiæ* seu *formæ*, sed etiam veritate *finis*, id est, tanquam filii & simul hæredes infallibiliter futuri.

11. Arguis quintò: Christo competit ratio Capitis respectu ejus Ecclesiæ, quam salvabit. At Ecclesia, quam salvabit, capit solos prædestinatos: Ergo soli prædestinati capiuntur ab Ecclesia Christi. Resp. dist. Major. Christo competit ratio Capitis ejus Ecclesiæ quam salvabit, saltem quoad partem conc. Maj. quoad omnes, neg. Maj. dist. etiam min. Ecclesia, quam salvabit, capit solos prædestinatos, si omnes in Ecclesia efficaciter essent salvandi, conc. min. si pars tantùm, neg. min. & conseq. Christus salvat Ecclesiam, cujus est Caput, estò quàm plurimi in ea existentes in æternum pereant. Fateamur igitur cum D. Augustino *tract.* 6. *in Joan. in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* Sive, ùt Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 43. firmissimè tenet, *arcam DEI esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri*, id est, bonis malos Sacramentorum Communione misceri.

12. Arguis sextò: ex dictis inferri, etiam improbos seu peccatores gravissimos, non solùm occultos, sed etiam manifestos intra Ecclesiam esse: hoc autem refutat Apostolus Cor. 10. dicendo: *Quoniam unus Panis, & unum Corpus multi sumus:* si panis sumus, hic non ex paleis (quo nomine non solùm reprobi, sed etiam alii improbi peccatores DEO exosi comprehensi censentur) sed ex solo frumento confectus est. Hinc rursus idem Apostolus ad *Rom.* 8. *Qui Spiritum Christi non habet*, ait, *hic non est ejus:* & 1. Cor. 12 *in uno Spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus.*

13. Corroboratur primò: Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, neque aliquid hujusmodi, utì discurrit S. Hieronym. in *Commentar. ad Ephes.* 5. consequenter, qui aliquâ sorde peccati maculatus est, non est ampliùs de Ecclesia Christi. Secundò D. Augustinus *lib.* 2. *cont. Crescon. cap.* 21. *At per hoc etiam*, ait, *nesciente Ecclesia, propter malam pollutámque conscientiam damnati à Christo jam in Corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Tertiò: Ecclesia, cùm debeat esse ac dici *sancta* (ex infrà probandis) nónne etiam ex Sanctis debet esse composita? Corroborant quartò: Magdeburgenses *Cent.* 1. *cap.* 4. ex Sac. Litteris, in quibus justitia discipulorum secernitur à justitia Pharisæorum: & pii distinguuntur ab hypocritis, duas distinctas probant Ecclesias, unam bonorum, alteram malorum: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, & quæ conventio

ventio Christi cum Belial? Quintò: Christus in impios nullum influxum derivat: impii igitur non sunt membra Corporis Christi, & de ejus Regno, sed sunt membra diaboli, & de ejus Regno.

14. Ad hanc aggressionem repono imprimis, etiam improbos manifestos ac gravissimos peccatores manere membra Ecclesiæ Militantis, donec ferrò excommunicationis amputentur. Nónne enim Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit pro membris Ecclesiæ? atqui illo maximè indigent purgari peccatores gravissimi: ergo & illi sunt & manent membra Ecclesiæ, haud equidem viva & perfecta, sed imperfecta & mortificata: esto enim gratia & charitas per peccatum mortale amittantur, non tamen eo ipso expellitur habitus Fidei Divinæ & Spei: unde licèt in luto peccati hærentes influxum perfectum vitæ supernaturalis non recipiant, servant nihilominùs influxum quemdam vitæ supernaturalis imperfectæ per virtutem Fidei & Spei, ac proptereà cum cæteris Ecclesiæ membris sub uno Capite manent actu colligati. Constat ulteriùs hæc Catholica doctrina ex illo Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum &c. si eos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Dic Ecclesiæ, inquit Christus; certè non alteri, quàm à se institutæ: nec ab ea excludit vel excipit peccatores manifestos; hinc inanis distinctio & detestandus est error, quo Novatiani, Donatistæ, & Confessionistæ saltem manifestos peccatores ab Ecclesia excludere pertentant. Huc denuò applicabis parabolas de area, reti, Virginibus fatuis &c. supra adductas.

15. Nec aliquid evincunt ex adverso admotæ corroborationes. Nam ad instantiam de pane Resp. similitudinem in eo sustineri, quòd, sicut ex multis granis per aquam conficitur unus panis; ita ex multis hominibus per aquam Baptismi, vel per Spiritum Sanctum (qui etiam aqua dicitur *Ezech.* 36.) fiat unus populus DEI. Constat quoque, panis confectioni vel ex incuria vel ex malitia non rarò aliqua grana lolii admisceri.

16. Ad Confirm. primam responsio patet ex *num. priori*, in quo peccatores pro membris mortiferis, defectuosis, spiritúque seu vita supernaturali solùm imperfectà animatis reputamus. Bellarminus *loc. cit. cap.* 9. duobus modis membra considerari posse, notat: uno, in quantum sunt res quædam secundùm se, & suam substantiam: alio modo, prout sunt instrumenta operativa. Sic oculus hominis & oculus bovis, ùt considerantur in sua essentia seu substantia, differunt specie, propter diversitatem animæ: non item in ratione instrumenti operativi; cùm ùt sic habeant idem objectum, scilicet lucidum coloratum. Deinde concedit, Episcopum malum, Presbyterum malum, Doctorem malum, esse membra mortua, in quantùm ratio membri spectatur ùt pars quædam vivi corporis: attamen esse verissima membra spectata in ratione instrumenti operativi; id est, Papam & Episcopos, etiam malos, esse vera capita, Doctores malos esse veros oculos, seu veram linguam hujus Corporis &c. rationem adnectit, quòd membra constituantur viva per charitatem (videlicet radicalem, quæ consistit in gratia sanctificante, cùm hæc sit principium radicale totius vitæ accidentalis in ordine supernaturali secundùm Thomistas, & à nobis suo loco tradenda) quâ impii carent: instrumenta autem operativa constituuntur per potestatem tum *Ordinis* tum *Jurisdictionis* à gratia separabilem. Esto enim in Corpore naturali non possit membrum mortuum esse instrumentum operationis, potest tamen in Corpore Mystico: cujus disparitas assignatur, quòd in corpore naturali opera pendeant ex bonitate instrumenti: quandoquidem anima nequit operari, & opera vitæ exercere, nisi per bona & viva instrumenta: at in Corpore Mystico, opera non pendent ex bonitate aut vita instrumenti: siquidem istius Corporis anima æquè benè operatur per instrumenta bona & mala, viva & mortua. Sic ille quoad rem, paucis mutatis. Cæterùm D. Hieronym. loquens de Ecclesia Christi ùt gloriosa, puráque à maculis & rugis, sumit illam secundùm nobiliorem partem, prout etiam Apostolus Paulus nonnunquam (subintelligendo bonos) Ecclesiam simpliciter laudat, quamvis vituperio correctionéque digna sit, in quantum habetur respectus ad partem malam, & peccatis sordescentem. Ex his

17. Ad secundam Confirmat. & tex. D. Aug. Resp. S. Patrem malos in Ecclesia non agnoscere pro membris simpliciter viventibus: idque velle, quòd aliter boni aliter mali ad Ecclesiam pertineant: boni siquidem sunt pars *interior* ac velut anima Ecclesiæ, mali pars exterior & quasi corpus. Hinc ad tertiam Confirm. Resp. nulla ratione suaderi, ut gemina Ecclesia admittatur, sicuti non admittitur duplex homo, sed unus duntaxat ex parte interiore & exteriore constitutus: & unus Christus, licèt secundùm diversitatem statûs vel temporis fuerit mortalis, & passibilis, ac posteà immortalis & impassibilis: redítque instantia de area & agro, continente & triticum & zizania. Per quod satisfit reliquis Confirmationibus, & argutiis Magdeburgensium: nihil enim affertur, quod ex anterioribus nostris responsis non jam sit anticipatò dilutum. Videndum modò de quibusdam aliis in particulari, an sint in Ecclesia,

QUÆ-

# QUÆSTIO SECUNDA.

## *An Hæretici, Apostatæ, & Schismatici sint de Ecclesia?*

18. QUòd infideles, & non baptizati sint extra Ecclesiam, facilè omnes conveniunt. Nec aliter de ipsis sentit Paulus, quando 1. *Cor.* 5. dixit: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

19. Assertio prima: Hæretici, & Apostatæ à vera fide, non sunt de Ecclesia. Est contra Alphons. de Castro *lib.* 2. *de justa hæreticor. punitione cap.* 24. ubi præfatos homines pro membris & partibus Ecclesiæ agnoscit. Prob. Hæretici & Apostatæ à fide Catholica non possunt agnosci pro membris & partibus Ecclesiæ, nisi ostendatur modus & nexus, quo universo cœtui fidelium Christóque ac ejusdem in Terris Vicario coadunentur: at nullus modus seu nexus ostendi valet: nam iste nexus consistere deberet in unione per veram fidem, vel etiam per charitatem, legúmque ac Rituum Catholicorum observantiam: nihil horum habent Hæretici & Apostatæ: itaque pro membris & partibus Ecclesiæ agnosci nequeunt.

20. Veritas assertionis haud obscurè colligitur etiam ex Div. Pauli Epist. ad Titum 3. cui ibi præcipit, ut *hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitet, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit propriò judiciò condemnatus.* Titus erat Episcopus: cur Paulus ipsi fugam hæretici præciperet, si hæreticus intra Ecclesiam maneret? Cur præterea Concilium Nicænum statueret, ut hæretici, redire cupientes, certis sub conditionibus in Ecclesiam recipiantur, si semper intra Ecclesiam fuissent? Hinc Div. Hieronymus in Dialogo contra *Luciferianos* hæreticos: *sicubi audieris*, inquit, *eos, qui dicuntur Christi, non à Domino JEsu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, ut puta Marcionistas, Valentinianos, Montenses sive Campenses, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* D. Augustinus quoque *lib* 4. *contra Donatistas* asserit, quandóque evenire, ut hæreticus foris existens non agat contra Ecclesiam, agat verò contra eam Catholicus intùs existens.

21. Assertio secunda: nec Schismatici sunt de Ecclesia. Est iterum contra Alphons. de Castro *loc. cit.* Prob. ex Bellarm. *loc. cit. cap.* 5. Qui se ab unitate ovilis, & gregis Christi dismembrant, seu à Corpore simul & Capite Ecclesiæ abscindunt, quo modo sciinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore vivente, & rivus à fonte, qui mox arescit, fonte fluente, & radius à Sole, qui continuò deficit, Sole, ut erat, permanente, tales (uti ex terminis elucet) non sunt membra Ecclesiæ, cum reliquis membris connexa, unúmque Corpus sub uno Capite Christo invisibili, & ejus Vicario in terris ceu Capite visibili, constituentia. At omnes Schismatici modò explicatò sunt dimembrati à Corpore & Capite Ecclesiæ: itaque non sunt membra Ecclesiæ, significatæ per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non fuerat. Confirmatur ex S. Cypriano *lib.* 4. *Epist.* 9. ad *Florentinum Papianum*, Ecclesiam definiente, *quòd sit plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse &c.* atqui Schismatici cum Episcopo (Romano præcipuè) non sunt, ipsique non adhærent: ergo nec sunt in Ecclesia. Consonat D. Augustinus *lib. de fide & Symbolo*, ubi, *credimus*, ait, *& sanctam Ecclesiam, utique Catholicam: nam & hæretici & schismatici Congregationes suas Ecclesias vocant: sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam, quæ diligit Deum; nec Schismaticus, quoniam diligit proximum.* Et Div. Hieronymus (in *cap.* 3. ad Titum) *inter hæresim & schisma*, ait, *hoc interesse arbitramur, quòd hæresis perversum dogma habeat: Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet.*

22. Arguis primò contra primam Assert. Ecclesia *Matth.* 13. assimilatur agro, in quo utique præter granum frumenti crescunt paleæ & zizania. Per zizania autem significantur hæretici. Resp. Bellarm. *loc. cit. cap.* 3. ibi per agrum non significari Ecclesiam, sed Mundum universum. Et tametsi zizaniis similes sint hæretici, eorum tamen nomine comprehenduntur omnes mali, etiam non hæretici. Ipse Salvator, parabolam exponendo, discipulis Divina oracula expetentibus respondet: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est Mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii Regni. Zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò, consummatio Sæculi est. Messores autem, Angeli sunt.* Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione Sæculi. *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.* Utinam hoc audiant & aure cordis sacro cum horrore excipiant moderni Novatorum sectatores, qui sopore tam suavi suis erroribus indormiscunt, summoperè in id intenti, quomodò doctrinam antiquam & salutiferam, id est, Verbum DEI ab Ecclesia Romano-Catholica receptum, prædicatum, ipsisque propinatum eludant, atque suffocent, contrà verò sua zizania sub speciosis florum Evangelicorum titulis propagent, & in altum sedulâ culturâ (curæ salutis æternæ prô dolor! incurii) tollant.

23. Arguis secundò contra eand. Assert. Omnes illi censentur esse intùs Ecclesiam, circa quos Ecclesia censuras, correctiones, & pœnas decernit, promulgatque, hoc facit circa hæreticos. Sunt igitur intùs Ecclesiam. Resp. dist. Maj. sunt intùs Ecclesiam vel secundùm exigentiam, & debitum, vel secundùm actualem præsentiam ac connexionem cum membris & Capite, conc. Maj. censentur omnes intùs Ecclesiam esse secundùm præsentiam & connexionem actualem, sic neg. Maj. & concessâ min. dist. conf. Ergo hæretici sunt intùs Ecclesiam, secundùm exigentiam & debitum, conc. secundùm præsentiam, connexionem & adunationem actualem, neg. conseq. Hæretici sunt Christiani eatenus, quia per Sacramentum Baptismi quodammodo januam Ecclesiæ sunt ingressi & per hoc capacitatem sunt adepti, ut tanquam membra cum Corpore & Capite Ecclesiæ uniri possint; nolunt tamen, etsi Lege Divina deberent, ejuratis erroribûs, per veram fidem & uniformitatem ejusmodi unionem amplecti. Unde se gerunt ut oves fugitivæ ab Ovili Christi, de quibus Pastores curam nunquam abjicere possunt, sed earum reductionem omni Pastorali vigilantia, & pro ratione Jurisdictionis in hæreticos & Apostatas sibi non minùs competentis, quàm Imperatori competat in desertores militiæ, procurare tenentur. Dici proinde poterit, Hæreticos in Ecclesia esse secundùm quid, & largô modô, ac prout Ecclesia quosvis Christiani nominis consortes complectitur. Quod autem nostra assertio negat, de sensu proprio & strictò accipiendum est.

24. Arguis tertiò, contra sec. Assert. Schismatici volunt esse coadunati & subesse Christo, licèt nolint se submittere ejus Vicario in terris: sicque manent in communione cum Ecclesia triumphante. Adhæc Schisma non opponitur fidei, sicuti opponitur hæresis. Schismatici proinde sunt in Congregatione Catholicorum, quæ est ipsa Ecclesia, velut loquitur Nicolaus Papa in *Can. Ecclesia. de Consecrat. dist.* 1. Resp. ad primum, quòd communio cum Christo & Ecclesia Triumphante non subsistat cum separatione à Christi Vicario & Ecclesia Militante, quæ unam cum Triumphante integraliter constituit. Nec refert, quòd Christus quà Caput invisibile in membra Ecclesiæ quoad sensum motùmque internum, fidei scil. & charitatis, influxum interiorem præstet: nam prætereà necesse est, ut etiam Caput Visibile Militantis Ecclesiæ influxum exteriorem doctrinæ fidei ac Sacramentorum præstare permittatur. Ad secundum dicò, ad nomen Catholici propriè dicti participandum, præter articulos fidei communiter cum Catholicis creditos, requiri, ut quis fidem suam in Ecclesia Catholica profiteatur, & à discissionibus iniquis abstineat. Cæterùm Nicolai Papæ intentio *loc. cit.* eò solùm collimabat, ut indicaret hæreticorum exclusionem ab Ecclesia, non ut genuinam Ecclesiæ definitionem traderet.

25. Cæterùm in meo *Lib. V. Decretalium ad tit. de Schismaticis &c.* ex *cap.* 26. *caus.* 34. *quæst.* 3. verba D. Hieronymi adduxi, dicentis: nullum Schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut nimirum Schismaticus sub plausibili prætextu rectè ab Ecclesia recessisse videatur; quamquàm absolutè possibile sit. Schisma ab hæresi purum, ùt si quispiam omnibus Catholicæ fidei articulis ad tempus aliquod assentiretur, simùlque S. Pontificis Primatum agnosceret, & tamen ipso facto ex malitia & propriæ libertatis fovendæ pertinacia eidem obedire recusaret, hic à Corpore Mystico & Capite Ecclesiæ per Schisma hæresi non permixtum segregatus foret. Notat tamen Magnif. P. Franc. Schmier p. m. *Jurisprud. Canon. Civil. lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 63. cum P. Ludov. Engel ad *tit. de Schismat.* practicè loquendo, schismaticos raró puros ab hæresi consistere; si suæ inobedientiæ longiori tempore insordescant; cùm tunc Romani Pontificis authoritatem plerumque in dubium vocare soleant. An porrò pro Schismaticis sint habendi, qui à Sententia S. Pontificis ad Concilium Generale appellant, *cit. loc. num.* 6. negativa cujusdam Auctoris Sententia à me refertur, posito, quòd Supremum Romani Pontificis Præsidium non excludant; affirmativa verò, si illud excludere non vereantur. Cautelam tamen ibidem subnecto. Ut ut sit, appellantes ad Concilium Generale in Bulla Cœnæ excommunicatione percelluntur. Generaliter quoque omnes Schismatici.

26. Si quis petat, an Sententiâ excommunicationis innodati (licèt cæteroquin sint Catholici) cessent esse membra actualia Ecclesiæ? Resp. breviter affirmativè. Cujus ratio est, quòd aliquis ferrò excommunicationis ita ab Ecclesia separetur, ut omne commercium communionis spiritualis inter excommunicatum & reliquos fideles abrumpatur; eaque propter in absolutione exprimitur: *Restituo te unitati Ecclesiæ, & membrorum participationi.* Patet insuper ex illo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut* Ethnicus *& publicanus:* qua de re ex instituto ago in meo *Tract. de Potestate Clavium circa Censuras* Ecclesiasticas.

27. Opponitur equidem in contrarium D. Augustinus *Lib.* contra Donatistas *post Collationem cap.* 2. ibi dicens: *Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.* At Bellarmin. *Controvers. fid. lib.* 3. *cap.* 6. ex verbis mox sequentibus animavertit, in prioribus particulam *non* omissam esse, atque legendum: neque enim *à populo Dei non separamus &c.* Si hæc solutio displiceat, nomine populi DEI non vult intelligi solam Ecclesiam Militantem, sed absolutè numerum omnium salvandorum, sive in Ecclesia actu sint, sive in ea esse possint.

28. Quòd-

28. Quòd si quis innocens injustâ excommunicationis Sententiâ fuerit gravatus, manet in Ecclesia animô & desideriô, consequenter & coram DEO cum participatione communium Suffragiorum juxta largiùs deducta in *cit.* meo *Tract. de Censur. Eccles. part. 2. sect. 3. à. num.* 84. in foro tamen externo, & secundùm corporalem atque visibilem communicationem (quæ propriè in ista Ecclesia in terris visibili aliquem constituit) non censetur esse intra Ecclesiam. Huic consolationem facient verba D. Augustini *lib. de vera Relig. cap.* 6. ubi *sæpe etiam*, ait, *finit Divina Providentia expelli de Congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel Schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.*

29. Postremò dubitari potest, an Catechumeni sint intra Ecclesiam? Resp. Catechumenos non esse actu & perfectè in Ecclesia, sed potentiâ & dispositivè: vel, non esse in Ecclesia *in re*, sed *in voto*, & affectu, eo scilicet modo, quo non habent Baptismum *in re*, sed *in voto* duntaxat: & ideo nil impedit, quò minùs (licèt re non sint intra Ecclesiam) salventur, sicuti salvari possunt cum Baptismo in voto. Plura de Catechumenis tam in *Tr. de Potest. clavium circa Indulg. part.* 1. *sect.* 8. quàm in *Tr. de Potest. Clav. circa censur. Eccles. part.* 1. *sect.* 3. Quò me remitto.

# QUÆSTIO TERTIA.

## *An Ecclesia Christi sit & semper fuerit visibilis.*

30. Lutheristæ in primordio Ecclesiam militantem statuêre invisibilem. Postquàm verò animadverterent, non pauca exinde promanare absurda, visibilem dicere cœperunt. Cúmque Lutherus ùt credibile persuadere nequiret, veram Christi Ecclesiam à Deo tamdiu fuisse desertam, *libro de servo arbitrio* fassus est tandem, Ecclesiam à Deo non fuisse desertam, minimè tamen esse illam, quæ vulgò dicatur coalescere ex Papa, Episcopis, Clericis, Monachis, ac reliqua Catholicorum multitudine; sed consistere in quibusdam paucis & piis, quos Deus veluti reliquias conservet. Quid senserint Magdeburgenses, Melanchton, & Brenzius, refert Card. Bellarm. in *Controvers. Tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11.

31. Assertio: Fide certum est, Christi Ecclesiam militantem in terris semper fuisse, & fore visibilem usque ad consummationem sæculi. Ostenditur ex S. Scripturæ variis locis. Primò *Psal.* 18. Ecclesia comparatur soli: *in sole posuit tabernaculum suum. Tabernaculum eius*, ait D. August. (*Tr.* 2. *in ep. Joan.*) *Ecclesia ejus: in sole posita est, non in nocte, sed in die.* Item: *Quid amplius dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra Lucernam in candelabro* (Math. 5.) *positam, oculos claudunt?* Secundò, nónne quando Christus super Petrum fundavit Ecclesiam suam, dicendo *Math.* 16. super *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, fundamentum erat visibile? Quare & Ecclesiam visibilem fuisse oportebit. Tertiò: Si in paucis iisque piis tota consistat Ecclesia, quomodò Episcopis *Actor.* 20. præcipitur, ut attendant Gregi universo, in quo Spiritus S. eos posuit regere Ecclesiam Dei? Quartò, *Actorum* quoque 8. dicitur, factam fuisse persecutionem magnam adversùs Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis. Nonne adversùs totum Christi cœtum? Ergo non adversùs pauculos pios, latentes, & persecutoribus incognitos. Quintò advertant Adversarii illud: *Dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit* &c. Planè observare, pascere, regere gregem: Item persequi Ecclesiam: apud Ecclesiam pro correctione querelas proponere, ex terminis significat aliquem cœtum integrum, ac sensu perceptibilem; ut meritò mirum cuivis prudenti viro videatur, si in tam claris cavilli temerariò excogitentur, & pro illaqueandis animabus tenebræ adeò perniciosæ offundantur. Sincerius cum fidelibus agit S. Cyprianus *lib. de Unitate Eccles.* dicens: *Ecclesia Domini luce perfusa radios suos per orbem terrarum spargit!* Et Origenes *homil.* 12. in Math. *Ecclesia plena est fulgore, ab Oriente usque ad Occidentem.* Sed contra

32. Arguis primò cum Brenzio *in Prolegomenis*: Si Ecclesiam visibilem, ac sensibus corporeis perspectam statuamus, delendus erit ille Symboli articulus: *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam:* & erit sic reponendum: *Video & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam.* Secundò: Ecclesia est quid spirituale, quia ejus præcipui actus, lex scil. & sacrificia sunt quid spirituale: dicitur enim *Rom.* 7. *Scimus, quia lex spiritualis est:* & *Joan.* 4. de Sacrificiis: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: Atqui spirituale sub sensum non cadit; ergo Ecclesia sub sensum non cadit. Verùm, quis hæc duo argumenta quatuor obolis æstimet?

33. Ad primum dico, Ecclesiam esse sufficienter visibilem quoad suos fideles, iisdem sub Sacramentis, legibus, ritibus, moribus, ac variis Christianis exercitiis fidem suam etiam exteriùs ac publicè profitentes, atque sub uno Capite supremo visibili militantes. Quòd autem fides interna, justitia, affectus, sanctitas, & unio moralis in sensum de se non cadant, tam parum facit Ecclesiam invisibilem, quàm parum cœtus civium, unam universitatem sub uno Capite, vel Ma-

Magistratu iisdem legibus conflantium, pro corpore invisibili habendus est, licèt affectus internus & nexus animorum tanquam aliquid morale de se nullo sensu percipiatur. Aliud itaque circa Rempublicam in sensum cadit, aliud sub fidem humanam. Sic etiam circa Ecclesiam: quod visibile est, videmus; quod visibile non est, fide Divina credimus, nempe institutionem Divinam Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, ejùsque indefectibilem doctrinam, veritatem & durationem usque ad consummationem sæculi. Sic & Apostoli Christi humanitatem viderunt, Divinitatem verò crediderunt.

34. Ex quo Responsio ad secundum facilè constat. Sit enim Ecclesia spiritualis secundùm aliqua, videlicet secundùm finem & effectum; lex quoque & sacrificium: id tamen non procedit quoad omnia: nam & Ecclesiæ Regimen est visibile, & legum promulgatio observantiáque: nec minùs ritus sacrificii Eucharistici, Sacramentorum administratio, perceptióque, Verbi DEI prædicatio, atque exceptio, Divinorum officiorum celebratio, publicarum precum frequentatio &c. modo sensibili in universa Ecclesia Christi exercentur. Sed dicant Adversarii, num & Scriptura, quam credunt, sit quid visibile? Si affirment absolutè; quomodò credunt, quod oculis vident, & inspiciunt? Ut evadant, debent nobiscum distinguere: aliud sensu, v. g. visu, tactu percipimus, scilicet Codicem, characteres &c. aliud credimus, sensum nempe, & Verbum DEI & varia alia, quorum nihil sub sensum per se cadit. Cæterùm Ecclesiæ visibilitas ampliùs ex sequentibus assertionibus apparebit.

# QUÆSTIO QUARTA.

## *Quæ sint Signa ac Notæ veræ Ecclesiæ? Et: an alteri, quàm Romanæ sint propriæ?*

35. LUtherus libro *de Conciliis & Ecclesia* signa Veræ Ecclesiæ septenario definit. Primum ab eo dicitur incorrupta Evangelij prædicatio: secundum legitima administratio Baptismi: tertium legitimus usus Eucharistiæ: quartum legitimus usus clavium: quintum legitima electio Ministrorum: sextum oratio publica, psalmodia & Catechismus, sed in lingua, omnibus nota: septimum mysterium crucis, id est, tribulationes intus & extra: ita, ut intus sit mœstitia, pusillanimitas, terrores: foris paupertas, contemptus & ut habeantur ab omnibus hæreticis tanquam cacodæmones, catharmata. Alii Sectarii numerum illum in binarium reducunt, breviter pro Notis veræ Ecclesiæ statuendo prædicationem sinceram Verbi DEI, & sincerum usum Sacramentorum.

36. *Augustana Confessio art.* 7. *de Ecclesia* in prototypo docet, „ quòd una Sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium purè docetur, & rectè administrantur Sacramenta: & ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum; nec necesse est, ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus & cæremonias ab hominibus institutas, sicut inquit Paulus: una fides, unum Baptisma, unus DEUS, & Pater omnium.

37. Assertio prima: Inter præcipuas veræ Ecclesiæ Christi Notas sunt illæ quatuor in Symbolo Nicæno expressæ: nempe, quòd sit *Una: Sancta: Catholica: & Apostolica.*

38. *Una*, videl. unitate Religionis seu fidei & legum: mediorum, quibus pervenitur ad æternam salutem, & unitate membrorum sub uno Capite, juxta illud ad *Ephes.* 4. *unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Plurima ad rem profert S. Cyprianus *Tract.* 3. *de simplicitate Prælatorum*: „ loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non vincent eam: tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis &c. Pasce oves meas: & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum S. cui remiseritis peccata, remittentur illi: cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. . . Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quandò & B. Paul. Apost. hoc docet, & Sacramentum unitatis ostendit, dicens: unum corpus, & unus spiritus, una fides, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus DEUS. . . Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodò solis multi radii, sed lumen unum &c. Hinc illa adhortatio D. Pauli ad Roman. 16. *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula prater doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Concordia est signum Regni DEI, quod stare debet in æternum: discordia signum Regni diaboli, quod tandem corruere debet: si-

qui-

quidem omne Regnum in seipsum divisum desolabitur. Et notat D. August. *Lib.* 18. *de Civit. DEI cap.* 52. Satanam per hæreticos eò conniti, ut in Ecclesia invalescant liberæ dissensiones, sicuti erant in Academiis Philosophorum; & ita pariter per multiplices divisiones Ecclesia, quemadmodùm cum illis Scholis actum fuit, consumeretur, ac interiret.

39. *Sancta*: ex vario capite: nimirum: quia Ecclesiam ingredientes per Baptismi gratiam sanctificantur, secundùm illud 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti & sanctificati estis*: quia Sponsus Ecclesiæ & Caput, Christus, est *Sanctus Sanctorum*: ipsáque Ecclesia à Spiritu Sancto perenni assistentia infallibiliter regitur, & gubernatur: quia etiam omnia instituta, leges, Sacramenta, doctrina, cultus Divinus totáque fides ad incontaminatam mentis puritatem, rectitudinémque (in qua Sanctitas consistit) nec non ultimatò ad ipsum DEUM tanquam Sanctum per essentiam, tum colendum tum consequendum tendunt, atque dirigunt.

40. *Catholica*, seu universalis, hoc est, mediante legitima Evangelii prædicatione per totum Orbem propagata: per quod signum & prædicatum vera Ecclesia à conventiculis hæreticorum jam à tempore Apostolorum fuit distincta. Certè (inquit Pacianus in Epistola ad Sympronianum, quæ est de nomine Catholico) *non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit Auctores. Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat: istud ostendit.* Est porrò vera Ecclesia universalis seu *Catholica* non solùm respectu loci, id est, diffusionis per universum Orbem, secundùm illud *Marci* 16. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: & respectu temporis, seu continuæ durationis, prout dicitur de ea Dan. 2. v. 44. *Suscitabit DEUS Cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur*: verùm etiam cum ordine ad salvandos; in quantum extra visibilem Christi Ecclesiam (juxta inferiùs dicenda) nemo hominum salutem consequitur: in quo sanè Christi Ecclesia Synagogam Judæorum longè superat; quandoquidem ista nec fuerat per Orbem universum prædicata vel propagata, nec unica Arca, extra quam nemo salvari potuerit: hujus enim contrarium in Ninivitis & aliis ostenditur.

41. Adhæc: nomen, *Catholicum*, jam olim tributum fuerat tam Ecclesiæ, quam fidei Christi, ut utraque ab hæreticorum doctrinis & conventiculis distingueretur. *Hæc est fides* Catholica (ita sonat Symbolum Athanasii) *quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

42. *Apostolica* quoque quoad fidei doctrinam debet esse vera Christi existens in terris Ecclesia, id est, ab ipsis jam Apostolis (quorum sonus per Evangelicam tubam in omnem terram exivit) per Orbem propagata, atque continuis temporibus inter fideles conservata. Hinc illud Pauli ad *Ephes.* 2. *Estis cives Sanctorum, & domestici DEI, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* De quo fundamento D. Augustinus intelligens illud *Psal.* 86. *Fundamenta ejus, in montibus Sanctis*: quærit, *quare fundamenta Apostoli & Prophetæ?* Quia (respondet) *eorum authoritas portat infirmitatem nostram.* Nempe, quia Apostoli prædicàrunt, quod Prophetæ prædixerunt; & idcirco fideles in vera Christi Ecclesia in credendo Prophetarum prædictione & Apostolorum prædicatione, traditionéque proximè nituntur. Húcque collimat illud S. Irenæi *lib.* 3. *cap.* 1. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc prædicaverunt, postea verò per DEI voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columen fidei nostræ futurum.*

43. Assertio secunda: Nota seu signum unitatis & uniformitatis ac universalitatis *Catholicæ* soli Romanæ Ecclesiæ conveniunt: minimè Lutheranæ, Calvinianæ, Zwinglianæ, vel cuicunque alteri prætensæ, & Acatholicæ. Pars prima assertionis constat ex eo, quòd sola Romana habeat unitatem Domini, seu Capitis visibilis, Controversiarum Judicis, consequenter & unitatem Regiminis: nec non unitatem doctrinæ in substantialibus fidei dogmatibus, videl. de DEO Uno ac Trino, Verbo Incarnato, peccato Originali, justificatione, merito, Sacramentis, Sacrificio incruento, bonis operibus &c. proinde etiam unitatem in Mediis ad consequendam salutem.

44. Pars altera assertionis pariter constat ex Acatholicorum discordia, instabilitate, & varietate circa fidei dogmata. Licèt enim unum eundémque Lutherum pro suo Protoparente & Antesignano agnoscant (de quo videatur Hosius *l.* 1. contra Brentium & Canisium in præfatione librorum Vegæ) attamen, quia ipsum ùt caput supremum, Judicémque infallibilem in noviter emergentibus perplexitatibus revereri nec volunt, nec possunt, propriis ingeniis confisi, spiritúque privato multiplici abrepti, in tales hactenus prolapsi sunt errorum dissensiones confusionésque, ut unus alterum hæretici notâ aspergere non dubitârit.

45. Nostro tempore, ait Bellarm. *de Notis Ecclesiæ cap.* 7. constat ex Friderico Staphylo (in Libello *Concordia Discipulorum Lutheri*) Lutheranos vix dum natos dividi cœpisse in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios. Et rursum singulas Sectas in alias & alias usque ad triginta quatuor, & hoc quidem tempore Staphyli; nunc autem numerantur centum diversissimæ Sectæ ab uno Luthero prodeuntes; id, quod fit mag-

nâ Providentiâ DEI: nam hoc modo hæreses seipsas consumunt: divisio enim earum non est mathematica, quæ procedit in infinitum: unde Isaiæ 19. dicitur: *Concurrere faciam Ægyptios adversùs Ægyptios*: & Hilarius *Lib. 7. de Trinit. bellum hæreticorum*, inquit, *pax est Ecclesiæ.* Ipse Lutherus *Lib. de Votis Monasticis* fatetur, mendacia certiùs dignosci non posse, *nisi quando sibimetipsis contraria sunt.* A DEO *enim ita ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, & quòd mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur.*

46. Porrò Cochlæus in *Septicipite* ad finem triginta sex varias Sententias de uno articulo Communionis sub utraque specie refert. Alij errores, & Lutheranorum species ex Luthero enatæ inferiùs monstrabuntur. Similiter & Calvini, Zwinglii, aliorúmque anteriorum Sectariorum erronea dogmata, scissuræ, & turbæ in Ecclesia DEI concitatæ suo loco in conspectum dabuntur. Subjungo interim verba D. Augustini *Lib. de vera Religione cap. 7.* Tenenda est nobis *Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolíntve ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi eam hoc nomine discernant, quo ab universo Orbe nuncupatur.* Itaque ipsi Sectarii, quando sincerè & communi modo loquuntur, fideles Romanæ Ecclesiæ addictos gloriosô Catholicorum titulô insignire ac designare solent, tametsi etiam illi, qui ex livore moventur, usurpatione nominis *Papistici* antiquissimum *Catholicorum* nomen obliterare non vereantur. Quod nomen

47. Argumentô ad hominem formatô Franciscus Suarez in *Defensione fidei contra Anglic. Sect. errores, cap. 12. num. 12.* soli Romanæ Ecclesiæ etiam ex ipsa Adversariorum Confessione convincit. Atque hoc, inquit, nobis Regia authoritate confirmavit Rex Angliæ. Nam in sua Apologia quasi consuetudine ductus, & contradictionem in dictis suis non advertens, illos, quos acerrimè persequitur, & impugnat, Catholicos sæpe sæpius appellat, cùm eos defendere teneretur, si verò & non fictô titulô se defensorem Catholicæ fidei appellaret. Cúmque ipse quasi jure hæreditario gaudere velit titulô Defensoris fidei Catholicæ, qui à Leone X. Pontifice Maximo, Henrico VIII. Prædecessori suo concessus est, tacitè admittit, atque approbat & concessionem & titulum eo sensu, in quo à Pontifice datus est: ergo, velit, nolit, confitetur, Romanam Ecclesiam ejúsque fidem tempore Leonis X. & quando Henricus VIII. contra Lutherum Libro scripto de Sacramentis illam defendit, vero ac legitimo jure *Catholicam* dictam esse, &, præter illam, nullam aliam potuisse Catholicam jure nominari, nisi quatenus cum illa conjuncta esset: quia Catholica Ecclesia integra (ut sic dicam) non potest esse, nisi una. At verò non desiit esse Catholica ex eo, quòd Rex Henricus se ab illa separaverit, sed potiùs ipse desiit esse Catholicus: hæretici enim vel schismatici ab Ecclesia exeuntes, seipsos dividunt ac mutant; in Ecclesia autem nullam aliam mutationem faciunt, præter quandam diminutionem seu membri divisionem: ergo semper hæc Ecclesia jure nomen *Catholicæ* retinet. Unde nec Lutherus, nec Calvinus, nec ullus anteriorum *Apostatarum* exeundo ab Ecclesia Romana-Catholica, computatis etiam omnibus asseclis, aliquam mutationem in ipsa Ecclesia jure causare, atque prærogativam illam *Catholicæ* è medio tollere vel diminuere potuerunt, sed seipsos tantummodò è numero Catholicorum excluserunt.

48. Profectò Catholica, & Universalis non est Ecclesia, quæ non est, vel saltem fuit per totum Orbem diffusa, moraliter tamen hanc diffusionem & universalitatem accipiendo. Quæ autem cogniti mundi pars, vel plaga, quam Romano-Catholici, aut magna ex parte non occupent, aut non occupârint aliquando, aut, si de certis adhuc incogniti Orbis plagis agatur, eas non occupabunt? Ut non immeritò quidam Neotericus eam comparaverit Navi Ferdinandi Magellani, dictæ *Victoria*; quia prima totum Orbem circumgyravit, juxta ejusdem apophtegma:

*Prima ego velivolis ambivi cursibus Orbem,*
*Magellane, novo, te duce, ducta freto.*

Verè etiam simul & animosè scripsit Prosper *Lib. de ingratis*:

*Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris*
*Facta Caput Mundi, quicquid non possidet armis,*
*Religione tenet.*

Romani Imperii quæ quondam erat, amplitudinem quisquis admiratur, idem Romanæ Ecclesiæ fines amplissimos longè majori admiratione dignos esse non diffitebitur. Romanæ Urbis Imperium (prout discurrit Thomas Stapletonius Anglus, olim Sac. Scripturarum in Academia Lovaniensi Professor Regius *l. 3. in Verè admiranda, seu Magnitudine Romanæ Ecclesiæ cap. 3.*) totis quadringentis annis ab Urbe condita Italiæ fines non est egressum, sed cum Samnitibus, Volscis, Uliis, Tuscis toto illo tempore de Imperio decertatum; nec nisi sub annum Urbis quadringentesimum septuagesimum Turreno Tusciæ Rege Hertruriæ Urbem Romanis dedente, & regnum Hertruriæ finitum, & Romanorum arma ultra Apenium extendi cœperunt. Sed & toto illo tempore non nisi scandulis seu ligneis tegulis tota Urbs tecta fuit, Plinio teste. Sed paulò pòst Anno Urbis conditæ quadringentesimo octuagesimo tertio, prima extra Italiam arma in Siciliam mo-

moverunt, ut Mamertinis, quorum Caput Messana, auxilio essent, contra Afros Hieroni Regi opem ferentes Appio Claudio, Quinto Fabio Consulibus. Ubi victorias nacti amplissimas, sequentibus annis in Hispaniam & Africam, in Macedoniam & Græciam, totámque Asiam tanto successu exercitus duxerunt, ut duobus post sæculis à Paulo Æmylio Perseo ultimo Macedonum Rege devicto, à Scipionibus Hispania & Africa subactis, ab altero Scipione Magno Antiocho debellato, Asia subjugata, à Lucio Sylla Græcia perdomita, ab uno Pompejo post Mitridatem à Lucullo fractum, Ponto, Capadocia, Armenia, Albania, Colchide, Hemochia, Caspiis, Iberis, Parthis, Arabia, atque Judæa magno Romani Nominis terrore captis, ídque adeò, ut si Plutarcho credimus, trinum è trina universi Orbis parte triumphum duxerit; paulóque pòst per Julium Cæsarem Galliis, Britannia, ac magna Germaniæ parte pari felicitate superatis, ac libera tandem Republica sub unius Imperio redacta, Romanum Imperium Anno ab Urbe condita septingentesimo, plùs minùs, per Europam, Asiam & Africam extendi finesque latissimos habere cœpit.

49. Cæterùm nec totum Orbem occupavit unquam, ut non animosè tantùm, sed & superbè, quia falsò ac vanè Romanarum rerum scriptores aliqui jactitârunt, nec ipsius aut Africæ aut Asiæ regna omnia sibi subjicere potuit, quum ad Æthiopes & Abyssinos nunquam pervenerint, Tartaros & Scythas à Septentrione, Chaldæos ab Oriente nunquam attigerint, ipsi autem Parthi ac Persæ Romani Imperii jugum citò semper & facilè excusserint. Unde illud in Julium Cæsarem scomma, quia in libris Fatalibus continebatur, Parthos nisi à Rege non posse vinci, Cæsarem Regem appellari debere.

50. At verò Romanæ Ecclesiæ amplissimi fines, & in ipso statim exordio latissimè propagati fuêre, & universum terrarum Orbem, juxta certissima Prophetarum Oracula occupârunt. Nec ea loca tantùm, ubi Romanorum arma leges dederunt, sed ad ultimos usque terræ fines, qui de Romana potentia nihil unquam audiverunt. Hinc Leo ille Magnus & Pont. Maximus absque vana gloria (*Sermone 1. in Nativ. Petri & Pauli*) Urbem Romam ita alloquitur: *Isti sunt Patres tui verique Pastores* (Petrus & Paulus) *qui te regnis Cœlestibus inferendam multò meliùs multóque faciliùs condiderunt, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt, ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, Civitas Sacerdotalis & regia per sacram B. Petri Sedem, Caput Orbis effecta, latiùs præsideres Religione Divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus Imperii tui terra maríque protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.*

51. Usque adeò Ecclesia & fides Catholica in sua amplitudine & auctoritate crevit, ut Gratianus Imperator, teste Sozom. *l.* 7. *cap.* 4. suo tempore noluerit de fide disputari, sed Edictum publicum condiderit, ut cuncti eam Religionem tenerent, quam vertex Apostolorum Petrus initio tradidisset, ac tum Damasus Pontifex custodiret. Sic Episcopos Catholicos Ecclesiam Romanam vocat Ambrosius *Oratione funebri de obitu fratris.*

52. Sic in hodiernam usque diem (velut scribit exempli causâ Henricus Lancillottus Mechliniensis in Libro: *Hæreticum quare, per Catholicum quia*, *pag.* 116.) si quis ad Genevæ portas accedat, rogatúsque dicat, *sum Catholicus*, statim illi à Genuensibus Hugonottis respondetur, *Te igitur Papistam asseris*? Rursum, si quis in Urbibus, quibus præsunt, alicujus Catholici hospitium conquirat, ducetur ad domum illius, qui veram Romanam, adeóque Papalem (ut vocant) Ecclesiam, non verò Patriarchæ Genevensis, Religionem profitetur; quod signum est, *Catholicum* nomen pro sola Romana Ecclesia stare.

53. Nec Lutherana, nec Calviniana, nec una ex his mixta, nec ulla Secta à Romana Religione aliena, unquam totum Orbem vel ejus mediam partem occupavit. Ægyptus, Africa, Asia, Græcia, Æthiopia, Indiæ, Chinæ, Moluccæ, America, Philippinæ, Religionem ejusmodi nominis ac dogmatis nunquam acceptârunt: Imò ne quidem Hispania, Italia, Sardinia, Sicilia &c. eam unquam admiserunt. Econtra quot & *quales* adversarii nobis monstrabunt Provincias, aut etiam regna, quorum clavum ipsi tenent, & nulli ibi Romano-Catholici inveniantur? Nonne plurimi sunt in Anglia, Scotia, Hibernia, Helvetia, Ducatu Wirtenbergico, Prussia, Silesia, Hollandia, Zeelandia, cæterísque Provinciis confœderatis?

54. Interim quævis Secta, velut Simia, vult videri dicique Catholica: quando autem ejus defensores v. gr. à Paganis interrogantur, ubi ad Catholicam conveniatur? nemo audet domum suam ostendere: ergo non sunt Catholici, sed v. gr. Lutherani, Semilutherani, Calvinani, Zwingliani, Brenziani, Arminiani, Gumariani, Schwenckfeldiani: ergo aliam *Notam* habent, videlicet non *Universalitatis*, sed locorum *particularitatem.* Lutherus clamat: *Ecce hic est Christus* (in Saxonia) Calvinus: *Ecce illic* (Genevæ, & aliquot Helvetiorum pagis &c.) & sic alii Novatores alia loca sua, quòd ibi sit Christi fides jactant: *sed nolite credere*: credamus potius Christo, talia prædicenti: nec D. Augustino aures occludamus *Sermon.* 131. *de Tempor.* asserenti, *Catholicam esse to-*

*to Orbe diffusam; quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideò Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque Provincias continentur.* Et *Lib. de Unitat. Eccles. cap.* 10. dicit: *Habeo manifestissimam vocem Pastoris mei, commendantis mihi, & sine ullis ambagibus exprimentis, Ecclesiam per omnes gentes diffundendam: mihi imputavero, si per verba hominum* (quorumlibet scilicet privata authoritate novitates suggerentium) *seduci atque ab illa aberrare voluero.*

55. Assertio tertia: Soli Ecclesiæ Romanæ convenit, esse *Sanctam*: minimè verò Lutheranæ, Calvinianæ, vel cuicunque prætensæ. Prima pars liquet: habet enim Ecclesia & Religio Romana Sanctitatem ex Sacra Divini Verbi nunquam falsificati doctrina: ex Libris & Scripturis Canonicis: Conciliorum & Pontificum Maximorum Difinitionibus & salutifera instructione: ex SS. Patrum Theologorúmque scriptis, piis monitis, exemplis: item ex Sacramentorum tum administratione tum perceptione, cæremoniarum usu, cultu Divino, veneratione Sanctorum, morum honestate virtutúmque exercitio, & Consiliorum Evangelicorum observantia, nec non tot stupendis miraculis, quibus Catholicæ Religionis veritas tam insigniter comprobatur.

56. Altera pars colligitur à contraria norma & forma apud non-Catholicos, quorum Auctores (præsertim Lutherus) contra datam in baptismo fidem caput & cristas contra antiquam Romanam Ecclesiam, in qua nati, baptiszati, & educati sunt, erexerunt, jugum Christi excusserunt, propria Auctoritate sibi jus dixerunt & potestatem arrogârunt dogmata antehàc receptissima evertendi, scripturas falsificandi aut temerariò interpretandi, proculcandi saluberrimas leges, errores intolerabiles obtrudendi, *effrænem vitæ licentiam concedendi, præbendi occasionem* (*ne dicam & instigandi*) *ad rebelliones, cædes & Regionum devastationes, tótque millia animarum salutis æternæ periculo exponendi.* Nolim ego plura.

57. Loquatur Eminentiss. Bellarminus. In Oratione Tomo quarto præfixa (considerans illud *cap.* 9. Apocalypseos: *Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei: Et aperuit puteum abyssi*) in hæc verba de Luthero prorumpit. Quid enim aliud (ut à stella cadente exordiar) vobis esse videtur, stellam de cœlo cadere, nisi hominem cœlesti vitæ addictum, à terra longissimò intervallô remotum, sacri Cœlibatûs ac Monasticæ professionis splendore & puritate micantem, subitò ad terrenas delicias atque ad negnotia hujus Mundi delabi, mortali conjugio implicari, in carne & sanguine volutari? Lutherum autem, quis tandem ignorat, cùm aliquandо Monasticam vitam, perfectam, pauperem, continentem, cœlestem plane ac Divinam in Clarissimo quodam Ordine profiteretur, repentino atque *horribili* casu ex Sacerdote laicum, ex paupere divitem, ex continente maritum, ex Monacho politicum factum? Monasterium in palatium, pannosam vestem in sericam, victum sobrium ac tenuem in opiparas cœnas & prandia commutâsse? Denique qui ob Christum uxorem, liberos, agros, nummósque contempserat; iterum propter uxorem & liberos, propter agros & nummos Christum reliquisse? . . . . Ait B. Joannes vidisse se in locustis *faciem humanam, capillos muliebres, caudam Scorpionum, dentes Leonum, caput coronâ quasi aureâ insigne, pectus loricâ ferreâ communitum*: additque, *fuisse eas quasi equos paratos ad prælium & sonitum alarum ipsarum, quasi currus equorum properantium ad certamen: & habuisse Regem supra se Angelum abyssi, qui dicitur Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè Exterminator.* Singula hæc percurrit Bellarminus, & Luthero ac Lutheranismo applicat.

58. Dentes Leonum, inquit, detractiones sunt, quibus assiduè & literis & sermonibus Lutherani famam lacerant, Monachorum, Sacerdotum, Pontificum, ipsorum etiam Sanctorum, qui cum Deo feliciter regnant. *Et sanè detractionibus ita delectantur Lutherani, ut eis nutriri, sustentari, ac vivere videantur.* Et tam multa dicunt, & scribunt, quæ nec sunt, nec fuerunt, fortasse etiam nunquam erunt; ut videantur omnem *penitus sensum pudoris, atque omnem conscientiam exuisse.* . . .

59. Porrò *exterminator* dicitur Rex locustarum, quòd per nullam unquam *hæresim*, aut persecutionem Satanas Ecclesiam ita vastârit, atque ad ultimum exterminium vocârit, ut hoc tempore fecit per Lutheranos. Cæteræ hæreses caput aliquod Religionis petebant, sed ordinem, ac disciplinam, aliaque vel munimenta vel ornamenta Ecclesiæ pro viribus conservabant. *Hæresis Lutherana* partim per se, partim per suas proles, Confessionistas, Zwinglianos, *Anabaptistas, Libertinos, Samosatenos, Arianos,* Ubiquistas, omnia omnino Ecclesiæ bona in iis locis, ubi grassari potuit, instar sævæ grandinis prostravit, dissipavit, perdidit, exterminavit.

60. Percurrite mecum cœlum, terras, purgatorium, gehennam. Quid est in cœlo? Deus, Christus, Angeli, Beati. Quid in his intactum reliquerunt? Planè nihil. *Deum spoliârunt Trinitate, Christum Deitate, & humanitate: Sanctos homines beatitudine, eosdem cum* Angelis cultu & veneratione. Ab Ecclesia quæ est in terris, quid non abstulit Lutherana tempestas? Magnam partem Scripturæ, omnia pene Sacramenta, omnes traditiones, Sacerdotium, Sacrificium, vota, jejunia, festos dies, templa, altaria, reliquias, cruces, imagines, uno verbo, *monimenta omnia pietatis*, leges Ecclesiasticas, disciplinam, atque ordinem universum, *populorum erga Principes obedientiam, principum erga inferiores potestatem; denique omnem modestiam, omnem virtutem,* omnem domûs Dei decorem, atque pulchritudinem exterminavit.

61. Quid jam de Purgatorio dicam? ubi non modò pias illas mentes vivorum suffra-

giis

giis privavit, sed ipsum totum Purgatorium funditùs evertere, extinguere, exterminare conata est. Sed fortè inferis pepercit? Etiam veros & locales multi Lutheranorum negant, imaginarios nescio quos inferos ex capite suo fingunt &c. Hæc Cardinalis, & plura. Ex quibus facile perceptu est, quanta sit Sanctitas in reformatis Ecclesiis?

62. Assertio quarta: Soli Romanæ Ecclesiæ convenit, esse *Apostolicam*: minimè verò Lutheranæ, Calvinisticæ, Zwinglianæ, aut alteri prætensæ. Probatur utraque pars. Ecclesia Romana, initium accepit à Petro Apostolo, Sedem & Cathedram suam tunc Romæ figente: quem usque in hodiernum diem serie continuatæ successionis secuti sunt alii Romani Episcopi, Divi Petri in eadem Sede Apostolica legitimi Successores. Hanc Successionem saltem quoad prima quatuor vel quinque sæcula ipsi Acatholici pro legitima agnoscunt. Ostendant ergo fundamentis inconcussis, si possunt, quo tempore illa successio desierit esse legitima? Ostendant, quo tempore Ecclesia Romana à dogmatibus à Christo per Apostolos acceptis declinare aut errare cœperit? Ostendetur autem paulò pòst, qua ratione ipsi à doctrina Apostolica, & Ecclesia Romana per S. Petrum erecta defecerint, & cum pertinacia contemptúque procaci eidem Sanctissimæ ac venerandissimæ Matri restiterint, virésque omnes ac nervos intenderint, ut portas inferorum contra eam provocent & prævalere faciant. Ostendant denique, quibus ipsi Ecclesiæ Rectoribus, Præsulibus, Doctoribus successerint?

63. Cæterùm insignis quidam Theologus observat, Notas rerum esse duplices: alias *Affirmantes*, ex quarum affirmatione infertur affirmatio rei, cujus sunt Notæ: alias *negantes*, ex quarum negatione bene negatur res, non autem ex affirmatione earum etiam rectè affirmatur. Prius genus Notarum dicit, debere esse adæquatum ac proprium *quarto modo*, ut *omni*, *soli*, & *semper* conveniat: ad posterius verò sufficere, ut *omni & semper* (saltem pro tempore, de quo agitur) competat, licèt non *soli*. Jam de *Nota* Unitatis seorsim spectata advertit, eam à Catholicis afferri potiùs ùt negantem, quàm ùt affirmantem: sic enim argumentantur: Ecclesia vera debet esse una, uti constat ex Sac. Litteris & Symbolo Nicæno: Lutheristarum Ecclesia non est una: Ergo Lutheristarum non est vera. Non autem affirmando procedimus: Nostra Ecclesia est una: ergo est vera: nisi additis quibusdam adjunctis: quòd nempe hæc unitas sit tam stabilis, tam latè fusa, tot miraculis firmata, ac denique cum cæteris Notis conjuncta, cum quibus non reperitur in ulla alia Ecclesia. Quid contra opponatur, auscultemus.

## *Occurritur Argutiis adversis.*

64. ARguis primò: Oporteret ostendere, cur sincera Verbi Divini prædicatio, & legitimus Sacramentorum usus, pro genuinis Ecclesiæ veræ Notis non sufficiant. Resp. potiori jure quæri ex Acatholicis, cur ipsi notas antiquissimas, à Conciliis Generalibus pro discerniculo Catholicorum ab hæreticis constanter receptas, atque in Symbolo Constantinopolitano expressas, vel dissimulent, vel rejiciant, novásque, sed satis fallibiles ac insufficientes adinvenire & obtrudere audeant? Tales sunt agnoscendæ *Notæ*, quæ (saltem simul sumptæ) uni & soli veræ Ecclesiæ sint propriæ. At inprimis prædicatio Verbi Divini non est propria uni & soli veræ Christi Ecclesiæ pariter & Sacramentorum usus: quam enim Sectam retrò damnatam assignabunt, cui non fuerit communis prædicatio Verbi Divini? omnes prætendunt, suam prædicationem esse puram, sinceram, genuinam: & similiter usum legitimum Sacramentorum, quidquid sit de hæreticis, quos Sacramentarios appellamus.

65. Instat Bellarmin. *loc. cit. c.* 2. Vel illa sincera prædicatio debet esse pura ab omni errore; vel solùm ab essentialibus & fundamentalibus? si dicatur primum, ex hac ipsa Nota colligemus, apud nullos Lutheranorum esse Ecclesiam: nam ipsi fatentur, suas Ecclesias non carere nævis. Ipse Lutherus *lib. de Ecclesia* clarè dicit, Verbum Dei esse Notam, licèt aliàs magìs aliàs minùs purè prædicetur: & Calvin. idem fatetur *lib.* 4. *Inst. cap.* 1. §. 17. Si secundum reponatur: prædicatio jam erit Nota pluribus Sectis communis. Fundamentales articuli de SS. Trinitate & Incarnatione prædicantur communiter tam inter Lutheranos quàm inter Zwinglianos, erúntne igitur una Ecclesia? Vel an ambæ sunt veræ, licèt in pluribus punctis discrepent? Pelagiani quoque olim (antequàm Nestorianos peperissent) in primariis articulis cum Lutheristis & Calvinistis non dissentiebant: & tamen Lutheristæ & Calvinistæ nullos magis exe-crantur, quàm Pelagianos, nósque Catholicos ideò potissimum extra Ecclesiam ponunt, quòd Pelagianos putent. Ad rem D. Augustinus contra *Epistolam fundamenti*, *cap.* 4. Catholica quidem Ecclesia, inquit, multis Notis facilè cognoscitur; sed hæretici nihil habent, nisi veritatis pollicitationem, id est, quòd apud se sit vera & sincera prædicatio.

66. Certè vera prædicatio & Verbi Divini interpretatio est illa, quæ est conformis Divinæ Scripturæ: ergò priùs debet esse notum, quæ sit vera Ecclesia, quàm quæ sit vera prædicatio. Conseq. prob. Quæ sit vera scriptura quisque ejus verus sensus, nequit constare, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ: ita docet Div. August. *lib. cont. Epist. Fundamenti cap.* 5. & *lib. de utilit. credendi. c.* 14. imò &

& Brentius in *Confessione* Wittemberg. *cap. de Scriptura* non denegat Ecclesiæ jus testificandi de vera Scriptura, eámque interpretandi: Calvinus quoque *lib.* 4. *cap.* 1. §. 5. consentit, Ecclesiam esse fidelem custodem Verbi Dei: nec non Philippus Melanchton in *locis cap. de Ecclesia*: requirit testimonium veræ Ecclesiæ ad dirimendas lites. At priùs debet esse notus Thesauri custos, quàm Thesaurus; & Doctor, quàm doctrina: cùm à Doctore petatur doctrina, non contrà: ergo potiùs Ecclesia est Nota veræ prædicationis, quàm vera prædicatio sit Nota veræ Ecclesiæ: Notæ siquidem debent esse notiores eâ re, cujus sunt Notæ; alioquin non sunt Notæ, sed ignotæ. Auscultemus Tertullianum *Lib. de Præscript. quid prædicaverint*, ait, *Apostoli*; *quid illis Christus revelaverit*, *& hic perscribam*, *non aliter probari debet*, *nisi per easdem Ecclesias*, *quas ipsi Apostoli condiderunt*, *si hæc ita sunt*: *constat proinde*, *omnem doctrinam*, *quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus*, *& originalibus fidei conspiret*, *veritati deputandam*, *reliquam verò omnem de mendacio præjudicandam.*

67. Rectè adversæ parti, dum puram Evangelii aut Sac. Scripturæ prædicationem, usúmque legitimum Sacramentorum pro Nota Ecclesiæ jactat, remonstratur, idem esse, ac si dicerent, Scripturam esse Notam Ecclesiæ. Si quæramus, quænam sit pura prædicatio, aut legitimus Sacramentorum usus? ad conformitatem cum scriptura confugiendo circulum committunt, omnémque controversiam quasi per cuniculos ad scripturam trahunt. Utinam scripturam amarent propter veritatem, non propter obscuritatem tanquam astutiæ suæ asylum. Quomodò homo Bibliorum (aliquot centena millia legere nesciunt) ignarus Ecclesiam agnoscet, si dubitet, an in hoc vel illo cœtu prædicatio veris Bibliis sit conformis? Quomodò suadebitur fides Ethnico, Bibliorum Auctoritatem non agnoscenti, quomodò vera Ecclesia demonstrabitur? Non ergo primitùs, quæ sit vera fides, vel scriptura, præsertim dum convertendi sunt rudes & illiterati, quærendum est, sed quæ sit vera Ecclesia, veræque fidei Magistra & Ministra: nam, hâc semel agnitâ, non est opus singulas excutere controversias: sed quilibet instructioni paratum afferens animum, si audiat, ita doceri in vera Ecclesia, assensum, Divina præveniente & adjuvante gratiâ elicitum præstabit. Certè simplices apud Acatholicos rationem fidei suæ poscenti vix aliud respondebunt, quàm quòd Principes sui hoc credere jubeant.

68. Adde, quòd Adversarii externam prædicationem pro Nota Ecclesiæ statuant unà cum illius receptione, ita, ut ibi sit vera Ecclesia, ubi quod prædicatur, auditur, & recipitur, seu creditur. Cùm autem fides seu assensus præstitus Verbo Dei sit actus mentis internus, adeóque de se insensibilis, qua ratione prædicatio, ùt est conjuncta cum receptione Verbi prædicati, poterit tanquam exterior *Nota* veros fideles distinguere ab incredulis, & veram Ecclesiam à putativa?

69. Instat ampliùs Bellarminus: olim Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum erant veræ Ecclesiæ, scilicet ùt particulares sub universali seu Christiano-Catholica: & tamen in iis sincera Verbi Dei prædicatio defecerat: aliàs Paulus Apostolus 1. *Cor.* 15. Corinthios non reprehendisset, quòd docerent, non esse futuram resurrectionem: nec Galatas, quòd docerent, Legem Moysis unà cum Evangelio esse servandam: ergo dari potest vera Ecclesia, ubi Verbum Dei sincerè non prædicatur: jam sic: Vera Nota veræ Ecclesiæ debet esse quid inseparabile ab illa: prædicatio Verbi non est inseparabilis à vera Ecclesia (alioquin ubicunque daretur vera Ecclesia daretur vera prædicatio, cujus contrarium mox ostensum fuit) ergo prædicatio Verbi non est vera Nota Ecclesiæ.

70. Neque replicent, apud Corinthios & Galatas eò ipso non fuisse veras Ecclesias, quia hæresi infecti erant. Nam contra militat primò, quòd Apostolus 1. *Cor.* 1. & *Gal.* 1. scripserit ad Corinthios & Galatas nominando & salutando *Ecclesias Dei*: Ecclesiæ Dei sunt veræ Ecclesiæ: ergo & prædictæ Ecclesiæ veræ erant. Contra militat secundò: quòd aliud sit, errare, & paratum esse ad discendum, & cùm didiceris, ad obediendum; aliud nolle discere; & cùm audieris veritatem, nolle acquiescere: neutrum horum potest esse in Ecclesia universali; in Ecclesia autem particulari esse potest illud primum: in neutra autem illud secundum, sed solùm in Synagogis Satanæ, & Ecclesiis malignantium. Bellarm. *loc. cit.* ulteriùs effugium Adversariorum præcludens, eò quòd possit esse pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia: nam Schismatici puri, ùt quondam Luciferiani & Donatistæ, initio integram habent doctrinam (alioquin non esset possibile Schisma ab hæresi præcisum) & tamen sunt extra Ecclesiam ex dictis *num.* 21. Nec dicas, Schismaticos non habere veram doctrinam; cùm vera inculcet, esse manendum in unitate veræ Ecclesiæ. Nam Schismatici purè tales non negant, sed credunt, esse manendum in vera Ecclesia, & vero Capiti obediendum, licèt id facere detrectent: & ideò non errant in fide, quà Schismatici, sed deficiunt in Charitate.

71. Sed noviter instaurant Adversarii suæ Notæ probationem cum Calvino: Verbum Dei, cùm sit verax, ubicunque prædicatur, fructificat: ergo etiam ubicunque prædicatur, ibi est aliqua Ecclesia. Quò facit illud Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*: ibi itaque erit Ecclesia, ubi Verbum Dei auditur. Resp. ad primum Bellarm. *cit. cap.* 2. ad summum ex illa ratione probari, aliquos bonos esse, ubi sit prædicatio; qui autem sint illi, non constat aliis. Dixi: *ad summum*: esto enim Verbum Dei fructificet, si prædicatores ab ordinaria potestate mittantur; plurimùm

ta-

tamen lolii succrescit, si missio vel prædicatio aliter fiat; quemadmodùm id satis compertum habetur, si tot enatas ex illegitima prædicatione Sectas consideremus. Ad secundum Resp. textum illum loqui de electis, quòd nimirum ii, qui vocem Dei corde perseveranti audiunt, retinent, ac sequuntur, conjecturaliter de sua electione & salute judicare possint: cùm autem talis auditio, quæ corde fit, soli credenti sit Nota conjecturalis & privata, quòd pertineat ad veram Ecclesiam, quomodò aliis ùt Nota publica visibilis Ecclesiæ deservire poterit?

72. Arguis secundò: Optimum quoque signum & Nota veræ Ecclesiæ est legitimus Sacramentorum usus. Sed hic habetur etiam extra Ecclesiam Romanam: ergo datur signum & Nota veræ Ecclesiæ, quæ est extra Romanam. Resp. contra hanc Notam omnes rationes dimicare, quibus Notam Prædicationis Verbi Dei ùt fallibilem & insufficientem monstravimus. Quam enim Novatorum Ecclesiam monstrabis, quæ de legitimo Sacramentorum usu sibi non abblandiatur, vel de ea glorietur? Anabaptistæ prætendunt, omnes post exortum lumen & usum rationis rebaptizandos esse: negant hoc Catholici: negant & Lutheristæ. Calviniani rejiciunt præsentiam Sacramentalem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia & contenti manent cū sola figura vel memoria: Lutheristæ eam credunt in usu, & cum *impanatione*: Catholici semper tenuerunt, statim post legitimam Sacerdotis consecrationem panis ac vini substantias destrui, & per transsubstantiationem miraculosam in Corpus & Sanguinem Christi converti, & hoc Sacramentum esse *permanens*, quamdiu *species accidentales* non sunt consumptæ. Adhæc: Schismatici, uti prætendunt, legitimè Sacramenta administrant & percipiunt: Pelagiani similiter: éstne hoc Nota, quòd sint in vera Ecclesia? Et nónne, quis sit legitimus Sacramentorum usus non minùs, quàm quæ sit legitima Verbi Dei prædicatio, dependet à legitima Scriptura, hujúsque debita interpretatione? Scripturæ verò legitimitas, sensus, & interpretatio à vera Ecclesia? Ergo usus legitimus Sacramentorum præsupponit Ecclesiam, non vicissim Ecclesia usum illum tanquam infallibilem Notam Ecclesiæ infallibilis.

73. Arguis tertiò cum Centuriatis, pro Nota veræ Ecclesiæ censeri, quando ejus membra in *Confessione fidei* constanter usque ad effusionem Sanguinis, imò usque ad mortem ipsam perseverant. Resp. hanc Notam duabus prioribus non esse notiorem, vel magìs idoneam: tam parum enim notum est, quæ sit vera Confessio fidei, quàm dubium est atque obscurum, quæ sit vera Scripturæ prædicatio, & legitimus Sacramentorum usus. Sicuti proinde hæ duæ posteriores Notæ veram Ecclesiam, à cujus judicio dependent, suámque determinationem, declarationem, & illuminationem accipere debent, pro priori supponunt; ita quoque vera fidei Confessio. Deinde nulla unquam gliscebat hæresis, cujus fautores non prætenderint, suam fidei Confessionem esse comprimis puram, & ab erroribus defœcatam, aut saltem meliorem tutiorémque quàvis aliâ fidei professione: & tamen multis parasangis à vera Ecclesia distabant. Quàm ergo hæc Nota, nudè spectata, est fallax veræ Ecclesiæ indicium?

74. Ulteriùs, ex Lutheri Confessionistis percontari licebit, de qua fidei Confessione loquantur, internæ, vel externæ? Si de interna: quomodo secretum cordis intimum, & in penetralibus mentis retentum poterit esse Nota publica veri cœtûs fidelium veram Ecclesiam repræsentantium? Si verò loquantur de externa fidei Confessione: iterum urgentur, an ea Confessio sit antiqua, & à tempore Apostolorum hucusque continuata? an verò sit nova, & post interruptionem demum renovata? Si sit antiqua, & exterior semper fuerit, Lutherani Notam Ecclesiæ suæ confingunt pro tempore, quo sua Ecclesia non fuit: spargunt enim, multis sæculis, antequàm Lutherus adveniret, confessionem veræ fidei cessâsse, & Ecclesiam in latebris conservatam prorsus invisibilem fuisse. Quanta contradictio! Admittere itaqua coguntur, fidei suæ confessionem exteriorem non esse antiquam, aut saltem non antiquissimam, sed demum sæculô decimô quintô cœpisse, atque innotuisse: consequenter & Ecclesiam suam cum sua nova confessione noviter apparuisse: at nova Ecclesia est falsa: ipsimet enim Romano-Catholicam Ecclesiam ex eo putativo, nec parum injurioso, argumento falsitatis incusant, quòd à primitiva Ecclesia post aliquot sæcula recesserit, & per consequens ùt nova inclaruerit, vel potiùs defecerit: ergo ipsi Lutherani ex prætensa *Nota* suæ fidei confessionis sententiam ferunt, Ecclesiam suam esse falsam.

75. Prædicta Confessionis Fidei *Nota* in nullo cœtu minùs, quàm Lutheranorum, videtur: & econtra in nullo magìs, quàm Catholicorum. Nam in Catholica Ecclesia quot non millia Martyrum in Confessione & defensione fidei Romano-Orthodoxæ usq; ad sanguinem constantissimè decertârunt, perseverârunt, ac ipsa mortis supplicia sustinuerunt? Lutherani constantiam & numerum Martyrum suorum ostendant. Montanistæ valdè gloriabantur de suis martyribus, uti patet tum ex Eusebio *Lib.* 5. *Histor. cap.* 18. tum ex Tertulliano in *lib. de fuga in persecutione*, quem scripsit, cùm Montanista esset, contra Catholicos, objiciens eis, quòd malè facerent fugiendo. Item Messaliani apud Epiphanium *hæres.* 80. ideo dicti sunt Martyriani, quia gloriabantur valde de numero Martyrum suorum. Idem de Donatistis constat. S. Augustinus *Epist.* 48. *videbant* (inquit) *ùt latrones, honorabuntur ùt Martyres* De Anabaptistis, qui erant tempore B. Bernardi, scribit ipse *Ser.* 66. in Cantica: *Mirabantur aliqui, quòd non modò patienter, sed etiam*

*lati ducerentur ad mortem.* De Adamitis scribit Æneas Sylvius *lib. de histor. Bohemor. cap.* 41. viros cum fœminis conjugibus suis lætos atque canentes properare solitos ad ignem. Hoc verò tempore nostro (subdit Bellarm.) nemo ignorat, in hac obstinatione moriendi pro perfidia, primum locum tenere Anabaptistas, secundum Calvinistas, extremum ac penè nullum meros Lutheranos, qui tamen hanc *Notam* veræ Ecclesiæ soli proponunt.

76. Arguis quartò cum Lutheranis, *internam mœstitiam, ac pusillanimitatem*, utì & *externas persecutiones*, ipsámque nominis hujus (*hæretici*) impositionem inter *Notas* veræ Ecclesiæ recipi debere. Resp. internam mœstitiam, æquè ac internam fidei Confessionem, insensibilem esse: atqui vera *Nota* Ecclesiæ sensibilis nequit esse insensibilis: igitur nec mœstitia interna. Neque aliis constat, quo ex motivo talis mœstitia nutriatur: sitne v. g. ex contemplatione mali alicui imminentis, conscientiæ vulneratæ, aut cum alio affectu circa veram fidem? Porrò pusillanimitas vitium est. Apostolus quoque Paulus non ad mœstitiam, sed lætitiam internam fideles hortatur, dicendo, Regnum DEI esse gaudium in Spiritu Sancto. Vid. *Rom.* 14. *Coloss.* 3. *Philipp.* 4. & *Ephes.* 5.

77. Arguis quintò: Sanctitatem Ecclesiæ Romanæ non parum defœdant erronea & superstitiosa complura, quæ in illam irrepserunt. Hoc ergo est, quod multos absterret, quo minùs ad Catholicos transeant. Ad has argutias volo audiri responsionem celebris Jurisconsulti Bernardi Sutholt, qui, post diutinam rerum omnium, & dogmatum discussionem, tandem ejuratô Calvinismô generosè & zelosè ad gremium Romano-Catholicæ Ecclesiæ confugit, ut saluti suæ æternæ consuleret. In causæ redditione de sua conversione, quam anno 1625. inscripsit Serenissimo Wolfgango Wilhelmo Comiti Palatino Rheni &c. à pag. 47. non patitur, Catholicis vel superstitiosa vel erronea objici ab iis, qui ipsis infensi sunt. Deinde post multa sic instat: quidquid Ecclesia primis tribus sæculis usurpavit, id & nobis usurpare licet, ex ipsa adversariorum hypothesi: fatentur enim, eam tunc fuisse puram atque immaculatam atque ab omni idololatria & Superstitione, ùt vocant, Papisticâ immunem. Et quia Adversarii plerumque orthodoxos hoc in puncto ratione sacrificii Missæ tanquam superstitiosos, & idololatras injustè incusant, adducit S. Cyprianum *Epist.* 65. atque ex illo incruenti sacrificii institutionem usúmque luculenter probat.

78. Quoniam verò plerique, ait, Lutheranorum, & Calvinistarum hic largiores sunt, concedúntque, per quinque à nato Christo sæcula ad usque Gregorii Magni tempora Ecclesiam ignorâsse istas Idololatrias & superstitiones, quas pòst demum à Papafuisse invectas, dicunt, jam longè proclivius & compendiosius est, *mendaciorum eos crassissimorum* arguere & convincere vel ex unico S. Augustino. Quòdsi iis, qui juri operam navant, non vacat aut non libet adire Augustinum, Bernardus Sutholt eosdem ducit ad Codicem & Novellas Justiniani: is (ait) utì Gregoriô Magnô anterior est, ita vos docebit, quàmquàm hìc sint mendaces atque impudentes hæretici, id quod mihi ostendere pronum esset, neque à munere JCti foret alienum, si tempus jam ad eam rem daretur; mille vobis talia in lectione Constitutionum Justiniani obvenirent, etiam quando aliud agitis. . . . Quòdsi ea, quæ diximus, sepositis nonnihil affectibus expenderent, quos educatio magis atque exemplum, quàm mentis pervicacia in errorem abripuit, bona spes esset, eos facilè agnituros, quàm insignis fiat Catholicis injuria, quando Adversarii Ecclesiam Catholicam *Idololatricam*, *superstitiosam*, *tyrannicam*, *meretricem Babylonicam*, *Pontificem ipsum Antichristum* facere non erubescunt.

79. Posteà pag. 52. ultro concedit, inter Catholicos haud omnes sanctè vivere. Sed propterea Ecclesia minimè est spernenda vel deserenda. Tolerare debemus quorundam nævos, quomodo sterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala. Vitia erunt, donec homines; sed neque hæc continua; & meliorum interventu pensantur, Tacitus *lib.* 4. *Historiar.* Videamus ergo, non quid alter aut tertius in Ecclesia faciat, sed quid ex Ecclesiæ præscripto, quid ex regula & principiis doctrinæ fiat: quæ videlicet Ecclesia majora habeat pietatis adminicula, & ad sanctimoniam vitæ ac devotionem incitamenta. Multoties dixi adhucdum hæreticus: qui apud Lutheranos aut Calvinianos boni sunt (quamquàm non nisi ethicè bonus, qui qui in ipsis bonus) naturæ atque indolis bonitate tales sunt, non religionis suæ ductu; qui apud Catholicos mali, neglectu disciplinæ, Religionis contemptu, & pravitate naturæ sequiorem vitam agunt. Adeò enim Religio Catholica quasi manu ducit ad perfectionem, ut & qui sequi abnuunt, non possint tamen, quin laudent. . . . Non est, quòd in hoc argumento nos diffundamus, cùm ipsi *hæresiarchæ* fateantur, mundum ex sua doctrina quotidie reddi deteriorem (Lutherus *Postil. Concil.* 2. *Domin.* 1. *Advent.*) & jam homines singulos septenis diabolis obsideri, cùm anteà unico obsessi fuissent. Similiter Calvinus (*Commen. in* 2. *ep. Petri cap.* 1.) scribit, vix eorum decimus est, qui alio fine Evangelio (*Sectam* intelligit Calvinisticam) nomen dederit, quàm ut solutus in omnem lasciviam difflueret. . . . Hic disciplinæ & omnis pietatis neglectus apud *hæreticos* nostri temporis non tam ex hominum vitiis aut socordia oritur, quàm ex propria ipsorum doctrina, dum jejunia, satisfactionem, cilicia, chameuniam damnant, Sacramenta nuda faciunt signa; docent, legem DEI servari non posse, decalogum ad fideles non pertinere, habenti fidem specialem, nul-

nullum imputari peccatum; unumquemque & debere, & posse certum esse de sua salute; quæ præfectò doctrina omnem DEI timorem excutit, inducit torporem &c. Hæc fideliter relata sunt ex Bernard. Sutholt, qui quàm plura vere Catholica addit.

# QUÆSTIO QUINTA.

## *An Psalmorum & alii cantus sit una ex Notis veræ Ecclesiæ?*

80. OMnes populi ac nationes, quæ ullis cæremoniis aut Religionis formâ DEUM coluerunt, psalmorum cantum in pretio & usu habent. Hinc sequitur

81. Assertio: Psalmodiæ cantus, aut aliæ cantilenæ, non sunt *Notæ* veræ Ecclesiæ. Probatur. Ex aliquo communi pluribus, vel omnibus, qui ex sua parte veram Ecclesiam aut Religionem prætendunt, nulliter probatur veritas Ecclesiæ. Psalmodiæ, & alios cantus vel verè vel putativè sacros, fuisse semper aliquid commune pluribus vel omnibus, qui ex sua parte veram Ecclesiam aut Religionem prætendunt, constat primò, quòd etiam Muselmanni seu Turcæ, quorum Religio complura à Christianis & Judæis sibi appropriavit, in cœtibus suis Psalmos Davidicos, operâ Sergii Apostatæ, & Mahumetis Collegæ traductos, linguâ Arabicâ decantent: quemadmodum & Persæ, Æthiopes, ac Arabes. Et teste Florimundo Raymundo *de Ortu, progressu & ruina hæresum &c. lib.* 8. *cap.* 14. Pseudopropheta ille ac impostor finxit, Psalterium Davidis cælitùs pro suis missum esse. Vocant verò orationem Meridionalem, cujus usum quotidianum omnibus bonis Muselmannis mandârit. Alii Septentrionales populi, qui sub magni Chami Imperio vivunt, eosdem Psalmos magna habent in veneratione. Ut paucis complectamur, in omnibus terræ partibus Divinæ laudes Davidis barbito decantantur. Quemadmodùm verò omnes medicamentis saccaratis utuntur, non tamen omnes eorum effectus sentiunt: sic multi quidem Davidicorum Psalmorum dulcedinem gustârunt; nec tamen eorundem verum intellectum, & quæ inde proficiscitur, salutem perceperunt.

82. Nemo vel pauci hæreticorum tam malitiosi ac perversi fuêre, qui divina hæc Cantica reijcere præsumpserint, exceptis Anabaptistis, qui tamen magnæ Sanctitatis opinionem affectant. In horum enim cœtibus nihil audias, nisi vocem Prædicantis sive Exhortantis. Primi Lutherani (veluti denuò testificatur Florimundus) *post prostitutam misere vulgo Sac. Scripturam*, eidem Psalmos decantandos exhibuerunt; sed DEUS bone! quantis erroribus & depravationibus refertos! Ex his quidam Marthesius eò dementiæ, vel impietatis potiùs, progressus est, ut dixeris, non Davidem, sed Æsopum eorum esse Auctorem, sumptô argumentô ex nomine Asaph Psalmis quibusdam præfixis. A Saxonibus hoc velut exercitium Religionis ac partem aliquam cultûs Divini Galli (non orthodoxi) mutuati sunt, adeò ut omnis eorum devotio hìc inclusa sit, nec ulli cœtus obeantur, aut preces publicæ vel privatæ concipiantur, nisi mollis & effœminatus Psalmorum, ùt plurimùm non intellectorum, cantus adhibeatur. Et hoc illud est, quo dici vix potest, quàm multas simplices animas inescârint, cùm id solum in omni ipsorum cultu devotionis alicujus videtur habere speciem, eò quòd tam aërem quàm auditorum aures divino nomine repleat.

83. Fatendum sanè est (ait citatus Florimundus) novas istas Religiones ex nulla alia re non initium modò, sed & tanta incrementa sumpsisse, quàm ex suavi hoc Psalmorum cantu. Hæc catena illa fuit, qua Lutherus & Calvinus, ùt olim Amphion ille Thebanus, saxa ad novam suam condendam Babylonem attraxerunt. Hàc tanquam fistulâ iidem deceptas animas retibus suis involverunt. Ubi enim quis sonum alicujus audierat, & verba vel parum intellexerat, statim jam in Cœlum raptus sibi videbatur, ibique cùm DEO quasi colloqui. Hoc cantu miles excubans & tædium noctis fallebat & frigus media hyeme depellebat; hoc opifex in officina, hoc rusticus aratrum sequens, labores suos solabantur: hoc integræ copiæ in acie stantes, selectô ad id convenientis argumenti psalmo, ad pugnam fortiter capessendam sese mutuò excitabant, atque exhortabantur. Mundus, fatuus ille sapiens, ex specie externa omnia judicans, hanc DEI colendi formam initio statim probabat, anguem in herba latentem non animadvertens. His enim velut magicis carminibus incantati, miro novitatis studio incendebantur, ac velut torrente quodam in abyssum hæreseos abripiebantur. Hac eadem fraude veteres olim hæretici usi sunt. Samosatenus enim suo modo psalmos in vulgarem linguam vertit. Eosdem Arius, quâ vellet formâ, traductos, sectatoribus suis ad conciones euntibus, per plateas decantandas exhibuit, ut psalmorũ cantus, teste Hieronymo, tum nihil aliud fuerit, quàm porcorum velut grunnitus. Idem pessimus Hæresiarcha Arius Confessionis suæ seu fidei articulos rythmis & modulis comprehensos, populo edifcendos ac decantandos proposuit, ut hæreseos suæ venenum tantò altiùs in eorum animos demitteret, ùt notat S. Athanasius. Quin etiam librum, quo Religionis suæ mysteria ver-

versibus comprehenderat, Thaleiam inscripsit, id est, Convivialem, Sotadis ridiculi apud Ægyptios Poëtæ imitatione: unde etiam à S. Athanasio Sotadicus appellatur, qui cibo vinóque distentus blasphemias suas per cantica ista evomebat. Eodem modo duo Apollinares, uterque hæreticus, usitatas Ecclesiæ preces, ùt Sozomenes scribit, in cantus redegerunt, quos commessatores inter pocula, opifices in Officina, fœminæ ad colum decantabant. Hæc ille.

84. Eodem Auctore perhibente, primi Lutherani & Calvinistæ sub epularum finem Biblia ac Psalterium tanquam mensas secundas seu bellaria inferre solebant. Tum unà omnes canere, pueri, senes, virgines, juvenes; fœminæ inprimis illam suam exilem ac gratam vocem ita explicare, ut juvenum animos tanquam telò aliquô sauciarent. De quorum plerisque illud dici poterat, quod Lacon ille de Luscinia dixit: *nil nisi vox es.* Non minùs jucundum erat, ait, spectaculum, videre decem aut duodecim naves vectoribus utriusque sexûs plenas, qui cantantes ac psallentes ad conciones suas commeabant, & ripam sonitu replebant, non tam ut à DEO quàm ab hominibus audirentur, atque ita devotionis speciem præberent.

85. Addit Florimundus *cit. c.* 14. imprudenter, atque adeò impiè à novis Evangelistis factum esse, quòd Divinos hos cantus tam turpiter profanârint, ex Ecclesiis in privatarum ædes, ex ædibus in fabrorum Officinas, pristinum atque ergastulum traductos. Neque enim par est, ut magni illius Prophetæ ac Regis, quem SS. Trinitatis præconem ex antiquis Patribus quidam appellant, enthusiasmi, vel potiùs cœlestes contemplationes in profanis passim locis adeóque ipsis lavatrinis prostituantur. Quis enim non indignetur, à veteramentario calceos suente Divinum illud *miserere &c.* aut à Fabro ferrum versante illud, *de Profundis &c.* sine ulla animi attentione aut devotione mugiri magìs, quàm cantari audiens? Quid quòd nonnulli iisdem turpissimè ad amores, jocos, ac ludibria abusi sunt, & adhuc abutuntur?

86. Hæc omnia ostendunt, quòd moderni Sectarii in suis cantibus tanquam verâ Notâ suarum Religionum propriis nimis vanè sibi complaceant; cùm orthodoxa Ecclesia & antiquitùs, & per successiva sæcula non qualescunque clamores, vel promiscuos cantus in usum deduxerit, sed laudes Divinas publicis ac alternantibus Choris diu noctúque decantandas continuò ad meliorem formam, decorem, ordinémque redigere, & maximè per Personas Ecclesiasticas, atque Religiosas, imposita quoque obligatione Statum Clericalem aut Regularem ex libera voluntate amplectentibus, justo Divini honoris amplificandi zelo, nunquam non curæ habuerit. Quo certè Summi Pontifices, & reliqui Præsules, Patrésque in Ecclesia Militante quandam imaginem illius Triumphantis efformare studuêre, ut homines in terris corresponderent, & DEUM collaudarent cum Angelicis Choris in Cœlis.

87. Unde Wiclefus *Tract.* 2. *de Sermon. Dom. in Monte cap.* 65. satis incautè dixit: Levis obedientia est in medio noctis surgere, & dicere Matutinas modo, quo Religiosi nostri privati faciunt. Ex isto Sermone nudo Psalmistæ psallimus, ac si nostri Religiosi fatui sic arguerent: Psalmista sic fecit semel ad minimum, sicut de Ægypto exivit populus Israëliticus semel in medio noctis, semélque veniet Christus ad judicium. *Ergo illi debent regulariter surgere & dicere illâ horâ matutinas.* Et Martinus Lutherus in Confutatione rationis Latomianæ: *Magìs credo peccare eos, qui legunt frigidas horas, quàm qui omittunt. Hypocritæ enim sunt, & fingunt se orare, & loqui cum DEO; cùm nihil faciant minus, videntúrque illudere & tentare DEUM:* Concedimus, quòd qui cum voluntaria distractione, & culpabili tepore psallunt, meliùs tacerent: quia (ùt monet SS. Benedictus suæ Regulæ *cap.* 19. *memores esse debemus, quod ait Propheta*: Servite Domino in timore: *& iterum*: Psallite sapienter: *Et*: in conspectu Angelorum psallam tibi: *Ergo consideremus* (concludit pius Pater) *qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis & Angelorum esse: & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.*

*Quando oras, DEUM ponas*
*Ante Cordis aciem:*
*Times stantem & notantem?*
*DEUM time Vindicem.*

Negamus econtra, quamlibet evagationem, frigiditatem, vel ariditatem mentis, quæ invitis & resistentibus accidere potest, & quam non rarò etiam devotissimæ cæteroquin animæ passæ sunt, illusionem vel tentationem DEI reputari debere: cùm sine voluntario implicet culpa: imò pro merito per resistentiam piè comparato, certantibus corona justitiæ reposita maneat. Quòd si ex his pateat, psalmodiam in lingua vulgari non solùm posterioribus temporibus, verùm etiam anterioribus fuisse inter diversorum Sectariorum classes omnino frequentem atque communem; ac prætereà in varios, & parum laudabiles abusus degenerâsse, quomodò pro veræ Ecclesiæ singulari Notâ cum fundamento haberi poterit? Sed contra

88. Arguis primò: ab ipso exorientis Christianæ Religionis exordio cantus, psalmodia, seu laus Divina in usum venerat. Quid ergo exprobretur illis, qui istum laudabilem usum aut reproducunt, aut floridiorem reddunt? Resp. Psalmos, Ecclesiasticos cantus, laudes Divinas, statas preces, ac devota pietatis exercitia per Ecclesiæ pseu-

pseudo-reformatores minimè ad decorem aut florem devenisse, sed jam anteà optimè ordinata viguisse. Ita fidelibus universim præcipiebant Constitutiones Apostolicæ: *Precationes facite manè, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperè, atque ad Galli cantum.* Manè scil. ut Patri luminum de ortu diei agantur gratiæ. Tertiâ, quia eâ horâ Sol Justitiæ Christus morti addictus est. Sextâ, quâ circa meridiem affixus Cruci, & splendidissimè à terra exaltatus est. Nonâ, quia tum immortalis vitæ parens mortali vita excessit. Vesperè, ut ei gratiæ agantur, qui eo tempore tumulatus, veræ quietis nobis auspex factus est. Ad Galli cantum; quia Christo resurgente, rediviva immortalis lux filios lucis ad laborem, & ad opus æternæ salutis vocat. His horis congregabantur fideles ad Ecclesiam; id si minùs liceret, conveniebant in domo aliqua. *Quòd si neque in domo, neque in Ecclesia congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, legat, oret; vel duo simul, aut tres. Ubi enim fuerint*, inquit Dominus, *duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

89. Arguis secundò: Lutherani & Calviniani zelum saltem suum eximium commonstrârunt, dum psalmodiam, pro Laudibus Divinis celebrandis, in communem populi sui usum introduxerunt, Moysis, Davidis, imò & ipsius Christi, atque Apostolorum tum monita tum exempla imitantes. *Math. 26. v. 30.* legimus: *Et Hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti.* Et ad Coloss. 3. v. 16. *Docentes & commonentes vosmetipsos, in Psalmis, Hymnis & canticis Spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris DEO.* Resp. permulta in thesi laudabilia esse, quæ tamen in hypothesi, circumstantiis, modo, abusu & fine, à rectitudine deficiunt. Certè à Catholicis psalmodia aliique Divinarum laudum cantus non improbantur, sed solùm abusus, sacræque Scripturæ tum corruptio tum profanatio: improbatur Ecclesiæ contemptus per studiosam suâ difformitatem à reformatis intentus, cum neglectu & abrogatione aliorum pietatis exercitiorum, precũ, cantuum, rituum, cæremoniarum &c. quæ in Ecclesia ab antiquissimis temporibus pro ornamento & incremento cultûs Divini introducta fuere: improbatur quoque specialiter, quòd Novatores hac in re perfectionem suæ Religionis proprietatem, & peculiarem Ecclesiæ *Notam* statuere audeant, vel etiam gloriari de quodam eximio zelo ob morem cantûs in communem populi sui usum introducti: quandoquidem sciunt, vel scire possunt, quòd non tantùm Psalmodiæ sed & aliorum Divinorum Officiorum usus in Ecclesia Romana vetustissimus sit, ac demum sub obligatione in Clericos & Religiosos principaliter devolutus, qui decenter, cum decore, ac ædificatione non in quavis linqua vernacula, sed in latina laudes Divinas, publicè alternantibus Choris, aut etiam privatim, peragant. De cujus introductionis & moris antiquitate amplissimè scribit celebris Thomassinus *de Veteri & Nova Ecclesiæ Disciplina, tom. 1. lib. 2.* ubi *cap. 72.* Epiphanium *Exposit. fid. Cath. cap. 23.* adducit, qui circumspectè orationem à psalmodia secernens, docet, in Ecclesia celebrari solere Officia Matutinæ & Vespertinæ Psalmodiæ; at Monachos se totos impendere Psalmodiæ, Orationi, Scripturis lectitandis, & memoriæ commendandis.

90. Epiphanio subjungit S. Basilium, & Chrysostomum, qui posterior, non contentus, id pervicisse, ut Clerici nocturnis officiis adessent omnes, Laicos ipsos, sæcularibúsque implicatos occupationibus urgebat, ùt si diem terrena sibi negotia interciperent, Deo saltem noctes, Divinisque laudibus vendicarent. In Act. Hom. 28. sic instat: *Non ideò facta est nox, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc & opifices, & nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus. Surge & tu, & vide astrorum choreum. Obstupesce admirabilem Dei dispensationem. Ad viros, & mulieres mihi sermo est, flecte genua, ingemisce, ora, &c.* Horas Canonicas Apostolicæ esse traditionis, testatur Tertullianus apud eund. Thomassin. *d. lib. 2. cap. 73. n. 4.* inquiens: Primus instituit Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi, ut Psalmi alternatim canerentur. Testis oculatus, qui tum Mediolani versabatur, Augustinus, perhibens, *modulato hoc, cœlestique cantu sæpe sibi elicitas fluxisse lachrymas. Quantùm flevi* (ait *in Confess. l. 9. c. 17.*) *in Hymnis & Canticis tuis, suavè sonantis Ecclesiæ tuæ commotus acriter.* Et *Serm. 55. de Tempor.* „Ad vigilias maturiùs surgite, in„quit, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam „ante omnia convenite. Nullus se à sancto „opere se subtrahat, nisi quem infirmitas, „aut publica utilitas, aut fortè certa & gran„dis necessitas tenuerit occupatum.

91. Carolo Magno, aut Pipino ejus Patri Stephanus Papa duodecim Cantores Romanos concessit, ne vel ipsa Officiorum Divinorum diversitas offendiculo esset, & aliquando ipsam fidei unitatem, consonantiámque Gallicanæ cum Romana Ecclesia convelleret. Verba Caroli Magni, ad rem nostram optimè conducentia refero ex Thomassino *loc. cit. cap. 80.* „A cujus Romanæ Ecclesiæ, „inquit, sacrata, & veneranda communione „multis recedentibus, nostræ tamen partis „nunquam recessit Ecclesia, sed ea Aposto„lica traditione instruente, & eo, à quo est „omne donum optimum, tribuente, semper „suscepit reverenda charismata. Quæ dum „à primis Fidei temporibus præstaret in Re„ligionis sacræ unione, & ab ea paulò di„staret, quod tamen contra fidem non est, „in Officiorum celebratione, venerandæ „memoriæ Genitoris nostri Illustrissimi Pi„pini Regis curâ, & industriâ, sive adventu „in Gallias sanctissimi Viri Stephani, Ro„manæ Urbis Antistitis, est ei etiam in psal„lendi ordine copulata; ut non esset dispar „ordo psallendi, quibus erat compar ordo cre-

„credendi: & quæ unitæ erant unius sanctæ „Legis sacra lectione, essent etiam unitæ „unius modulationis veneranda traditione; „nec sejungeret Officiorum varia celebra„tio, quos conjunxerat unicæ Fidei pia de„votio.

92. Qualiter in Monasticis Oratoriis, & Ecclesiis jam à tot sæculis Officia Divina, & Psalmodiæ floruerint, supra relatus Thomassinus *loc. cit. cap.* 78. largiùs deducit. Nisi vererer esse longior, ait, huc ego longè plurima, & præclara inprimis conferrem ex Regula Sancti Benedicti: ex quibus mira quædam proderetur Officiorum nunc nostrorum consensio, cum iis, quæ præscripsit Sanctissimus Pater. Apud illum Officii exordium est, *Deus in adjutorium.* Inde Psalmus, *Venite exultemus*, alternis canendus, cum Antiphona: vel ab uno. Succedit *Hymnus*, quem vocat *Ambrosianum*, ab Auctoris nomine &c. Nihil antiquius fuisse, nihil optatius videtur Sanctissimo Regulæ hujus Conditori, quàm ut Psalterium omne, quidquid Canticorum est, singulis hebdomadis persolveretur; cùm vetustissimi Monasticæ vitæ Institutores quotidie id recitarent. Et sanè sollicitudo, fervor, ac zelus, quo operi Dei nihil præponi præcipiebat, ex sacra Regula enitescit, in qua Officia Divina pro suo Ordine Monastico tam piè, discretè, ac prudenter diggessit, *cap.* 8. agendo *de Officiis Divinis in noctibus*: *cap.* 9. *quanti Psalmi dicendi sint in nocturnis Horis*: *c.* 10. *qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus*: *cap.* 11. *Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur*: *cap.* 12. *Quomodò Matutinorum solennitas agatur*: *cap.* 13. *Qualiter privatis diebus Matutini agantur*: *cap.* 14. *Qualiter in Natalitiis Sanctorum agantur Vigiliæ*: *cap.* 15. *Quibus temporibus Alleluja dicatur*: *cap.* 16. *Qualiter Divina Opera per diem agantur*: *cap.* 17. *Quanti Psalmi canendi sint*: *cap.* 18. *Quo ordine Psalmi dicendi sint*: *cap.* 19. *De disciplina psallendi*: *cap.* 20. *De reverentia Orationis.*

93. Ecce morem antiquissimum Psalterii, Officiorúmque Divinorum apud Orthodoxos ad hæc usque tempora optimè florentem! Vel ex ipsa Regula Benedictina adversi Novatores de suis argutiis convincuntur, & confunduntur; quorum Ministris Prædicantibus meritò occinitur, quòd, cum affectent esse antiquitatis æmuli, & speciem Status Clericalis præseferre, deberent quoque Psalterium, & Romanum Breviarium amplecti, canere, vel recitare.

# QUÆSTIO SEXTA.

## *An Miracula sint solius Ecclesiæ Romano - Catholicæ Nota propria?*

94. Miraculi nomen in sensu latiori omne id importat, quod ob suam raritatem, vel artificium gravem admirationis motum ciere potest. Hoc in sensu septem Miracula Mundi numerantur. Primum inter ea obtinuerat Ephesiæ Dianæ Templum, incredibili impensa ex hebeno ædificatum. Secundum Mausoli Cariæ Regis Sepulchrum ab Artemisia ejus conjuge extructum ad nominis immortalitatem. Tertium Solis apud Rhodios Colossus. Quartum Babyloniæ Muri à Semiramide constructi. Quintum Palatium Cyri Regis Medorum: Sextum & septimum erant Pyramides Ægyptiorum sepulchrales, de quibus Poëta:

*Barbara Pyramidum sileat Miracula Memphis.*

Hæc, & si quæ sunt alia directrice arte ex rebus naturalibus confecta opera, etsi admiratione digna censeantur, vires tamen humani ingenii, industriæque non supergrediuntur; benè autem miracula in stricto sensu accepta, & de quibus in præsenti. Eorum enim nomine veniunt opera supernaturalia (sive talia sint quoad *modum* tantùm, sive etiam quoad rem ipsam, & substantiam) cujuslibet creaturæ, etiam Angelorum tum bonorum, tum malorum vires naturales superantia, & quorum causa principalis efficiens solus Deus esse potest, secundùm expensionem D. Augustini *Tr. in Psal.* 76. sic Divinum Numen alloquentis: *Tu verè magnus Deus, faciens mirabilia magna solus. Fecit Moyses, sed non solus; fecit & Helias, fecit Helisæus, fecerunt Apostoli, sed nullus illorum solus. Illi cùm facerent, tu cum eis; tu quando fecisti, non illi tecum: non enim illi tecum fuerunt, quando fecisti, quando & illos tu fecisti; Tu igitur es ô Domine, qui facis mirabilia magna solus.* Et *de Civit. Dei. lib.* 21. *cap.* 7. requisita veri miraculi exhibiturus, exigit, ut sit aliquid excedens facultatem totius naturæ creatæ, ad ostensionem divinæ gratiæ, veritatis, aut virtutis, ad Ecclesiæ utilitatem factum, de qua descriptione vid. S. Thomas 1. *p. q.* 105. *a.* 7. Tametsi autem solus Deus sit principalis miraculorum Auctor, attamen instrumentalis ad illa concursus absque Divinæ potestatis præjudicio etiam creaturis concedi valet. De quo nonnulla tradidi in *Tract. de Primatu finis ultimi*, *Repræsent.* 3. *q.* 3. *§.* 4.

95. Assertio prima: ut Ministris missione extraordinaria novam fidem annunciantibus, vel reformationem prætendentibus, prudenter credatur, eámque persuadeant, miracula sunt necessaria. Prob. primò ex Scripturis. In vet. Testam. *Exodi* 4. Moyses,

ses, cùm mitteretur à Deo ad populum Israël à Pharaonis jugo liberandum, *non credent mihi*, inquiebat, *neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus*, Divinitùs accepit potestatem, legationem suam miraculis & maximis prodigiis confirmandi. In Novo ipse Divinus Salvator Mundi credibilitatem suæ Legationis, ac doctrinæ noviter tradendæ virtute signorum maximopere stupendorum authorizavit. De conversione aquæ in vinum Scriptura testatur *Joan. 2. Hoc fecit initium signorum JEsus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam.* Et *Joan.* 10. dicit Judæis: *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & non vultis credere, operibus credite &c.* Et Joan. 15. *Si opera non fecissem, in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Cúmque Apostolos ad propagandam novam fidei doctrinam destinaret, *Math.* 4. jussit eosdem prædicare: *Appropinquavit Regnum Cælorum*: addendo: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Math.* 10.

96. Prob. secundò ex Patribus, è quibus D. Augustinum produco *lib.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 5. contra paganos agentem. *Mundus propterea*, ait, *numerò exiguò ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum, duodecim Apostolorum, credidit; quia in tam contemptibilibus testibus multò mirabiliùs* Divinitas *seipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba: Qui enim Christum in Carne resurrexisse, & cum illa in Cœlum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantùm sed & mirifica facientibus signa credebant.* Idem S. Doctor *lib. de utilit. credend. c.* 14. loquens de Ecclesiæ authoritate sic discurrit: Authoritas autem dupliciter nos movet, partim Miraculis, partim sequentium multitudine. Talia facta sunt in illo tempore, quo Deus in Vero homine, quantum fas erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia paucis panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt. Sic in se mortalium errantes animas Divina commovebat authoritas, ut multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis existimatio Ecclesiæ converteretur; útque vera illa Christi Ecclesia, perpetuis deinceps temporibus crederetur, quam tot, ab initio, miraculis confirmatam, fidelissiméque fundatam omnium gentium assensus profiteretur. Concludit tandem *cap.* 17. Cùm igitur tantum auxilium Dei ex Miraculorum authoritate, tantum profectum fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani, ab Apostol. Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus & partim plebis judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum Majestate, damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

97. Augustino subjungimus verba Theophylacti *in cap.* 12. *Matth. super illud Psal. lapidem, quem reprobaverunt*: Christus factus est in Caput Anguli, id est, Ecclesiæ, & est admirabilis per signa & prodigia in oculis nostris, qui fideles credimus in Christum. Mirabilis est igitur Ecclesia, quasi ex Miraculis constituta, Domino cooperante Apostolis, & sermonem confirmante per sequent. signa. Chrysostomus *Orat. cont. Gentil.* Dominus, ait, JEsus Christus dixit Discipulis: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ille faciet, & his majora faciet.* Quòd si quis fortè mecum contendat, ubinam Christi oraculum hoc finem suum sortitum sit? accepto in manus libro eo, cui *Acta Apostolorum* nomen est, videbit, hinc ægrotos in lectulis decumbentes, umbras autem Beatorum illorum solo statim corporis attactu, ipsis sanitatem restituere &c.

98. Ipse Lutherus, licèt cæteroquin miracula, in quantum pro veritate Catholicæ Ecclesiæ contra ipsum pugnant, extenuare aut nihili facere satagat, in epistola ad Mülhusanos de *Clanculario Concionatore* missâ, in Missionario Extraordinario miracula requirit. „Accersat eum, inquit, ad se Senatus, „etiam præsente omni populo, si fieri potest, „& quærat ex eo: quis eum huc miserit, aut „vocaverit ad docendum? Id procul dubio „Senatus non fecit. Quòd si is tum dicat, „se à Deo, atque ipsius Spiritu missum esse, „quemadmodùm Apostoli, probet hoc mi„raculis & signis editis, vel nolite ferre, ut „concionetur: nam ubicunque Deus ordi„nariam vocationem mutare vult, ibi sem„per miracula facit. Rectè judicâsti Luthere. Judicium autem, quod de alio tulisti, & jus, quod de quolibet novo Concionatore statuisti, de te quoque feras, eóque & quoad te etiam utâris: quid enim rationi, æquitatique magis consentaneum?

99. Quicunque ad prædicandum se missum asserit, missionem suam aliquo testimonio, auctoritate illius, à quo mittitur, docere necesse habet: Vel igitur aliquis mittitur à Deo per ordinarios Prælatos Ecclesiæ; & tunc debet exhibere testimoniales litteras Prælati Ordinarii, hujúsque sigillô munitas: Qui verò non ab aliquo Prælato Ordinario, sed à solo Deo se missum esse prætendit, missionem, & vocationem suam extraordinariam, & miraculum alio testimonio extraordinario probare debebit: si enim pura, & nuda assertio sufficeret, omnes retroactis sæculis Hæretici, Arius, Eytiches, Nestorius, cæterique tenebriones, qui Christi Ecclesiam invaserunt, & horrendùm devastârunt, legitimè intrâssent, prædicâssent, mactâssent: & qui-

libet bubulcus, vel stentor, si cathedram conscenderet, audiri mereretur, nec sine injuria foras expelli posset. At quo alio extraordinario testimonio missio extraordinaria probabitur, nisi revelationibus peculiaribus, & miraculis?

100. Si ergo vos Luthere, Calvine, Zwingli, & vestri Asseclæ, non ordinaria vocatione, scil. ex mandato Episcoporum, vel ipsiusmet Summi Ecclesiæ Hierarchæ, sed miro, & extraordinario modo, instinctu, & spiritu missi esse vultis, ubi sunt vestra testimonia? ubi signa, & prodigia? ubi virtutes Apostolatûs vestri? Nullibi. Ergo vos Novatores nullo modo fuistis missi, aut vocati ad prædicandum, ad corrigendam aut reformandam veterem Ecclesiam. Ergo vestra prætensè à vobis reformata Ecclesia non habet veræ Ecclesiæ Notam, ad quam non leve quid conferunt miracula.

101. Assertio secunda: In sola Ecclesia Romano-Apostolico-Catholica singulis in sæculis Miraculorum Nota & gloria effulsit. Quoad prima undecim sæcula Miraculorum existentiam ab ipsis Magdeburgensibus in suis Tomis *Histor. Ecclesiasticæ* confirmari, perhibet Bellarmin. *de Not. Eccles. cap.* 14. cùm in singulis centuriis ex illorum temporum Auctoribus annotent omnia Miracula. Atque in singulis sæculis inveniant plurima in Confirmationem dogmatum nostrorum, ùt Confessionis Sacramentalis, Reliquiarum, Imaginum Evcharistiæ, Pontificatûs, Monachatûs, Invocationis Sanctorum &c. ipsi enim (Magdeburgenses) hos titulos ponunt, & quamvis posteà subjungant, illa omnia fuisse dæmonum illusiones, vel falsas narrationes; nihil tamen afferunt, quo id probent, nisi quòd ea miracula, pugnent cum Evangelio Lutheri. Quis non exclamet, Malunt Dei & Sanctorum gloriæ per calumniam detrahere totique ac propemodum immensæ Catholicorum multitudini resistere, quàm ut unius *excucullati Lutheri, Deo in votorum juratorum violatione perjuri, ac toties sibi ipsi contraria effutientis afficta* authoritati quidpiam decedere permittant. Vid. *loc. cit.* Bellarminus, ibi perutile judicans, ut annotetur, quomodò Ecclesia omnibus sæculis dono Miraculorum comprobata fuerit.

102. Primò sæculô claruerunt Miracula Christi, & Apostolorũ ex Evangeliis, & Actis. Secundò Sæc. Miracula Christianorum militum in exercitu M. Antonini, *de quib.* videatur Tertullian. *in Lib. ad Scapulam.* Euseb. *Lib.* 5. *Histor. cap.* 5. *&c.* Tertiô Sæc. Miracula Gregorii Tavmaturgi, *de quib.* vid. Basilius *de Spiritu Sancto cap.* 29. Greg. Nyssen. in vita ejus, Hieron. *de Viris Illustrib. &c.* Quartò Sæc. Miracula Antonii, Hilarionis, Martini, Nicolai, scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, & aliis. Quintò Sæc. Miracula plurima adnotata à S. Augustino *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. facta suo tempore. Sexto Sæc. Miracula, quæ narrat D. Gregorius in Dialogis *lib.* 3. *cap.* 2. *&* 3. ubi continentur duo facta à Romanis Pontificibus, Joanne, & Agapeto. Septimò Sæc. Miracula facta in Anglia à S. Augustino & Sociis ejus, de quibus Gregorius *lib.* 9. *Ep.* 58. & Beda *lib.* 1. *histor. cap.* 31. item ab Osvaldo Rege per lignum Crucis *lib.* 3. *cap.* 2. Octavò Sæc. Miracula S. Cuthberti & S. Joannis in Anglia, teste Beda *lib.* 4. & 5. *hist.* Nonò Sæc. Miracula Tharasii, scripta ab Ignatio Nicæno. Item alia innumerabilia omnis generis facta in Civitate Suessionensi in Translatione Reliquiarum S. Sebastiani Martyris, quæ contigit Anno Domini 826. de qua videantur Annales Francorum, scripti summa fide ab Auctore, qui illo ipso tempore floruit. Decimô Sæc. Miracula S. Romualdi, scripta à B. Petro Damiani: item Wenceslai Regis Boëmorum, S. Udalrici, & S. Dunstani, *de quib.* vid. Surius. Undec. Sæc. Miracula S. Eduardi Regis, & Virginis: S. Anselmi: Gregorii Papæ VII. & aliorum. Duodec. Sæc. Miracula B. Malachiæ, & D. Bernardi. De Malachia Legato Pontificis Romani Bernardus in vita ejus ita scribit: *Quo antiquorum genere Miraculorum Malachias non claruit? Si bene advertimus, pauca ipsa, quæ dicta sunt. Non prophetia illi defuit, non revelatio, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio.* Ipse verò S. Bernardus inter quàm plurima, quæ patravit, miracula, una die in Diœcesi Constantiensi illuminavit cœcos undecim, curavit mancos decem, claudos octodecim, *de quib.* vid. Gotfridus, qui cum eo vixit *lib.* 4. *cap.* 4. Sæc. dec. tertiò in Ecclesia Catholica Miraculis effloruêre inter alios Seraphicus P. Franciscus, cujus vitam Miraçulis plenissimè coruscantem posteritati reliquit D. Bonaventura ex Ordine Minorum, ipsemet Miraculis clarus, uti videre est apud S. Antoninum 3. *part. hist. tit.* 23. *& seq.* Item S. Dominicus, trium mortuorum suscitator: Cœlestinus V. ante & post Pontificatum, uti memorat Petrus Cardinalis Cameracensis, complura Miracula patravit. Dec. quartô Sæc. inter alios multos Miraculis excelluêre S. Bernardinus, S. Catharina Senensis: & S. Nicolaus Tolentinus, de quibus D. Antoninus *loc. cit.* Dec. quintô Sæc. S. Vincentius vivus & mortuus Miraculis clarus quàm plurimis: de quo S. Antoninus (ipse quoque Miraculorum patrator apud Surium) testificatur, quòd 38. mortuos ad vitam revocârit. Decim. sexto Sæc. radios Miraculorum explicârunt S. Franciscus de Paula, uti constat ex Bullâ Canonizationis ejus apud Surium legendâ: nec non S. Franciscus Xaverius, de quo litteræ Indicæ Romam Missæ testantur, quòd curaverit paralyticos, surdos, mutos, cœcos, & mortuum resuscitârit. Cúmque deferretur post pium obitum ad Insulam Goam ex Malacca, maris tempestas sedata fuit, Corpúsque ejus post 15. Menses integerrimum, ac suaviter olens repertum.

103. Alium Illustrium Ecclesiæ Miraculorum Catalogum, quæ ante & post Christum natum Orbi illuxerunt, texit Eruditissimus D. Jodocus Coccius Bileveldianus, Theologus & Canonicus Juliacensis, in *Thesauro Catholico lib. 8. de Signis Ecclesiæ. art.* 13. possunt etiam videri S. Damascenus *de Venerat. Imag.* Gregorius Turonensis de gloria Martyrum & Confessorum, Jonas Aurelianensis, Horatius Tursellinus &c.

104. Ex Sac. Ordine nostro Benedictino quot & quanta Miracula, quibus illi Viri Apostolici prædicationem Evangelicam, Deo auspice & promotore confirmabant, patrârint, pleni sunt Historiographi, & Annales. Veritati Miraculorum quibus coruscavit jam in vita S. Patriarcha noster Benedictus maximam authoritatem fidémque conciliat D. Gregorius Magnus, Pontifex Maximus, ejus vitæ scriptor in Libris Dialog. Eorum aliqua Annales Anglicani sequentibus Versiculis exhibent:

105. *Imperium mundi florens dum Roma teneret,*
*Atque gubernaret Regnorum sceptra per orbem,*
*Temporibus faustus Benedictus claruit hisce,*
*Quem Deus Ausoniæ Clemens indulserat Author,*
*Ut populum Domini vadentem tramite recto*
*Ferret ad æterni ductor vestigia Regni:*
*Quem priùs abstrusis sævis anfractibus error*
*Traxit ad inferni torrentis Tartara nigra.*
*Sæpe Tyrannorum contrivit templa priorum*
*Qui Dominum lucis tenebroso corde negabant.*
*Mox illic figens victricia signa Salutis,*
*Sic Miles Christi devicto ex hoste triumphat,*
*Basilicam Domini restaurans æde renata.*
*Quis modus aut numerus vel certè calculus inde*
*Explanare valet virtutes illius amplas,*
*Quæ modulum & numerum excedunt pro mole suorum?*
*Namque cadaveribus reddebat lumina functis,*
*Quæ gelidæ mortis per vim natura necârat.*
*Auditu surdos, & claudos gressibus ornat.*
*Ægrotos vegetat membrorum viribus augens;*
*Dæmonis arma fugans, nec non & spicula frangens,*
*Hostibus explosis restaurat saucia corda:*
*Námque capisterium rimarum fragmine ruptum*
*Innovat, ut nutrix lachrymarum flumina fundit.*
*Pestiferum Calicem qui mortis pocula cinxit,*
*Porrectâ rupit dextrâ per signa Salutis.*
*Sic etiam Chalybem prolapsam gurgite Gothi*
*Ad proprios iterum jussit remeare lacertos.*
*Primò qui statuit nostræ certamina vitæ*
*Qualiter optatam teneant Cœnobia formam,*
*Quóque modo properet directo tramite sanctus*
*Ad superùm scandens Cœlorum culmina cultâ*
*Cujus præclaram pandens ab origine vitam*
*Gregorius Præsul Chartis descripserat olim*
*Æthereàm donec felix migraret ad arcem.*
*Hujus Alumnorum numero glomerantur ovantes,*
*Quos gerit in gremio Fœcunda Britannia Cives:*
*A quo jam nobis Baptismi gratia fluxit,*
*Atque Magistrorum veneranda caterva cucurit.*

## *Occurritur Augustinis adversis.*

106. Arguis primò: etiam extra Ecclesiam Romanam ab ipsis quoque Idololatris aliquando miracula patrata fuisse. Sic Vespasianus Imperator cœco lumen & claudo gressum restituit, veluti ex Suetonio constat. Resp. neutrum ex nominatis aut defectu incurabili laborâsse, aut verè curatum fuisse: nam, ùt scribit Cornelius Tacitus *lib. 4. histor.* Medici consulti respondebant, in uno vim luminis non esse exesam, & redituram, si pellantur obstantia: in altero artus in pravum elapsos, posse integrari, si salubris vis adhibeatur. Hinc illa curatio minimè superavit vires naturales Æsculapii infernalis, qui operam suam commodavit. Tertulliano in *Apologetico cap. 22.* credibile visum, totum illum morbum fuisse ab illo maledicto præstigiatore; quòd insedendo unius oculo, & alterius tibiæ, usum illorum membrorum impedierit, idque eo fine, ut videretur sanare, cùm desineret nocere. Vid. Bellarmin. *loc. cit. cap.* 14. circa finem.

107. Arguis secundò: Prædicatores Evangelii sæculis posterioribus non affectârunt suam doctrinam miraculis colorare: sed virtute sacrarum Scripturarum corroborare atque credibilem reddere. Certè Augustinus *Tract.* 13. *in Joan.* dicit, non esse fidem adhibendam Donatistis, etiamsi illam Miraculis commendent. Vocat ipsos *Mirabiliarios.* Imò in *Lib. de Unitate Eccles. cap.* 16. postquàm dehortatus fuit, ne fides habeatur Donatistarum Miraculis, idem voluit quoad Miracula Catholicorum, dicendo: *Quæcunque talia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia in ea hæc sunt.* Resp. Bellarm. *cit. cap.* 14. Miracula illa Donatistarum nequaquam talia fuisse, qualia sunt Sanctorum: sed occultas quasdam *visiones* tantùm, quas sine ullo teste se habuisse jactabant. Consimilis visio erat illa Zwinglii, qui in Libro (*Subsidium de Eucharistia*) inscripto, asserit, se vidisse spiritum, quin discernere potuerit, essetne albus an niger: qualis erat & illa quorundam Lutheranorum (relata in Libro, cui titulus, *Querela vel Somnium Lutheri*) repræsentans, quòd ipsi tam Lutherum quàm ejus doctrinam brevi essent deserturi. Cæterùm vera Miracula apud D. Augustinum magno in pretio haberi, demonstrant tum textus in *num.* 96. allegati, tum illorum quæ ad Reliquias Sanctorum, præsertim Stephani Protomartyris contigêre, allegatio facta contra Paganos, *Lib. 22. de Civit. Dei. cap.* 8.

108. Quòd autem D. Augustinus simpliciter non teneat, Ecclesiam non probari ex Mi-

Miraculis, sed tantùm ex Scripturis, perspicuum fit ex libro contra *Epistolam fundamenti* Manichæorum, *cap.* 4. *& seq.* ubi docet, Ecclesiam demonstrari ex Miraculis, non ex scripturis: imò scripturas demonstrari ex Ecclesia. Ne igitur (ut loquitur Bellarm. *loc. cit.*) S. Pater secum pugnet, dicendum est, in utroque loco eum loqui in hypothesi: quia enim Manichæi admittebant Miracula, & negabant scripturas (nam veterem dicebant esse à diabolo, novam dicebant esse totam corruptam à falsariis) Augustinus in libro contra Epistolam fundamenti Manichæorum ex Miraculis demonstrat Ecclesiam; deinde ex Ecclesia demonstrat Scripturam. Sed, quia Donatistæ credebant scripturæ tam veteri, quàm novæ, & jactabant suas visiones, contemnentes Miracula Ecclesiæ, ideo Augustinis contra Donatistas aliâ viâ procedit, & ex scripturis demonstrat Ecclesiam; deinde per Ecclesiam vult judicari de Miraculis.

109. Arguis tertiò: sic ergo secundùm Catholicos Ecclesiam demonstrari ex Miraculis, & Miracula ex Ecclesia: nonne hoc est committere turpem circulum? Resp. Bellarm. *cit. cap.* 14. ita esse, sed diverso genere: quemadmodum, ait, effectus demonstratur ex causa, & ex causa effectus. Nam ex Miraculis demonstratur Ecclesia non quoad *evidentiam* vel *certitudinem rei*, sed quoad *evidentiam & certitudinem credibilitatis.* Cujus rationem dat, quòd nullum Miraculum, antequàm ab Ecclesia discutitur atque approbatur, evidens sit, aut certum certitudine fidei, atque pro vero Miraculo teneri possit: nihilominus potest esse tale, ut evidenter faciat rem credibilem. Quòd non sit evidens, patet: quia aliàs fides tunc esset evidens: quòd neque sit certum certitudine fidei, patet similiter: quia non constat nobis ea certitudine, cui non possit subesse falsum, scilicet, ne fortè sit dæmonis illusio: esto enim dæmonis vires naturales vera miracula efficere nequeant, potest ipse tamen colorata seu apparentia exhibere. Ex Ecclesia autem demonstratur nobis, miraculum esse verum, quoad certitudinem rei, quamprimùm Ecclesia Miraculi veritatem declarat. Si quæras, cur ergo illi, qui Christi Miracula viderunt, ipsi credere obligati fuerint? replicat Bellarm. *loc. cit.* quia homo non potest salvari sine fide Christi: & ideo tenetur accipere eam fidem, ut medium ad salutem suam necessarium. Noluit autem Deus obligare homines, ut incredibilia crederent; sed solùm quando per Miracula & similia motiva fides facta est credibilis.

110. Arguis quartò cum Calvin. in *Præfatione Institutionis*, & Magdeburgensibus in suis *Centuriis*, omnia Miracula Sanctorum nostrorum vel esse ficta, & falsa: vel imaginaria; vel, si contigerint ejusmodi mira, à Dæmonis præstigiis provenisse. Prima duo membra nudè asserunt: tertium probare contendunt ex eo, quòd vera Miracula confirment Evangelium juxta quod scriptum est *Marci ult.* At, dicunt, Sanctorum, quorum Catholici Miracula prædicant, non tam Evangelium confirmant, quàm Idololatriam, id est, Reliquiarum & Imaginum cultum, Missam, Sanctorum Invocationem &c. Antichristus faciet Miracula maximáque prodigia, secundùm Divinum præsagium *Matth.* 24. *Apoc.* 13. 2. *Thessal.* 2. probabuntne, veram esse ejus Ecclesiam?

111. Resp. Bellarmin. *loc. cit.* impudentissimè omnia Sanctorum Miracula negari: stultúmque esse, credere potiùs Calvino, vel alteri consimili, de antiquis historiis, quibus non interfuêre, quam Bonaventuræ, Bernardo, Antonino, tanta doctrinæ morúmque sanctitate conspicuis, qui factis miraculosis interfuerunt. Audiant responsum D. Augustini *lib.* 10. *de Civit. Dei*, *cap.* 18. datum Paganis, Miracula negantibus: si liceat absque ulla ratione negare facta olim Miracula, peribit fides omnium librorum; & tolletur non solùm nostra, sed omnis alia Religio: omnes enim, qui Dii habentur, operibus mirabilibus, à doctis viris conscriptis, Divinitatem suam sive veram, sive falsam, mundo persuaserunt.

112. Certè Miraculo simillimum est, Lutherum, & Calvinum derepentè à Deo sic fuisse illuminatos, ut (quemadmodum falsò jactant) veram Ecclesiam, hactenus tot sæculis in erroribus velut spissis tenebris latitantem, & quasi in abysso ignorantiæ sepultam, tanquam novum Christianum Orbem detexerint: si quis autem in faciem ipsis objecisset, hanc repentinam & inexpectatam Novæ Ecclesiæ inventionem esse commentitiam, imaginariam, aut dæmonis, non raro in Angelum lucis malitiosum sese transfigurantis, præstigiata illustratione, illusione, vel inductione, suggestam confictamve, quantam non injuriam illi duo Inventores sibi illatam fuisse, conquererentur? Et tamen prodigiosam illam vocationem, illuminationem, atque inventionem nullo teste oculato vel aurito, nulláque historiarum traditione vel auctore docere valent. Quantò igitur longè graviorem Ecclesiæ Catholicæ universæ injuriam ipsi inferunt, contemnendo Miracula Sanctorum per testes & viros omni exceptione majores visa, notatáque, ac tandem à Capite Supremo Ecclesiæ approbata? Haberent Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. testimonium alicujus Bernardi, Bonaventuræ, aut alterius Magni Viri pro Miraculis quibusdam in sua prætensa Religione factis; quantum sibi gratularentur, quantum adversùs Catholicos gloriarentur, & contra negantes indignarentur?

113. Non est autem, cur ipsi Miracula ab Antichristo facienda nobis obtrudant: quæ enim paritas inter Sanctos seu Amicos Dei, & inter Antichristum, inimicum Dei & persecutorem fidei juratissimum? Faciet ille inter alia prodigia, ignem de Cœlo descendere, & bestiam loqui: nonne hæc sub sphæra activi-

ta-

tatis dæmoniacæ continentur? Sed Miracula non erunt, nisi apparentia, & fraudulenta. Ubi autem ex historiis compertum est, ope & opera infernalis Bubonis cœcos visum, surdos auditum, claudos gressum, & mortuos vitam in veritate recepisse? Receperunt à Sanctis, quos Cathol. Ecclesia veneratur.

114. Quòd prætereà Novatores sæculis posterioribus affectàrint sua nova dogmata etiam Miraculis persuadere, non autem finem intentum assequi potuerint, & ideò confusionem reportàrint, ex historiis discimus. Simia (inquit S. Joan. Chrysost. *homil.* 19.) hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur, nunquid proptereà dicenda est homo? Sic & hæresis omnia Ecclesiæ debet, & imitari conatur: sed non est Ecclesia. O quàm scitè! succlamat Florimundus *Palma triumph. lib.* 1. *cap.* 40. Tam insipiens non erat Lutherus, ut non prospiceret Novitatem doctrinæ suæ, ut à Deo esset Miraculis, plusquàm Diomedæa necessitate, opus habere, quibus omnes omnium gentium Apostoli fidem, quam prædicabant, exornâssent: Simia igitur veros Apostolos simico ritu voluit exprimere, & imitari, dum casso irritóque conatu Miracula tentavit ex Evangelio suo elicere totúmque per Orbem pervulgare. Non deerat ambitio istius gloriæ, quam Catholicis Doctoribus majorem in modum invidebat; nec tentaminis pigebat: solus rerum optatus, & cui Lutherus avidissimè inhiabat, successus, deficiebat; quin & conatus omnis turpissimè jam sæpius eludebatur. Risibilem obsecro & jucundam audite tragœdiam, quam dat secundus Germanorum Elias Lutherus, dæmonem ab obsessa puella Evangelii sui virtute, moliens eliminare; rei gestæ seriem verbis hisce refert oculatus & auritus testis Fridericus Staphylus.

115. Possum & ego (ait) redigere mihi in memoriam anno M. D. XLV. Dæmoniacam quandam puellam, è Misniæ ditione adductam Wittembergam, ad Lutherum, ea spe, quòd Lutherus ceu tertius Elias puellam istam à malo Dæmone liberaturus esset. Quamvis autem Lutherus ad hoc admirandum & magni momenti opus initio non parum difficilem se ostenderet, nihilominus tandem jussit puellam duci in Parochianæ Ecclesiæ sacrarium, illicque coram aliis plerisque Doctoribus, & eruditis viris (inter quos ego tum quoque juvenis Magister aderam) Dæmonem cœpit adjurare, & exorcizare; sed id tamen more suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & usitatus est. Cùm autem diu multúmque conjurâsset Dæmonem, cedere ille noluit, sed eas in angustias Lutherum redegit, ut is quàm primùm è sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille Dæmon usque adeò fores sacrarii obstruxerat, ut neque forinsecùs, neque intrinsecùs aperiri possent. Quæ res Lutherum in majores angustias adduxit, ita, ut jam ad fenestram properaret, sperans, se per eam posse effugere & exsilire. Verùm obstabant illi cancelli ferrei, sicque compulsus est unà nobiscum tantisper hærere, donec per cancellos ferreos, ab æditu o nobis esset oblata securis, mihique ceu juveni viro tradita, ut eâ fores effringerem: quod equidem tum conatus sum, & ad effectum perduxi. Intereà verò visu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus, sursum deorsúmque cursitans, atque instar ovis parturientis huc illúcque sese inverteret. Staphyl. in *absoluta Refut.* contra Jacob. Smidelinum *part.* 1. *in operib.* Ingolstadii editis p. 693. Lindanus Dubitantii *Dial.* 3. *c.* 1. Dilmanus Brendenbach. *lib.* 7. *cap.* 4. Coccius in *Thesaur. Cathol. lib.* 8. *pag. penult.* Quàm infeliciter successit Exorcismus novi Evangelii *Quinto Evangelistæ*!

116. Non semel etiam Veteribus fidei Catholicæ desertoribus dentes in Miracula, quibus Catholicos clarere viderant, pruriebant. De Cirola Arianorum Episcopo S. Gregorius Turonensis in *Histor. Francor. lib.* 8. *cap.* 3. (cui utique fidem non adhibere, aut nefas aut temerarium foret) notabile factum narrat. Temporibus, inquit, Arianorum sub Honorico, Christianorum Catholicorum persecutore, Cirola quidam Arianorum Episcopus hæreticorum tunc maximè habebatur assertor. Cúmque ad persequendum Christianos Rex per diversa transmitteret, Sanctum Eugenium Episcopum, virum inenarrabili sanctitate; qui tunc ferebatur magnæ prudentiæ esse, in Suburbano Civitatis suæ reperit persecutor. Quem ita violenter rapuit, ut, nec ad hortandum gregem Christi, ullum abire permitteret. Ductus itaque S. Eugenius ad Regem, cum illo Arianorum Episcopo pro fide Catholica decertavit. Et postquàm eum de Sanctæ Trinitatis Mysterio potentissimè devicisset, & insuper multas per eum virtutes Christus ostenderet, in majorem insaniam idem Episcopus, dæmone inflammante, accenditur. Erant enim tunc temporis cum S. Eugenio viri prudentissimi, Vindemialis & Longinus Episcopi pares gradu, & virtute non impares. Nam S. Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum suscitâsse. Longinus autem multis infirmis salutem tribuit: Eugenius quoque non solùm visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium, depellebat.

117. Quod cernens ille perversus Arianorum Episcopus, ad vocatum ad se quemdam hominem, ab illo, quo ipse vivebat, errore, deceptum, ait: Non patior, quòd hi Episcopi multa in populo signa depromunt, illósque cuncti, me neglecto, sequuntur. Acquiesce nunc his, quæ præcipio, & acceptis 50. Aureis, sede in platea, per quam nobis est transitus: & manum super clausos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis, exclama, in magna virtute dicens: „Te Beatissime Cirola, nostræ Religionis Antistes, deprecor, ut „respiciens, manifestes gloriam ac virtutem tuam, ut oculos meos aperiens, „merear lucem videre, quam perdidi.

Qui jussa complens, residénsque in platea, transeunte hæretico cum Sanctis Dei, iste, qui Deum irridere cogitabat, exclamat in magna virtute, dicens: „ Audi me, Beatiss. Cirola, audi me, Sacerdos Dei Sancte: „respice cæcitatem meam: experior ego medicamenta, quæ sæpe cæci reliqui à te meruerunt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi „etiam mortui persenserunt. Adjuro te per „ipsam virtutem, quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem; quia gravi sum „cæcitate percussus. Veritatem enim nesciens verum dicebat, quia excæcaverat eum cupiditas, & Virtutem Dei Omnipotentis irridere per pecuniam æstuabat. Tunc hæreticorum Episcopus paululùm se divertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbiâ, posuit manum suam super oculos ejus dicens: „Secundùm fidem „nostram, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui.

118. Et mox, ùt hoc nefas erupit, risus mutatur in planctum; & dolus Episcopi patefactus est in publico. Nam tantus dolor oculos miseri illius invasit, ut eos digitis vix comprimeret, ne creparent. Denique clamare cœpit miser ac dicere: væ mihi misero! quia seductus sum ab inimico legis Divinæ. Væ mihi! quia Deum per pecuniam irridere volui, & 50. aureos accepi, ut hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem ajebat: ecce aurum tuum; redde lumen meum, uod dolô tuô perdidi. Vósque rogo gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Verè enim cognovi, quia Deus non irridetur. Tunc Sancti Dei misericordiâ moti, si, inquiunt, credis: omnia possibilia sunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui non crediderit, Christum Filium Dei, & Spiritum Sanctum æqualem habere substantiam atque Deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero, patiatur. Et adjecit: Credo Deum Patrem Omnipotentem: Credo in Filium Dei, Christum JESUM æqualem Patri: Credo Spiritum Sanctum, Patri & Filio Consubstantialem: atque Coæternum. Hæc illîs audientibûs & se invicem honore mutuo prævenientibûs, oritur inter eos sancta contentio, quis oculis ejus signum beatæ Crucis imponeret. Vindemialis verò ac Longinus Eugenium, ille autem econtra eos exorat, ut manus imponerent cæco. Quod cùm fecissent, & manus super caput ejus tenerent, S. Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait: „In „nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti „veri Dei, quem trinum in una æqualitate „atque Omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui; & statim, ablato dolore, ad pristinam sanitatem rediit. Manifestissimè autem patuit (concludit S. Gregor. Turonensis) per hujus cæcitatem, qualiter hæreticorum Episcopus oculos cordium misero assertionis suæ amictu velabat, ne veram lucem illi liceret fidei oculis contemplari.

119. De Calvino quoque Miraculi attentati specimen quoddam attexere, operæ pretium fuerit. Hieronymus Bollecus in vita Calvini, *cap.* 13. præterire non debeo, inquit, vafram Calvini machinationem, & subtilem dolositatem, quâ tum usus est, cùm quemdam, cui Bruleo nomen, & patria Ostunum, in vitam revocare cogitaret, moliretúrque, ut Sancti atque gloriosi DEI Prophetæ, Miraculorúmque patratoris Nomen sibi & famam pararet. Is, quem dixi, Bruleus Ostuno Genevam demigrârat; & cum inops esset atque pauper, uterque ipse, & uxor, Calvini gratiam aucupabantur, ut ei commendati peculii pauperum, cujus ipse loculos gestabat, eleemosynarúmque participes fierent. Eis Calvinus vitæ subsidia benignè pollicetur, aliísque in rebus se adjuturum promittit, si ipsi econtra suam operam, non negarent, ad rem quandam, quam per eos fieri vellet. Sed opus esse fide, & magna taciturnitate. Vicissim autem illi, ad hoc, quod juberet, promptos se offerunt. Et quemadmodùm à Calvino edoctus fuerat, nil omisit hic Bruleus. Morbum igitur simulat, & se in lectum abjicit. Ministri pro concione populo commendant, ut precibus juvarent, & eleemosynis paupertati succurrerent. Non diu pòst personam mortui induit, & quidem mortuum se simulat. Hinc Calvinus clàm admonitus, quasi tamen omnium rerum ignarus, deambulatum prodit, sed comitatus pro more suo, magnâ amicorum catervâ, qui ipsi singulariter conjuncti & summè intimi essent, sine quibus vix pedem domo efferebat.

120. Postquàm autem eò ventum esset, ubi clamores, & ejulatus uxoris, quæ misellam & desolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat, exaudiret, quidnam hoc esset, sciscitatus, domum ingreditur, ubi in genua ipse, & reliqua caterva, provolvitur, precibúsque alta voce profusis, Deum obtestatur, potentiam suam ut ostendere, & mortuo huic vitam restituere gloriámque suam sic universo populo declarare vellet, símulque manifestum facere, se, Calvinum, peculiarem sibíque gratum servum esse, & se Evangelici sui Ministerii atque Ecclesiæ reformationem singulariter & verè vocatum: post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensa in Dei & Filii ejus Domini nostri JESU Christi nomine imperat, ut se erigeret, Deique gratiam manifestam faceret. Repetit iterum, sæpiùsque eosdem sermones, voce etiam altiùs elevata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque se commovet mortuus: justo enim Dei judicio, qui fucos mendaciáque detestatur, is, qui se mortuum simulabat, verè esse mortuus repertus est: &

& uxor, quidquid cum agitaret, quomodocunque impelleret, neque vocem extorquere, neque ut se commoveret, efficere potuit: sed totus frigebat, rigebat totus. Quò animadversò plorare, & ululatus seriò edere ex animo cœpit, & in Calvinum invecta, Impostorem eum, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem, quo modo erat gesta, clarâ elatâque voce exposuit. Quæ, cùm neque admonitionibus ullis permoveri, neque minis satis terreri posset, ut taceret, Calvinus apud maritum mortuum eâ relictâ, illinc se subduxit, in vulgus spargens, mærore, ex mariti obitu deliram, ideóque excusandam, & hoc illi indulgendum esse. Certum hoc est, conventum cum ea deinde, Urbe ut excederet, & est ipsa Ostunum reversa, nupsitque posteà Ministro, quem Couldreum vocabant. Hac narratione finita, subjungit Bolsecus: Negent hoc, quantum velint, Calvini mancipia; exploratum & cognitum satis fuit, veritásque rei probata, imò per ipsammet uxorem confirmata.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## *An vera Ecclesia sub suo Capite visibili transiverit, vel potuerit transire in falsam, deficere, & errare?*

121. Calvinus in responsione ad Sadoletum, palam est, inquit, & conspicuum eruditis simul, ac indoctis, prostratum fuisse Christi Regnum, cum erectus est Pontificis Romani Principatus. . . Sublata fidei justificantis cognitione, & Christi gloria extincta est, & abolita Religio, & Ecclesia destructa, & spes salutis penitus eversa. Sic ille apud Boverium *demonstrat. octavâ Symboli art.* 1.

122. Assertio cum Catholicis est constanter negativa. Firmatur sacris litteris. *Psalm.* 86. 1. Fundamenta ejus in Montibus sanctis: *Dan.* 2. 44. in diebus regnorum illorum suscitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Matth.* 16. 18. super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. *Math.* 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi. *Joan.* 14. v. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Adde Symbolum Apostolorum: Credo Ecclesiam Catholicam. Firmatur secundò SS. Patrum Testimoniis. Alexander Alexandrinus Episcopus Epist. ad Alexand. Episc. Constantinopolitanum: Ecclesiam unam solam Catholicam & Apostolicam agnoscimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus Mundus eam oppugnare instituat, sic omnem impiam hæreticorum incursionem evincit, ac profligat, quandoquidem ejus Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat: confidite! ego vici mundum. Div. Gregor. Nazianz. *Orat.* 23. Persecutiones illustriorem quoque ipsam (Ecclesiam) & splendidiorem per supplicia reddebant.

*Quin potiùs fidei igniculis, sublatáque in altum*
*Fax verbi totum celebris percurrerat Orbem.*
*Namque etiam hostilis furor atque immania quaque*
*Supplicia addiderant animis nova robora nostris,*
*Tormentísque fides gravibus mage fulta vigebat.*

Div. Augustinus ad *Psal.* 47. De hoc alibi dicitur: quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde. In his magnus Dominus & laudabilis valde, hoc est, in Civitate Dei nostri, in Monte sancto ejus. Hæc est Civitas in Monte posita, quæ abscondi non potest: hæc est lucerna, quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata: non autem universi cives ejus sunt; sed illi, in quibus magnus Dominus & laudabilis valde . . . Sed fortè ista civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? Absit. Deus fundavit eam in æternum. Si ergo Deus eam fundavit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum? Pulchrè Alcimus Avitus *lib.* 4. *c.* 14. de Arca Noë:

*Hæc inter miseri ferventia funera mundi,*
*Prægravis insanis pulsatur motibus Arca,*
*Compagésque tremunt, stridens junctura laborat:*
*Nec tamen obstructam penetrat vis improba, quanquam*
*Verberet, & solidam fluctu feriente fatiget:*
*Non aliter crebras Ecclesia vera procellas*
*Sustinet, & sævis nunc divexatus ab undis:*
*Hinc gentilis agit diros sine mare furores:*
*Hinc Judæa fremit, rabidóque hanc impetit ore:*
*Hæreseon væsana furens exinde Charybdis*
*Concutit, & Graium sapientia stulta sophorum*
*Quæ quanquam inter se vario certamine pugnant,*
*Debellanda tamen si quando Ecclesia, gaudent*
*Consensu unanimi Christi consurgere contra*

*Naviculam, & vanis mendacia fingere verbis:*
*Sed clausam vacuo pulsant impune latratu.*

Innumera alia ex Patribus tum Græcis tum Latinis pro perpetua Ecclesiæ stabilitate, scilicet usque ad consummationem sæculi duratura, congeri possent, quibus utique plus authoritatis fideique adhibendum est, quàm uni, duobus, vel aliquot Ecclesiæ prætensè reformatæ authoribus.

123. Agnovit id sapientissimè Imperator Justinianus in *l. inter claras.* 8. *§. omnes.* 2. *Cod. de Sum. Trinit. Omnes Sacerdotes sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, & Reverendissimi Archimandritæ Sanctorum Monasteriorum sequentes Sanctitatem vestram* (Pontificem Romanum) *& custodientes statum, & unitatem Sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica vestra Sanctitatis Sede, nihil penitus immutantes de* Ecclesiastico *statu, qui hactenus obtinuit, & adhuc obtinet, uno consensu confitentur &c.* Et in *l. liquet.* Sic inquit: „Unam veram, „Catholicam fidem Domini & Dei nostri Salvatoris JESU Christi Magisterio institutam, „& Propheticis Apostolicisque prædicationibus ubique diffusam, & Sanctorum per „totum Orbem confessionibus roboratam, „Patrum atque Doctorum Sententiis adunatam, & nostræ Doctrinæ (Pontificiæ) „consentaneam, inconcusè atque inviolabiliter devota DEO & pia mente servatis. . . . Hæc est igitur vestra fides, hæc „certa religio, hoc beatæ recordationis Patres omnes, Præsulesque Romanæ Ecclesiæ, „quos in omnibus sequimur, hoc Sedes „Apostolica prædicavit hactenus, & inconcusè custodivit: huic confessioni, huic, „fidei, quisquis contradictor extiterit, alienum se ipse à sancta communione: alienum ab Ecclesia Catholica judicabit. *Novellâ* 109. *in fin.* Idem Imp. Justinianus ita concludit: „Igitur sacram communinem in Ecclesia Cathol. non percipientes à Deo amabilibus Sacerdotibus, hæreticos justè vocamus. Nam licèt nomen „Christiani sibimet imposuerint, attamen „à Christianorum se fide & communione separant, Dei judicio semetipsos subdi cognoscentes. Complura alia laudati Imperatoris ejusmodi gravissima monitoria brevitatis amore in suo Codice legenda relinquo.

124. Ipse Lutherus, sibi contrarius, *Tom.* 7. *Wittenberg.* de Anno 1555. *pag.* 150. Ecclesiam deficere non potuisse, fatetur, dicens: „Quòd si cessârunt jam Apostoli, Evangelistæ, & Prophetæ, necesse est, alios ipsis successisse, & posthàc successuros esse „usque ad mundi finem. Nam Ecclesia duratura est usque ad consummationem Sæculi.

Imò insignis Vir Godefridus Volusius in *Aurora Pacis Religiosæ pag. m.* 29. non veretur ponere sequens enthymema: Ecclesia Romana ab Apostolorum tempore in hanc usque horam fuit verè Ecclesia Christi ex hypothesi omnium ferè Protestantium, & non nisi in gradu puritatis vel impuritatis (ùt ipsi volunt) variavit. Ergo possunt, imò debent, dum in conscientia securi esse volunt, ad illius consortium sese iterum recipere, quotquot ex illa in suis Genitoribus superiori sæculo exsilierunt. Antec. probatur ex propria Protestantium Confessione. Johan. Gerhardus apud filium Ernestum Gerardum in *Epitom. Confess. Cathol. part.* 1. *cap.* 4. *thes.* 4. sic habet: „Non dicimus, Ecclesiam „Romanam penitus defecisse, ita ut nullus „in Romanæ Ecclesiæ cœtu salvari potuerit, „vel salvatus fuerit: quemadmodùm enim „in Ecclesia Israelitica per corruptum Verbi „ministerium geniti fuerunt Deo Filii & filiæ, „*Ezech.* 16. v. 20. ita quoque sub Papatu „conservari potuit, & NB. verè conservata „fuit vera Ecclesia.

125. Ex reformatis idem agnoscit Crocius in suo *Anti-Beato Controv.* 3. *de Ecclesia*: *sect.* 5. Catholicam Ecclesiam periisse toto Orbe, non dicimus, sed dicimus, servatam esse omnibus sæculis. Et quamquam subjungat, longo tempore totius Ecclesiæ visibilis ministerium publicum, maximè tyrannide Romanorum Pontificum, corruptum fuisse, in eo tamen dicto manet, Ecclesiam in mediis tenebris Papatûs toto Orbe salvam & incolumem fuisse &c. Item ex reformatis Franciscus Turretinus recentiùs idem profitetur *disp.* 1. *de necess. secess. thes.* 16. Romanorum Ecclesiam inferimus aliquamdiu post Apostolorum tempora in Doctrinæ integritate perstitisse.

126. Passim etiam Lutheri & Calvini Sectatores concedunt, Ecclesiam Catholiam, quæ primis quinque Sæculis toto Orbe fuerat diffusa, posteà ob Pontificum Romanorum scelera toto Orbe periisse. Sic ergo Novatorum testimonia non sunt sibi consona, aliis Ecclesiam Catholicam equidem sub Papatu longè durâsse, postea verò penitus interiisse, clamitantibûs aliis contra asserentibûs, nunquam in toto Orbe defecisse. Probato antecedente, proceditur ad probandam conseq. scilicet quòd Protestantes possint, & in conscientia sub periculo amittendæ salutis æternæ teneantur redire ad Ecclesiam Romanam tanquam ad veram, quæ nunquam ex toto defecit, seu periit. Sic inquam: Si Romana Ecclesia, fuit & olim & modò est vera sub Romano Papatu, Ecclesia Catholico-Romana nunquam verè defecit, Protestantes, omnésque Acatholici in conscientia & sub periculo amittendæ salutis æternæ, possunt, & in conscientia tenentur redire ad Ecclesiam Romanam, tanquam ad veram: quia extra Papatum, extra quem modò se esse contendunt, nunquam fuit vera Ecclesia: aliàs in duabus Ecclesiis diversis, unâ, quæ est sub Papatu, alterâ, quæ non esset sub Papatu, posset sperari & ca-

acquiri salus æterna: dicunt autem, extra cœtum vocatorum non esse quærendos electos &c. item, non nisi in cœtu Ecclesiæ visibilis, in quo sonat Evangelium, & Sacramenta, juxta Christi institutionem dispensabuntur. Atqui ex posita propria ipsorum hypothesi Ecclesia fuit vera sub Papatu: si ergo Ecclesia Catholico-Romana nunquam vere defecit, Protestantes, & omnes Acatholici possunt ac tenentur redire ad Ecclesiam Catholico-Romanam.

127. Rursus ex hypothesi alia Protestantium signatâ supra sub *num.* 72. Legitima Prædicatio Evangelii & usus Sacramentorum est quid inseparabile ab Ecclesia, adeòque manent, quamdiu manet Ecclesia. Atqui Ecclesia Romana verè mansit Ecclesia. Ergo legitma Prædicatio usúsque Sacramentorum est quid inseparabile ab Ecclesia Romana. Cùm itaque juxta Protestantes duo prædicta, scilicet prædicatio illa, & usus, sint unica Nota veræ Ecclesiæ, ex ipsa Protestantium hypothesi, Romana Ecclesia verè mansit, ideòque nunquam defecit, erravit, periit.

128 Adhæc: Romanæ Ecclesiæ cœtus unicus aliquando fuit, qui omnes totius Orbis Sanctos atque Electos complectebatur, sic, ut in ea per verbi prædicationem & Sacramentorum usum salvarentur: quæ est hypothesis itidem à Protestantibus admissa. Ergo ille cœtus semper talis & unicus permansit. Prob. conf. Cœtus ille unicus, in quo omnes verè credentes continentur, est Ecclesia vera ædificata non super arenam, sed super petram, cui inferorum portæ nunquam sunt prævalituræ, *Math.* 16. Est regnum, cujus non est finis, *Luc.* 1. *vers.* 33. Est Corpus Christi, à quo proinde avelli nunquam potest, *Ephes.* 1. *vers.* 22. Ergo hactenus semper mansit; si enim non mansisset, etiam Verbum DEI, & promissio Christi fallibilitati obnoxium fuisset: at hoc dicere quàm foret impium! Non legistis? Cælum & terra transibunt, verba mea autem non transibunt; sed veritas Domini manet in æternum.

129. Vanum erit effugium, si regerant, Ecclesiam esse indefectibilem, quatenus est invisibilis, & ratione prædestinatorum. Nam jam supra *à num.* 3. *in qu. de contentis intra Ecclesiam: à num.* 35. *de Notis Ecclesiæ:* & *à num.* 30. *de illius visibilitate* hoc effugium præclusum manet.

130. Urgeo ampliùs: invisibilis Eccclesia utique non est quærenda extra visibilem: non enim est quærenda, nisi ubi habetur prædicatio Evangelii publica & usus Sacramentorum visibilis à Christo institutus. Unde sic: Ecclesia ex infallibili sui Institutoris promissione est indefectibilis, sub qua noviter ab illo fuit ædificata: atqui fuit ædificata sub ratione vocationis novæ per novam Evangelii prædicationem sensu perceptibilem ab omnibus gentibus, publicum novorum Sacramentorum usum, publicámque Evangelio obedientium fidei acceptationem & professionem (quæ iterum est hypothesis à Protestantibus non neganda) ergo sub hac ratione est indefectibilis.

131. Addo: Divinus Ecclesiæ Auctor absolutè dixit: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* dixitne, super prædestinatos? distinxitne inter Ecclesiam invisibilem, & visibilem, quòd illa sit mansura, ista defectura, & demum circa dogmata fidei reformanda? An quidpiam tale in Bibliis scriptum est? Aut saltem per infallibilem consequentiam ex aliquo textu deduci potest? Ostendant. Iuxta Adversarios, quæ præcipua sunt fidei capita, & ad salutem pertinent, in scriptura clarè continentur, súntque cuivis inspicienti perspicua. Sed defectio Ecclesiæ aliquando futura, lapsus horribilis & error committendus præsertim à visibilibus Christi Vicariis, dubio procul esset aliquid inter præcipua capita fidei, & maximè pertinerent ad salutem in Ecclesia militantium: igitur secundùm Adversarios necesse foret, illam defectionem, lapsum horribilem, & capitalem errorem clarè in scripturis contineri, & cuivis inspicienti perspicuum esse.

132. Unde ulteriùs: vel est articulus fidei, qui credi debet, Ecclesiam defecisse, & errâsse, sicque de vera in falsam aliquando per metamorphosin transiisse, vel est humanum assertum duntaxat, primò inventum à Luthero, posteà Calvino, ac tandem ab horum adhærentibus promiscuè usurpatum? Si non est articulus fidei, qui credi debet, articulus Divinæ & Catholicæ fidei, quo priùs communiter & firmiter in Ecclesia credebatur & credi debebat ejus indefectibilitas, stat in sua possessione inconcussus contra temerarium & mendax assertum Lutheri, Calvini &c. Imò, secundùm principia adversa, traditio, si aliqua adesset, nihil juvaret, nec esset curanda, sed in Bibliis scriptum patere debet. Si dicant, esse articulum fidei, monstrent locum scripturæ.

133. Potiùs pro Ecclesia legitima argumentatio stabit: Illa Ecclesia subsistit, & quidem visibiliter, in qua nullus error fundamentalis unquam fuit admissus: Talis est & fuit Romano-Catholica sub Papatu: Ergo Romano-Catholica Ecclesia sub Papatu subsistit, & quidem visibiliter. Major est irrefragabilis. Minor. propositionem ipse Calvinus *lib.* 4. *Instit. c.* 6. *§.* 16. tenet: ubi sic ait: „ præfari volo, me non negare, quin „ magnum Romanæ Ecclesiæ honorem ubi„que deferant veteres &c. & quòd doctrinæ „ semel traditæ fuit aliis omnibus tenacior „ &c. Conseq. est legitima.

134. Demonstrabile quoque est ex principiis Protestantium, quòd non tantùm sub Papatu, sed etiam ipse Papatus, seu Papalis Eccle-

Ecclesia fuerit, ac etiamnum sit unicus ille cœtus, in quo homines per prædicationem verbi, & usum verorum Sacramentorum salvantur. Nam Papatus sive Regimen Romani Pontificis, quatenus ab ipso exercetur, & ab ejus communioni addictis cœtibus agnoscitur & creditur (fatentibus Protestantibus) per integros mille annos cœtus ille fuit, in quo tunc temporis omnes verè credentes continebantur, nec erat eo saltem tempore Ecclesia extra Papatum: omnes quippe Pastores & Doctores Papam Ecclesiæ Caput Ministratorium agnoverunt. Ipsi Orientales Rom. Pontificem Patriarcham primum & Concilii Oecumenici necessarium Conscriptorem atque Directorem habebant, omnéque *fidei* ac *morum* Decretum, quod à Romano Pontifice unà cum Synodo latum & promulgatum erat, ceu oraculum & Spiritûs Sancti placitum suscipiebant. Ergo ille Pontificis Romani Vicariatus seu Oecumenicum in totum Ecclesiæ Christi cœtum semper continuatum exercitium tam erat Ecclesiæ proprium, ut ab ea separari haud soleret. Ubicunque enim erat Ecclesia, ibi se quoque exercebat Romani Pontificis potestas. Neque assignari potest vel unicus ex tota illa credentium multitudine, qui unquam Rom. Pontificis apertè impugnaverit Oecumenicum Primatum (vel potestatem) tanquam *tyrannicum* vel non necessarium. Ergò Papatus eo saltem tempore non tantùm fovit, sed etiam formaliter constituit Dei Ecclesiam. Ex quo infertur, saltem toto illo tempore nullam aliam fuisse Ecclesiam, quàm sub Papatu gubernatam. Ubi ergo tunc fuit Ecclesia Lutheristarum, vel Calvinistarum, vel quocunque alio nomine utentium?

135. Demum, defectio vel deviatio Ecclesiæ Romano-Catholicæ probationem firmiorem & saniorem expetit, quàm quæ sit nuda assertio, imitatrix Donatistarum. Hi D. Augustino teste in *lib. de hæres. c. 69.* asserebant, Ecclesiam, quæ priùs toto orbe erat diffusa, ob prætensa Cæcilii Episcopi crimina, postea tanquam corruptam defecisse, excepta sola illa Africæ parte, quæ Donato Episcopo adhærebat. Hodierni Adversarii sat multi cum suis Antesignanis spargunt, Ecclesiam Romanam antea per quingenta sæcula totum per orbem diffusam, posteà propter Romanorum Pontificum crimina in toto Orbe ubique defecisse & periisse. Memoratus D. Augustinus Donatistas impugnaturus introducit Ecclesiam loquentem cum Christo: *Quid est, quod nescio, qui recedentes à me, murmurant contra me? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in isto sæculo. Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: fuit, & jam non est. Et annunciavit* (scilicet Christus) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Nónne posteriores Novatores similiter dicebant, de Ecclesia? *fuit, & jam non est*: defecit, periit. Tandem ex ea parte, quæ nobis adhærere cœpit, revixit. Sed confutantur à Christo, qui suam & Spiritûs Sancti infallibilem assistentiam ad quingentos annos, mille, plures aut pauciores, minimè coarctavit, sed omnibus diebus usque ad consummationem sæculi cum illa tunc fundata Ecclesia se mansurum esse, suo Verbo Divino, quod fallere nequit, dissertè spopondit.

136. Validissimum quoque ad declarandam Romanæ Ecclesiæ stabilem integritatem argumentum conficitur ex nunquam interrupta serie & successione Pontificum; quod argumentum hæreticis opposuerunt Iræneus *lib. 3. c. 3.* Epiphanius *hæres. 27.* Optatus *lib. 2. cont. Parmenianum*, Augustinus *Epist. 165. & cont. Epistolam Fundament.* Illud etiam proponitur in meo *Tract. de S. Pontifice.*

## *Occurritur Argutiis adversis.*

137. Arguis primò. Defecit Ecclesia ab initio mundi, cùm Protoparentes de fructu vetito comedissent. Dein de Noë *Gen. 6.* legitur: *videns Deus, quòd multa malitia esset hominum super terram, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd fecisset hominem in terra &c.* Ex quo rectè concluditur, tunc Dei Ecclesiam defecisse. Secundo: tempore Moysis, quando Aaron summus Sacerdos proposuit vitulum adorandum, & omnis populus clamavit: *Hi sunt Dii tui Israël, Exod. 32.* Tertiò: tempore Heliæ conquerentis *3. Reg. 19. 14. Derelictus sum solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam*: quo indicatur, præter ipsum solum nullos mansisse fideles. Quartò, tempore Nativitatis Christi, quando solùm MARIA & Joseph, Zacharias & Elisabeth, Pastores, Simeon & quidam pauci credebant. Quintò: licèt Ecclesiæ vet. Testamenti non defuerit promissio perennitatis (ùt patet ex *2. Paralip. 7. 16.* & *Psal. 131. 14.* ea tamen defecit: ergo nova quoque, non obstante stabilitatis promissione, deficere potuit. Sextò: cùm Ecclesia comparetur Lunæ, mutabilitati subjecta erit. Hæc trita, & planè longè petita sunt.

Resp. ad primum, à protoparentibus Ecclesiam initium sumpsisse, nondum tamen ex illis propriè Ecclesiam compositam fuisse. Adam, præterquàm, quòd illius extiterit principium materiale tanquam omnium hominum primus, erat quoque *formale*, utpote Doctor & Rector populi Dei, quamdiu spiritum duxit. Quidquid sit, utrùm ùt priva-

privatus homo malè de Deo senserit nec ne, quia Caput Ecclesiæ errorem publicè alios docere non potuit, sed in moribus deficere, præcepta transgrediendo. Ad Instantiam ex *Gen. 6.* reponit Coccius *lib. 8. de signis Eccles.* tempore Noe, etsi fere, non tamen ad unum omnes à Deo defecisse. Quinquennio ante diluvium obiit pater: ipso anno diluvii Mathusalem, & procul dubio non pauci alii pii mortui sunt: Sem, & Japhet egregii pietatis cultores erant: de eorum uxoribus nullum est dubium. Hi omnes visibilem constituebant Ecclesiam, licèt non fuerit adeò magna: fuit tamen aliqua.

138. Ad secund. Resp. Moysen, qui erat Caput tunc Ecclesiæ, non errâsse aut defecisse, cùm vitulum non adorârit, esto graviter peccârit Aaron vitulum conflando (qui tunc nondum fuerat Pontifex, sed postea factus fuit, ùt colligit Bellarm. *de Eccles. milit. cap. 16. ex cap. 40. Exodi*) eaque pars populi, quæ coram idolo poplitem flexit: nec Levitæ & Sacerdotes criminis sese participes fecerant: ajebat enim Moyses *Exodi 32. 26. Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.*

139. Ad tert. Resp. ipsum Heliam 3. Reg. 19. 18. responsum à Deo audivisse: *Dereliquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Israël (ùt exponit Bellarm. *d. cap. 16.*) tunc dicebantur ii, qui Regi Samariæ subjecti erant: Judas verò, qui stabant sub Rege Hierusalem. Decepti ergo loquebantur Philip. Melanchton, & Calvinus, quorum ille in *loc. communib cap. de Eccles.* iste verò in *præfat. Instit.* Ecclesiam in solo Helia, Hælisæo, paucisque Sacerdotibus fuisse, asseverant. Vid. Becan. *Controv. lib. 1. c. 3. n. 45.*

140. Advertit etiam Bellar. magnam esse differentiam inter Ecclesiam Judæorum & Christianorum: nam illorum populus non fuit Ecclesia universalis, sicut est nostra Christiana, sed particularis: siquidem Melchisedech, Job, Ninivitæ, postea etiam Cornelius Centurio, & Eunuchus Candacis Reginæ, aliique quidam recensebantur inter justos & fideles, quin essent de Synagoga Judæorum, quæ etiam nunquam ex toto defecit, ne quidem in adventu Christi: cùm tunc potiùs repudiata fuerit unà cùm suis cæremoniis & sacrificiis, atque in meliùs mutata, quàm quòd tota à fide recesserit. Quòdsi ergo Ecclesia Christi aliquando ex toto deficeret, nemo posset deinceps salvari: quia est universalis: econtra extra Synagogam, cùm fuerit tantùm particularis, adhuc dabatur salutis possibilitas. Advertit ulteriùs ex Augusti. *lib. de unit. Eccles. c. 12. & lib. cont. Donatist.* post collationem *cap. 20.* quandoque in scriptura universum populum reprehendi, quasi nemo sit bonus, cùm tamen multi boni sint: interdum è contrario, omnes consolatione demulceri, quasi omnes sint boni, cùm tamen multi sint mali. Sic *Ezech. 3.* legitur: *omnis domus Israël attrita fronte est, & duro corde*: & tamen in *c. 9.* dicitur: *Signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Hoc modo explicandi sunt text. *Is. 1. cognovit bos possessorem* &c. *Israël autem me non cognovit.* & *2. Paralip. 15. Transibunt dies multi in Israël sine Deo vero, sine Sacerdote, & Doctore, & sine lege.* Cùm autem *Luc. 20.* quæritur: Filius hominis cùm venerit, putásne *invenire fidem in terra?* Secundùm D. Hieron. in *Dial. contra Luciferianos* & Aug. *lib. de unit. Eccles. c. 13.* quæstio non debet intelligi de fide simpliciter, sed de quadam eximia, quæ in paucis datur, & in paucissimis reperietur in ultimis diebus. Et ad verba *Dan. 9. deficiet hostia & sacrificium.* notat idem Bellar. cit. *l. 3. cap. 16.* ea loqui de eversione Hierusalem, adeóque de cessatione Sacrificij Judæorum.

141. Ex his constat solutio ad quart. & quint. atque addendum est, nullibi tam clarè Synagogæ promitti stabilitatem sicuti Ecclesiæ Christi, per illa verba: *Portæ inferi non prævalebunt* &c. illa enim erat ancilla & umbra, ac in suis cæremoniis, & Sacramentis infirma, cujus *lex nihil ad perfectum adduxit, Hebr. 7. 19.* imò repudianda: hæc verò est libera, continet lucem, duratura usque ad consummationem sæculi, instructáque Sacramentis salutem conferentibus. August. in *Ps. 73.*

142. Ad Sext. Resp. illam Ecclesiæ comparationem cum Lunæ instabilitate non solùm esse satis frigidam, & velut lunaticam, sed etiam injuriosam, in quantum procedit à filiis erga matrem. Quare semper excogitant cavillos criticásque interpretationes, & non amplectuntur sanos sensus, ùt fecerunt Patres & Ecclesiæ Doctores? modestiùs & honorificentiùs Augustinus in *Ps. 163. fecit lunam in tempore*, ait, *intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo* &c. *Quando obscura erat Ecclesia? Quando nondum apparebat.. modò quàm cæcus est, qui plenâ lunâ errat?* Et in *Ps. 10. Luna intelligitur Ecclesia*, inquit, *quòd suum lumen non habeat, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis in locis in Sac. Scripturis allegoricè sol appellatus est, illustratur.* Ambrosius *lib. 4. Hexameron* dicit: *Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Quæ Ecclesiæ Mastyges contra Summorum Pontificum, quibus supra modum infensi sunt, infallibilitatem undique corradunt, inferiùs suo loco dispergentur.

143. Sed urgent contra Catholicos, quòd duæ integræ Scholæ, & Religiosæ familiæ, Dominicanorum & Jesuitarum tam hostiliter dimicârint, ut se invicem hæreticos, Pelagianos aut Calvinistas in materia *de concursu* gra-

*gratia* appellaverint. Unde inferunt, ipsos Catholicos non rarò deficere, & in varios errores delabi. Verùm nimis à veritate alienum est, unam scholam ab altera hæresis alicujus incusari, vel etiam unum ab altero hæreticum vocari posse. Longè diversa sunt hæc, dicere, sententiam unam magis quam alteram v. g. Calvinismo, vel Pelagianismo ad speciem favere, vel argumenti occasionem præbere: & dicere, sententiam hanc esse Calvinisticam, aut hæresin Pelagianam. Nec primum, & multò minùs secundum convitium una schola alteri, præsertim post Pontificiam inhibitionem, objicere vel imputare audet. Quid in illa materia de gratia, re certè admodùm obscura, tenendum sit, in Ecclesia nunquam publicatum fuit, vel sub articulo fidei præceptum. Proinde ejusmodi dissensiones scholasticæ non sunt fidei, aut formales: nam utraque pars parata est summi Pontificis judicio stare: & neutra sententias suas in ejusmodi controversiis ut sub fidei certitudine credendas tuetur. Quòd si una pars reipsa in Pelagianum aut Calvinianum errorem incideret, animo tamen obediendi Ecclesiæ judicio existeret, in dissensione & errore solùm materiali versaretur. Si una crederet, altera non crederet, esset fidei discrepantia: at si una pars dicat, putamus, esse de fide; altera, non putamus, esse de fide, opinionum non fidei est distantia.

144. Certè in Christo Divina & humana voluntas formaliter sibi non adversabantur, licèt Divina mortem vellet, humana verò mortem quodammodo horreret, & refugeret: quia humana non absolutè mortem refugiebat, sed sub conditione, si id non esset adversum Divinæ voluntati. Ita duæ opiniones e. g. in materia *de gratia* non sunt absolutæ, sed cum conditione, nisi aliter judicet summus Controversiarum Arbiter: quam conditionem si non semper speciatim, saltem generatim initio aut fine librorum, vel saltem in Tridentinæ Professionis formula profitentur, omnia Summi Pontificis judicio subjicientes.

145. Ejusmodi materialis discrepantia (dummodo limites non excedat) tantum abest, ut fidei vel charitatis unionem dissuat, ut etiam in Beatis Cœlicolis quodammodo reperta videatur *Daniel.* 10. 13. ubi Angelus Persarum Angelo Judæorum suos clientes è servitute eximere conanti, aliquamdiu restitit, ratus, ad salutem Persarum conducere Judæorum præsentiam, donec Michael Divinum mandatum exposuit, cui uterque libens volens acquievit. Porrò dissidia, quæ Novatores tum contra Ecclesiam Orthodoxam, tum contra se invicem seminârunt, sunt formaliter circa fidem: nec unquam ipsi animum monstrârunt serium, sincerum, ac paratum, judicium suum supremo Controversiarum Arbitro subjiciendi, ac errores reprobatos deponendi. Sequitur concordia veteris cum hodierna Ecclesia.

# COLLATIO

## *Ecclesiæ Catholicæ veteris cum hodierna, Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi à S. R. E. Cardinale Peronio olim proposita.*

146. EX hac epitoma quilibet egregius, & tum veritatis, tum suæ salutis sollicitus amator intelliget, quanta sit Ecclesiæ nostræ cùm prisca illa, cujus authoritatem ipsi quoque Novatores præferunt, in rebus omnibus conjunctio & consensio: quidque de illis cœtibus censendum sit, qui abolitâ omnis antiquitatis memoriâ, proximis sæculis sibi novam Ecclesiam, novam doctrinam, novos ritus procuderunt, quique, post hæc omnia non verentur apud indoctam & incautam plebem ad illam ipsam, quam rejecerunt, antiquitatem provocare. Lege, & expende istam, si placet, comparationem: videbis facilè, utri propiùs ad veterem formam accedant, illine, qui, sublatâ omni memoriâ vetustatis, ubique crepant priscæ Ecclesiæ typum; an nos, qui longa annorum & personarum serie à patribus illis profecti, doctrinam eandem, eandémque cum ipsis rerum omnium faciem adhuc in Ecclesia religiosè observamus.

147. Regia illa Majestas prætendebat à memorato Cardinale, ut revocare in mentem velit, secúmque perpendere, quantum sit discrimen inter B. Augustini tempora, & hæc nostra: quàm diverso sensu Ecclesia Catholica nominetur, atque illis temporibus: quàm sit mutata facies, & tota exterior forma, nihil jam dicendo de interiore. Sequitur replicatio Perronii, nervosam Catholicæ fidei institutionem complectens.

148. Imò verò (incipit) ipse ego supplex id à Sereniss. Majestate peto, contendóque, ut ob oculos suos faciem Ecclesiæ ponat, qualis eo tempore B. Augustini, & primorum quatuor Conciliorum fuit. Ecclesiam, inquam, illam spectet, quæ credebat veram & realem præsentiam, ac manducationem realem corporis Christi in Sacramento, sub speciebus, & in speciebus Sacramentalibus, quemadmodum ipse etiam Zwinglius, præcipuus Sacramentariorum Patriarcha, fatetur

his

his verbis, (*tom. 2. lib. de vera & falſ. Relig. cap. de Evchar.*) *tempore Auguſtini opinio de carne corporali jam victrix fuit.* Eccleſiam, inquam, Rex conſideret, quæ tali in ſtatu (*Cyril. Hieroſol. catech. Myſt.* 5. *Chryſoſtomus in* 1. *ad Corinth. homil.* 24. *Auguſtinus in Pſal.* 90. *Theod. Dialog.* 2.) adorabat Evchariſtiam, non mente tantùm & devotionibus internis, ſed etiam geſtibus & adoratione externa, ut quæ contineret actu, realiter & ſubſtantialiter verum & proprium Corpus Chriſti: neque enim de tranſubſtantiatione nunc ajo, cui tractatum reſervo ſeparatum ac peculiarem.

Eccleſiam, quæ credebat Corpus Chriſti eſſe in Sacramento, (*Cyrillus Alexandrinus ep. ad Caloſy. Baſil. epiſt. ad Cæſar. Patri*, *& alii*) etiam extra uſum, atque idcircò etiam poſt conſecrationem illud ſervabat, in uſum (*Tertul. ad uxor. l.* 2. *Cyprian. de lapſ.*) communionum domeſticarum, *Euſeb. Hiſt. lib.* 1. ut exhiberetur ægris, aut in mare proficiſcentes comitaretur, aut mitteretur in Provincias remotiores. Eccleſiam, quæ credebat communionem (*Ambroſ. de obit. Satyr.*) ſub duabus ſpeciebus non eſſe neceſſariam ad integritatem participationis, ſed totum corpus & totum ſanguinem ſumi ſub alterutra ſpecie, atque has ob cauſas, in communionibus domeſticis, in communionibus infantium, in communionibus ægrotorum, in communionibus in mari, in communionibus pœnitentium in articulo mortis, in communionibus miſſis in Provincias remotas, diſtribuebatur Sacramentum ſub una ſpecie.

Eccleſiam, quæ credebat Evchariſtiam eſſe (*Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.* 5.) verum, plenum, & integrum ſacrificium, quod ſolùm omnibus ſacrificiis legis (*videatur lib.* 1. *cap. de com. ſub una ſpec.*) ſucceſſit quod eſſet (*Cypr. ad Cæcil. epiſt.* 63.) nova oblatio novi Teſtamenti, & *Aug. de Civit. lib.* 17. *cap.* 10. cultus externus latriæ Chriſtianorum, neque ſolum ſacrificium Evchariſticum, ſed etiam ſacrificium (*Iren. lib.* 4. *cap.* 32. *Aug. contra Fauſt. lib.* 20. *cap.* 21. *Euſeb. de vita Conſt. l.* 4. *Cyril. Hier. & alii, inf. lib.* 8.) propitiatorium, per applicationem ejus, quod in cruce oblatum eſt: atque hoc modo & fine offerebatur tam pro abſentibus, quàm pro præſentibus, tam pro communicantibus, quàm pro iis, qui non communicabant; tam pro vivis quàm pro defunctis. *Chryſoſt. in* 1. *ad Corinth. homil.* 41. Eccleſiam, quæ ad oblationem iſtius ſacrificii uſa eſt altaribus ligneis, & (*Greg. Nyſ. de Baptiſ.*) lapideis (*Auguſt. ubi ſupra*) erectis ac dedicatis Deo in memoriam Martyrum, illáque ipſa conſecrabat adhibitis formulis verborum, & cæremoniarum quarundam, quas inter quoque erat reliquiarum illarum religioſa adſervatio. Eccleſiam, in qua à fidelibus peregrinationes & itinera ſuſcepta ſunt ad (*Baſil. in* 40. *Martyr.*) corpora Martyrum, ut ipſorum meritis (*Aug. ſupra*) ſociarentur, ipſorúmque interceſſionibus juvarentur; in qua iidem fideles Martyres illos rogabant, ut orarent pro ipſis; *Ambroſ. de vid. Gregor. Naz. Cyprian. & alii*, *vide infra c.* 10. in qua ipſorum (*Aug. Pſal.* 63. *&* 88.) feſta celebrabant, ipſorum (*Hieron. ad Marcel. ep.* 17.) reliquias venerabantur, iiſque utebantur (*idem contra Vigil.*) ad exorcizandos malignos ſpiritus: in qua reliquias (*ibid.*) exoſculabantur (*Aug. de civit. Dei. l.* 22. *cap.* 8.) floribus eas contingebant, eas in faſciis (*Hieron. adverſ. Vigilant.*) byſſinis & vaſis aureis geſtabant: in qua coram ipſorum (*Ruffin. Hiſt. Eccl. l.* 2. *cap.* 33. *Chryſ. in* 2. *Cor. hom.* 26.) capſis proſternebantur (*Hieron. contra Vigilant.*) offerebant Deo ſacrificia ſuper eorum tumulos, contingebant religioſe (*Aug. ubi ſupra*) cancellos locorum, in quibus reliquiæ ipſorum conſervabantur, in pretio habebant (*Gregor. Nyſſ. in Theod.*) pulverem illic collectum, illic orabant Martyres pro ſalute ſpirituali, (*Theod. de Græc. aff. l.* 8.) próque ſanitate & proſperitate temporali familiarum ſuarum, illuc deferebant non tantùm (*Paul. Nolam in Natal. Fœlicis* 6.) infantes ſuos, verùm etiam pecora ægrota ad obtinendam ſanitatem: in qua etiam poſt recuperatam à Deo, interceſſione illorum Martyrum, valetudinem (*Theod. ſupra*) appendebant templis & altaribus, in ipſorum memoriam erectis, imagines aureas atque argenteas, earum ſui corporis partium, quæ ſanatæ fuerant, in ſignum ſcilicet ac memoriam impetratorum, quæ vovebant, bonorum: in qua docti, pii, & veteres Epiſcopi hæc recitant, extollunt, veluti radios totidem, indicia, & triumphos gloriæ Chriſti.

Eccleſiam, quæ (*Baſil. de Sp. S. & alii infra lib.* 6.) traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, ſed viva voce, & viſibili atque oculari Apoſtolorum actu ipſorum ſucceſſoribus conſignatas, pari in pretio habuit cum ſcriptis ipſis Apoſtolicis: quæque pro traditionibus Apoſtolorum ea ipſa tenuit, quæ nos pro Apoſtolorum traditionibus tenemus. Eccleſiam, quæ preces inſtituit pro vivis (*Tertul. de Monog. Aug. de verbis Apoſtol. & alii infra lib.* 6.) & defunctis, tum privatas tum publicas, ut ipſis refrigerium & quietem conſequeretur, obtineretque à Deo, ut majore ipſos miſericordia tractaret, quàm quidem ipſorum peccata merebantur, quæque conſuetudinem iſtam habuit pro (*Aug. de cur.*) neceſſaria ad animarum ipſorum refocillationem, quæque eandem retulit inter (*Chryſ. Phil. homil.* 3.) doctrinas Apoſtolica traditione ad ſe tranſmiſſas: denique, quæ illos, qui (*Epiphan. Hæreſ.* 75. *Auguſt. de Hæreſ. c.* 53.) conſuetudinem illam non obſervabant, repoſuit inter hæreticos.

Eccleſiam, quæ Quadrageſimale jejunium habuit non (*Hieron. ad Marcell. ep.* 54.) pro libera & ſpontanea conſuetudine, ſed pro neceſſario opere, & traditione Apoſtolica;

(*Epiphan. de Compend. & in Anaceph.*) quæque eos hæreticis adnumerabat, qui consuetudinem illam non observabant: quæ etiam toto Quadragesimæ tempore, tanquam in publico Christianorum luctu, (*Concil. Laod. c.* 52.) prohibebat nuptiarum celebrationes & solemnizationes matrimoniorum. Ecclesiam, quæ extra Pentecosten, per universum annum diem Veneris observabat, in memoriam mortis Christi, excepto eo, in quem incidebat Natalis Dominicus (*Epiph. in Compend.*) quem illa nominatim exemit, ducta Apostolicæ traditionis authoritate; nam de Mercurii diebus non loquor, in quorum locum ab Ecclesia Occidentali dies Sabbati suffectus est. Ecclesiam, quæ interdictum (*Concil. Nicæn. c.* 3. *Euseb. de demonst. Evang. l.* 1. *c.* 9. *Concil. Carth.* 2. *c.* 3. *Epiph. Hær.* 59. *& alii.*) factum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis de non ducendis uxoribus post ipsorum promotionem, habuit pro re necessaria & pro traditione Apostolica.

Ecclesiam, quæ (*Epiph. contra Apostol. Hæresi 6.*) matrimonium post votum solemne castitatis habuit pro peccato, idque per traditionem Apostolicam (*Chrys. ad Theod. orat.* 2. *Ambros. ad virg. lapſ. Hieron. contra Jovin. lib.* 1.) quæque religiosos & religiosas, post solemne votum castitatis, se matrimonio dantes, non tantùm adulteris accensuit, verùm etiam incestuosis.

Ecclesiam, quæ (*Cyprian. ad Cæcil. ep.* 63. *Concil. Carthag.* 3. *c.* 14.) mixtionem aquæ cum vino in sacrificio Eucharistiæ tenuit pro re necessaria, & traditione Divina atquæ Apostolica.

Ecclesiam, quæ (*Aug. de pec. Orig. cap.* 40.) exorcismos, exsufflationes, & abrenuntiationes, quæ in Baptismo fiebant, habuit pro sacris, & traditionis Apostolicæ cæremoniis. Ecclesiam, quæ præter Baptismum & Eucharistiam, quæ erant Sacramenta duo initiationis religionis Christianæ, habuit (*Aug. contra Petil. l.* 3. *c.* 4.) Confirmationem, quæ fiebat Chrismate & signo Crucis, pro vero & propriè ita dicto Sacramento, quod (*Hieron. contra Lucif.*) à solis Episcopis conferri posset; præterea (*Aug. de nup. & Conc. l.* 1. *c.* 17.) Matrimonium quoque pro vero & proprio Sacramento, itemque (*Ambros. de Pœnit. c.* 7. *August. de Bapt. contra Donat. l.* 5. *cap.* 20.) Pœnitentiam: *Leo, epist.* 91. *& alii, vide infra l.* 2. Confessionem verò vocalem, quæ fit Pastoribus Ecclesiæ pro conditione necessariò ad hoc Sacramentum requisita: sicut eadem quoque pro veris Sacramentis Ordinem, & (*Aug. contra Parmen. l.* 2. *c.* 13.) extremam unctionem habuit. Atque hæc sunt septem illa Sacramenta, quæ Ecclesia Romana agnoscit, quæque (*Innocent.* 1. *ad Decent. c.* 8.) Græca communio adhuc profitetur se nobiscum amplecti.

Ecclesiam, quæ cæremoniis Baptismi usa est (*Censura Orient. Eccl cap.* 7.) oleo, (*Cypr. ep.* 70.) sale, (*Concil. Carth.* 3. *c.* 5.) luminaribus, (*Greg. Naz. de Bapt.*) exorcismis, *Aug. Epist.* 101.) signo Crucis, (*Aug. contra Julian. l.* 6. *c.* 8.) voce Epheta, aliisque similibus accidentariis rebus: ut per oleum testaretur, nos in Baptismo factos esse Christianos, hoc est unctionis Christi participes: per salem, Deum in Baptismo nobiscum pacisci fœdus æternum, juxta phrasin scripturæ, quæ fœdera æterna vocat fœdera salis. Per luminaria, Christum esse lucem illam illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum. Per (*Ambros. de Sacram. lib.* 1.) exorcismos, nos Baptismo adseri à possessione Diaboli. (*Aug. Ep.* 103.) Per signum Crucis, Mortem Christi adfundere vim omnibus istis Sacramentis. (*Aug. in Joan. tract.* 118. *Ambros. de Sacram. l.* 1.) Per vocabulum Epheta, Deum spiritualiter in nobis efficere in Baptismo, id quod corporaliter effecit in surdo illo & muto.

Ecclesiam, quæ Baptismum in adultis necessarium statuebat necessitate conditionata, (*Aug. de anim. & ejus orgine l.* 3. *c.* 15.) infantibus verò necessitate absoluta, quæque idcirco permittebat (*Tertul. de Bapt. Hieron. contra Lucif.*) Laicis, ut in periculo mortis baptizarent infantes.

Ecclesiam, quæ aquâ benedictâ, & verbis quibusdam cæremoniisque consecratâ, usa est, tum (*Basil. de Spir. S. cap.* 27.) ad Baptismum, tum (*Epiphan. hær.* 30.) ad dissipandas incantationes, tum ad exorcismos & (*Theo. hist. Eccl. l.* 5. *c.* 23.) conjurationes malorum spirituum. Quocirca etiam B. (*Greg. l.* 9. *Ep.* 71.) Gregorius Magnus (etsi quatuor primis Synodis posterior, tamen irrefragabilis Anglis, omnique apud eos exceptione major, quippe qui originem missionis suæ ab ipso traxerunt) quum Anglia à Paganismo ad Religionem Christianam conversa est, constituit decrevitque, ne quis templa Paganorum demoliretur, sed ut aspersione aquæ benedictæ expiarentur.

Ecclesiam, quæ in Oeconomia ministerii Ecclesiastici diversos gradus habuit, (*Concil. Laod. c.* 24. *Carthag.* 4. *Can.* 2. *& seq. Valens & Gratian. Cod. lib.* 1. *Tit.* 3. *l.* 6. *Hieron. Epist. ad Tit. l.* 3. *& alii.*) Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium, eosque consecrabat, benedicens ipsis variis formularum & cæremoniarum ritibus, quæque in ordine Episcoporum diversas observabat sedes jurisdictionum de jure positivo, nimirum, Archi-Episcopos, Primates & Patriarchas, ac præter hos unum (*Hieron. ad Damas. Epist.* 57. *Aug. de duabus ep. Pelagii l.* 1. *c.* 1. *Et ep.* 92. *Conci. Chalced. ep. ad Leon. aliique.*) præ cæteris jure Divino eminentiorem, Papam scilicet, (*Socr. hist. Eccl. l.* 2. *c.* 8. *Sozom. l.* 3. *c.* 10.) sine quo nihil decidi potuit rerum ad Ecclesiam universalem per-

pertinentium, adeò ut si ipse, vel in propria persona, vel per legatos Concilio non interfuisset, aut si confirmationem non adhibuisset, talia Concilia, etsi vocarentur fortè universalia, reipsa tamen cassa irritáque essent, & nullius pretii.

Ecclesiam, quæ (*Cyprian. ad Magn. ep.* 76. *Et de unitate Eccl. Chrys. ad Eph. hom.* 11.) successionem haud interruptam Episcoporum à prima inde missione Apostolorum deinceps habuit pro conditione essentiali Ecclesiæ, eosque qui successione tali destituti erant, aut qui eum talibus communicabant, judicavit schismaticos, & ejusdem cum Core, Dathan, & Abiron, maledictionis reos.

Ecclesiam, quæ discrimen inter Episcopum & Presbyterum accuratè retinuit, & nominatim in casu Ordinationis habuit pro Divini juris & (*Hieron. ad Evag. ep.* 85. *in fine.*) traditionis Apostolicæ, quæque pro (*Epiph. hæres.* 75. *August. de hæres. cap.* 53.) hæreticis illos habuit & condemnavit, qui discrimen illud confundebant.

Ecclesiam, (*August. de grat. & lib. arb. c.* 2. *Et epist.* 46. *Cyril. in Joan. l.* 4. *cap.* 7.) quæ doctrinam de libertate arbitrii habuit pro doctrina Fidei, & in Scripturis sanctis revelata: quæ tenuit, (*August. de grat. & lib. arb. cap.* 8. *& lib.* 83. *Quæst. q.* 76.) fidem solam sine operibus Evangelicis non sufficere ad salutem: (*Prosper. ad Artic. sibi impositos.*) impios perseverantes usque ad finem esse reprobatos, sed non prædestinatos ad malum (*August. de Correp. & grat. c.* 13. *& alibi.*) certitudinem illam, quam singuli de sua prædestinatione præsumunt, esse rem temerariam.

Ecclesiam, in qua officium per totum Orientem fiebat linguâ Græcâ, & per totum Occidentem tam in Africa quam in Europa, lingua Latina, etiamsi in nullis Europæ, atque Africæ Provinciis, excepta Italia, & urbibus in quibus residebant coloniæ Romanorum, lingua Latina à plebe vulgaria intelligeretur, sed à solis ea caperetur eruditioribus.

In summa, Ecclesiam, quæ vel in genere, vel in specie, vel formaliter, vel anagogice iisdem planè cæremoniis, hoc est visibilibus verbis, usa est, quibus hodie universaliter utitur Ecclesia Catholica. (*Aug. Epist.* 118. *& Psal.* 63. *&.* 88.) Observabat enim distinctionem dierum festorum & ordinariorum; distinctionem habituum in Laicis & (*Concil. Laod. Can.* 22. *&* 23. *Hieron. ad Heliod. ep.* 3. *Theod. hist. Eccl. l.* 2. *c.* 27. Cod. *Tit. eod. l.* 21.) Ecclesiasticis; (*Hieron. Præf. in ep. Theoph. Ort. l.* 1.) distinctionem & venerationem vasorum sacrorum; usum (*Theod. hist. l.* 5. *c.* 8. *Vict. Turon. in Zenon. Isid. de diu. offic. l.* 2. *c.* 4. *Et Conc. in Trull. c.* 33. *ambo ex veteri usu Ecclesiæ.* tonsuræ & (*Gregor. Naz. de pace Orat.* 1. *Idem in Basil. Auctor de Unct. Chrism. Greg. in Reg. lib.* 4. *c.* 5.) Unctionis ad collationem ordinum; ablutionem (*Cyril. Hierosol. Catech. Myst.* 5.) manuum ad Altare ante consecrationem Mysteriorum: eadem quoque osculum (*Concil. Laod. c.* 19.) pacis dabat ante Communionem; pronuntiabat (*Concil. Laod. ibid.*) partem ministerii ad Altare voce secreta & non exaudibili; processiones (*August. de Civ. Dei l.* 22. *c.* 8.) instituebat cum reliquiis Martyrum; deducebat defunctos ad sepulchrum eum (*Greg. Naz. Indul. Orat.* 2.) cereis & luminaribus in signum gaudii & certitudinis futuræ Resurrectionis, habebat Christi & Sanctorum picturas tum (*Euseb. de vita Constant. l.* 3.) extra Ecclesias, tum in (*Paulin. epist.* 12. *Basil. in Martyr. Balaam Greg. Nyss. in S. Theod.*) Ecclesiis, atque adeò super (*Prudent. in S. Cassian.*) ipsa etiam Martyrum Altaria, non ad eas adorandas, quatenus adoratio significat cultum Divinum, sed ut per eas veneratio athletis & luctatoribus Christi debita, exhiberetur: Utebatur (*Tertul. de Coron. milit.*) signo Crucis in omnibus suis conversationibus, illúdque (*August. de Sym. ad Catech. l.* 3.) imprimebat fronti Catechumenorum: inscribebat (*Cyril. contra Julian. l.* 6.) porticibus ædificiorum omnium fidelium: dabat (*Hieron. in vita Hilarii*) benedictionem populis manu per signum Crucis: adhibebat signum (*Athanas. contra Idol.*) illud ad pellendos malignos spiritus: proponebat Hierosolymis (*Paulin. epist.* 11.) veram Crucem adorandam die sancto Veneris: Utebatur thure in Synaxibus; nec verò thure tantùm Arabico, sed promiscuè quolibet gummi odorifero: neque enim thymiamata habebat ampliùs pro Sacrificio, quemadmodum tempore legis, sed pro simplici cæremonia, instituta ad repræsentandum effectum precum, quem describit David his verbis: *Ascendat oratio mea sicut thymiama coram te*, & Joannes in Apocalypsi his verbis: *Fumus thymiamatum Orationum Sanctorum ascendit de manu* Angeli coram *Deo.*

Denique Ecclesiam, quæ pro certo ratóque habuit, Ecclesiam Catholicam habere promissionem infallibilem, quod debeat esse (*Chrys. in Math. hom.* 89. *Evag. hist. Eccl. l.* 4. *c.* 7.) perpetuò pura & incorrupta in doctrina & Sacramentis, perpetuóque adstricta & continuata in successione sui ministerii; & cujus solius esset conservare traditione Apostolicas, authoritatem interpretandi scripturas, & decidendi controversias Fidei; & extra cujus communionis, doctrinæ, & ministerii successionem, neque Ecclesia esset, neque salus (*Tertul. de Præser. Iren. l.* 3. *c.* 3. *& l.* 4. *c.* 32.) Atque ex istis Rex ipse Serenissimus, si modò ea per otium sufficienter placebit expendere, deprehendet, quænam fuerit facies Ecclesiæ Catholicæ tempore B. Augustini, & quatuor primorum Conciliorum. Nunc est Regis despicere, sitne ex hoc vultûs lineamento agniturus Ecclesiam Calvini, an nostram.

QUÆ-

# QUÆSTIO OCTAVA.

## *An Lutherus reformationem attentârit zelo bono & legitima vocatione.*

149. ASsertio negativa patet primò ex dictis *num.* 95. ubi ostensum est, reformatores nec fuisse vocatos per missionem extraordinariam & immediatam à Deo: cùm nullis Miraculis claruerint: nec per missionem ordinariam, quatenus fuissent authoritate publica deputati ab aliquo Ecclesiasticæ Hierarchiæ Antistite. Patet secundò: quia nec virtutibus morúmque sanctitate conspicui apparuerunt, nec Spiritu Dei, motivóque pio seu zelo Religionis ducti ad prætensam reformationem prosilierunt; sed, ùt loquitur Epiphan. de Semiarianis *Hæresi* 37. *ad contentionem devenerunt iisdem rursus cum sociis suis, propter odia quadam & æmulationem humanam, rixantes inter se, & de Principatu litigantes.* Unde meritò Sectarum etiam nostri temporis exortarum initium dici valet superbia, ambitio, invidentia, & odium: quod maximè liquet in Luthero, qui decoquere non poterat, quòd indulgentiarum promulgatio ad Ordinem Prædicatorum fuerit translata. Hæc causa (exclamavit in prima Disputatione Lipsiæ instituta, inter ipsum, & Eckium) *nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur.* Joan. Cochlæus in *Actis* Lutheri Anni 1519. *in Epistola* ad Argentinenses ait, quòd, nisi Scripturæ testimonia tam clara essent pro præsentia Corporis Christi in Eucharistia, libenter negâsset illum Articulum, quia ejusmodi negatione Papatui multum incommodare potuisset. *Tom.* 4. Wittenberg. Germ. *fol.* 475. vocat se Doctorem supra omnes Doctores. *Tom.* 6. Altenb. *fol.* 582. ait: Cedo nulli. In *Discursibus Mensalibus*, vulgò Tisch-Reden, ego, inquit, Dei gratiâ doctior sum omnibus Sophistis & Theologis. In *Libro* contra *Regem Angliæ* intolerabili jactantiâ effutiit, Reges, Principes, Pontifices &c. non esse dignos, qui solvant ipsi suorum corrigiam calceamentorum: se pro Sancto velle haberi, velint nolint homines: & se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos. Vah! Ergo 1000. Cyprianos, 1000. Augustinos non pluris facit, quàm se ipsum unum: quàm 1000. Rabbinos, 1000. Muffties. Cur non vertimus, quòd unus Augustinus, vel Cyprianus, doctrina, virtute, & authoritate infinitis propemodùm parasangis antecedat mille Lutheros? Fastum tantum etiam ex propriis suis asseclis Conradus Gesnerus sufferre non poterat, quin in sua *universali Bibliotheca* scriberet: *Illud non dissimulandum, virum esse Lutherum vehementis ingenii, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat. Dominus faxit, ne contentione oris absit Ecclesia sua, cujus olim crepundia tam feliciter promovit.*

150. Tigurini *Responsione ad Lib.* à Luthero *cont. Zwingl.* editū sic loquuntur: Prophetæ & Apostoli Dei gloriæ, non privato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentiâ nimiâ effertur, & in omnibus corruptionibus suis plurimùm maligni spiritûs, quàm minimum verò amici & paterni animi deprehenditur. Quàm turpe & barbarum est illud Epitaphium, quod sibi vivus composuit?

*Pestis eram vivens, moriens tua mors ero Papa.*

Similes esse suo Magistro discipulus (dixit vir quidam gravis) è quorum libris si jactationes, mendacia, Scommata, maledicta, convitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici possent.

151. Porrò neminem legitimum Evangelii Ministrum agere posse, qui sit legitima vocatione & missione destitutus, ostendit Apostolus ad Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quemadmodùm & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Legimus, Aaron jussu Dei à Moyse fuisse constitutum Sacerdotem, ab eóque potestatem omnem in his, quæ ad Deum sunt accepisse: quasi nefas sit, quæ Dei sunt in populo Dei tractare, nisi ex Imperio Dei. Imò si Christus, cùm Deus esset, & Dei Filius, non *adoptivus*, sed *naturalis*, noluit seipsum clarificare, ut Pontifex fieret, sed à Patre clarificari voluit, suæque vocationis testimonium accipere, ac insuper eo fine opera facere, quæ nemo fecit, ut de vocatione illa ac missione Divinitùs facta, à Judæis non posset prudenter dubitari, quantò minùs possunt se ingerere Ministri humani, fragiles infirmitate circumdati, passionibûs circumlati, peccatores? nisi Divinò testimoniô, se vocatos missósque & Spiritu Sancto illustratos esse, & authoritatem muneris publici sibi ad prædicandum reformandúmve Evangelium legitimè collatam, priùs demonstrent, sicque potentes verbo & opere fidem ab aliis sibi adhiberi justè mereantur?

152. Quemadmodùm in ore eorum, quos mittit Deus, Spiritus Sanctus insidet, juxta illam Christi promissionem (*non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: Et: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*) ita vicissim in ore Ministrorum, qui ad Officium prædicationis ipsi curRunt,

runt, à Deo nec mediatè nec immediatè missi, insidet spiritus fallax & mendacii.

153. Quis non graviter succenseret homini privato, qui alienum Officium, maximè publicum, Magistratûs, aut Legationis usurparet, & in re gravis momenti politica, quasi publica authoritate illo munere fungeretur, aliquid contra antiquos mores, leges receptas, ritus, traditiones, & laudabiles consuetudines proponeret, per crisin & calumniam talia susque deque verteret, ac sub specioso necessariæ reformationis titulo proculcaret? At nonne (teste Apostolo) Ministri, annuntiantes Evangelium, sunt Legati Dei altissimi, qui *pro Christo legatione ad homines funguntur, tanquam Deo exhortante per illos?* Quantum igitur scelus fuerit, cum Dei hominúmque injuriâ conjunctum, in rebus gravissimis, atque ad spiritualem æternámque felicitatem pertinentibus, absque omni Dei jussione vocationéque, ministerium & legationem ad universam Ecclesiam, assumere, jus quoque reformandi, corrigendíque tum Summum & Monarchicum caput, tum subordinatos totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ Principes; imò & in ipsa Concilia Oecumenica, olim legitimè congregata, arrogatum & despoticum imperium exercere? Fecerunt id Novatores. Sunt igitur ex illorum censu & numero, de quibus Deus apud Jeremiam 23. 21. conqueritur: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant:* ideóque, *ecce*, inquit, *ego cibabo eos absynthiô, & potabo eos felle.* Sed contra

154. Arguis primò: Ministri Evangelici missionem suam divinitùs ordinatam esse, ipso factò probant: quia Verbum Dei verè & purè prædicant, quæque verbo Dei contrariantur, rejiciunt. Resp. Sic unum incertum ex alio incerto probari. Nam planè incertum est, an Ministri Evangelici, & Reformatores prætensi fuerint missi? & iterùm incertum, vel longè incertius est, an verbum Dei prædicent? siquidem legitima Verbi Divini prædicatio missionem præsupponit: quod confirmat Paulus dicendo: *quommodò prædicabunt, nisi mittantur?* Si ergo prius est mitti, quàm prædicare, ut fides ipsis adhibeatur de legitima prædicatione, missionem anteà probari necessum erit.

155. Certè omnes antiqui hæretici, Nestoriani, Eutychiani, Ariani &c. puritatem, veramque Verbi Divini interpretationem se prædicare, & defendere, plenis buccis crepabant: si Lutherus, Calvinus, aut alius quispiam posteriorum Minister tunc iis in locis vixissent, an illis fidem habuissent, aut, dum vixêre, habuerunt? respondissent: aut missionis suæ testimonium authenticum ostendant, aut saltem sequentibus signis sermones suos confirment. Hoc idem sibi dicendum fuisse putent.

156. Arguis secundò cum aliquo Anonymo, qui Ministris Evangelicis missionis suæ controversiam objici non posse, evincere conatur. Qui se non gerit, neque gerere debet pro novo Apostolo, aut Propheta, non tenetur suæ missionis, vel vocationis authorem ostendere: sed potest ex charitate, nullo expectato mandato, Verbum Dei, & Sacramenta proximis ministrare. At Ministri Evangelici neque se gerunt, neque gerere tenentur pro novis Christi Apostolis, vel Prophetis: non igitur tenentur suæ missionis, & vocationis authorem ostendere. Min. probat. quòd enim se non gerant pro Apostolis, & Prophetis, ex eo colligitur: quia Ministri Evangelici in iis, quæ docent, errare se posse fatentur (licet persuasissimum ipsis sit, doctrinam suam esse verissimam) cùm econtra Apostoli, & Prophetæ errare non possint.

157. Resp. hoc argumenti genus variis modis impingere. Nam primò manet inductio textûs de vocatione Aaron, qui dicit absolutè & generaliter, quòd nemo sibi sumat honorem, nisi vocetur, ùt Aaron: ideò non est distinguendum, sitne quis novus Prædicator sub titulo Apostoli, sive alterius, se pro veridico jactantis. Secundò, quod innuitur de prædicatione ex charitate denuò impugnat D. Paulum in testimonio primùm adducto. Sic enim cuivis plebejo liberum foret, in publicum prorumpere, & sub schemate charitatis noviter ementita dogmata fidelibus occinere. Nec muliebris sexus à prædicationis Officio, prætextu charitatis assumpto, foret arcendus, cùm tamen 1. *Tim.* 2. Paulus contrarium præcipiat: *mulier*, inquiens, *in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri non permitto.* Tertiò ipse Lutherus necessitatem legitimæ vocationis evidenter approbat 1. *part. supra* 1. *cap. ad Galatas*, ubi (ùt legitur in germanico idiomate) post assertam duplicem legitimam vocationem, unam immediatam, alteram mediatam, subdit, nostris temporibus Prædicatores ad officum suum vocari mediatè, scilicet per homines; Apostolos verò fuisse ab ipso Christo immediatè vocatos, sicuti & Prophetas in veteri testamento. Posteà, ait, Apostoli suos discipulos vocârunt, sicut Paulus Timotheum, & Titum &c. qui ulteriùs vocârunt Episcopos: Episcopi verò suos Successores, & sic ulteriùs usque ad ista tempora; & sic manere debebit usque ad finem mundi. Estque hæc vocatio, quæ fit mediatè, at nihilominùs Divina est. Ut tamen constantiam viri noscas, lege *part.* 7. *fol.* 497. Von der Winckel-Meß, und Pfaffen-Weyhe, ubi fatuosè prioribus dictis contradicit, & vocationem, ab Episcopis ordinatè factam per contemptum explodit.

158. Memoratu digna sunt, quæ Georgius Sereniss. Dux Saxoniæ &c. in Epistola adhortatoria & respectivè responsoria 1526. die Jovis Innocentûm ad Mart. Luther. hanc in rem in lingua Germanica scripsit: „Mi

„ Luthere, serva tuum Evangelium, quod è „ scamno protraxisti: nos volumus Evangelio „ Christi adhærere. Hoc scimus perbenè, „ quòd Moyses ad Pharaonem fuerit missus, „ Samuel ad Saul, Nathan ad David, Esaias „ ad Ezechiam, Joannes Bapt. ad Herodem, „ Ananias ad Paulum, Philippus ad Evnu- „ chum. Inter hos omnes nullum reperimus „ Apostatam: cuncti erant viri constantes, „ veridici, & pii; non superbi, non avari, „ non luxuriosi &c.

159. Ex his (& ampliùs ex dicendis) satis luculentum est, quòd Novatoribus, contra Catholico-Romanam Ecclesiam adeò temerè insurgentibus, immeritò fides fuerit adhibita. Talis quippe credulitas magis est error, quàm prudentiæ actus: cùm non sit credendum nisi ei, quem fidelem rationabiliter putamus. Proverbium est: qui facilè credit, facilè decipitur: &: sæpe tam periculosum credere est, quàm decipi. Hæc de zelo, & vocatione.

# QUÆSTIO NONA.

## *An, & quibus erroribus Lutherus Ecclesiam deformârit?*

160. Reformare, seu errores irrepentes corrigere, & eliminare ex aliqua Republica, maximi momenti res est, nec ab aliis, quàm, qui authoritate publica, fideque non facilè aberrante à veritatis, morúmque regulis eminent, attentanda. Et rectè dixit Seneca: *antequam mores* (dicam & errores) *aliorum corrigas, corrige tuos.* Si quis illorum, qui universalem Ecclesiam sua reformandi libidine aggressi sunt, conditionem, statum, mores, & errores, animúmque desultorium paulò attentiùs contemplatus fuerit, mirabitur, quomodo apud veritatis, veræque fidei cupidos cultores assensum & applausum obtinuerint. Loquendo primitus de Luthero, sit

161. Assertio: Lutherus Ecclesiæ reformationem non sine gravium errorum deformatione attentavit. Hæc deformatio meliùs & oculatiùs non monstrabitur, quàm si doctrina ejus Anti- Catholica in conspectum publicum punctuatim proferatur, ne quispiam objicere audeat, innocentem, non auditum, sub fictitio errorum prætextu incusatum, & ab Ecclesia Catholica damnatum fuisse.

162. Profunda pace (inquit Author de *Ortu, Progressu, & Ruina Hæreseon. l. 1. c. 1.*) summáque Religionis concordiâ universus terrarum orbis fruebatur; in majorem fide unusquisque acquiescebat; nec ulla inter ejusdem Religionis socios, nisi fortè de finibus Imperii proferendis, erat contentio: cùm ecce sub initium decimi sexti sæculi omnes Mundi partes Schismatibus & Hæresibus distractæ, infinitis calamitatibus, & miseriis inundari cœperunt. In Asia, Africa, Europa, & novo Mundo, turbis, & confusionibus omnia plena erant: dum illi impia Mahumetis commenta, & mendacia expolire, hi Evangelicæ veritatis intellectum quærere student. Videre erat eodem tempore Muselmannos cum Turcis, Jezelbas cum Cazelbis, Seriphios cum Africanis, Christianos cum Paganis, & Idololatris, Christianos denique cum Christianis digladiantes, támque infestis animis, ac tanto furore pugnantes, ut ne ultimæ quidem sanguinis guttæ parceretur; dum illi veterem, & à majoribus acceptam Religionem summô studiô tuentur, hi novam introducere, ac stabilire conantur. Ex quo apparet, quàm verè à Gregorio Nazianzeno in 1. *Orat. de Pace* dictum sit; sicut ad firmandam, ac tuendam hominum concordiam nihil efficacius est, quàm Religionis consensus; ita nihil esse, quo eorundem animi magis distrahantur, atque alienentur, quàm ejus diversitatem.

163. Nec communis tantùm vox tempestatem hanc, qua S. Petri navicula brevi agitanda erat, prædixit; verùm etiam quædam personæ, Divino incitante Spiritu, quasi iliadem quandam malorum impendentium præcinuerunt. Inter cæteras Virgo Hildegardis, Divini Interpres Numinis, vastitatem illam, & desolationem, quæ superiori, & nostra ætate Christianam Religionem tantoperè afflixit, quasi digito præmonstravit dicens: ah misera Ecclesia! quid ages, quò te vertes? Mille hæreses in te orientur, quibus resistere vix poteris. Ædes tuæ sacræ, atque adeò ipsa etiam sacra profanabuntur; Principes contra te insurgent, populi contra te arma capient; omniaque in ruinam tuam conspirabunt.

164. Prolixum foret, hoc in parvo opere ortum, progressum, maláque omnia percensere, quibus Catholica Religio ab insurgentibus contra eam à Sæculo decimo sexto Novatoribus afflicta, pressa, & lacerata fuit. Pro tyronum qualiquali informatione, nostríque instituti ratione expedire visum est, ut notiora, & potiora tum Lutheri, ùt Primipili, tum aliorum magis famosorum infausta, atque Orthodoxæ Ecclesiæ perpetuis doctrinis, atque principiis opposita dogmata, quadam ordinis serie proponantur. Cæterùm dogmata, quæ in medium proferentur, optimè digesta repræsentat Gabriel Prateolus Marcossius, Doctor Theologus in libro, cui titulus: *De Vitiis, Sectis, & Dogmatibus omnium Hæreticorum*, edito Coloniæ Anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono cum Gratia, & Privilegio Imperiali. Omissâ, aliàs satis notâ, vitæ descriptione, mox ponûntur ex præcitato Authore.

Er-

## *Erronea Dogmata Lutheri.*

165. ASserit 1. quòd credens, se absolutum, absolutus est, quantumlibet desit contritio: & quòd absolutio censenda est efficax, non quia fit, à quocunque tandem fiat, erret, vel non erret; sed quia creditur.

2. Dicit, puerum, ac mulierem æquè absolvere, ùt Papam. In Sacramento Pœnitentiæ (ait) ac remissione peccatorum non plus facit Papa, aut Episcopus, quàm infimus Sacerdos; imò ubi non est Sacerdos, æquè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

3. Ait, non licere Christianis bellum gerere in Turcas, eò quòd sit repugnare voluntati Dei, visitanti, & corrigenti iniquitates nostras per illos.

4. Asserit, in nullo Sacramento imprimi characterem: imò hoc asserere, esse ait, novorum Theologistarum fictionem, atque commentum.

5. Rursus quoslibet cibos quolibet etiam die, omnibus sine discrimine, aut delectu esse licitos, quantumlibet per Ecclesiasticas Sanctiones fuerint prohibiti.

6. Dicebat quoque, Concilium generale quantumlibet (ùt decet) congregatum, posse in fide, & moribus errare, & Constantiense errâsse in condemnatione Hussi.

7. Negat, confessionem auricularem esse à Deo institutam, sed sola humana constitutione stabilitam asserit.

8. Dicit, Confirmationem neque esse Sacramentum, neque gratiam conferre, sed meram esse cæremoniam, & ritum quendam.

9. Docet, contritionem, & peccati detestationem, quæ ab horrore gehennæ incipit, esse peccatum: tantum abest, ut illam probare velit. Ut autem ejus insana mens omnibus pateat, illius verba referam, contritio, inquit, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

10. Asserit, rursus intra Ecclesiam non esse bonos, & malos, sed solos bonos ad eam pertinere.

11. Docet, neque Apostolos, neque eorum Successores Prælatos Ecclesiæ, habere à Christo authoritatem condendi Canones, sive Leges.

12. Item Ecclesiam ipsam, hoc est, Ecclesiasticos Viros, nullas posse, nec debere divitias possidere, nec agros, nec possessiones ullas: quia (ùt ait) Apostoli, quibus primores Ecclesiæ successerunt, pauperes fuère, nihil penitùs possidentes; persuadens interim Principibus, ut bona Ecclesiastica diripiant, quod in multis Germaniæ superioris, & Galliæ opidis factum esse per suos asseclatores, nemo non novit.

13. Dicit quoque, in Eucharistia post factam Consecrationem manere eundem panem, qui ante Consecrationem ibidem erat: hac ratione motus, quòd sæpe in novo Testamento hoc Sacramentum appelletur panis, uti in Actibus Apostolorum dicitur: una autem Sabbathi, cùm convenissent ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum. Et in prima ad Corinth. Epistola: Panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini est? quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus, ùt in eadem Epist. quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Sic ergò dicit Lutherus esse verba Consecrationis intelligenda: Hoc, id est, hic panis est Corpus meum: hic, id est, hoc vinum est Sanguis meus. Verba namque Divina (inquit) accipienda sunt juxta Gramaticæ nudam intelligentiam: ita ut non liceat ei per Angelum, neque per hominem vim ullam fieri, ne detur occasio Adversariis Scripturas eludendi. At vis (ait) fit Verbis Divinis, si quod Christus dicit panem, hoc nos dicamus panis accidentia intelligi: & quod ille vinum vocat, hoc nos dicamus esse tantùm vini speciem. Omnibus ergo modis (inquit) panis, ac verum vinum superest in Altari, ne verbis Christi fiat vis, si species sumatur pro substantia. Nullum enim transsubstantiationis (inquit) Evangelistæ fecère mentionem. Sed hoc recens quoddam inventum est, nempe trecentenarium (ùt ait) nec ampliùs. Ecce quibus præstigiis confidit Lutherus seducere tot sapientes Viros, quot sunt in Ecclesia. Credit fortè omnes nos infantes esse adhuc in cunabulis, ùt similibus næniis decantatis valeat nos dementare.

14. Asserit prætereà ad Eucharistiæ receptionem, & præparationem non oportere fieri per peccatorum suorum discussionem, & eorundem confessionem; nec ullam pœnitentiam requiri, sed solam fidem, quâ scilicet credant, & confidant accedentes, se gratiam ibi consecuturos. Ejus verba sunt hæc: magnus error est eorum, qui accedunt ad Sacramentum Eucharistiæ, huic fiduciæ innixi, quòd sint confessi: quòd non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis: quòd præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi judicium sibi manducant, & bibunt. Sed si credant, & confidant, se gratiam ibi consequuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos. Hæc Lutherus.

15. Lutherani etiam docent, Corpus Christi verum non esse in Evcharistia, nisi tantùm in usu, hoc est, quando quis utitur eâ, accipit, & edit. Aliàs autem extra Communionem Corpus Christi in ea non esse, contendunt: ideóque eam non esse unquam servandam in Altari, aut in quocunque alio loco post Missæ celebrationem propter quamcunque futuram necessitatem.

16. Item docet Lutherus, necessariò oportere unumquemque Christianum, cujuscunque conditionis sit & sexûs, sub utraque specie panis scilicet & vini communicare: adeò quidem, ut qui sub una tantùm specie communicat, etiamsi laicus sit, eum peccare asserat, quòd (ùt ait) contra Christi præceptum agat, quia sub utraque specie communicare suis præcepit, cùm ait: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

17. Ait rursus, excommunicationem non solùm non esse timendam, sed cum gaudio suscipiendam, & procurandam.

18. Docet quoque, sola fide justificari homines, eaque de causa ait, opera non esse necessaria ad vitæ æternæ assecutionem: quòd si fiant, nullo pacto hominem indè justificari contendit.

19. Docet etiam, fidem amitti per quodlibet peccatum mortale. Hæc porrò hæresis necessariò sequitur ex proxime præcedenti: nam si sola fides (ùt ait idem) justificat, ergo omnis fidelis est justus: & inde ulteriùs sequitur etiam necessariò, quòd nullus, qui non est justus, sit fidelis. Putat enim Lutherus ex fide necessariò nasci charitatem, & tantam esse fidei & charitatis connexionem, ut altera sine altera esse non possit. Verba enim Lutheri in libro de decem Præceptis sunt hæc: in nullo alio meliùs deprehenditur fides, quàm in operibus charitatis, dicente Domino: in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Et in libro de libertate Christiana iterum ait: Deus Pater in fide omnia posuit, ut si quis hanc habuerit, omnia habeat. Hæc Lutherus.

20. Adstruit, nullo pacto licere fiduciam gratiæ aut gloriæ assequendæ collocare in nostris operibus.

21. Item, quòd omnia quæ fiunt, tam absoluta necessitate fiant, ut impossibile sit aliter fieri, quàm fiunt.

22. Docet omnem hominem justum scire se esse in gratia, ac esse certum de sua justitia.

23. Ait, jejunium nullius esse meriti apud Deum. In cujus erroris Confirmationem, illud Pauli, non sanè ab eo intellectum, affert: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.

24. Et cùm Purgatorium admittat, negat tamen ullam fore pro peccatis satisfactionem. Dicit enim illum obligatum non esse ad alicujus pœnæ satisfactionem, qui à culpa fuerit absolutus: indéque adeò eum liberum esse ab omni pœna. Ex quo colligit, indulgentias nullius esse momenti: sed eas asserit pias esse fraudes fidelium.

25. Dicit non licere Christianis, petere coram judice injuriæ reparationem, quamvis is ipse suis in scriptis mille convitiis afficiat, qui vel extremis digitis (ut dicitur) eum tetigerit.

26. Eos, qui prædicationi Verbi student, non vult ad laborem manuum arctari, reliquos autem omnes cujuscunque fuerint conditionis, cogunt Lutherani, ut artificiolo aliquo victum sibi comparent: adeò quidem, ut apud eos non liceat ullo pacto ex mendicitate vivere, ne Monachis quidem Ordine & Professione mendicantibus.

27. Docet, hominis arbitrium non esse liberum, nec habere ullam activitatem in suis operationibus: quòd non illud hominem agere, sed potiùs pati contendat.

28. Quinimò hominem post Divinæ gratiæ amissionem, asserit non posse aliud facere, quàm peccare.

29. Dicit, mendicitatem esse lege Divina prohibitam.

30. Item nullum esse hominis meritum ad gloriam consequendam. Tantum enim gratiæ tribuit, ut nullum locum relinquat libero arbitrio.

31. Non solùm negat Missam esse à Christo institutam, sed eam præterea negat esse Sacrificium: imò, quod multò pejus est, illam negat esse aliquod bonum opus, tanto odio illam prosequens, ut adversùs eam librum scribere non erubuerit, cui titulum fecit, de abroganda Missa. Ejus verba eo in libro sunt hæc: Missæ, quas Sacrificia vocant, summa sunt idololatria & impietas: imò Missarum usum nomine Sacrificiorum & Sacerdotum titulo tenere, est negare Christum. Et in Libro de Captivitate Babylonica: impiissimus abusus est (inquit) in Ecclesia persuaderi, Missam esse opus bonum & Sacrificium. Et rursùs in eodem Libro: Missa est summa perversitas. Hæc Lutherus: quæ profectò tam blasphema, tamque horrenda sunt, ut hoc in loco citare noluissem, nisi ipsa me ejus perfidiæ & imposturæ commonstrandæ ratio ad hoc adegisset, & ut lector inde perpendat, nihil à me confictum Luthero mendaciter tribuere, sed id solùm referre, quod ille suis propriis verbis explicuit.

32. Dicit præterea Missam non posse offerri pro peccatis, nec posse prodesse vivis aut defunctis, sed soli Sacerdoti, imò impium esse asserit, si Missa canatur pro peccatis.

33. Item asserit, non esse licitum hominem adstringere ad aliquid agendum, præter id quod dominus nobis præcepit, sed liberè esse vivendum cuilibet, & non sub legibus humanis: quapropter liberam tribuit Monachis potestatem, exeundi à Mona-

ste-

fteriis, & uxoris ducendæ, si velint. Imò in plurimis & Germaniæ, & Galliæ oppidis Monachi adacti fuêre propria deserere Monasteria, quòd in illis deque eis tutum non esset, nec permissum, nisi exutâ cucullâ, & uxore ductâ.

34. Cum Pepuzianis asserit, Mulieres justè posse ad Sacerdotium promoveri.

35 Docet, in nuptiis nullum fore Sacramentum: illam maris & fœminæ indissolubilem conjunctionem esse Sacramentum inficians: neque per eam ullam DEI gratiam conferri &c.

36. Negat insuper, Prælatis Ecclesiæ præstandam esse obedientiam, nisi in his solùm, quæ in sacra Scriptura sunt apertissimè expressa; quò scelerati & facinorosi homines faciliùs ac liberiùs, quæ volunt scelera, perpetrent: verentes interim, ne propter eadem sua facinora & venenosas doctrinas, quas ubique locorum disseminant, ab Ecclesiæ Prælatis, juxta illis à Christo collatam potestatem puniantur.

37. Non ei sat fuit, humana opera rejicere tanquam ad salutem consequendam inutilia (ùt ait) nisi illa quoque damnaret, asserens omnia opera cujuslibet hominis, quantumlibet etiam recta sint, esse peccata. Justum quippe hominem dicit peccare in omni bono opere, sed solam ait fidem sine operibus sufficere ad vitam æternam consequendam. Nam si bona opera nostra (ait) mererentur vitam æternam, non solis Christi meritis salvaremur.

38. Ordinis porrò Sacramentum sic tractat, ut illum ab Ecclesia procul rejicere conetur. Dicit enim, Ordinem neque esse Sacramentum, neque in eo esse ullam imparitatem, ut unus Ordo sit alio vel dignitate, vel potestate major aut eminentior: sed omnes Christianos dicit esse in eodem Ordinis gradu.

39. Adeò autem Papæ odium imbiberat, ut, si etiam in cineres redigeretur, ad eum insectandum revicturum se putaret, & assereret. Omnium enim suorum scriptorum is unus est scopus, ut Papam si posset, à sua Sede dejiciat ac deturbet, omnémque quam à Christo habet in terris potestatem, adimat. Et ut hoc consequeretur, nihil intentatum reliquit, nullúmque non movit lapidem. Nam pro hac re tuenda, totam Ecclesiæ domum subruere & funditùs evertere modis omnibus curavit. Dicit enim, Pontificum nomen prorsus inane esse, nec quicquam re aliud esse, quàm Regnum Babylonis, & potentiam Nembroth robusti venatoris: mera tyrannide factum fuisse asserens, ut Papa super reliquos Episcopos fuerit exaltatus.

40. Negat, esse tres pœnitentiæ partes, sed optimam pœnitentiam dicit esse novam vitam. Quem errorem ex suo cudit cerebro, nec ex alterius vetustioris hæretici officina deprompsit, cujusmodi sunt tres, aut quatuor ex illis penè innumeris, quos suis libris inserit, quos non exhausit ex putidis illis veterum hæreticorum lacubus, qui jam olim ab Ecclesia exacti fuêre.

41. Imò ait: eam pœnitentiam, quæ ex timore gehennæ oritur, esse non solùm inanem, verùm etiam noxiam.

42. Docet, nullum esse in tota Lege Evangelica præceptum: ad hunc solum finem universam suam doctrinam dirigere visus, ut homines ab omni via veritatis avertat, & ad quævis pertrahat, atque impellat flagitia.

43. Item ait, Deum nobis præcepisse servatu impossibilia, de duobus præceptis Decalogi exemplum proferens, de præcepto videlicet dilectionis Dei, & de præcepto non concupisces. Hæc enim duo dicit non posse hæc in vita servari.

44. Quamvis purgatorium fateatur, negat tamen, illud in sacris litteris ostendi posse. Qua in re satis mirari nequeo, quo pacto suæ sententiæ fuerit oblitus Lùtherus, qua docet, nihil esse credendum, quod apertè ex sacris litteris non possit colligi.

45. Docet rursus, animas in purgatorio posse adhuc mereri, ac demereri: indéque tanquam ex corrupto fonte aquam hauriens, colligit, illas non esse de sua salute securas.

46. Docet item, animas in purgatorio sine intermissione peccare, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas: eò quòd (ùt ait) quærant, quæ sua sunt, contra Dei voluntatem.

47. Asserit, omnes Christianos esse Sacerdotes, & æqualem omnes obtinere potestatem. Nulla prorsus status, aut sexûs discretione habita: ita tamen, ut nemini liceat illa potestate uti, nisi ex communitatis consensu: quia (ùt ait) quod est omnibus commune, nullus sibi singulariter vendicare potest, nisi vocetur. Potestas ergo hæc, juxta Lutheri sententiam, primò ad Communitatem ipsam derivata fuit, deinde ab ipsa Communitate in eum, qui Sacerdotio fungeretur. Verba Lutheri in libro de captivitate Babylonica sunt ista: esto itaque certo certior, & se se talem agnoscat, quicunque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & Sacramento quocunque potestatem habere. Hæc Lutherus. Deinde dicit, nihil esse Sacerdotium, nisi potestatem concionandi, & Sacerdotis officium consistere in sola doctrina.

48. Ecclesiam autem irridens, quòd cogat Sacerdotes abstinere ab uxoribus, eorum cœlibatum reprehendit, dicens: eos cœlibes esse non debere. Ut verò quod verbo docebat, opere confirmaret (quemadmodum infrà in ejus vita dicetur) Monialem quandam seductam matrimonio sibi copulavit, ex qua etiam aliquos suscepit filios. Cujus exemplo motus idem fecit Joannes Oecolampadius, qui Monachus fuerat Divæ Brigidæ.

gidæ. Eidem errori adhæsit verbo & opere Wolfgangus Capito Argentinensis. Quo mortuo, ejus uxorem accepit Martinus Bucerus Monachus & ipse Ordinis Sancti Dominici. Et hoc idem fecerat Andreas Carolstadius, idemque fecerunt ferè quotquot Lutherano nomine censentur Sacerdotes, & Monachi.

49. Negat, ullum Sacramentum conferre gratiam suscipienti, quantumlibet ad illud suscipiendum animam suam quis præparet. Ejus verba sunt hæc: Hæretica est, sed usitata sententia, Sacramenta novæ Legis conferre gratiam his, qui non ponunt obicem. Hæc Lutherus.

50. Docet, Sanctos non esse honorandos ab hominibus, neque invocandos: quò sic vel tandem hic viventes, Sanctorum, qui in cœlis sunt, defraudet auxiliis.

51. Docet, non opus esse peccatori ulla satisfactione pro peccatis commissis, ac perpetratis: quòd (ùt ait) dimissa culpa, omnis etiam pœna, quæ culpæ debebatur, remissa quoque fuerat.

52. Quantum verò ad Scripturas sacras spectat, D. Jacobi Epistolam non recipit, cujus rei causam infrà in ejus vita videre licet.

53. Dicit etiam scientias speculativas, errores esse dicendas.

# QUÆSTIO DECIMA.

## *Quibus Doctoribus Novatores successerint?*

ASsertio: Novatores in doctrina tradita non Orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus, sed diversis olim damnatis hæreticis, saltem in variis dogmatibus defendendis successerunt, in aliis autem ab ipsis recesserunt: consequenter fidem non merentur.

166. Ostenditur primò exemplis quoad Lutherum. Simon Magus nihil libro arbitrio, sed cuncta fato fieri docuit, (Clemens *lib.* 3. *Recognition.*) Lutherus in *Assertionib. art.* 36. *de servo arbitrio*, contra Erasmum, & Calvinus in *Instit.* idem docuerunt. Gnostici Christum ignorantem, & quasi sub cujusdam Pædagogi ferula alphabetum didicerit, finxêre (Irenæus *lib.* 1. *cap.* 17.) Lutherus concione de Natali Domini, & Joan. Calvinus ad *cap.* 24. *Matthæi*, Christum ignorantiæ subjiciunt.

167. Prodicus dicebat, non esse orandum (Clemens Alexandr. *lib.* 5. *Stromat.*) Lutherus *lib. de piis Ecclesiæ cæremoniis*, non existimemus, ait, placari Deum multo murmure, aut recitatione precum, ùt hactenus observatione cæremoniarum factum est: cui convenit Joan. Monhemius *Dialogo* 6. non nostras exigit preces Deus.

168. Cerdon & Marcion Apocalypsin Joannis rejiciebant (Tertull. *de Præscriptione adversus hæreticos cap.* 51.) Lutherus in suis Bibliis Apocalypsin non eodem, quo cæteros Scripturæ libros, loco ponit, & de ejus authoritate dubitat. Econtra Lutherus à prædictis hæreticis recedit quoad alia puncta ab ipsis defensa: puta, quòd statuerint duos Deos, unum sævum & ignotum, qui Mundum, & vetus Testamentum fecerit; alterum bonum & cognitum, qui fuerit Pater Christi: quòd Christum dixerint, in phantasmate natum, & passum esse: Prophetias, Legem, & Evangelia, præterquàm Lucæ, & Acta Apostolorum rejecerint: animæ, non carnis, resurrectionem asseruerint.

169. Montanistæ pœnitentiæ virtutem sustulerunt, erubescentes confiteri peccata sua quasi justi (Hieronimus *ad Marcellam*) Idem sentit Lutherus in *Captiv. Babylonica*, & in *Assertionibus*: nec non Calvinus in *Institutionibus* &c. Nec tamen isti Novatores approbant alia Montanistarum, v. gratia quòd tres Salvatores admiserint, Trinitatem in unam personam redegerint, nuptias pro fornicationibus habuerint, mortuos baptizârint, Prophetas arreptitios fuisse judicârint &c.

170. Novatiani iis, qui baptismum ab ipsis accepêre, sacrum chrisma non præbebant (Theodoret. *l.* 3. *hæretic. fab.*) quod etiam adhibere recusant tam Lutherani, quàm Calvini: cùm tamen isti Novatianis in eo, quòd pænitentiam agentibus absolutionem, & communionem denegent, assentiri nolint.

171. Donatistæ defendere non erubuerunt, Catholicam Ecclesiam apud se esse (velut notatum est supra *num.* 109. anteà toto Orbe terrarum periisse, nullam rationem Episcoporum, sive Galliæ, sive Italiæ, sive Urbis Romæ habendam esse: Eucharistiam jubebant canibus dari: ampullam chrismatis per fenestram projici: Altaria everti: calices frangi: Sacerdotum capita, ut sacram unctionem aufferrent, radi: Virginum velata capita nudari (Optatus Milevitanus *lib.* 1. 2. & 6. Augustinus *hæresi* 69.) an non similia, vel eadem docuerunt, fecerùntque Lutherani, & Calviniani? & tamen à Donatistis deflectebant in eo, quòd isti (testantibûs Augustino, & Theodoretô *de Donatistis*) asseruerint, Sacramenta solùm sancta esse, quando per Sanctos ministrantur; virtutem Baptismi à baptizante pendere.

172. Eunonius, præterquàm, quòd multitudini, antiquitati, & dignitati Christianorum quicquam deferendum esse negârit, usque adeò bona opera detestatus est, ut asseve-

severare non vereretur, nihil cuiquam obesse quorumcunque perpetrationem, ac perseverantiam peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur fidei particeps esset (Augustinus *hæresi* 54.) Aerius Presbyter, in ambitu Episcopatûs repulsam passus, ab Ecclesia defecit, docuitque, viventium orationes, eleemosynas, jejuniaque nihil defunctis prodesse, prohibendo singulariter jejunia quartæ, & sextæ feriæ, Sabbati, ac Quadragesimæ; dicendo econtra, jejunandum esse, cùm libuerit, ne videamur esse sub Lege: præterea nullam inter Episcopum & Presbyterum differentiam concessit (Epiphanius, Augustinus, Isidorus, & Damascenus *de Aërianis*) Lutherus & Calvinus haud dissimilia docuerunt, quamvis in quibusdam aliis ab Eunomio, & Aërio dissenserint.

173. Julianus Apostata Christianos carpebat, quòd signum Crucis in honore haberent: Christi imaginem destruxit, suam substituit (Cyrill. Alexandrin. *l. 6. cont. Julian.* Sozomenus *l. 5. cap.* 20.) Lutherani & Calvinistæ an non eodem morbo laborant? Quòd autem Julianus à Christo ad diabolum defecerit; magicas artes coluerit; omni malorum genere se contaminârit, & Christianos bello persecutus fuerit, hoc utique Lutheranis, & Calvinianis non placebit.

174. Massiliani negârunt, Baptismum, & Eucharistiam aliquid prodesse ad animæ sordes expiandas: & in Clericorum Ordinationibus Spiritum Sanctum suscipi. Ecclesias quoque, ac Altaria despexerunt (Theodoret. *hæretic. fab. l.* 4. Damascen. *hær.* 88.). Luthero & Calvino erat par opinio, tametsi in reliquis cum Massilianis non convenerint.

175. Jovinianus, omnia peccata æqualia esse, dixit (Augustinus *hæres.* 82.) Lutherus in *Resolutionib.* tenet, nullum dari peccatum de sua natura veniale, sed omnia damnabilia esse. Rursus Jovinianus Virginitatem Monialium, & continentiam sexûs virilis in Sanctis, eligentibus vitam cœlibem, conjugiorem, atque fidelium meritis exæquavit. Idem ratificat Lutherus *lib. de vita conjugali*, & adversus Ambrosium Catharinum. Econtra Lutherus non probat assertum Joviniani, quòd Maria pariendo fuerit corrupta, & hominem post Baptismum non posse peccare. Similiter Lutherus de vita conjugali cum Helvidio consensit in eo, quòd iste (ùt habet Hieron. *adversf. Helvid. c.* 10.) virgines, & maritatas in gloria parificaverit: non autem in hoc, quòd MARIA, post partum Christi, Josepho Viro suo fuerit copulata, & ex illo filios genuerit, qui fratres Domini dicuntur.

176. Pelagianorum doctrina est: credamus, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere (August. *de natura, & gratia, cap.* 39.) Sic Lutherus in Epist. *ad Galatas*: non alia doctrina in Ecclesia tradi, aut audiri debet, quàm purum verbum Dei. Item Pelagiani nullum in pueris peccatum agnoscunt (Augustinus *de peccatorum meritis, & remissione, lib. 1. c.* 9.) Zwinglius *lib. de Baptismo*, & Oecolampadius *responsione ad confessionem Lutheri*, pariter originale negant. Rursus; quia secundùm Pelagianos parvuli peccato originali carent, eos sine Baptismo decedentes salvari asserebant: Calvinus, Beza, & Lutheranorum multi idem admittunt. Attamen quædam alia Pelagianorum dogmata omnino respuunt.

177. Nestorius veterum Interpretum scripta perdiscere dedignatus est, se ipsum omnibus antecellere existimans (Socrates *lib. 7. cap.* 32.) Talia etiam Lutherus, Calvinus &c. blaterant. Calvinus *lib. 1. Instit. cap. 13. §. 9.* &c. Præterea cum Nestorio duas in Christo personas adstruit, unam Filii Dei, alteram Mediatoris. Hoc tamen Novatores illi non probant, quòd Nestorius dicat, B. Virginem purum hominem genuisse, qui posteà provectus sit in Deum.

178. Eutiches gesta Concilii Ephesini pro nihilo habuit (Flavianus Constantinop. *Epist. ad Leonem Papam*) nec plus authoritatis Lutherus, Calvinus &c. tribuunt. Juxta Eutychen. Divinitas Verbi nata, passa, mortua, & sepulta fuit (Leo *Epist.* 46. 47. 49. 52.) nec diversum docuit Lutherus *de Concil. lib.* 2 Libro proprio edito, & approbato ab Andrea Musculo, Caspar Schwenckfeldius *part.* 2. *Confessionis pag.* 59. 72. 73. 92. 128. 145 & *Tom.* 1. *Epistolar. Epist.* 46. 47. 49. 52. & *Libro de Totitate Christi*. Cum Eutyche tamen non docent, ante inhumanationem Christi duas naturas fuisse, post inhumanationem verò unam naturam factam: item Corpus Domini, quod ex MARIA factum est, non esse nostræ substantiæ.

179. Jacobitæ confessiones peccatorum suorum non sacerdoti, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus juxta se in igne, tanquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino (*Jacobus Vitriacus Hist. Oriental. cap.* 76. Buchingerus *in Ecclesiastica Historia*, Guido *de hæres.*) Etiam Lutherus, Calvinus &c. necessitatem, peccata coram Sacerdote confitendi, refellunt. Isti tamen non probant, quòd (ùt testantur *Vitriacus, Guido, & Lutzenburg*) parvulos suos in utroque sexu more Saracenorum circumcidant, & ferro candente baptizatorum frontibus signum Crucis inurant.

180. Mahometani Crucem abominantur, Christianos eam adorantes appellant idololatras: Deum omnis mali auctorem statuunt latrones veneficos, aliósque vetiti facinoris convictos à Deo ad hoc dicunt certo consilio destinatos, ut sic morerentur (*Alcoranus Mahometicus*, *Cedrenus in Heraclio*) Lutherum, Philippum, Calvinum, Bezam, eadem scripsisse, monstrari potest. Isti tamen

non

non probant, quòd secundùm Alcoranum Deus sit, qui nec genuit, nec genitus sit: Christus sit creatura & servus, cujus loco tamen alius in Crucem sit actus: & Mahometani pro defunctis orent: necnon purgatorium credant &c.

181. Iconomachi Sanctorum imagines dejiciunt, confringunt, comburunt (Zonoras, Cedrenus, Nicephorus *de Iconomachis*) nonne idem fecerunt Lutherani, Calviniani, Trinitarij?

182. Græci à Photio seducti, & perimmane schisma ab Ecclesia Romana dismembrati, Romani Pontificis Primatum impugnant, Sacerdotes conjugatos tolerant, laicos sub utraque specie communicant, utuntur in Sacrificio pane fermentato, negant purgatorium, excommunicant Latinos: Lutheranis, & Calvinistis hæc eadem arrident: esto alia Græcorum non probent, v. g. quòd doceant, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere: non solùm fidem, sed etiam opera ad justificationem requirant: liberum arbitrium agnoscant: tempore Quadragesimæ præter carnis, etiam à piscibus, & vino abstinentiam servent: Sanctos invocent: imagines venerentur: septem Sacramenta recipiant: signo Crucis, chrismate, & pluribus, quàm Romani, cæremoniis utantur: Transsubstantiationem in Eucharistia fieri credant, illámque adorent: infirmos sub una specie domi privatim communicent: Sacerdotes eorum cum ea solùm uxore vivant, quam adhuc laici duxerunt, & eam virginem, non viduam, monogami non bigami: post susceptos verò sacros Ordines nulli uxorem ducere apud eos liceat: defunctâ primâ illâ uxore, aut cœlibes manere debeant, aut Sacerdotio cedere: Monasticam vitam laudent: veterum Græcorum, ac Latinorum Patrum scripta magni faciant.

183. Waldenses (ùt de ipsis referunt Guido, & Antonius) negant, obediendum esse Romano Pontifici, imò totum Romanæ Ecclesiæ Statum in Capite, & membris damnant, rejectis omnibûs Pontificum Canonibûs, Decretis: potestatem confessiones audiendi, & absolvendi laicis datam esse propugnant: Indulgentias per Prælatos Ecclesiæ dandas irrident: Purgatorium quoque, veráque miracula in Ecclesia fieri, inficiantur: dies festos, & Salutationem Angelicam contemnunt, Sanctos invocare nolunt. Cum his Waldensibus Lutherani, & Calvinistæ quantum ad relata concordant: discordant autem ab iisdem, in quantum Waldenses Symbolum Apostolorum spernunt: omne juramentum pro illicito habent: urente carnis libidine, omnem carnalem commixtionem concedunt: nullum omninò sanguinis judicium, aut cujuscunque corporalis supplicii ferunt.

184. Albigenses defendunt, nihil mortuis prodesse, quidquid vivi ipsis impendant; ire ad Ecclesias, in iisque orationes fundere, nihil conferre: non esse in Ecclesia potestatem condendi constitutiones, vel excommunicandi: Extremæ Unctionis Sacramentum nihil esse: peccatum non procedere à libero arbitrio: non esse confitendum: Purgatorium nullum extare (Cæsarius Heisterbachius *lib.* 5. *cap.* 21. Antonius 4. *part. tit.* 11. *c.* 7.) Lutheranis & Calvinistis eadem placent. Displicebit autem, quòd Albigenses (ùt testantur primùm allegati Authores) duo principia, seu duos Deos statuant, unum bonum, alterum malum: Baptismum contemnant: transmigrationem animarum de uno corpore in aliud adstruant: Christum nec ùt verum Deum, nec ùt verum hominem agnoscant; dicant etiam, ante Christi adventum nullos fuisse bonos: Ecclesiam non possidere aliquid, nisi in communi: corpora non esse resurrectura: infernum nihil esse: mundum semper fuisse, nec unquam interiturum: matrimonium esse malum.

185. Almaricus prætendit, corpus Christi non aliter esse in pane Altaris, quàm in alio pane: & thurificationem, qua in Ecclesiis utuntur, idololatriam vocabat (Vincentius *in speculo historiali*, Bernard. Lutzemb. *de hæresibus*) Lutherani, & Calvinistæ ab ista doctrina non dissentiunt.

186. Lollardi Missam improbant: Sacramentum Pænitentiæ negant: laicis peccata confitentur: Hostiam consecratam Deum flictitium appellant: Extremam Unctionem irrident, jejunia, Romanam Ecclesiam contemnunt: similiter Sanctorum invocationem: carnibûs quovis tempore vescuntur: dies festos negligunt: (Joan. Trithem. *in Chronico Hirsaugiensi de Anno* 1315.) quòd hæc non sint aliena à Lutheranis, & Calvinistis, ipsi optimè nôrunt. Lollardis tamen nolunt confœderari, dum illi dicunt, Luciferum cum suis asseclis cœlo injuriâ pulsum, tandémque beatitudini restituendum: Michaëlem, omnésque Angelos æternis cruciatibus deputandos, homines ab eorum secta alienos similiter esse damnandos. MARIÆ virginitatem negabant: Baptismi Sacramentum explodebant: Matrimonium juratum meretricium nuncupabant: Deum, dicebant, nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fierent, & sic virgines sub terra non posse deflorari, etsi à mille viris cognoscerentur, neque tale stuprum peccatum esse.

187. Flagellantes aquam benedictam tanquam nullius efficaciæ rejiciebant: Sacramentum quoque Confirmationis nihili faciebant: in Sacramento Altaris Corpus Christi contineri negabant: Sacerdoti mortalia crimina confiteri inutile esse judicabant: Extremæ Unctionis Sacramentum exterminabant: Purgatorium etiam non esse asserebant, item indicta ab Ecclesia jejunia impro-

probabant (Bernardus Lutzemburg.) Lutherus, & Calvinistæ nunquid in his se conformant? Displicebit autem ipsis, quòd Flagellantes (eodem teste) se ipsos virgis conciderint: prædicârint, neminem salvari posse, nisi in sanguine de proprio suo corpore excusso baptizaretur (eò quòd Baptismus aquæ mutatus fuerit in Baptismum sanguinis) postquàm ipsorum secta advenisset, Evangelium Christi, & Sacerdotium Ecclesiæ cessare: quemdam Begardum de Heruordia fuisse Heliam: Enoch verò fuisse quemdam Conradum Smeth, qui istas hæreses primus in Thuringia seminavit: quem etiam in ultimo judicio Christi locò sessurum dicebant: omnium animas simul in paradyso creatas esse: licere fidem dissimulare &c.

188. Marsilius Patavinus Presbyterum cum Episcopis, ipsoque Papa quoad potestatem æquabat: imò negabat, Christum post Ascensionem suam aliquem Vicarium reliquisse: volebat, Papam ab Imperatore judicari posse, sicut Christus à Pilato, & à Cæsare judicatus fuit (Bernardi, Lutzemb. *de hæres.*) nonne & hæc Lutheranorum, & Calvinistarum palato optimè sapiunt?

189. Joan. Wiclefus (velut constat ex erroribus ejus Constantiæ damnatis) tenuit, substantiam panis & vini in Sacramento Altaris remanere: peccatorum confessionem esse superfluam & inutilem: vitam Monasticam non esse probandam: Pontificum, ac Conciliorum Decreta esse nihili habenda; sicut etiam Indulgentias: eos, qui Ecclesias ditârunt, reprehendit: omnia fieri necessitate absolutâ, docuit. Quid hîc discriminis ostendes inter doctrinam Lutheranorum, & Calvinistarum comparatione facta ad Wiclefum? Sed utique *non docebunt cum* Wiclefo, quòd *Deus debuerit obedire diabolo*: contra *Scripturam pugnet*, si Viri Ecclesiastici habeant possessiones: nullus sit Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali: juramenta sint illicita, humanis contractibus corroborandis adjecta: Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sint, nisi pænituerint, quòd habuerint possessiones.

190. Joannes Hufs negavit, Petrum fuisse Caput Ecclesiæ Catholicæ, aut Romanum Pontificem ullum fuisse tale Caput. Papalem Dignitatem à Cæsare inolevisse, mussitavit: obedientiam Ecclesiasticam nullam debere esse, subjecit: Joannis Wiclefi articulos perperam damnatos fuisse, temerariò censuit. An non Lutherus, & Calvinus eadem dogmata evulgârunt?

191. Quòdque Joannes Hufs, & Joan. Wiclefus de Deipara Virgine Maria longè consonantiùs cum Catholica Ecclesia, quàm Lutherus, senserint, palam fit primò ex *fidei elucidatione*, in qua Joan. Hufs ita loquitur: Rogo etiam pro meis iisdem accusatoribus Virginem castissimam Genitricem Salvatoris, Reparatricem generis humani, Reginam Cœli, quæ ex titulo gratiæ, naturæ superadditæ, Angelicam naturam superat; quæ intra omnes beatos, citra suum Filium, est beatior, singulari privilegio gloriosior, gratiâ, & dotibus gloriæ fœcundior: de cujus plenitudine, ait Bernardus, accipiunt universi: ægri curationem, tristes consolationem, Angeli lætitiam, Filius Dei humanæ carnis substantiam, tota Trinitas gloriam. Accordant, quæ Joan. Hufs habet in *Quæstione de credere*: & *de corpore Christi in Sacramento Altaris*, quo ultimo loco dicit: Virgo Mater Christi incomparabiliter dignior est me Sacerdote, & sic quolibet Sacerdote, non JEsu Christo, eò quòd genuit verum Deum &c. & ex eo se dignam constituit exaltatione super omnes chòros Angelorum, & hominum infra Christum. Hinc in replicâ *contra Prædicatorem Plznensem* (qui mirabatur, cur Sacerdotes, cùm sint Virgine Matre Christi digniores, invocent ejus auxilium) Ha ha nequam & superbe Sacerdos, exclamat, audes intercessionem, protectionem, & susceptionem à Matre Redemptoris dignissima petere, & temetipsum super Regina Mundi, Angelorum Dominâ, & Portâ Cœlesti ex corde avaro, & tumido exaltare? Disce à muliere, quæ extollens vocem, Sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum confudit superbiam, dicens ad JEsum: *Beatus venter, qui te portavit: & ubera, quæ suxisti &c.*

192. Wiclefus *Serm. de Assumptione Mariæ*, hìc mihi videtur, inquit, quòd impossibile est, nos prœmiari sine Mariæ suffragio: verumtamen sunt gradus in ejus auxilio, ut quosdam etiam præstitos juvet ad cavendum peccata, vel eorum gravedinem, & per consequens ad pœnæ mitigationem.

193. Quid autem Lutherus de MARIA? Sumus pares (ait *Sermone de Nativitate MARIÆ*) Matri Christi, & æquè Sanctis, sicut illa. Si credis, æquè in te ac in MARIA, DEUM habitare, non minus, tibi quàm illi, proclive est, ut me adjuves. *In postilla Dominica prima ab Epiphania* Lutherus sic fabulatur: „ En MARIA DEIpara eousque erravit, „ ut nesciret, ubi Christus quærendus esset. „ Et quis inter homines major fuit peccator, „ quàm hic est ipsa Mater DEI? Ad *Waldenses* dixit: non possum vos habere pro hæreticis, quòd DEI Matrem non invocatis. *Tom. 4. Germanico fol. 132. ad 14. cap. Joannis* dicit: „ Si venerit uspiam vel Monachus, „ vel Diabolus, vel Sectarius quispiam Spiritus, qui terrere te volens, dicat: DEUS „ severus est, & iracundus Judex: invocanda „ tibi est MARIA, & dicendum: MARIA „ *Mater Gratiæ Mater Misericordiæ &c.* „ hinc fides certior, hujusmodi doctrinam non „ nisi diabolicum mendatium, & lethale ve„ nenum esse.

194. Joan. Huss ad *cap. 3. prioris Epist. D. Petri* confitetur Angelorum Hierarchiam & Ordines: negat Lutherus in *Captivitate Babylonica cap. de Ordine*, asserens, ea, quæ Diony-

nysius in *Cœlest. Hierarchia* de Angelis comminiscitur (in quo libro, ait, sic sudârunt curiosa & superstitiosa ingenia) quâ rogo ratione & auctoritate probat? Nonne omnia illius sunt meditata, ac propè somniis simillima &c.

195. Joan. Huss *Sermone Pragæ habito in Synodo ad Clerum*, fatetur etiam, Sanctos esse in cœlo: negat Lutherus ad *cap.* 25. *Genes.* Magnum discrimen est, inquiens, inter Sanctos dormientes, & Christum regnantem. Illi dormiunt, & nesciunt, quid agatur, & tamen quiescunt.

196. Joan. Huss *Epist.* 22. *ep.* 30. & 35. admisit Sanctorum merita, patrocinia, intercessiones, & invocationes *cit. ep.* 22. dicens: Petrus & Paulus gloriosi Martyres sic juncti Regi gloriæ dignentur pro nobis intercedere, ut ipsorum auxiliô fortes facti, simus eorum gloriæ consortes humiliter patiendo. Item *ad Psal.* 115. Sanctorum Reliquias venerandas esse concessit: sunt enim ex morte (ajebat) quæ est pretiosa in conspectu Domini, sanctificatæ. Wiclefus quoque *tract. de Euchar. cap.* 9. annuit, Sanctorum Reliquias esse cum prudentia adorandas. Etiam Joan. Przibravus *cap.* 33. profitetur de veris Sanctorum Reliquiis, quòd sint venerandæ & honestè conservandæ: eò quòd considerare debeamus, quanta gloria & quanto honore honorabuntur à DEO in æternum illæ Sanctorum particulæ, & quanto amore amabuntur hujusmodi corpora à DEO, & Sanctis ejus.

197. Idem Wiclef. *lib.* 18. *epist.* 45. Sanctorum Imagines venerandas esse, admittens, ait, quòd imagines tam benè quàm malè fieri possunt. Benè, ad excidandum, facilitandum, & accendendum mentes fidelium, ut colant devotiùs DEUM suum. In *Decalogo* super primo mandato *cap.* 15. sic loquitur: Licèt introductæ sint Imagines in Ecclesiam post firmitatam fidei primitivæ, ut sint libri laicorum, & signa recordativa singulis Christianis, ut adorent debitè Sanctos DEI: tamen in veteri Testamento hoc non licuit.

198. Joan. Huss contra *Imaginum adorationem*, ita se explicat: quia propter Imaginem Christi excitamur ad adorandum Christum, & coram Imagine adorationem nostram facimus, dicitur largè sumendo, quòd imaginem adoramus. Unde videtur mihi, quòd nec adoro Imaginem Christi, quia signum, nec quia Imago Christi; sed adoro Christum coram Imagine, quia est Imago Christi, & excitat me ad adorandum Christum &c. sicut adoraverunt Christum Patres vet. Testamenti in signo, & non signum. Unde dicens Ecclesia hæc verba: *Ave Rex noster*, non adorat ipsam Imaginem his verbis; cùm non dirigat illa verba, ad Imaginem, & specialiter nec intentionem, sed ad suum signatum. Similiter cùm dicit: *Tuam Crucem adoramus Domine*: dirigit verba ad Christum, signans, quia ipsum Christum Crucifixum adorat per Crucem. Ex quo patet, quòd quamvis coram Imagine Christi, vel alia cujuscunque Sancti, licitè possunt homines genuflectere, orare, offerre, candelas ponere, & sic faciunt: non tamen in nomine Imaginis, sed in nomine illius, cujus Imago est, illa debent facere: sicut & Imago non propter se, sed propter imaginatum, est coram hominibus sculpta, posita, vel depicta.

199. Quid Lutherus quo ad ista? *Sermone de Mammona*: Pro meritis, ait, Petri ne unum quidem obolum darem, ut me adjuvaret. Seipsum enim juvare non potest. Ad *Waldenses de Adoratione Sacramenti* dicit: Non possum vos pro hæreticis habere, quòd neque DEI Matrem, neque quemquam Sanctorum invocatis. Nam de Sanctorum mortuorum intercessione & invocatione nihil in scripturis extat. In *Postilla de Exaltatione S. Crucis* dicit: omnes Sanctorum Reliquiæ nihil aliud sunt, quàm fraudes & seductiones fidelium. Quare omnino infra terram defodiantur.

200. Quid Calvinus ad prædicta? *Lib.* 1. *Institut. cap.* 11. §. 3. juxta ipsum insaniunt illi, qui simulacra DEI & Sanctorum exemplô Cherubim defendere conantur. An non longè prudentiùs discretiùsque distinxit Joannes Huss? Hic idem Huss *de Ecclesia* Primatum Div. Petri tuetur *cap.* 9. ibi: Dictum B. Dionysii est verum, quòd Petrus fuit Capitaneus inter Apostolos, & fuit fundamentum Ecclesiarum: & dictum Augustini etiam est verum, quòd fuit primus inter Apostolos secundùm aliquam prærogativam &c. Et *Quæstione de credere fol.* 170. dicit: Non credendum est in Papam, vel in Auctoritatem Papæ: sed credendum est; quòd Papa sit immediatus Vicarius JESU Christi, & Supremus Sacerdos hic in terris ratione Officii, si & in quantum immediatus immitatur Dominum JESUM Christum, habens Auctoritatem absolvendi, & excommunicandi, Indulgentias dandi, & alia, quæ ad Claves pertinent, extremè faciendi. Item de *Ecclesia cap.* 7. hæc habet: quamvis Ecclesia Romana cœpit à Judæa, & Caput Ecclesiæ Christus fuit Martyrizatus in Hierusalem, tamen rationabiliter vocata est Ecclesia Christi secundùm quandam præeminentiam Romana Ecclesia, propter tria. Primò, quia Christus scivit gentes sub Romano Imperio Judæorum locô infideliter discedentium, inferendas, sicut dicit Apostolus *Rom.* 11. Secunda causa est, quia major multitudo Martyrum ibi triumphavit, quàm in alia Civitate. ergo concedi debet, quòd Romana Ecclesia est Sancta Mater, Ecclesia Catholica, Sponsa Christi.

201. Quid denuò Lutherus? In *Assertionibus art.* 25. omnes Apostolos æquales facit Petro: Et *Lib. de Potestate Papæ* ex professò negat, Petrum majorem esse cæteris Apostolis. Adhæc: in *Colloquiis Convivalibus fol.* 306. omnes, inquit, historiæ testantur, Petrum Romæ fuisse Episcopum: sed meræ sunt fabulæ. *Adversus Regem Angliæ*, Pa-

pa-

patus, ait, est Principis Satanæ pestilentissima abominatio, quæ unquam sub Cœlo fuit, aut futura est &c. Vivus Papæ hostis ero, exustus bis hostis ero. In *Resolutionibus*: Papæ potestas est larva, tartarus, seminarium libidinum, pomparum, cædium, reliquarúmque abominationum in Ecclesia. In *Assertionibus artic.* 30. ait: non repugnare videtur Hussius, quò minùs sit Monarchia Papæ. Hoc tantùm agit, impium Pontificem non esse membrum Ecclesiæ, ferendum tamen, sicut alium quemvis tyrannum. Ego verò, tametsi Sanctus Petrus præsideret hodie Romæ, negabo Romanum Episcopum esse Papam; Papa enim est res ficta in Mundo; neque fuit, neque est, neque erit, sed fingitur esse. Quare ipsam sedem bestiæ nego, nihil moratus, sitne bonus an malus, qui in ea sedet.

202. Wiclef. in *Postilla super* 15. *cap. Marci*, de Sacramentis Ecclesiæ nihil demit: nec Joan. Huss. ad *cap.* 5. *ep. Jacobi*, agens *de extrema Unctione*. Et *Lib. de Cœna Domini cap.* 2. Transsubstantiationem in Evchaaristiæ Sacramento apertè concedit: quidquid Christus JESUS per se Apostolis & per ipsos, & per alios Doctores tradidit, & quidquid tenet Sancta sua Romana Ecclesia de hoc Sacramento Venerabili, hoc firmiter est credendum &c. Ex potestate & institutione Christi veri DEI & veri hominis per ministerium Sacerdotum est in Sacramento Venerabili verum corpus suum, quod conceptum est, & natum ex MARIA Virgine castissima, potestate Spiritûs Sancti &c. Unde canit Ecclesia: D*ogma datur Christianis, quòd in* C*arnem transit panis & vinum in Sanguinem &c.*

203. Quid Lutherus? In *Captivitate Babylonica* ait: Principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, & Panis: quamquam si usu scripturæ loqui velim, non nisi unum habeam Sacramentum, & tria signa Sacramentalia.

204. Joan. Huss *Sermone in exequiis* habito Pragæ ad populum, si vult, ait, Sacerdos Missam magnificare, sit magnus in sancto opere, & non adscribens Beato Gregorio mendacium: dicat ipse cum B. Gregorio in 4. *Dialog. capit. de Virtute & Mysterio Hostiæ salutaris*: pensemus, quale sit pro nobis Sacrificium hoc, quod pro absolutione nostra Passionem Unigeniti Filii DEI semper imitatur. Quis enim fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad vocem Sacerdotis Cœlos aperiri, in illo JESU Christi Domini Mysterio Angelorum Choros adesse, summis ima sociari, cœlestibus terrena jungi?

205. Wiclefus quoque de *Apostasia cap.* 18. approbat totum ritum Missæ à principio ferè usque ad finem: dicens, eum egregium & egregiè declaratum, concludens de omni ritu illo, & dicens: certum quidem est, quòd omnia talia de tanto sunt laudabilia, de quanto excitant, ut Christus plus ametur.

206. Quid Lutherus? In C*olloquiis convivalibus fol.* 168. negat, ab Hussitis accipiendam esse Evcharistiam, propterea, quòd privatas Missas celebrant. *fol.* 274. dicit: à tempore Gregorii Magni Missa privata multos etiam Sanctitate insignes viros fefellit. Joannes Hussius eodem errore imbutus fuit: mirum, quòd DEUS ab hac unica idololatria me servavit. *Libro de abominatione Missæ*; meum facturus Officium, ait, omnes moneo, ut hanc profanationem Missæ non secùs ac ipsum diabolum fugiant ac detestentur. Magistratus hortor, ut eam funditùs ab Ecclesia pellant, & aboleant &c.

207. Quoad C*ommunionem sub utraque specie*, Joan. Huss *ep.*48. memorat: de Sacramento Calicis habetis scriptum, quòd scripsi Constantiæ: si potest fieri, attentetis, ut saltem permittatur per Bullam illis dari, qui ex devotione postulaverint, circumstantiis adhibitis. Aliter Lutherus de *formula Missæ*: si quo casu Concilium statuerit, tum minimi omnium nos vellemus utrâque specie potiri: imò tunc primùm in despectum tam Concilii quàm statuti sui, nos velle aut alterutra tantùm, aut neutra, & nequaquam utrâque potiri: & planè anathema habere, quicunque auctoritate talis Concilii vel statuti utrâque potirentur. Omissis compluribus aliis fidei doctrinis inter Joannem Huss & Wiclefum ex una, & inter Martin. Lutherum ex altera parte discordantibus, adductæ dubio procul evidenter convincunt, quòd vera sit

208. Assertio, Lutherum (etiam Calvinum) doctrinam suam neo-Evangelicam successionem ad Hussitas & Wiclefistas referre non posse tanquam ad originem. Imò in *Assertionibus art.* 30. ipse contra protestatur: non rectè faciunt, qui me Hussitam vocant. Non enim mecum ille sentit. Sed si ille hæreticus fuit, plùs decies sum hæreticus: cùm ille longè minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire &c. In D*isputatione Lipsica* dicit: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque schisma iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propria separant à nostra unitate, etiamsi jus Divinum pro iis staret: cùm supremum jus Divinum sit charitas & unitas Spiritûs.

209. In C*ommentariis in Epist. ad Galatas cap.* 6. (editis Anno 1523.) scribit: consequens est, quòd Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nulla possit ratione defendi, quia sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium: quia contra charitatem, in qua omnes

nes leges consummantur, perstat. Nam hoc, quod unicè allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, & quòd inter malos Sacerdotes ac Pontifices viverent, hoc eos maximè omnium accusat. *Capite de Anti-Christo* (quàm bellâ consonantiâ) Joannes Huss, inquit, non satis intellexit, quidnam esset Papatus: quosdam duntaxat abusus animadvertit, & ex mala quorumdam vita solùm disputavit: nos autem à persona & vita progredimur ad doctrinam: illam accusamus, ac dicimus: Etsi Papa Sanctus Petrus esset, tamen impius nequam & diabolus esset. Joannem Hussium præter omne meritum trucidârunt, & combusserunt, cùm tamen à Papatu ne latum quidem digitum recesserit. Nam idem, quod ille, docuit; solùm illorum vitia & malam vitam insectatus est: nihil contra Pontificem commisit. Videamus ulteriùs constantiam Lutheri.

# QUÆSTIO UNDECIMA.

## *An non Lutherus etiam à seipso dissenserit?*

210. NIhil vulgarius est, quàm ubique testimonia illorum rejici, qui pro inconstantia sui genii & vitioso habitu contraria vel contradictoria proferre consueverunt.

211. Assertio: Lutherus sibi ipsi contrarius multoties à se ipso quoad doctrinas suas dissentit. Ostenditur. Inter alias antilogias una est, quam scribens in *Evangelium de Conceptione Mariæ.* Dignum & justum erat, Mariæ personam ab Originali peccato præservari, de qua Christus sumpturus erat carnem, quâ omnia peccata superaret. Et in Evangelium de *Festo Deiparæ*: nulla mulier tam sancta est, aut fuit, nec erit imposterum, quàm Maria, quæ fructum ventris sui benedictum parit, quando nulla citra voluptatem & peccatum concepit: His contrariatur supra adductum in *num.* 193. ubi *in Evangelium Dominica prima ab Epiphania* dicit: En Maria Deipara eò usque erravit, ut nesciret, ubi Christus quærendus esset. Et quis inter homines major fuit peccator, quàm hìc est ipsa Mater Dei? Et quod habet in *Sermone de Nativitate Mariæ*: non minùs Sancti nos sumus atque Maria, & alii Divi, quantumvis magni, si modò in Christum credimus.

212. Altera Antilogia: de *primo Præcepto*: ad Sanctorum Suffragia recurrendum omni modo, sicut in Job dicitur: *Et ad aliquem Sanctorum convertere*: Contrarium patet ex *num.* 199. ubi *Sermone de Mammona* dicit: Pro meritis Petri ne unum quidem obulum darem, ut me juvaret. Seipsum enim adjuvare non potest.

213. Tertia: *Consolatione pro laborantibus c.* 6. ex his intelligimus, ait, Sanctorum memorias, Templa, Altaria, Nomina, Imagines ideo celebrari, & multiplicari, ut eorum exemplo animemur, ad perferenda eadem mala, quæ ipsi tulerunt. Qua ratione nisi colantur, omnis eorum cultus superstitione non vacat. Contrarium habet *ad Evangelium in die Nativitatis* Mariæ: Hinc tot Templa & Altaria extructa sunt: hinc Petro & Paulo Ædes erectæ, ut omnes ferè anguli Divinorum fanis abundent. At cui usui ipsis illa? His sumptibus non dotatis virginibus rectiùs subveniri poterat, & alia majoris momenti opera fieri. Sed intempestivè irrepente nimio Divinorum cultu, hæc pietatis Officia turpiter neglecta sunt.

214. Quarta: *de decem Præceptis*, ait: Ecclesia non potest errare; quilibet autem potest in devotione sua errare &c. Ecclesia regitur à Spiritu Sancto. *In Resolutionibus*: an non videmus, quàm vigil sit Christus in Ecclesia sua, ut jam errare volentes non permittat errare. *De antiqua Ecclesia tom. 7. fol.* 561. *Germ.* Ecclesia nec debet nec potest mentiri, nec errores docere, ne in minimo quidem; cùm Deus sit os Ecclesiæ: & Deus mentiri non possit; sic etiam Ecclesia nequit &c. Contrarium habet *in Postilla Ecclesiastica*, explicans Evangelium *Dominicæ I. post Epiphaniam*: ibi: Dicis prætereà: Ecclesia & sancti Patres Spiritum sanctum habuerunt, quo Duce errare non potuerunt. Facilis est responsio. Ecclesia, aut Concilia polleant, quâ velint, sanctitate, non tamen plus pollent Spiritu sancto, quàm Maria Christi Mater, quæ & ipsa est membrum, atque adeò tum temporis præcipua Ecclesiæ portio extitit: quæ quamvis Spiritu sancto sanctificata fuerit, tamen ille eam aliquando etiam in summis fidei articulis errare sivit. Item *de abroganda Missa*: Ludificatio Satanæ est affirmare, quòd Ecclesia, si quandoque erret, aut peccet, quòd ideò non sit Ecclesia. Rursus *de Captivitate Babylonica*: Quid mihi arbitrium Ecclesiæ, & potestas Papæ jactatur?

215. Quinta: *In protestatione*: Primùm protestor, me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris litteris primò, deinde ex Ecclesiasticis Patribus, ab Ecclesia Romana receptis, hucusque servatis, & ex Canonibus, ac Decretalibus Pontificiis habetur, & haberi potest. Quòd si quid ex eis probari, vel improbari non potest, id gratiâ disputationis duntaxat, pro judicio rationis & experientia tenebo (Hìc ergo Lutherus admittit traditiones Patrum, sacros Canones, & Decreta Pontificia) Deinde consonat in *Epist. ad Marchionem Brandeburgensem Tom.* 2. *Germ.*

*Germ. fol.* 243. Periculosum & horrendum est, quidquam vel audire, vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei & doctrinæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam inde usque adeò ab initio per annos mille quingentos unanimiter servavit. Contrarium habet in *Assertione Articulorum ad Leonem X.* ibi: Primum scire, contestatósque esse eos volo, me prorsus nullius, quantumlibet sancti Patris authoritate cogi velle &c. Quanti errores in omnium Patrum scriptis inventi sunt? Quoties sibi ipsis repugnant? Quoties invicem dissentiunt? Item *de servo arbitrio*: ibi: Patrum Auctoritas súsque déque facienda est, & statuta perperam facta, qualia sunt omnia præter Verbum Dei definita, dirumpenda, ac projicienda sunt.

216. Sexta: *In Epistola* ad Leonem memoratum X. apertè agnoscit Dignitatem, & Primatum Romani Pontificis: ibi: Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ sum, & habeo. Vivifica, occide: voca, revoca: approba, reproba, ùt placuerit: vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam: si mortem merui, mori non recusabo. In *ep. ad Thomam Cajetanum* sic scribit: Reverendissime in Christo Pater, fateor, sicut & aliàs fassus sum, me fuisse nimis indiscretum, acrem, & irreverentem in nomen Summi Pontificis. Et licèt acerrimè fuerim in hanc irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse intelligo, humiliùs ac reverentiùs hanc materiam tractare.

217. In commemoratione rerum, quæ Anno 1518. Augustæ *in Comitiis cum Luthero* actæ sunt, *Protestatio Lutheri* hæc erat: Inprimis ego Frater Martinus Lutherus Augustinianus protestor, me colere, & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris: quòdsi quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.

218. In *Resolutionibus aliarum propositionum* editis Anno 1519. Primum, quod me movet (ait) Rom. Pontificem esse aliis omnibus (quos saltem noverimus se Pontifices gerere) superiorem, est ipsa voluntas Dei, quam in ipso facto videmus. Neque enim sine voluntate Dei in hanc Monarchiam venire unquam potuisset Romanus Pontifex. At voluntas Dei, quoquo modo nota fuerit, cum reverentia suscipienda est. Ideòque non licet temerè Romano Pontifici in suo Primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, ut, etiamsi nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset, ad compescendam temeritatem resistentium.

219. In *Resolutionibus de Indulgentiis conclusione 69.* sic habet: quia Auctoritati Papali in omnibus cum reverentia cedendum (*qui enim Potestati resistit, Dei ordinationi resistit*) Igitur licèt in exiguis, nihilo tamen minùs, quàm in magnis Auctoritati cedendum. Hinc etiam illud venit, quòd, etsi Papa injustas ferret sententias, timendæ tamen sint.

At quomodò ista concordant cum pronuntiatis Lutheri supra *num.* 199. allatis? Quomodò cum his, quæ sibi ipse opponit *in Captivitate Babylonica?* Scio nunc, & certus sum, Papatum esse Regnum Babyloniæ, & potentiam Nemrod robusti venatoris &c. Postquàm Romanus Pontifex Episcopus esse desiit, & tyrannus factus est, non formido ejus universa Decreta, cujus scio, non esse potestatem articulos novos fidei condendi, nec Concilii quidem Generalis. Hæc ille. Verùm, quis unquam somniavit, Papam extra vel intra Concilium novos fidei articulos condidisse? tametsi revelatos jam aliunde declarare potuerit, & voluerit.

220. Quomodò concordant, quæ Lutherus profert in *Assertione Articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum*? Dico hæreticos, & schismaticos esse Papam, & omnes, qui idolum hoc adorant, nisi fortè laicos, & rudes excuset ignorantia, simplex fides, & violenta hujus Assur captivitas. Quæ profert in *Actis Antichristianorum Decretalium*: Parum est hoc deflagrationis negotium: ex re foret, ut Papa quoque, hoc est, Sedes Papalis concremaretur. Nisi toto corde dissentiatis à Regno Papali, non potestis assequi vestrarum animarum salutem: adeòque diversum est Regnum Papæ à Regno Christi, & vita Christiana, ut tutiùs foret in eremo agendo nullum omnino videre hominem, quàm versari in Regno isto Antichristiano. Caveat ergo sibi, quisquis animæ suæ consultum velit, ne assentiendo Papastris, Christum neget. Quæ profert *adversus Regem Angliæ*: Papatus est Principis Satanæ pestilentissima obominatio, quæ unquam sub cœlo fuit, aut futura. Vivens Papatûs hostis ero: exustus bis hostis ero. Facite porci Thomistæ, quod potestis, Lutherum habebitis ursum in via, & leænam in semita: undique vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras cervices, & æreas frontes contriverit.

221. Septima: Sacris litteris nihil addendum, nihil auferendum esse, asserit *ad cap. 5. ad Galatas*: Pluris facimus unam litteram, & unum jota sacræ Scripturæ, quàm cœlum & terram. Quamobrem ferre non possumus, ut vel minimum ab illis tollatur: Et in *declaratione ad amicum quemdam Tom. 4. Germ. fol.* 393. Si quis unum jota aut litteram vel abstulerit vel mutaverit, diabolo mancipetur. Negat assertum istud in *epist. ad amicum* de voce (*sola*) quam *Rom.* 3. *de suo adjecit*: Si tuus Papista morosum & difficilem se præbere volet de voce (*sola*) statim dic: Papista & asinus eadem res est. *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed potiùs Præceptores. Semel etiam superbiendo gloriabimur adversùs hujusmodi asinos &c.

Rogo te, ne quid aliud hujusmodi asellis respondeas de voce (*sola*) sed tantùm dicas: Lutherus sic vult, iste Doctor est omnium Doctorum in toto Papatu: in hoc acquiescam, posthac illos omnino pro nihilo habebo &c. Jam dudum novi, quòd hoc loco nec in Græco, nec in Latino textu vox (*sola*) legeretur, nec opus erat, ut de eo Bapistæ me admonerent &c. Pœnitet me, quòd non addiderim, *omnes*, & *omnibus*, ut scilicet esset abque omni opere omnium legum, & sic benè, & rotundè locutus fuissem. Quamobrem manebit hæc vox in meo testamento, etsi ad unum omnes Pontifices ad insaniam redigerentur, & in asinos transformarentur, non tamen mihi abradent.

222. Octava: in *Præfatione in Psal.* ait, *sacras Scripturas esse difficiles intellectu*: Nolim ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit Sanctissimorum & Doctissimorum: id est Spalterium in omnibus legitimo suo sensu intelligere, & docere. Sat est, aliquos Psalmos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa ibi reservavit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat: multa solùm ostendit, ut alliciat: multa tradit, ut afficiat. Scito, esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum. Consona sunt Lutheri dicta, *libro de Conciliis*: & in *Colloquiis convivalibus. titulo de Verbo Dei.* Contrarium tenet *ad Psal.* 37. *To.* 3. *fol.* 10. Si quis vos de illorum (*Catholicorum*) numero provocaverit, ac dixerit, opus esse Patrum interpretatione, Scripturas obscuras esse: respondebis, falsum hoc esse. Nullus liber in universa terra dilucidiùs scriptus extat, quàm sacra Scriptura: quæ cùm aliis omnibus libris collata, est velut sol, coram omni alia luce. Complures alias antilogias Lutheri & dissensiones à se ipso hìc prætereo, quarum tamen non paucæ in sequentibus elucescent.

## *Melanchtonis erronea Dogmata.*

223. MElanchtonici à Philippo Melanchtone Confessionistarum patre nuncupantur, qui quamvis plurium artium multiplici eruditione præditus & insignis fuerit, multos tamen hac nostra ætate in Ecclesia invexit, & sequutus est errores Lutheri doctrinâ infectus. Prateolus V. Melanchtonici: ubi ulteriùs ait: Sunt autem Melanchtonici sectâ Semilutherani, ad secundam utiquè nostri temporis Evangelicorum classem pertinentes: nimirum qui (teste Lindano Dubitantii sui dialogo secundo) Lutheri doctrinam professi, illam posteà deserentes, Philippo Melanchtoni paulò diversa alicubi docenti adhæserunt, iique potissimùm, qui ipsius libero arbitrio, aliisque dogmatibus à Lutheri corruptela repurgatis sententiam sequuntur. Exorti sunt autem sub Carolo Quinto Imperatore Germano, & Clemente Septimo Summo Pontifice, circa Ann. Domini 1530.

1. Hos ideò acriter insectatur Illyricus cum Vinariensibus, Erasmus quoque Sarcerius cum Mansueldensibus, tanquam puri puti Saxonici Evangelii depravatores. Illum propterea accusat Illyricus, quòd doceat, hominem posse ad gratiam Dei recipiendam sese præparare ex puris naturalibus viribus, sicque ex olim Stoico, & Manichæo, nunc Melanchton factus est Pelagianus. Unde meritò illum Cothurnum appellant, non modò, quòd Pelagianismum renovet, aut oppugnatum pridem jam asserat cum Catholicis liberum arbitrium: sed quòd olim ex professo Zwinglianorum hostis, nunc factis, & scriptis, pro Zwinglio pugnet, imò evertat Lutherum, adeóque Evangelicam illam confessionem Augustanam, sua manu descriptam, atque in Comitiis Augustanis Carolo Quinto Imperatori exhibitam, & Apologia illa mendaciorum scaturigine tunc quidem propugnatam, sed posteà variis modis ab ipso immutatam, atque depravatam, & adulteratam. Quod falsi crimen suo Magistro Melanchtoni Matthias Flaccus, uti & de aliis Lutheri libris adulteratis, non dubitat impingere libello supplicatorio pro synodo in Saxonia congreganda. Hæc Lindanus.

2. Hic rursus, quamquam concedat per Baptismum peccatum originale dimitti, negat tamen per illum omne peccatum deleri. Cujus falsæ opinionis hanc adfert rationem, quòd videlicet Baptismo suscepto, maneat adhuc in homine carnis concupiscentia, vel rebellio, quæ (ùt tum ille, tum reliqui hujus hæresis Authores docent) verè peccatum est, quamvis à Deo non imputetur. Quòd autem ipsa concupiscentia sit verè peccatum, inde probare contendunt, quòd (ut ajunt) sit contra illud præceptum, non concupisces.

3. Dicit, hominis arbitrium non esse liberum, illud non agere, sed potiùs pati contendens, ùt infra dicetur fusiùs.

4. Fatetur quidem, nostra bona opera mereri præmia, sed ea tantùm corporalia, & spiritualia, non autem vitam æternam. Quòd enim opera nostra bona essent meritoria, inficiari non poterat, cùm videret sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum tam aperta testimonia, quæ asserunt, nostris operibus aliquod meritum inesse. Ideò in locis communibus, titulo de bonis operibus,

circa

circa finem capitis hæc ait: Tertiò sciendum est, etiam præmia proposita esse bonis operibus, seu bona opera mereri præmia corporalia & spiritualia: & paucis interjectis, subdit: hic autem sciendum est, nos loqui de bonis operibus justorum. Priùs enim accipienda est fide remissio peccatorum: reconciliatio, & acceptatio ad vitam æternam: & hæc donatur per misericordiam propter Christum, ut maneat certa. Et in fine illius capituli denique ait: &, ùt sæpè jam dictum est, tribuatur merces operibus, ita, ne fiat incerta remissio peccatorum. Item ne transferatur beneficium Christi in nostrorum operum dignitatem, persona justificatur coram Deo gratis fide, quæ nititur tantùm misericordia, posteà placent Deo bona opera, & merentur mercedem. Hæc Philippus Melanchton. In quibus verbis, etsi fateatur, bona opera mereri præmia, nunquam tamen apertè dicit, nos per bona opera mereri vitam æternam.

5. Docet rursus, nullum esse peccatum mortale, præter incredulitatem. Quæ hæresis, Concilii Tridentini decreto, & Canone 27. improbatur in hunc modum: si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquàm infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

6. Asserit, nullum esse prorsus discrimen inter præceptum, & consilium, neque aliquod esse in Evangelio consilium: sed omnia, quæ nobis commendantur, esse præcepta. Idque libro de locis communibus Theologiæ, titulo de discrimine præceptorum & consiliorum: quidam (inquit) finxerunt, in Evangelio consilia esse de non vindicando, de paupertate, de virginitate. Et quidem putant in Evangelio doceri hoc fine, quòd hæc opera magìs mereantur reconciliationem, aut salutem, quàm alia opera. Deinde fingunt, hæc opera perfectionem esse: sed hæc plena sunt errorum, & superstitionum. Una est lex Dei, quæ nihil nisi præcepta continet. Hæc Philippus Melanchton. Ex quibus verbis apertè colliget Lector, illum secum pugnare, ac dissidere, cùm alibi dicat cum Martino Luthero suo Præceptore, nullum esse in Evangelio præceptum. Qua in re faciunt illi juxta illam Poetæ Horatii sententiam:

*Dum vitant stulti vitium, in contraria currunt.*

7. Negat item, Evangelium esse legem, juxta veram & propriam legis rationem. Hoc porrò & ille, & idem Lutherus suus Præceptor, & Brentius, & plerique omnes hujus factionis ideò docent, ut hac ratione contendant, se esse liberos ab omnium bonorum operum obligatione. Nam ideò dicunt Evangelium legem non esse, quòd asserant, Evangelium nihil prorsus præcipere, sed solùm nobis patefacere, ac manifeum ostendere bonum de JESU Christo Filio Dei nuncium, quòd ille solus merito suæ passionis sit peccatorum nostrorum Expiator, & animarum nostrarum Redemptor. Ut verò illorum sententia magìs patescat, ipsius Melanchtonis verba referam, in locis communibus ità inquientis: Novum testamentum non est aliud, nisi bonorum omnium promissio, citra legem, nullò justitiarum nostrarum respectu: quæ bona nobis promittuntur citra conditionem, cùm nihil vicissim à nobis exigatur. Hæc Philippus Melanchton. De qua re vide in Brentio.

8. Ita etiam fidem extollit, ut bonis operibus detrahat. Ait enim in eisdem locis communibus, titulo de bonis operibus: qui non agunt, inquit, pœnitentiam, sed indulgent vitiosis cupiditatibus, non retinent fidem. Et in eodem libro, titulo de fide, iterùm ait: fides non tantùm est notitia historiæ de Christo, sed est vera fiducia cordis, quæ assentitur promissioni Evangelicæ: præcipuè autem significat fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum. Hæc ille.

9. Docet præterea cum Luthero, & reliquis hujus farinæ Asseclis, non solùm omnem hominem justum esse certum suæ gratiæ sed omnem talem esse obligatum ad credendum, se esse in gratia. Et qui hoc non credit, non est (ùt illi docent) justus neque fidelis. Nam illam vocant Lutherani fidem Catholicam, qua quisque particulatim certissimè credit, remitti sibi peccata per Christum. Hic enim Melanchton in suis locis comunibus, titulo de gratia & justificatione, hoc apertissimè docet, sic inquiens: Mens perterrefacta agnitione peccatorum, statuere debet, remitti sibi peccata gratis propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum. Quum hoc modo fide se mens erigit, donatur remissio peccatorum, & reconciliatio. Si enim judicandum esset, tum demum non habituros esse remissionem peccatorum, quum cognitio, aut dilectio sufficiens esset, adigeretur animus ad desperationem. Quare, ut habeat certam & firmam consolationem, pendet res non ex conditione dignitatis nostræ, sed ex sola misericordia promissa propter Christum. Et in Apologia Confessionis Augustanæ: Adversarii, inquit, infeliciter consulunt hominibus, dum jubent dubitare, utrùm consequantur remissionem peccatorum. Hæc Philippus Melanchton.

## *Calvini erronea Dogmata.*

224. CAlviniſtæ, à Joanne Calvino noſtri Sæculi ſummo Hæreſiarcha, Picardo natione, patria Novoidunenſi dicti ſunt, & qui nunc famoſiſſimè apud Gallias celebrantur. Hunc à patria ſua ob vitæ improbitatem exulâſſe, ſcribit Antonius Demochares de Miſſæ Sacrificio capite ſecundo, eundem noverunt( inquit Joannes Vacquerius libro de tentationibus) inter diſſolutos ſuæ Urbis viros diſſolutiſſimum, inter inconſtantes, & Fœdifragos inconſtantiſſimum. Emerſit autem Caroli V Imperatoris Germani, & Pauli III. hujus nominis Summi Romanorum Pontificis temporibus, circa Annum Domini 1534. Hic igitur (ùt inquit Lindanus Dubitantii ſui *Dialogo* 2.) Gallicani ingenii faſtu, vanæque eloquentiæ Cothurno, ac doctrinæ ſuæ opinione tumidus, primùm Baſileæ deliteſcens, tum Argentorati exulans, ac profugorum ibidem factus Concionator, pòſt Genevenſis Eccleſiæ arrepta contra Dei Legem, pulſo Vice-Comite & Epiſcopo, gubernatione, non modò Sabaudiam, ſed totam adeò Galliam ſuis infecit, evertit, perdidit blasphemiis propter novum ſuæ Cœnæ figmentum, quo Chriſtum, licèt abſentem, imaginatur ſua tantùm vi & efficacia præſentem per mitonymiam. In quo neque ſuo cum patre Farello aut Oecolampadio, neque ſuo cum avo Zwinglio convenit, quorum utrumque reprehendit, quòd Cœnam Domini non rectè tractârint. Unde & in culpa eſſe ait, quod magna animorum offenſione Tigurini accipiunt tanquàm in ſuum Apoſtolum vehementer injurium. Sed iis tandem palinodia eſt reconciliatus. Ejus autem errores ſunt hi, quos ex plurimis annotârunt non ſolùm Heshuſius & Joachimus Vueſtphalus, qui contra eum de Euchariſtia ſcripſerunt, ſed Staphilus quoque, Lindanus, Hoſius, & Claudius de Sainctes cum aliis compluribus. Primùm itaque idem Heshuſius Libro de Evchariſtia, hos annotavit:

1. Dicit ergò inprimìs, illum animo & factis declarâſſe cum Manichæis, baptiſmum pueris non eſſe neceſſarium. Narrat enim, noluiſſe Calvinum puerum imbecillem, ac in templum delatum baptizare, ſed ut poſtridiè reportaretur, mandâſſe, qui intereà eſt mortuus.

2. Rurſùs quòd Teſtimonia ex Geneſi pro Sacroſancta Trinitate & Chriſti Divinitate à Catholicis adducta, velut Rabbinorum Patronum agens, extenuat.

3. Cæterùm quid ſenſerit de Trinitate ipſa, in Synodo Lauſanenſi declaravit, ubi teſte Petro Carolo, qui eidem Synodo interfuit diſputator, profitebatur ſe Symbolo Athanaſii nec credere, nec diſcredere, donec ad Scripturarum gnomen( ſic enim Arianizans græciſſabat) illud examinâſſet. Imò illum verſum, alia eſt perſona Patris, alia Filii, rejiciebat, eò quòd Græcè eſt Hypoſtaſis, quæ perſonam (inquiebat) non ſignificat.

4. Certè Chriſtum Deum eſſe ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitum, nunquam extorqueri potuit, ut Calvinus confiteretur: ſed quatenus Deus eſt Chriſtus, à ſe ipſo eſſe affirmabat. Quod an non reverà Chriſtum patris eſſe Filium neget, ipſe viderit.

5. Inter alias porrò blaſphemias, Calvinus ùt hominem cum Manichæis facit brutum, quia non liberi arbitrii: ità Deum quoque docet, impiorum ſcelera non tantùm permittere, ſed operari etiam efficaciter.

6. Rurſùs, Adæ peccatum occulto Dei Decreto fuiſſe ordinatum, aſſerit. Imò diabolum Dei mandato eſſe mendacem. Itaque Deum eſſe non tantùm malorum ſed peccati quoque Authorem. Hæc Calvini Verbis blasphema recitat Heshuſius in erroribus Calvini, ſub finem ſuæ Confeſſionis de Sancta Evchariſtia. Ubi inter cæteros priſcorum hæreticorum renovatos errores, obſervandum eſt, Calvinum docere Deum peccati Authorem, quod libro contra Libertinos ſui oblitus, affirmat à Simone Mago ſumpſiſſe originem.

Hos item Calvini errores enumerat paulò apertiùs, & breviùs Fridericus Staphylus in Apologia de Lutheranorum inter ſe concordia, in hæc verba: Manichæi, & Marcionitæ Calviniani ſunt, qui hæc iſta, quæ ſequuntur, in Deum, & in omnes creaturas blaſphema ſpargunt, Authore Joanne Calvino. Quorum hæc dogmata nuper in lucem edita ſunt:

1. Quòd Deus potiſſimè creârit genus humanum ad perpetuam damnationem & interitum.

2. Quòd Deus Adam creârit, non modò ut interiret, ſed etiam, quòd illum ab æterno ad exitium prædeſtinârit, ideòque illum neceſſariò peccare oportuerit.

3. Quòd peccata, quæ homines faciunt, non modò Deus permittat fieri, ſed etiam fiant Deo volente, & impellente.

4. Quòd omnia peccata, quæ fiunt ab hominibus, ſint omninò opera Dei ſimpliciter.

5. Quòd nullum furtum, nulla ſcortatio, nullum adulterium fiat ab homine, quòd Deus non efficiat in homine.

6. Quòd & lex Dei, & voluntas Dei, ſæpe inter ſe ſint contraria.

7. Quòd diabolus, jubente & volente Deo, mentiatur in cordibus humanis.

8. Quòd

8. Quòd Deus non solùm causa sit omnis mali, sed etiam quòd hominibus, ut mala operentur, malas cogitationes in cordibus illorum inspiret: adeóque ut non homines peccent, sed Deus sit efficiens, & volens peccatum. Vide librum Joannis Calvini de prædestinatione, & defensionem Theodori Bezæ pro eodem Calvino. Hæc Staphylus.

1. Hîc inprimis non solùm negat, Missam esse à Christo institutam, sed eam quoque non esse Sacrificium. Imò, quod multò pejus & magis blasphemum est, negat, Missam opus bonum esse, quod sanè suus præceptor Lutherus ante dixerat, ùt videre est in ejus erroribus. In illa porrò Calvini institutione Christianæ Religionis *cap.* 13. 18. 49. cùm dixit, Scholasticos Theologos docere, Missam esse Sacrificium, infert, quæ sequuntur: Valeant, inquit, ipsi cum spinosis suis argutiis, quæ, licèt utcunque cavillando defendi queant, ideò tamen repudiandæ sunt bonis omnibus, quòd nihil quàm Cœnæ claritati multas tenebras inducunt. Illis ergò valere jussis, congredi me hîc lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanis Antichristus (Papam hoc nomine appellant Calvinus & Lutherus & omnes hujus tempestatis hæretici) ac ejus Prophetæ totum orbem imbuerunt: nempe Missam esse opus, quo Sacerdos qui Christum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur. Neque id tantùm communi & vulgi opinione receptum est, sed ipsa quoque actio, sic est instituta, ut genus sit placationis, quòd pro vivorum & mortuorum expiatione Deo satisfaciat. Hæc Calvinus.

2. Dicit rursùs eo Libello, quem edidit contra Decreta promulgata à Concilio Tridentino in 6. *Sess. cap.* 16. *& Can.* 32. nullum opus humanum quantumlibet bonum esse vitæ æternæ meritorium, neque ad vitam æternam consequendam necessarium: fatetur quidem ille cum suo præceptore Luthero, Melanchtone & Joanne Spangebergo, nostris operibus inesse aliquod meritum, cui respondent prœmia corporalia, & spiritualia, sed non vita æterna. Imò asserit, quemlibet justum in omni bono opere peccare: quæ duæ assertiones contra se invicem apertissimæ pugnant. Fieri enim non potest, ut quis apud Deum mereatur prœmium aliquod spirituale per peccatum. Cùm Scriptura Sacra apertè testetur, odio simul esse DEO impium & impietatem ejus. Sed Calvinus optimè hanc Sententiarum pugnam intelligens, ut illas conciliaret, dixit, opera nostra, quamvis sint ex se peccata, hoc tamen nomine fore DEO accepta, quòd ille paterna indulgentia ignoscit, & condonat, quidquid in illo est vitiosum. Sed quàm ille aberret, lege hujus Dogmatis confutationem apud Alphonsum à Castro adversùs hæreses *lib.* 11.

3. Asserit item Calvinus cum Luthero, nullum esse peccatum mortale, nisi incredulitatem.

4. Rursùs nullum fore discrimen inter peccatum mortale & veniale: nec ullum quidem veniale appellari debere, sed omne peccatum esse mortale. Quam hæresin docet ille in suo Opere de institutione Religionis Christianæ.

5. In eo quoque Opere *cap.* 4. *sect.* 13. Monachos calumnians, quòd se dicant, vovere Consilia Evangelica, docet cum omnibus Lutheranis, nullum prorsùs esse discrimen inter præceptum & Consilium Evangelicum, neque aliquod esse in Evangelio Consilium: sed omnia, quæ nobis à Christo commendata sunt, esse præcepta. Ejus verba sunt hujusmodi: age, calumniam esse dicunt, quam antea tradidi, Monachos non esse contentos præscripta à DEO regula. Atqui, etiam si taceam, ipsi plùs satis se accusant. Apertè enim docent, se plus oneris suscipere, quàm suis Christus imposuerit: quam scilicet Evangelica Consilia de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non jurando &c. se servaturos promittunt, quibus non sunt communiter adstricti Christiani. In eo, quam nobis antiquitatem ostendent? hoc nulli unquam veterum venit in mentem. Omnes una voce clamant, nullam penitùs voculam à Christo emissam, cui non sit necessariò obtemperandum, & hæc ipsa nominatim, quæ isti boni interpretes Christum duntaxat consuluisse nugantur, jussa esse nulla dubitatione docent. Hæc Calvinus. In quibus tot inserit, & accumulat mendacia, ut vix unam veritatem reperias.

6. Quamvis autem bonum esse fateatur, ut à DEO adjutorium petamus ad continendum; dicit tamen hanc Divini auxilii invocationem non esse sufficiens remedium pro continentia servanda; & tunc ideò necessarium esse dicit conjugium. Nam in eodem suo opere de institutione Christianæ Religionis *cap.* 4. *sect.* 18. Monachos ob votum castitatis redarguens, ita ait: Virginitatem DEO perpetuam promittunt, quasi cum DEO antè pepigerint, ut se à conjugii necessitate liberarent. Non est, quòd causentur, se non nisi gratiâ DEI fretos votum hoc nuncupare. Nam, cùm ipse non omnibus dari pronuntiet, fiduciam specialis doni capere, nostrum non est. Qui habent, eo utantur: si quandò se à carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad ejus opem, cujus sola virtute possunt resistere. Si non proficiunt, nec remedium quod ipsis offertur, contemnant. Certa enim DEI voce citantur ad conjugium, quibus continendi facultas denegatur. Hæc Calvinus.

7. Docet quoque hoc tempore gratiæ stare adhuc præceptum universale, quod omnes obligat ad nuptias contrahendas. Nam in eodem suo Opere de institutione Christianæ

ſtianæ Religionis *cap.* 3. ubi agit de lege, interpretans præceptum illud, non Mœchaberis, *ſect.* 73. hæc ait: hac lege conditus eſt homo, ut ſolitariam vitam non agat, ſed adjuncto ſibi ſubſidio utatur: deinde ex peccati maledictione in hanc neceſſitatem magis addictus eſt. Item in eodem *c. ſect.* 66. poſteaquàm dixit, melius eſſe nubere, quàm cum ſcorto coire, contra Sacerdotes & Monachos, qui caſtitatem perpetuam Deo promittunt, hæc ait: noſtri verò Sacrifici, Monachi, & Moniales, omiſſa hujusmodi conſideratione, cœlibatui ſe pares eſſe confidunt. Quo enim oraculo edocti ſunt, conſtaturam ſibi tota vita caſtitatem, in cujus finem eam voverint? Audiunt de univerſali hominum conditione Dei vocem: non eſt bonum homini eſſe ſoli. Intelligunt, atque utinam non ſentirent peccatum in nobis manens, non carere accerrimis aculeis. Illam generalem vocationem qua fiducia audent excutere in totam vitam; cùm donum continentiæ ſæpiùs in certum tempus, prout oportunitas requirit, concedatur? Hæc Calvinus.

8. Itaque cum Lamperianis, Pſeudo-Apoſtolis, Wicleffis, Luthero, & his ſimilibus, omnia vota damnat, ea nihil prodeſſe aſſerens: quòd (ut ait) neceſſitatem & coactionem quandam videntur hominibus inferre: cùm nihil ſit ex neceſſitate faciendum, ſed liberè; propter quod dicit propheta: voluntariè ſacrificabo tibi. Nam is in eodem ſuo opere de Inſtitutione Chriſtianæ Religionis *c.* 4. ubi de votis diſſerit, objiciens contra ſuam Sententiam hæc verba Pauli: Adoleſcentiores viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: & eisdem verbis reſpondens, ea quæ ſequuntur, ſubinfert: ego verò illis minimè nego, viduas quæ ſe ſe ſuáſque Eccleſiæ operas addicebant, perpetui Cœlibatûs legem ſuſcepiſſe: non quia in eo Religionem aliquam ſtatuerent, ut poſteà fieri cœptum eſt: ſed quoniam niſi ſui juris & jugo maritali ſolutæ, functionem illam ſuſtinere non poſſent. Quòd, ſi data fide, ad novas nuptias reſpectarent, quid hoc erat aliud, quàm Dei vocationem excutere? non igitur mirum, quòd talibus deſideriis laſcivire in Chriſtum eas dicit: poſteà verò amplificandi cauſa ſubjungit, adeò ipſas, quod Eccleſiæ pollicitæ ſunt, non præſtare, ut primam quoque fidem in baptiſmo datam, violent ac irritam faciant, in qua hoc comprehenditur, ut vocationi quisque ſuæ reſpondeat. Et aliquibus interpoſitis ſubdit: ſed primùm nego, alia ratione profeſſas eſſe Cœlibatum, niſi quia conjugium cum ea, quam ſubibant functione, minimè conveniret: ac omninò ſe ad Cœlibatum adſtrinxiſſe, niſi quatenus ferret vocationis ſuæ neceſſitas. Deindè ita obligatas non concedo fuiſſe, quin illis tunc quoque ſatiùs eſſet nubere, quàm vel carnis aculeis ſolicitari, vel in aliquam prolabi obſcœnitatem. Hæc Calvinus.

9. Docet prætereà, nihil poſſe DEO voveri, niſi quod ab eo præceptum eſt: nimirum quòd hoc ſolum (inquit) habet apertum teſtimonium, quòd DEO gratum ſit & acceptum. Hic enim & ſui Aſſeclæ nullam conſtituunt (ut ſupra retulimus) inter præceptum & Conſilium differentiam: indèque adeò nihil DEO placere aſſerunt, niſi quod ab illo præceptum. Ex quo colligunt homines, DEO vovere non poſſe, niſi quod ille præcepit.

10. Docet quoque variis in locis ejusdem Inſtitutionis Chriſtianæ cum Luthero, Bucero, Melanchtone, & Joanne Spangebergo, omnem hominem juſtum, ſcire ſe eſſe in gratia, eſséque certum ſuæ juſtificationis: eò quòd fides, per quam juſtificatur homo, cuilibet poſſit eſſe certa, juxta illud Auguſtini *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 2. nihil eſt, inquit, homini certius ſua fide. Quamvis ergò (ajunt omnes iſti) aliquis peccata multa committat, multàque flagitia & ſcelera, nullum illorum tamen imputatur credenti, id eſt, juxta eorum interpretationem, fiduciam habenti in Chriſtum, quòd per miſericordiam DEI & Chriſti merita, remiſſa ſint ſibi peccata: & quia fides hæc eſt nota cuilibet illam habenti, inde deducunt argumentum, quòd qualiacunque ſint opera hominis, ſi tamen firma fixàque ſit fides, ſemper erit certus de ſua ſalute.

11. Extremæ denique Unctionis Sacramentum prorſùs rejicit cum Waldenſibus, Wicleffis, Luthero, & omnibus, qui eidem Luthero nomina dederunt, illam inficians inter Sacramenta numerandam eſſe, nec ad hanc noſtram ætatem, ſed tantùm ad tempus Apoſtolorum pertinere, eámque ſolam fuiſſe gratiam curationum. Dicit enim in Inſtitutione Chriſtiana *cap.* 19. in hunc modum: etiamſi obtinuerint huic ætati convenire, quod de Unctione à Jacobo præcipitur (à quo longiſſimè abſunt) non ſic tamen adhuc multum promoverunt in approbanda ſua unctione, qua hactenus nos illexerunt. Jacobus omnes homines vult inungi: iſti non infirmos, ſed ſemimortua cadavera ſua pinguedine inficiunt, quum Jamjam anima in primoribus labris laborat, vel ùt ipſi loquuntur, in extremis. Si præſentem habent medicinam in ſuo Sacramento, qua vel mortuorum acerbitatem leniant, vel ſaltem aliquod animæ ſolatium adferant, crudeles ſunt, qui nunquam in tempore medentur. Jacobus vult infirmum ungi à ſenioribus Eccleſiæ: iſti Unctorem non admittunt, niſi Sacrificulum. Hæc Calvinus.

Sed Calvini vitæ inſtitutionem paulò altiùs repetamus, quæſo, non ſolùm ex his, quæ de eo Joannes Vetus in prima ſua religionis & Regis Francorum defenſione adversùs exitioſas ejusdem Calvini & Bezæ & Ottomani

con-

conjuratorum factiones recenset: sed & ex Responsione quoque docti illius & pii Claudii Sanctesii Parisiensis Theologi ad Apologiam Theodori Bezæ, nuper editam contra examen doctrinæ Calvinianæ & Bezanæ de Cœna Domini, de ipsius Calvini vitæ institutione colligere potuimus. Ait ergo Joannes Vetus: ubi primùm Calvinus suam illam impudentiæ ac impietatis scholam aperuisset, & ad ejusdem sceleris societatem nonnullos, quos fore utiles sibi ac idoneos arbitrabatur, verborum blanditiis magnificisque pollicitationibus pellexisset, tunc homo vafer & astutus, qui nobilitandi sui nominis & propagandæ factionis ardore incendebatur, laqueos complures struxit, quibus incauti, semidocti & sibi minùs caventes, facilè irretiti caperentur. Audiverat, Lutherum superioribus annis in Germania contra Pontificis & Episcoporum depravatos mores acerbiùs debacchatum, idque non modò impunè, sed etiam cum quadam gloria, & eorum approbatione, qui fastidio veteris disciplinæ, ac novæ studio tenebantur. Videbat etiam, tunc eam esse plebis magna ex parte, propter Sacerdotum vitia offensionem: eam multorum in veritate oppugnanda, & Reipub. statu pervertendo fore contentionem, ut non difficile futurum cogitaret, tandem assequi quod instituebat, aut saltem obsistere, ne Respublica Christiana tam libera ac quieta pace fruerentur. Itaque urbe Geneva occupata, summâque sacerdotii potestate à suis impetrata, memor Consiliorum, quibus seditiosi in Atheniensium & Romanorum imperiis cives viguerant, continuò exclamare, profiteri, denuntiare cœpit veram pietatem hactenus ignoratam, sibi verò patefactam. Se unum esse, qui plùs quàm majores & quotquot mille & quingentis annis vixerint, sciat, videat, intelligat. Sicque patres nostros, idolorum cultores delusos, occœcatósque fuisse: se verò verum Christi cultum quodam Divino spiritu cognovisse: nostros Episcopos, impostores, cacodæmones, Antichristos, & sceleratorum duces hactenus extitisse: suos verò Christi nuntios, Apostolos, & Doctores fore: se se asylum in proximis Galliæ finibus constituisse ac munivisse, ad quod exules, damnati, aborigenes, & omnium ordinum gentiúmque perditi ac deplorati greges suis finibus ablegati confugiant, & in quo tanquam in tutissimo portu placidè conquiescant, significat. Hæc Joannes Vetus. Quo pacto Calvinus Genevam occupârit, & inter Lutheranos ac Zwinglianos unà cum Beza progressum fecerit, ac demum urbe cedere compulsus fuerit, describit Claudius Sanctesius in sua Responsione contra Bezæ Apologiam. Omitto permulta, quæ Prateolus tam de vita, quàm de misera morte Calvini commemorat: item, quæ de Beza Calvini Socio.

225. Porrò Calvinus (æquè & Melanchton) à se ipso non una vice dissentit, exemploque Lutheri in varias antilogias incidit. Sic enim primò ad *cap.* 1. *Luc.* Deum asserit omnipotentem: verbo Dei nulla est impossibilitas objicienda: ad *cap. Is.* 23. id negat, dicendo: istud hominum de potestate absoluta in Deo, quam Scholastici introduxerunt, execranda blasphemia est.

226. Secundò: *epist.* 350. Nomen Trinitatis & Personarum retinendum esse, asserit: quoniam voces istas Ecclesiæ Christi commodare intelligimus, ita ut verè Patris, Filii, & Spiritûs S. distinctio clariùs exprimatur, ab his usque adeò non abhorremus, ut libenter eas amplexemur &c. Negat idipsum epistola ad Polonos scripta anno 1563. quæ extat *editione postrema operum Theologicorum Calvini*, ibi: Precatio vulgò trita est: *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis:* mihi non placet, & omnino barbariem sapit &c. Quod ab iis dicitur: *unus Deus, & unus Mediator*, id est: Trinitas: item: *ut cognoscamus te unum Deum*, id est, Trinitatem: *quidquid petieritis a Patre*, id est, Trinitate, non modò tanquam insipidum, sed profanum quoque repudiamus.

227. Tertiò: etsi unam tantùm esse personam, duásque naturas in Christo admittat ad *cap.* 1. *Joannis*; id tamen negat *lib.* 1. *Inst. cap.* 13. *§.* 9. §. 23. & §. 24. quibus in locis in Christo supponit aliam personam fuisse ratione externæ generationis, aliam, quam assumpserit ùt Mediator, ut nos Deo conjungeret.

228. Quartò: ad *cap.* 26. *Matth. v.* 37. asserit, Christum de sua salute non desperâsse, nec dubitâsse: item ad *cap.* 27. *Matth. v.* 46. ibi: quamquam sensu carnis exitium apprehenderet, fixa tamen stetit ejus fides in corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cujus absentia conqueritur &c. Negat hoc *lib.* 2. *Inst. cap.* 16. §. 10. dicendo: diros in animo cruciatus damnati & perditi hominis pertulit: omnia irati & punientis Dei signa expertus, cùm mortis & inferorum certamen subiit, quasi Deo irato in malorum labyrinthum projectus fuerit. *§.* 12. Hic nebulones quidam, licet indocti, malitiâ tamen magis, quàm justitiâ impulsi, clamitant, me atrocem facere Christo injuriam: quia minimè consentaneum fuerit, eum de salute timere. Ad *c.* 26. *Matth. v.* 39. unde sequitur, gravioris mali timore ad deprecandam mortem fuisse adactum, nempe cùm iram Dei sibi propositam videret, quatenus ad Dei tribunal totius Mundi peccatis oneratus se sistebat, necesse illi fuit profundam mortis abyssum exhorrescere. . . Hic indocti homines insurgunt, rémque indignam esse clamitant, quod veritus sit Christus absorberi à morte.

229. Quintò: Christum pro omnibus omnium hominum peccatis passum, & mortuum esse, Fatetur ad *cap.* 5. *epist. ad Rom.* Quod negare videtur ad *cap.* 17. *Joan. v.* 9. ait enim: aper-

apertè se pro Mundo orâsse negat (Christus) quòd solicitus non sit, nisi de proprio grege, quem ex manu Patris accepit Christus, id est, pro solis electis.

230. Sextò: Nomen JEsu venerandum esse concedit ad *cap.* 1. *Luc. v.* 31. & ad *cap.* 1. *Matth. v.* 23. Negat idipsum ad *cap.* 2. *epist. ad Philipp.* ibi: plusquàm ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco: *ut in Nomine JEsu omne genu flectatur &c.* genu flectendum esse colligunt, quoties Nomen pronuntiatur, quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.

231. Septimò: Christum ex limbo inferorum Sanctorum animas liberâsse, non vocat in dubium ad *cap.* 3. *prioris Petri:* ait enim, animas fidelium corporibus egressas in carcere detentas fuisse, ubi erant constrictæ ardenti studio Adventûs Christi, quòd libertatis spiritu nondum plenè essent donatæ. Negat verò *lib.* 2. *Inst. cap.* 16. *§.* 9. ibi: nescio, quid factum sit, ut posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula, tametsi magnos Authores habet, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen, quàm fabula est.

232. Octavò: circa Baptismi necessitatem sibi insigniter contradicit: Nam ad *cap.* 3. *Joan. v.* 3. dicit: Exules & prorsus alieni à Regno Dei nascimur, ac perpetuum nobis cum ipso dissidium est, donec alios secunda genitura nos faciat. Generalis enim est sententia, quæ totum complectitur genus humanum. Si uni hoc dixisset Christus, vel paucis, non posse eos pervenire in Regnum Cœlorum nisi priùs renati essent, possemus conjicere, certas duntaxat personas notari. Sed de omnibus sine exceptione loquitur. At *lib.* 4 *Inst. cap.* 16. §. 26. ex opposito sic loquitur: Explodendum est eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant.

233. Dissentiunt quoque Calvinistæ quoad varia dogmata à Lutheranis. Ex. gr. Lutherus in *Confessione majore* asserit, Christum secundùm Humanitatem ubique esse. Deus (ait) multos habet modos, quibus est in loco. . . Ubicunque autem Christus est, totus est; cùm duæ naturæ in Christo inseparabiles sint, & indivisibiles, adeò, ut ubicunque dicere potes, hìc est Deus, dicere quoque necesse sit: Ergo homo quoque Christus adest &c. Negat id Calvin. *lib.* 4. *Inst. cap.* 17. *§.* 30. Non loquor de Papistis, quorum tolerabilior, vel certè magìs verecunda est doctrina: sed quosdam ita abripit contentio, ut dicant, præter unitas in Christo naturas, ubicunque est Divinitas Christi, illic quoque esse carnem, quæ ab ea separari nequeat; quasi verò unio illa conflaverit ex duabus naturis medium nescio quid, quod neque Deus esset, neque homo. Possent afferri plura exempla.

## *Zvvinglii erronea dogmata.*

234. UDalricus, vel ùt alii volunt, Huldricus Zwinglius, Canonicus Constantiensis anno 1525. cum Joanne Oecolampadio, & Andrea Carolstadio, primus omnium nostræ ætatis Hæreticorum scriptis libellis damnatum jam olim Berengarii errorem renovavit, in participatione Cœnæ Dominicæ non distribui verum Corpus & sanguinem Christi sub Imperio Caroli V. Cæsaris Germani, & Pontificatu Clementis VII. Nam cùm ejusdem Andreæ Carolstadii discipulus esset, & sui Magistri insulsa interpretatio verborum Cœnæ Domini, qua dicebat, Corpus meum, quod pro vobis datur, est hoc, quod hìc assidet mensæ, non ei placeret, novam (inquit Lindanus Dubitantii sui Dialogo 2.) sectatus est de Evcharistia sententiam: quam se se in Batavi cujusdam Epistola, teste Heshusio, reperisse fatetur, ubi *Est* pro *significat*, accipiendum didicit. Quod prodigiosum commentum exemplis è scriptura petitis, cùm nec sibi, nec auditoribus persuadere posset, narrat sibi in somno visum adesse monitorem (ater fuerit an albus, inquit in subsidio de Evcharistia, nihil memini) qui diceret, quin ignave respondes, quod scribitur *Exodi* 12. est enim phase, hoc est transitus? ita Tilmannus Heshusius contra Calvinum & Bezam. Huic errori & alios adjunxit plurimos, quibus Catholicam turbavit Ecclesiam, utì de peccato Originali, quòd sit tantùm naturæ morbus, non peccatum. Rursus Christi gratiam cum Pelagio aboliturus, hominem posse solis naturalibus virtutibus & meritis vitam æternam impetrare, ut Cato & Scipio, quos Salvatos docet libro contra Urbanum Regium. Sic Nestorii errorem revocaturus, volebat legendum esse *Joannis* 1. Verbum Caro facta est, non factum, utì Lutherus ait libro de Conciliis. Hic tantâ audaciâ in Magistrum suum Lutherum insurrexit, ut ipsum hæreticum scriberet, quòd sententiæ suæ de Evcharistia repugnaret. Contrà Lutherus Zwinglium cum suis habet hæreticum. Unde acerbissimum inter ipsos, suósque utrinque sectatores natum est bellum, quod etsi ter quater conati sunt syncretismo quodam componere, ut acriùs Catholicam Christi oppugnarent Ecclesiam, tamen semper magìs recruduit, utì liquet ex maledicis scriptis Calvini & Westphali, Bezæ, & Heshusii, Lutheri, & Zwinglii, cui sua Confessione in suppetias veniunt Tigurini, illius maledicta retundentes acerrime.

De ejus morte ita quoque tradit idem Lindanus eodem Dubitantio, *Dial.* 3. in hæc verba: etsi plerosque inquit pseudoprophetas Deus Optimus justissimis pœnis hac ex vita ex-

excruciandos ad immortales æternorum ignium abripuit cruciatus, quosdam tamen in speciem honestè mori, honorificéque sepeliri promisit, quemadmodum & Luthero, ùt ajunt sui, & Davidgeorgio quoddam ad tempus concessum videmus. Certe dira Zwinglii mors, suorum civium sanguine ac bello fratrum intestino cruenta, nonminùs est memorabilis quàm aut Arii, cui viscera vivo evellebantur: aut Nestorii, cui viscera vivo exedebant vermes: aut Luciani, quem vivum rabidi discerpsère canes. Hæc Lindanus. Qui de hac re plura volet, legat Joannis Sleidani historiam *lib.* 8. Item D. Stanislai Hosii Episcopi Varmiensis docta illa & pia opera, ubi de hujus hæresiarchæ perfidia & plasphemia varia recenset & aperit.

## *Wicleffi erronea Dogmata.*

235. Consultò Wicleffi, & Joannis Hufs errores hoc primùm loco subjicio, tametsi Lutherum, & alios prænominatos tempore antecesserint. Prateolus de primo sic incipit: Joannes Wicleffus, à quo Wicleffitæ hæretici, Anglus fuit natione, professione Sacerdos, & artium Magister, ingenio quidem valdè acri, & eloquentiâ non mediocri: multáque scripsit volumina, quibus Ecclesiam Catholicam non modicùm insectatus est. Nam in illis varia, & impietate plena dogmata sparsit, de jure tum Divino, tum humano, de Ecclesia, de Monachis, de Cæremoniis, de decimis, de obedientia, & aliis multis, quæ infrà ordine dicentur. Floruit autem tempore Caroli IV. Germani Cæsaris, & Clementis VI. Summi Romanorum Antistitis, circiter Annum Domini 1352. Contra hunc & suas asseclas Thomas Valdensis scripsit anno 1410.

De hoc Joannes Nider in *Form. lib.* 3. scribit in hunc modum: in Anglia, inquit, infrà Sexaginta Annos vivebat quidam Sacerdos Sæcularis, artium Professor, acer ingeniò, & eloquentiâ lepidus, sed errore, scriptis, & vitâ nedùm hæreticus, *sed* & Hæresiarcha, Joannes *Wicleffus dictus*: qui suis Libellis in *Anglica* & Latina doctrina nova editis, Rempublicam subvertere molitus est, & cujus articuli valdè occulti sunt. Hieronymus de Praga in Anglia studens, hujus Venenum avidè hausit, & posteà Pragæ copiosè effudit. Hæc ille. Tandem verò, Deo miserante, apud Constantiam generale Concilium coactum est, pro totius Ecclesiæ per hujus hæretici impiam doctrinam jamjam dissipatæ reunione atque reformatione: in quo inter reliqua ibidem acta, quadraginta quinque Articuli ex ejus libris excerpti, condemnati fuère. At verò quoniam tunc temporis idem Wicleffus jam vitâ functus erat, habita priùs diligenti & accurata examinatione super ejus finali impœnitentiâ ac pervicaciâ, Concilium censuit eundem Joannem fuisse hæreticum; ideóque ejus ossa jussit (si quoquo modo ab aliis fidelium Corporibus possent discerni) effodi & exhumari, atque extra Ecclesiam projici. Hæc porrò omnia in octava ejusdem Concilii Sessione acta fuère. Sequuntur Dogmata damnata,

1. Substantia Panis & Vini materialis post Consecrationem remanet in Sacramento Evcharistiæ.

2. Accidentia Panis & Vini non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.

4. Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. In Evangelio fundatum non est, Christum Missam instituisse vel ordinâsse.

6. Deus dedit obedire diabolo.

7. Si homo debitè contritus fuerit, Confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

8. Si Papa malus est, & per consequens membrum diaboli factus, super fideles potestatem non habet ab aliquo sibi datam, nisi fortè à Cæsare.

9. Post Urbanum Sextum non est aliquis recipiendus in Summum Pontificem, sed more Græcorum vivendum est moribus propriis, sine ulla coactione superioris imperantis.

10. Contra Scripturam Sacram est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat illum excommunicatum à DEO: & qui aliter excommunicat, ex hoc efficitur hæreticus & excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui ad regem vel regis Concilium provocavit, ipse proditor est regis & regni.

13. Qui propter excommunicationem hominum concionari desinunt, vel audire Dei Verbum, sunt reipsa excommunicati, & in die judicii proditores Christi habebuntur.

14. Licet cuivis Diacono vel Presbytero prædicare Verbum Dei absque Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici permissu & authoritate.

15. Domini temporales ad arbitrium suum possunt bona temporalia ab Ecclesia auferre, iis, qui ea possident, habitualiter, id est, non solùm actu, sed habitu, delinquentibus.

16. Populares & subditi possunt pro arbitrio suo dominos delinquentes corrigere.

17. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, quas etiam Parochiani possunt, propter suorum Prælatorum peccata, ad libitum suum illis auferre.

18. Speciales orationes uni personæ per Prælatos vel Religiosos applicatæ, non plùs illi prosunt, quam generales, cæteris paribus.

19. Ille, qui Fratribus Religiosis eleemosynam confert, eo facto excommunicatus est.

20. Si quis Religionem privatam, qualiscunque sit, seu possessiones habentium, seu mendicantium ingreditur, hoc facto ad Dei Mandatorum observationem redditur ineptior & inhabilior.

21. Sancti, qui Religiones privatas instituerunt, sic eas instituendo peccaverunt.

22. Religiosi in Religionibus privatis degentes, à Religione Christiana excluduntur.

23. Fratres Religiosi manuum labore sibi victum comparare tenentur, & non per mendicationem.

24. Qui Fratribus Religiosis in temporalibus subveniunt, omnes sunt Simoniaci, tum etiam Religiosi ipsi, qui se pro illis orare vovent, & adstringunt.

25. Oratio præcisè nulli valet aut prodest.

26. Omnia absoluta necessitate eveniunt.

27. Confirmatio, Jejunium, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis, ob lucri temporalis & honoris ambitionem.

28. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria, ab eisdem Papa & Episcopis sunt vana gentilitate introducta, & non plùs Ecclesiæ prosunt, quàm diabolus.

29. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque Prælati, non est metuenda, quòd Censura sit Antichristi.

30. Claustra fundantes, & ea ingredientes, peccant, & sunt viri diaboli.

31. Clerum ditare, est contra Regulam Christi.

32. Sylvester Papa, & Constantinus Imperator, errârunt Ecclesiam dotando.

33. Quotquot sunt ex mendicantium ordine, sunt hæretici, & qui eis eleemosynas erogant, sunt excommunicati.

34. Religionem aut aliquem ordinem ingredientes, inhabiles sunt ad Divinorum præceptorum observationem, & ex consequenti ad regni æterni consequutionem, nisi ab eo statu resilierint, aut prorsùs defecerint, vel exciderint.

35. Papa cum omnibus sui ordinis possessiones habentibus, sunt hæretici, eò quòd contra jus Divinum possessiones habeant, & non solùm ii, sed omnes, qui illis consentiunt, Domini videlicet Sæculares & Laici.

36. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec est Papa immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.

37. Epistolæ Decretales sunt apocryphæ, abducúntque à Christi fide quamplurimos, ex quo stulti habentur Clerici, qui eis operam dant.

38. Imperator Constantinus cæteríque temporales Domini, ut Ecclesiam bonis temporalibus dotarent, à diabolo seducti fuerunt.

39. Electio Papæ à Cardinalibus, est à Cacodæmone introducta.

40. Credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, non est de necessitate salutis.

41. Error esset non minimus, si quis per Romanam Ecclesiam intelligeret universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut primatum Summi Pontificis alias particulares excellere.

42. Fatuum est, credere indulgentias Papæ & Episcoporum aliquid momenti habere.

43. Juramenta quæ fiunt ad humanos Contractus & Commercia Civilia roboranda, illicita sunt.

44. Augustinus, Benedictus, & Bernardus, nisi pœnituerunt, damnati sunt, quòd Religiones & instituerint, & intrârint, & possessiones temporales eas habere voluerint & permiserint.

45. Ex quo concludendum, à Papa usque ad ultimum Religiosum, omnes fore hæreticos, & omnes Religiones indifferenter introductas esse à diabolo.

## *Joannis Huss erronea Dogmata.*

239. HUssitæ à Joanne Huss genere Bohemo appellati sunt. Hic cùm impiam Waldensium & Wicleffitarum Sectam & insaniam amplexatus fuisset, tanta dementia in eorum doctrina profecit, ut velut Viperinum exitiale genimen, matris suæ Ecclesiæ viscera corrodere nunquàm cessârit, donec in Concilio Constantiensi damnatus, vivus exustus est sub Wenceslao Cæsare Germano, & Gregorio hujus nominis undecimo, circa Annum Domini 1377. Cæpit autem apud Pragenses primùm publicè docere contra indulgentias Pontificias: atque ex hac occasione perniciosi tunc tumultus in Bohemia contra Sacerdotes & Monachos exorti sunt. Prateolus, qui sic prosequitur. Eorum verò insania (ùt scribit Æneas Sylvius, qui posteà Pius Secundus Romanus Pontifex dictus est, inde Origine Bohemorum, *cap.* 37) talem actum habuit: quidam, inquit, nobilis Bohemus, ex domo quam putridi piscis vocant, apud Oxoniam Angliæ Civitatem studens, Libros Joannis Wicleffi invenit, & secum tanquam thesaurum Patriæ suæ intulit, & hoc virus fœtidum tanquam putridum piscem

cem in suos cives evomuit, & post Recessum Teutonicorum de Praga ad Lipsiam, Joannes Husś de libris Joannis Wicleff multa attulit in medium, asserens in eis omnem veritatem contineri. Et ita multos ad se pertraxit, qui cœperunt latrare in Sacerdotes, & ab Ecclesia Catholica recesserunt, & impiam Waldensium Sectam atque pervicaciam amplexi sunt. Adeò quidem, ut ab isto Joanne omnes penè Bohemi infecti fuerint. Qualiter verò in Concilio Constantiensi exustus sit, suprà dictum est in Hieronimo de Praga. Sequuntur jam ipsa Dogmata. Dicit

1. Romanum præsulem reliquis Episcopis parem esse.

2. Inter quosvis Sacerdotes nullum discrimen esse.

3. Presbyterum, non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem.

4. Purgatorium ignem nullibi inveniri.

5. Mendicantium Religiones, malos dæmones adinvenisse.

9. Intra Ecclesiam bonos & malos non esse: sed in ea solos bonos contineri, illàmque eos tantùm complecti.

7. Sub utraque specie, panis scilicet & vini, necessariò communicandum esse.

8. Excommunicationem à Summo Romanorum Pontifice, aut ab alio quocunque Ecclesiæ Prælato inflictam, non esse timendam, quòd ea sit (ùt ait) Censura AntiChristi.

9. Omnia necessitate absoluta fieri, neque posse aliter fieri quàm fiunt: ideóque superfluas & inutiles fore orationes, quæ ad DEUM mittuntur, quoniam si omni (inquit) necessitate absoluta fiunt, frustra quis DEUM pro ea re, quæ futura sit, oraverit, utpote quæ, tametsi non oret, sit eventura: aut si futura non sit, etiamsi oret, nusquam sit eventura.

10. Dicebat etiam, eum, qui à DEO prædestinatus est ad vitam, etiamsi mala opera agat, nunquam posse esse membrum diaboli: & illum, qui à DEO ordinatus est ad mortem, quantumcunque tunc vivat, nunquam posse esse membrum DEI. Quam pestilentissimam hæresin (ùt Alponsus de Castro adversus hæreses *Lib.* 12. ait) Anno Millesimo quingentesimo tricesimo quarto amplexati sunt aliquot vulgares & Idiotæ homines in Hollandia & Phrisia, asserentes, nulli hominum bonum opus prodesse, aut malum obesse: sed omnia pendere ex sola prædestinatione & præscientia Divina: quæ doctrina quot justos homines à bonorum operum exercitio avocaverit, & peccatores ad quævis scelera perpetranda impulerit, dici non potest.

11. Dicebat rursus, liberam esse cuilibet Christiano Verbi DEI prædicationem: adeò quidem, ut quantumlibet illi à Superiore interdicatur, ne id agat, illum tamen liberè & citra controversiam posse prædicare Verbum DEI.

12 Asserebat denique, Sanctos ab hominibus neque honorandos, neque invocandos esse, sed soli DEO omnem honorem & gloriam deferendam.

13. Docebat quoque, duas naturas in Christo, Divinitatem scilicet & humanitatem unum efficere Christum.

14. Item quòd quadraginta quinque Articulorum Joannis Wicleff condemnatio per Doctores Sac. Theologiæ facta, iniqua esset, & rationi dissentanea.

## *De Anabaptistis.*

237. HOrum denominatio ab iterato Christi baptismo deducta est. Origo Anabaptismi ad Annum circiter 1522. ab Annato in *Apparatu*, *lib.* 7. *art* 8. refertur, habens probabiliter pro suo Authore Nicolaum Storkium, qui, postquàm à Luthero, cui adhæserat, defecit, insolitas revelationes, quasi eas à S. Michaële Archangelo acciperet, ventilare ac jactare incipiens, Wittembergâ pulsus, pèrque Thuringiam divagatus, tandem apud rusticos, & idiotas circa Secreta jactata, fidem invênit. His persuasit, ut libertatem profiterentur Evangelicam, spretáque rerum mundanarum curâ, soli Deo vacarent, séque rebaptizari sinerent, & huic doctrinæ repugnantes igne ferróque delerent. Parvulis rationis usu nondum potitis baptismum nil prodesse docebat, occasione capta ex Lutheri epistola ad Waldenses, sive Picardos missâ, in qua Lutherus dicit, satius esse Baptismum in parvulis omitti, quàm illum sine fide conferri: propter illud apud Marcum *cap.* 16. *v.* 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit &c.* Sed advertere debuissent, verba citata de adultis intelligenda esse.

238. Anabaptistæ quidam vocantur primò Muntzeriani à Thoma Muntzerio Alstensi in Thuringia Concionatore, qui antehàc Sacerdos Catholicus ad Lutherum apostatavit, tam scitè enthusiastam agens, & vitæ austeritatem simulans, ut illius non tam propagator, quàm Author creditus fuerit.: secundò Adamitæ: tertiò Baculares seu Steblerii: item Clancularii: Manifestarii: Sabbatharii: Dæmoniaci: Communia habentes: Condormientes: Lachrymantes sive ejulantes: Davidiani: Mennonitæ: Polygamistæ: de quorum omnium pravis doctrinis videatur laudatus Annatus *cit. artic.* 8. & Prateolus in *Elencho Hæresum V. Anabaptistæ.*

## *De Sacramentariis.*

239. ISti vulgò nominantur Anti-Lutherani, ad tertiam Evangelicorum classem pertinentes. Referente Lindano *Dubitantii sui Dialogo secundo*, ab Andrea Carolstadio originem ducunt, quòd is, teste Melanchtone primus disputârit, non esse præsens in Cœna Corpus Domini, primùmque tumultum excitârit circa Annum 1524. verba Christi in hunc detorquens sensum: *Corpus meum, quod pro vobis datur, est hoc, quod hic assidet mensa.* Fuit hæc hæresis, negans realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia, jam dudum damnata. Ex novis propagatoribus iterum varia in alias sectas subsecuta est divisio, ut aliqui appellentur *significativi*, utpote tenentes, in Eucharistia esse solum Christi Corporis signum: alii *Tropistæ*, quòd solam figuram Corporis adesse admitterent: alii *Energici*: quòd solam virtutem illius: alii *Adessenarii*, quòd vellent, Corpus esse aut in pane, aut circa panem, aut cum pane, aut sub pane: alii Pastillarii, Metamorphistæ, Iscariotæ, vel Neutrales &c.

240. Bis-Sacramentales vocantur, qui è schola Lutheri duo admiserunt Sacramenta, Baptismum, & Cœnam: Tri-Sacramentales, qui tertium de absolutione adjungunt: Quadri-Sacramentales, qui quartum de Sacerdotio adstruunt. Nunc de Confessionistis.

# QUÆSTIO DUODECIMA.

## *Sitne Augustana Confessio certa fidei, & tuta salutis Regula?*

241. COnfessio Augustana à quodam Polemico hunc in modum describitur: Est Symbolum fidei Lutheranæ, quod ex scriptis Lutheri per Philippum Melanchtonem collectum, & in ordinem redactum, in Comitiis Augustanis Anno 1530. exhibitum est Invictissimo Imperatori Carolo Quinto. Symbolum autem fidei Dorscheus Professor Argentinensis in Dissert. ita definit: „Est „doctrinæ eorum, quorum Symbolum est „succincta summa, ex Verbo DEI & Sacro-„sanctis Prophetarum & Apostolorum scrip-„tis collecta, ita, ut per illud tanquam per „indubitatam notam omnes Orthodoxi ubi-„que terrarum agnosci, & in præcipuis ac „substantialibus fidei Articulis ab Adversa-„riis suis discerni possunt.

242. Prædicta Confessio non est sortita nomen *Augustana* proptereà, quòd apud Augustanos Protestantes sit recepta, cùm etiam in variis aliis locis in usum venerit; sed quia Augustæ in Comitiis Carolo Quinto oblata fuit. Complectitur autem secundùm Melanchtonis distributionem 28. Articulos. Ex iis 21. ad fidei doctrinam, reliqui 7. ad mores spectant, de *Abusibus* inscripti: & secundùm assertionem supra dicti Theologi Polemici in cursûs sui Polemici Augustæ Vindelicorum typis mandati *Appendice de Augustana Confessione art.* 1. *sub. n.* 4. ex primis viginti & uno Articulis cum doctrina Catholica decem conveniunt: nempe 1. de Essentia Divina. 3. De Christo JESU & Verbo Incarnato. 8. De Administratione Sacramentorum. 9. De Baptismo. 10. De Cœna Domini. 14. De vocatione Ministrorum. 16. De rebus Civilibus, quòd nempe Christianis liceat Magistratus gerere, & bella. 17. De extremo Judicio, beatitudine, damnatione æterna. 18. De libero arbitrio. 19. De Auctore peccati. Reliqui undecim ex 21. (ùt dicitur in præfata *Appendice*) sunt vel ex toto vel ex parte erronei, si non apertè, saltem latenter, uti de Justificatione, fide, bonis operibus &c. Dixi: *Saltem latenter*: eò quòd plurimi articuli ita obscurè & callidè sint positi, ut mentem Lutheri & Lutheranorum non clarè explicent; „imò non-„nunquam contrarium explicare videantur, „ut nimirum Catholici Principes, qui unio-„nem & concordiam ardenter urgebant, exi-„stimarent, Protestantes in plerisque, muta-„tâ Sententiâ, consentire.

243. Et quamvis Imperator Carolus præceperit, totam doctrinam sibi proponi, & post oblatam Confessionem seriò scire petierit, utrùm non alios adhuc articulos haberent, Catholicis adversantes, ùt videre est apud Georg. Cœlestinum in *Hist. Com. Aug. tom.* 2. 13. Julii, Sleidanum *l.* 7. *fol.* 213. & Chytræum *in Hist. Conf. fol.* 195. 196. 197. „Ubi recensentur etiam aliqui articuli con-„troversi, quos Melanchton & socii ejus, „probabiliter tamen inscio Saxone & Princi-„pibus Lutheranis, studio dissimulârunt, „tanquam *exosos & odiosos*, ùt vocabant, „nimirum 1. an omnia ita fieri debeant, ùt „fiunt: 2. An liberum Arbitrium sit nihil: „3. An DEUS etiam faciat mala: 4. An om-„nes Christiani sint Sacerdotes: 5. An Papa „sit Summus Episcopus jure Divino: 6. An „indulgentiæ sint admittendæ: 7. An quod-„libet opus bonum sit peccatum mortale: „8. Utrùm Laicus possit conficere Sacra-„mentum: 9. An Confessio Auricularis sit

„ad

„ad salutem necessaria: 10. Utrùm sint plùs „minùs septem Sacramenta &c. Quæ dissi„mulatio fuit prorsus fraudulenta, contra „Mandatum Cæsaris, contra Sponsionem „Protestantium, non tamen contra volun„tatem Lutheri, qui durantibus Comitiis „ex eremo sua, id est, ex Arce munitissi„ma, in qua à Saxone detinebatur occultè, „ne tradi deberet Cæsari plectendus, ad „Melanchtonem (Germanicè Schwartz-Erden) ita scripsit: *Si vim evaserimus, pace obtenta, dolos, mendacia, ac lapsus nostros facilè emendabimus.*

244. In septem ultimis Articulis, quos de *Abusibus* inscribunt, 1. reprehendunt Catholicos, quòd laicis usum Calicis negent: 2. quòd Sacerdotibus conjugia prohibeant: 3. quòd Missam privatam celebrent sine Communione populi, & ex ea nimis frequenti, quæstum colligant, & in Missa publica nullas cantiones Germanicas admisceant, quibus doceretur populus. 4. Quòd in Confessione onerent conscientias curâ enumerandi omnia delicta, cùm tamen recitare omnia, impossibile sit. 5. Quòd quotidie instituant novas Cæremonias, novos Ordines, novas ferias, nova jejunia, quibus gravatur populus, cùm doceant, hæc opera esse necessaria ad promerendam gratiam. 6. Quòd vitam & vota Religiosa nimis extollant contra Mandatum DEI, quod quemlibet jubet habere uxorem suam propter fornicationem: & contra gloriam Christi; quia Votis tribuunt justificationem, non fidei in Christum: & contra infirmitatem naturæ humanæ, cui Castitatis observatio sæpe est impossibilis, quæ tamen subindè inconsultò vovetur: propter quas & similes causas Protestantes vota illa volunt esse irrita. 7. Quòd nimis amplam potestatem sibi arrogent Episcopi & Papa, in condendis novis traditionibus & legibus humanis, quasi hæ essent necessariæ ad promerendam justificationem, quod est contra libertatem Christianam, & contra præceptum Divinum. Item quòd aliqui Episcopi non solùm usurpent potestatem Ecclesiasticam prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, administrandi Sacramenta, rejiciendi doctrinam ab Evangelio dissentientem, excludendi à communione Ecclesiæ, quæ potestas ipsis competit jure Divino; verùm etiam sibi arrogent potestatem Civilem & Imperii, quâ conati etiam sunt transferre Regna Mundi. Hæc continentur in Articulis, quos formant *de Abusibus* Ecclesiæ Catholicæ temerè imputatis, prout videre est in *cit. Appendice de Confess. Augustana.* His præmissis, sequitur

245. Assertio: *A*ugustana Confessio non est certa fidei, nec tuta salutis Regula. Ostenditur. Quod est certa fidei, & tuta salutis Regula, debet habere auctoritatem infallibilem: hæc Augustanæ Confessioni non competit. Ergo non est certa fidei, & tuta salutis Regula. Prob. min. vel talis auctoritas esset Divina, vel humana? neutrum dici poterit. Non utique dicent, quòd ab auctoritate humana, quam adversarii contra Catholicos toties ùt fallibilem incusant & rejiciunt, novæ suæ Confessionis infallibilitas accipiatur. Sed neque ab auctoritate Divina: quia si Libellus Confessionis Divina præfulgeat auctoritate, Divinis & Canonicis est accensendus Scripturis: at hoc Confessionistæ non prætendent: sibi ipsis enim contradicerent: nam in ipsorum principiis nihil est credendum, quod non est in sacris Scripturis: at ubi est hoc in sacris Scripturis, quòd ab homine privato aliquando sit componendus libellus, qui normam & fidei doctrinam contineat, & tanquam nova Divinæ Scripturæ additio recipi debeat?

246. Neque replicent, Confessionem illam sacris Scripturis per omnia conformem & consonam esse, proindéque, propter hanc conformitatem, de illius auctoritate aut infallibilitate omne dubium sublatum esse. Nam redit argumentum: vel libellus Aug. Confessionis est Divina Scriptura, vel Divinæ Scripturæ interpretatio? Si dicatur primum, jam augetur numerus sacrarum Scripturarum, cujus quidem auctarii auctores essent homines fallibiles, Lutherus scilicet remotè, proximè Philippus Melanchton, Germanicè Schwartz-Erden. At ubi hoc scriptum est in sacris Litteris, per ejusmodi homines aliquando fore augendum numerum Div. Scripturarum? ubi scriptum, quòd ex Mandato DEI id fecerint: quòd fuerint Missi: quòd non erroneè, temerè, fraudulenter, vel imperitè gravissimum hoc negotium tractaverint? Si autem dicatur secundum, quòd Libellus ille sit nuda Scripturarum interpretatio, Adversarii iterum in principiis & consequentia doctrinæ suæ hallucinantur; Siquidem juxta ipsos Scriptura est per se clara, interpretatione haud indiga: imò per seipsam est non tantùm lex, sed & Judex. Deinde aliud est Scriptura à Prophetis & Apostolis profecta, aliud ejus per hominem privatum ex Spiritu privato attentata interpretatio. Illa est Verbum DEI, certum, invariabile, & infallibile: hæc autem humana est, ideoque imbecillitati humanæ & fallibilitati obnoxia.

247. Alio quoque ex principio impugnantur: nam, ut Scripturæ legitima sit interpretatio, debet priùs certò constare, quæ sit legitima Scriptura: item quis verus illius sensus? Atqui (veluti infra probabitur) Luthero, Melanchtoni, eorúmque sequacibus certò constare non poterat, quæ esset legitima Scriptura, item, quis verus illius sensus, quia judicium privatum in istis est nimiùm fallibile, & Spiritûs privati testimonium varium, fallax, ac multiplex, ut propterea

tereà infallibilis authoritas *quoad nos* debeat haberi à vera Ecclesia, seu illius Capite, cui promissa Divinitus fuit infallibilis Spiritûs Sancti assistentia. Ergò &c. Sed de hoc plura, ubi de authoritate agemus.

248. Accedit primò, quòd Symbolum fidei, pro quali Protestantes suam Confessionem venerantur, debeat esse publica Confessio, talisque veræ Ecclesiæ Nota & norma, ex qua omnes veri Christiani ubique terrarum, omnique tempore cognoscuntur: At Confessio Augustana nec est recepta in plerisque Orbis partibus, sed partim rejecta, partim inaudita: insuper ante Lutheri Melanchtonisque tempora inter Christianos prorsus erat incognita: igitur Confessioni Augustanæ immeritò ratio Symboli fidei affingitur. Quin imò ex ipsa Lutheri Sententia, præter Apostolos, nemo de fide rectè judicare valet: ait enim *tom. 2. Jen. fol.* 491. *Ego neminem scio, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis, ad id ipsum electis* (quod bene notandum est, quia convincit, nec Lutherum, nec Melanchtonem, nec alium quempiam ex illorum classe electum aut vocatum fuisse ad concinnandum aliquod fidei Symbolum, formam, aut normam credendorum) *ut eam rem purè docerent, & doctrinæ fundamenta jacerent. In cæteris libris omnibus id nequaquam reperitur.*

249. Secundò: Si Augustana Confessio est Symbolum distinctivum Lutheranorum à non Lutheranis, tunc etiam est discerniculum illorum à Catholicis: At hoc negat ipsa Confessio August. Prob. min. Quando negat, Ecclesias suas à Catholica dissentire (saltem in substantialibus) tunc eo ipso Confessionistæ negant, Symbolum illud fidei esse discerniculum Lutheranorum à Catholicis: atqui negant, Ecclesias suas à Catholica dissentire (saltem in substantialibus, quia solos abusus, ut vocant, excipiunt) negant, inquam, id princ. articulorum de abusibus hisce verbis: *Cùm Ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica; tantùm paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, & contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti.* Ergo &c.

250. Tertiò: Si voluerint Symbolo fidei suæ proprio sese à Catholicis discernere, nonne necessum erat, articulos, in quibus dissentiebant, exprimere, & non quosdam expressim ponere, alios silentio præterire? At verò Confessionistas ita egisse (tametsi desuper fuerint commonefacti, ut omnia exprimerent) constat ex ipso Lutherano David Chytræo in *Histor. Confess. August. fol.* 122. ibi: Cæsarea Majestas per Ducem Fridericum Comitem Rheni, Hoierum Comitem à Mansfeld, & N. Comitem ab Helfenstain, quæri jubet ex Joanne Saxoniæ Electore, & conjunctis Principibus; an acquiescere articulis Confessionis anteà exhibitis, an verò plures articulos proponere velint. Ad hoc quæsitum, consultis priùs Theologis suis, responderunt Principes Confessionistæ. Quia Cæsar. Majestas publicis litteris, quibus indicitur Conventus, significat, hæc negotia Religionis inter nos cum mutua charitate & mansuetudine agenda esse, non est visum nuper omnes abusus sigillatim enumerare: sed exhibuimus in genere Confessionem, in qua ferè complexi sumus Summam doctrinæ, quæ apud nos docetur, tanquam præcipuè ad salutem animarum utilis, ut Cæsar. Majestas planè perspicere possit, nullum apud nos impium dogma receptum esse. Adhæc magis duximus illos abusus attingere, qui nostris & nostrorum conscientiis oneri fuerunt, quàm qui hærent in moribus Ecclesiasticorum.

251. In hac Responsione duo sunt animadvertenda. Primum, quòd Confessionistæ fateantur, præcipuos se fidei, quos pro fundamentalibus habebant, articulos expressisse, non autem omnes abusus: ídque ampliùs & clarè subindicatur in Epilogo Confessionis per ea verba: *Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam: quamquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus.* Alterum est, quòd dicant, se illos expressisse articulos, qui præcipuè ad animarum salutem utiles ipsis videbantur, & suis conscientiis oneri fuerunt. In principio autem articulorum de Abusibus (uti apparet ex *n.* 249.) palam professi sunt, Ecclesias suas de nullo articulo fidei dissentire ab Ecclesia Catholica. Quomodò ista concordant? Si spectant ad salutem, dubio procul sunt substantiales: si ergo in his aliter credant, quàm credat Ecclesia Catholica, utique Confessionistarum Ecclesiæ à Catholica non tantùm in rebus, quas *Abusus* vocant, verùm etiam in substantialibus quibusdam dissentiunt.

252. Tertium animadvertendum est, quòd in Confessione Cæsareæ Majestati porrecta studiosè dissimulârint, quid credant circa numerum Sacramentorum: ut adeò ex tali silentio videri aut argui potuerit, se in admittendo Sacramento Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Matrimonii idem tenere, quòd tenet Ecclesia Catholica. Eadem præteritione utebantur circa substantialem controversiam de auctoritate Suprema Romani Pontificis. Cúmque asserere non vereantur, illam in Ecclesia Supremam auctoritatem citra hæresin defendi non posse, imò pro articulo fidei reputent, quòd *Papa sit Antichristus*, an non in suo Symbolo prætenso hanc suæ fidei doctrinam confiteri debuissent?

253. Accedit secundò. Symbolum fidei debet esse talis doctrina, quam ejusdem pro-

tes-

fessoribus deserere, aut cui procuranda nova concordia aliquid contrarium pacisci, aut concludere non licet: cùm igitur hoc acciderit de Confessione Augustana, quis Salutis suæ æternæ solicitus curator eam ùt Symbolum, seu certam fidei tutámque Regulam amplecti poterit? Suppositum propositionis minoris facile evincitur ex facto ipsius Auctoris Philippi Melanchtonis ejúsque sociorum, qui ab illa Confessione, concordiæ causâ, in quibusdam recedere non dubitârunt, Cochlæo (qui actis omnibus interfuit) id attestante in via 5. Præparatoria, ubi sic loquitur: Cùm sint tantùm 28. Articuli Confessionis Augustanæ, in eo Tractatu Concordiæ super 16. Articulis plenè, in multis verò aliis semiplenè (ut sic loquamur) concordatum est. In

254. Exemplum producitur *Artic.* 4. quo Confessionistæ docuerant; *Quòd homines gratis justificentur propter Christum per fidem, cùm credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit: Hanc fidem imputat DEUS pro justitia coram ipso, Rom.* 3. *&* 4. Quid aliud hâc doctrinâ intenderant, quàm nos justificari per extrinsecam nobis imputatam Christi justitiam, quæ per fidem apprehenditur? Nónne autem (ùt refert Chytræus in *Summa Tractatûs Concordiæ fol.* 240.) posteà concordatum fuit? quòd *justificatio & remissio peccatorum fiat per gratiam gratum facientem, & fidem formaliter; per Verbum & Sacramentum instrumentaliter.* Hinc in Confirmationem nostræ Assertionis

255. Accedit tertiò, quòd Confessio Augustana, ut haberet rationem Symboli fidei, debuisset mansisse stabilis, constanter recta, nulliúsque correctionis fuisse indiga; at contrarium evenisse, monstrat & conqueritur Cochlæus in *via 6. praparator.* ad concordiam: „ Exemplaria, ait, quæ per Typographos in publicum edita sunt, neque inter se concordant, neque Originali scripto, quod Cæsar. Majestati exhibitum fuit, per omnia consonant, aut rectè correspondent; licet mentiantur in titulo & superscriptione: in qua sic habetur: Confessio Fidei exhibita Invictissimo Imperatori Carolo V. Cæsari in Comitiis Augustæ Anno M.D.XXX. Est quidem in omnibus, quæ nobis videre licuit, exemplaribus idem titulus; sed verba, sensúsque Confessionis in plerisque locis & Articulis non parùm variant, & exemplaria inter se diversa atque etiam discordia sunt.

256. Quòd si Melanchtonis, qui Auctor est Augustanæ Confessionis, vacillantem fidem, doctrinæque instabilitatem, qua compluries à seipso dissentit, perpendamus, quantum non hujus prætensi Symboli auctoritati & infallibilitati decedit? Quis amabo! Ductorem & Doctorem contradictionum & variationum infamiâ sordescentem sequatur, illius scripta, compilationes, definitiones, interpretationes, regulas &c. sine formidine recipiat, in ea maximè causa, ubi de vera Religione, ipsóque Regno DEI vel consequendo, vel amittendo gravissimè certandum, & cautissimè vigilandum? Farraginem autem ejusmodi contradictionum Coccius *Lib.* 8. *de Signis Ecclesiæ* ex propriis Melanchtonis lucubrationibus ad oculum demonstrat. Exempla aliquot brevissimè attingamus. Ad *cap.* 8. *Epist. ad Roman.* editione prima asserit, DEUM mala in hominibus operari: Contrarium tenet in *Editione ultima locor. commun. cap. de libero arbitrio.* Iem *Editione prima locor. commun.* Bona opera improbat, dicendo: Omnia hominum quantumvis laudabilia opera, *planè vitiosa sunt, & morte digna peccata*: Contrarium habet *ad Evangel. Dominica* 4. *post Trinitat.* dum ait: Scimus, oportere in salvandis existere inchoatam obedientiam, nec sine ea posse hominem salvari. Rursus: in *prima editione locor. communium, cap. de Signis,* Sacramenti nomen rejicit, inquiens: quæ alii Sacramenta, nos signa appellamus. Recipit econtra *in postrema editione locorum commun. cap. de Sacramentis* ibi: cum vocabulum Sacramenti de cæremoniis intelligitur institutis prædicatione Christi, numerantur hæc Sacramenta, Baptismus, Cæna Domini, Absolutio &c. Estque notandum, quòd Melanchton in Apologia sua Confessionis Augustanæ, prædicta tria Sacramenta admittat, nomine absolutionis intelligendo Sacramentum Pœnitentiæ: econtra *Editione* 2. *locor. communium* recipiat duo tantùm; ait enim: Duo sunt signa à Christo instituta in Evangelio: Baptismus, & participatio Mensæ. Nolo lectorem pluribus detinere. Melanchton suæ inconstantiæ testimonium ipse contra se perhibet *Epist.* 2. ad Martin. Lutherum: In Apologia quotidie multa mutamus. Subinde enim mutanda sunt, & ad occasiones accommodanda.

257 Ipsi quoque Lutheri asseclæ Antilogias Philippi fatentur & reprehendunt, ùt Saxonici Theologi in *Colloquio Altemburgensi fol.* 377. affirmamus, Philippum in hac Controversia non sentire cum Luthero, & Verbo DEI. Illud saltem de locis Philippi paucis & modestè addimus: Primùm constare, Philippum toties ferè eos mutâsse & rebus & verbis, ùt quibus sit adhibenda fides, in dubio sit. Secundò, Lutherum istam crebram mutationem improbâsse, ex fide dignis accepimus &c. *fol.* 402. Non possunt multi pii fasciculum illum librorum Philippi, quem corpus doctrinæ vocant, sine discrimine pro nomine doctrinæ accipere. *Fol.* 463. 425. 424. locos communes Philippi propter crebram innovationem cothurnum, non locos Theologicos, sed jocos potiùs Theologicos appellant. Inter cujus & Martini Lutheri do-

ctrinam asserunt tantum fuisse dissensum, & discrepantiam tantam, quanta est inter æstatem & hyemem dissimilitudo.

258. Jam obtestor omnes Jurisperitos, an homini tam inconstanter se gerenti, tam sæpe suas Sententias mutanti, tam frequenter sibi contradicenti, in causa aliqua civili foret adhibenda fides, sive Judicis, sive testis, sive Notarii Officio fungi vellet?

259. Contraria allegantem non audiri, textus dicit in *l. Titia.* 100. *ff. de Condit. & demonstrat. l.* 26. *Cod. de Transact. cap. imputari.* 13. *de fide Instrum.* qui enim tantoperè variat, & sibi contrarius est, fortissima juris præsumptione se gravat. Ideòque non meretur, ut aliqua ipsi fides adhibeatur. *l. qui falso* 16. *ff. de Testibus.* Si ita in Civilibus res se habeat, quantò minori fide digni sunt, qui in causis Dogmaticis, Religionis, & æternæ salutis desultoria contradictione vel variatione animi sui inconstantiam palam profiteri non sunt veriti? Sed contra

260. Arguis primò: Confessio Evangelica est S. Scripturæ præsertim Evangelio conformis: atqui Augustana est Evangelica: passim enim receptum noscitur, Augustanæ Confessioni addictos nuncupari Evangelicos, imò omnes Lutheri sequaces. Itaque Augustana Confessio est Scripturæ, præsertim Evangelio conformis. Ad hoc diversimodè potest responderi. Primò: Confessio Catholico-Evangelica est Scripturæ conformis, con. Maj. Lutherano- & Melanchtonico-Evangelica, neg. Maj. Augustana est Evangelica, Lutherano- & Melanchtonico-Evangelica, con. min. est Catholico-Evangelica, neg. min. & conseq. Sub hac distinctione transmittitur, Augustanæ Confessioni addictos esse Evangelicos, in sensu absoluto nequaquam. Neque isthæc distinctio suo caret fundamento. Nam Protestantes & Confessionistæ ipsimet aliter nolunt esse Evangelici, quàm quo modo Lutherus, Melanchton, & reliqui Confessionis fautores, Evangelium recipiunt, & interpretantur. Hoc autem innuit, ipsos non esse purè & absolutè Evangelicos, sed cum restrictione, scil. Lutherano- seu Melanchtonico-Evangelicos. Sub simili restrictione etiam Calvinistæ (qui se *reformatos* scribunt) titulum Evangelicorum sibi attribuere, vel potius in communionem assumere possunt; Zwingliani itidem: nònne enim fatebuntur, se esse vel Calvino- vel Zwinglio-Evangelicos? Secundò: Confessionistæ, aut Lutherani (sicut & eorum Confessio) ad summum possunt dici Evangelici secundùm quid: non verò simpliciter & universaliter: ut enim hac universali prædicatione insigniri possent, non debuissent sequi eos Authores, qui secundùm hactenus demonstrata, tot Evangelio contraria docere, & populum Principésque ab unitate Ecclesiæ universalis, seu Catholicæ abducere ausi sunt: quique Consilia Evangelica, à Christo expresse pro majori perfectione non quidem sub præcepto tradita, sed aliàs salubriter commendata, ex cordibus omnium radicitus evellere, imò etiam ad impossibile reducere collaborârunt: quasi non esset scriptum de voluntaria paupertate *Math.* 19. *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* De voluntaria castitate. *Math.* 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Dei; sed non omnes capiunt verbum hoc &c.* Mirúmque est, quòd Adversarii mandatum ducendæ uxoris fingant; cùm, illo admisso, omnes cœlibes damnarentur: non enim tam votum castitatis perpetuæ, quàm Cœlibatus ipse ejusmodi mandato ab humano genere proscriberetur. An forsan Paulus nos fallit, quando dicit: *Qui non jungit* (matrimonio virginem suam) *meliùs facit: & beatior erit, si sic permanserit:* An ipse Christus Apostolos fefellit? dicendo ipsis: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut* NB. *uxorem &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

261. Arguis secundò: eodem jure illis, qui sub Papatu degunt, titulus Catholicorum abnegari poterit, quo jure ab iisdem Protestantibus aut Confessionistis titulus Evangelicorum in controversiam trahitur. Unde meritò sustinere debebunt, si Papistæ appellentur. Resp. non esse parem rationem. Catholici minimè erubescunt, si compellentur Pontificii vel Papistæ, in quantum Romano Papæ in rebus Religionis & salutis tanquam legitimo Christi Vicario subsunt & parent. Petunt autem rationem à Protestantibus, Confessionistis &c. Ducatum Lutheri Sectantibus, cur nomen Lutheranorum abhorreant, illúdque in aliud, puta Evangelicorum mutari solicitè curaverint. Nónne Pelagiani à Pelagio, Ariani ab Ario, Manichæi à Manes, Calviniani quoq; à Calvino, & Zwingliani à Zwinglio nomen quasi hæreditatis titulo assumpserunt, & retinuerunt, ut eo nomine singularum Sectarum Origines dignoscerent? Non itaque pudebit Lutheri Sectatores Authoris sui nomenclaturam retinere. De cætero nos Catholici manemus in antiquissimi hujus tituli justissima possessione. Intra prima Sæcula Christiani parebant Romano Pontifici; fuerúntne propterea vocati Pontificii, aut Papistæ? Nunquid dicebantur Catholici? Unde? Quia erant illi Ecclesiæ innexi, quæ ex Nota sibi propria nomen Catholicæ tulit. Sed nec postremis temporibus, post turbatam Religionem Catholicam, nomen illud ejus Professoribus ademptum fuisse, constat ex Comitiis Imperii, in quibus etiam à Principibus Augustanæ Confessionis semper fuerunt *Catholici* nominati vel Veteri Religioni adhærentes, nunquam verò Papistæ, vel Pontificii. Imò secundùm attestationem Justi Springer, Lutherani

de

*de pace Relig. cap.* 14. Si quis in Camera Spirensi contra Catholicum agens Libello suo locò *Catholicæ* & *veteris Religionis* inseruit vocabulum *Pontificia*, supplicans mulctam solvere debebat. Profectò notissima hodie est compellatio Acatholicorum, quorum correlativum oppositum per omnem retro antiquitatem aliud non est, quàm epitheton Catholicorum.

262. Arguis fortè tertiò, Augustanam Confessionem authoritate donatam fuisse à Carolo V. Augustissimo Romanorum Imperatore. Sed, ô bone, quomodo Carolus potuit approbare illam Confessionem vel Religionem ùt veram, quam pro falsa habuit? Catholicus Dogmata non Catholica approbando, eo ipso fieret aut se profiteretur Acatholicum. Carolus V. haud dubiè erat Catholicus: aut forsan alicubi Acatholicis accessisse probabitur? Melanchton ipse ad Joannem Obenburger, Caroli V. Secretarium non sine lamento scripsit: *In Comitiis Augustanis tristi & atroci Sententiâ damnati sumus.* Quæro! qualem Authoritatem Carolus Imperator Confessioni accommodare potuisset, Divinam, aut humanam ac politicam? Divinam certè non (nequidem declarativè) humanam autem & politicam potestatem & authoritatem ánne ad ea objecta, quæ sunt fidei Divinæ, complectuntúrque mysteria Divinitus revelata, se extendere, unquam anteà in Ecclesia Orthodoxa creditum fuit? Ut autem cunctis palam fiat, quantâ reverentiâ Carolus V. Summi Pontificis & Vicarii Christi Authoritatem coluerit, simúlque tanquam Supremus Ecclesiæ Advocatus de Catholicæ Religionis illibata conservatione maximam curam gesserit, ac econtra universim infaustas Lutheri novationes detestatus fuerit, inter alia lubeat inspicere Decretum ejus, quod Wormatiæ Anno Domini 1521. 8. Maji ad Ordines & Status Imperii circa damnationem Lutheri edidit, nonnulla, quæ ad substantiam rei faciunt, extrahere expedit, cæteris relictis.

263. *Ad Rom. Imperatoris Officium pertinet, non solum fines hujus Sac. Imperii, quod Prædecessores nostri, Germaniæ Principes, ob defensionem S. Romanæ & Universalis Ecclesiæ suo suorúmque sæpius effuso sanguine, per Divinam Gratiam sibi quæsierunt. Ad Orthodoxam viam adductis, vel expulsis infidelibus propagare: verùm etiam, ne qua hæreseos labes aut suspicio in jam sibi subditis Nationibus Sacrosanctam Religionem nostram commaculet, summo Studio providere: aut si qua jam oriri cœperit, eam omni ope omnique cura, juxta normam à Sancta Rom. Ecclesia hactenus observatam, delere penitus & extinguere.*

*Accedit, quòd cùm ex paterno genere è Christianissimis Imperatoribus & Archi-Ducibus Austriæ, Ducibúsque Burgundiæ: ex materno verò, Catholicis Hispaniarum, Siciliæ & Hierusalem sinus orti, quorum omnium pro fide Christi res præclarè gestas, nulla unquam delebit oblivio; non sine gravi conscientiæ nostræ onere, & perpetua nominis nota, quadámque velut nebula, felicibus ineuntis Principatûs nostri auspiciis effusa, factum crederetur, si, quæ abhinc triennium pullulare in Germania cœperunt, novas quasdam hæreses, imò veriùs jam sæpe olim per Concilia & SS. Pontificum Decreta approbante Ecclesia, damnatas, & nunc denuò veluti ab inferis erutas, altiores jacere radices ullâ nostrâ negligentiâ passi esse videamur.*

*Sanè vestrûm neminem ignorare existimamus, quibus erroribus & hæresibus ab Orthodoxa fide alienis quidam Fr. Martinus Lutherus Ord. S. A. Religionem Christianam in hac præsertim inclyta Germanica Natione, omnis infidelitatis & hæresum perpetua oppugnatrice ita inficere conetur, ut nisi maturè occurratur, tota hæc Natio, & deinde serpente contagione, Universa Christiana Respubl. in abominandum schisma & honorum morum pacísque, ac tandem detestandam perniciem prolapsa videatur.*

*Quapropter non immeritò commotus Sanctissimus in Christo Pater Leo X. SS. Romanæ & Universalis Ecclesiæ Summus Pontifex (ad quem fidem Catholicam & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat) prædictum Martinum clementer & paternè monuit & hortatus est, ut à nefandis hujusmodi ineptiis desisteret, & jam sparsos errores revocaret. Quod cùm ille neglexisset & pejora semper prioribus adderet: idem Beatiss. Pater ad opportuna, neque tamen insueta remedia procedere statuit. Itaque, convocatis sæpius S. R. E. Cardinalibus, nec non Regularium Ordinum Prioribus, seu Ministris Generalibus, accersitísque pluribus scientiâ & probitate præstantissimis viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diversarum Christianarum Nationum Doctoribus & Magistris, prædicto Martino tamen priùs vocato, citato, ac in contumaciâ persistente, ipsius scripta tam Alemanico quam Latino sermone edita & edenda, ùt perniciosa, fideíque & unitati Ecclesiæ contraria, Authoritate sua Apostol. præfatorúmque ad hæc accedente Cardinalium Consilio, & assensu, ac Episcoporum, & Prælatorum Doctorúmque Magistrorum matura deliberatione damnavit, & ubique locorum comburenda, prorsusque abolenda censuit & decrevit. Martinum verò ipsum, nisi infra certum expressum terminum, à publica sanitatis sua, mutatâ Sententiâ se errores suos revocâsse & ad pœnitentiam rediisse docuisset, ùt inobedientiæ & iniquitatis filium, ùt Schismaticum & hæreticum ab omnibus evitandum, & prout jura postulant, puniendum declaravit, sub pœnis & censuris, quæ in Apostolicis litteris Bullâ plumbeâ communitis, & super hac re editis latiùs continentur.*

*Quod ad nos, utpote Christianæ fidei verum & supremum propugnatorem & S. Sedis Apostolicæ Sanctæque Romonæ & Universalis Ecclesiæ Primarium filium & Advocatum, per suum & dictæ Sedis Nuntium & Oratorem, honorabilem Virum & Nobis dilectum Hieronymum Alexandrum, ejusdem Sedis Protonotarium & Apostol. Bibliothecæ Præfectum, deditâ ad hoc operâ, misit: petens, & requirens, ut pro Officio ac debito Imperialis dignitatis,*

 tis,

*tis, in Universo primùm Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in cæteris etiam Regnis, Dominiis, & Provinciis nostris præsertim in Germania, præstito in auxilium fidei Catholicæ Brachio sæculari, omnia & singula in jam dictis litteris Apostolicis contenta, immobiliter conservari, & executioni mandari juberemus.*

Posthæc Imperator Lutheri non solùm pertinaciam redarguit, verùm etiam ejus in dies auctos errores specificè tangit, asserendo, eos jam fuisse in aliis hæreticis, ùt Waldensibus, Wicleffistis, & Hussitis damnatos: Lutherū Sacrosanctis Conciliis palā *contradicere*, & pro arbitratu suo: *detrahere* è quibus (ait) *potissimùm Constantiense illud, quod cum perpetua Inclytæ Germanicæ Nationis gloria pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit, ita ubique mordet, & impuro, sceleratóque ore lacerat, ut in magnum Universalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis opprobrium & ignorantiam, Concilium ipsum nunc pessimè omnium errâsse scribat, nunc Synagogam Sathanæ quique in eo convenerant, & Joannem Hussitam Hæresiarcham, comburi jusserant &c.*

Advertit ulteriùs Invictissimus Imperator, se, ad tollendam omnem cavillandi ansam, ante Apostolici Decreti executionem Lutherum sub salvo conducto veniendi & recedendi accersiri jussisse: *Non ut Nos* (inquit) *de hoc negotio judicaremus, aut cognosceremus (cùm id dubio procul ad* Romanum *Pontificem & Sedem Apostolicam pertineat) neque ut res Sacrosanctæ fidei, nunc tandem, post tot sæcula, per nostras altercationes cum magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione, in controversiam revocari pateremur: sed, ut cum vulgi & plurimorum ita sentientium satisfactione hominis animum pertinantes, eum bonis monitionibus & suasionibus ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus.*

Tandem, cùm Cæsar suâ discretione Clementiáque in Luthero omnem operam frustra impendisset, ita processit: *ex Imperiali & Regia Authoritate, nec non Consilio & assensu* E*lectorum, & omnium* S. R. I. *Principum, Ordinum, & Statuum Wormatiæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, exequendo Sanctissimi Domini nostri Papæ, veri in hac parte Judicis, Sententiam, Decretum, & condemnationem in litteris Apostolicis (ut supra dictum est) contentam, Martinum Lutherum ùt membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ùt obstinatum, Schismaticum, & notorium hæreticum à nobis haberi declaramus, & ùt talem à vobis omnibus habendum decernimus, & edicimus: Mandantes &c.*

Ex his luculentum est, quòd Cæsarea Majestas nequaquam sibi attribuerit jurisdictionem, jus dicendi in causis fidei, vel authoritatem pactiones, transactiones, subtractiones, additiones (quas recedentes ab Unitate Romano-Universalis Ecclesiæ moliti sunt) confirmandi; sed judicium ejusmodi Sedi Apostolicæ integrum & intactum relinqui debere, apertè professus fuerit. Et quanquam Confessio Augustana post memoratum Caroli Cæsaris Decretum Anno primùm 1530. eidem oblata fuerit, attamen generatim Lutheri, consequenter & Melanchtonis Dogmata, in quantum Ecclesiæ Catholicæ erant contraria, rejecit ac pro damnatis ab Ecclesia habuit. Quin imò in eodem Decreto sub gravissimis pœnis ibi appositis etiam illos comprehendit, *qui præfatum Mart. Lutherum receptare, defendere, sustentare, fovere, dictô, factô, aut scriptô* præsumpserint.

Quòd præterea Imperatori Carolo Articuli Augustanæ Confessionis, Augustæ eidem oblati, summè displicuerint, constat ex quodam peculiari Decreto, finitis ibi Comitiis publicato, quod refert Georgius Cœlestinus Confessionista. Quidquid autem sit de toleratione politica, nostra assertio in illud solùm incumbit, ut ostendat, Augustanam Confessionem non esse certam fidei, nec tutam salutis regulam. Quæ porrò ex objectionibus aliis formandis nostræ assertioni in speciem obsistere possent, aut ex præjactis fundamentis generalibus de Notis & indefectibilitate Ecclesiæ Romano-Catholicæ, nec non Novatorum instabilium contradictionibus &c. manent præclusa, aut ex subsequentibus magis profligabuntur. Nunc de Sac. Scripturis.

DIS-

# DISSERTATIO II.

## *DE*

## SACRIS SCRIPTURIS ET CONTROVERSIARUM JUDICE.

NOtum est, quòd Novatores Sacris Scripturis identidem causam suam, & importunè excitatas tricas protegere satagant. Hinc ea de re nonnulla proponere, magnum operæ pretium erit.

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

### *An vitiosus circulus committatur, dum per Ecclesiam probantur Sacra Biblia, & per hæc vicissim probatur Ecclesia, contra non-Catholicos, Scripturam tamen admittentes?*

CUm supra à *num. 66.* dictum fuerit, ex judicio Ecclesiæ probari debere, quænam sit vera Verbi Dei prædicatio veráque Scriptura, in præsenti ejus asserti quædam elucidatio peroportuna erit. Sit itaque

264. Assertio, nullum vitiosum committi circulum à Catholicis; sed si committatur circulus, saltem non est inutilis aut vitiosus. Ubi prænotandum, in omni argumentatione medium habere *vim causæ*, non ut semper sit causa rei, sed saltem *causa cognitionis rei*. Præterea hæc duo, Bibliorum authoritas & Ecclesiæ authoritas, dupliciter considerari valent: uno modo respectu eorum, quibus probatio fit; alio modo respectu causæ seu rationis, quam medium, seu id, per quod probatio fit, in probatione solet obtinere. Prob. nunc assertio. Circulus vitiosus committitur juxta Philosophos, quando A. probatur per B. & vicissium B. per A. cum respectu ad eos, qui neutrum concedunt; sive etiam quando utrumque est talibus omnino incognitum. Exemplum esse, si Platonem extitisse velles probare, ex eo, quòd extiterit Aristoteles, ac vicissim existentiam Aristotelis per existentiam Platonis, apud illos, quibus uterque purum commentum est. Atqui Orthodoxi contra non-Catholicos probando Bibliorum certitudinem, infallibilitatem, & authoritatem, per infallibilem authoritatem Ecclesiæ suæ Catholicæ ac vicissim, aliter procedunt, quàm prædicto modo: imprimis enim isti Adversarii concedunt Scripturam infallibilem, ac etiam aliquam veram Christi Ecclesiam: deinde hæc duo, Ecclesiæ authoritas, & Scripturæ authoritas possunt respectu aliquorum non esse æquè nota & cognita, & sic potest unum ex his obtinere rationem medii saltem extrinseci ad probandum alterum. Igitur Catholici probando Scripturæ certitudinem vel infallibilitatem per Ecclesiam infallibilem, ac vicissim hanc per illam, nequaquam committunt circulum vitiosum, aut inutilem. Min. quoad primum membrum non eget roboratione. Quoad secund. memb. sic declaratur. Respectu eorum, quibus probatio Bibliorum e. g. quoad libros ab ipsis rejectos, facienda est, utique authoritas Ecclesiæ in testimonium adhibita, est quid notius, quàm ejusmodi libri à non-Catholicis rejecti, admissis tamen aliis S. Scripturæ Codicibus. Adhæc: etiam ex natura rei Ecclesia est notior, quàm Biblia: quandoquidem olim absque Bibliis jam fuit constituta Ecclesia, ac deinceps sine Bibliis consistere posset: imò, post jam scripta Biblia gentes nonnullæ absque illorum cognitione utique Catholicam fidem habuerunt (teste S. Irenæo *lib. 2. cap. 3.*) sicque ad Christi Ecclesiam spectârunt.

265. Neque in Symbolo fidei claro quodam & expresso articulo credimus, & credere jubemur *Biblia*; bene tamen *Ecclesiam Catholicam*: hinc notior est Ecclesia, quàm Biblia, ex ipso usu & communi Christianorum more, utpote quibus statim in prima instructione Catechetica ex Symbolo Apostolico inculcatur Articulus fidei: *Credo Ecclesiam Catholicam*, haud similiter: *Credo Biblia*. Neque Christus dixit ad Petrum: *Super hanc petram fundabo Scripturas & Biblia mea, sed Ecclesiam meam*, utpote ad cujus judicium pertinebit,

ex Spirtûs Sancti assistentia infallibili determinare, quænam sint legitima Biblia seu Libri Divini, tam generatim, quàm speciatim, quoad totum, & quoad singulas partes.

266. Ex his proclive est ostendere, nec respectu rationis, quam medium seu causa in probatione obtinet, circulum vitiosum committi. Haud equidem, dum ex aliquo Christiano quæritur, *propter quod*, vel *cur* credis, hoc esse Verbum Dei, Biblia authentica seu infallibilia, ac libros Divinos, secundùm Catholicos immediatè respondere debet: quia me movet Ecclesiæ authoritas: sed, quia id revelavit prima veritas, sicque me movet infallibilis Dei revelantis authoritas: hæc namque tanquam ratio formalis *sub qua* constituit objectum formale & motivum assensûs fidei Divinæ. Quando verò Christianus urgetur, cur credis, aut unde probas, Scripturam hanc, atque res in ea contentas, fuisse Divinitus revelatas, nihilque in ea hominum malitiâ, ignorantiâ, aut incuriâ corruptum, suggestum, suppositititium, vel depravatum repetiri, nunquid ulterior ratio aliqua reddenda erit? Quænam alia, quam propositio, testimonium, & judicium Ecclesiæ, item constans traditio; ac credibilitatis ponderosa motiva? quæ credibilitatis motiva non tantùm contra Christianos, Biblia admittentes, verùm etiam contra infideles & paganos produci atque allegari possunt. Sed de hoc infra suo loco.

167. Quòd si loquamur cum respectu ad eum, cui æquè Bibliorum ac Ecclesiæ authoritas perspecta esse supponitur, dum fit progressus de uno ad alterum, necdum fit *circulus* vitiosus, sed quædam utilis argumentatio seu mentis agitatio, quæ generaliori nomine dicitur *Regressus*, facitque, ut fides fiat illustrior ac corroboratior seu firmior, estò talis reditus seu regressus ab uno ad alterum non sit vera probatio seu ignoti persuasio comparativè ad illum, cui utrumque æquè notum.

268. Porrò reditum seu mutuum regressum de uno ad aliud nec inusitatum esse nec inutilem, constat ex argumentatione, quæ versatur inter causam & effectum: progredimur quippe ab effectu confusè cognito ad causam confusè cognitam, & à causa jam distinctiùs cognita ad effectum distinctiùs cognoscendum.

269. Sic etiam vitiosum circulum nemo dixerit, si Judex credat testimoniis duorum vel trium testium mutuò sibi fidem conciliantibus, atque coadjuvando confirmantibus, licet hic testis fidem mereatur propter alterum contestem, & iste propter illum: plura enim lumina concurrentia pluresque assensus magìs illustrant, atque corroborant, juxta illud:

*Singula, quæ prosunt, plus cumulata juvant.*

Aliunde quoque apud Philosophos tritum est, duas causas sibi sub diversa ratione ac genere posse sine circulo vitioso causas esse. Magnum etiam Assertioni nostræ pondus adjicit D. Augustinus, profitendo, Scripturis, nisi Ecclesiæ authoritate induceretur, se non crediturum. Quin imò ex ipso Luthero patulum est, se idem tenuisse uti videre est in *numer.* 215.

270. Arguis primò cum non-Catholicis: Quærere, unde credis, vel, unde scis, Biblia Divina esse, est fidem Scripturarum rationi & authoritati humanæ subjicere: quod præposterum est atque impium. Secundò, quis negare ausit, Biblia tota verissima esse, rebúsque, quæ in iis significantur, summè conformia? sunt enim ejus Verbum, qui per essentiam est summa veritas. Superfluum igitur, simúlque maximè erroneum est, Bibliis ab Ecclesia aliquam veritatem vel authoritatem accedere posse. Hinc tertiò nec Catholicis, ùt sibi blandiuntur, patrocinatur Augustinus, quando dixisse fertur: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.* Eapropter Gomarus in *Anticostero lib. 2. pag.* 230. liberè scripsit: sicut una hirundo non facit ver; sic nec Augustini exemplum regulam generalem.

271. Ad has argutias Resp. Bibliorum authoritatem *quoad se* esse principaliter à Deo: quandoquidem contenta in iis sunt ipsum Verbum Dei, in Scripturam relatum. *Cum accepissetis* (ait Apostolus 1. *Tessalon.* 2.) *à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud* (*sicut est verè*) Verbum Dei. Et *Deut.* 4. *v.* 2. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.*

272. *Quoad nos* autem Biblia aliquam authoritatem etiam aliunde accipiunt. Pro intellectu hujus distinctionis, ac geminatæ authoritatis, perutile erit, quædam adnotare ex cujusdam eruditissimi viri Nicolai Serarii *Prolegomenis Biblicis.* Authoritas solet tribui non solùm Deo, & quibusdam creaturis, scil. intelligentibus, puta, Angelis & hominibus, verùm etiam rebus aliquibus inanimatis, quales sunt testamentum, Senatusconsultum, instrumentum publicum, Judicis Sententia, liber &c. Facit autem, ut illis rebus, quibus authoritas tribuitur, debeatur fides, obedientia, honor &c. Et includit duo: scil. in eo, cujus est authoritas, insigne quidpiam, cujus intuitu prædicta ipsi debentur: ac insuper respectum ad alios, qui fidem, obedientiam, honorem &c. præstare debent. Respectus iste ad alios in authoritate inclusus itidem duo importat potissimùm: unum, ut authoritatis fundamentum cognoscant alii, verúmque judicent: alterum, ut exinde obligentur ad fidem adhibendam, obedientiam, honoremque faciendum: prout nempe id fert rei, cujus authoritas est, cognitio. Tam obligatio (sive sit justitiæ sive honestatis tantùm) quàm cognitio & prædictum judicium possunt esse vel potentiâ solùm, vel actu. *Potentiâ* solùm sunt, quando possunt alii cognoscere ac judicare ipsum fundamentum, & posteà

ob-

obligari. *Actu* verò, quando reipsa id jam cognoscunt, judicant, & obligantur.

273. Actus autem accipiendus est non solùm pro cognitionis judiciique actione, quæ actu elicitur, verùm etiam pro eo, quod postea moraliter habitûs instar permanet, in quantum agnitio semel cognitæ authoritatis deinceps non fuit revocata vel improbata. Eadem acceptio intelligenda est de obligatione. Quòd in persona vel re quapiam authoritatis fundamentum quidem sit, respectus tamen ad eam, cognitio, judiciúmque aliorum, sicque etiam obligatio utpote incognita ad actum nunquam venerit, sed in potentiâ tantùm fuerit, talis authoritas personæ vel rei illius dicitur esse *quoad se*: *quoad nos* verò homines ut authoritas quoque actu esse dicatur, respectus ad eam, cognitio, judicium, & obligationis advertentia debet in actum venisse.

274. Hanc authoritatis duplicem rationem non semper esse connexam, multis patet exemplis: ut si e. g. Doctor insignis, Judex, Rex intra turbam lateat; aurum quidem probum sit, sed ad lapidem lydium vel libellam nondum exploratum seu examinatum: si gemma involuta: si testamentum & instrumentum probè confectum sit, necdum tamen sigilla, vel alia, authoritatem conciliantia, fuerint recognita: nónne hæc omnia habent authoritatem? sed qualem? nullam *quoad nos* actu, sed in potentia tantùm: bene tamen *quoad se*. Propius exemplum ad rem nostram. Ipse Christus Dominus tum primùm authoritatem habere cœpit *quoad nos*, seu quoad homines, postquàm per doctrinam, virtutes, & miracula clarificatus innotuit: anteà verò solùm *quoad se* authoritatem habuit, quamvis summam ac maximam, *v. g. quamdiu in Virgineæ Matris utero latuit*, in præsepio jacuit &c. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*, inquiebat Div. Joannes Baptista (*Joan.* 1. *v.* 26.) loquens de Christo Deo-Homine.

275. Ex quibus colligitur, tam juxta Div. Augustinum, quàm alios Catholicos, Bibliis ab Ecclesia nullam aliam accedere authoritatem, quàm *quoad nos*: cujus authoritatis necessitas apparet ex hoc, quòd ante recognitionem, judicium, & approbationem Ecclesiæ nobis non constet, sintne hi vel illi Codices pro libris Divinis habendi: item ex ipsa dissensione non-Catholicorum, utpote qui in receptione librorum authenticorum unanimi sensu & delectu non conveniunt. Biblia efficienter *quoad nos* accipiunt authoritatem bifariàm. Primò enim accipiunt authoritatem *quoad nos* Biblia ab illis, qui eorum veritatem summam testificantur, monstrant, docent. Nam, qui in omni persona vel re præstantiam illam, quæ, ùt dictum, authoritatis fundamentum est, indicant ac testificantur, ii omnes dicuntur authoritatem illi vel personæ vel rei conciliare ac dare; authoritatem, inquam, *quoad nos*. Sic enim & S. Joannes Baptista Christo Domino authoritatem conciliavit, *Joan.* 1. & 5. *v.* 33. Secundò *minùs principaliter*, seu *instrumentaliter* accipiunt *quoad nos* authoritatem à rebus summæ veritatis, quæ ipsis inest, cognita fit, monstratur, & declaratur. Sic enim & in aliis aut rebus aut personis fit, quibus authoritatem *quoad nos* dant sigilla, testimonia, & similia.

276. Verùm enim verò in Bibliis non qualiscunque authoritas tantùm, qualis v. g. in aliis libris esse potest; neque qualiscunque ipsius testificandæ ac declarandæ modus quæritur; sed authoritas certissima, omnisque prorsus falsitatis, & de falsitate erroréve omni suspicionis ac formidinis expers quæritur; & modus eam demonstrandi seu declarandi & testificandi certissimus, minimeque errans ac fallens: quæ passim à Theologis, & à Novatoribus etiam, Wittakero, Pareo, Pyppo, & similibus, vocari solet *infallibilis*. Ideóque quærendum, unde hujusmodi authoritas *quoad nos* isto tam certo & ab omni falsitate alieno modo accipiatur.

277. Notat ulteriùs (Serarius *cap* 8. *Quæst.* 5.) Deum omnium primum Bibliis totis & singulis eorum partibus authoritatem *quoad nos* dedisse certissimam certissimè: quia dum homini verbum suum loquitur, eíque librum dictat, simul etiam illi authoritatem istam monstrat. Monstrare autem potest vel obscurè; & tunc sola fidei cognitio, quæ obscura est, inditur & infunditur; vel evidentiùs: & tunc altior quædam cognitio fit, quæ vel ad prophetiam, vel sapientiam supernaturalem spectat, altiúsve lumen. Et idem Deus in omni actu, quo sacrarum litterarum creditur authoritas, cuilibet in corde privatim testimonium de authoritate illa perhibet; quia fides, cùm supernaturalis sit, absque illius gratia & lumine fieri non potest, ad *Ephes.* 2. & 1. Joan. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* S. Irenæus *lib.* 2. *c.* 42. S. Augustinus de Spiritu & litera *c.* 22. *&c.*

278. Adhæc, is qui à Deo verbum, quod loquitur & dictat, primus audit, aliisque pandit, authoritatem etiam Bibliis dat certissimam certissimè: siquidem ita pandit, ut verè Deo afflatus, edoctus, & ad enuntiandum scribendúmve adhibitus Minister rectissimè certissiméque judicetur. Nam & tabellio facit, ut, quæ scribit, authentica sint instrumenta &c. rectissimè autem certissiméque talis judicatur, si v. g. Dei Sigillo seipsum probet, id est, miraculis, ùt Moyses Exodi 4. v. 1. &, si à Dei Ecclesia pro tali habeatur ac recipiatur. Par est de eo ratio, qui Dei quidem in scribendis Bibliis Amanuensis non fuisset, testis tamen de eo, quod scriptum esset, extraordinariè ab illo mitteretur.

279. Præterea Ecclesia, post Bibliographos illos primos, exteriùs ordinariè ac publicè Bibliis tam universè, quàm particulatim authoritatem *quoad nos* dat certissimam certissimè,

me. Sed advertenda duo. Primò. Ecclesiam sumi posse vel pro multitudine tantùm aliqua magna, proba, excellente: vel pro multitudine, quæ ab ipso Spiritu Sancto dirigatur, DEIque assistentiam perpetuam habeat. Et posteriori isto modo, sicut & in Symbolo, hìc accipitur. Hæc Ecclesia posteriori modo sumpta iterum accipi potest vel pro toto illius multitudinis Corpore: vel pro illius capite visibili: vel pro præcipuis membris, id est, Pastoribus, aut Episcopis in Synodo congregatis, accedente tamen Authoritate & Approbatione Summi Pontificis, seu Capitis visibilis. Primo illo modo per Ecclesiæ declarationem, ut scil. omnium fidelium Sententia exquireretur, Bibliis authoritas dari nequit: imò si dari posset, Sententiæ seu vota decisiva ad alios, quàm Ecclesiæ Pastores, scil. Episcopos, non pertinerent, juxta adnotata in meo *Tract. de Sum. Pontif. part.* 1. *differt.* 3. Secundo & tertio modo authoritatem Bibliis conferri posse certissimam & certissimè, probatur rationibus illis, quibus Ecclesiæ judicium, testimonium, ac vox solet probari certissima minimèque errans: Speciatim ex illo Apostoli 1. Tim. 3. *Ecclesia DEI vivi est columna & firmamentum veritatis:* ubi tamen veritas non sumitur generatim pro omni veritate etiam naturali, quæ in rebus physicis, astronomicis &c. est (hæc quippe Ecclesiæ ceu columnæ non innititur, & extra Ecclesiam esse potest) sed pro veritate spirituali, & ea vel omni, vel illa, quæ per excellentiam talis est. Utroque autem modo, tam in Græco quàm in Latino accipi potest: & utrolibet accipiatur modo, semper Bibliorum veritas hìc significatur; quæ ut sublimis ab omnibus conspiciatur, innititur columnæ; & ne sophismatum vento, hæresúmque tempestate dejiciatur, & convellatur, in ea fundatur, ac stabilitur.

# QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

## *An non Adversarii vitiosum circulum committant?*

280. ASsertio: Adversarij, qui Ecclesiam authoritate sui supremi Capitis fultam, ùt Judicem controversiarum rejiciunt, & spiritum privatum admittunt, verè gyrantur & errant in circulo vitioso. Ostenditur. Si quæratur ex ipsis, unde & cur credant, Biblia esse Divina? Respondent: quia de eis testatur arcanum Spiritûs Sancti testimonium. Si ulteriùs premantur: unde scitis, vel cur creditis, hoc testimonium esse Spiritûs Sancti? Replicant: quia de hoc Spiritu habemus testimonium Scripturæ, Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* At iterum regyratur quæstio: cur creditis, Scripturam, ex quo istum textum profertis, esse Divinam? Repetunt crambem: quia id nobis (scil. cuivis etiam privatim) testatur arcanum Spiritûs Sancti testimonium. Certè, si petatur, unde probent, credant, vel sciant, per illum textum de ovibus cujuslibet Spiritum privatum? denuò reponunt: nostrûm quilibet hoc probat, credit, vel scit ex spiritu suo privato, hoc ita dictante. Contra hoc

281. Arguit Pareus citatus à Serario *de Prolegom. Bibl. cap.* 7. *quæst.* 10. se testimonium hoc arcanum non credere, sed sentire ac videre in corde suo. Dicit prætereà, se hunc spiritum examinare, item, se hunc spiritum in scripturam resolvere. Verùm non immeritò reprehenditur hæc Spiritu Sancto vacua replicatio. Nam quis aliquando audivit Spiritum Sanctum? cùm sit objectum fidei Divinæ, quæ (secundùm Apostolum ad Hebr. 11. v. 1.) est rerum non apparentium, id est, sub visum, auditum, aut alium sensum non cadentium.

282. Deinde cur dicit, se Spiritum hunc examinare? cùm tamen non possit dubitare, sitne bonus vel malus, si sentiat videátque, hunc esse Spiritum Sanctum. Dúmque Pareus cum suis ulteriùs asserit, se Spiritum istum in Scripturam resolvere, quæritur, an ergo Spiritui illi credat propter Scripturam? an Scripturæ propter Spiritum? Si hoc posterius: Spiritum non resolvit in Scripturam, sed Scripturam ultimatò in Spiritum. Si illud prius: Pareus rotatur in circulum: quia Scripturæ credit propter Spiritum, & Spiritui propter Scripturam: ait enim: *Omnis mea fides in Scriptura sola ultimò terminatur. In fide enim, quam credo, nihil extra vel ultra Scripturam desidero, aut recipio. In fide, qua credo, ipsam etiam Spiritûs Sancti testificationem ùt aliquid prius, in Scripturam ùt aliquid posterius resolvo.*

283. Unde meritò hic circulus tanquam inutilis, & hic Spiritus privatus, ùt nimis ineptus & incompetens Judex, ampliùs sic impugnatur. Antequam Spiritus Sanctus suam motionem exerceat, ut Adversarii Scripturam credant, Scriptura, & quidem ùt Divina, & ùt objectum jam præexistit: ergo Scriptura ùt Divina est aliquid prius Spiritu privato: quæ ergo erit cohærentia vel concordia, dum ajunt, *ipsam Spiritus Sancti testificationem in Scripturam ut aliquid posterius resolvi?*

284. Adhæc: Si Adversarii totam fidem suam in Scriptura terminant, & in fide

illa,

illa, quam se credere dicunt, nihil ultra vel extra Scripturam desiderant aut recipiunt, tunc eorum fides est alia à fide Adæ, Abelis, Enoch, Noë, Abrahæ, & Patriarcharum: alia quoque, quàm Apostolorum, ac primorum Christi discipulorum: nam Patriarcharum fides, quam credebant, non poterat terminari vel ultimò resolvi in Scripturam; cùm tunc nulla apud eos extiterit: nec Apostolorum ac primorum Discipulorum fides, quàm (ut loquuntur Adversarii) credebant, vel (meliùs loquendo) habebant de Christo & mysteriis ab ipso oretenus revelatis, atque expositis, poterat terminari seu resolvi in Scripturam novi testamenti, & Evangelii, quod tunc nondum in Scripturam authenticam relatum extabat.

285. Demum advertant Adversarii, meliorem suô esse illum circulum Carbonarii illius simplicis (quamvis ab ipsis irrideatur) quo diaboli suggestam de fide tentationem elusit, & interrogatus, *quid crederet*, respondit, se credere, quod credit Ecclesia: & rursum interpellatus, quid Ecclesia crederet, reposuit, Ecclesiam credere, quod ipse credit. Nec irrideri meruit Carbonarius ab Adversariis: Licèt enim circulus ejusmodi nulli probationi instruendæ deserviat, attamen ad alicui resistendum, præsertim ad diabolum (cui locum vel spatium dare non expedit) statim in limine repellendum, circulus ejusmodi etiam à sapientibus & doctis utilissimè usurpatur.

# QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

## *Quinam Sacræ Scripturæ Libri sint Canonici? Et qualiter in eorum receptione vel rejectione fallantur & fallant Ecclesiæ Adversarii?*

286. LUtherus *Lib. de Ecclesia* dicit: Papa Scripturam Sacram in cœno & pulvere sepelit. Joan. Calvinus ad *cap.* 4. Lucæ subgannit: si temporum fiat comparatio, facilè ex præsenti loco constabit, fœdiores hodie & magis deformes esse Papalis Hierarchiæ corruptelas, quàm apud Judæos sub Anna & Caypha fuerunt. Nam Scripturæ lectio, quæ tunc vigebat, non modò sub Papa obsolevit, sed ferro & igne à templis arcetur, nisi quod linguâ ignotâ in ludibrium cantillant. Sic ille. At Sacra Biblia diversis linguis & locis sæpius à Catholicis fuisse typis mandata, longo ordine demonstrat inter alios Coccius in *Thesaur. Cathol. lib.* 6. *art.* 1. & novissimè Calmet. Notandum, Libros Sac. Scripturæ alios dici *Canonicos*: alios *Apocryphos*. *Canon* autem dupliciter sumitur: scilicet pro Regula, seu norma, gnomone, amussi: & pro certo rerum quarumdam numero sive Catalogô. Hinc Libri aliqui Sac. Scripturæ dicuntur Canonici propter utramque acceptionem: quia & norma sunt bene credendi ac vivendi, ac in Divinorum librorum (quos determinare & declarare ad Ecclesiam maximè & principaliter ad ejus Caput, Romanum Pontificem spectat) Catalogum relati sunt. Qui verò adhuc dubii sunt libri, nec in Canonem seu Catalogum Ecclesiæ fuerunt relati & pro authenticis agniti, dici solent Apocryphi, tametsi inter Canonicos reperiantur permixti. Iterum *Libri Canonici* dividuntur in *Protocanonicos*, & *Deuterocanonicos*. Priores ita vocantur, quos Ecclesia orthodoxa ab initio absque contradictione in Canonem recepit: posteriores, quos non statim, sed paulatim seu temporis progressu, & non absque prævia quorumdam contradictione in Canonem recepit.

# CANON

## *Bibliorum Hebræorum, quem Judæorum Synagoga recipit.*

287. GEnesis. Exodus. Leviticus. Numeri. Deuteronomium. Josue. Judicum & Ruth. Regum I. & II. Regum III. & IV. Esaias. Jeremias. Ezechiel. Sequuntur Prophetæ minores, Oseas, Joël. Amos. Abdias. Jonas. Michæas. Nahum. Abacuc. Sophonias. Aggæus. Zacharias. Malachias. Liber Psalmorum. Proverbia. Job. Daniel. Esdras. Paralipomenon. Esther. Ecclesiastes. Canticum Canticorum.

# CANON

## *Bibliorum Græcorum ac Latinorum, à Christianorum Ecclesia receptus.*

288. GEnesis. Exodus. Leviticus. Numeri. Deuteronomium. Josue. Judicum. Ruth. Regum I. Regum II. Regum III. Regum IV. Paralipomenon I. Paralipomenon II. Job. Tobias. Esther. Judith. Esdræ I. Esdræ II. Machabæorum I. Machabæorum II. David. Proverbia. Ecclesiastes. Cantica. Sapientia. Ecclesiasticus. Esaias. Hieremias cum Threnis & Baruch. Ezechiel. Daniel. Oseas. Joël. Amos. Abdias. Jonas. Micheas. Nahum. Abacuc. Sophonias. Aggæus. Zacharias. Malachias. Mathæi, Marci, Lucæ, & Joannis Evangelia IV. Actus Apostolorum. Pauli Epistolæ. Catholicæ Epistolæ VII. Apocalypsis Joannis.

## *Protocanonicæ Scripturæ sunt sequentes.*

289. MOysis Pentateuchus. Josue. Judicum & Ruth. Regum Libri IV. Paralipomenon Libri II. Esdræ Libri II. Job. Psalterium. Proverbia. Ecclesiastes. Cantica. Esaias. Jeremias cum Threnis. Ezechiel. Daniel. Prophetæ duodecim. Mathæus. Marcus. Lucas. Joannes. Actus Apostolorum. Epistola ad Romanos I. Ad Corinthios II. Ad Galatas I. Ad Ephesios I. Ad Philippenses I. Ad Colossenses I. Ad Thessalonicenses II. Ad Timotheum II. Ad Titum I. Ad Philemonem I. Petri Epistola I. Joannis Epist. I.

## *Deuterocanonicæ Scripturæ sunt sequentes.*

290 ESther. Tobias. Judith. Baruch. Jeremiæ Epistola. Sapientia. Ecclesiasticus. Additio Danielis, id est, Oratio Azariæ. Hymnus trium puerorum, Susannæ Historia, Belis Historia, Machabæorum Liber II. Marci Caput ultimum. Historia de Christi Agonia, & Angeli consolatione. Joannis de muliere adulteræ Historia. Epistola ad Hebræos. Epistola Jacobi. Epistola Petri II. Epistola Joannis II. & III. Epistola Judæ. Apocalypsis.

291. Assertio prima: Et Protocanonici, & Deuterocanonici Scripturæ libri recipiendi sunt. Est contra Lutherum, qui in suis Bibliis, Deuterocanonicas, id est, eas Scripturas, de quibus olim aliqui dubitârunt, inter Apocrypha refert. At nostra Assertio stabilita fuit jam olim à Concilio Carthaginensi III. ibi: *Item placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine Divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus &c.* Secundùm Ordinem suprà positum. Concordat D. Augustinus *de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 8. Totus Canon Scripturarum his continetur libris: Quinque Moysis &c.* Innocentius Primus Epistola ad Exuperium Tholosanum *cap. 7.* Gelasius PP. cum septuaginta Episcopis *Tom. 2. Concil. in Decretis.* Isidorus Hispalensis *Lib. 6. Ethymologicon cap. 1.* Rabanus Maurus *de Institutione Cleri. lib. 2. cap. 53.* Smaragdus Abbas ad *Caput nonum Regulæ D. Benedicti*: Ivo Carnotensis in Decretis *part 4. cap. 61.* Notissima est postrema Canonicarum Scripturarum declaratio & designatio facta à SS. Tridentina Synodo *Sess. 4.* cui suprà relata omnino conformis est. Addit verò pro Clausula: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Cathol. legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.*

292. Inde patet, quàm protervè Catholicæ Ecclesiæ se opposuerit Lutherus *Tom. 3. Germ. Jenensi fol. 40. & 41.* garriendo: Mosen neque audire, neque videre volumus. Nam ille Judaico solùm populo datus est, neque quidquam ad nos pertinet. Sit Judæis quasi speculum Saxonum, neque nos inquietet, aut turbet. Ut Gallia speculum Saxonum non curat: sic lex Mosi non ligat &c. Et in *Colloquiis convivalibus capite de Lege & Evangelio*: Mosen cum sua lege non suscipiam; nam hostis Christi est. Si mecum ad judicium accesserit, rejiciam eum in nomine DEI, & dicam: Hîc Christus stet. Secundò contra Libros Job: quando in Convivalibus *Serm. tit. de Patriarchis & Prophetis*, asserit, se non credere, omnia ita esse gesta, ùt in libro Job narrantur. Tertiò contra Ecclesiasten: quando de eo dicit: Hic Liber non est perfectus: multa abrepta sunt: neque ocreis, neque calcaribus indutus est, hoc est: nullam habet perfectam Sententiam; equitat in arundine longa, sicut ego, dum essem Monachus in Monasterio. Ita Henricus Petrus Rebenstock, *lib. 2.* Colloquior. Latinorum Lutheri, capite de veteri testamento. Quartò: quando in suis Bibliis non tantum Historiam de Susanna, sed etiam Librum Judith inter

inter Apocrypha conjicit, dicendo, hunc potius comœdiam esse quàm Historiam. Quintò, quando in suis Bibliis Libros Machabæorum inter Apocrypha ponit: in Colloquiis Germanicis, *cap.* de Sac. Scriptura sic dicendo: Cùm Doctor Martinus Librum Machabæorum corrigeret, dixit: Ego isti Libro & Libro Esther adeò infensus sum, ut optarem, neutrum eorum extare. Nimiùm enim judaizant, & multa referunt, quæ Gentilium superstitionem sapiunt. Sextò, quando contra Canonicam Epistolam. D. Jacobi in Præfatione in novum testamentum (quæ extat in Germanica versione editionis primæ) vocat verè stramineam, si ad alias (Petri & Pauli) comparetur. Non enim, ait, habet Evangelicum genium. Rùrsus in captivitate Babylonica capite de Extrema Unctione sic dicit: Hanc Epistolam non esse Jacobi Apostoli, nec Apostolico spiritu dignam, valde probabiliter asserunt. Et ad *cap.* 22. *Genefeos*, Abraham (inquit) fuit justus fide, antequàm cognoscitur à DEO talis. Igitur malè concludit Jacobus, quòd nunc demum justificatus sit, post istam obedientiam. Per opera enim, tanquam per fructus, cognoscitur fides & justitia. Non autem sequitur, ùt Jacobus delirat, igitur fructus justificant. Facessant igitur è medio Adversarii cum suo Jacobo, quem toties nobis objiciunt. Septimò, quando contra Epistolam Canonicam B. Petri secundam, in suis Bibliis Germanicis negat, eam esse Petri, & prætendit, esse incerti cujusdam Auctoris, qui suos fœtus alieni nominis splendore illustrare voluerit.

293. Nec dissimulandum est, quòd Lutherus illa verba, in prima Epistola Joannis *capite* 5. posita: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, in suis Germanicis Bibliis omnino omiserit: quæ verba, quia manifestissimè Trinitatem nobis eloquuntur, Ariani in suis Græcis & Latinis Bibliis expunxerunt. Octavò, quando Canonicam Epistolam Judæ ùt Apocrypham carpit, in eam sic præfando: Epistolam Judæ nemo negare potest esse descriptam ex secunda Epistola Perti: loquitur tanquam Apostolorum discipulus, qui longè pòst illos vixit: Scripturas citat, quæ nusquam extant. Quod etiam antiquos movit Patres, ut hanc Epistolam rejicerent. Adhæc: Judas Apostolos in Persidem venit, ubi non potuit græcè scribere. Quamobrem etsi hanc Epistolam non improbo, non tamen opus est, ut in Canonem referatur, ex qua fidei Sacramenta probentur. Nonò, quando nec Apocalypsin ùt Scripturam Canonicam recipit, quod prioris editionis præfatio in eam ostendit: quæ ego in hoc Libello desidero, non sunt unius generis, ut nec Apostolicum nec Propheticum esse putem. Initio ac potissimùm quidem, quòd Apostoli non occupentur circa visiones, sed claris atque apertis verbis vaticinentur, quemadmodùm Petrus & Paulus: Christus etiam in Evangelio facit. Nam Apostolici muneris est, clarè & sine imaginibus at visionibus de Christo ejùsque rebus loqui. Neque ullus Propheta est in veteri testamento (ut de novo taceam) quæ ita planè & per totum imaginibus & visionibus agat: ut hunc Libellum similem apud me reputem Libro quarto Esdræ. Neque ullo modo deprehendere possum, quòd à Spiritu Sancto confectus sit. Sentiat de hoc Libro quilibet, quicquid ipsi Spiritus suus ingerit: meus Spiritus ad eum se accommodare nequit. Atque ea mihi causa sufficit, ne eum magni faciam, quòd in eo Christus neque docetur neque agnoscitur. Hæc & plura alia, quæ Lutherus, ejusque asseclæ circa sacra Biblia è privato suo cerebro, ac effræni arbitrandi licentia, contra publicam Ecclesiæ universalis authoritatem, determinationem, ac declarationem defendunt, copiosis Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum testimoniis apud Coccium in *Thesaur. Cathol. tom.* 1. *lib.* 6. perspicuè refutata leguntur. Sed contra

294. Arguis primò: Judæorum Canon non complectitur Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum Filii Sirach, Tobiam, Judith, Hymnum trium puerorum: nec *cap.* 13 & 14: Danielis: nec Libros Machabæorum &c. Ergo neque apud Christianos sunt ùt Canonici recipiendi. Resp. Coccius *cit. lib.* 6. *art.* 4. *in fin.* diversum esse Judæorum Canonem à Canone Christianorum: nam illi in Canonem suum referunt Libros ab Esdra collectos & correctos: ultra quos Christiani recipiunt alios Græcos quosdam posteà scriptos, atque ab Ecclesia approbatos, speciatim novum testamentum, à Synagoga nunquam agnitum. Hinc argumentum non sine enormi excessu probat, ne quidem Evangelium ac cæteros Novi Testamenti Libros, quos Hebræi eliminant, apud Christianos Civitate donandos esse.

295 Arguis secundò: Concilium Laodicense *Can.* 60. in Catalogo Scripturarum omnino silet de Libro Esther, Baruch, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum & Apocalypsis: similiter Gregorius Nazianzenus *de Veris & Germanis Sac. Scriptura Libris.* Deinde Hieronymus in Prologo Galeato referente Canonicos vet. Legis Libros Hebræos, subjicit: Hic Prologus Scripturarum quasi galeatum principium omnibus Libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & JESU Filii Sirach Liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone: Machabæorum primum Librum Hebraicum reperi, secundus Græcus est. Sic ille: qui (post Eusebium *Ecclesiastica Historia lib.* 3.) etiam de *Vi-*

*vis illustribus* testatur, olim dubitatum fuisse de Epistola ad Hebræos, de Epistola Jacobi, de Epistola Judæ, de secunda Petri, de secunda & tertia Joannis. ergo præfati Libri non sunt computandi inter Canonicos. Resp. nihil inferri, nisi, quòd non omnes Libri sint *Protocanonici*, quos solos tanquam omnium Orthodoxorum consensu statim in Primitiva Ecclesia receptos antiqui illi Scriptores, ut Melito Sardensis, Origines, Gregorius Nazianz. Hieronymus, ipsumque concilium Laodicense, recensebant. Quare non fit legitima illatio, non extare alios Libros *Deuterocanonicos*, de quibus Ecclesia tunc temporis nihil certi declaraverat, sed paulatim, re diligentiùs examinata, recipi meruerunt. Teste Cocciô in *Thesaur. Cathol. To.* 1. *lib.* 6. *art.* 4. *circ. fin.* Concilium Carthaginense III. (cui cum aliis 218. D. Augustinus interfuit) Anno Christi 397. celebratum, Libros reliquos (scil. Deuterocanonicos) omnes in Canonem recepit, Ecclesia sequentibus sæculis ita authoritatem semel tributam *quoad nos* conservante. Ex his

296. Arguis tertiò: Sequitur ergo, ante receptionem Ecclesiæ, de libris, quos vocatis Deuterocanonicos, dubitare licuisse, eòsque Apocryphis accensere: proinde & hodie fundamentum dubitationis restat. Replicatur, id minimè sequi. Primis Ecclesiæ temporibus dubitare licitum erat, nùmne noviter ex gentibus in Christum conversi circumcisionis signaculô sint notandi, Sabbata sint servanda, aliáque Ritus Judaici? Successu temporis variæ sunt ortæ controversiæ: de Deo, Gratia, Sacramentis, libero arbitrio, de fide & operibus: dabatur facultas tunc liberè de his in utramque partem disputandi. Pars una à parte rei erat certò falsa; falsitas verò ignota. Postquàm autem in Ecclesia, argumentis accuratiùs discussis, pars una definita fuit, contrariam defendere jam non ampliùs licuit; quod enim anteà error fuerat, posteà in hæresis notam vel speciem transivit. Subdit Coccius, quòd tametsi quidam inter Patres illos, qui ante Concilii Carthaginensis definitionem vixêre, aliquando circa aliquos libros, nempe Deuterocanonicos dubitârint, eosdem nihilominùs pro sacris habuerint, testimonia ex iisdem seligendo ad confirmanda Dogmata.

297. Si quis porrò argutis contentionibus, uti fecêrunt Recentiores Ecclesiæ persecutores, prætactos Libros Deuterocanonicos (in Ecclesiæ Canonem jam receptos) impugnare pergat, ipsum planè remittimus ad Card. Bellarminum, qui *Tom.* 1. *Controv. Christ. Fid. lib.* 1. *cap.* 1. *de Verbo DEI* tractans, ad singula eruditissimè respondet.

## Theodulphi Aurelianensis Episcopi, Versus in fronte Bibliorum descripti.

298 *Quidquid ab Hebræo Stylus Atticus, atque Latinus*
*Sumpsit, in hoc totum Codice Lector habes.*
*Quo loca prima tenet Genesis, primordia Mundi,*
*Diluviúmque canens, Gestáque magna Patrum.*
*Exodus Ægyptum spoliat, secat æquora rubra:*
*Pandit iter heremi; Lympha ibi, Lèxque datur.*
*Inde Sacerdotum gentem Leviticus ornat,*
*Et typicè exponit dona Sacris typicis.*
*Bella, virósque Liber Numeri describit, & actus,*
*Queîs fregit Moyses, Idola, Stupra, Duces.*
*Post repetit legem, populo benedicit, & Alma*
*Jura dat; ac dicto carmine, Victor obit.*
*Dividit hinc proprio terram Navegius Heros*
*Libro, deletis urbibus atque locis.*
*Pridem Judicibus, quis & ordo cucurrit & actus,*
*Continuante Stylo, continit inde sequens.*
*Móxque sedent, quæ Ruth Moabitis fœmina gessit,*
*Clara piis meritis, clara nepote pio;*
*Psalmicaníque actus, & iniqua gesta Saulis*
*Prime sequénsque Liber hinc Samuelis habes.*
*Tertius & quartus, Malachim queis Nomen inhæsit,*
*Regum Hebræorum ex Ordine gesta canunt.*
*Hinc sedet Esaias, Christum de Virgine nasci*
*Qui canit, & gentes ad pia Jura vocat.*
*Hunc propè Hieremias, qui Virgam, Ollámque tuetur,*
*Ordine quadruplici flebile texit opus.*
*Partibus Ezechiel summis obscurus & imis*
*Hinc est, stirps qui hominis more vocatur Eri.*
*Post duodenus inest Vatum pius ordo minorum,*
*Longè aliud signans quàm sua Verba sonant.*
*Nam Mœcham, & prolem, & Joseph, creber intonat Ose,*
*Samariam, Effraim, Gesdrahel, & Viduam.*
*Hinc Johel, eversum priùs atris cladibus orbem,*
*Flaminis adventum concinit inde pii.*
*Quatuor éque tribus probris regna increpat Amos,*
*Se & vidisse boat Mystica plura satis.*
*Percutit Abdias Edomalmi cuspide Verbi,*
*Æmulus & Fratris illius ore ruit.*
*Naufragio Jonæ signatur passio Christi,*
*Ninivis & vitam nomine mundus habet:*
*Filia latronis vastatur fœmina Michæ.*
*Quod Ducis Israel læserit illa genas.*
*Voce Naum pulsat constanti sanguinis urbem,*
*Pacicanósque boat montis in arce pedes.*

Abbacuc

*Abbacuc interno in Cruce Christum spectat ocello,*
*Cornibus his vis est, ejus operta tonat.*
*Promit Sophonias à porta & colle quod audit,*
*Plangorem indigenis fert quoque pila tuis.*
*Aggeus instaurat templum; Celsúmque tonantem*
*Moturum recinit æquora, rura, polum.*
*Michea, Zacharias postquam videt ordine plura,*
*Sessorem Dominum dicit, aselle, tuum.*
*Munera Malachias populi inquit abacta prioris,*
*Agmina cúmque suis gentium amata DEO.*
*Job quoque Verba tenens cum gestis; inde libellus*
*Hic parvus, quamvis pondera magna vehit.*
*Mox dulcis dulcem depromit cantio Christum,*
*Psalmorum Lyrici quos statuêre pedes.*
*Protinus Idiotæ resident tres Ordine Libri,*
*Cui Nomen Salomon, sive Cohelet inest.*
*Alloquitur primus sub prolisnomine cunctos,*
*Corrigit & mores, ethica, lege tua.*
*Omnia vana canit rutilo sub Sole secundus,*
*Cui res est physicas enumerare labor.*
*Tertius Ecclesiæ Thalamum Christíque perornat;*
*Rebus & in Logicis vertitur ejus opus.*
*Inde Philostoricus Daniel est, totius Orbis*
*Omnia qui lapidem frangere regna canit.*
*Hinc duo ponuntur quis nomen verba dierum est,*
*Promere sive labor gesta, genúsque Ducum.*
*Ponitur hinc Esdras, legem templúmque reformans,*
*Et reditum Israel ad sua rura canens;*
*Ecclesiæque typum referens mox scribitur Hester,*
*Quæ plebi extorri laúsque decúsque fuit.*
*Post Liber est positus, cui dat Sapientia nomen,*
*Quo Christi Adventus mórsque patescit ibi.*
*Protinus aptatur Liber Ecclesiasticus isti,*
*Quo pia jura sonant Laúsque beata Patrum.*
*Hinc pia pauperies, pietas & opima beato*
*Est, Tobi, Libro ritè notata tuo.*
*Scribitur insignis Judith mox fœmina facti:*
*Incestus cecidit qua feriente furor,*
*Hinc Gemini Libri ponuntur Machabæorum,*
*Gesta quibus fratrum quatuor alma sedent.*
*Promit aperta novæ Christum hinc hinc Buccina legis,*
*Tegmine & hinc typico prompsit operta vetus.*
*Matthæus, Marcus, Lucas, Sanctúsque Joannes,*
*Vox tonat hunc Chorum quatuor una simul.*
*Primus ab humana quia cepit promere gente,*
*Humani formam Schematis inde vehit.*
*Avia terribili perstringit voce secundus,*
*Scribitur & species inde Leonis ei.*
*Estque Sacerdotii quia rebus tertius orsus,*
*Forma Juvencalis hinc sibi ritè datur.*
*At quia Verborum pinnis super æthera quartus,*
*Hinc Aquilæ specimen celsa petentis habet.*
*Quatuor atque decem hos Pauli Scripta sequuntur,*
*Quæ orbi misit ovis, qui lupus ante fuit.*
*Romulidas revocat à legis pondere prima:*
*Atque Evangelicam censet habere fidem.*
*Arcades intestos adverso errore secunda,*
*Ad veram scriptis convocat illa fidem.*
*Pœnituisse placet, solatur tertia eosdem,*
*Laudánsque hortatur ad meliora simul.*
*Ad fidei Galatas deducit quarta vigorem*
*Quæ spreta pronos grande premebat onus.*
*Quinta Ephesi populos venerandis laudibus effert,*
*Quòd Sanctam haud quaquam deseruêre fidem.*
*Sexta Philippenses solatur, laudat, & ornat,*
*Constanter fidei quòd tenuêre decus.*
*Móxque Colossenses præventos septima falsis*
*Vatibus instituit, corrigit, atque docet.*
*Thessala quam genuit favet hinc Octava catervæ,*
*Tempora quòd cùm essent nubila firma stetit.*
*Extima queis etiam prædicit tempora nova,*
*Quóve sit atra lues dejicienda modo.*
*At decimæ textus Timotheum informat, & aptat*
*Ecclesiæ in rebus, Ordinibúsque sacris.*
*Temporis undecimâ supremi probra canuntur,*
*Instruitúrque viis omnibus ille bonis.*
*Instruit inde Titum decimæ subjecta secunda:*
*Quò vitet hæreses, Presbyter esse queat.*
*Tertia post decimam pia dat tibi verba Philemon,*
*Quæ Roma vinctus misit ab urbe Pater.*
*Ultima per Legis vatúmque Oracula Christum*
*Hebræis prolem prædicat esse DEI.*
*His sunt Catholicæ subjunctæ ex ordine septem*
*Paginæ, Apostolico quas capit ore Stylus.*
*Scilicet una pii Jacobi, Petríque gemellæ,*
*Sunt tres Joannis, una, Juda, tua est:*
*Compléntque Ecclesiam generali Dogmate totam,*
*Instituúntque fidem, júsque Salutis habent.*
*Hinc ad Apostolicos, quos Lucas protulit, actus*
*It salus Ecclesiæ, qui nova gesta canunt.*
*Visio Sancta Libros, quæ sancto visa Joanni est,*
*Claudit, & arcano limite signat eos.*
*Hoc Testamenti veterísque novíque sub uno*
*Calle patens bivium ducit ad alta poli.*

QUÆ.

# QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

## *Sintne Sac. Scripturæ tam apertæ per se, ut sine interpretatione ad terminandas fidei controversias sufficiant?*

299. LUtherus *Præfatione Assertionis Articulorum* à Leone X. damnatorum sic ait: oportet Scripturâ Judice hìc Sententiam ferre. Quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc est, ut sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima, sui ipsius interpres omnium, omnia probans, judicans, ac illuminans. *De Servo arbitrio* dicit, esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita; invulgatum est quidem per impios Sophistas, quorum ore & tu loqueris Erasme; sed nunquam unum articulum produxerunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus larvis Sathan nos absterruit à Sac. Litteris, & reddidit Scripturam sanctam contemptibilem, ut suas pestes in Ecclesia faceret regnare. Hoc sanè fateor, esse multa loca in Scripturis obscura & abstrusa, non ob Majestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ, sed quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis. Res in Scripturis contentæ sunt omnes proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obscura sunt &c.

300. Joannes Brentius in *Prolegomenis contra Petrum à Soto*: Dicamus inquit, de perspicuitate Sac. Scripturæ. Nugantur enim, Scripturam esse obscuram, ideóque indigere interpretatione. negari quidem nequit, quòd impiis & incredulis Scriptura sit maxima ex parte obscura: sed piis & credentibus in Christum, atque Spiritu Christi donatis, præcipua capita doctrinæ ita nota & manifesta sunt, ut audeant etiam de his cum Sathana ipso certamen inire.

301. Assertio: Sacræ Scripturæ non sunt tam apertæ per se, ut sine interpretatione ad terminandas fidei controversias sufficiant. Ostenditur primò ex ipsa Scriptura. *Psal.* 118. 18. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Et *Vers.* 34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. *Daniel.* 12. 4. Tu Daniel claude Sermones, & signa librum usque ad tempus statutum: plurimi transibunt, & multiplex erit scientia. *Luc.* 24. 27. Incipiens JEsus à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Vers.* 32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? 2. *Corinth.* 3. 14. Usque in hodiernum diem diplum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 2. *Pet.* 3. 15. Sicut & charissimus Frater noster Paulus secundùm datam sibi Sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

302. Ostenditur secundò ex concordi calculo Patrum Græcorum & Latinorum. Joan. Chrysostomus *Homil.* 40. *in Joannem*, in illud (*Scrutamini Scripturas*) Christus, ait, Judæos ad Scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad investigationem perquàm diligentem relegavit: non enim dixit: *Legite Scripturas*: sed *scrutamini*. Divina enim summâ indigent diligentiâ. In umbra enim majoribus illis non abs re locutus est. Idcirco effodere profundiùs jubet, ut quæ altè delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur &c.

303. Hieronymus in *Præfatione in Oseam*. Si in explanationibus omnium Prophetarum Sancti Spiritûs indigemus adventu, ut cujus instinctu scripti sunt, illius revelatione pandantur: & in Esaia *Librum signatum* legimus quem Scribæ & Pharisæi, qui legis litteras se nôsse jactant, non possunt legere, quia signatus est, nullùsque inveniri potuit, qui ejus posset reserare mysteria: quantò magìs in Oratione Oseæ Prophetæ orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: *Edissere nobis parabolam istam*: præsertim, cùm obscuritatem voluminis testetur ipse, qui scripsit: *Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens, & cognoscet ea?* Quod non pro impossibili, sed pro difficili accipere debemus.

304. Augustinus *Epist.* 3. *ad Volusianum*. Tacita est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta perveniatur difficultate, sed cùm quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèque non vivitur, tam multa, tàmque multiplicibus Mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantàque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ,

ut

ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: *cùm consummaverit homo, tunc incipiet &c.*

305. His Auctoritatibus conformia sunt reliquorum Patrum Ecclesiæque Doctorum testimonia, inter quos videri poterit Clemens Romanus *Libro primo recognit:* Dionysius Areopagita in *Mystica Theologia cap.* 2. Irenæus *lib.* 2. *cap.* 47. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Stromatum cap.* 6. Athanasius de Verbi Incarnatione *circ. fin.* Basilius Magnus *Procœmio in Isaiam*: Epiphanius *hæresi* 55. Gregorius Nazianz. in *Apologetico*, *seu Oratione* 1. Theodoretus in *lib.* 1. *Reg. quæst.* 1. Joan. Damascenus *Orthodoxæ fidei lib.* 4. *cap.* 18. Gregorius Magnus *Præfatione in Libros Moralium ad Leandrum cap.* 4. *lib.* 20. *Moralium cap.* 1. Et *Homil.* 6. *in Ezechiel.* expendens illud Psalm. 17. 12. *Tenebrosa est aqua in nubibus aëris.* Isidorus Hispalensis *de Summo Bono lib* 1. *cap.* 18. Beda *ad Psalmnm* 10. Alcuinus ad *cap.* 6. *Joannis*: Rabanus Maurus *de Institutione Cleri*, *lib.* 3. *cap.* 3. Rupertus Tuitiensis ad *cap.* 5. *Amos.*

306. Quibus accedit Doctor Angelicus Div. Thomas ad *cap.* 1. *Apocal.* Quæritur, quare Scriptura est sub tanta obscuritate, quæ utilior videretur, si apertè intelligeretur? Respond. sapientissimè conditam esse Scripturam, ita, quod in quibusdam locis est aperta, ne omnino clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur, & ut simplices aliquid exinde capiant, & ut per ea, quæ sunt plana, fit via ad explanationem clausorum. In quibusdam verò locis est occulta & velata, & hoc triplici ratione, scil. propter malignos, ne sit eis locus pervertendi: item propter fastidiosos; quia multa fastidirent & contemnerent: nunc autem gratius & pretiosius & sapidius est, cùm investigatur; & hoc exigit reverentia Divinæ virtutis: item propter diversos exponendi modos.

307. Quid multis? Si Luthero, & aliis Ecclesiæ Catholicæ impugnatoribus Scriptura esset clara, otiosæ & superfluæ essent tot versiones, tot Commentaria, támque variæ interpretationes ab ipsis editæ: sed hoc nolunt audire, quòd otiosè egerint, & superflua tractârint: ergo in illorum suppositione Scriptura non est clara. Osiander in *confutatione scripti*, adversùs Philippum vulgati, testatur, inter solos Confessionistas viginti Sententias diversissimas de Justificatione secundùm Scripturas versari.

308. Lutherus seipsum hac in re, consequenter & suos adhærentes, perspicuè confutat. Primò enim in *lib.* 1. *contra* Zwinglium & Oecolampadium scribit: „ Si diutiùs steterit Mundus, iterum foret necessarium, propter diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ut, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum „Decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.

309. Secundò in *Præfatione in Psalmos* nolim, ait, ab ullo de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit Sanctissimorum & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere. Sat est, aliquos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat; multa solùm ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat. Et infra: Scio, inquit, esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.

310. Tertiò: Brenzius quoque se ipsum confutare convincitur, dum in sua *Confessione* Wirtembergica *cap. de* Sac. Scriptura fatetur: non esse obscurum, quòd donum interpretandæ Scripturæ non sit humanæ prudentiæ, sed Sancti Spiritûs. Spiritus Sanctus autem est liberrimus, nec est ad certum genus hominum obligatus: sed distribuit dona hominibus pro suo ipsius beneplacito.

311. Quartò: Kemnitius in Exam. *quartæ Sessionis Concil. Tridentini*, Deus, inquit, voluit in Ecclesia extare donum interpretationis; quod, sicut donum sanationum, miraculorum & linguarum, non est commune omnibus. Rectè dixit quoad Catholicos: ergo Scriptura non est in omnibus clara. Nempe Deus Scripturam profundam & obscuram esse voluit, ut alii essent, qui docerent, alii, qui discerent. *Numquid omnes Apostoli? nunquid omnes* Prophetæ? *nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Apostolus 1. *Corinth.* 12. 29. quasi dicat: minimè.

312. Quintò, Novatores non possunt inficiari, in Scriptura non solùm varios contineri hebraismos, sive peculiares Hebræorum loquendi modos (v. g. quòd abstractum sæpe ponant pro concreto, ùt *Exod.* 8. *v.* 26. illa verba: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*, intelliguntur res abominandæ, quorum nomine apud Ægyptios veniebant pecudes & oves, ab ipsis immolari non solitæ, sed colebantur ùt Numina) verùm etiam plurimas figuratas locutiones, scil. modò per Synecdochen, ùt si ponatur pars pro toto, aut vicissim: e. g. Psal. 65. v. 12. *Imposuisti homines super capita nostra*, id est, super nos: modò per metonymiam, ùt si ponatur causa pro effectu, aut vicissim: modò per antonomasiam: ùt si nomen commune pluribus uni per excellentiam adhibeatur: v. g. Antichristo nomen *homo peccati*: modò per antiphrasin: dum ponitur aliquid pro suo opposito: e. g Job *cap.* 1. *v.* 5. dicitur: *Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo*: ubi ly *benedixerint* accipitur pro *maledixerint*: modò per hypallagen, dum unum subjicitur pro alio, sitque sub-

submutatio phrasis, e. g. Psal. 18. 6. *In Sole posuit Tabernaculum suum*, pro, *Solem posuit in Tabernaculo suo.* Ut de cæteris figuratis taceamus, frequentissima est illa tropologica per metaphoram, & allegoriam in Scripturis locutio: e. g. *Ecce Agnus Dei; Ego sum vitis vera; in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit &c.*

313. Deo in Sac. Scriptura sæpissimè corporalia hominum membra tribui, ad significandam aliquam vim, efficientiam, vel quid Mysticum spirituale eis respondens, compertissimum est. Exemplis monstrandum, obscuritatem Scripturarum non in sola verborum superficie & materiali significatione sed etiam in ipso sensu animadverti. Proponantur simpliciter non tantùm plebeculæ rudi, sed & aliis vel acutis, vel astutis: quid sint capilli in Deo? quando Dan. 7. v. 9. legitur: *Capilli capitis ejus quasi lana munda.* Quid oculi? *Ecce oculi Domini super metuentes eum. Psal.* 32. v. 18. Quid palpebræ? *Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Psal.* 10. 5. Quid auris? *Auris Cœli audit omnia. Sapient.* 1. v. 10. Quid nares? 2. *Reg.* 22. v. 9. *Ascendit fumus de naribus ejus.* Quid facies? Exod. 33. v. 23. *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Quid os Dei? If. 1. *Os Domini locutum est.* Quid lingua? *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Psal.* 44. v. 2. Quid brachia? *Et brachia mea populos judicabunt. If.* 51. v. 5. Item *Luc.* 1. 51. *Fecit potentiam in brachio suo.* Quid dextera? *Psal.* 62. 9. *Me suscepit dextera tua.* Quid manus? *Manus tua tetigit me. Job.* 19. v. 21. Quid digitus Dei? *Porro si in digito Dei ejicio Dæmonia.* Quid cor Dei Patris? *Eructavit cor meum verbum bonum*, *Psal.* 44. 2. Quid alæ? *Sub umbra alarum tuarum protege me, Psal.* 16. 8. Quid per scapulas? *Scapulis suis obumbrabit tibi &c. Psal.* 90. 4. Quid uterus? *Ex utero ante Luciferum genui te. Psal.* 109. 3. Quid pedes? *Cœlum Sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. If.* 66. 1. Quid vestigia? *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur. Psal.* 76. v. 20. Quid vestimentum? *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de* Bosra. *If.* 63. 1. Innumera alia prætereamus.

314. Edisserant sine interprete, Bibliorum claritatem toties crepantes, edisserant ex tempore. Quis determinatus ac genuinus similium vocum figuratorum sit sensus, Ecclesia non declaravit. Confugiendum ergo ad verosimiles interpretationes, quid hæc sibi velint? Ex Catholicis succinctè respondet Petrus Annatus in *Apparatu ad Theologiam Positivam, lib.* 2. *artic.* 11. secundùm interpretes per Deùm ùt Caput Christi intelligi, quòd Deus sit Dominus, superior, & Rector Christi ùt hominis, quemadmodum hoc sensu vir nominatur caput mulieris. Quandòque etiam per Deum ùt caput essentia Divina, quà præcedens & sibi subjicens omnia intelligitur. *Capilli* secundùm S. Eucherium apud eundum Authorem intelliguntur Sancti Angeli, & multitudo Sanctorum dealbatorum, seu virtuosi electi, qui dealbaverunt stolas suas, id est, conscientias suas, *in sanguine Agni, & sequuntur eum, quocunque ierit.* Qui capilli ideò lanæ mundæ comparantur, ut per hoc antiquus dierum credatur. *Oculi* designant Deum omnia videntem, seu inspectionem Divinam: Palpebræ occulta & incomprehensibilia judicia Dei: vel Scripturas Divinas, quæ modò clauduntur, modò aperiuntur, sicut palpebræ: *Aures*, Deum omnia audientem, ut nihil eum in silentio lateat: *Nares* inspirationem Dei in corda hominum: vel, quòd Deus habeat per se ipsum percipiendi & odorandi, quæ creaturæ naribus percipere solent & odorari. *Facies* Dei designare potest infinitam invisibilis Divinitatis essentiam: pérque illud: *posteriora mea videbis*, nonnulli intelligunt, Incarnationem, seu Filium Dei incarnatum, in monte Thabor fore monstrandum sub velamento Humanitatis; non item Divinitatem: *Faciem autem meam videre non poteris.* Per *Os* Dei intelligi potest Filius Dei: aut in sensu morali, illi, qui vices Dei gerunt, ùt sunt legitimi superiores: per *Linguam Dei*, Spiritus Sanctus, quò Deus nobis loquitur in terris, & Secreta revelat: per *Brachia Dei* Patris in plurali posita, intelligi possunt Filius & Spiritus Sanctus: per *Brachium* singulariter acceptum solus æterni Patris Unigenitus. Per *Dexteram Dei*, Potentia Dei: per *Manus* Dei Patris interdum Filius Dei significatur: secundùm illud: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: vel virtus Dei rerum omnium productiva: per *digitum Dei* singulariter acceptum Spiritus Sanctus: utpote qui à Patre & Filio procedit, sicut digitus à brachio & manu: & sicut digiti sunt multi, ita & Spiritûs Sancti dona sunt multa. *Divisiones verò gratiarum sunt* (inquit Apostolus 1. ad Cor. 12. 4.) *idem autem Spiritus.* Vel etiam intelligitur Dei Omnipotentia, virtus, & operatio, per digitos Dei pluraliter sumptos: aut sancti Prophetæ: *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Psal.* 8. v. 4. ut per cœlos indicentur libri legis & Prophetarum, Spiritu Sancto inspirante à Prophetis descripti. Per *Cor Patris*, & *Uterum* intelligi valet arcanum sapientiæ ejus, ex quo Verbum suum æternum impassibiliter genuit: per *Alas* Dei, protectio, tutela, & præsidium, quo Deus suos fovet: per *Scapulas Dei*, sustinentia, qua velut Scapulis suos portat & sustinet: per *Pedes* Dei, stabilimentum virtutis Dei, cui omnia sunt subjectissima, per *vestigia Dei* operum secretorum signa: per *Calceamenta* quandòque significatur natura humana à Verbo assumpta, seu Incarnatio, v. g. in Idumæam extenta, id est, plebi gentilium manifestanda: similiter per *vestimentum* quandòque Caro Filii Dei. Hæc exempli locò adducta sint, quando applicantur Deo.

315. Si illa considerentur, ùt aliis rebus applicanda, quàm abstrusa itidem est talium vo-

vocum significatio. Nam quandoque in Scriptura Sacra per *Caput* intelligitur Summa Sacerdotii Judaici, vel pars principalis hominis: vel cujuslibet rei vitium: *Capillorum* nomine defluentes animi cogitationes: vel superabundans terrena substantia: *Oculi* nomine cordis intentio, perfecta Dei cognitio, vita contemplativa &c. *Palpebrarum* nomine prudentes hujus Sæculi, aut Divina judicia: *Narium* nomine exhalantes insidiæ, aut instigatio antiqui hostis: *Linguæ* nomine aperta locutio, vel falsitatis doctrina: *Faciei* nomine mentis intentio, animadversionis ultio, cognitio diaboli &c. Qui plura exempla cupit, adeat Interpretes, e quibus insigniter satisfaciet Garnerii *Gregorianum*, hoc est, *allegoricæ omnium pene rerum in Bibliis contentarum* Explanationes: videbit autem non sine admirationis motu, quanta & quàm frequens in terminis Scripturisticis lateat obscuritas, atque in interpretando difficultas; quæ si viros cæteroquin doctrinâ & acumine præclaros sed commentariis destitutos, acerbè torqueant, quid facilitatis & claritatis sentient plebei, rudesque, si absque directore, Magistro, vel Interprete vel de vocum significatione, vel de multiplici in illis recondito sensu arbitrari relinquantur?

316. Pro elucidario Psalmorum peraccommodè deserviet *Psalterium cum Canticis* Eminentiss. Josephi Mariæ Thomasii, novissimè in Germania Typis Monasterii Einsidlensis editum. In Psalmo 67. 14. sic canitur: *Si dormiatis inter medios Cleros; pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quis hæc extemplò enodabit? Thomasius ita exponit: „ Vos populus Domini si dormieritis & quieti „ degeritis inter medias sortes & terminos ve„ strarum tribuum, eritis candidi & læti sicut „ deargentatæ pennæ alicujus columbæ, cujus „ dorsi posteriora sint cum agri specie & virore. Item: *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Quanta hìc claritas? Thomasius hunc in modum elucidat: „ In„ crepa istiusmodi gentes, quæ sunt velut fe„ ræ in sylvestri arundineto degentes, quæ „ sunt congregatio ista populorum veluti ar„ mentum taurorum, inter vaccas lascivien„ tium & ferocientium; calcitrantium ad ex„ cludendum & expellendum à loco suo eos, „ qui examinati sunt velut argentum igne probatum.

317. Quòd si insuper profunditatem, vel altitudinem mysteriorum contemplationi objiciamus (quorum præcipua sunt Deus unus ac simul in Personis Trinus: Incarnatio Verbi: Prædestinatio & Reprobatio, vaticinia Prophetarum, Gratia, justificatio peccatoris, meritum vitæ æternæ, Sacramentorum numerus ac necessitas, præsertim mysterium præsentiæ Christi sub speciebus Panis & vini, & alia complura) quis non exclamet cum illo Propheta: *A a a Domine nescio loqui*, nisi ex præveniente superno lumine, ac Ecclesia interpretante, Patrúmque & Doctorum adminiculante consensu: ut nihil jam dicam de tot locis Scripturæ sibi in speciem adversantibus. Atque ex his patet, quàm præcipiti judicio, linqua calamóque Novatores, non sine miseranda seductione plebis, Sacras Scripturas per se ita claras esse, ut ad dirimendas fidei controversias sufficiant, hujus contrarium paulò pòst constabit. Audiamus oblocutiones.

## *Occurritur quibusdam Argutiis.*

318. ARguis primò: Nunquid hæc verba Genesis: *In principio creavit Deus Cælum & terram*, sunt perspicua? Similiter & ista: *Christus est natus, passus.* Talia afferri possent innumera, maximè, quæ historias complectuntur. Resp. Nemini Orthodoxorum in mentem venisse, quòd in Sacris Scripturis omnia sint obscuritate quâdam involuta aut difficilia: si nimirum verba & res propositæ simpliciter considerentur, nullis excitatis desuper novis quæstionibus, quæ à doctis tamen moveri solent.

319. Illustratur exemplò. *Gen.* 1. *v.* 3. dixit Deus: *Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona: & divisit lucem à tenebris. Appellavítque lucem diem, & tenebras noctem: factúmque est Vespere & manè dies unus.* Hic dies erat primus. Jam dicat claritatis Scripturisticæ defensor, quomodo cum prædictis verba sequentia (licet in se ac simpliciter spectata sint perspicua) cohæreant? *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset die: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et factum est Vespere & manè dies quartus.* Si Sol primùm die quarto è suo nihilo fuit productus, quibus radiis lux primo die infundi potuit? Quomodo lux & dies fuit ante solem? Ecce hìc caliginem! Ad Interpretes, inquies, confugiendum. Ita est. Si lubeat auscultare D. Thomam Aquinatem, ex D. Augustino te docebit, lucem illam primi diei fuisse *spiritualem* scil. naturam Angelicam; quarti verò diei fuisse jam *corporalem*. Vid. D. Thom. 1. *p. quæst.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Et *quæst.* 74. *art.* 2. *in C.* ubi dicit: Augustinus vult 4. *super Gen. ad lit.* & 11. *de Civit. cap.* 22. & ad *Orosium*, quòd omnes, qui dicuntur septem dies, sunt unus dies septempliciter rebus præsentatus. . . . *Nam secundùm Augustinum per diem intelligitur cognitio mentis Angelicæ, ut sic primus dies sit cognitio primi Divini operis, secundus dies cognitio secundi, & sic de aliis; & dicitur unum, quòd opus esset actum in aliqua die; quia nihil Deus* pro-

*produxit in rerum natura, quod non impresserit menti Angelicæ, quæ quidem multa simul potest cognoscere præcipuè in Verbo, in quo omnis Angelorum cognitio perficitur & terminatur; & sic distinguuntur dies secundùm naturalem ordinem rerum cognitarum, non secundùm successionem cognitionis, aut secundùm successionem productionis rerum: cognitio autem Angelica verè & propriè dies nominari potest, cùm lux, quæ est causa diei, propriè in spiritualibus secundùm Augustinum inveniatur.* Alii secundùm eundem D. Thomam *loc.* proximè citato dicunt: quòd si lux primo die facta sit intelligenda corporalis, dicendum fore, quòd illa lux primo die *fuerit producta secundùm communem lucis naturam; quarto autem die attributa sit luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus. . . . Et propter hanc determinationem virtutis* dicit Dionys. 4. *de Divin. Nom.* *quòd lumen solis, quod primo erat informe, quarto die formatum est.*

320. Arguis secundò: *Si quis aliud Evangelium annuntiaverit præter id, quod prædicamus vobis, anathema sit, ad Gal.* 1. *v.* 9. Quo textu excluduntur Interpretationes, & traditiones, aliàs à Catholicis in pretio habitæ. Ex *Deut.* 4. *v.* 2. etiam objiciunt: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Cùm itaque solum verbum Dei debeat esse ultima regula ac norma credendorum, verba illius clara & diserta esse oportet. Resp. ex dictis abunde constare, innumera fere S. Scripturæ loca obscuritatis involucro esse recondita. Catholicis porrò nulla potest imputari vel additio ad verbum Dei, vel ulla diminutio. Quid eorum oppugnatores ea in re ausi fuerint, notum est. Interpretationes quoque Scripturæ ab iisdem Adversariis, spiritu privato hinc inde agitatis, non fuisse intermissas, eorum Scripta & dicta dilucidè testantur.

321. Cautiùs cum Scripturarum tum editione tum interpretatione procedit Orthodoxa nostra Ecclesia. Speciatim SS. Tridentina Synodus *Sess.* 4. *de Canonicis Script. in Decreto de editione & usu sacrorum librorum, ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sac. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nunquam in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarent, & pœnis à jure statutis puniantur.* Impressoribus quoque putantibus, licere sibi quidquid libet &c. Sac. Concilium modum imponere volens, statuit, ut posthàc *Sac. Scriptura, potissimùm verò vetus & vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur: nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati approbatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Concilii novissimi Lateranensis* (*Sess.* 10. impressione librorum sub Leone X.) *imposita.*

322. Arguis tertiò cum Protestantibus & aliis eorum fœderatis: Nos purum verbum Dei tenemus, loquimur, prædicamus: Catholicorum alius mos est. Resp. ita passim ab ipsis dici. At nonne etiam veteres falsorum Dogmatum fautores idem testimonium de seipsis perhibuerunt? Anne propterea hodierni Novatores cum illis priscis communem contra Catholicos causam facient, & hæreses jam pluribus retrò sæculis damnatas pro veritatibus recipient? Sanè Acatholici, dum se certò Divinarum Scripturarum præsidiò destitutos animadvertunt, ad rationis firmamenta (ùt putant) confugiunt, discursus dialecticos per Syllogismos formant. Propositionem unam assumunt ex Sacra Scriptura: alteram ex ratione adjiciunt: nunquid ergo ex verbo Dei & verbo hominum articulos rerum credendarum inferunt? Alias objectiones prætereo. Illis viriliter satisfacit sapientissimus Bellarminus *de Verbo Dei lib.* 3. per aliquot capita. Pro coronide præsentis Quæstionis Adversarios memores esse volo, quot non Concilia Generalia in Ecclesia per singula sæcula fuerint instituta, & hæreses Verbo Dei adversæ damnatæ? Igitur Scriptura interpretatione indigebat.

# QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

## *Rectène in Ecclesia Catholica lectio Bibliorum, præsertim in propria lingua vulgari, non omnibus promiscuè sit permissa?*

323. **A**Ssertio affirmativa colligitur ex superioribus dictis, quòd nimirum Biblia in compluribus locis sint obscura, multiplicem sensum in se complectentia: & quòd ex varia Spiritûs privati satis erratici (ùt experientia nos docuit) interpretatione protuberent identidem novæ ac novæ hæreses, antilogiæ, dissidia: præsertim si Biblia in lingua cujusvis nationis vulgari ac propria edi, legique permittantur. Quis enim ignorat, vulgares linguas quolibet centenario, si non citiùs, multùm variari? oporteret igitur toties Biblia emendare, ac denuò publicare. Adde, quòd Sac. Bibliorum in lingua vulgari promiscuè permissa lectio eorum auctoritatem Sanctitatémque in populo vilescere faciat: iique, qui domi lectioni eorum frequenter vacarent, frigidiùs ad audiendam verbi Dei prædicationem Ecclesias accederent. Deinde Bibliorum lectio utique non

est omnibus fidelibus necessaria, nam quæ pro vera fide tenenda necessaria videntur, utique à Pastoribus suis & Prædicatoribus discere possunt ac debent. Et quàm multi pietate doctrinâque præcellentes Christiani jam olim, & modernis temporibus sine lectione Bibliorum vitæ suæ cursum in fide Orthodoxa beatè consummârunt? Quot hominum millia inter Christianos nequidem Litteras & Alphabetum callent? Quot sunt obtusi ingenii, ut etsi legant, pleráque tamen non intelligant, aut saltem non sine errandi periculo judicium ferant? Quot pauperes, qui Bibliis, quæ emere nequeunt, carere coguntur? Considera tot exercitus militum, qui armis onerati Biblia secum nec ad campum, nec ad castra, nec ad hyberna secum circumvehunt. Unde palam est, non tam veræ necessitatis titulô, quàm studiô placendi vulgari populo, ab hodiernis Novatoribus liberam Bibliorum in vulgari lingua lectionem pro omnibus promiscuè peti. Quare nec legitimè

324. Arguunt primò, Papistas in eo peccare, quòd Scripturâ, quæ est cibus animæ, oves Christianas privent: secundò, quòd Biblia sint liber fidelium: Clavis Scientiæ: consolationem Spiritûs populo propinent &c. Nam Resp. Scripturam esse animæ cibum, non ex propria vulgi bucca, sed per ora Pastorum & Doctorum mandendum, juxta illud Malach. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Similiter est Liber fidelium, non ab omnibus aperiendus, vel explicandus: aliàs etiam mulierculæ viris doctissimis & ipsis SS. Patribus, Pastoribus, & Ecclesiæ Pontificibus forent exæquandæ. Certè non sine causâ veteris testamenti volumina à Sacerdotibus in Templo olim firma sub custodia fuerant asservata, ùt refert D. Augustinus *lib. 16. de Civit. cap. 13.* Præterea, rectiùs dixerimus, Scripturam esse scientiam clausam, quàm esse clavem scientiæ: nam clavem scientiæ parat legitima Ecclesiæ interpretatio, cui aliunde in Petro supremo & spirituali ovium Pastore Claves ad Regnum Cœlorum fuerunt concreditæ. Quod additum fuit de consolatione Spiritûs, adæquatè verum non est: non enim in sono externo aut nuda ac materiali lectione sed in vero sensu atque intelligentia solamen & dulcedo Verbi Dei ritè degustatur: imò etiam in prædicatione publica: quàm enim aliàs miseri, & extra solaminis capacitatem positi forent illi, quibus nec ad manum sunt Biblia, nec notæ litteræ?

325. Arguunt tertiò: nulla erat prudens ratio, ut Catholici statuerunt, quòd Sacræ Scripturæ sint imprimendæ, tradendæ, & pro authenticis habendæ, in quantum apparent vel in lingua Latina, vel Græca, vel Hebraica: nonne enim longè convenientiùs iisdem utemur in lingua vernacula, & materna cujuslibet nationis? Christus prædicavit linguâ vernaculâ: Apostoli quoque in die Pentecostes loquebantur variis linguis magnalia DEI: ac postea per Orbem dispersi prædicârunt linguis eorum populorum, ad quos convertendos pervenerant. Similiter igitur moderno quoque tempore magìs congruet, Verbum DEI scriptum in Vernacula tradi, si olim non scriptum lingua vulgari fuit Gentibus communicatum. Resp. Apostolos non scripsisse Evangelia aut Epistolas linguis illarum nationum, quibus prædicârunt, tametsi donum linguarum à Spiritu S. acceperint. Probat id eruditè Card. Bellarm. *Tom. 1. lib. 2. cap. 15. de Verbo DEI.* Docet hoc ipsum clarè Div. Augustin. *lib. 2. Doct. Christ. cap. 11.* ubi ad Scripturas intelligendas prædictam linguarum triadem tantùm exposcit, eò quòd in illis legantur, nec ullus antiquus Auctor alicujus alterius translationis mentionem faciat, quamvis haud dubiè etiam tunc multæ vulgares linguæ in usu fuerint.

326. Immeritò igitur carpitur SS. Concilium Trident. *Seß.* 4. perpendens, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ DEI, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, pro authentica veterem & vulgatam editionem habendam esse statuat, utpote quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, declaretque in publicis lectionibus, disputationibus prædicationibus, & expositionibus pro authentica agnoscatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

327. Reprehendit Bellarmin. *dict. cap. 15.* Kemnitium, tanquam impudenter mentientem, in Catholica Ecclesia vulgares Bibliorum translationes esse omnino prohibitas: ostendit enim ex Indice Librorum prohibitorum à Pio IV. edito *Reg.* 4. Lectionem ejusmodi librorum concedi, qui utiliter & cum fructu eâ uti possunt, id est illis, qui facultatem ab Ordinario obtinuerint; prohiberi verò solùm, ne omnibus passim ac sine discrimine ejusmodi lectio concedatur; & ne in publico, & communi usu Ecclesiæ Scripturæ legantur aut canantur vulgaribus linguis. Jodocus Lorichius in *flagello cont. hæref. V. Scriptura Sacra* ait, quòd licet quibusdam Nationibus fidelium permissus sit usus vulgarium Bibliorum pro lectione privata & formandis Concionibus, præsertim Nationi Germanicæ, cujus vulgare idioma longissimè distat à Latina limgua: ad cavenda tamen pericula & incommoditates, pro licentia legendi Biblia vulgaria requiratur authoritas Episcoporum, aut eorum, quibus ipsi id muneris demandant, ex *cit. Reg. 4. Indic. libror. prohibitor.* Martin. Navar. *de Orat. & Horis Canon. cap. 22. num.* 103.

328. Illud nemo ex Orthodoxis diffitebitur, expedire summoperè, ne Biblia ab hæreticis edita liberæ lectioni concedantur.

Hoc enim suadet periculum perversionis, & causa detestationis similium auctorum. Biblia autem edita in lingua aliqua sacra ex tribus supra recensitis, nemini esse prohibita, asserere non for- idat Clariss. Author *Cursûs Polemici Augustæ Vindelic.* Anno 1713. typis mandati, in *Controvers. fundamentali, artic.* 1. *num.* 31. orationem hanc subjiciens: quia qui callent has linguas, censentur habere tantam peritiam, ut ipsis lectio Scripturæ non sit noxia propter occurrentes in ea difficultates. Deinde subnotat, Bibliorum Catholicorum lectionem in lingua vulgari aliquibus, non omnibus, esse vetitam: iis scil. qui plus damni quàm utilitatis ex tali lectione ob imprudentiam vel temeritatem suam capere possent: an verò periculum ejusmodi subsit, dispicere ad Episcopos spectat, si populus rudis (interloquitur Bellarminus *cit. cap.* 15.) audiret linguâ suâ vulgari, v. gr. ex Canticis Canticorum legi: *Osculetur me osculo oris sui*: Et: *Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: item illud Oseæ 1. 2. *Vade, & fac tibi filios fornicationum*, nec non adulterium Davidis, incestum Thamar, mendacia Judith, & quemadmodum Joseph fratres suos inebriavit; Sara, Lia, & Rachel dederunt ancillas viris suis in concubinas, & multa alia eorum, qui in Scripturis magna cum laude commemorantur; vel provocaretur ad hujusmodi imitanda, vel contemneret Sanctos Patriarchas, ùt olim Manichæi, vel putaret, mendacia esse in Scripturis. Sic Cardinalis. Ille autem anterior Polemicus *loc. cit.* notanter subjungit, hodie in Germania aliisque Regionibus Septentrionalibus permissam esse omnibus, etiam laicis, & illiteratis lectionem Bibliorum Catholicorum in lingua vulgari: „ Quia vel Index librorum prohibitorum, „ quoad lectionem Scripturæ in lingua vulgari, in Germania nunquam usu receptus „ est; vel quia Roman. Pontifex, sciens praxin & morem legendi Biblia vernacula in „ his terris, dissimulat, & sic tacitè consentit &c. Ita citatus Author. Ego hìc judicium meum suspendo. De Indice librorum prohibitorum, & maximè de excommunicatione lata in Bulla Cœnæ contra lectores librorum hæreticorum nonnulla deduxi in *Tract. de* Potest. *Clavium circa Censuras part.* 2. *à num.* 156.

329. Arguunt denique nostri adversarii, vituperando, quòd apud Catholicos preces tum publicæ tum privatæ, itémque Officia Divina, psalmodia, aliique cantus, in quibus verba Scripturæ frequentissimè continentur, non in lingua vulgari, sed latina peragantur. Certè, inquiunt apud vos verificatur illud *Is.* 29. 13. *Math.* 15. 8. *Populus hic labiis me honorat &c.* Paulus quoque dicit 1. ad Corinth. 14. 14. *Si orem linguâ, Spiritus meus orat, mens autem sine fructu est.* Quomodò enim populus ex illis precibus, vel cantibus fructum hauriet, de quibus nihil intelligiit, nisi sonos vocum? Verùm etiam his murmurationibus os occludit Bellarminus, negando inprimis, ex publica oratione à populo nullum recipi fructum, nisi eam intelligat: nam oratio, ait, Ecclesiæ non fit populo, sed DEO pro populo: itaque non est opus, ut populus, ad percipiendum fructum, orationem intelligat, sed sufficit, quòd eam DEUS intelligat. Si quis apud Regem latinè oraret pro aliquo rustico, linguæ latinæ ignaro, nónne ex oratione Advocati sui fructum percipere posset, tametsi orationem non intelligat? Deinde Ecclesia haud absque fructu orat pro fidelibus & peccatoribus absentibus, & nihil de tali oratione audientibus: quantò magis fructus sperandus est, si pro populi præsentis necessitatibus linguâ latinâ oret? Huc facit, quòd juxta *Levit.* 16. ex præcepto DEI Sacerdos Sanctuarium ingressus pro se & pro populo oraverit, populo foris manente, qui Sacerdotem nec intellexit, nec audivit, nec vidit: Dubitabúntne Adversarii an talis oratio populo profuerit? Chrysostomus *Hom.* 3. *de* Lazaro, *quidsi*, inquit, *non intelligamus, quæ continentur in sacris libris? Maximè quidem, etiamsi non intelligas ibi recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur Sanctimonia.*

330. Similiter, quando populus linguâ ignotâ, v. g. latinâ pro seipso orat, fructum percipere valet: ut enim docet S. Augustin. *l.* 3. *Doct. Christ. c.* 9. *Judæi non frustra colebant DEUM figuris & cæremoniis variis, quarum verificationes multi eorum minùs intelligebant, quàm verba latina nostri rustici.* Et *l.* 6. *de Bapt. cap.* 25. dicit: *Multi irruunt in preces, non solùm ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hæreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem non eas valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes, quod bona sint, nec tamen quod in eis perversum est, evacuat illa, quæ in eis bona sunt, sed ab eis potiùs evacuantur. Nam plerumque precis vitium superat precantis affectus*: eò quòd DEUS non tam respiciat, quid dicamus, quàm quid dicere cupiamus.

331. Solent Medici (verba sunt Originis *Hom.* 20. in Josue) *prabere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando, sentimus, quia utile est &c. Hoc ergo modo, credendum est etiam de Scriptura sancta, quia utilis, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit.* Quis, quæso! quæcunque latitantia in Psalmis Davidicis, quos canit, intelligit? Anné continuò ab Ecclesia ad Commentaria currere debebit? Aut proptereà, quia complura nescit, fructu cantûs ex devotione & reverentia instituti carebit? Imò S. Antonius illam orationem pro perfecta habuit, qua mens ita in DEUM absorbetur, ut ne quidem ipsa verba sua intelligit.

332. Nec obstant textus supra objecti. Si-

qui-

quidem in illo, *populus hic labiis me honorat*, vel reprehenduntur orantes sine attentione, reverentia, & devotione, sed animo ad alia objecta vel negotia divagante: vel loquitur de profitentibus pietatem in verbis, factis verò contrarium agentibus. In altero autem, *si orem linguâ &c.* negat Bellar. reprehendi orationem, quæ non intelligitur, sed solùm ei anteponitur; quæ intelligitur. Non enim Apostolus dicit, orationem esse sine fructu, sed mentem: „ Qui enim orat linguâ, quam non novit, ùt cum rudes homines recitant Latinè septem Psalmos, affectu quidem & Spiritu proficiunt, tamen mens eorum sine fructu est; quia non eruditur. Ejusmodi verò orationem non reprehendi ùt malam, & penitus infructuosam, declarat Apostolus illis verbis: *Nam tu bene quidem gratias agis.* Latiùs quoque idem purpuratus Doctor monstrat, Apostolum *loc. lit.* non agere de Divinis Officiis, neque de publica Scripturarum lectione: sed de Canticis spiritualibus, quæ Christiani componebant ad laudandum DEUM, & gratias ei agendas, & simul ad suam, & aliorum consolationem ac ædificationem. Non loqui Apostolum de Scripturis vel Divinis Officiis ex eo probat, quòd Scripturæ sine „ dubio legebantur Græcè & Divina Officia „ fiebant Græcè in Græcia, uti etiam hæretici admittunt. Apostolus autem hic loquitur de Oratione & gratiarum actione, „ quæ fit per donum linguarum linguâ aliquâ maximè extraneâ, quam nemo intelligebat, Arabica vel Persica, ùt Chrysostomus & alii omnes exponunt; imò „ etiam, quam non intelligebat sæpè is, „ qui loquebatur, ùt illa verba indicant: *Si orem linguâ, Spiritus meus orat, mens autem sine fructu est*, id est, intellectus non eruditur, quia non intelligo, quid dicam. Item illa: *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit*, id est, „ nemo attendit, quia nemo intelligit. Non ergo loquitur de Divinis Officiis, quæ cùm Græcè fierent, à multis intelligebantur, sed loquitur de oratione seu laude DEI, & gratiarum actione, quas interdum linguâ „ peregrinâ in collationibus canebant.

333. Si quæras, quænam fuerint illæ collationes, id memoratus Author *eod. cap.* 15. *de Verb. Dei lib.* 2. ita exponit, quòd sicut olim Monachi conveniebant, & conferebant de rebus spiritualibus (unde nomen traxerunt *Collationes Patrum* apud Cassianum) ita quoque in prima Ecclesia (velut indicat B. Justinus in fine *Apolog.* 2.) convenerint diebus Dominicis: & primò legebantur Scripturæ: posteà fiebat concio ab Antistite: tum celebrârunt mysteria; postremò inter se de rebus Divinis Sermones miscebant. Ad præcavendam igitur confusionem, Apostolus instituit, ut duo aut tres tantùm in singulis collationibus loquerentur, & cæteri audirent, ac dijudicarent; & si fortè, dum unus diceret, alteri inspiratum fuisset aliquid melius, ut primus taceret & secundus loqueretur. Et quia apud Corinthios interdum aliqui erant, qui, ut ostentarent donum linguarum, peregrinâ linguâ utebantur, Apostolus eos corrigit: nam exhortationes ab omnibus intelligi debent. Hæc pro eruditione: ex quibus manifestò liquet, Catholicæ Ecclesiæ Adversarios mox omnia corradere, quæcunque ad eam oppugnandam aut spernendam vel levem aut remotam apparentiam habent, veram autem originem fundúmque minimè detegere, vel ipsósmet ignorare.

334. Colliges ex dictis, non esse improbandas orationes, quæ in lingua ignota in communi, publicè, seu ex instituto Ecclesiæ fieri solent: easque proficuas fore, si oranti non desit pia intentio orandi, & verba attentè pronuntiet. Interim liberum cuivis est, pro necessitatibus suis & quibuscunque donis vel gratiis obtinendis tales assumere orationes, quas intelligit, ut verba specificè conveniant intentioni mentis. Absurdè porrò dicit Catechismus Calvinianus, quòd precari DEUM incognitâ linguâ sit irrisio & hypocrisis perversa. Quis enim eum pro hypocrita habeat, qui libellum supplicem alicui Principi in lingua ipsi nota, offerenti verò ignota, porrigit?

# QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

## *Sitne, præter Scriptum DEI Verbum, etiam admittendum non scriptum, sive Traditio Divina?*

335. SAducæi nihil præter Legem à Moyse scriptam recipiebant; Patrum Traditiones rejiciebant, & volebant illa solùm, quæ scripta essent, valere, non Scripta autem nullius esse authoritatis. Ita Josephus *lib.* 13. *antiquitatum cap.* 10. Ariani, posthabitis Patrum Sententiis, negant, Filium DEI esse Patri ὁμοούσιον, id est, consubstantialem, quòd illud nomen in sacris litteris nusquam extet: Athanasius, Hieronymus, Augustinus, & Theodoretus, ubi agunt de Arianis. Macedoniani & Eunomiani nihil multitudini & antiquitati Christianorum deferentes, negant, Spiritum Sanctum esse cum Patre & Filio glorificandum; quòd Scriptura illud nusquam expresse dicat. Basilius

filius *de Spiritu Sanct. cap.* 25. & *lib.* 1. *cont. Eunomium* Semeriani vocem coëssentialem rejiciunt, velut alienam à Divina Scriptura. Epiphan. *hæres.* 73. Pelagiani, credamus, inquiunt, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere. Augustinus de *natura & gratia c.* 39. Nestoriani veterum Patrum Scripta perdiscere dedignantur, negant MARIAM dicendam esse θεοτόκον, seu DEIparam, quòd hæc vox nusquam in Scripturis extet. Cyrillus, Acta Ephesina, Socrates, & cæteri, ubi de Nestorianis scribunt. Euchyches dicebat: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Cui respondit Mameas Presbyter, & quæ Scriptura dicit ὁμοούσιον? *Concilium Chalcedonense Actione* 1. Lollardi refutant expositiones sanctorum Doctorum. Thomas Waldensis *tom.* 1. *Doct.* 3. Dicunt, nihil præter sacras Scripturas recipimus: quidquid istis apponitur, vel subtrahitur, est blasphemum, apud Bernard. Lutzenb. Joan. Wicleff. in *Supplemento Trialogi cap.* 9. ait: Quidquid Papa vel Cardinales sciunt ex Scriptura sacra deducere, id tantùm est credendum: vel ad eorum monita faciendum: & quidquid ultra præsumpserint, contemnendum est tanquam hæreticum. Martin. Lutherus adversus *Regem Angliæ*: Ego adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum, pono non antiquum consensum, non multitudinem hominum, sed unius Majestatis æternæ Verbum, Evangelium, quod ipsimet probare coguntur: hìc sto, hìc sedeo, hìc maneo, hìc glorior, hìc triumpho, hìc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet Sanctorum, aut consuetudini fallaci: DEI Verbum est super omnia, Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Tertulliani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent: DEUS errare, & fallere non potest: Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errârunt: dogmata mea stabunt, & Papa cadet. *In Commentariis in Epist. ad Galat.* Neque alia doctrina audiri debet, quàm purum Verbum DEI, hoc est, Sancta Scriptura: Doctores vel Auditores alii cum sua Doctrina anathema sunto. Zwinglius *Responsione* ad Valentinum comparem: Multa laborando exempla Patrum recenses: cogita quæso! quinam isti Doctores fuerint? Sacerdotes nimirum, vel Papistæ. Doctores ergo non multùm moror: nec enim mihi otium est, ut illos revolvam. Joannes Pomeranus ad *cap.* 3. *Jonæ.* Non debetis Patribus credere, qui ex eodem ore calidum & frigidum efflant. Contra hos cum Catholicis sit

336. Assertio: In Sacris Scripturis non omnia scripta inveniuntur: éstque admittendum etiam Verbum DEI non scriptum, sive Traditio, maximè Divina. Suppono primò, per traditionem, licèt nomen sit generale, significari doctrinam non scriptam; in quantum non est scripta à primò Auctore. Suppono secundo, ttraditionem dividi in *Divinam: Apostolicam:* & *Ecclesiasticam:* item in traditionem *fidei* & traditionem *morum*: in *universalem*, & *particularem*: in *perpetuam* & *temporalem*: in *liberam* & *necessariam*. Divina est, quæ (secundùm definitionem Bellarmini) accepta est ab ipso Christo Apostolos docente, & nusquam in Divinis litteris invenitur: secundùm alios Divina describitur, quòd sit doctrina DEI in sac. litteris non scripta, sed à DEO immediatè revelata & à majoribus ad posteros quasi de aure in aurem successivè tradita. Exempla mox patebunt. Traditio Apostolica propriè sumpta versatur circa ea, quæ (ùt explicat *cit.* Doctor) ab Apostolis instituta fuerunt, non tamen sine assistentia Spiritûs Sancti; & nihilominùs in Apostolorum Epistolis scripta non reperiuntur. Exemplo sunt quatuor temporum jejunium, & quadragesimæ. Idem est, si dicas, esse eam, quæ ab Apostolis primò ac immediatè non scriptò, sed viva voce profecta, & per majores intermedios ad nos usque propagata. Quandóque Divina traditio dicitur Apostolica: non quòd ab Apostolis sit instituta, sed quòd ipsi talem doctrinam primò à Christo acceperint, & authoritate ac nomine Christi in alios transfuderint. Vicissim Apostolica quandóque dicitur Divina, non quòd ea primò & immediatè sit profecta vel instituta à DEO, sed ab Apostolis ex Spiritu DEI. Hoc posteriori modo omnes Apostolorum Epistolæ Divina & Apostolica scripta appellantur, licèt in illis contineantur quædam præcepta Divina, & quædam propriè Apostolica, ùt ostendit Bellarminus (*de Verbo DEI non scripto lib.* 4. *cap.* 2.) ex illo 1. *Corinth.* 7. *Præcipio non ego, sed Dominus.* Et posteà: *Dico ego, non Dominus.*

337. Traditio Ecclesiastica præcisè versatur circa illa, quæ (ùt exponit Annatus *in Apparatu &c. lib.* 3. *art.* 1.) nec à Christo, nec ab Apostolis, sed post Christi ascensum, & Apostolorum ex hac vita discessum ab Ecclesiæ Pastoribus seu Prælatis, vel à populis fuerunt introducta, & tandem per modum legis non scriptæ, seu consuetudinis tacito fidelium consensu & usu recepta, atque ad nos delata. Huc & tanquam ad materiam morum spectant observationes festorum, abstinentia à carnibus anni certis diebus &c. Ad traditionem fidei pertinet, v. gr. quòd Sac. Scriptura, in Catholica Ecclesia ritè approbata, sit Canonica seu Divina: sint septem & non plura, nec pauciora Sacramenta: Deipara semper fuerit Virgo & permanserit: baptismus parvulorum valeat: sicut & ab hæreticis debitè susceptus: consequenter tales baptizati non sint rebaptizandi. In his etiam habemus exempla traditionis *perpetuæ*: in quantum prædicta durabunt, eruntque ob-

ser-

servanda usque ad consummationem sæculi: econtra objecta traditionis *temporalis* instituuntur & durabunt solùm usque ad certum tempus, ùt observatio legalium quarundam cæremoniarum, quæ durare debebant usque ad plenam Evangelii promulgationem, ut Ecclesia Christi ex Judæis & gentibus coalesceret. Traditio *universalis* totiùs Ecclesiæ observantiam concernit, qualis est v.g. de Paschate celebrando die Dominico post decimam quartam Lunam Martii: in qua etiam habes exemplum traditionis *necessariæ*, quia traditur in forma præcepti: cùm econtra traditio *libera* dicatur, ubi observantia hactenus viguit solùm in forma Consilii, v.g. aspersio aquæ lustralis, crucis in fronte signatio &c. *Particularis* demum traditio est, quæ Ecclesiam tantùm aliquam particularem, vel plures singulares respicit: talis olim fuit Romæ de jejunio Sabbati, quod S. Petrum pro Romana Ecclesia instituisse traditum est, teste Div. Augustino *Epist.* 86. ad Casulanum; de quo intelligunt illud Div. Ambrosii *Epist.* 118. *cùm Romam venio, jejuno Sabbatô, dum hic sum* (scilic. Mediolani) *non jejuno.* His jam præmissis & suppositis,

338. Prob. Assertio primò: Illud est admittendum in Ecclesia, quod ipsa Sac. Scriptura admittit, commendat, & tradit: sed traditiones admittit, commendat, & tradit: igitur Traditiones sunt admittendæ. Major ab Adversariis pro constanti principio defenditur. Min. firmant tot Sac. Scripturæ testimonia: v.g. Deuteron. 32. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Ecclesiastici 8. 11. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus tuis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.* 2. Thessal. 2. 14. *State & tenete traditiones quas didicistis sive per Sermonem meum, sive per Epistolam nostram.* 2. Timoth. 2. 1. *Tu ergo fili mi confortare in gratiâ, quæ est in Christo JESU. & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

339. Probatur secundò. Quando non omnia de fide credenda possunt ostendi ex vel in Sac. Scriptura, necessariò admittendæ sunt traditiones, & judicandum secundùm sensum & consensum Sanctorum Patrum. Atqui non omnia de fide credenda, possunt ostendi ex vel in Sac. Scriptura: ergo &c. Major. prob. Si nullæ Scripturæ nobis fuissent relictæ, & tamen DEUS pro vera Religione, fide, ac cultu suo aliqua credenda revelâsset, quoad omnia fidei objecta traditiones nos amplecti necesse foret (quid autem inquit S. Irenæus Episcopus & Martyr. *lib.* 3. *cap.* 4. *cont. hæreses, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi Traditionis, quem tradiderunt, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiuntur multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt; Charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodiendam*) ergo etiam ad Traditiones nos recurrere oportet, si quoad aliqua credenda nihil in Sac. Scripturis extet. Min. constat tum ex antiquo tum ex novo Testamento. Ex antiquo, inprimis ex testimoniis in *num*: 338. allatis. Nisi enim defectus aliquis rerum omnium Scriptorum, vel saltem Scripturas aut legentium aut intelligentium, tunc ignorantiam induxisset, ad quid opus erat, ut juniores ad seniores, & filii ad parentes atque majores suos pro haurienda instructione mitterentur, seu dirigerentur? In prima Ecclesiæ ætate, si computatio fiat ab Adam ad Moysen usque: fides exercebatur & ritus cultúsque aliquis DEO per Abel, Seth, Enoch, Noë, Abraham, Melchisedech aliósque justos exhibebatur; at sine Divinæ Scripturæ directorio, sed non absque Traditionis adjutorio: quod colligitur ex illo Gen. 18. ubi DEUS ait: *Scio, quod Abraham præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Dum igitur tanto tempore vera erga DEUM potuit sine Sac. Scripturis subsistere Religio, quis persuadeat, eas simpliciter necessarias esse, aut quæcunque credenda & ad fidem spectantia in vet. Testam. ex Scripturis doceri debuisse? Si proin etiam eo tempore veterum Patrum posteri (ùt in novo Testamento Novatores cum suis discolis & æquè refractariis antecessoribus exclamare solent) protestati essent, nullibi aliquid de hoc aut illo religionis ritu vel cultu DEI in scriptis revelatum extare, solum DEI Verbum scriptum esse infallibile, omnes Patriarcharum Traditiones esse fallaces & erraticas; eos ex eodem ore calidum & frigidum efflare &c. quo loco, quáque uniformitate, & veritate stetisset Religio?

340. Per totum illud ingens temporis intervallum, quod à Moyse primo sacro scriptore, usque ad Christum intercurrebat, Scripturæ apud solum populum Judaicum in usum venire cœperunt: cæteræ gentes, inter quas etiam veri DEI cultus & religio florebat, sola traditione non scripta juvabantur, & tamen multi ex illis ad Ecclesiam DEI pertinebant, veluti Job & amici ejus, ùt asserit cònstanter D. Augustinus *lib.* 2. *de pecc. orig. cap.* 24. & *l.* 1. *de Prædest. Sanctor.* nec non *lib.* 18. *de Civit. DEI cap.* 47.

341. Addo: si fuit tanta Scripturarum necessitas, cur, dum jam in vet. Testamento extabant, Judæi, nihilominùs magis usi sunt traditione, quàm Scripturarum documentis & doctrinis? *Narrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est, quod fecit Dominus &c.* Exod. 13. Item: *Filii, qui nascentur & exurgent, & narrabunt ea filiis suis &c.* Nónne omnes sapientiores debuissent cum hodiernis reclamare: nihil credendum, sicuti nihil asserendum est, nisi scriptum. Usque ad tempora Esdræ Scripturæ in formam librorum redactæ non fuerunt, sed erant di-

sperſæ in variis chartis, & ex Sacerdotum negligentia longo tempore inveniri non potuiſſe, eruitur ex 4. *Reg.* 22. ubi tanquam aliquid novum refertur, quòd in diebus Joſiæ unum volumen Legis Domini in Templo repererint. Esdras autem ſimul omnia, poſt Captivitatem, in unum Corpus redegit, addito ultimo capite Deuteronomii de vita Moyſis, & quibusdam aliis hinc inde ad hiſtoriæ continuationem, ùt notat Bellarm. *de Verb. DEI non Script. l.* 4. *cap.* 4. de quo videndus Theodoretus *Præfatione* in Pſalmos, & Beda in *cap.* 9. *lib.* 1. Esdræ.

342. Adhæc, ſive loquamur de novi ſive de veteris teſtamenti libris, quæritur ex Adverſariis, an alicubi per Scripturam determinatum ſit, quòd iſti præ aliis ſint veri, Divini, authentici? Si affirment: ubi id ſcriptum oſtendent? Refugium ergo cum Catholicis capiant ad traditionem, vel Eccleſiæ Romano-Catholicæ declarationem. Neque pro hac determinatione ſufficit dicere, hos præ aliis eſſe Apoſtolorum prophetarùmve libros: nam ut prudenter credamus, priùs credi debet, Scripturam, in qua hoc dicitur, eſſe Divinam: quandoquidem & Mahumetani de ſuo Alcorano paſſim jactant, eum de Cœlo miſſum eſſe: quis autem noſtrum id credet?

343. Peculiariter nemo ex veteri Teſtamento demonſtrabit, ubi in Scripturis fiat mentio de remedio, quo fœmellæ à peccato originali juſtificabantur: vel quo maſculi, ſi ante diem octavum, quo primùm circumciſionis ſignaculum accipere poterant, deceſſuri præviderentur. Et tamen credibile non eſt, nullum tale remedium Divinitùs inſtitutum fuiſſe.

344. Veniendo ad novum Teſtamentum, pro certo habendum, quòd Eccleſia poſt Chriſtum adventum longo tempore novas Scripturas non habuerit: ex quo infertur, Scripturarum neceſſitatem non eſſe ſimpliciter talem. Meminit Irenæus *l.* 3. *cap.* 4. ſuo tempore gentes aliquas Chriſtianas fuiſſe, quæ ſolis traditionibus abſque Scripturis optimè viverent. Dum autem Chryſoſtom. *Homil.* 1. *in Matth.* dicit, Scripturas haud fuiſſe neceſſarias Patriarchis & Apoſtolis; attamen nobis propter corruptionem hominum eſſe neceſſarias: id Bellar. intelligit non de neceſſitate ſimpliciter; ſed ad bene eſſe, & de utilitate: nam etiam tempore Patriarcharum & Apoſtolorum non pauci improbi, & moribus corrupti extiterunt.

345. Quòdque in novo Teſtamento Scripturæ non omnia ita contineant, ut ipſæ ſolæ, excluſis traditionibus, ſufficiant, inprimis Bellarm. probat, exquirendo, an vel totus Canon Scripturarum ſimul ſumptus illam ſufficientiam efficiat, an ſinguli libri ſint ſufficientes? non ſinguli: nam alioqui falſa erit Kemnitii aſſertio, quòd traditionis uſus in Eccleſia usque ad complementum totius Canonis Sripturarum duraverit. Præterea non ſinguli Evangeliſtarum Libri omnia complectuntur, ùt patet in Joanne, qui de Annuntiatione, Nativitate, Circumciſione, aliisque rebus nihil retulit. Aliunde quoque reliqui libri forent ſuperflui, ſi in uno ſufficientia haberetur. Neque omnes ùt ſimul ſumpti dictam ſufficientiam efficiunt: nam non ſolùm in Teſt. vet. juxta Chryſoſt. *lib.* 9. *in Math.* multa ex propheticis periere monumentis: ſed juxta Bellarmin. etiam in novo periit Epiſtola Pauli ad Laodicenſes, cujus ipſe mentionem facit *Coloſſ. ult.* & forte alia ad Corinth. cujus, ut allegato Authori videtur, ſit quædam inſinuatio 1. *Cor.* 5. in verbis: *Scripſi vobis in Epiſtola.* Subdit, facilè adhuc aliqua alia perire potuiſſe: viderint ergo Adverſarii, unde tam inſignem defectum reſarciant.

346. Rurſus: præcepitne Chriſtus Apoſtolis, ut ſcriberent Evangelium? an ſolùm ut prædicarent? Quo loco de Scripturis conficiendis illud mandatum Apoſtoli inſinuant? Nullibi. Bene verò alterum, ut in Orbe prædicarent. Jam ſic: ſi ex Chriſti Mandato Verbum DEI primitùs non fuit alligatum ſeu reſtrictum ad Scripturam, ſed potuit communicari & tradi per prædicationem viva voce, penes Adverſarios erit, oſtendere tempus, quando ex mandato Verbum DEI, anteà purè per prædicationem traditum, debuerit Scripturæ alligari, Traditiones ceſſaverint, nihilque fuerit ampliùs credendum, niſi quod potuerat ex Scriptura recitari: At illud tempus, mandatùmque Chriſti in ſempiternum non oſtendent: ſileant ergo, nec ſimplices ita decipere pergant, Verbum DEI eſſe præciſè ad Scripturam reſtrictum: Traditiones eſſe oblitterandas: nihil credendum, niſi in Bibliis ſcriptum ſit. Hoc, quòd Verbum DEI debuerit in Scripturam redigi Scripturæque præciſè alligari, Adverſarii credunt ſine fundamento Sripturæ: at juxta ipſos nihil credendum eſt, quod fundamentô Scripturæ caret: ergo contra ſua principia aliquid credunt, & quidem articulum magni momenti, cujus Scriptura non meminit.

347. Euſebius *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 24. vel, ſecundùm aliam editionem, *cap.* 18. memorat: ea occaſione Mathæum ſcripſiſſe, quia utile judicabat, ut perrecturus ad gentes, Hebræis, quibus prædicaverat, aliquod memoriale doctrinæ ſuæ & prædicationis relinqueret: Et *lib.* 2. *Hiſtor, c.* 15. de Marco dicit, eum ad inſtantes preces Romanorum ſuum Evangelium ediſſe; adeòque nec ex præcepto Divino nec ſua ſponte, nec juſſu Petri ſcripſit: *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 24. ait, Lucam ad ſcribendum ſuum per-

permotum fuisse, quòd videret, multos alios, de rebus non benè instructos, scribendi munus assumpsisse; quos Lucas ab incertis narrationibus abstrahere conatus est. De Joanne autem idem Author refert, eum usque ad extremam senectutem sine Scripturæ adjumento Evangelii prædicationem prosecutum esse. Ergo Joannes ex sola Traditione prædicavit: & Auditores aliud Verbum DEI tunc non exceperunt, quàm non scriptum. Neque Joannes forsassis calamum arripuisset, nisi eum Asiæ Episcopi compulissent, ut sic hæresis Ebionitarum, tunc caput erigens, resecaretur. S. Hieronymus *lib. de Scriptorib. Ecclesiast. apud* Bellar. *cit. lib. 4. cap. 4.* Ex quibus liquet, Apostolos non litteris mandando, sed viva voce prædicando Evangello primariò intentos fuisse. Cur enim duo solùm ex Apostolis Evangelium scripsêre, si tanta fuit Scripturis utendi necessitas? Cur non generalem Catechismum, aut commune quoddam Evangelii volumen, saltem ante discessum in provincias] concinnârunt, sicut communiter Symbolum fidei composuerunt?

348. Sed nec de quaternario numero Evangeliorum certitudo aliunde, quàm ex Traditione intellectum nostrum obfirmat. Quia verò Traditio non adminiculatur pro aliis 4. Evangeliis, quæ sub nomine SS. Petri, Andreæ, Thomæ & Bartholomæi circumferebantur, ea pro legitimis non recipiuntur.

349. Denique Adversarii grave sibi negotium facessunt, ut omnia in novo Testamento credenda ex Scriptura demonstrent. Ultra exempla jam proposita urgentur. Dicant, ubi satis clarè habeatur processio Spiritûs Sancti *à Patre Filioque*? Scriptum equidem est, quòd Christus, ceu Filius DEI mittet *à Patre Spiritum Veritatis*: non autem, quòd Spiritus Veritatis à Filio procedat. Ubi in Scriptura legitur sequens fidei articulus: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus à* Patre *& Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* ubi, quòd Mater Dei post partum Virgo inviolata permanserit, cujus hæresin contrariam Helvidius defendit? ubi, quòd parvuli ante usum rationis sint baptismo abluendi? ubi, quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi? ubi determinatus Sacramentorum numerus? Et, quòd e. g. in baptismo hæc forma (aut saltem æquivalens) *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, sit necessariò observanda, & vocaliter pronuntianda? Omnia hæc, & plura alia perpetua Traditio ad credendum commendat. Ipse

350. Calvinus apertè traditionem admittit *l. 4. Inst, c. 3. §. 19.* ubi in Ministrorum Ordinatione impositionis manuum cæremoniam requirens, ait: „licèt autem nullum extet „præceptum de manuum impositione; quia „tamen fuisse in perpetuo usu Apostolis vide„mus, illa tam accurata eorum observatio „præcepti vice nobis esse debet. Nec minùs Lutherus: nam in *Assertionibus artic.* 37. dicit: *Ego tamen & credo purgatorium esse, & consulo suadeóque credendum*: ibi autem negat, Purgatorium ex Scriptura probari posse.

351. Postremò Adversarios à prosecutione suæ Sententiæ meritò absterrere deberet, quòd, secundùm notata in exordio præsentis Quæstionis, primorum Sæculorum Hæresiarchæ errores suos nefandos, maximè circa Personas Divinas, illo principio (*hoc non est in Scriptura*) protegere & firmare contenderint, rejectis nimirum Traditionibus, & Ecclesiæ infallibilibus declarationibus. Ipsi sibi sint Judices, an non, si eidem principio insistere pergant, & illorum errorum hæredes se ultro profiteantur, & novorum Authores?

## *Occurritur quibusdam Argutiis.*

352. Arguis primò: Si Traditiones essent acceptandæ, Salvator *Matth.* 15. *v.* 3. ad Judæos non dixisset: *Quare vos transgredimini Mandatum Dei propter Traditionem vestram*? Profectò non approbaverat illam, ex qua ante cibi sumptionem manus lavandas esse, eámque lotionem inter comedendum repeti debere, existimabant: nec illam, quòd cum peccatoribus cibus non esset sumendus: quòd in Sabbato non liceat ægros sanare, aut instante fame, in Sabbato spicas evellere & comedere &c. *Resp.* Salvatorem equidem non approbâsse Traditiones Pharisæorum, è quorum numero sunt mox relatæ; approbâsse autem Mosaicas, utpote laudabiles, & ad salutem necessarias. Martin. Becani *Controv. l. 1. c. 2. n.* 3. advertens, Christum generatim Pharisæorum Traditiones reprehendisse, quamquam aliquæ earum essent bonæ, aliquæ indifferentes; nonnullæ tandem malæ. Rationum una erat, quòd Pharisæi, utpote hypocritæ, ex Traditionum ejusmodi observatione inanem gloriam Sanctitatísque opinionem quæsiverint, secundùm illum *Matth.* 23. 5. *Omnia verò sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus.* Altera, quòd ex quarumdam observatione sectati sint opes & divitias, præsertim ex prolixis orationibus, pro quibus pretium ab eas petentibus recipiebant, juxta *Matth.* 23. *v.* 14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.* Tertia, quòd neglectis majoribus, minutiora nonnulla servârint superstitiosè v. g. dando decimas de rebus vilissimis, judicium verò & misericordiam non exhibendo in causis ad ipsos delatis: quò col-

limant verba Domini apud Matth. 23. v. 24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Inter rejectas Traditiones una etiam notabilis erat, quòd jurare per Templum aut Altare nihil esset; jurare verò per Templi aurum, vel oblationes in Altari factas, obligationem induceret: Contra quem errorem Christus *Matth.* 23. 16. insurgit: *Væ vobis &c. Stulti & cæci: quid enim majus est, aurum an templum, quod sanctificat aurum? Et, quicunque juraverit in Altari, nihil est: quicunque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci: quid enim majus est, donum, an Altare, quod sanctificat donum?*

353. Inter Traditiones Mosaicas, quas Christus non improbavit, refertur inprimis, quòd libri omnes, in Canone Judæorũ consignati, essent verè Divini, & à Deo inspirati: deinde, quòd pro fœmellis quoque aliquod remedium contra labem originalem esset institutum, qualecumque demum id fuerit: item: quòd Sacrificia cruenta significârint mortem Christi. Quibus additur, quòd Judæi fide crediderint, etiam quædam cruenta Sacrificia à Deo in expiationem peccatorum instituta: non ita, ac si ea propria virtute peccata expiârint (hoc enim fuisset hæreticum) sed virtute passionis & mortis Christi, quæ in illis significabantur. Martin. Becani in *Controvers. lib.* 1. *cap.* 11. Subdit de hac ultima Traditione, eam non fuisse ita ad salutem necessariam, quasi singuli de populo credere debuerint hanc passionis & mortis Christi per cruenta Sacrificia præfigurationem: sed quòd necesse fuerit, aliquos id credere, præcipuè Sacerdotes & Doctores, utpote ad instructionem aliorum obligatos, ne tota Synagoga circa hoc punctum gravissimum fide caruisse dicatur. Vid. D. Thomas 2. 2. *Quæst.* 2. *art.* 7.

354. Arguis secundò ex Deut. 4. & 12. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo:* & ad Gal. 1. *Sed licèt nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Contra hoc & quodvis aliud Scripturæ argumentum (cui jam aliqua responsio in *num.* 320. fuit adaptata (inprimis opponuntur nostra Scripturæ testimonia, de observatione Traditionum satis perspicua. Quidni discreta explanatione textus textibus sunt concordandi? Quis non miretur! Novatores in id solertissimè incumbere, ut conquisitis aliis & aliis Scripturæ textibus eos, de quibus anteà in Ecclesia nulla erat dubitatio, confusione & obscuritate involvant, sicque veritatis claritatem supprimant. Deinde tex. adductus potiùs agit de verbo viva voce tradito, quàm de scripto: cùm non dicatur, *quod ego scribo*, sed quod *præcipio.* Nec aliud prohibet, quàm falsam interpretationem, omnémque mutationem, quæ integritati in mandatorum observatione obstare posset. Nimium quoque probari, nisi restrictio ad sensum competentem fiat, quis non videt? Sequeretur enim, nec Prophetas, nec Apostolos post Moysen, scripturis jam extantibus, per suas quidquam addere potuisse. Nam nec quæ Prophetæ in scriptis reliquerunt, continentur in Moyse, nec quæ Apostoli & Evangelistæ, in veteri Testamento, nisi generatim ac implicitè, qualiter etiam Traditiones in Scripturis contineri, innuitur per illud *Luc.* 10. 16. ubi Christus, *qui vos audit* (ait) *me audit.* Bellarminus *loc. cit. c.* 10. *l.* 4. allegans illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus & Publicanus:* idcirco affirmandum censet Traditiones esse quodammodo explicationes verbi scripti, non quòd nudas ejus contineant expositiones, sed quia omnes Traditiones & Ecclesiæ Decreta continentur in Scripturis in universali: at in particulari non continentur, nec debent contineri. Quare Augustinus *lib.* 1. *cont.* Crescon. *cap.* 33. sic ait: *Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum, tamen earundem Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod universæ placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.*

355. Ad additamentum ex Div. Paulo depromptum breviter reponitur, eum utendo verbô *evangelizare* non loqui de iis duntaxat, quæ scripserat, sed etiam de iis, quæ sine scripto tradiderat: & præter hæc omne aliud contrarium evangelizari, ac doceri, sub anathemate prohibet. Latè de hoc Bellarm. *d. cap.* 10.

356. Arguis tertiò: Quoniam in genere humano nihil notius, quàm quotidiana in rebus contingentibus negligentia, oblivio, variaque impedimenta, vix non impossibile videtur, traditiones non scriptas potuisse sine depravatione vel corruptione conservari. Resp. Bellarm. *loc. cit. cap.* 12. non solùm non esse impossibile, Traditiones conservari, sed etiam esse impossibile, eas non conservari; cùm cura hæc præcipuè hominibus non incumbat, sed Deo, cujus singulari providentia Ecclesia regitur: quàmque conservavit inter tot Imperatorum, Philosophorum, Judæorum & hæreticorum persecutiones.

357. Præterea potuerunt conservari Traditiones ab Adam usque ad Moysen; cur non etiam à tempore Christi usque ad nos? Ad prædictam conservationem causæ coadjuvantes sunt Scripturæ, monimenta veterum, & Libri Ecclesiastici, licèt Traditiones in litteris Divinis non sint scriptæ: item usus continuus, v. g. in ritu administrationis Sacramentorum, continua observatione festorum, jejuniorum &c. Plura *cit.* Author: qui etiam *cap.* 9. explicat quinque regulas, quibus in cognitionem veram Traditionum pervenitur.

358. Unum quæro adhuc ex Adversariis: ex qua Divina Scriptura Judæi, & maximè Apostoli acceperint, & crediderint illum articulum, quòd Filius Dei in utero Mariæ verè conceptus fuerit, atque ex ea, salvo Virgini-

nitatis ſignaculo natus, educatus &c. Non ex vet. Teſtamento. Neque ex novo Evangelii, quod primùm poſt Chriſti Reſurrectionem, & quidem (ſecundùm dicta) poſt longum temporis intervallum in Scripturam redactum apparuit. Ex traditione ergo hic articulus, per Angelum Mariæ revelatus, ad primos credentes pervenit: Nam, cùm, præter Virginem, Salutationi Angelicæ nemo interfuerit, ipſa Virginea Mater, quid contigerat, absque dubio aliis ſuis familiaribus & amicis retulit: iſti iterum aliis. Dicant Adverſarii an de conſervatione hujus traditionis dubitari poſſit?

359. Nobis Catholicis obſervationem & authoritatem Traditionum ſingulariter commendat SS. Trid. Synodus *Seſſ.* 4. *in Decreto de Canonicis Scripturis*: ibi: *Perſpiciénsque* (SS. Synodus) *hanc* (Evangelii) *veritatem & diſciplinam contineri in Libris Scriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam vet. quàm novi Teſtamenti, cùm utriusque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Cathol. conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur.*

360. Si denique Novatores Eccleſiæ, & Patribus acquieſcere renuant, fortè cervicem inflectent Imperatori Juſtiniano, utpotè Traditiones ſæpiùs inculcanti: ùt in *l. cunctos populos* 1. in *verb. ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam*: *l. nemo.* 4. *juxta Apoſtolicas expoſitiones & inſtituta Patrum &c. l. recta.* 5. *pr. Cod. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol.* ibi: *nos ſequentes Sanctorum Apoſtolorum, & eorum, qui poſt eos in Sanctis Dei Eccleſiis converſati ſunt, Dogmata, juſtum fore exiſtimavimus, cunctis manifeſtum facere, qualiter de fide, quæ in nobis eſt, ſentiamus; inſiſtentes & adhærentes Traditioni & Confeſſioni Sanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ.*

# QUÆSTIO DECIMA NONA.

## *De Viſibili Eccleſiæ Militantis Capite, Romano Pontifice, an ſit agnoſcendus pro Controverſiarum Judice.*

361. CUm Anno 1601. à 28. Novembris usque ad 14. Decembris in præſentia aliquot Principum & duorum Notariorum Ratisbonæ inter Catholicos Theologos ex una, & ex altera parte inter Acatholicos Luthero adhærentes publica Diſputatio inſtitueretur, iſti poſteriores munus defendentium in ſe ſuſcepturi, duodecim articulos in latino idiomate per modum Theſium propoſuerunt.

362. Prima ipſorum Theſis erat: Verbum Dei, in Prophetis, Evangeliſtis, & Apoſtolis contentum, eſt unica norma atque Regula Chriſtianæ fidei, doctrinæ, & cultûs Dei. Secunda: Hoc Verbum Dei (ſcilic. ſcriptum) in omnibus articulis, inter Chriſtianos exorituris eſt Judex, & vox Supremi Judicis, quem omnes profiteri, formidare & honorare obſtringuntur. Tertia: quod Verbo Dei ſcripto conforme eſt, id unicè acceptandum & approbandum: contrarium verò ſimpliciter & ſine exceptione rejiciendum eſt. Quarta: In verbo ſcripto omne id, quod ad Dei Divinæque voluntatis intelligentiam, atque adeò ad ſalutem æternam conſequendam, Deóque beneplacentem cultum neceſſarium, absque dubio ſufficienter comprehenditur. Quinta: Et quidem clarè in utroque teſtamento. Sexta: Hanc unicam, certam, perfectam & claram Regulam fidei & cultûs Divini parati ſumus, per gratiam Dei ex Scriptura publicè defendendi. Septima: Quòd hæc non ſit nova opinio, ſed etiam à SS. Patribus approbata, parati ſumus, ex illorum propriis, & claris teſtimoniis probandi: non tamen eo animo, quaſi nos in hac Quæſtione, aut in articulis controverſis noſtram doctrinam ſupra Patrum ſcriptis fundare intenderemus (nam ùt unicum, ſolidum, ac immobile fundamentum in hoc & aliis agnoſcimus Scriptum Dei Verbum) ſed ut appareat, quòd noſtra Confeſſio innocenter alicujus novitatis inſimuletur, quaſi venerabili & rectè ſentienti ætati omnino eſſet incognita. Octava: quòd hæc doctrina in ipſo jure Pontificio manifeſtò inveniatur. Nona: Aliam Religionis normam, ejúsque Judicem, quomodocunque nominentur, niſi talis doctrina ex memorato non decipiente & infallibili Verbo Dei colligatur, in re tanti momenti, & ſalutem noſtram concernente, & de qua coram Div. Tribunali omnes nos rationem reddere oportet, nolumus admittere. Reliqui tres articuli, ſunt priorum explicativi, niſi quòd in ultimo addant, dogma illud, quòd Regula & Judex in ſola ſcriptura poſitus omnium hæreſum & confuſionis Babylonicæ origo ſit, ſaltem non Catholicum & in vera Chriſti Eccleſia inauditum eſſe.

363. Catholici Theologi hanc unicam Theſin oppoſuerunt: Sacra Scriptura non eſt Judex omnium Controverſiarum fidei & Chriſtianæ Religionis. Acatholici hanc The-

Thesin tanquam purè negativam acceptare noluerunt. Prætendebant ideo à Catholicis Theologis, ut Judicem, quem in causis Religionis agnoscerent, expressè nominarent. Recusârunt id Catholici, & dixerunt, sibi hoc non incumbere, sed parti adversæ, ut sine effugio ad rem procedant, ac propositam sibi Thesin argumentis oppugnent, vel suas Theses defendant: modò esse innecessarium & intempestivum, ut Judex nominetur. Post diutinam altercationem, Catholici tandem Thesin suam sequentibus verbis declarârunt.

364. Sac. Scriptura non est Judex omnium dissensionum fidei & Religionis Christianæ: sed hoc spectat ad Romanum Pontificem, qui modò est Clemens Octavus (hodie SS. D. N. Clemens Duodecimus) Successor Petri, Vicarius Christi: cujus definitio & legitima Sententia, ad universalem ejus Jurisdictioni & authoritati subjectam Ecclesiam prolata, agnoscenda, & infallibilis est, sive id fiat intra sive extra Concilium. Sac. verò Scriptura est nihilominus infallibilis norma & regula, at non sola & unica, sed præter eam necessariò admittendæ sunt Traditiones, & Apostolicæ ordinationes & constitutiones, simúlque id, quod universalis Christiana Ecclesia pro vero vel legitimo agnovit ac pronuntiavit, & antiquorum rectè credentium Doctorum ac Patrum unanimis doctrina atque consensus.

365. Assertio hæc Catholica etiam nostra sit, oportet. De necessaria Traditionum receptione in superiori Quæstione satis superque actum fuit, simul & probatum. Quantum ad Sac. Scripturam, quòd & sit obscura in multis, & non omnia credenda in se complectatur, & consequenter ùt Judex universalis omnia occurrentia dubia dirimere haud possit, pariter ex anterioribus ostensum relinquitur.

366. Quod attinet ad consensum SS. Patrum, illi vel seorsim, vel plures simul, vel collectim considerantur? Si seorsim & singillatim aliquid circa res fidei tradant, quod hactenus in Ecclesia aliter non decisum aut servatum fuit, probabilitatem faciunt, súntque in veneratione habendi: Auctoritatem verò infallibilem, sive unus, sive plures aliquid teneant, ipsis non tribuimus. Dum autem constat de unanimi Patrum consensu, tali pollent auctoritate, ut ipsa Concilia Oecumenica eam sequi non dubitârint. Hinc in Concilio Chalcedonensi eæ voces audiebantur: *Hæc est fides Patrum*: & in Viennensi Clemens V. pronuntiavit: *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem Sententiam, Apostolicæ considerationis aciem convertentes, Sacro approbante Concilio declaramus*: Tridentinum verò *Sess. 4. in Decr. de editione Sac. Librorum &c.* sub anathematis fulmine prohibuit: *Ne quis Sacram Scripturam contra unanimem SS. Patrum sensum interpretari audeat.* Nec contrarium sentit D. Thomas *1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2.* dicens: *Utitur autem auctoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter:* non enim loquitur de Doctoribus & Patribus collectim, sed divisim vel singulatim sumptis.

367. Nec obstat, si arguas à sensu distributivo ad collectivum: singuli fallibilitati sunt obnoxii; ergo etiam universi, & in tota collectione sumpti: nam mala est consequentia: cùm moraliter censeatur impossibile, omnes simul sumptos errare, quos tamen Deus dedit, ad Ecclesiam ab errore præservandam, juxta illud ad *Ephes. 4. v. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos. . . alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi &c.* Quòdsi non sit dicendum, Patrum unanimem sensum infallibilem esse saltem ex indirecta Christi promissione, quæ directè facta fuit Ecclesiæ in Petro & legitimis ejusdem in Pontificatu Successoribus, qui in suis Definitionibus ad Patrum unanimem sensum respicere tenentur, ille Patrum consensus infallibilitatem habet ad minus ex ipsa Ecclesiæ, vel potiùs SS. Pontificum approbatione usúque eo ipso, quòd Patrum tanquam Interpretum unanimem consensum nos sequi debere, præcipiant, eundémque & ipsi in suis Definitionibus vel Declarationibus respiciant. Porrò hic unanimis Patrum consensus debet accipi non mathematicè, sed moraliter, ita, ut sit omnium circiter vel ferè omnium: *tunc unanimis Patrum consensus* (ùt loquitur Cardinalis Peronius in erudita responsione ad Sereniss. Magnæ Britanniæ Regem supra sub *num. 148.* allegata) *cumulatè probatus æstimari debet, cùm singularum Nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt; ita, ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus, semper orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

368. Neque novitati imputandum est, quòd præter Sac. Scripturam, & Traditiones, etiam Sanctorum Patrum Doctorúmque unanimem sensum & Sententiam tanta cum veneratione suspiciamus. Nam ipsos antiquos Patres exemplò nos in hoc præcessisse, frequentissimis testimoniis demonstrari valet. Sic Clerus Constantinopolitanus *Epist. ad Synod. Ephesinam*, jam inde, inquit, ab ineunte ætate in orthodoxia educati, orthodoxóque dogmate probè spectati, toti in hoc sumus, ut Sanctorum Patrum Traditionem inconcussam servemus. Si Traditionem? utique & sensum. Joannes Episcopus Antiochenus *Epist. ad Nestorium*: nulli nos (scribit) periculo exponimus, si ea sentimus, & loquimur, quæ Doctores in Ecclesia Dei celeberrimos sensisse & docuisse certò novimus.

369. Cyrill. Alexandrinus *Epist.* ad eundem *Nestorium*: ad hoc autem præstandum, ait, plurimùm contulerit, si in Sanctorum Patrum scripta fortè incidentes, quàm maximi illa facere studeamus &c. Joannes Damascenus *de Imaginibus Orat. 3.* ait: Ubinam in

vet. Teſtamento, aut in Evangelio Trinitatis nomen, aut homouſion, hoc eſt, ejusdem eſſentiæ ſeu conſubſtantialem, aut unam Divinitatis naturam perſpicuè, aut tres Perſonas apertè verbis expreſſas, aut unam Chriſti Perſonam, duásque naturas dilucidè verbis item explicatas inveniſti? Nusquam omnino. Attamen, quoniam ex verbis eandem vim obtinentibus, quæ Scriptura continet, à SS. Patribus hæc præfinita ſunt: ea ſuſcipimus, & qui ſecus faciunt, eos à communione ſocietatéque noſtra repellimus.

370. Juſtinianus Imperator *Edicto*, *quod miſit ad Joannem PP. nos autem ſequentes* (ait) *Divinas Scripturas, & Sanctos Patres, confitemur &c. His itaque demonſtratis per SS. Patrum doctrinam, ceſſent, qui numerum naturarum, quæ in Chriſto ſunt, occaſionem ſui erroris faciunt &c. Nos Sanctorum Patrum doctrinam per omnia ſequentes, credimus &c.* Nec non in *l. cognoſcere. 7. §. 2. Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. Et Reverendiſſimi Sacrorum Monaſteriorum Archimandritæ ſequentes Sanctorum Patrum Traditionem. . . unanimiter fatentur, & cum gloria annuntiant D. N. JEſum Chriſtum unigenitum Filium eſſe, & ſine tempore ex Patre genitum, & in noviſſimis diebus deſcendiſſe de Cœlis, & incarnatum ex Spiritu Sancto, & ſancta glorioſa ſemper Virgine, Deipara Maria &c.* ſic ille. Videant Novatores, quàm clarè antiquitas ipſa nos Catholicos à novitatis nota vindicet? Quàm accuratè non tantùm antiqui Patres, ſed etiam Imperator Juſtinianus, Magnus ille quondam in Civilibus Legislator, etiam cum hodierna Eccleſia & Concilio Tridentino Oecumenico conſentiat? Quid? quòd & Mart. Lutherus in *Diſputatione Lipſica* exclamavit: *Submitto me judicio, & determinationi Eccleſiæ, & omnibus meliùs ſentientibus.* Planè ſibi contrarius: cùm alibi nihil præter S. Scripturam ſequendum, nullum præter eam Judicem agnoſcendum, nihil venerationis Patribus in rebus fidei exhibendum eſſe proteſtetur. Adde *Epiſt. ad Marchionem Brandenburgenſem*, quæ extat *tom. 2. Germanico fol.* 243. ubi periculoſum & horrendum eſt (ait) quicquam audire vel credere, quod adverſetur unanimi teſtimonio fidei, & doctrinæ Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, quam illa inde ab initio per annos plus mille quingentos unanimiter ſervavit.

371. Joannes Calvinus *contra Pighium de libero arbitrio* animum Traditionibus & Patrum conſenſui propenſum ſatis declarat: ibi: non difficulter inter me & Pighium in hac de Traditionibus contentione convenire poſſet, ſi modò Eccleſiæ Traditionem ex certo & perpetuo Sanctorum & Orthodoxorum conſenſu demonſtraret: deinde ſi iis ſimpliciter & candidè uteretur ad veram & germanam Eccleſiæ doctrinam comprobandam: non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur &c.

372. Melanchton quoque alicubi annuit nempe *Epiſt. ad Fridericum Myconium de locis veterum Theologorum de Cœna Domini*: ibi: ùt vivos libenter conſulimus, quos judicamus, uſum aliquem habere Spiritualium rerum; ita & veteres, quorum ſcripta probantur, cenſeo conſulendos eſſe. Exiſtimo, hoc communiter ſenſiſſe Eccleſiam, quod iſti ſcripſerunt. Neque verò tutum eſt, à communi Sententia veteris Eccleſiæ diſcedere. Et *Epiſt. ad Joan. Cratonem Medicum Vratislavienſem*: Scio, ait, carnificinam non ſolùm ſævam, ſed etiam pernicioſam dubitationem. Exiſtimo autem ad confirmandas mentes conſenſum vetuſtatis plurimùm valere &c. Optimi Magiſtri atque Duces nobis eſſe poſſunt Irenæus, Tertullianus, Auguſtinus, qui plurima hujus generis poſteritati reliquerunt. Ex his monumentis quivis cognoſcere poterit, ipſos inprimis adhibuiſſe fidei quam vocabant regulam: huic jungebant piorum atque eruditorum ſuffragia, conſenſúmque Apoſtolicarum Eccleſiarum, hoc eſt, earum, quas vel ab ipſis Apoſtolis vel Apoſtolicis, ùt vocabant, viris originem duxiſſe conſtabat.

373. Probanda modò eſt principalis pars ſtatutæ aſſertionis, quòd Summus ſeu Romanus Pontifex in Eccleſia Chriſti pro ſupremo & legitimo Controverſiarum Judice ſit agnoſcendus. Sic inquam: D. Petrus fuit ſupremus & legitimus controverſiarum fidei Judex, & Chriſti vicarius: ergo idem dicendum de illius legitimis Succeſſoribus. Ant. quamvis ſat clarè habeatur in Sac. Scriptura, nihilominùs poſterioris ævi heterodoxi negare auſi ſunt, cùm aliàs Sac. Scripturæ velint eſſe tenaciſſimi. Wicleff. *lib. de Antichriſto cap. 6. erubeſcant*, ait, *hæretic.* dicentes, quòd Petrus cæteris Apoſtolis excellentiorem poteſtatem habet, quia eſt Epiſcopus Romanorum. Tres principales Apoſtoli non contulerunt ſenſum vel notitiam Evangelii Sancto Paulo: ſed Jacobus, qui erat Epiſcopus Hieroſolymis, ubi Chriſtus fuit Epiſcopus, à DEO in hoc Evangelio Simoni antefertur. Joannes Huſs *artic. 7.* à Martino Quinto *damnatus* dixit: *Petrus non eſt nec fuit caput Eccleſiæ Catholicæ.* Lutherus in *Aſſertionibus Artic. 25.* inquit: Omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro, & nullum eorum ipſe elegit, fecit, confirmavit, aut aliquid illi mandavit. Joan. Calvinus *lib. 4. Inſt. c. 6. §. 7.* aſſerit, Petrum fuiſſe unum ex duodecim, parem reliquis, ſocium, non Dominum; neque aliud poſſe colligi ex Scripturis. Magdeburgenſes Centuriæ *lib. 2. cap. 7. fol. 524.* undecim argumentis Petri Primatum deſtruere conantur. Heus viri! quare Petrum ita perſequimini? Cur ejus honori, Dignitati, & Juri tam impudenter detrahitis? Quid vobis mali intulit? Latet aliquid. Succeſſores Petri vobis ſunt exoſi. Si Petrum in Primatu agnoſceretis, reliquos Pontifices legitimè ſuccedentes non poſſetis ſubmovere.

374. At Scriptura, cùm sit hìc perspicua, an non evidenter vos convincit? *Matth.* 10. *v.* 2. Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: *Primus, qui dicitur* Petrus *&c. Matth.* 16. *v.* 15. Respondit Simon Petrus: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Et JEsus dixit ei: *Beatus es Simon Bariona: quia* Caro *&* Sanguis *non revelavit tibi, sed* Pater *meus, qui in Cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es* Petrus, *& super hanc petram ædificabo* Ecclesiam *meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et, tibi dabo* Claves *Regni Cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Joan. 21. v. 15. *Cùm prandissent, dicit Simoni* Petro *JEsus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine: tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce Agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi: Etiam* Domine*: tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contristatus est* Petrus, *quia dixit ei tertio: amas me? & dixit ei* Domine, *tu omnia scis: tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas.* Deinde in primo Concilio Hierosolymitano quis alius quàm Petrus tanquam primarius, primus Sententiam dixit? *Act.* 15. *v.* 7.

375. Porrò super hanc petram ædificari Ecclesiam; Petro promitti claves: dari auctoritatem ligandi atque solvendi, nec non commendari curam Pastoralem super omnes oves Christi indefinite, quid aliud significat, quàm Petro commissum fuisse generale ac supremum regimen universæ Ecclesiæ Christi, præcipuè in rebus fidei? Ita enim exponunt SS. Patres.

376. Torquent Adversarii Catholicæ Religionis verba Christi, ut Petro Clavem & Claves Supremi ac Monarchici Regiminis è manu extorqueant. Christus, inquiunt, est petra illa, quæ sustinet Ecclesiam, & super quem hæc ædificatur. Mens ergo Christi erat, ædificaturum se suam Ecclesiam supra seipsum, non supra Petrum. Quàm infulsè? Qualis, amabo foret hæc connexio? Tu (Simon) es Petrus, & super hanc petram, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam: & posteà: tibi (Petre) dabo Claves Regni Cœlorum. Nonne illum ipsum petram nominavit, cui Claves promisit? Claves sibi non promisit Christus, sed Petro. Ergo non seipsum tunc nominavit petram, sed Petrum: quamvìs interim fateamur, Christum esse petram principalem, supra quam ejus Ecclesia fundatur.

377. Absurdum quoque nimis est, quòd Adversarii velint, sub potestate Clavium, non veram jurisdictionem, sed tantùmodò prædicationis officium designari. Quando Christus *Apoc.* 1. in gloria dicit: *Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo Claves mortis & inferni*, significatúrne per claves nudum officium prædicandi? Certò suprema auctoritas & potestas. Joann. XXII. longe sapientius explicuit, per claves intelligendo potestatem ligandi & solvendi, propter verba immediatè subsequentia, & *quodcunque ligaveris &c. Quare, restat*, ait, *quòd ad convenienter statuendum seu aliquid definiendum, utraque clavis scilicet cognoscendi & definiendi necessariò requiratur &c.*

378. Postquàm antecedens de Petri in Supremi Pontificatûs & Pastoralis dignitatis institutione à Christo facta ex claris Scripturæ verbis demonstratum est, consequentia, quòd eadem authoritas, potestas seu Dignitas suprema jure Divino in legitimos Successores transeat, ostenditur primò ex eo, quòd cura universalis, officium Pastorale, Pontificatus, & Summa Jurisdictio Petro collata, pro fine non habuerit Petri personam, sed Ecclesiam Christi: unde illud Augustini: *Quòd Christiani sumus, propter nos est; quòd præpositi sumus, propter vos est.* Ergo Jure Divino cum Petri persona non exspiravit, sed ad Successores transire debuit: Officium namque Pastorale est ordinarium ac perpetuum: adeòque durare debet, quamdiu durat ovile: at ovile ex Divina ordinatione & institutione debet durare usque ad consummationem Sæculi: Ergo etiam officium Pastorale.

379. Quòd autem Summi Pontifices non solùm intra sed etiam extra Concilium generale sint Judices infallibiles, latissimè auctoritatibus & rationibus deduco in meo Tract. de *Romano Pontifice* Anno 1716. in nostra Universit. Salisburg. publicæ Disputationi subjecto: ubi pag. 115. ponitur sequens propositio: *Papa major est Concilio*, & asseritur, quòd saltem in terminis æquivalentibus apud Concilia & Patres inveniatur: nam constanter dicunt, *ad Papam spectare Concilia generalia convocare: Papam esse non tantùm Præsidem sed & Judicem Concilii, esse Pastorem Concilii & universalis Ecclesiæ: præscribere Concilio leges: illius acta rescindere, vel confirmare: à Concilio præcisivè sumpto ad Papam posse appellari, non verò à Papa ad Concilium: Papam a nemine, præterquàm à DEO, judicari posse.* Sane, si Pontifex Concilio tribuit omnem Auctoritatem; ergo & infallibilitatem. Non Concilio Primatus Pastoralis à Christo fuit commissus, non promissa Spiritûs Sancti assistentia, vel Claves Regni Cœlorum fuerunt traditæ, sed Petro, consequenter & Successoribus ejus, in quos immediatè Jurisdictio spiritualis & universalis in universam Ecclesiam à DEO immediatè post electionem transfertur. *Simon, Simon*, ait Salvator Luc. 22. *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

380. Jure ergo dixit Innocentius in *cap.*

3. *de*

3. *de Baptismo &c. majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus Filius DEI vivi: & pro eo Dominum exorâsse, ne deficiat fides ejus.*

381. Ex usu etiam & continua praxi Ecclesiæ constat, SS. Pontifices, citra convocationem alicujus Concilii innumeras ferè hæreticas propositiones & hæreticorum libros damnâsse, & pro morum reformatione saluberrimas leges præscripsisse. Ipsi ùt Caput Monarchicum Ecclesiæ (quæ si præcisivè à Capite accipiatur non est perfecta, sed quid acephalum) activè gubernant, & Corpus Ecclesiæ passivè gubernatur & paret. Neque enim ad oves spectat pascere, & officium Pastoris exercere, sed pasci, dirigi &c. Plura non addo, sed me remitto ad *cit. meum Tract. de* Rom. Pontif. ubi variæ Quæstiones resolvuntur.

## *Occurritur Argutiis adversis.*

382. Arguis primò: Infallibilitatem Pontifici Romano conceditis, dum loquitur ex Cathedra ùt Doctor universalis, non ut est homo vel Doctor privatus. At hæc distinctio gratis fingitur: nec potestis explicare, quid hoc sit, Pontificem loqui ex Cathedra. Respond. Eminentiss. & Sapientiss. Cardinalis Cœlestinus Sfondrati (olim in Cathedra Canonica Salisburgensi Professor) in *Regali Sacerdotio lib.* 3. §. 1. distinctionem illam esse antiquissimam. Nam in lege veteri, ait, celebre illud Oraculum Umim & Thumim, quod in ambiguis obscurisque rebus summum Sacerdotem docebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ & domesticæ vesti, sed Pontificali, & solenni inscriptum erat, *Exod.* 28. DEO hac ratione ostendere volente, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis judicandi, ad Summum quidem Sacerdotem pertinere, non tamen semper & ubique; sed cùm Pontificem agit; tunc enim, & non aliàs eum cœlitus, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Sic *Matth.* 23. jubet Christus Scribas & Pharisæos audiri, eorúmque doctrinam observari, quia super Cathedram Moysis & Prophetarum sederunt; quasi tota radix & origo in docendo Auctoritatis esset adstricta Cathedræ, quam publicè insidentes docebant; alioquin privatas opiniones & sententias quod attinet, certum est, Pharisæos multa docuisse impia, legíque Divinæ & naturali omnino contraria, ut habetur *Matth.* 23.

383. Cæterùm ad Divinam Providentiam spectat, ne S. Pontificem quà talem aliquid ex Cathedra, citra præviam ac maturam deliberationem, definire, & universam Ecclesiam docere permittat. Ad hoc (recolo verba laudati Eminentiss. Sfondrati) ut Pontifex dicatur ex Cathedra loqui, & sine ullo errandi periculo definivisse, non debet ipse certo alicui medio aut consultationi alligari: frustra enim alioquin & inefficax foret in Papa talis auctoritas. Nam facilè is, qui sententiam condemnatoriam passus esset, se illegitimè damnatum conqueri posset, quòd Papa paucos Concilio adhibuisset, aut imperitos rerum, aut odiò ductos, aut denique præconcepta opinione occupatos, & partium studiis addictos; quæ omnia hæretici nostri temporis Concilio Tridentino objecerunt. Modò ergo non constet, Romanum Pontificem in rebus fidei decidendis temerè processisse, omnino illius judicio standum est, DEOque curæ erit, non permittere, ut absque sufficienti examine & prudentia sententia feratur: ejus enim est, qui finem constituit, etiam media fini necessaria curare &c.

384. Arguis secundò: Constat, non rarò decreta sibi conrraria à Romanis Pontificibus emanâsse. Sic ergo unus veritatis scopum attigit, alter ab eo deflexit. Resp. nulla contraria Decreta, quæ vel ad fidem & Religionem, vel ad virtutes implantandas, aut vitia eradicanda spectabant, unquam emanâsse. Decreta alia circa res indifferentes, quæ nunc præcipi nunc prohiberi possunt, pro diversa locorum, temporum ac hominum qualitate & conditione, eduntur, variari quandoque, mutatio circumstantiarum suadet, ùt etiam in Dicasteriis sæcularibus mos fert.

385. Arguis tertiò: Si Romani Pontifices hæresis labe possunt contaminari, sunt utique fallibiles. At possunt hæresis labe contaminari: aliàs Patres & Canones non dicerent, Summos Pontifices in hæresin labentes aut deponi posse, aut ipso facto à DEO depositos censeri. Resp. claritatis gratiâ distinguendo Maj. Si SS. Pontifices possunt labi in hæresin tam *personalem* quàm *judicialem*, con. Maj. si solùm in *personalem* neg. Maj. quòd ex hoc inferatur fallibilitas eorum, prout ex Cathedra loquentium. At possunt labi in hæresin *personalem* ad summum, transf. min. in *judicialem*, sic neg. min. & conf. Canones & Patres loquuntur de errore *personali* non *judiciali*, hoc est (ùt explicat Cardinal. Sfondrati *cit.* §. 3.) Posse Pontificem hæreticum esse, non posse hæresim publicè & è Cathedra docere: hoc enim non posse Petro & Successoribus Christus ipse promisit. De cætero error personalis, seu privatus, aut occultus, vel etiam privatis scriptionibus à Pontifice & sine imperio inspersus, Ecclesiæ nihil nocet: cùm omnes Pontificis privatas opiniones alio animo aliòve vultu, quam

quàm privati Doctoris non legamus, tantúmque illis tribuamus, quantum ponderis & rationum habent. Cujus rei exemplum suppetit ex Testamento veteri, ubi Balaam Propheta DEI, quamvis vellet maximéque percuperet populo Israelitico maledicere, nunquam tamen, DEO prohibente, potuit; quod Regi, à quo ad execrandum conductus erat, confessus *non potero præterire*, inquit, *sermonem Domini DEI mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo, etiamsi dederit Balac plenam domum suam argenti, & auri; sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar.* Adde, nec Summo Sacerdoti Oraculum locutum fuisse, nisi Sacris induto, & Pontificem agenti.

386. Urges: Liberius fuit absolutè hæreticus, Arianismo scil. infectus: ideo enim Marcellinus in Chronicis Liberium inter Pontifices numerare omisit, quia ipsum Arianum fuisse putavit: cum Arianis communicasse, & damnationi Divi Athanasii subscripsisse incusatur. Resp. Liberium nunquam à fide Orthodoxa defecisse ad Arianos. Constat id ex Liberii *epistola ad Athanasium*: „ Est „ igitur (scribit) optatissime Athanasi, no- „ stra Confessio, Verbum DEI Filium, se- „ cundùm Div. naturam, ex DEO eodem- „ que Patre suo genitum esse, non creatum, „ semper in imperio Collegam DEO & Pa- „ tri, & indesinenter regnum obtinere per „ infinita sæcula, Amen &c. Ipse quoque Athanasius *epist. ad solitariam vitam agentes* pro Liberio certat: „ Ne Liberio quidem (ait) „ Romano Episcopo pepercerunt, nulla re- „ verentia ducti, vel quòd Sedes illa Apo- „ stolica esset, vel quòd Roma Metropolis „ esset Romanæ ditionis. Nam cùm Libe- „ rium vidissent Orthodoxum, & osorem „ quidem Arianæ hæresis, studiosum verò „ in hoc, ut cunctos ab ea hæresi retrahe- „ ret, ista secum impii cogitârunt: si Libe- „ rium in nostram sententiam traxerimus, „ omnes brevì superabimus &c. Trahitur „ Liberius ad Imperatorem: quò cùm per- „ venisset, magna quoque & ibi dicendi li- „ bertate usus est: desine, inquiens, perse- „ qui Christianos, ne tenta me per hære- „ ticam impietatem in Ecclesiam introdu- „ cere. Ad omnia potiùs sustinenda para- „ ti sumus, quàm ut nos Christiani eò de- „ veniamus, ut Ariani appellemur: ne co- „ ge nos fieri perduelles. Hoc tibi suade- „ mus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc „ Imperium dedit &c. Liberius post exactum „ in exilio biennium inflexus est, minísque „ mortis ad subscriptionem inductus est. Ve- „ rùm illud ipsum quoque & eorum violen- „ tiam, & Liberii in hæresin odium, & su- „ um pro Athanasio suffragium, cùm libe- „ ros affectus habebat, satis coarguit: quæ „ enim per tormenta contra priorem senten- „ tiam extorta sunt, eæ jam non metuentium, „ sed ita cogentium voluntates habendæ „ sunt. Hæc Athanasius.

387. Monstrent Pontificum Mastyges, quòd Liberius alicubi hæresin aliquam docuerit vel in specie Arianismum professus fuerit: transmisso interim, quòd coactus cum Arianis communionem quandam exteriorem inierit, & ex eadem violentia sententiam contra Athanasium latam pro brevi tempore ratihabuerit. Quòd posteà libertati restitutus omnia iterum revocaverit, ipse Athanasius in allegata Epistola testatum reliquit. Quoad unum & alterum alium Pontificem, quos aliqui, judicio nimis præcipiti, in hæresin prolapsos condemnant, videri possunt Bellarm. Sfondrati, Coccius &c. innocentiam malè condemnatorum egregiè vindicantes. Certè D. Petrus, qui oretenus solùm Christum negavit, non corde, contra solam fidei confessionem peccavit, & hæresin purè externam sua negatione protulit: Dominus enim rogavit pro Petro, ne ejus fides deficiat.

388. Arguis quartò: Primatum Romani Pontificis cum ejus infallibilitate præcipuè à Clero, qui vel ex adulatione, vel ex timore reverentiali Pontifices tam altè efferunt, tantoperè propugnari. Resp. Laicos Orthodoxos Summo Pontifici non minùs esse devotos, quàm Clericos, & Religiosos. Primatum tam illi quàm isti in Papa recognoscunt ex debito, & cum Sac. Scripturæ fundamento. Quam causam adulandi haberent, non video, præsertim ii, qui ad Curiam Romanam nunquam veniunt, nec aliquod commodum temporale inde sperant. Ipsi Romani Pontifices ab initio hucusque semper suum Primatum agnoverunt, defenderunt & in alias Ecclesias exercuerunt. Satis id patet ex Epistolis Anacleti, Evaristi, Alexandri Primi, Sixti Primi, Pii Primi: Aniceti *ad Episcopos Galliæ cap.* 3. Eleutherii ad Galliæ Provincias *cap.* 2. Victoris *ad Ægyptiorum Episcopos*: Zephyrini *ad Episcopos Siciliæ*: Fabiani *ad omnes Orientales Episcop.* Lucii *ad Galliæ & Hispaniarum Episc.* ex *epist.* Damasi *ad Stephanum & ad Concilia Africæ*: Symmachi in *Apologetico adversùs Anastasium Imperatorem*: Hormisdæ *epist.* 22. *ad Justinum Imperatorem*: Joannis Tertii *epist ad Germaniæ & Galliæ Episcopos*: Pellagii Secundi *ad illegitimam Synodum Constantinopolitanam*: Gregorii Magni *l.* 4. *epist.* 7. *universis Episcopis per Illyricum.* Gregorius Quartus *epist. ad Episcopos per Galliam, Europam & Germaniam constitutos.* Nicolaus Primus *ad Michaëlem Imperatorem*: Nicolaus Secundus *ad Eduardum Regem Angliæ*: Greg Septimus *lib.* 1. *epist.* 60. *ad Archiepiscopum Moguntinum*; & ad plures alios: Eugenius Tert. *epist. ad Ludovicum Francorum Regem*: Eugenius Quartus *Invectivâ ad Concilium Basileense*: Pius Secundus *de Bulla Retractationum omnium, per eum in minoribus adhuc agentem pro Concilio Basileensi ad Summum Pontificem scriptorum*: Sixtus Quintus *Constit.* 11. Innocent. Octav. *Constit.* 14. Leo Decimus in *Concil. Lateranensi*; Adrianus Sextus

*ad*

*ad Fridericum Saxoniæ Ducem*: Paulus Tertius *ad Carolum V. Imperatorem*. Tenorem atte-xo: Chariſſimè Fili, ſalutem & Apoſtoli-cam benedictionem. Ex edicto Majeſtatis tuæ Acta Conventûs tui Spirenſis cognoſci-mus, de quibus, cùm noſtram ſententiam diſſimulare paternus noſter erga te amor non patitur, tum verò officii & muneris, à DEO per Chriſtum nobis commendati, ratio in Cura univerſalis Eccleſiæ, ut aper-tis verbis te admoneamus, compellit. Om-nia verò, fili, in eo ſunt, ſi ab unitate Ec-cleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine Majorum tuorum religioſorum Principum non recedas, ſed eundem, ùt debes, morem in omnibus, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem, & inſtituta pertinent, obſerves, quem multos annos ſumma cum pietatis ani-mi tui ſignificatione edidiſti. Is verò eſt ejus-modi, ut quoties de his, quæ ad Religionem pertinent, diſceptatur, ad Sedem Apoſtoli-cam omne judicium ſemper referatur, nihil, illâ inconſultâ, ſtatuatur &c. Qui verò hu-jus Sedis auctoritati reſtitere, à DEO ſic caſtigatos conſtat, ut manifeſtè appareat, quàm grata ſit ac ſemper fuerit DEO hujus Sedis obedientia &c.

389. Quemadmodùm autem Romani Pon-tifices ſerie non interrupta ſuam auctorita-tem, & Primatum non ſine jure ex Divina Inſtitutione quæſito defendere, atque in cauſis & caſibus occurrentibus exercere ob-ſtricti erant; ita etiam Monarchæ & Princi-pes Laici eosdem ùt Supremos in terris Chri-ſti Vicarios ſingulari religione, pietate, imò & obedientia in rebus fidei ac ſalutem ſpi-ritualem concernentibus venerati ſunt.

390. *Conſtantinus Primus ad Sylveſtrum Papam*: Imperator Cæſar Flavius Conſtan-tinus in Chriſto JESU uno ex Sancta Tri-nitate Salvatore Domino noſtro, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Patri Patrum Sylveſtro, Urbis Romanæ Epiſcopo, & Papæ, atque omnibus ejus Succeſſoribus, qui in Sede B. Petri us-que in finem ſæculi ſeſſuri ſunt, Pontifici-bus &c. gratia & pax à DEO &c. Ea, quæ Salvator ac Redemptor noſter Dominus no-ſter JESUS Chriſtus per ſuos SS. Apoſtolos Petrum & Paulum, interveniente Patre no-ſtro Sylveſtro, Summo Pontifice, & univer-ſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida enarratione ſtuduit propalare noſtra Serenitas. Primùm quidem noſtram fidem, quam à prælibato Beatiſſimo Patre & Orato-re noſtro Sylveſtro univerſali Pontifice edo-cti ſumus, intima cordis confeſſione pro-ferentes &c. Et dum hæc prædicante B. Syl-veſtro agnoſcerem, & beneficiis ipſius B. Petri integerrimè ſanitati comperi me reſti-tutum, utile judicavimus, unà cum omni-bus noſtris ſatrapis, & univerſo Senatu, optimatibúſque meis, & cuncto populo Ro-manæ gloriæ Imperii ſubjacenti, ut, ſicut in terris S. Petrus Vicarius Filii DEI videtur eſſe conſtitutus, etiam & Pontificibus, qui Succeſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolo-rum, principatûs poteſtatem, ampliùs quàm terrena Imperialis noſtræ Serenitatis manſue-tudo habere videtur, conceſſam à nobis no-ſtróque Imperio, obtineant, eligentes No-bis ipſum Principem Apoſtolorum, & ejus Succeſſores firmos apud DEUM eſſe Patro-nos &c. Venerationis hujus exemplum ſe-cuti ſunt alii, ùt

391. Gratianus, Valentinianus, & Theo-doſius in *l. 1. Cod. de Summa Trinit. & fid. Cath.* Honorius Auguſtus *ad Bonifacium Pa-pam* Valentinianus Tertius *epiſt. ad Theodoſium*, quæ extat in Concilio Chalcedonenſi: Mar-cianus Imp. *ad Leonem Papam*: Galla Placidia Imperatrix *ad Pulcheriam Auguſtam*: Pulcheria Auguſta *ad Leonem Pap.* item Anaſtaſius *epiſt. ad Hormiſdam Papam*: Juſtinus Imperat. *epiſt. ad Clerum Eccleſiæ Romanæ*: Juſtinianus Im-perator *epiſtol. ad Joannem Papam*, *Cod. de Summa Trin. & fide Cathol.* In *authent. de Ec-cleſiaſticis titulis & privilegiis cap. 2.* Et ad *Boni-facium Papam* ſic loquitur: Prima ſalus eſt re-ctæ fidei regulam cuſtodire, & à Conſtitu-tis Patrum nullatenus deviare. Et quia non poteſt Domini N. J. Chriſti prætermitti ſen-tentia: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædifi-cabo Eccleſiam meam*: & hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catho-lica Religio ſervata. De qua ſpe & fide mi-nimè ſeparari cupientes, & Patrum ſequen-tes conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, & per omnia. ſpero, ut in una communione vo-biſcum, quam Sedes Apoſtol. prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra & vera Chriſtia-næ Religionis & perfecta ſoliditas &c.

392. Luitprandus Rex Longobardorum in legibus Longobardorum *tit. 23. §. 5.* ſic ajebat: Papa Urbis Romæ in omni Mundo Caput eſt Eccleſiarum DEI & Sacerdotum. Carolus Magnus *ad Elphandum Toletanum*: Nec veſtræ me paucitati in conſenſione hu-jus aſſertionis ſocium admitto: ſed Apoſto-licæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Ec-cleſiæ & Catholicis traditionibus tota men-tis intentione, tota cordis alacritate conjun-go. Ludovicus & Lotharius Imperatores *epiſt. ad Eugenium Papam.* Sanctiſſimo & Reve-rendiſſimo Domino & in Chriſto Patri Eu-genio, Summo Pontifici & univerſali Papæ, Ludovicus & Lotharius Imperatores & Au-guſti ſpirituales filii veſtri ſempiternam in D. N. J. Chriſto ſalutem &c. Fridericus Pri-mus Imp. *epiſt. ad Emanuelem Imperatorem Græ-corum*: ſicut ille Rex Regum, à quo omnis poteſtas, Romanum Imperium Caput totius orbis

orbis constituit: ita etiam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum unicam Matrem, Dominam, & Magistram ordinavit: quod utique duorum gladiorum numerò figuravit, quos etiam sufficere perhibuit Auctor fidei nostræ. Quàpropter tuam prudentiam commonemus, quat. Nobis & Romano Imperio honorem debitum impendas, & Summo Pontifici, quem nominetenus sanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas & honorem. Reginaldus Rex Insularum *epist. ad Honorium Tertium*: Beatissimo Patri Honorio Dei gratiâ Summo Pontifici Reginaldus Rex Insularum commendationem cum osculo pedum &c. Ipse

393. Henricus Octavus Rex Angliæ hunc spiritualem Suprematum palam professus est in *assertione* 7. *Sacramentorum adversus Lutherum art.* 2. sequentibus verbis: Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium sacrosanctam Sedem Romanam, velut Matrem Primatemque recognoscat ac veneretur, quæcunque saltem neque locorum distantia, neque periculis interjacentibus prohibetur accessu. Quamquam si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disjuncti, Romano tamen Pontifici se submittunt. Ergo si tantam & tam latè fusam potestatem neque Dei jussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vindicavit: Dicat, velim, Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit possessionem? Non potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ, præsertim si intra hominum memoriam nata sit. Quòd si rem dixerit unam fortasse, aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historiis: alioqui si tam vetusta sit, ut rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omnino cautum esse cognoscit, ut, cujus jus omnium hominum memoriam supergreditur, ut scire non possit, cujusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum: vetitúmque esse constat omnium consensu gentium, ne, quæ diu manserunt immota, moveantur. Certè si quis rerum gestarum monumenta evolvat, inveniet, jam olim post paccatum orbem plerasque omnes Christiani Orbis Ecclesias obtemperâsse Romæ. Quin Græciam ipsam, quamquam ad ipsam commigrâsset Imperium, reperiemus tamen, quòd ad Romanæ Ecclesiæ Primatum pertinebat, præterquàm dum schismate laborabat, Romanæ Ecclesiæ cessisse;

394. Hæc Henricus. Meliúsne & solidius quisquam ratiocinari potuisset pro universalitate, Primatúque Summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ præeminentia? Habéntne ejus Adversarii, quo argumenta Henrici exarment? Patet insimul, Regem illum à Romana Sede non defecisse, quasi illam pro illegitima agnovisset, sed ex causa alia longè diversa, & passim nota.

395. Henrici IV. Galliarum Regis litteræ *ad Clementem VIII. Pontificem Romanum*, nunciantes, quòd Catholicæ Religionis Sacra sit amplexus 1593. Sanctiss. Pater: Cùm Dei instinctu, ùt ei placuit, cognoverim, Ecclesiam Catholicam Romanam, veram esse Ecclesiam, plenam veritatis, in qua reposita est hominum salus; & confirmatus sim in hac religione & fide, doctrina Prælatorum & Doctorum S. facultatis Theologicæ, quos eo fine congregavi, ut mihi ea dubia solverent, quæ hactenus tenuerunt me ab ea separatum; statui, mecum hac sancta Ecclesia unire, deliberans in ea vivere & mori, auxilio ejus, qui me præ benignitate sua compellavit. Ac, ut bonum opus auspicer, quod mihi licuit, per Prælatos instituto, & cæremoniis, quas indicârunt, necessariis ritè imbuto, submisi me Dominico die ad 25. Julii, audivi Missam, junxi preces meas cum precibus Catholicorum, ùt membrum Ecclesiæ, cum Decreto perseverandi totius vitæ meæ spatio, deferendæque obedientiæ & honoris debiti Sanctitati vestræ, Sanctæ Sedi, more à Regibus Christianissimis Majoribus meis accepto. Et certò mihi persuadens, Sanctiss. Pater, quam Deus, in quo est, loco voluit constituere, Sanctitati Vestræ Sanctam hanc actionem meam jucundam volui, priusquàm amplè satisfaciam, quemadmodum diebus hisce pòst decrevi, hac de causa solenni Legatum mittere, virum magnæ dignitatis, paucis lineis autographis testimonium exhibere pietatis meæ, ùt filii erga Sanctitatem vestram &c. Tota hæc Epistola traditur in *litteris Procerum part.* 1. *lit.* 38.

396. David Rex Æthiopiæ *Epist. ad Joannem Regem Portugalliæ*: Mitto ad Papam Romanum Franciscum Alvarez, qui meo nomine præstet obedientiam, sicut justum est. Item *Epist.* 1. *ad Pontificem Romanum*: Pax tibi sit, juste Domine, Pater Sancte, potens, pure, sacrate, qui es Caput Pontificum omnium, & neminem metuis; cùm nemo tibi possit maledicere, qui es Vigilantissimus super animas curator, & amicus peregrinantium, Consecrate Magister, & Prædicator fidei, & earum rerum hostis, quæ conscientiam offendunt; amator optimorum morum, vir Sanctus quem omnes laudant & benedicunt. O felix Sancte Pater, ego tibi reverenter obedio, cùm sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum est, ut omnes tibi obedientiam præstent &c.

397. Rursus *Epist.* 2. *ad eundem*: Felix Sancte Pater, qui à Deo effectus es gentium consecrator, & S. Petri Sedem obtines; tibi datæ sunt Claves Regni Cœlorum &c. Mitto ad deosculandos pedes Sanctitatis vestræ more cæterorum Christianæ fidei Regum fratrum meorum &c. Cupio ingenti desiderio consequi Sacrosanctam benedictionem à Vicario Domini nostri JEsu Christi: nam procul dubio Sanctitas vestra Dei est Vicarius &c.

398. Franciscus Rex Bungi in Japonia 1584.

1584. *Epiſt. ad Gregorium Decimum tertium* PP. Summi Dei auxilio ſuppliciter exorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem veſtram ſcribere aggredior. Dominus Rector Cœli terræque, cujus imperium ſuper Solem, Lunam, & Stellas, ignoranti mihi, & profundis immerſo tenebris claritatis ſuæ lumen juſſit ſplendeſcere, ac noſtratibus præcipuè populis reſerans arcam ſuæ miſericordiæ atque gemmarum, dignatus eſt ante Annos ampliùs quatuor & triginta deſtinare in hæc Japonis Regna Patres è Societate JEſu: quorum ſalutari & Divinâ ſemente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam inſigne beneficium, aliaque multa, ô Sanctiſſime totius populi Chriſtiani parens, veſtræ potiſſimùm precationi meritisque accepta equidem refero. Ac proinde, niſi me bella, ſenium, & affecta valetudo impedirent, conferrem me ipſe ad viſenda & veneranda Sacratiſſima iſthæc loca, ac ſimul obedientiam exhibens, pedes veſtræ Sanctitatis, poſt pia ipſorum oſcula, capiti meo ſuperimponerem, & Sanctiſſima veſtra manu pectus meum ſigno Crucis muniendum curarem &c.

399. De reliquo, qualiter Romani Imperii felicitas inter Imperatores Sedi Apoſtolicæ devotos effloruerit, & inter averſos contemptores luctuoſis fatis obnoxium fuerit, exempla ſubminiſtrat Bzovius *de Pontif. Roman. cap.* 42. ubi pro perennatura gloria Auguſtiſſimæ & Archiducalis Domûs Auſtriacæ, cujus Sereniſſimi Archi-Duces & Potentiſſimi Cæſares à Catholico-Romana Eccleſia nullo tempore avelli poterant, ſequentia ſubjicit: ab hoc Sacroſanctæ Poteſtatis contemptu diviſum laceratúmque Imperium Rudolphus Habſpurgicus cùm accepiſſet, à pietate & Religione reſtituendum, ſtabiliendúmque fore, exiſtimavit. Itaque cùm & Sanctiſſimæ Evchariſtiæ Summum honorem illum detuliſſet, & ſe Pontifici Romano inclinâſſet, Imperium in ſeram poſteritatem propagavit, in omnibus præliis & auſis victor & felix. In Alſatia ſeditioſas Urbes, quæ in eum conſpiraverant, vi cepit, & dignas de illis pœnas ſumpſit. Ottocarum Bohemiæ Regem contumacem prælio vicit atque occidit. Totam Auſtriam in poteſtatem redegit. Bohemiam caſtigavit. Helvetios ſubjecit. Italiam pacavit, atque Imperium illi ſtirpi reliquit, quæ nata eſt publicam ſalutem curare. Hæc Bzovius. Majora adhuc pro Eccleſiæ defenſione præcipue contra Chriſtiani nominis implacabilem hoſtem præſtitêre Succeſſores Auſtriaci, Auguſtiſſimi Cæſares Leopoldus, Joſephus, & Carolus Sextus: cui poſteriori adhuc glorioſiſſimè regnanti non tantùm omnes fideles Patriotæ & Germani, ſed etiam quicunque verè Chriſtiani longævum ſemperque glorioſiſſimum Romani Imperii ditionúmque hæreditariarum Regimen cum pariliFilio Archi-Duce futuro Succeſſore precabuntur.

# DUPLEX COROLLARIUM

## *De Superioritate Papæ ſupra Concilium.*

400. PRimum reſolvi petit ſequens argumentum: ſi S. Pontifex eſt ſupra Concilium univerſale, præciſivè ſumptum, & extra illud in Quæſtionibus fidei morúmque nec fallere nec falli poteſt, tunc Concilia vel ſunt neceſſaria aut utilia, vel non? Si primum: Quorſum illa neceſſitas vel utilitas, niſi ad eruendam in rebus ambiguis veritatem? Si ſecundum: ad quid tot Concilia in Eccleſia fuerunt indicta?

401. Reponit primò Auctor Tractatûs Leodienſis *de Libertat. Eccleſ. Gallican. lib.* 7. *c.* 17. ignorare ſe, an fuerit aliquod Concilium generale congregatum à primo Nicæno usque ad Tridentinum, quod abſolutè neceſſarium à Catholicis judicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Nicænum Concil. dubitârunt Catholici, an filius eſſet Conſubſtantialis Patri: neque ante Conſtantinopolitanum, an Spiritus Sanctus eſſet Conſubſtantialis Patri & Filio, & ſic de cæteris Conciliis, quæ omnia neceſſaria fuerunt, non quòd dubium eſſet inter Catholicos circa fidem; ſed quòd frangenda eſſet hæreticorum pertinacia, & inquirendæ viæ ad ſiſtendum hæreſis progreſſum & promovendam fidei publicationem.

402. Itaque Conciliorum Congregatio nullum arguit erroris periculum in Judiciis Papæ, quæ fortè præceſſerant: econtra verò infallibilem eis ineſſe certitudinem, maximum indicium præbet præſtitus ab Eccleſia Univerſa conſenſus in damnatione infinitarum propemodùm hæreſum abſque convocatione Concilii Generalis.

403. Reponit ſecundò Eminentiſſ. Sfondrati (latens ſub titulo Eugenii Lombardi) in *Regal. Sacerdotio*, *lib.* 2. §. 19. non ſequi, ut quidquid agitur, neceſſariò agatur: cùm multa fiant, non quia neceſſaria; ſed quia commodiora. Concilia enim ſimpliciter neceſſaria non eſſe patuit in primitiva Eccleſia, in qua, licèt trecentis & ſuprà annis nulla Concilia Generalia indicta fuerint, in tanta nihilominùs hæreſum & perſecutionum agitatione nunquam magis Eccleſia fidéſque floruit. Imò exemplis omnium ferè Conciliorum conſtat,

stat, vix ullam hæresin esse, quæ Concilio cesserit, & ideo extincta fuerit, quia in Synodo à Patribus damnata: adeò, ut B. Gregorius Nazianzenus non dubitaverit pronuntiare, nullius Synodi prosperum successum à se visum. . . . Vix aliquem reperies, qui Romano Pontifici pertinaciter obluctatus, non æquè Synodos contempserit; aut qui à Synodo absolutus fuerit, quem Pontifex damnaverat. Denique propter majorem sapientiam, experientiam, notitiam, pietatémque tot virorum, qui Concilio Generali ex Universo Orbe assistunt, vulgus majorem venerationem, amorem, fidémque concipit, quàm si solus Pontifex aliquid definiat. Ex qua causa Auctoritas Concilii semper maxima habita fuit.

404. Secundum Corollarium tangit quorumdam Parisiensium Sententiam, Papam Concilio submittentium: quid desuper sentire oporteat? Resp. opinionem illam (unà cum nota Propositione: *In fidei quoque Quæstionibus præcipuas Summi Pontficis partes esse, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile judicium esse, nisi Ecclesiæ consensus accedat*) esse omnino rejiciendam, & ex hactenus allatis communibus principiis rationibúsque rejectam. Nam Suprema in Ecclesia Jurisdictio resideret in Concilio: Concilium dirigeret Papam: Concilio esset promissa Spirtûs Sancti infallibilis assistentia: oves pascerent Pastorem: Concilium esset Papa: à Papa ad Concilium posset appellari tanquam ab inferiori ad superiorem, sicque pendente appellatione, tam appellantes, quàm Concilium appellationem recipiens, extraherentur à subjectione ad Papam: & nihilominus Sententia Concilii sine Papæ consensu & Confirmatione nullas acciperet vires; sicut si Status Romani Imperii in Comitiis universalibus congregati vel aliquid contra Augustiss. Imperatorem concluderent, vel Sententiam Ejusdem, quæ per appellationem ad Comitia deferretur, reformarent, atque adeò auctoritatem supremam super ipsum Caput Imperii sibi arrogarent. Profectò, Divina Providentia non videretur Ecclesiæ & Religioni satis prospexisse, si Capitis infallibilitas ultimatò à Corporis infallibili pronuntiatione penderet: quàm enim durum & periculosum foret, controversiis novis emergentibûs, & malis pestiferorum hæresum, aut schismatum quotidie in pejus grassantibûs, convocare Concilium Oecumenicum ex toto Orbe Christiano, exspectare vocatorum conventum, Sessiones in tanto contradicentium & disputantium numero per plures annos continuare &c.

405. Quantum ad superiorem propositionem, quæ tenet, *judicium Summi Pontificis non esse irreformabile, nisi Ecclesiæ consensus accedat:* videamus inprimis, an ea fuerit in Concilio aliquo generali vel discussa, vel promulgata? in quo? ostendant Galli. Fortène in aliquo Nationali Gallicano, aut Doctorum Senatu? Absit, ut subditi disputent de potestate sui Supremi Principis, illius quidem, qui potestatem suam non à populo, vel optimatibus Regni, sed immediatè à solo Deo accipit.

406. Concilium Generale, inquies, Constantiense *Sess.* 4. definivit, Concilio Generali Auctoritatem immediatè à Deo collatam esse in omnes, etiamsi *quis Papalis dignitatis existat*. Sed malè. Nam illa solùmmodò pars (nec tamen omnibus consentientibûs) quæ Joanni vigesimo tertio obediebat & adhærebat, Romani Pontificis Auctoritati præjudicare contendit: nec tamen ipse Joannes, qui tandem Pontificatu cessit, prædictum conclusum approbavit, sed post recessum à Constantia Schafhusæ *Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Franciæ visitantibus eum, videl. Domino Duci Bavariæ, Domino Nicolao de Collavilla aliisque eorum* Collegis *amarò animò conquestus est, falsa quædam & erronea adversùs authoritatem Summi Pontificis Romani Decreta per æmulos suos post recessum ejus esse conclusa.* Ita Turrecremata in *Summa de Eccles. lib. cap.* 99. Videatur Card. Sfondrati tam in *Gallia Vindicata*, tum in *Regali Sacerdotio*, item Bellarm. *de Concilior. Auctorit. lib.* 2. *cap.* 19. dicens: Etsi Concilium sine *Papa* non possit definire nova Dogmata fidei, potest tamen judicare (judicio scil. intellectuali, non propriè jurisdictionali, ut aliqui loquuntur & distinguunt) tempore Schismatis, quis sit verus *Papa*, & providere Ecclesiæ de vero *Pastore*, quando is nullus, aut dubius est. Addit, quòd Joannes XXIII. & Gregor. XII. non fuerint inviti depositi, sed sponte renuntiârint Papatui, veluti patet ex actis Concilii Constantiensis *Sess.* 12. & 14. Benedictus autem XIII. non cessit, sed post ejus obitum Clemens VIII. Successor ipsius cessit Martino V. quem omnis Ecclesia ut verum *Pontificem* venerabatur, id, quòd sufficit, ut Martinus posset esse verus Papa. Sic Bellarm.

407. Porrò Martinus V. primo sui Regiminis Anno Constitutionem edidit, in qua, *nulli*, inquit, *fas est, à Supremo Judice videl. Apostol. Sede seu Romano Pontifice JEsu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsius & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* Card. Sfondrati in *Gall. vindic. dissertat.* 3. *fol.* 117. Nec alia acta Concilii Constantiensis confirmavit, quàm ea Decreta fidei, quæ facta erant Conciliariter, id est, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata. Meritò etiam Alexander VIII. Censurâ notavit seq. Propositionem: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium authoritate, atque in fidei Quæstionibus decernendis infallibilitate.* Plura de his & aliis Quæstionibus Supremam auctoritatem & infallibilitatem at-

attinentibus propono in meo *Tract. de Romano Pontif. per tot.* ubi ſingulariter etiam diſceptatur, an ſint tolerandæ appellationes, quæ dicuntur *ab Abuſu*, nec non appellatio in genere.

# QUÆSTIO VIGESIMA.

## *Sitne de fide, Clementem XII. legitimè electum, eſſe verum Papam, ſeu Vicarium Christi?*

408. PRæmitto ex *Theolog. Scholaſt. Saliſb. tract. de fid. diſp.* 11. *a.* 3. non tantùm ea, quæ ſunt revelata vel *formaliter* ſeu *explicitè*, aut *implicitè* ſeu *confuſè* (cujus exemplum eſt in hac Propoſitione: *Chriſtus eſt homo:* in qua *confuſè* revelatur, quòd conſtet corpore & animâ) ſed etiam revelata *virtualiter*, hoc eſt, contenta in aliquo formaliter revelato tanquam in virtute & radice (v. g. quòd Chriſtus habeat voluntatem creatam continetur in hac revelata, quòd Chriſtus ſit homo) terminare poſſe actum fidei Theologicæ, ita ut revelatio virtualis ſit ſufficiens motivum aſſensûs ſupernaturalis, & purè propter Divinam revelationem præſtetur. Et ideo diſcurſiva & artificioſa connexio extremorum tunc non eſt aliud, quàm pura conditio applicans Divinam revelationem, per diſcurſum Syllogiſticum manifeſtatam, ùt in allato exemplo: *Chriſtus eſt homo:* omnis homo habet voluntatem creatam: ergo Chriſtus habet voluntatem creatam. Secunda præmiſſa eſt ſolùm applicans magis, & explicativa, ut conſtet, particularem eſſe contentam ſub univerſali. Suffeciſſet enim dixiſſe, in Chriſto quà homine neceſſariò voluntatem creatam contineri. Præterea laudata Theologia concludit *loc. cit.* ad eliciendum aſſenſum fidei circa objectum virtualiter revelatum non eſſe neceſſarium, ut utraque præmiſſa ſit de fide, ſed ſufficere, quòd altera ſit phyſicè, vel moraliter evidens. Hinc facta alicui ſpeciali revelatione, quòd omnes Civitates Italiæ ſint ſolo æquandæ, ille fide Divina (ſi non Theologica, ſaltem communiter dicta) crederet, Romam quoque fore vaſtandam: etſi de exiſtentia Romæ ſolummodo moralem evidentiam ſeu certitudinem haberet. His præmiſſis,

409. Aſſertio ſtatuitur affirmativè. Non itaque aſſentior illis, qui olim tenebant, hanc Propoſitionem, *modernus Pontifex eſt Vicarius Chriſtus*, certam eſſe ſolùm certitudine morali. Probatur primò auctoritate Martini V. qui in Concilio Conſtantienſi poſt damnationem errorum Wicleffi, ſtatuit, ſuſpectos de fide interrogandos eſſe, utrùm credant, quòd Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit ejus nomine proprio expreſſo, ſit Succeſſor Beati Petri habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei? Secundò: Hæc Propoſitio: *Clemens XII. legitimè electus eſt verus Pontifex, ſive Vicarius Chriſti:* continet ut directè ſub iſta univerſali revelata: *Omnis Pontifex ſive Epiſcopus Romanus legitimè electus eſt verus Pontifex, & Vicarius Chriſti:* atqui, ubi propoſitio univerſalis eſt revelata, ac immediatè de fide, etiam particularis contenta ſub univerſali eſt immediatè de fide: Prob. hoc: quia ſubjectum propoſitionis univerſalis & ſubjectum propoſitionis particularis ſunt idem, ſic, ut ſubjectum particularis conſtituat inadæquatè ſubjectum propoſitionis univerſalis, & ſubjecta omnium particularium collectivè ſumpta ſint adæquatè idem cum ſubjecto univerſalis: Ex. gr. omnis homo per propagationem ſeminalem deſcendens ab Adamo eſt à Chriſto redemptus: Senſus eſt, & hic, & ille, & iſte, & cæteri particulares quicunque deſcendentes ab Adamo: ita ſimiliter in priori, ſyncategorema collectivum *omnis* Epiſcopus Romanus includit ſingulos in particulari legitimè electos: conſequenter & modernum nuper electum. Ergo ſicuti eſt de fide propoſitio univerſalis quà revelata in ſe, ita quoque particularis quà revelata & contenta ſub illa tanquam particularis.

410. Neque replices, non eſſe revelatum, quòd Clemens XII. fuerit legitimè electus. Nam contra eſt primò, quòd virtualiter & exercitè ſit revelatum, hunc numero hominem eſſe canonicè electum, in quantum pacificè ab Eccleſia (cujus auctoritas in Cardinalibus Electoribus, qui nomine totius Eccleſiæ negotium Pontificiæ electionis tractant, repræſentatur) agnoſcitur, acceptatur, & ùt Vicarius Chriſti legitimus honoratur; cùm Divina Providentia totam Eccleſiam errare non permittat in his, quæ fidem & mores concernunt, ſicuti concernit legitima electio S. Pontificis. Contra eſt ſecundò, quòd ad aſſenſum fidei ſupernat. ſufficiat, ſi una propoſitio ſit revelata, & altera moraliter ſit certa vel evidens, veluti ſupra præmiſſum fuit.

411. Tertiò Aſſert. ſic probat Joan. à S. Thoma. Duo ſunt, quæ Eccleſia acceptat in Pontifice: unum, quòd hic & nunc ſit regula fidei nimirum animata: alterum, quòd acceptet illum tanquam Caput, cui univerſalis Eccleſia unitur, & ſic acceptando faciat illam propoſitionem de fide, ſcil. quòd hæc perſona particularis ritè electa ſit verus Pontifex: eſt namque impoſſibile, quòd Eccleſia erret in acceptanda quacunque Regula fidei, ſive ſit definitio Concilii, ſive liber aliquis Canoni-

cus sive traditio aliqua: & similter est impossibile, quòd acceptando talem regulam tanquam regulā fidei, non sit de fide, quòd illa sit vera & legitima regula: Ergo pariter impossibile est, quòd Ecclesia erret in acceptando S. Pontifice in particulari: siquidem illum acceptat tanquam regulam supremam & animatam in proponendis rebus fidei. confirmatur. Si enim non esset certum secundùm fidem, quòd iste liber in particulari sit Canonicus, ut ista definitio sit legitima definitio, non possemus esse certi de rebus definitis aut traditis in Libro Canonico. Ergo simili modo non esset certum secundùm fidem, quòd ista persona in particulari aliquid revera circa credenda definiat aut declaret, quando de ejus legitima electione, potestate & authoritate prudenter dubitare possemus. Demum huc faciunt omnes rationes, quibus probatur Summi Pontificis primatus, superioritas, & infallibilitas. Non enim procedunt solùm de Summo Pontifice ùt sic, & existente in statu abstractionis seu intententionali, sed de quolibet in singulari, ad Thronum Apostolicum per legitimam electionem evecto. Quid autem ad hanc requiratur, cum Canonistis in meo *Tr. de Roman. Pontif. part.* 1. *dissert.* 2. per extensum expono. Sed contra

412. Arguis primò: Si est de fide, hunc numero electum esse verum Pontificem, etiam est de fide, electores servâsse formam præscriptam electioni Pontificiæ, ex. gr. quòd saltem duæ tertiæ in hanc personam conspiraverint, sine interveniente simonia vota sua contulerint &c. Atqui hoc non est de fide: quis enim nobis hoc proposuit tanquam de fide tenendum? Ergo &c.

413 Secundò: Non est de fide, saltèm immediatè, hoc Concilium generale v. g. Tridentinum esse legitimum, estò sit de fide, quòd omne Concilium legitimè congregatum sit verum concilium. Ergo nec de fide est, hunc numero Clementem esse verum Pontificem; licèt sit de fide, omnem Episcopum Romanum legitimè electum & pacificè acceptatum, esse verum Pontificem. Ant. fundatur in eo, quòd non constet de fide, Episcopos in Concilio congregatos fuisse revera Episcopos.

414. Tertiò: Non est de fide, hunc numero hominem esse virum, aut esse baptizatum: ergo nec est de fide, esse verum Pontificem & Vicarium Christi. Ant. prob. Ante electionem non erat de fide, esse virum, vel baptizatum: ergo nec post electionem erit de fide: nulla siquidem desuper subsecuta fuit revelatio vel definitio. Conf. jam etiam prob. Si consequens est contingens, seu non necessarium, etiam antecedens non potest esse necessarium: ex. gr. ponitur hæc propositio antecedens: hic homo, Clemens XII. est Summus Pontifex: illius consequens est quòd sit baptizatus: cùm sine baptismo Pontificatus in Clemente secundum modernam DEI Providentiam sit impossibilis.

415 Quartò: Non minùs Ecclesia acceptat hunc numero Sanctum, v. g. Joannem Nepomucenum à Sede Apostolica ritè canonizatum, quàm acceptet hunc numero Clementem tanquam à Cardinalibus, Ecclesiam universam repræsentantibus, ritè electum: & tamen hæc propositio *Hic numero canonizatus est in gloria* non est de fide, uti docet D. Th. *Quodlib.* 9. *a.* 16. Ergo &c.

416. Quintò: In hoc syllogismo (Omnis hostia ritè consecrata continet sub speciebus panis verū Corpus Christi: sed hæc hostia in particulari est ritè consecrata: Ergo hæc hostia in particulari sub speciebus panis continet verum Corpus Christi) conclusio non est de fide absolutè, quamvis per propositionem minorem manifestetur, quòd prædicta conclusio sit propositio particularis immediatè contenta sub universali revelata. Ergo nec erit de fide conclusio in isto syllogismo: omnis Pontifex legitimè electus & ab Ecclesia acceptatus est verus Pontifex. Clemens XII. est legitimè electus & ab Ecclesia acceptatus; ergo Clemens est verus Pontifex.

417. Sextò: Quod est de fide, tenemur credere; item debet non esse solum probabile, sed necessarium, certum & infallibile: at, Clementem XII. esse verum Pontificem non tenemur credere: etsi enim de fide sit esse de fide, quemlibet ritè electum in Caput Romanæ Ecclesiæ, esse verum Pontificem, non tamen est de fide, esse de fide, quòd hic Clemens XII. sit verus Pontifex: siquidem nullibi sufficienter hoc declaratum fuit. Insuper sententia opposita non est damnata; adeòque nostra non est certa, sed intra lineam probabilitatis consistit.

418. Resp. ad primum, secund. & tertium, posse aliquid dupliciter de fide esse: nimirum vel per se primò, immediatè, & formaliter: vel per secundò, mediatè, illativè, seu virtualiter. Primo modo est de fide, quod & per lumen DEI immediatè attingitur, & quod tanquam aliquid immediatè revelatum assensum fidei terminat: secundò modò est de fide, quod ut contentum in propositione immediatè revelata attingitur tanquam conclusio in suo principio, puta per lumen Theologicum, quod est illativum ex his, quæ sunt de fide. Quibus præmissis, dicendum primò est, esse immediatè, & de per se primò de fide, quòd hæc persona ùt legitimè electa, & acceptata tanquam regula & Judex fidei, sit verus Pontifex: hoc quippe de quolibet legitimè electo definiit Martinus V. & continetur in promissione Petro facta, in Symbolo Professionis fidei, de-

declaratúrque in exercitio per acceptationem Ecclesiæ. Dicendum est secundò, hinc esse saltem mediatè de fide, & per illationem Theologicam, in hujus Pontificis electione ex parte eligentium formam præscriptam fuisse observatam sine aliquo defectu substantiali: similiter ex parte electi nihil deesse ex requisitis necessariis, v. g. quòd sit baptizatus, mas, Catholicus, nulloque impedimentô Juris naturalis & divini laboret, quo Pontificalis Dignitatis redderetur incapax: nam hæc omnia necessariam connexionem & consequentiam important cum prædicta fidei propositione, utpote, quæ sine veritate & subsistentia talium requisitorum subsistere non posset. Eadem responsione dissolvitur, quòd de Concilii generalis congregatione adducitur: siquidem, si semel acceptata sint & à S. Pontifice approbata, quæ in aliquo Concilio fuerunt conclusa & definita, per consequentiam Theologicam deducitur, Concilium fuisse legitimè congregatum, & ex veris Episcopis compositum. Neque necesse est, ut omnes convocati ad condefiniendum sint veri Episcopi. Sed nec per aliquam revelationem in scriptura, aut definitionem tanquam de fide certum constat, quòd hic determinatus Episcopus legitimè electus, & pacificè acceptatus sit verus Episcopus: & quòd hæc particularis contineatur imediatè sub propositione universali, quæ esset de fide, v. g. hæc: *omnis Antistes ad Episcopalem Ecclesiam legitimè electus, & pacificè acceptatus, est verus Episcopus:* Non enim talis Divina revelatio, & promissio, expeteretur vel conduceret ad regulam infallibilem Ecclesiæ universalis, sed tantùm ad utile Regimen Ecclesiæ vel Provinciæ particularis.

419. Ad quart. Thomistæ ut salvent mentem Doctoris Angelici Resp. non constare, hanc universalem, *omnis homo legitimè seu ritè canonizatus est sanctus & in gloria*, alicubi *formaliter & immediatè* revelatam esse: idcirco nec particularis (*hic homo ritè canonizatus est sanctus, & existit in gloria*) est immediatè & formaliter revelata. Propterea D. Th. *cit. quodlib. 9. art. 16.* dicit, Sanctorum canonizationem esse medium quid inter judicium Papæ de rebus fidei definientis, & inter judicium pronuntiantis de factis particularibus, veluti dum agitur de criminibus, aut possessionibus. Subdit autem: *quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quadam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quòd nec in his judicium Papæ errare possit.* Si quis cum aliis, qui revelationem propositionis universalis de canonizatione Sanctorum adstruunt, sentiat, consequenter tenebit, esse immediatè de fide, quòd Joannes Nepomucenus sit Sanctus, & in gloria.

420. Ad quint. Resp. Magnif. P. Bened. Petschach. *tr. de fide thes. 7.* non esse moraliter evidens eo gradu, quo evidentia credibilitatis requiritur ad actum fidei, hanc numero hostiam esse ritè consecratam à legitimo Ministro: non enim adest testimonium universalis Ecclesiæ, quod hoc suadeat, sicuti adest ad suadendum, hunc numerô Pontificem esse legitimè electum. Sic ille. Magnif. D. P. Rector, Cœlestin. Mayr *tr. de fid. Div. disp. 1. q. 3. art. 3. §. 2.* respond. hanc particularem, *Hæc hostia est consecrata*, nullâ nobis evidentiâ applicari, quæ tamen ad assensum fidei necessariò concurrere debet &c. Addo ego, dictam particularem propositionem, ejusque certitudinem non pertinere ad regulam infallibilem universalis Ecclesiæ.

421. Ad sext. Resp. Paul. à Concept. hanc propositionem, quòd Clemens sit verus Pontifex, non esse credibilem fide Divina & supernaturali, usque dum Ecclesia declaret, revelationem universalis esse immediatam revelationem particularis: hoc enim certò constare debere, ait, nec sufficere solam probabilitatem: cum hoc tamen cohærere, quòd præfata propositio in se & speculativè sit immediatè de fide: & hoc defendit ille, sed tantùm ut probabile. Sique instemus, qualis ergo assensus practicè præstetur prædictæ propositioni reponit, assensum fidei humanæ, aut Theologicum, similem illi, quem præbemus huic propositioni: *Christus est risibilis.*

422. Verùm, insistendo connexioni doctrinæ, meliùs defenditur, esse de fide, quòd sit de fide, hunc numerô Clementem post pacificam ejus acceptationem, esse verum Pontificem, idque fide Divina credi posse; quandoquidem, ut inter alios Theologos tenet Joan. à S. Th. negans illam propositionem, non tantùm esset schismaticus, sed etiam hæreticus: quia non tantùm scinderet unitatem Ecclesiæ, verùm etiam perversum dogma foveret, negando, Caput Ecclesiæ noviter electum, acceptatúmque habendum esse pro Pontifice & pro Regula fidei.

## *De Intolerabili calumnia Vicarium Christi Antichristum nominantium.*

423. VEnerationi & filiali subjectioni, quam SS. Patres, tot Ecclesiastici Præsules, Sapientissimi Doctores, nec minùs coronata Imperatorum Regúmque Capita, atque alii eminentes Principes legitimo Christi in terris Vicario à primis nascentis Ecclesiæ sæculis usque ad nostra tempora, quidam nescio, quo insano œstro abrepti sectarii superioris ævi per Antichristi detestabilem nomenclaturam objicere non sunt veriti.

424. Joannes Wicleff. *art.* 30. in Constantiensi Concilio *Sess.* 8. damnato, excommunicatio Papæ, ait, vel cujuscunque, non est timenda: quia est censura Antichristi. Joan. Huss apud Cochlæum *lib.* 3. *Hist. Hussitica* dixit: Papa non est conformis Christo, & Apostolis; non Christi, sed potiùs Antichristi est Vicarius, & bestia illa, de qua in Apocalypsi. Lutherus ad *cap.* 49. *Genes.* vulgata opinio est (inquit) apud omnes Auctores Ecclesiasticos, quòd ex Tribu Dan venturus sit Antichristus, quem per colubrum intelligunt: sed alienissima est ab hoc loco, & falsissima opinio: ac puto, diabolum hujus fabulæ fictorem fuisse, & finxisse hanc glossam, ut nostras cogitationes à vero & præsente Antichristo abduceret. Nam ex omnibus scholis Papisticis nemo est, qui sentiat, Papam esse Antichristum. Joan. Calvinus ad *cap.* 2. *posterioris ad Thessalonicenses*; quisquis è scriptura edoctus erit, quænam DEO maximè sunt propria, & ex adverso intuebitur, quid sibi Papa usurpet, etiamsi puer sit decennis, non multùm laborabit in noscendo Antichristo.

425. Hanc horribilem calumniam inter cæteros peramplè & nervosè refutat Cardinal. Bellarm. *To.* 1. *controv. lib.* 3. per aliquot capita, quæ in compendio refert Coccius in Thesaur. *To.* 1. *lib.* 7. & probatur primò: Antichristi nomen (quod hostem & æmulum Christi significat) Romano Pontifici, qui se servum & Christo subjectum fatetur in omnibus, non convenit. Secundò: Summi Pontifices jam in magno numero unus alteri successit; Antichristus erit unus. Tertiò, Antichristus nondum venit: illiúsque nomen proprium adhuc ignoratur; si autem esset Summus Pontifex, utique de ejus nomine certò constaret. Quartò, Antichristus erit Judæus nasciturus ex Tribu Dan: quis autem Summorum Pontificum vel stemate, vel religione vel ullo modo fuit Judæus? Quis eorum à Judæis pro Messia susceptus? Quintò, Antichristus sedebit in Templo Salomonis Hierosolymæ; at nullum Summum Pontificem ab Anno 600. unquam Hierosoymis fuisse, credibile est. Sextò, Antichristus negabit, JESUM esse Christum: docebit verò, se esse verum Christum in Lege & Prophetis promissum: Se solum esse DEUM: an ullus Summorum Pontificum talia docuit? Septimò, Antichristus miracula falsa patrabit: faciet enim ignem de Cœlis descendere: dabit imagini bestiæ vim loquendi: finget se mori, & resurgere: item per fraudes & dolos Regnum Judæorum adipiscetur: pugnabit cum tribus Regibus, nimirum Ægypti, Libiæ, atque Æthiopiæ, eorúmque Regna, illis devictis, occupabit: subiget sibi alios septem Reges, eóque modo Monarcha Mundi evadet: cum innumerabili exercitu Christianos toto Orbe persequetur. De his, quomodo singula de Antichristo probentur, videatur Bellarm. *loc. cit.* Omnes autem boni summè detestabuntur impudentem calumniam eorum, qui ex Vicario Christi belluam tam terribilem efformare non formidant.

426. Si apud multos Adversarios hæc propositio: *Papa est Antichristus*, est articulus fidei, tunc apud ipsos est necessariò credendus. Si autem non est articulus fidei, quare ergo tale quid docent & credunt? Non autem esse articulum fidei, constat ex ipsorum perpetuo principio: illud enim statuunt pro articulo fidei, quod ex obvio Scripturæ sensu quilibet fidelis ac illiteratus absque difficultate eruere potest. At veritatem dictæ propositionis quilibet fidelis ac illiteratus Adversarius ex obvio alicujus Scripturæ sensu eruere non valet; imò nec literatissimi quoque. Ergo dicta propositio non est articulus fidei, ergo nec credenda.

427. Multi (ut rectè instat Godefrid. Volusius in *Aurora Pacis Religiosa pag. mihi* 33.) quos ipsi Protestantes pro Sanctis & piis habent, ante Lutherum Romano Pontifici communicârunt, & eum non pro Antichristo, sed Christi supremo & Oecumenico in his terris Vicario agnoverunt. Talis fuit Augustinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus &c. viri literis magis è Cœlo, quàm humanitùs exculti, quibus nec scientia deerat ejusmodi articulum ex Scriptura eruendi, nec conscientia illum intrepidè coram toto mundo profitendi.

428. Teste eodem Volusio inter ipsos Protestantes non pauci reperiuntur, qui hunc articulum fidei nec verum nec necessarium agnoscunt. Ex iis sua ætate notus ipsi erat in Germania Conradus Bergius Professor Bremensis in paucis doctus & moderatus. In Anglia H. Hamond. Profes. Oxoniensis, cui Marefius

fius (Acatholicus) his verbis insultat: *Eò furoris hic Hammond. processit, ut causam Papæ ex professo propugnet, eúmque esse Antichristum neget.* Ipse Hammond id recenset, & hanc dicam falsè irridet in *Commentar. de confirmatione per impositionem manuum Episcopi cap. 1. Sect. 11. pag. 8.* Eandem assertionem confirmat Serenissimi Angliæ Regis Jacobi ingenua confessio, quæ habetur in ejus *Apologia pro juramento fidelitatis in præfat. monitoria*: ubi sic inquit: „ Sanè quoad definitionem „ Antichristi, nolo rem tam obscuram & in- „ volutam tanquam omnibus Christianis ad „ credendum necessariam urgere &c. In di- „ sputatione tanta scrutari non Scripturas „ oportet, ut veritatem eruamus. Ergo juxta Sententiam Regis Angliæ non patet ex obvio Scripturæ sensu, Papam esse Antichristum, ac proinde non est articulus fidei necessarius.

429. Ex Augustanis sine dubio præmemoratis annumerandi sunt Authores *formulæ interim*, speciatim Calixtus & Hornæus, à Volusio allegati, qui eo ipso, quòd Romanam Ecclesiam in fundamentalibus ad salutem perstitisse fateantur, Antichristianismum Romani Pontificis exploserunt. Esto etiam hinc inde aliter ab ipsis scriptum reperiatur, id factum fortè in juvenilibus annis, & quando ex lectione SS. Patrum nondum ita defœcati erant ingenii. Id ex Augustanis agnovisse, dicit Volusius, Lubecensem Hierarcham Lutheranum & veteranum Theologum Menonem Hanckenium in *Irenico suo p. 825.* ibi: Ob der Pabst der grosse Antichrist sey, ist eben kein zu der Seeligkeit nöthiger Lehr-Punct, wan wir nur unsern lieben HErrn Christum und dessen, von ihm in seinem Wort vorgeschribene Religions-Puncta behalten, so mag es umb den Pabst und sein Reich beschaffen seyn, wie es wolle, wie dan vil tausend unter uns seynd, die vom Pabst und grossen Antichrist nichts zu sagen wissen, aber doch GOttes liebe Kinder seyn können.

430. Quibus annectendum, nec in primis illis & Oecumenicis Symbolis, nec in Augustana Confessione hujus articuli vel minimam ingeri mentionem: Igitur nec certus nec ad salutem necessarius est: præsertim quòd Lutherus Apocalypsin ut authenticam concedere nolit. Confer Cleopham Distelmeyer, qui viginti palmaribus rationibus ex Petro Tyræo Latino scriptore, in idioma Germanicum traducto, Romanum Pontificem à summa injuria imputati Antichristianismi egregiè vindicat. Quòdque hæc gravissima injuria, Capiti illata, in universum Corpus Ecclesiæ Catholicæ retundet, per se patet: nam omnes Catholici, etiam Imperatores, Reges, & Principes Romanum & Summum Pontificem tanquam filii obedientes Patrem suum Spiritualem venerantur, & sectantur. Si ergo S. Pontifex esset Antichristus, omnes Christiani Catholici forent Antichristiani, adeóque pejores, quam omnes Mahumetani, & pagani, utpote de quorum Capite vel Supremo Principe nostri Novatores non solent scribere & docere, quod sit Antichristus Bestia illa sævissima, & infernalis. Satis de his. Progrediemur ad materiam de fide Divina.

# DISSERTATIO III.

## *DE*

## FIDE DIVINA, SEU THEOLOGICA.

431. DIvus Thomas post absolutam justificationis materiam in 1. 2. *q.* 113. mox in *quæst. seq.* 114. per 10. *articulos* de Merito tanquam effectu gratiæ cooperantis agit, sicque primam secundæ finit. Deinde initium 2. 2. sumit à fide, tanquam prima virtute Theologica. In *qu.* 17. *& seq.* tractat de altera virtute Theologica, scilicet de Spe. In *quæst.* 23. disserit de charitate tanquam tertia virtute Theologica. Ubique etiam miscet vitia illis virtutibus contraria, nempe hæresin, desperationem, & odium. Mei propositi est, pro residuo præsentis Tractatûs immediatè prosequi tractationem de fide tum Theologica tum Catholica: ut hac ratione tela de Ecclesia Militante & Religione Catholica hactenus prolongata ad majorem perfectionem deducatur. Subsequenter perpauca de Spe, & Charitate: plura de Gratia Sanctificante & justificatione &c. Sit jam

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

### *Quid sit fides Divina?*

432. NOn est una, sed multiplex hujus vocabuli *fides* in Sac. Litteris acceptio. Interdum sumitur pro fidelitate seu constanti observantia promissionis ùt Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem DEI evacuabit?* Et 1. ad Tim. 5. *Primam fidem irritam fecerunt.* Interdum pro conscientia, ùt Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Novatores sub nomine fidei fiduciam in DEUM seu Christum plerúmque intelligunt, de quo paulò inferiùs. Catholici in præsenti fidem accipiunt pro assensu intellectûs habituali vel actuali, innixum revelationi & veracitati Divinæ.

433 Assertio prima: Fides Divina est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ita definitur ad *Hebr.* 11. eámque definitionem exponit D. Th. 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. probando ejus bonitatem ex eo, quòd definitio habitûs, quæ datur per actus in ordine ad objecta, facítque definitum distingui ab aliis, sit approbanda: Hoc autem ita se habet in præsenti: nam cùm actus fidei sit credere ex imperio voluntatis, debet dicere ordinem ad objectum intellectûs & voluntatis: objectum voluntatis est res sperata, fidei verò res non visa. Utrumque explicatur. Per *substantiam* denotatur prima *inchoatio* rerum sperandarum in nobis per assensum fidei, quæ continet res sperandas: item denotatur *fundamentum:* quia sicut substantia sustentat accidentia, sic fides sustentat spem nostram, adeò, ùt in nobis nulla foret spes, nisi esset fides, quæ omnes res sperandas, id est, omnia bona nostræ futuræ beatitudinis virtute continet, illáque tanquam objecta spei nobis cum certitudine repræsentat, ac si jam subsisterent: quod exprimitur per ly *argumentum*, quo demonstratio seu convictio significatur. Unde illud Augustini 2. *de Trinit. cap.* 17. Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, amando perficitur.

434. Subdit D. Thom. *cit. art.* 1. *in C.* definitionem datam rectè in hanc formam reduci: fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus. Et per hoc fides differt ab opinione, suspicione, dubitatione, scientia, & à fide communiter dicta, quæ non tendit in beatitudinem. Potes etiam fidem *habitualem* definire, quòd sit virtus infusa Theologica, inclinans intellectum ad assentiendum rebus à DEO revelatis propter ipsius authoritatem: actualem, quòd sit actus exercitus, quo quis rebus à DEO revelatis, propter authoritatem revelantis actu assentitur. Vid. Laym. *Theol. Mor. lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. Hinc sequitur

435. Assert. secunda: Fides est vera virtus supernat. & Theologica. Ratio est, quòd ha-

habeat DEUM immediatè pro objectò ( ut statim dicemus in seq. quæst. ) quod secus est in virtute morali, quæ licèt DEUM ultimatò habeat pro fine, non tamen pro objecto, v. g. virtus temperantiæ, quæ pro objecto habet passionum moderationem circa cibum; non DEUM.

436. Assert. tertia: Fides formata, hoc est conjuncta cum charitate, est virtus supernat. simpliciter: fides verò informis, id est, sejuncta à charitate, non est virtus simpliciter. Ratio primi desumitur ex S. D. 2. 2. *q.* 4. *art.* 5. Habitus, qui est principium boni actûs, est virtus simpliciter: fides formata est talis habitus: quia actus illius infallibiliter tendit per intellectum in suum bonum, scil. in verum: & per voluntatem ordinatur ad ultimum finem, puta, per actum charitatis. Ergo fides formata est virtus simpliciter: cùm hæc duo ad virtutem fidei requirantur. Ratio secundi est ex eod. S. Doct. quòd fides informis equidem habeat perfectionem debitam ex parte intellectûs, infallibiliter tendentis in verum, desit illi tamen perfectio debita ex parte voluntatis, quò minùs hominem in finem ultimum ordinet: quia, *qui non diligit, manet in morte*, 1. *Joan.* 3.

437. Sciendum prætereà, juxta S. D. *cit. q.* 4. *artic.* 3. charitatem esse formam fidei, in quantum actus fidei per charitatem perficitur, & formatur: objectum enim charitatis est bonum Divinum, ad quod fides ordinatur tanquam ad finem: nihilque prohibet, unum actum à diversis habitibus informari. Neque obstat, quòd charitas & fides sint in diversis subjectis; hæc in intellectu, illa in voluntate: nam charitas est solùm forma extrinseca fidei. Cúmque sit unus idémque habitus fidei formatæ & informis, ex eo, quòd fidelis, qui per peccatum aliquod mortale amisit gratiam & charitatem, habitus fidei hactenus non extinctus, ex informi fit formatus per pœnitentiam, mediante quâ recuperatur gratia & charitas.

438. Arguis primò cont. primam assert. Diversarum virtutum diversa sunt objecta: Atqui res speranda est objectum virtutis spei; consequenter non debet poni in definitione fidei. Resp. D. Tho. *cit. q.* 4. *art.* 1. quòd cùm fides pertineat ad intellectum, secundùm quod imperatur à voluntate, ordinari debeat sicut ad finem ad objecta illarum virtutum, quibus perficitur voluntas, inter quas est spes; & ideò in definitione fidei rectè ponitur objectum spei.

439. Arguis secundò cont. eand. assert. Fides magìs perficitur per charitatem, quàm per spem: charitas enim est forma fidei. Potiùs igitur in definitione fidei esset ponenda res diligenda, quàm res speranda. Resp. iterum S. D. ibid. quòd dilectio possit esse & visorum & non visorum; item præsentium & absentium: & hinc res diligenda non ita propriè adaptetur fidei, sicuti res speranda: quia spes semper est absentium, & non visorum.

440. Arguis tertiò: Si fides per scientiam in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur juxta D. August. *l.* 14. *de Trin. c.* 1. quomodo poterit esse virtus supernat. & infusa? Resp. D. Augustinum nomine scientiæ *loc. cit.* non intelligere scientiam naturalem, & acquisitam, sed supernaturalem; quæ duplex est; una, per quam homo scit, quid credere debeat, & discernere potest credenda à non credendis: & hæc scientia donum appellatur, éstque communis omnibus justis: altera scientia supernaturalis est gratia gratìs data, adeóque non omnibus justis communis, per quam aliquis redditur habilis, ut sciat, qua ratione fidem possit manifestare, & alios ad credendum instruere, & impios, ac contradictores convincere. De hac scientia loquitur D. August. quando fidem per scientiam gigni asserit. S. D. *q.* 9. *art.* 1. *ad* 2. Potest insuper dici, quòd per scientiam etiam naturalem & acquisitam fides possit gigni, materialiter solùm, ac per modum proponentis, seu præparantis exteriùs; non verò *effectivè*. Neque enim id, quod se solùm habet *materialiter*, vel per modum proponentis seu remotè præparantis debet esse in eodem genere. Sic Magistri documenta externa voce prolata gignunt in discipulo intellectionem; non sunt tamen aliquid spirituale: quia non producunt effectivè & tanquam causa propria intellectionem; sed ad eam se habent per modum proponentis exteriùs, vel ùt causa præparans, aut merè materialiter. Vid. D. Th. hîc *q.* 6. *art.* 1. *ad* 1.

441. Arguis quartò cont. secundam assert. Quod est inter duo, adeóque in medio, non est virtus Theologica, sed potiùs moralis. Fides est inter duo, adeóque in medio: prob. in fide de Christo: Eutychiani enim unam tantùm in ipso admiserunt naturam: Nestoriani duas Personas: vera autem fides duas admittit naturas, & unam tantùmmodò personam. Respon. quòd virtus Theologica equidem nequeat esse in medio *objectivè*, seu spectata ratione objecti primarii: benè tamen *subjectivè* seu habita consideratione hominis. Itaque fides non potest esse inter duo extrema ratione objecti primarii, quasi aliquis fidelis nimiùm, & per excessum posset credere in DEUM, & sic credendo peccare: quemadmodum peccare quis potest contra virtutem temperantiæ per excessum in prosequendis voluptatibus, circa sumptionem cibi: est enim DEUS objectum infinitum, quod nullos patitur fines: potest econtra esse in medio *subjectivè*, spectata conditione subjecti; in quan-

tùm homines sic sunt affecti, ut oppositas de rebus fidei opiniones foveant.

442. Arguis quintò cont. tertiam assert. fides formata & informis sunt ejusdem speciei. Atqui fides informis non est virtus: ergo nec fides formata. Resp. Div. Thom. *cit. q.* 4. *a.* 4. quòd fides formata & informis inter se differant ùt perfectum & imperfectum, licèt cæteroquin specie non differant. Et hoc sufficit, ut fides formata sit virtus perfecta, informis verò secundùm quid tantùm. Et notat hìc Grandin *disp.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. fidem informem dici virtutem secundùm quid, non quòd essentiam virtutis non participet; sed quòd non sit in statu perfecto virtutis. Apud Theologos enim virtus æstimatur à valore, quem habet ad consecutionem supernat. beatitudinis. Eapropter illam virtutem, quæ à charitate sejuncta est, uti fides informis, non simpliciter virtutem appellant; sortitur tamen hæc fides nomen virtutis saltem secundùm quid; quia saltem remotè ad vitam æternam disponit. Trid. Concil. *de Justif. Sess.* 6. *c.* 6. *&* 8.

443. Arguis sextò cont. eandem conclus. Si fides in eodem homine potest ex informi fieri formata, tunc gratia Dei, expulsô peccatô mortali, fideli adveniens, non produceret habitum fidei: quod absurdum videtur: si enim per infusionem gratiæ in homine infideli producitur habitus fidei formatæ, cur non eundem causet effectum in homine fideli? Deinde Apostol. dicit: *Cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Ergo quando per gratiam & charitatem fides redditur formata, fides informis excluditur: unde supponendum est, unam fidem ab altera distingui saltem numericè. Resp. ad 1. ex S. Doct. *cit. quæst.* 4. *art.* 4. *in corp.* eundem esse habitum fidei formatæ & informis: *Quia habitus diversificatur secundùm id, quod per se ad habitum pertinet. Cùm autem fides sit perfectio intellectûs, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum. Quod verò pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita, ut per hoc fidei habitus possit diversificari. Distinctio autem fidei formatæ & informis est secundùm id, quod pertinet ad voluntatem, id est, secundùm Charitatem: non autem secundùm illud, quod pertinet ad intellectum. Unde fides formata & informis non sunt diversæ speciei.*

444. His præmissis, idem S. Doct. solvit objectum argumentum Respondendo ad tertium, quòd *gratia faciat, seu causet fidem non solùm, quando fides de novo incipit esse in homine, sed etiam, quamdiu fides durat.* Dixerat enim S. D. aliis in locis, quòd Deus semper operetur justificationem hominis, sicut Sol semper operatur illuminationem aëris. Unde gratia non minùs facit fidem adveniens fideli, quàm adveniens infideli: quia in utroque operatur fidem: in uno quidem confirmando, & perficiendo, in alio de novo creando. Vel dici potest, per accidens esse, ac propter dispositionem subjecti, quòd gratia non causet fidem in eo, qui fidem jam habet; sicuti è contrario secundum peccatum mortale non tollit gratiam ab eo, qui eam amisit per peccatum mortale præcedens.

445. Textum Apostoli D. Thomas in *Respons. ad* 1. *loc. cit.* tunc procedere ait: „Quando imperfectio est de ratione imperfecti: tunc enim, adveniente perfecto, oportet excludi imperfectum, sicut adveniente aperta visione excluditur fides, de cujus ratione est, ut sit non apparentium. Sed quando imperfectio non est de ratione rei imperfectæ, tunc illud numero idem, quod erat imperfectum, fit perfectum; sicut pueritia non est de ratione hominis: & ideo idem numero, qui erat puer, fit vir. Informitas autem fidei non est de ratione perfectæ fidei; sed per accidens se habet ad ipsam. Unde ipsamet fides informis fit formata. Hactenus Div. Thomas.

## *Duæ animadversiones circa fidem informem, & fiduciariam, contra Novatores.*

446. PRima animadversio est, ab heterodoxis distinctionem fidei formatæ ab informi, & quòd informis in peccatore manere possit, rejici velut nugatoriam, sophisticam, & in Scholis Pontificiorum circumvolitantem. Sed utinam aperirent oculos, vero fidei lumine instructi, tunc profectò cachinnari cessarent, & faterentur, fidei Divinæ nostræ statum posse meritorium esse vel non meritorium, cum gratia & amicitia Divina conjunctum, vel ab ea separatum. Expendant, quæso! illud Christi *Matth.* 7. *v.* 22. *Domine nónne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Istud *nunquam* denotat, quòd ne tunc quidem fuerint Deo accepti tanquam amici, quando in fide & ex fide nominis Christi miracula patrârunt, sed vitam regulis fidei difformem, peccatisque defœdatam duxerunt; comparandi certè Medico illi peritissimo, qui licèt non ignorantiâ, sed fragilitate naturæ, artis suæ præcepta, intemperanter vivendo, violet, habitum Scientiæ Medicæ tamen non amittit: ita Christiani, ita Prophetæ, & prædicatores, sana fide instructi, sed in fidei decreta peccantes, nec fidem amittunt, nec fideles Christianive esse desinunt; à Regno tamen

men Cœlorum erunt exclusi, solo charitatis, qua fides formata, perfecta, ac meritoria redditur, & bonorum operum defectu. Ex eodem defectu *Matth. 22.* qui ad Regis conviviū intravit, *non habens vestem nuptialem* videl. gratiæ & charitatis in tenebras exteriores mitti jubetur, ùt signanter exponit D. Gregorius Magnus *Homil. 28. in Evangelia*, non verò defectu fidei & baptismi, per quæ Ecclesiam jam intraverat.

447. Expendant insuper clarum textum Apostoli 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*: Id est, secundùm esse gratiæ, & per ordinem ad vitam æternam.

448. Nec audiendi sunt hic Magistelli, quasi Apostolus non fuerit locutus de fide, propriè accepta, Divina, Theologica, seu etiam Catholica, sed solùm de miraculorum fide, seu fiducia ad patranda miracula: nam refelluntur ex eo, quòd Apostolus dicat, *omnem fidem* & per hoc proin omnem *extensivè*, vel *intensivè*, perfectissimam includat. Certè in fine ejusdem *capitis v.* 13. locutus erat de vera, propriè dicta, Divina, seu Theologica Spe, & Charitate, dicendo: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum est Charitas*: quidni etiam de vera, propriè dicta, Divina seu Theologica fide?

449. Confirmat id ipsum *Epist.* Jacobi 2. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Est igitur admittenda fides aliqua inutilis & mortua, quam scilicet Christianus retinet in statu peccati mortalis, donec per pœnitentiam ad statum gratiæ resurgat. Hinc illud Augustini *lib.* 15. *de Trin. cap.* 18. *Sine charitate fides esse potest, sed non & prodesse.*

450. Planè, si fides per quodlibet peccatum mortale, ùt volunt Adversarii, amittatur, quomodo peccatores manent Christiani & fidelium numero aggregati? Nonne juxta adversum dogma in eo statim instanti, in quo peccatum completur, peccator ex fideli fieret infidelis, & Ethnicorum more ab Ecclesia separatus? Cujus contrarium ostensum manet ex iis, quæ in *quæst.* 1. præsertim *num.* 14. attuli pro peccatoribus, quòd non cessent esse membra, scilicet defectuosa & mortifera Ecclesiæ Militantis, sed intereà sint in illa, sicut zizania cum tritico in agro: quod Sacramentum pœnitentiæ in Ecclesia institutum fuerit pro peccatoribus: quòd per peccatum mortale in istis non expellatur habitus fidei & spei; eàque ratione participent influxum quemdam vitæ supernaturalis imperfectæ per virtutem Fidei, ac Spei &c.

451. Nec dicas: fides sine operibus mortua est, Jacobi 2. 20. Sicut ergo homo mortuus non est verus homo, ita sequeretur, quòd fides in peccatore separata à charitate remanens non esset vera fides. Nam Resp. fidem mortuam ab Apostolo non comparari homini mortuo, sed corpori: sicut enim, ait *vers.* 26. corpus sine spiritu mortuum est (quia caret operationibus vitalibus, & tamen habet rationem corporis) ita & fides *sine operibus* mortua est, nimirum quantum ad utilitatem, meritum, justitiam, & salutem, licèt non desinat esse vera fides, sed solùm desinat esse viva & perfecta simpliciter juxta superius dicta *n.* 4. 5. & 7. Fides itaque informis servat essentiam fidei, sed non perfectionem omnem debitam, ac vitam.

452. Animadversio secunda: Quòd præterea fides justificans peccatorem non consistat in sola fiducia seu firma spe de misericordia Dei remittentis peccata intuitu Christi Mediatoris, ideòque in voluntate subjectetur, ùt prætendunt Novatores; sed sit facultas seu virtus quædam Theologica subjectata in intellectu, vel actus ab eodem mediante habitu supernaturali elicitus, non tantùm ex anteriùs dictis relucet, verùm etiam variè ex Scripturis probari valet. Nam primò Apostolus 1. *Cor.* 13. fidem à spe seu fiducia manifestò distinguit, dum dicit: *nunc autem manent fides, spes, charitas; tria autem hæc* &c. Secundò fidem ad intellectum refert 2. *Cor.* 10. non ad voluntatem, dum ait: in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei. Tertiò: si credere est actus fiduciæ, quàm ineptè inter alios textus Scripturæ interpretabuntur, v. g. hunc: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est*, Joan. 14. & illud, *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Et Act. 8. *Credo filium Dei esse JEsum Christum.* Qui plura de hoc scire, & disceptare cupit, adeat Card. Bellermin. *lib.* 1. *de Justificatione.* Quòd itidem *sola* fides non justificet, in propria sede de Justificatione excutere & defendere non pigebit.

453. Interim ad confirmationem dictorum produco authoritatem SS. Concilii Tridentini *Sess.* 6. *de Justificat. cap.* 9. *contra inanem hæreticorum fiduciam*, sequentis tenoris: *Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis Divinâ misericordiâ propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est; cùm apud hæreticos & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia* &c. Addo D. Augustinum (cui & cæteri Patres ac Doctores consonant) *lib. de Prædestinat. Sanctor.* apertè dicentem: *Ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum consensione cogitare.*

454. Illud benè ex Scriptura deducitur, quòd spes & fiducia ad fidei assensum facilè ex-

excitentur juxta illud ad *Ephes.* 3. *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Et ad *Tim. c.* 3. *Qui benè ministraverunt, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo.* Hæc de definitione & divisione fidei.

# QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA.

## *Quodam sit Objectum fidei Divinæ, seu Theologicæ?*

455. Assertio prima: Objectum *formale quod* & *primarium* fidei Theologicæ, seu Divinæ est Deus sub ratione primæ veritatis in essendo, sive ùt alii loquuntur, sub ratione Deitatis veræ. Probatur: sub nomine objecti *formalis quod* alicujus habitûs intelligitur illud, quod per se primò & ratione sui attingitur, & reliqua cum ordine ad ipsum: atqui habitus fidei Theologicæ, seu Divinæ Deum sub ratione primæ veritatis in essendo, & Deitatis veræ attingit per se primò, ac ratione sui, & cætera propter Deum, sive cum ordine ad ipsum ùt primum verum in essendo sive ùt primum esse & intelligibile: hinc ad *Hebr.* 11. dicitur, quòd *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: & apud D. August. *lib.* 4. *de Civit. Dei cap.* 20. legimus: fidei primum & maximum officium esse, ut in verum credatur Deum: Et D. Th. hìc *q.* 1. *artic.* 1. dicit, objectum fidei esse quodammodo veritatem primam, in quantum *nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum*: præcinente D. Dionysio de *Divin. Nom. cap.* 7. fidem esse *circa simplicem, & semper existentem veritatem*: per quod discriminatur à spe & charitate, quæ tendunt in Deum, ùt habet rationem boni, per fidem supernaturaliter præcogniti: spes quidem, in quantum Deum nos obtenturos esse speramus; *charitas autem, quatenus ipsum diligimus*, ùt summum bonum, & summum diligibile, S. Thom. *q.* 1. *de virtut. art.* 12. *in C.* Igitur objectum formale quod fidei Cath. & Theologicæ est Deus sub ratione primæ veritatis in essendo, vel, ùt alii loquuntur, sub ratione Deitatis veræ. Porrò

456. Ad elucidandam assertionem advertendum est ex Cajetano, etiam Deum ùt Deum, seu sub ratione Deitatis rectè dici objectum *formale quod* fidei; cùm fides non credat Deo inesse, nisi quæ insunt, & credat ei convenientia ratione Deitatis, quæ est summa ratio formalis in Deo: hinc idem est dicere, Deus ùt verus, & veritas in essendo. Probat ista ulteriùs Magister Serra *h. tr. q.* 1. *art.* 1. ex eod. Cajetano ex eo, quòd Deus sub ead. ratione formali terminet fidem in quantum Deus, & in quantum verus in essendo: credendo siquidem, Deum esse trinum & unum, credimus, Deum esse, sicuti est, quod est credere verum & credere Deum sub ratione Deitatis: per consequens in idem recidit, dicere, Deum sub ratione primæ veritatis in essendo esse objectum fidei, ac sub ratione Deitatis: esse enim verum non aliam naturam, aut perfectionem supra Deitatem, sed ipsammet Deitatem, alio modo significat.

457. Assertio secunda: objectum *formale quo*, medium seu motivum formale assensûs fidei est authoritas seu veracitas Dei revelantis & infallibilis in cognoscendo & dicendo. Colligitur ex D. Th. in præf. *art.* dicente: *Si consideremus rationem formalem objecti, nihil est aliud, quàm veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo revelatum.* Et in *q.* 14. *de Verit. art.* 8. *ad* 16. concludit, testimonium veritatis primæ se habere in fide, ut principium in scientiis demonstrativis: hoc autem principium in scientiis habet rationem motivi formalis, ob quam intellectus assentitur conclusioni. Igitur ex veritate prima, & testimonio, revelatione, authoritate, seu locutione Dei infallibili adæquatè integratur *ratio formalis*, per & propter quam movemur ad præbendum assensum fidei certum & infallibilem objectis obscurè revelatis, quorum principale est ipse Deus. Cæterùm Paul. à Concept. *tr. de Virtut. Theol. disp.* 1. *dub.* 2. *num.* 20. veritatem seu veracitatem Divinam considerat hìc per modum actûs primi, & revelationem ipsam per modum actûs secundi, ita, ut ex his duobus inadæquatis motivis formale adæquatum fidei Theologicæ confletur. Neque minùs testimonium Divinum suam veritatem, nostro concipiendi modo, habet à veracitate Divina, quàm testimonium humanum à veracitate humana loquentis suam veritatem derivat. Huc pertinent testimonia Scripturistica: *Qui me misit, verax est; & ego, quæ audivi, hæc loquor in Mundo.* Joan. 8. 26. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, 1. Joannis 5.

458. Assert. tertia: Objectum *materiale* fidei Div. non est solus Deus, sed ens quodlibet à Deo vel actu revelatum, vel revelabile, quatenus tendere potest ad Deum intuitivè videndum. Ita Martin. Grandin *hoc tr.* 4. 2. *sect.* 1. eòque teste alii communiter. Ratio est, quòd præter Deum multa alia fidei mysteria credamus, ùt creationem Cœli & terræ in tempore, incarnationem filii Dei &c. Et quemadmodum objectum visûs non est solùm omne id, quod ad videndum actu proponitur, sed quodcunque visibile; ita & objectum fidei erit non solùm omne actu revelatum, sed quodlibet revelabile.

459. Argui potest primò: Objectum formale *quod* & primarium sunt idem: atqui primarium fidei non est sola Deitas, vel prima veritas, sed Deus unus simul ac trinus, adeóque & ipsa Trinitas: constat enim ex Symbolo S. Athanasii, hanc esse fidem Catholicam, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. Ergo &c. Resp. neg. min. In Symbolo allegato proponuntur tantummodo mysteria à nobis credenda, quæ Deo, prout est in re, & in se conveniunt: quid verò secundùm nostrum concipiendi modum sit primarium attingibile, & illa formalitas, ex qua habitûs denominatio vel distinctio à nobis concipiatur, Theologorum disputationi relinquitur. Certè etiam Incarnatio Domini nostri JEsu Christi in eod. Symbolo exprimitur ùt objectum fidei; ex quo tamen non inferes, esse objectum primarium seu formale *quod* secundùm nostrum concipiendi modum: nam prout huic concipiendi modo Trinitas, aliáque fidei præcipua mysteria substant, hæc ratione primæ veritatis in essendo, seu Deitatis in ipsis transcendentaliter inclusæ actum fidei terminant per se, non verò ratione sui: quia prædicta prædicata & mysteria ab essentia ipsius Deitatis quodammodo oriri, illique primò convenire intelliguntur. Deinde instantia habetur in visione beatifica, quæ licèt attingat tum attributa, tum Divinas Personalitates, utpote cum Deitate seu essentia Div. summè identificatas, non tamen habent, nostro concipiendi modo, rationem objecti primarii propriè sumpti, sed sola Deitas, seu essentia: pari itaque ratione de objecto fidei discurremus; cùm fides sit vicaria visionis beatificæ, & actus fidei sit quædam remota inchoatio vitæ æternæ, idemque petat objectum primarium, quod visio beatifica.

460. Arguis secundò: Cùm Prophetæ Deo revelanti assentiantur quà primæ veritati, prophetia æquè ac fides respiceret Deum ùt objectum formale *quod* sub ratione primæ veritatis in essendo; & tamen prophetia à fide Theologica specie differt. Resp. solet, prophetiam respicere primam veritatem, non exigendo obscuram revelationem, sicuti hanc exigit fides: sed potest haberi per evidentiam & claritatem, quemadmodùm fuit in Christo cum clara rerum revelatarum notitia. Modus ergo respiciendi primam veracitatem seu veritatem ùt revelantem est utrinque diversus. Insuper fides per se respicit aliquid æternum: prophetia verò aliquid temporale.

461. Arguis tertiò cum aliquo Magnif. Antecessore *tract. de fid. disp.* 1. *quæst.* 2. *§.* 2. Quamvis veritas transcendentalis sive in essendo absque distinctione comitetur Deitatem, & Deitas aut veritas in essendo promiscuè pro objecto *quod* assignari possit, loquendo tamen de ratione formalissima quæ Div. fidei, magìs quadrat Deitas, quàm prima veritas: nam ratio formalis *qua* specificativa habitûs intellectualis illa est, quam habitus rectæ notitiæ causâ per se primò attingit: at fides rectæ notitiæ causâ in Deo attingit per se primò Deitatem: Prob. hæc min. Ratio formalis, quam fides in Deo per se primò attingit, est illa, sub qua omnia revelata, v. g. attributa, personalitates &c. per se primò conveniunt, & à quo tanquam à radice oriuntur: atqui Deitas est illa ratio, cui hæc omnia conveniunt &c. Ergo ratio formalis *qua* fidei habitûs est Deus secundùm formalem rationem Deitatis. Resp. neg. ant. ad prob. dico, constare ex elucidatione nostræ Assertionis per hoc, quòd veritas prima sit objectum formale minimè excludi Deum, in quantum Deum, quin similiter nomine objecti formalis fidei veniat: imò hoc ex illo infertur, ùt notat Marcus Serra: sicut Deum in quantum sapientem, esse ordinatorem, non excludit Deum, in quantum Deum, esse ordinatorem, sed hoc infert à posteriori. Ad ulter. prob. Resp. ex Cajetano, quòd notitia de Deo, in quantum sumitur pro scientia, utatur Deitate, quasi causante ea, quæ Deo convenire sciuntur; in quantum verò notitia de Deo sumitur pro fide, sic fides utatur Deitate *ut testificante*; nam inter proprias causas credulitatis veritas est, ad quam stat ultima resolutio: Credo enim Deo, quia est ipsa veritas. Nec potest ampliùs quæri, quare credis veritati. Esto namque, quòd Deitas seu essentia sit virtualis causa veritatis, tamen, ùt advertit Cajetanus, hoc non per se pertinet ad causam consensûs, sed ad causam rei. Undecunque etiam proveniat, quòd Deus sit ipsa veritas, ad hoc, ut ipsi credam infallibiliter, satis est, quòd à veritate non possit falsum emanare. Hoc Serra explicat ab instantia nivis, de qua quærenti, cur sit digregativa visûs, reponimus, quià est alba, non verò, quia albedo à natura nivis provenit; quia ultima resolutio quæstionis fit in albedinem: ita licet veritas prima proveniat à natura Dei, sive à Deitate, tamen in veritatem ùt in causam propriam credulitatis fit ultima fidei resolutio, quamvis etiam in Deitatem fiat tanquam causam communem, seu radicem veritatis: sicque veritas prima in essendo, sive Deus, sub ratione primæ veritatis explicatiùs & magis appropriativè est objectum formale fidei, quàm Deus sub ratione Deitatis, sive ùt concipitur tanquam causa virtualis eorum, quæ Deo attribuuntur, & de eo scientificè cognoscimus, sub qua ratione Deitatis habet propriè rationem Objecti formalis respectu visionis claræ, & Scientiæ Theologicæ.

462. Arguis quartò: cont. 2. Assert. Nihil creatum pertinet ad objectum formale *quo*, seu motivum ad assensum fidei: nihil enim extra Deum est omnino infallibile: atqui revelatio mysteriorum fidei est aliquid creatum: consistit namque in aliquo signo, illuminatione interna, propositione credendorum, definitione Ecclesiæ &c. Ergo revelatio non spectat ad motivum seu objectum forma-

male quo assensûs fidei, sed erit pura conditio, quod verò movet ad assensum, erit sola Divina veracitas. Resp. revelationem seu locutionem Dei activè acceptam scil. pro actu Deo formaliter eminentialiter immanente, & virtualiter transeunte, simúlque causante aliquod signum creatum, mysterii revelati manifestativum, pertinere ad objectum formale seu motivum; passivè verò acceptam, ex ratione assignata, se habere solùm ùt conditionem necessariò requisitam, ut Divina veritas, revelans, seu illuminatio & locutio actualis nobis applicetur, & innotescat. Quòdsi nomine revelationis passivæ non aliquod signum à Deo distinctum, & creatum, sed ipsum actum Divinæ revelationis pro passivè ùt terminatur ad objectum revelatum, illúdque extrinsecè denominat intelligas, revelatio passiva quoque illo sensu ad objectum formale *quo* pertinet.

463. Arguis quintò: Ad motivum adæquatum, quo movemur ad assensum fidei, videtur spectare etiam Auctoritas Ecclesiæ: quia in hanc ultimata fit fidei Catholicæ resolutio: nullus enim mihi acquiescet, si quærenti, cur credam, Filium Dei esse incarnatum, respondeam, ideo me hoc credere, quia Deus (qui nec in se falli potest propter infinitam suam Scientiam, nec alios fallere, propter infinitam bonitatem & rectitudinem voluntatis) talem articulum revelavit; sed ulteriùs indagabit & instabit, unde mihi constet, Deum sic revelâsse? nunquid finaliter reponere debebo, revelationem à Deo factam à me credere propter Auctoritatem Ecclesiæ, quæ illam definiit, aut declaravit cum infallibili assistentia Spiritûs Sancti? Unde illud Augustini: *Ego Evangelio non crederem, nisi me* Cathol. *Ecclesiæ commoveret Authoritas.*

464. Huc maximè servit, quod tradit Doctor Angel. 2. 2. *q.* 5. *art.* 3. *in C.* respondens, *quòd in hæretico discredente unum articulum fidei non maneat fides, neque formata, neque informis: quia species cujuslibet habitûs dependet ex formali ratione objecti, quâ sublatâ, species habitûs remanere non potest. Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima. Unde quicunque non inhæret, sicut infallibili & Divinæ Regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habebit habitum fidei; sed ea, quæ sunt fidei, alio modo tenet, quàm per fidem: sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est, quòd non habeat ejus scientiam, sed opinionem solùm &c.*

465. Resp. in objecto argumento ingentem latere difficultatem, quam varii Theologi peculiari controversiâ examinant. Nobis verò temporis brevitas alios limites præscribit. Dico ergo primò, quòd fides ex sua specifica ratione non petat ultimatò resolvi in authoritatem Ecclesiæ. Neque enim Angelis viatoribus, quibus Deus per se ipsum revelavit & explicuit Mysterium SS. Trinitatis, opus erat authoritate Ecclesiæ. Similiter primis fidei fundatoribus Deus ipse immediatè per seipsum locutus fuit, & mysteria revelavit per donum vel lumen propheticum, ipsos interiùs illustrando; sicque vel habebant evidentiam non quidem de ipsis rebus, sed de illarum testificatione, quòd Deus talia ipsis manifestet, ùt sentit Cajetan. 2. 2. *q.* 171. *artic.* 5. vel per aliquam internam inspirationem omnino certificati fuerunt de veritate prophetiæ, & missionis suæ à Deo, ùt Hier. 26. dicit: *in veritate misit me Dominus ad vos.* Dico secundò, quòd loquendo de fide, prout est modò in nobis, qui propositionem credibilium à Prophetis, Apostolis, eorúmque Successoribus, id est, SS. Pontificibus, seu Capitibus Ecclesiæ accepimus, fides quoad assensum ultimatò resolvatur in veritatem Divinam tanquam in rationem formalem sub qua & motivam; in Ecclesiam verò, vel potiùs in ejus Capita successiva scil. Romanos Pontifices quoad propositionem credendorum, regulam fidei, & conditionem applicativam formalis motivi: atque in hoc sensu intelligendi veniunt PP. in specie D. Augustinus, & Thomas, quando de Ecclesiæ authoritate loquuntur. Unde hìc non committitur circulus vitiosus, prout arguunt & mentiuntur hæretici. Nam, ùt cum aliis præclaris Theologis explicat Joan. à S. Thom. (*de fid. disp.* 1. *art.* 2.) istæ duæ rationes, scil. propositio Ecclesiæ, facta à Prophetis, vel eorum Successoribus maximè verò à SS. Pontificibus, & testimonium Dei loquentis promulgatum per eos tanquam per instrumentum & organum, se habent ùt duæ causæ diversi generis, quæ sibi mutuò sunt causæ, ad hoc, ut nobis constet & discernatur fides legitima à supposita: siquidem Ecclesia ex assistentia Spiritûs sancti in suo Capite seu Vicario Christi habet infallibilitatem ùt *proponens* & *applicans*, sive ùt organum & instrumentum Dei loquentis; testimonium autem Divinum tanquam *formalis ratio*, & authoritas prima proponens: sicut Rex (veluti instat Joan. à S. Thoma) condens legem, non solùm dat authoritatem legi, ut sit valida, sed & ministris: ut illis credatur tanquam proponentibus legem authenticam; & processus ab uno ad aliud non est circulus; quia est in diverso genere causæ, à proponente ad revelantem, & à revelante ad proponentem: causæ enim ad se invicem sunt causæ sine vitio circuli. Revideatur *q.* 13. *de circulo vitioso*, præcipuè in *num.* 226.

466. Cæterum, præter motivum formale intrinsecum fidei sicuti & ipsam infallibilem propositionem Ecclesiæ, fidei mysteria firmantur, & redduntur credibilia per causas extrinsecas, seu signa sensibilia & convincentia, quæ motiva seu evidentia credibilitatis appellari solent, de quibus loquitur Div. Augustinus in *lib. contra Epistolam fundamenti cap.* 4. quando dicit: Multa sunt, quæ in Ecclesia Dei me justissimè tenent; tenet consensio po-

lorum & gentium; authoritas miraculis confirmata, spe aucta, charitate firmata, vetustate nutrita: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad præsentem Episcopum, successio Sacerdotum: tenet ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sola hæc Ecclesia obtinuit.

# QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

## *An Revelatio Privata sufficiat ad assensum fidei.*

467. Revelatio dividitur in *publicam* & *privatam*. Publica fit toti Ecclesiæ de rebus credendis ab omnibus, aut potiùs illis personis, quæ a DEO tanquam instrumenta universalia, ad proponenda fidei dogmata, constitutæ sunt, quales olim erant Prophetæ; posteà Apostoli, & Evangelistæ; modò verò Summi Pontifices, legitimè electi, dum loquentes ex Cathedra, authoritate divinitùs sibi concessa, aliquid tanquam articulum fidei definiunt à toto & universali fidelium cœtu credendum. P*rivata* revelatio aut est talis ex parte *modi*, quatenus non per Ecclesiam, sed per personam aliquam privatam aliquid revelatur, quod tamen ex parte materiæ revelatæ versatur circa aliquid contentum in Sacris litteris, nondum tamen declaratum ab Ecclesia (quam privatam revelationem alii vocant respectu personæ) Aut est privata ex *parte rei* seu *materia* revelatæ; quando nimirum veritas revelata non dirigitur ad totam Ecclesiam, nec ejus concernit communem utilitatem, instructionémque, nec aliquem ordinem habet ad DEUM tanquam ad objectum formale *quod* per se primò attingitur, ut si DEUS alicui revelaret, quot sint stellæ in cœlo: vel, quid modò agat Turcarum Imperator, an valeat, vel ægrotet: quæ revelationes utroque modo privatæ sunt.

468 Assertio: Quamvis revelatio privata, quæ est talis solùm ex parte *modi* vel respectu personæ, sufficiat ad actum fidei Theologicæ: non tamen illa, quæ est privata ex parte rei sive materiæ modò explicatò. Ratio fundamentalis est, quòd revelatio privata, quæ versatur circa aliquid contentum in Sacra Scriptura, inniteretur primæ veritati revelanti ùt objecto formali quo, ipsáque veritas seu res particularis revelata DEUM ùt objectum formale *quod* respiceret, non minùs, quam si revelatio innotesceret per propositionem Ecclesiæ. Nihil proin deesset, quò minùs veritas revelata actum fidei & virtutis Theologicæ terminare posset. Sin autem revelatio supponatur privata ex parte materiæ & rei temporalis sub ratione temporali, ùt in exemplis allatis, veritas revelata in DEUM ùt primum credibile & objectum formale *quod*, non tenderet; adeóque à specie virtutis Theologicæ deflecteret; quandoquidem DEUM ipsum non haberet pro objecto specificativo. Confir. ex dictis, secundum quæ fides est substantia sperandarum rerum ordinans nos circa nostrum finem ultimum.

469. Arguis primò: Fides Theologica est Catholica. ait enim D. Th. 1. *p. q.* 1. *art.* 8. *ad* 2. quòd fides nostra innitatur revelationi factæ P*rophetis & Apostolis, non verò revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* Atqui juxta nos assensus præstitus revelationi privatæ ex parte modi, vel respectu particularis subjecti potest esse fides Theologica: Ergo etiam potest esse Catholica: & tamen Catholica non est: quia per ejusmodi revelatiomem toti Ecclesiæ ad credendum nihil proponitur. Resp. ad Maj. non omnem fidem Theologicam hoc ipso esse Catholicam seu universalem: ut enim aliquid credatur fide *Catholica*, propositio rei Divinitùs revelatæ ad totum cœtum fidelium ab eo, qui publica DEI revelantis authoritate fungitur, præcedere debet: ut verò assensus aliquis sit actus fidei Theologicæ, sufficit, quòd innitatur auctoritati primæ veritatis aliquid obscurè revelantis. Sic Abraham post factam sibi privatam *revelationem de Filio ex Sara nascituro, credidit* DEO, *& reputatum est illi ad justitiam.* Et in Concil. Trid. *sess. 6. de Justif.* Can. 16. supponitur, ex speciali DEI revelatione donum perseverantiæ finalis disci & credi posse: certè non fide Catholica; benè tamen Theologicâ. Neque D. Th. in *text. cit.* separabilitatem fidei Theologicæ à fide Catholica (quarum una ab altera solùm accidentaliter differt) negare intendit, sed loquitur de fide, prout mysteria publica authoritate ordinario modo toti Ecclesiæ credenda proponuntur. Illud interim monendum, ad credendum fide Theologica privatis revelationibus, prærequiri certitudinem, quòd sint à DEO, & non illusiones diabolicæ.

470. Arguis secundò: Fidei actus, quo quis assentitur revelationi privatæ quoad *materiam* etiam temporalem non est naturalis, vel actus fidei humanæ: quia Divinæ veracitati & infallibili auctoritati inniti supponitur: Erit ergo supernaturalis, & actus fidei Divinæ: si Divinæ: ergo & Theologicæ. Respond. Objecta, quæ dictò modò privatim revelantur alicui, non posse terminare assensum procedentem ab habitu fidei Theo-

Theologicæ; quia ex intentione DEI revelantis non ordinantur ad DEUM tanquam ad objectum primarium & primum credibile (qualiter revelata, quæ continentur in Sac. Scriptura ordinantur, scil. ut aliquid de DEO credamus, putà providentiam, justitiam, misericordiam &c.) hinc solùm credi possunt fide Divina communiter dicta, non autem fide *Theologica*. Ponamus, DEUM promittere, quòd velit novum Angelum creare, potèsne talem creationem ùt futuram sperare spe Theologica? Certè non: sed spe solùm communiter dicta: quia, quod cadit sub spem Theologicam, est beatitudo supernaturalis, quæque ad illam ordinantur. Sic proportionaliter discurre circa fidem de revelationibus privatis. An autem talis revelatio spectaret ad donum Prophetiæ, vel ad aliud lumen supernaturale transeuntem illustrationem communicans, disceptare non vaçat.

471. Arguis tertiò: Si is, cui facta est privata alicujus veritatis revelatio, DEO revelanti discrederet, nunquid ex Catholico fieret hæreticus, & habitum fidei Theologicæ amitteret? Ergo ab opposito, si assentiatur, eliciet actum fidei Theologicæ. Resp. Bannez apud Joan. à S. Th. talem (si aliunde reliqua ab Ecclesia, & per Sac. Scripturam proposita debitè crederet) fore hæreticum ex consequenti: nolens enim credere DEO revelanti, ex consequenti dicit, DEUM falsum revelare, & mentiri. Verùm hæc responsio mox ruit, si in casu supponamus, quòd talis credat, DEUM non mentiri, nolit tamen revelationi privatæ assensum præbere, ut suæ libertati indulgeat. Joanni à S. Thoma objectus casus iste videtur vix non esse metaphysicus scil. quòd quis in sensu composito perfectæ certitudinis, DEUM hoc vel illud revelâsse, adeòque revelationem esse veram, DEO particulariter revelanti credere nolit, & tamen credat revelanti per Ecclesiam. Tandem Resp. sic incredulum fore infidelem infidelitate *privata*, quæ ad speciem hæresis reductivè pertineat.

472. Porrò ex *cap. cùm ex injusto.* 12. *de Hæret.* colligitur, inspirationibus prodigiosis; aut revelationibus privatis fidem non esse adhibendam, nisi per miraculi operationem probentur, vel speciali Scripturæ testimonio. Maximè verò explorandum est, an revelatio privata sit contraria communi doctrinæ fidei, nec ne: si sit contraria, explodi debet: si non; adhuc examinanda est, conveniátne cum bonis moribus, & reddátne eum, cui fit, meliorem, & Ecclesiæ suisque Superioribus obedientem? Si hæc non concurrant; revelatio non est genuina, sed suspecta: si concurrant, probabile judicium ferri poterit de ejus veritate; quamvis fide Divina necessariò credendum non sit, quod privatim revelatum fuit. Vid. Grandin *Tr. de Fid. disp.* 1. *Punct.* 5. Neque SS. PP. in decidendis fidei quæstionibus ad privatas revelationes recurrebant, sed ad traditiones, & doctrinam per Apostolos ac per Ecclesiam, acceptam. Si in aliquo (ait S. Cyprian. *c.* 74.) mutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actûs nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Itaque publica revelatio sufficit.

# QUÆSTIO VIGESIMA QUARTA.

## *Utrùm pro assensu fidei Theologicæ eliciendo revelatio debeat esse obscura ex parte objecti? Item: an fides stare possit cum evidentia in attestante?*

473. Assertio prima: Ut eliciatur assensus fidei Theologicæ revelatio debet esse obscura ex parte objecti terminativi, id est, ex parte rei revelatæ, saltem quatenus motivo fidei subjacet. D. Thom. 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Constat ex definitione: *argumentum rerum non apparentium*. Legitur quoque damnata hæresis Manichæorum apud D. August. *lib. de utilit. credendi. cap.* 1. irridentium disciplinam Cathol. Religionis, credi jubentis, quod non videtur. Ratio verò est, quòd fides nitatur testificatione extrinseca, & authoritate seu veracitate loquentis: proinde assensus, saltem in quantum est fidei, objecto revelato non potest præstari propter claram & patentem connexionem extremorum. V. gr. huic propositioni revelatæ, *Deus est trinus*, viatores assentiuntur, quia Deus veracissimus in cognoscendo, & dicendo, eam revelavit: motivum igitur est quid merè extrinsecum, scil. testimonium Dei in Scriptura loquentis. Econtra comprehensores in Patria connexionem intrinsecam prædicati cum subjecto intuitivè videntes, prædictæ veritati seu propositioni assentiri non possunt per actum fidei, sed per actum scientificum clarum. Dixi: saltem quatenus objectum motivo fidei subjacet, propter illam celebrem controversiam, utrùm fides & scientia ex diversis motivis in eodem subjecto circa idem objectum materiale seu terminativum stare possint, Thomistis id communi-

niter negantibus, aliis quàm plurimis affirmantibus.

474. Cæterùm, sicut absentia & arduitas respectu objecti spei non se habent ùt pars motivi formalis, sed solùm tanquam conditiones essentialiter requisitæ, ut bonum absens & arduum terminet & specificet actum spei: ita nec obscuritas in objecto fidei est pars motivi intrinseca; sed motivum adæquatum est veracitas Dei revelantis: ob hanc enim intellectus movetur ad assensum, minimè verò à carentia perfectionis, sive ab obscuritate: imò, quia neque id, quod credimus, est obscuritas, sed veritas revelata, obscuritas nequidem habet rationem objecti terminativi, sed solùm ùt conditio essentialis & modificans objectum fidei circumstat & afficit.

475. Assert. secunda: Fidei Divinæ assensus potest stare cum claritate seu evidentia objecti motivi *quo*, id est, ipsius revelationis. Aliis & ordinariis terminis conclusio sic formatur: Fidei actus stare potest cum evidentia in attestante: vel meliùs exprimendo, cum evidentia Divinæ testificationis. Ita communior Thomistarum, etsi cæteroquin negent, fidem stare posse cum scientia, & claritate tenente se ex parte objecti terminativi.

476. Probatur Assertio, simúlque status Quæstionis elucidatur. Deo liberum est, suam revelationem obscuram relinquere, vel eam claram reddere, & prodigio seu signo tam evidenti demonstrare, atque attestari, quòd ipse hoc vel illud revelaverit, ut licet res revelata nobis maneat inevidens, seu obscura, nihilominùs noster intellectus sit convictus credendi & assentiendi, rem illam esse indubitatò à Deo revelatam. Exemplum proponit S. Doct. 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 3. *in Corp.* Postquàm enim præmiserat, intellectum assentiri rei creditæ, propter imperium voluntatis, intellectum ad credendum moventis, non verò per hoc, quasi rem creditam in se ipsa videat, vel per resolutionem ad prima principia per se visa: deinde subdit, intellectum ad assentiendum moveri à voluntate uno modo ex ordine voluntatis ad bonum: & sic credere est actus laudabilis; alio modo, quia intellectus convincitur, ut judicet, esse credendum his, quæ dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei: *Sicut si aliquis Propheta prænuntiaret in Sermone Domini, aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt futurum illud, quod prædicitur, in se evidens non esset. Unde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Hìc jam habemus exemplum evidentiæ in attestante, seu Divinæ testificationis, quæ juxta D. Thom. actum fidei compateretur: Ergo vera est conclusio, quæ ulteriùs ratione firmatur. Cum clara notitia seu evidentia Divinæ testificationis, v. gr. quòd Deus sit unus in natura & trinus in personis, objectum formale *quod* fidei adhuc manet velatum obscuritate: stat etiam formale *quo*: supponitur insuper paratum auxilium supernatur. quo elevante eliciatur actus fidei Theologicæ: ergo cum evidentia Divinæ attestationis actus fidei non est incompatibilis vel impossibilis. Conseq. est certa: Anteced. prob. Actui fidei Theologicæ nihil obstaret, quàm quòd per evidentiam Divinæ attestationis prodigioso signo comprobatæ ab objecto hoc scil. Deo Trino removeretur obscuritas. Atqui hæc minimè removeretur: nam, quamdiu connexio inter Deitatem & Trinitatem non patet per speciem propriam, nec per ullum medium intrinsecum causæ vel effectûs, vel ex ipsa terminorum habitudine intellectui manifestatur, tamdiu non removetur ab objecto revelato obscuritas: at propter evidentiam Divinæ testificationis prædicta connexio nec per speciem propriam, nec ullo medio intrinseco fit manifesta; sed assensus propter extrinsecum medium & motivum veracitatis Divinæ & revelationis circa existentiam Dei Trini simpliciter præstatur, & intellectus adhuc in obsequium fidei captivatur. Ergo &c.

477. Urgeo: evidentia & indubitata notitia testificantis non impedit actum fidei humanæ; quia rem assertam in se non exhibet, & ideo deest medium intrinsecum ad cognoscendam connexionem prædicati cum subjecto, v. g. si quis fide dignissimus hanc propositionem *Roma existit*: proferat, suúmque testimonium per alios oculatos testes omni exceptione majores corroboret: nónne assensus meus, quem præsto, est fidei humanæ, innixus medio seu testimonio extrinseco, quamvis habeam moralem saltem evidentiam de veritate testificationis: Ergo similiter &c. Quòd enim revelatio Divina sit infallibilis, equidem certitudinem actui fidei Divinæ longè majorem, quàm quæ humanæ inesse potest, conciliat; minimè tamen facit, ut actus fidei esse desinat ex eo, quia de Div. revelatione, quòd facta sit, evidenter constat.

478. Grave pondus addit huic Sententiæ instantia Supremi Seraphini. Sciverat ille evidenter, Angelos inferiores à Superioribus illuminari, haud vicissim Superiores ab inferioribus; ac præterea, quamlibet operationem, quæ incipit cum *esse* rei, causæ talis rei ùt Authori speciali debere adscribi; adeóque cognoverat clarè, illuminationem suam, quam habebat statim in primo instanti suæ creationis circa mysteria fidei, præcipuè circa summum arcanum Profundissimæ Trinitatis, non posse procedere ab aliquo Angelo inferiori, sed à solo Deo; ergo habuit evidentiam Divinæ revelationis, ut non potuerit dubitare, quin mysteria sibi ad credendum proposita sint à prima veritate, ceu revelante infallibili. Atqui non tantùm supremus Angelorum, sed & reliqui inferiores in primo instanti elicuerunt actum fidei Div. seu

Theologicæ, & quidem meritorium vitæ æternæ: cùm accedentem ad DEUM oportear credere, & ad gratiam sanctificantem, quàm Angeli in primo instanti adepti sunt, se liberè disponere, D. Thom. 1. *p. q.* 62. *art.* 2. inter dispositiones verò adultorum computatur actus obsequiosus & liber fidei: Igitur in supremo Angelo actus fidei erat compossibilis cum evidentia in attestante.

## *Occurritur Argumentis adversis.*

479. Arguis primò: in præsenti quæstione supponendum est, per evidentiam in attestante, sive Divinæ testificationis intelligi talem, quæ sit conjuncta cum evidentia non solùm Divinæ authoritatis, quatenus nec falli nec fallere potest in eo, quod loquitur; verùm etiam cum evidentia sensûs determinati verborum, sic, ut constet, in quo sensu DEUS locutus fuerit, scil. sine metaphoris, vel figuris, adeòque in sensu litterali: aliàs si vel deesset evidentia infallibilis authoritatis Divinæ, vel evidentia sensûs determinati verborum, vix negabit quisquam, evidentiam tam imperfectam posse stare cum fide strictè sumpta, & Theologica. Hâc itaque omnimodâ evidentiâ in attestante suppositâ, sic contra nos argumentaris: Evidens est, DEUM non posse dicere falsum: Similiter evidens est, DEUM mihi ex. gr. dicere, *Verbum Caro factum est*: & evidenter cognosco, DEUM loqui in sensu litterali: ergo evidens est, esse ita à parte rei. Jam hic discursus infert evidentiam rei *testificatæ* quoad *an est*: Ergo in illo intellectu, in quo datur evidentia Divinæ attestationis quoad quæstionem *an est*, fidei actus repugnat.

480. Secundò: Procedere à veritate dicta ad objectum immediatum veritatis quod est ita esse in re, est procedere per intrinsecam connexionem, & evidentiam: Ergo, cui est evidens, dari veritatem dictam vel conceptam de aliqua re, necessariò est evidens, dari objectum talis veritatis, quod est rem ita esse, vel non esse. Ita Joan. à S. Th. *de fid. disp.* 2. *a.* 2. *num.* 4.

481. Tertiò: Ad causandam evidentiam de aliquo objecto non debet necessariò procedi per causam vel effectum talis rei, sed sufficit procedere per aliquid necessariò connexum cum objecto: tunc enim jam proceditur per locum intrinsecum: atqui inter revelationem seu testificationem DEI evidentem signo indubitabili demonstratam, & inter rem revelatam, v. gr. Incarnationem Verbi, vel SS. Trinitatis, habetur connexio necessaria; imò datur etiam intrinseca: non enim inter illa duo est minor connexio quàm inter creaturam & DEUM sub ratione causæ primæ: creaturæ enim æquè sunt Deo quid extrinsecum, quàm revelatio seu testificatio DEI sit extrinseca rei revelatæ v. g. Trinitati.

482. Quartò: Datur intrinsecus ordo inter specificatum & specificativum: atqui testificatio DEI evidens v. gr. de Trinitatis existentia, habet se ùt specificatum: & Trinitas habet se ùt specificativum, scil. in ratione objecti, à quo desumitur veritas Div. testificationis, non minùs, quàm in humanis veritas propositionis: Ergo inter testificationem DEI evidentem, & inter Trinitatem revelatam datur ordo intrinsecus. Quô concessô, sequens syllogismus erit demonstrativus, & pariet conclusionem evidentem: quidquid DEUS evidenter dicit, est evidenter verum: sed Trinitatem esse, DEUS dicit evidenter (suppositô, quòd revelationem hujus objecti per aliquem Prophetam, vel Angelum, cum resuscitatione alicujus mortui confirmaret) ergo Trinitatem esse, est evidenter verum.

483. Quintò: Sequeretur, in Beatis circa futura contingentia, quæ illorum statum non concernunt, posse dari actum fidei: quod tamen doctrinæ D. Tho. disconvenit: seq. prob. Cùm enim Beati talia futura contingentia nec videant in seipsis, nec in medio essentiæ Divinæ, talibus objectis assensum præberent nonnisi dependenter à revelatione Divina speciali, ipsis evidenter nota.

484. Resp. ad primum, admittendo præmissum suppositum: Et ad enthymema, concesso ant. dist. conf. ergo evidens est, esse ita à parte rei, scilic. quòd Verbum Caro factum sit, *reduplicativè* per habitudinem ad revelationem, conc. conf. evidens est absolutè, *specificativè*, & prout Incarnatio est in se, sic nego. Valet & illa distinctio: ergo est evidens, esse ita à parte rei, evidens est per medium intrinsecum, & proprium objecto revelato, nego: per medium extrinsecum & commune omnibus revelatis, sic conc. conf. Hinc propter talem evidentiam non rectè infertur incompossibilitas actûs fidei strictæ & Theologicæ; quandoquidem & assensus innititur extrinsecæ revelationi ùt motivo formali *quo*, & Incarnatio Verbi, ceu objectum materiale illiúsque existentia per nullum medium ex parte sui quantum ad connexionem illuminatur, sed in eadem obscuritate repræsentatur, ac si obscurè fuisset revelata. Hinc

485. Ad secund. Neg. ant. Et ad tert. Neg. Maj. Cùm enim, ùt dixi, existentiæ v. g. Incarnationis semper assentiar ex motivo testimonii Divini; quantumcunque hoc testi-

testimonium mihi sit evidens, tamen intellectus nunquam movetur à connexione intrinseca aliqua ipsi apparente quoad rationem particularem Verbi Incarnati, adeóque semper procedit per medium extrinsecum, sic, ut revelatio intellectum in cognitionem objecti ducat non sub ratione illi propria, sed sub *communi* omnibus revelatis, nempe sub ratione *revelati*. Sic etiam Omnipotentia Divina evidenter cognita quoad *an est*, imò etiam quidditativè cognita non ducit ex terminis in cognitionem alicujus creaturæ in particulari, sed ad hoc, ut creaturæ particulares appareant, Omnipot. magis & magis penetrari debet; & licèt Deus etiam ipsam Incarnationem revelet determinatè, plus tamen non inferes, quàm Incarnationem evidenter cognosci ùt revelatam; non tamen sequitur, quòd ejus existentia in se evidenter cognoscatur. Unde non subsistit paritas inducta de creaturis respectu causæ primæ. Nam creaturæ sunt medium intrinsecum in *cognoscendo*, & connectuntur cum causa prima in ratione effectûs, sicque evidenter ducunt in cognitionem causæ primæ; quemadmodum quilibet effectus evidenter cognitus suam causam demonstrat. Imò licèt creaturæ actuales sint DEO aliquid extrinsecum formaliter, sunt tamen DEO tanquam suæ causæ, in qua quoad esse proprium & particulare eminenter continentur, aliquid intrinsecum virtualiter. Divina econtra revelatio licèt sit causa extrinseci illius *esse*, quod habent res revelatæ; non tamen respectu *esse* intrinseci illarum.

486. Ad quart. inprimis Respond. quòd revelatio sit actus Divinus DEO eminenter immanens & virtualiter transiens ad extra; nullum autem prædicatum Divinum habeat specificativum ad extra: veluti in *Tr. de Deo Uno* defenditur: unde minor objecti argumenti non est vera. Deinde patet ex dictis, quòd connexio, quam habet revelatio cum re revelata, sit solùm sub ratione communi, scilicet *veri* & *revelati*; in quantum revelatio Divina necessariò supponit suum objectum tanquam materiam generalem, sine qua non esset vera. Similiter ex ratione ad primum constat, syllogismum illum, *quidquid DEUS evidenter dicit* &c. non esse demonstrativum: quoniam in nulla præmissarum intrinsecè & tanquam in causa objectum revelatum præcontinetur: & propterea non datur ibi evidentia intrinseca, *& consequentis*, sed solùm extrinseca, & puræ consequentiæ.

487. Instantiam luculentam habes in seq. syllogismo: *quidquid DEUS scit, ita est: sed DEUS scit, Petrum consensurum: ergo Petrus est consensurus.* Præmissæ sunt necessariæ, & evidentes meo intellectui, si mihi infallibilitas & infinitas Div. Sapientiæ perspecta sit: quis autem inferet, conclusionem mihi esse propterea evidentem, esse necessariam in se, absolutè, & in ratione consequentis, licèt evidens & necessaria sit reduplicativè in ratione consequentiæ spectata, & prout substat Div. scientiæ; adeóque sub ratione *sciti à DEO.*

488. Ad quint. Resp. Gonet, actui fidei in Beatis obstare, quòd illis desit objectum fidei primarium; cùm DEUM clarè videant, ac per consequens nec circa objecta secundaria, qualia sunt futura contingentia, licèt obscurè cognita, actum fidei elicere valeant. Quod exemplificat in actu spei circa futuram beatitudinem post universalem resurrectionem, etiam in corpora redundaturam; circa quam beatitudinem Beati, licèt eam nondum possideant, non possunt elicere actum spei; quia objectum primarium spei, putà, beatitudo animæ, utpote jam actu obtenta, cessavit. Posset etiam dici, futura contingentia in seipsis, mediante impressione luminis alicujus Beatorum intellectui manifestari.

489. Dices finaliter: Non videtur esse major repugnantia inter actum fidei & scientiæ, quàm inter evidentiam attestationis Divinæ & actum fidei: nam repugnantia prior in eo adstruitur, quòd, quia actus fidei est inevidens, seu obscurus, & versatur circa rem non visam, scientiæ verò est clarus & evidens, versatúrque circa rem visam, in intellectu sequerentur effectus tum contradictoriè tum privativè oppositi: Deinde, quia intellectus esset convictus, & non esset convictus de veritate conclusionis: esset indifferens ad assensum, & non indifferens &c.

Atqui eadem absurda & oppositiones resultarent ex evidentia Div. attestationis, si hæc in eodum intellectu cum actu fidei concurreret; quia, ùt cum Joan. à S. Thoma contra nos instat Magnif. Bened. Petschacher *de fide thes.* 10. positâ evidentiâ in attestatione, ex una parte objectum testificatum est evidenter cognitum; siquidem hæc præmissa: *quidquid DEUS dicit, est verum*, est lumine naturæ nota: hæc verò: *DEUS dicit, Verbum esse incarnatum,* propter evidentem testificationem est similiter evidenter cognita. Unde ex evidentibus præmissis hæc conclusio: *ergo verum est, Verbum esse incarnatum,* non potest non etiam esse evidens. Ex altera verò parte idem objectum, eò quòd terminet actum fidei, non foret evidenter cognitum. Ergo &c.

490. Hoc argumentum non esse formidandum, ex Responsionibus præoccupatis liquet. Repetimus igitur, assensum conclusionis, qui dependenter ab evidentia in attestante præstatur, totum quantum inniti extrinseco testimonio DEI, nec veritatem objectivam conclusionis deduci ex præmissis quà illam præcontinentibus, & vi connexionis intrinsecæ cum objectiva veritate præmissarum; atque adeò non procedit demonstrativè per medium intrinsecum effectûs & causæ, vel essentiæ & proprietatum &c. quâ ra-

ratione proceditur in eliciendo actu scientifico, qui necessariò est de re visa, clara, & secundùm rationes particulares evidenti &c. Præterea objectum specificativè & in se sumptum, in nostra hypothesi manet semper obscurum, inevidens, & non visum, saltem secundùm rationes suas particulares, licèt reduplicativè sub ratione *revelati* omnibus revelatis communi fiat quodammodo evidens evidentiâ purè extrinsecâ. Consequenter absurda contradictionum supra objectarum hìc longè exulant; maximè quòd æquivocationi adversæ per nostras instantias larva fuerit detracta, & distinguere oporteat inter necessitatem atque evidentiam, quæ solùm verificatur in ratione *consequentiæ*, & inter alteram, quæ est in ratione *consequentis*, ad actum scientificum indispensabiliter requisita.

# COROLLARIA.

491. PRimum: Mysteria fidei nostræ sunt evidenter credibilia non solùm fide humana: sed etiam fide Divina. Prima pars patet ex illo *Psal. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: *nimis*, ait Psalmista, id est magis, quàm prima principia scientiarum acquisitarum. Ea, quæ subsunt fidei dupliciter considerari possunt: uno modo in speciali: & sic non possunt esse simul visa & credita: alio modo in generali, scil. sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa ab eo, qui credit. Et ratio est, quia, ea, quæ DEUS revelavit, ùt credenda, tam idoneis testibus, miris prodigiis, & validis argumentis, sunt probata, ut genus videatur esse dementiæ in his vel aliquantulum dubitare. Ex hoc (verba sunt Cajetani) quòd fide digni testes *aliquid* asserunt, & reus sponte confitetur, non habetur evidentia, quòd ita sit: possunt enim mentiri: habetur tamen evidentia, quòd ita est credibile, judicabileque absque alterius partis formidine. Secunda pars probatur à Marco Serra hìc *quæst.* 1. *art.* 4. ex eo, quòd mysteria fidei sint credibilia eâdem fide, qua credibilia esse ostenduntur miracula, quibus confirmantur, & oracula Prophetarum, quibus prædicuntur, & alia hujusmodi: atqui miracula illa & oracula credibilia ostenduntur fide Divina: ergo hac fide etiam mysteria fidei sunt evidenter credibilia. Adde, evidentiam credibilitatis eorum, quæ subsunt fidei, non solùm provenire à signis & argumentis; sed etiam ab habitu vel lumine fidei: quia D. Thom. hic *q.* 1. *art.* 4. *ad* 3. dicit, quòd lumen fidei faciat videri ea, quæ creduntur: & in *art.* 5. *ad* 1. subdit, quòd infideles eorum, quæ sunt fidei, habeant ignorantiam: quia nec vident nec sciunt ea in seipsis, ut cognoscant ea esse credibilia: fideles verò habeant eorum notitiam, non quasi demonstrativè; sed in quantum per *lumen fidei videntur esse credenda*. Ubi notandum est primò, in illis, qui assensum fidei eliciunt ante infusionem habitûs fidei, evidentiam credibilitatis haberi ab auxilio actuali, dependenter à quo elicitur assensus fidei; hocque auxilium non ineptè *lumen fidei* appellatur. Secundò: juxta Cajetanum puer baptizatus, & in sylva enutritus absque omni instructione in fide, per habitum infusum fidei, quando pervenit ad usum rationis, credenda à non credendis non discerneret: quia habitus fidei inclinat & parit evidentiam credibilitatis, quantum est ex se, & in subjecto disposito. In tali autem puero deesset dispositio debita, nimirum propositio credendorum. Alii autem Thomistæ docent, neminem fidelium (adeóque nec puerum baptizatum, posteà in sylvis enutritum) credere, quin simul ex fide infusa habeat evidentiam credibilitatis: consequenter dicunt, hanc provenire à lumine vel habitu infuso, & non à solis testimoniis extrinsecis. Quò facit illud D. Thom. in 3. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. *Discretionem credendorum habet homo per lumen fidei.* Nec obstat, quòd evidentia credibilitatis prærequirat aliquam instructionem vel interiôrem immediatè à DEO, vel exteriorem mediante homine. Nam etiam ad assensum fidei eliciendum ejusmodi instructione vel illustratione prævia opus est: *Fides enim ex auditu*, *ad Rom.* 10. *v.* 17.

492. Secundum: Ad præstandum assensum rebus fidei necessaria est pia affectio ex parte voluntatis. Hoc indicat illud Apostoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Nam cætera, quæ ad exteriorem DEI cultum pertinent, potest homo nolens; sed credere non potest, nisi volens: intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis; sed voluntate. Et ratio est, quòd intellectus deberet ad credendum determinari ex parte objecti: hoc autem fieri nequit, nisi objectum videatur in se immediatè, veluti id patet in cognitione primorum principiorum, & in iis, quæ per experientiam perspecta nobis sunt. Innuit id Apost. ad Corinthios per verba: *In captivitatem redigentes intellectum in obsequium Christi.* Quódque ad veritates supernaturales cognoscendas requiratur gratia supernaturalis, in Tractatu de Necessitate ac viribus gratiæ actualis ejúsque differentiis cum Theologis proximè exponere curabo.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIGESIMA QUINTA.

## *Quanta sit fidei certitudo: Et: An fidei Divinæ possit subesse falsum?*

493. Assertio prima: Licèt assensus fidei Divinæ non sit certissimus *intensivè*: est tamen certissimus *appretiativè*. Pars prima patet: quia si posset esse *intensivè* certissimus, non posset crescere: nec in uno esset magis intensus, quàm in altero: hoc autem dici nequit. Pars secunda prob. Certitudo formalis est firma adhæsio intellectûs ad verum: & assensus *appretiativè* certissimus est, quo quis veritatem objecti præfert omni alteri veritati; quemadmodùm summus amor appretiativè talis in suo modo tendendi objectum amatum præfert omni alteri bono: atqui assensus fidei, eò ipso quòd motivo supremo, Divino, & increato innitatur primæ & infallibilis veracitatis, saltem exercitè veritati Divinitùs revelatæ ita firmiter adhæret, ut eam omni alteri inferiori & humanæ præferat: Ergo assensus fidei Divinæ saltem in actu exercito & in suo modo tendendi est *appretiativè* certissimus. Hinc illud Petri *Actor.* 2. ad Judæos à se conversos: *Certissimè sciat omnis domus Israël: Quia & Dominum eum, & Christum fecit DEUS, hunc JESUM, quem vos crucifixistis.* Et D. Hieronym. *Epist.* 61. ad Pammachium, *vis scire*, inquit, *quantus sit ardor credentium? Audi Apostolum: etsi nos, aut Angelus de Cœlo aliter Evangelizaverit vobis, anathema sit.*

494. Assert. secunda: fidei non potest subesse falsum, nec ex parte DEI revelantis, nec ex parte credentis. S. D. hìc *q.* 1. *art.* 3. ubi *sed contra*, ait, *nulla virtus perficiens intellectum se habet ad falsum, secundùm quod est malum intellectûs: sed fides est quædam virtus perficiens intellectum: ergo ei non potest subesse falsum.* Rat. primæ partis est, quòd primæ & immutabili veritati ab intrinseco repugnet, ut vel per seipsam, vel per alium ministrum falsum vel erroneum quid suggerat. Ex hoc (ùt loquitur D. Anselm. *lib.* 1. *cur Deus homo? cap.* 22.) *quòd Deus mentiretur, non sequeretur, mendacium esse justum; sed quòd non esset Deus.* Unde Execrandus est error Priscillianistarum delirantium, DEUM mentiri posse, & de factò per Prophetas mentitum fuisse; uti & quorundam Catholicorum (quos inter referuntur aliacensis in 1. *q.* 12. *art.* 3. & Gabr. in 3. *dist.* 38. *q.* 1.) Deum saltem de potentia absoluta mentiri posse, asserentium. Rat. secundæ partis allata fuit in tex. S. Thomæ, negantis, per virtutem intellectualem intellectum inclinari posse ad falsum, ceu malum intellectûs. Adde, quòd, cùm fidei objectum formale sit veritas prima, nullum ei falsum subesse possit. Esto etiam, quòd revelata, quæ credimus, sint aliqua de se contingentia, ùt est incarnatio; secundùm quod tamen cadunt sub præscientiam Divinam, & subsunt revelationi, habent quandam infallibilitatis necessitatem: & hoc modo cadunt sub fide, S. D. *cit. art.* 3. *ad* 2.

495. Infertur, Deum nec posse causam esse alicujus actûs vel habitûs erronei secundùm istius esse formale; benè tamen secundùm esse materiale. Si enim Deo quà summè bono repugnet, causare actum vel habitum peccaminosum in voluntate creata quoad formale: similiter repugnabit ùt summè vero, per se causare actum vel habitum erroneum quoad formale in intellectu. Infertur secundò, Deum non posse patrare miraculum, quo falsam doctrinam confirmare intendat. S. D. *quodlib.* 2. *q.* 4. *a.* 6. *ad* 4. ubi ait, contingere non posse, *quòd aliquis falsam doctrinam annuncians vera miracula faciat, quæ nisi in virtute Divina fieri non possunt.* Et ratio est, quòd patratio talis miraculi esset re ipsa affirmatio & approbatio falsæ doctrinæ: & Deo non minùs repugnet falsitatem opere vel signò contestari, quàm verbô vel scripturâ.

496. Arguis primò cont. prim. assert. *Matth.* 14. increpatur Petrus: *modicæ fidei, quare dubitâsti.* Ergo inprimis fides non est certissima; cùm non sit semper firmissima. Deinde habentes fidem non raró dubitant, & formidant: quomodò ergo credentes objecto firmissimè adhærent? nec certitudo maxima probatur ex eo, quòd actus fidei motivo divinæ revelationis & authoritatis innitatur: Cùm etiam actus spei motivo Dei ùt auxiliantis innitatur; & nihilominùs formidinem compatiatur.

497. Resp: dist. conf. ergo fides non est certissima secundùm certitudinem *intensivam* conc. sic enim secundùm gradus magis ac magis augeri & crescere potest: non est certissima certitudine appretiativa, sic neg. conf. textus *modicæ fidei quare dubitâsti* &c. videtur explicandus esse de modica, debili, seu parva fiducia, quam Dominus in Petro, ob timorem submersionis fluctuanti reprehendit; non verò de fide propriè sumpta. Ad alterum dicit Theol. Salisb. quòd dubitationes imperfectæ & minùs deliberatæ quandoque actum fidei subsequantur infirmum *intensivè*, non *appretiativè*: illoque tempore, quo durat fluctuatio, assensus actualis fidei impeditur.

498. Cæterùm dubitatio oriri potest ex tentatione dæmonis; & ex ipsa imbecillitate sub-

subjecti, id est, intellectûs nostri, qui in obsequium fidei captivari debet, nec objectum revelatum utpote obscurum sufficienter penetare valet: non autem provenit ex debilitate motivi formalis assentiendi. Et quantum ad hanc imbecilitatem subjecti certitudo actûs fidei cedit certitudini actûs scientifici: cùm enim scientifica conclusio inferatur per medium intrinsecum, in quo clarè (saltem in cognoscendo) præcontinetur, & intellectus objectum perfectè penetret, actus scientiæ subjectivè causat majorem certitudinem, quàm actus fidei. Neque enim maxima illa fidei Divinæ certitudo & ad objectum adhæsio provenit ex speculatione objecti; sed ex determinatione liberi arbitrii Spiritûs Sancti gratiâ præventi & adjuti, quæ haud dubiè debilitatem intellectûs compensat, & voluntatem movet, ut intellectum ad assensum applicet & determinet. Econtra objectivè sive ex parte objecti seu motivi formalis, scil. infallibilis veracitatis & testificationis Divinæ, certitudo fidei quarumcunque scientiarum naturalium motiva incomparabiliter superat: ut priùs essent defecturæ res naturales cum suis certitudinibus, quàm Div. veracitas in manifestatione rerum revelatarum: *Cœlum enim & terra transibunt, verba autem mea*, ait Salvator Matth. 24. *non præteribunt*: sed veritas Domini manet in æternum.

499. Ad instantiam de actu spei, Resp. incertum esse, an homo, cui promissio Divini auxilii pro consequenda beatitudine, spectans ad motivum formale spei, sub connotatione cooperationis humanæ facta est, ex sua parte sit cooperaturus, nec ne: Ergo cum actu spei est compossibilis formido: veluti constat ex S. Trid. Concil. *sess. 6. de Justif. c. 13. Ubi nemo aliquid certi absoluta certitudine sibi polliceatur: tametsi in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant - - - formidare enim debent, scientes, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt de pugna.*

500. Dices: Si actus fidei est appretiativè certissimus, posset Christianus Catholicus summè certificatus esse de sua fide supernaturali. Resp. negando sequelam. Ut quis esset certificatus de supernaturali assensu fidei, opus foret vel aliqua revelatione, quòd quis talem assensum debitè elicuerit, vel aliquo alio medio certo. At neutrum habetur. Contrà certitudo summa appretiativè ipsius actûs fidei pro principio & medio habet infinitam infallibilemque veritatem DEI revelantis.

501. At, nunquid emittentes professionem fidei tactis etiam Sacris Evangeliis, jurant se credere & tenere, quod credit & tenet Sancta Mater Ecclesia? Reponit Theol. Salisb. Christianum Catholicum posse moralem habere certitudinem, deponere formidinem, ac prudens sibi formare judicium, quòd hic & nunc Divinò auxiliò ad actum fidei supernaturalem eliciendum adjuvetur, dummodò ex indiciis moraliter certis & bona fide existimet, se sincerè conatum adhibere, ut rebus revelatis unicè propter Divinam authoritatem assentiatur. Adjungit in terminis, Christianum aliquo modo, & remotè, per scientiam experimentalem certificari posse, quòd veram habeat fidem, in quantum per actum reflexivum intellectûs supra suos actus potest clarè cognoscere, quòd amplectatur motiva credibilitatis, & assentiatur omnibus, quæ credit & docet Sancta Mater Ecclesia: & quòd sine alio motivo naturali, unicè propter authoritatem DEI revelantis rebus revelatis suum assensum impendat.

502. Arguis secundò: opponendo cont. secundam assert. varia Scripturæ testimonia, ex quibus erui videtur, Deum posse esse auctorem mendacii: Ex. gr. *Ezech.* 14. habetur: *Et Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum; Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Item Patriarcha Jacob ex instinctu Dei mendaciò Patrem suum circumvenisse censetur, quando dixit: *Ego sum filius tuus Esau &c.* Resp. in primo & secundo textu contineri deceptionem (& simile est, quando fit mentio excæcationis, vel indurationis) solùm *negativam* seu *permissivam.* Eadem sensûs explicatio aliis consonis textibus accommodabitur, ut illi 3. *Reg. cap.* 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Quòdque in Scriptura non infrequenter sub nomine præcepti sola negativa *permissio* intelligatur, Theologi passim observârunt. Certè, quando Christus ad Judam dixit: *quod facis, fac citò*, facinus immane traditionis non præcepit, sed merè permisit. Ad textum secundum Resp. Div. Th. in 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Jacob mysticè dixit: *se esse Esau, primogenitum Isaac; quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per Spiritum Prophetiæ ad designandum: quia videl. minor populus, scil. gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scil. in locum Judæorum.* Confer Joan. à S. Th. hìc *disp.* 2. *art.* 4. *n.* 14.

503. Arguis tertiò: Deordinatio moralis divinitùs est separabilis à locutione falsa: est enim deordinatio separabilis ab homicidio innocentis; cur non pariter à locutione falsa? Separetur ergo: & tunc ex locutione falsa nihil Deo indignum eveniet. Resp. non esse paritatem: Homicidium, an sit justum, vel injustum seu malum, dependet à justa causa, & à legitima potestatis concessione: quare deordinatio est separabilis ab occisione etiam innocentis, v. g. Isacci, si potestas occidendi à supremæ vitæ & necis Domino alicuiconferatur. Non ergo occisio hominis est absolutè mala, & ab intrinseco, sicuti est mendacium, quod primæ veritati simpliciter opponitur.

504. Arguis quartò: Si quis laboret conscientiâ erroneâ, & invincibiliter persuasus sit, esse mendacium committendum, ut salvetur vita proximi, talis ex præcepto Divino obligatur ad mentiendum. Ergo datur casus,

sus, in quo Deus præcipit locutionem falsam. Respond. Paul. à Concept. hìc *disp.* 1. *dub.* 3. Mendacium formale esse dissonantiam verborum cum mente loquentis; sique procedat ex conscientia invincibiliter & inculpabiliter erronea, exigere duplex judicium: unum *speculativum*, quo quis judicat, mendacium esse licitum vel etiam necessariò committendum, stante gravi causa: alterum est *practicum*, dictans, hìc & nunc mendacium convenienter committi. Primum est falsum, nec in Deum reduci valet, nisi quantum ad materiale & entitatem physicam: supponit tamen falsam apprehensionem, dari legem in Deo, qua tale mendacium licitum reddatur, approbetur, vel omnino præcipiatur. Alterum judicium, supposito primo, est verum: estque actus quidam virtutis intellectualis, quam vocant synesin; quem mox subsequitur actus sive imperium prudentiæ, habens rationem legis, & participans legem æternam Deo inexistentem. Et hoc judicium practicum non refugit causalitatem Divinam; imò & mendacium externum, si cum illo comparetur, in posita hypothesi, à Deo causatur, utpote omnis expers malitiæ.

505. Arguis quintò: In restrictione purè mentali non evitatur locutio falsa: atqui Deus videtur uti posse & de facto usus esse tali restrictione, idque comprobatur ex Joan. *cap.* 7. ubi Christus Apostolis dicebat: *Vos ascendite ad diem festum: ego non ascendo.* Ergo Deo non videtur repugnare locutio falsa. Maj. constat ex eo, quòd propter latens mendacium Innoc. XI. usum locutionis cum restrictione purè mentali damnaverit. Min. probat. tunc enim fit restrictio purè mentalis, quando interrogatus, exteriùs dat responsionem generalem & absolutam, interiùs autem imminente sibi retinet aliquam circumstantiam, per quam significatio locutionis determinatur; cùm interim per circumstantias exteriores talis determinata, & restricta locutio interroganti innotescere non possit, ùt si interrogatus, an luseris, absolutè respondeas: *non lusi*, subintelligendo mentaliter, *aleis*, cùm tamen chartis luseras. Atqui Christus Dominus, dicendo Apostolis, se non ascendere Jerosolymam ad diem festum, exteriùs locutus est absolutè & generaliter, interiùs verò retinuit ly *publicè*; voluit ergo ascendere quidem, sicuti reverà postea ascendit, at non *publicè* & in comitatu discipulorum. Ergo videtur locutus fuisse cum restrictione purè mentali.

506. Resp. Christum non fuisse locutum cum restrictione purè mentali: nam nec interrogatio discipulorum, quærentium, an *publicè* ascenderet, fuit absoluta; nec responsio Christi fuit absoluta, sed ex circumstantia interrogationis Apostoli poterant dignoscere, quòd negatio ascensûs sit ad publicam ascensionem determinata. Similiter, quando *Marc.* 13. dixit: *De die autem illo* (scil. extremi judicii) *vel hora nemo scit, nec Angeli in Cœlo, nec Filius*, Christus non fuit usus restrictione purè mentali, etsi in mente subintellexerit; *ad revelandum*: Cùm enim Apostolis non fuerit incognitum, Christum esse Filium Dei, adeóque scire diem extremi judicii, bene advertere poterant, Christum suam nescientiam præcisè ad *non revelandum* determinare.

507. Dices fortè: restrictionem purè mentalem esse licitam de facto confessariis: si enim Titius ex uno quæreret, an non uxor sua adulterium commisisset, posset ille respondere, se nescire: intelligendo, interiùs, se nescire ùt hominem, & ad revelandum, sed solùm ùt vices Dei in Confessionis Tribunali gerentem, & ad non revelandum. Resp. in simili non esse restrictionem mentalem, & ad fallendos interrogantes directam; cùm ex circumstantia personæ interrogatæ, officio, & obligatione ejus constet eam non teneri ad respondendum *directè*: nec scire aliquid ex Confessione Sacramentali, ad revelandum.

508. Si instes: esse licitam amphybologiam, cur non & restrictionem purè mentalem? Replico, quòd locutio mendosa, quæque fit cum restrictione purè mentali, per se ordinetur ab decipiendum positivè: non æquè amphybologia, id est, locutio habens duplicem sensum, ùt si interroganti, qualis est hic liber, respondeas: *hic est Liber Petri*: audiens bene advertere potest, duplicem esse sensum, ita, ut per Petrum vel designetur author, vel Dominus libri: hæc locutio per se ad fallendum positivè non est ordinata, consequenter nec illicita, quamvis per accidens esse possit, quòd alter occasionaliter fallatur, sensum sinistrum amplectendo & non considerando circumstantias, ex quibus verum sensum loquentis cognoscere potuisset. Tunc enim Amphybologia fit solùm *materialiter*: quòd si nullæ circumstantiæ concurrerent, unde audiens posset devenire in sensum determinatum, à loquente intentum, amphybologia fieret *formaliter*, essetque confusa cum æquivocatione, & haberet speciem quandam mendacii, & ideò illicita, & ab intrinseco mala foret. Ex quo fluit, DEUM, Christum & nos locutiones amphybologicas materialiter tales formare posse, formaliter non item, sine deceptione propriè dicta.

509. Arguis sextò: Quidquid sit, an fidei possit subesse falsum ex parte DEI revelantis, saltem potest subesse ex parte credentis & ipsius actûs fidei. Prob. primò: quia potest Episcopus vel Parochus Diœcesano vel Parochiano aliquod dogma falsum proponere, & audiens ad credendum induci. Prob. secundò: Si Sacerdos hostiam non consecratam in Sacrificio elevaret, fideles præsentiam Christi crederent, & adorarent: in utroque casu fidei ex parte credentis falsum subesset. Prob. tertiò: Si ei, quem pauperem esse prudenter existimo, dem ele-

eleemosynam, exerceo actum misericordiæ, licet falsum subsit: ergo etiam actum fidei, si prudenter credam, aliquid revelatum esse, licet decipiar.

510. Resp. Ad primam prob. actum fidei in illo casu non fore supernaturalem vel Divinum in re, sed solùm existimativè; reipsa verò humanum & naturalis ordinis: quia careret suo proprio objecto formali, scil. revelatione Divinâ verâ: talis proinde assensus niteretur sola auctoritate Episcopi, vel Parochi, falsum articulum proponentis. Sic non erit actus fidei, quo assentiris Petro tanquam viro admodùm veraci, si alius, quem Petrum esse existimabas, tibi aliquid nuntiaret: neque esset actus scientificus, qui fuisset deductus ex præmissis solùm putativè veris & necessariis. Instas: Parochianus ejusmodi falsæ propositioni dissentiens vel discredens, nunquid hæreticum oleret; Ergo credendo actum fidei Divinæ in re eliceret. Resp. negando conseq. & ad antec. dico, quòd discredens non esset hæreticus formaliter, sed virtualiter solùm & arguitivè (ut loquitur Gonett hìc *disp.* 1. *pag.* 431.) quia quantum ad affectum esset ita comparatus, ut Divinæ revelationi per Ecclesiam propositæ assentiri pertinaciter nollet.

511. Ad alt. prob. Resp. nec ibi elici actum fidei Divinæ in re, sed putativè duntaxat: neque enim creditur fide Divina, hanc determinatam hostiam esse consecratam, nisi ex hypothesi, & tacita conditione, quòd Sacerdos omnia requisita observaverit, nempe præter materiam consecrabilem, etiam debitam formam cum intentione necessaria: quocirca S. Doct. hìc *q.* 1. *artic.* 3. *ad* 4. respondet, fidem credentis non referri ad has species panis, vel illas, sed ad hoc, quod verum Corpus Christi sit sub speciebus *panis sensibilis, quando rectè fuerit consecratum. Unde si non sit rectè consecratum, propter hoc fidei falsum non suberit.* Cavendum autem, ne ex ista doctrina concludas, hostiam solùm sub expressa conditione nempe hâc, si est verè consecrata, adorandam esse, non verò absolutè: sciendum enim, ad adorationem absolutam sufficere certitudinem moralem, quod sit ritè consecrata, quæ ordinariè concurrit: quis enim, nisi temerariò, præsumat, Sacerdotem aut sacrilegè aut dissolutâ negligentiâ in ministerio tam sancto & tremendo procedere? Talis ergo certitudo sufficit, ait Cajetan. apud Gonett, ad judicium prudentiale, quod est proxima regula, qua actus virtutum moralium diriguntur, quas inter eminet virtus Religionis.

512. Ad tert. prob. disparitas est, quòd virtutes intellectuales, seu intellectum perficientes, conformitatem petant cum objecto, ùt hoc est a parte rei: morales verò solùm cum recta ratione, quam vir prudens ùt talem judicàrit. Nequit igitur elici actus fidei Divinæ, si Episcopus ex. gr. suis subditis nomine Ecclesiæ aliquid fide credendum proponat, quod de fide non est: quia deficit conformitas actûs cum objecto: benè verò potest exerceri actus misericordiæ, si eum ex recta ratione & judicio viri prudentis pauperem judices, qui reipsa talis non est. Insinuat hoc discrimen D. Thom. hìc sæpe *cit. art.* 3. *ad* 1. *Quia verum est bonum intellectûs, non autem est bonum appetitivæ virtutis, ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falsum: quia de ratione virtutis est, quòd se habeat solùm ad bonum. virtutes autem perficientes partem appetitivam, non excludunt totaliter falsum. Potest enim aliquis secundùm justitiam aut temperantiam agere, habens falsam opinionem de eo, circa quod agit: & ita cùm fides perficiat intellectum &c.*

513. Contra hanc tamen disparit. militat, quod prudentia, tametsi sit virtus intellectualis, possit versari circa falsum, ùt in allatis supra exemplis, de eleemosyna in pauperem prudenter quidem, sed falsò existimatum collatâ, & de adoratione hostiæ non consecratæ. Verùm Resp. potest primò cum Grandin hìc *disp.* 1. *sect.* 2. *punct.* 4. prudentiam ita esse virtutem intellectualem *subjectivè*, ut simul sit moralis *participativè*, in quantum se habet ùt regula virtutum moralium. Sicut igitur virtus moralis potest versari circa aliquid, quod aliter se habet, quàm existimatur, dummodò existimatio sit prudens; ita quoque prudentiæ nihil derogat, quòd versetur circa id, quod aliter se habet, quàm fuerit in existimatione; dummodo quis judicium suum pro ratione circumstantiarum debitè formaverit: Fides econtra est virtus merè intellectualis, ideòque petit actus suos conformari cum objecto, non præcisè ùt est in existimatione, sed, ùt est in re, & in se. Secundò cum Gonett, concedente, prudentiæ falsum subesse posse *speculativè*, seu secundùm judicium *speculativum*, quo v. g. Judico, hunc esse pauperem, vel illam hostiam esse consecratam: non autem *practicè* seu secundùm judicium practicum, quo judico, me prudenter hìc & nunc dare huic eleemosynam, quem pauperem esse, ex circumstantiis objectis prudenter existimo. Fides autem est simul practica, & simul speculativa; quapropter ei nec speculativè nec practicè falsum subesse potest.

514. Ultimò nobis obstat, quòd actus fidei, in syllogismo constante ex una præmissa, quæ est de fide, & alterâ falsa, possit influere in assensum falsæ conclusionis: v. g. *ubi est duplex natura, est etiam duplex Persona* (hæc major est falsa) *in christo est duplex natura* (hæc minor est de fide) *Ergo in Christo est duplex persona*: deducitur assensus conclusionis falsæ tanquam effectus ab assensu præmissarun, quarum una est de fide. Resp. Paul. à concept. *disp.* 1. *dub.* 5. *num.* 80. quòd præmissa supernatur. nullum præstet concursum in conclusionem falsam, sed solùm habeat se tanquam conditio applicans subjectum propositionis minoris ad subjectum contentum in majori. Nunc agendum de necessitate fidei.

515.

# QUÆSTIO VIGESIMA SEXTA.

## *Qualiter fides in Viatoribus necessitate, tum medii tum præcepti, requiratur ad consequendam æternam Salutem?*

515. SUppono primò, illud esse necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo, etiamsi vel ex ignorantia, vel sine culpa, vel ex impotentia alicui desit, salus æterna, secundùm modernam legem DEI, obtineri nequit: exemplum est in Baptismo: necessarium verò necessitate præcepti esse hoc (secundùm explicationem Laymanni) sine cujus positione vel executione homo salvari non potest, si exequendi occasio & facultas suppetat: possit tamen, si propter ignorantiam, vel aliam impotentiam à præcepto consequenter & à culpa excusetur. Exemplum dedi in meo *lib.* 1. *Decret. tit.* 1. *de SS. Trinit.* &c. de restitutione rei alienæ, quam utique, si facere possim, facere teneor sub periculo amittendæ aliàs salutis æternæ; si verò non possim, & tamen vellem, à salute non impedior.

516. Suppono secundò, præceptum fidei quintuplex assignari: primum est, scire credenda: secundum, credendis assentiri interiùs: tertium, fidem exteriùs profiteri: & hæc tria præcepta dicuntur affirmativa: quia non obligant *ad semper*: quartum præceptum est, fidem exteriùs non negare: quintum; fidem interiùs non amittere: quæ duo ultima præcepta negativa sunt, & ideò obligant semper & ad semper. Tambur. in *Decal. lib.* 2. *c.* 1. *§.* 1. Mastrius Theol. Mor. hic *disp.* 10. *art.* 1. *&*, *art.* 2.

517. Suppono tertiò, fidem actualem *explicatam* dici, quando aliqua veritas in se ipsa & propriis terminis significata creditur: *implicitam*, quando creditur veritas in alio expresse cognito contenta. Exemplum primi est, si credas DEUM in personis trinum: secundi, si credas, quidquid in mysterio summæ Trinitatis importatur.

518. Assertio prima: Fides habitualis divinitùs infusa semper fuit necessaria ad salutem necessitate medii tam in parvulis, & amentibus, quàm adultis. Est communis apud Laym. *de fid. cap.* 7. *n.* 3. Clariss. P. Ludovicum Babenstub. *Theol. Mor. tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 1. patetque ex SS. Concil. Trid. *sess.* 6. *de Justif. cap.* 8. ubi ex Apostolo refert, quòd si impossibile sine fide placere DEO: cùmque parvuli & amentes actûs fidei sint incapaces, saltem fides habitualis eisdem necessaria est. Ratio ulterior est, quòd, supposita gratuita elevatione humanæ naturæ ad statum gratiæ & gloriæ, non tantùm anima rationalis, expulso peccato originali, ad consequendam vitam æternam per gratiam tanquam participationem naturæ Divinæ, sed etiam potentia intellectiva ad veritatem primam elevari, sicque habitu fidei ornari & confortari debeat: ac itidem potentia volitiva per habitum charitatis infusæ ad summum bonum seu finem supernaturalem consequendum.

519. Assertio secunda: Adultis, ist est, ratione utentibus non sufficit sola fides habitualis, sed in omni statu actus supernaturalis fidei internus de necessitate medii requiritur. Est denuò communis non solùm fundata in illo *Marci ult. Qui non crediderit, condemnabitur*, sed etiam in Apost. Paul. dicente, *quòd impossibile sit, sine fide placere DEO*: & quòd *accedentem ad DEUM oporteat credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*, hoc est, ùt exponit P. Paulus Mezger *h. tr. disp.* 19. *art.* 2. *n.* 9. quòd DEUS sit in se summè bonus, & quòd sit summum hominis bonum, & supremus Gubernator, habens providentiam de hominibus ad se ùt ultimum finem consequendum per media idonea perducendis. Nisi enim homo adultus prædicta explicitè credat, non potest per spem & charitatem tendere in DEUM; consequenter nec accedere ad DEUM: non enim aliter accedimus, nisi gressibus mentis, nisi actibus fidei, spei, charitatis &c. Denique Trid. Concil. *cit. sess.* 6. *de Justif. c.* 8. definit, *quod fides sit humanæ salutis fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est, placere DEO, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

520. Assertio tertia: Ante promulgatum Evangelium, tam sub lege naturæ, quàm sub Mosaica cuivis adulto, seu rationis compoti necessitate medii necessaria erat fides saltem implicita in Christum Redemptorem. Mezger, Babenstub, Bassæus, Layman, & communis, cum S. Doctore, qui in 3. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. dicit: *Post pecatum ante Christum Majores* (id est, quidam præcipui viri & Patriarchæ) *habebant fidem Redemptoris explicitè*) nimirum ex singulari Divina revelatione & illustratione) *minores implicitè.* Et Apostol. 1. *ad Cor.* 10. *omnia, inquit, in figura contingebant illis.* Et ad *Epes.* 3. *In aliis generationibus*, ait, *non est agnitum filiis hominum mysterium Christi, sicut nunc revelatum est SS. Apostolis ejus, & Prophetis in spiritu.*

521. Sed, quomodò fides implicita in Christum explicatur, interrogas? Resp. S. Thomas in *cit. dist.* 25. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *salvabantur*, inquiens, *fide implicita Redemptoris, implicando fidem suam in cognitione DEI, in quantum scilicet* (subdit Mezger) „ credendo, „ DEUM mediis convenientibus prospectu- „ rum generi humano, implicitè credebant Chri-

„Christum, quem Deus Mediatorem ac Re„demptorem constituit. Et quia in ejus In„carnatione pariter involvitur SS. Trinitatis „Mysterium, iidem etiam implicitam habe„bant fidem ejusdem Sacrosancti Mysterii.

522. Rationem subjicit Layman hic *cap.* 7. „Sicuti in statu naturæ integræ, ait, adul„ti salvari non potuissent sine cognitione „Dei Creatoris & Sanctificatoris; ita in sta„tu naturæ lapsæ salvari non possunt, nisi „aliqua confusa cognitione Christi Re„demptoris. Vult enim Deus, ut homi„nes cooperando ad salutem suam deside„rent ac quærant animarum suarum Medi„cum: sed non possunt desiderare ac quæ„rere, nisi illum aliquo modo cognoscant, „videl. per fidem in vita præsenti.

523. Assert. quarta: Post promulgatum Evangelium probabiliùs fides actualis explicita tum Incarnationis Verbi, tum SS. Trinitatis necessaria est ad salutem necessitate medii. Ita . D. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. ubi ex D. Aug. de necessitate fidei explicitæ in Christum sic loquitur: *Illa fides sana est, qua credimus, nullum hominem, sive majoris sive parvæ ætatis liberari à contagio Mortis & obligatione peccati, nisi per unum Mediatorem DEI, & hominum, JESUM Christum.* Deinde pergit: *illud propriè & per se pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur. Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem est Mysterium Incarnationis & Passionis Christi: dicitur enim* Auctor. 8. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, & ideò Mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimodè tamen secundùm diversitatem temporum & personarum* &c. Et ne quis S. Doctorem de sola necessitate præcepti locutum fuisse prætendat, audiendus est etiam in 3. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *quæst.* 2. ubi necessitatem medii sufficienter inculcat, cùm dicit: *post adventum Christi, quia jam mysterium Redemptoris impletum est, & corporaliter & visibiliter prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè; & si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua careret.* Præcipuè verò fundatur nostra sententia in Symbolo S. Anastasii, ubi asseritur *necessarium* esse *ad salutem, ut* quis *Incarnationem quoque D. N. J. Christi fideliter credat.* Hinc & S. Conc. Trid. *sess.* 6. *de Justif. c.* 6. „notanter inculcat in justificatione nos „liberè moveri in Deum, credentes, vera „esse, quæ divinitùs revelata & promissa „sunt; atque illud inprimis, à Deo justifi„cari impium per gratiam ejus, per Redemp„tionem, quæ est in Christo JESU.

524. Hoc idem constat ex ritu Ecclesiæ, quæ neminem ad Baptismum recipit, quin priùs diligenter inquirat, an credat in DEUM patrem, in JESUM Christum ejus Filium, & in Spiritum Sanctum; item ex Symbolo S. Athanasii dicentis; *Fides autem Catholica hæc est, ut unum DEUM Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*: & statim subditur, eum, qui hoc non crediderit, non posse salvum esse. Plura Mastrius in *Theol. Mor. disp.* 10. *q.* 1. *art.* 1.

525. De necessitate verò medii quo ad credendum explicitè Mysterium SS. Trinitatis S. D. in 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. in *Corp.* sic discurrit: *Dicendum, quòd Mysterium Incarnationis explicitè credi non potest sine fide Trinitatis: quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius DEI carnem assumpserit, quòd per gratiam Spiritûs Sancti mundum renovaverit: & iterum, quòd de Spiritu Sancto conceptus fuerit: & ideò eodem modo quo Mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à majoribus, implicitè autem & quasi obumbratè à minoribus: ita etiam & Mysterium Trinitatis. Et ideò etiam post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum Mysterium Trinitatis: & omnes, qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis, secundùm illud* Matth. ult. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti.*

526. Arguis primò: Paulus nihil meminit, quòd oporteat credere in Christum, vel DEUM ut Trinum, sed in DEUM, *quia est, & inquirentibus se Remunerator est* ad *Hebr.* 11. Resp. D. Th. in 3. *dist.* 25. *q.* 2. *artic.* 2. *quæst.* 4. *ad* 1. Paulum ibi determinasse, quid explicitè ab omnibus credendum sit in omni statu; nec per hoc exclusisse, quòd pro statu legis gratiæ fides in Christum, ex Div. institutione, sit necessaria: in quantum DEO placuit, in lege nova pro dispositione ad justificationem (quæ dicitur prima salus) fidem explicitam in Christum exigere, in antiqua verò fidem implicitam.

527. Arguis secundò: In lege naturæ, præcedente legem Mosaicam nullum fuit præceptum, nisi naturale: Ergo tunc nemo obstringebatur, actum internum supernaturalem fidei elicere: ergo talis actus in illo statu non fuit de necessitate medii, quidquid enim est necessarium necessitate medii, multò magis est necessarium necessitate præcepti. Resp. neg. ant. Lex naturæ (inquit Soto in 4. *dist.* 1. *q.* 2. *art.* 3. non ideo dicebatur, quia nullum tunc esset præceptum supra naturale; sed quia nullum tale exterius scriptum, & determinatum continebat. Subjicit dein, quòd Deus præceptum Divinum, fidei, spei, & charitatis Adamo inspiraverit, à quo in alios Patres posteritatis Adamicæ vocali communicatione fuit derivatum, putà, in Seth, Enoch, Noë &c.

528. Arguis tertiò: Illud tenemur explicitè credere in Deo, quod est objectum beatitudinis sed objectum beatitudinis est bonitas summa, eáque intelligi potest absque Divina Personarum expressione, explicatione, & distinctione. Ergo ex-

explicitè credere tenemur solam summam bonitatem.

529. Resp. S. D. *quæst.* 2. *d. art.* 8. *ad* 3. equidem Summam Dei bonitatem secundùm modum, quo nunc intelligitur, absque Trinitate personarum intelligi posse: non tamen intelligi posse absque Trinitate Personarum, secundùm quod intelligitur in seipsa, & prout videtur à Beatis. Unde in forma potest negari minor: quia Deus ùt beatitudo nostra non solam Bonitatem importat, sed & essentiam, & attributa, & ipsas Divinas Personas: unde facilè argumentum in favorem nostræ Sententiæ in Adversarios retorqueri posset.

530. Arguis quartò: Reperire est multos gentiles, quibus nec Incarnatio Verbi divini nec Trinitas Personarum in una natura divina unquam prædicata fuit. His itaque aut sufficiet in unum Deum credere, & in Christum Redemptorem ad summum implicitè; similiter & in SS. Trinitatem; aut certè ad rogos infernales damnantur ob non exercitam fidem, quam habere non poterant.

531. Resp. ex S. Doct. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. *in Corp.* Tales infideles (qui vocantur negativè tales) non damnari ob non exercitam explicitam fidem in Christum & SS. Trinitatem; quia ipsorum infidelitas negativa non habet rationem peccati (nisi supponas, infideli Religionem Christianam suâ Sectâ probabiliorem videri, & tamen diligentiùs non inquirere &c.) sed magis pœnæ: quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Quod exponens August. dicit, Salvatorem loqui de illo peccato, quo non crediderunt in Christum.

532. Alii cum Laymanno dicunt, Deum facienti cum gratiæ divinæ auxilio, quod est in se, ulteriorem gratiam non denegare, adeóque nec fidei donum; denegare verò justè, si illo divino gratiæ auxilio non utatur &c.

533. Cæterùm nonnulli, etiam ex Thomistis, duo genera mediorum, quæ ad salutem sint necessaria, distinguunt: aliqua, quæ sint necessaria ex natura rei, ut gratia & charitas: & absque his neque per accidens quempiam justificari & salvari posse, nihil etiam juvante vel excusante ignorantiâ invincibili: alia, quæ sint necessaria necessitate medii solùm ex singulari institutione Dei, ùt Sacramentum Baptismi ad delendum originale, & Pœnitentiæ, ad expungendum peccatum personale: atque sine his in re habitis cum solo voto seu desiderio illorum interdum salutem obtineri posse: his ultimis mediis accensent necessitatem credendi Mysteria Incarnationis & Trinitatis, sic, ut per accidens quandóque aliquis justificari & salvari queat mediante fide terminata ad Deum ùt authorem & provisorem supernaturalem (etiam post promulgatum Evangelium) absque fide explicita Incarnationis & Trinitatis. Verùm ex dictis contrarium longè conformius est D. Thomæ, qui constanter tenet, facienti quod est in se, & non culpabiliter se gerenti, Deum modo extraordinario instructionis de prædictis mysteriis providere. Qua de re conferenda sunt, quæ sequentur in *Tr. de Grat. actuali.* quoad primum explicandi modum ibi allegandum ex Salmanticensibus: nam secundus, desumptus ex Cardin. de Aguirre, in Sententiam mox relatam de justificatione, & salvatione, quandóque per accidens eveniente (mediante fide in Deum ùt Auctorem & Provisorem supernaturalem) aliqualiter inclinare videtur.

534. Arguis quintò: Stante hac Sententiâ, muti & surdi simul à nativitate, etiamsi jam essent sacra Baptismali undâ abluti, vix possent salutem consequi, quàm enim difficulter ipsis inculcatur profundissimum Mysterium SS. Trinitatis? imò & alios homines, sensibus quidem utentes, non raro deprehendimus tam rudes, stupidos, & bardos, ut nullo labore præfatum mysterium (idem esto de Mysterio Incarnationis Dominicæ) eorum intellectui imprimi valeat. Estne autem credibile, Numen benignissimum, cum tot animarum periculo, explicitam illarum rerum cognitionem fidémque actualem de necessitate medii præcepisse?

535. Resp. primò, eandem fermè difficultatem circa tales homines sentiri, donec existentiam unius Dei, & Remuneratoris apprehendant: neque necesse est, ut prænominata mysteria tam quoad *modum*, quàm quoad substantiam apprehendant, sed sufficit, eos quodammodo substantiam capere, & credere. Resp. secundò: si ejusmodi vel sensuum defectu vel ingenii duritia, ac barbarie laborantes omnino nihil capere possint, eos æquiparari amentibus & infantibus; igitur & horum instar cum solo fidei habitu in Baptismi collatione Divinitùs cum gratia infuso salvari. Mezger *cit. disput.* 19. *art.* 2. *in fin.*

536. Cæterùm sciendum est, hanc Propositionem: ***Non nisi fides unius DEI necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita remuneratoris***, ab Innocent. XI. damnatam & confixam fuisse, de qua vid. Carden. in *Crisi dissert.* 15. *cap.* 1.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA.

## *Quænam post promulgatum Evangelium sola necessitate præcepti credenda sint?*

537. ASsertio: Quilibet adultus seu rationis compos, ex necessitate præcepti fide explicita saltem quoad substantiam credere tenetur omnes Articulos in Symbolo Apostolorum contentos. Ita utraque Theologia Salisburgensis cum communi: Ratio colligitur tum ex praxi Ecclesiæ, ad baptismi receptionem nullum adultum, rationis compotem, admittentis, qui non antea articulos prædictos profiteatur; tum ex eo, quòd Christianus summa & præcipua fidei suæ capita ac fundamenta ex officio & statu proprio scire, & credere teneatur. Quia tamen vel ex defectu instructorum, vel ex ingeniorum ruditate aliqui Christiani Symboli Apostolici Articulos invincibiliter ignorare possunt, illorúmque omnium notitia & fides de necessitate medii non requiritur, tales & à culpa excusari, & nihilominùs salvari posse (dummodò de necessitate medii credenda credant) haud improbabile censemus cum Laym. hic *cap. 9. num.* 3. Bassævus V. *fides. §.* 1. *num.* 14.

538. Ultra articulos in Symbolo expressos quasi per accidens, & ratione vitæ honestè instituendæ, ac salutis consequendæ, tum noscere tum credere nos oportet alia plura mysteria, maximè quoad Sacramenta, saltem quoad ea, quæ ad substantiam pertinent, v. g. quòd Baptismus peccatum originale deleat, & baptizatum per gratiam originalem spiritualiter regeneret; Pœnitentia peccata personalia remittat, & pœnitentem per gratiam sanctificantem justificet: Eucharistia, destructo pane & vino, sub speciebus verum totúmque Christum contineat &c. Reliqua Sacramenta illi saltem quoad substantiam nôsse obstringuntur, qui ea suscipiunt. Bassæus *cit. §.* 1. *n.* 10. Addunt & illum articulum, quòd anima nostra sit immortalis, libero arbitrio prædita, æternæque Beatitudinis capax. Babenstub. in *Theol. Mor. de Præcept. Decal. tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 1. *n.* 10.

539. Præterea Christiani scire vel addiscere tenentur Præcepta Decalogi, & præcepta Ecclesiæ iterum saltem secundùm substantiam; item orationem Dominicam. Scire autem quoad substantiam importat, quòd aliquis voces seu terminos simpliciter, quid significent, cognoscat, & desuper interrogatus aptè respondeat, quamvis id quodammodò confusè & generatim fiat, e. gr. si interrogetur, quid significet Trinitas in Deo? respondere sciat, quòd sint tres Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus autem Deus quoad naturam, ùt explicant Filliuc. hic *cap.* 2. & Clariss. P. Babenstub. *loc. cit. art.* 1. *§.* 3. *n.* 21. ubi posterior etiam tractat, qualis sit obligatio similia addiscendi, cum Filliuccio & Laymanno Parochos culpæ mortalis redarguit, si curæ suæ commissos doctrinâ ad salutem necessariâ imbuere negligant.

540. Neque Parochi, & Prælati Ecclesiæ sufficienti & proportionatâ scientiâ in rebus fidei instructi sunt, & in conscientia securi, si eas solùm quoad *substantiam* intelligant, sed requiritur, ut & quoad *modum* illos non lateant, quatenus non tantùm debitam illarum rerum declarationem suis subditis reddere, verùm easdem etiam contra fidei orthodoxæ adversarios defendere sciant. Laym. *cit. cap.* 9. *num.* 3. Mezger hic *disp.* 18. *art.* 2. *n.* 16. Quod eleganter dilucidat D. Tho. 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. *Revelatio Divina*, inquit, *ordine quodam ad inferiores pervenit per Superiores, sicut ad homines per Angelos: & ad inferiores Angelos per superiores. Pari ratione explicatio fidei oportet, quòd perveniat ad inferiores homines per majores: & ideò sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus Divinis, quam inferiores; ita etiam superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.*

# QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA.

## *Quo tempore præceptum eliciendi actum fidei obliget?*

541. ASsert. prima, loquendo de obligatione directa, quilibet adultus, tam non baptizatus, quàm baptizatus, postquàm mysteria fidei sufficienter ei fuerunt proposita, & cognita, absque longiori mora directè ac per se actum fidei elicere tenetur. Laym. *de fid. c.* 10. cum Valent. Azor Sanch. & Clariss. P. Babenstuber *d. disp.* 1. *art.* 1. *n.* 34. cum Redingo nostro, Card. de Lugo, & communi. Hanc obligationem fundant in debito reverentiæ, quæ Divinæ auctoritati sufficienter cognitæ exhibenda est: item in

eo: quia (ut loquitur Laymannus) jure naturali ac Divino ad statum officiúmque viatoris pertinet, attendere, dum in via est, ut ad propositum sibi finem tendat, atque ab illo non aberret. Id autem præstare non potest, nisi finem suum, qui Deus est, ac beatitudo, & quæ ad hunc finem consequendum necessaria ipsi proponuntur, cognoscat, & firmiter credat: Ergo &c. Porrò illa sufficiens mysteriorum fidei propositio tunc adesse censetur, quando argumenta, notæ, signa, & motiva tanti ponderis tantæque credibilitatis fuerunt alicui repræsentata, ut aliquem secundùm regulas prudentiæ ad fidem acceptandam, seu ad assentiendum illis mysteriis, meritò movere debeant. Layman. *d. cap.* 10. *n.* 3.

542. Assert. secunda: certum est, nos indirectè, & velut per accidens ad eliciendum actum fidei sæpiùs in vita teneri, toties nempe, quoties aliquod præceptum implendum est, ad quod concurrere debet actus fidei. Ita Babenstub. *loc. cit. n.* 31. cum Card. de Lugo & P. Sporer *tr.* 2. *de Præcept. Decal. cap.* 2. *n.* 20. Et ratio est, quòd actus fidei in illis circumstantiis habeat se ùt medium implendi præceptum, ùt e. gr. dum elicienda est contritio vel attritio in Sacramento Pœnitentiæ ad recuperandum statum gratiæ; dum instat obligatio eliciendi actum fidei, spei, charitatis &c.

543. Gravis autem difficultas superanda restat, an post semel *directè* elicitum actum fidei circa mysteria præcipua, sæpiùs in vita alios directè elicere teneamur? Affirmativa videtur colligi ex propositione decima septima ab Innoc. XI. proscriptâ, quæ sic sonat: *satis est semel in vita actum fidei elicere*: ubi tamen Doctores omnino inter se dissident, quando, vel quoties in vita exercitium illud necessarium sit. R. P. Jacob. de Corrella Capucinus in Expositione *cit.* propositionis Innocentianæ, præceptum fidei eliciendæ per se quôlibet annô semel obligare existimat; nullam tamen hujus obligationis assignat rationem, sed solùm se reflectit ad propositionem quintam ab eodem Innoc. XI. damnatam, quæ asserebat: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM*: ad quam propositionem P. Corrella commentando sentit, & decidit, præceptum ad eliciendum actum amoris erga Deum singulis annis semel obligare, quemadmodùm etiam præceptum Confessionis: attamen neque hìc ullam rationem affert, sed in *Propositione decima septima* superiùs à nobis adductâ, ab actu dilectionis Dei ad actum fidei argumentum format.

544. Econtrà Trullench. apud Sbogar ad *cit. propos.* 17. *cap.* 3. expresè negat, obligationem actum fidei eliciendi in singulos annos cadere. Scotus autem in 3. *dist.* 27. *quæst. unic.* ab eod. Sbogar relatus, obligationem hanc in singulos dies festivos multiplicat: Arriaga eam ad articulum mortis restringit: Hurtadus ad tempus, quo quis tentatur circa fidem. Demum ipse Sbogar nullum certum tempus assignat, sed id saltem affirmat, actus fidei supernaturales longo tempore non esse differendos: Paritatem rationis locô desumit à cibo pro vita corporali necessariô ad cibum spiritualem pro vita spirituali: quàm parum enim vita corporalis absque cibo corporali diu subsistere valet, tam parum vita spiritualis absque cibo spirituali: sed cibus iste spiritualis est fides supernaturalis, juxta illud Apostoli ad *Roman.* 1. *Justus ex fide vivit.* Igitur *frequenter* tenemur nos in actibus fidei exercere, quod etiam docet & prolixè illustrat P. Cardenas in Crisi Theolog. ad sæpè *cit. Propos.* 17. *artic.* 2. Quibus ego lubens accedo, quamvis Clariss. P. Babenstub. *cit disp.* 1. *de Præc. Decal. art.* 1. §. 4. *n.* 39. sequentem contrariam conclusionem ponat: „ Post elicitum semel assensum fidei (tempore nimirum quô sufficienter alicui fuere proposita Mysteria fidei) hoc præceptum fidei probabiliùs per se & directè non ampliùs obligat. Ita Tambur. & Card. de Lugo, quem refert & sequitur Patrit. Sporer, qui testatur, ita communiter docere Theologos Recentiores. Sic ille.

545. Quas verò circumstantias, in quibus fidem exerceri oportere contendunt alii Doctores, & actibus fidei directè ac per se eliciendis destinant, ille Clarissimus Vir ad obligationem solùm indirectam, & quæ nascitur ex accidenti ratione scil. Actuum per alias virtutes exercendorum, refert. Et quando ipsi objicis, saltem eô tempore, quo aliquem tentatio contra ipsam virtutem fidei pulsat, actum fidei elici debere: replicat idem, neque hoc tempore, quamvis passim assignetur, obligationem illam urgere *per se*. Et inprimìs ait, casum moraliter loquendo vix contingere, ut, nisi quis assensum fidei eliciat, in proximo periculo succumbendi existat. Cùm in ejusmodi tentationibus periculum succumbendi multò expeditiùs evitari soleat, mentem alio obfirmatè divertendo, quàm per actus contrarios positivè colluctando, experientiâ docente, tentationes inde irritari potiùs atque intendi, quàm supprimi, præsertim in scrupulosis. Deinde, dato etiam casu, inquit, præceptum affirmativum eliciendi tunc assensum fidei obligare solùm per accidens, & indirectè ratione præcepti negativi de fide non abneganda: contra hoc proinde, non contra illud, peccabit tentatus, si in eo periculo non eliciat actum fidei. De aliis temporibus nulla est difficultas.

546. Quòd isthæc posterior sententia, cui etiam favet Castropalao in *tr. de fide, disp.* 1. *Punct.* 12. *n.* 6. & Thomas Tamburin. in *Decalog. l.* 2. *cap.* 1. §. 1. non impingat in supra relatam propositionem decimam septi-

mam ab Innoc. XI. confixam, absolutè propugnat Cardenas *loc. cit. cap. 2. art. 1.* sic loquens: Certum est, in hac propositione, & damnatione ejus, non fieri mentionem præcepti per se fidei: & consequenter vi censuræ istius decimæ septimæ propositionis non tenemur asserere, quòd vigore præcepti fidei teneamur repetere actum fidei; sed solùm, quòd illum teneamur repetere, sive ex præcepto fidei, sive ex præcepto aliarum virtutum postulantium, ut præcedat actus fidei. Si autem simul assereretur, nunquam teneri ad eliciendũ actum fidei, damnata maneret ea propositio ex Censura propositionis decimæ sextæ scil. ab Innoc. XI. damnatæ, quæ dicebat: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.* Sic Cardenas. Sed posteà nihilominùs amplectitur sententiam contrariam, asserendo, per præceptum fidei fideles obligari ad *frequenter* eliciendos actus fidei, ita, ut si diuturno tempore ab illis eliciendis cessaverint, peccent mortaliter. Et ab hac eadem sententia, utpote magis tutâ nec ego, ùt suprà in *n.* 544. jam mentem meam aperui, recessum facio. Hæc de obligatione, eliciendi actum fidei.

# QUÆSTIO VIGESIMA NONA.

## *Quibùs actibùs præceptum fidei impleatur.*

547. Assertio: Suppositô, quòd quis jam elicuerit actum fidei circa mysteria credenda, de necessitate medii (de quibus suprà) potest quis præceptum fidei variè adimplere, ut puta, non solùm credendo Deum unum & Trinum, sed etiam credendo v. g. septem Sacramenta, aut conjunctim, aut singulatim accepta, Passionem Christi &c. vel dum recitat Symbolum Apostolicum, in eòque contenta credit &c. Sbogar *Theol. Radic. de fid. cap.* 3. *num.* 32. Insuper sibi persuasum habet ibidem, quòd quivis fidelis saltem semel in hebdomade v. gr. unum Pater & Ave recitet, signô Crucis se signet, pronuntiando in *Nomine Patris &c.* vel Deo aut Sanctorum patrocinio se commendet, vel Sac. Evcharistiam adoret, aliàve similia pia exerceat: In quibus omnibus exercitiis actus supernaturales fidei intervenire censet. Quòd autem similes actus etiam ex motivo revelationis procedant, notat Sbogar, actus supernaturales fidei duplices esse, formales, & virtuales: formales vocat, quando alicui mysterio v. gr. quòd secunda persona Divina naturam humanam assumpserit, assentimur cum reflexione supra revelationem, sive, quia revelatum est: Virtuales actus fidei esse dicit, quando mihi talia objecta aliâ vice proponuntur, v. g. quòd secunda Persona Divina humanam naturam assumpserit, idque illico credo absque ulla reflexione ad revelationem DEI: nam ille primus actus reflexivus supra revelationem Incarnationis à Deo factam generavit in intellectu firmam credulitatem, quòd facta sit Incarnatio; quæ credulitas est ipse formalis actus fidei supernaturalis: cùm verò non veniat semper in memoriam objectum seu motivum formale, propter quod credimus, id est, ipsa revelatio Dei, sed aliquando solummodo venit in memoriam objectum materiale, quod credimus, id est, ipsa Incarnatio secundæ Personæ &c. Hinc fit, quòd talis actus fidei sit tantùm virtualis, quatenus radicaliter procedit à memoria notitiæ per fidem formalem comparatæ, & à cognitione prioris actûs formalis fidei aliquando eliciti ex vi revelationis Dei: atque ita etiam sentire Card. de Lugo hìc *disp.* 13. *sect.* 2. *num.* 51. & alios, idque Sbogar quotidianâ experientiâ constare observat, cùm fideles sine reflexione ad revelationem Dei actus firmissimos fidei multoties elicere soleant; quæ firmitas non aliunde, quam ex credulitate revelationis Divinæ aliquando cognitæ, provenit, quamvis hic & nunc talis revelatio non occurrat: quare actus illi fidei non formales, sed virtuales appellari debebunt.

548. Movet deinde Sbogar quæstionem, quid judicandum sit, si pœnitens aliquis se accuset, quòd mysteria fidei nunquam crediderit propter revelationem, sed, quia dogmata illa vel à Pædagogis, vel à Parochis, vel à parentibus fuerunt ita proposita, & inculcata. Respondet autem, hujusmodi assensus fuisse purè naturales, si præcisè assertioni hominum sic instruentium innixi fuerint; quia tamen accedere solet inspiratio Spiritûs Sancti ad credendum movens, & illustratio supernaturalis intellectum puerorum de rebus fidei illuminans, hinc infert, quòd ea fides tunc cesset esse purè naturalis & humana, & efficiatur supernaturalis ac Divina. Hoc innuere videntur verba S. Th. in 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 1. ubi dicit, quòd fideles mysteria cognoscant, in *quantum per lumen fidei ea vident esse credenda.*

549. Tria alia notabilia subjungo: primum ex Sbogar *loc. cit. de fid. cap.* 6. ubi tradit, in pueris & rudibus non requiri evidentiam credibilitatis ex vi argumentorum convincentium, ad hoc, ut actum fidei eliciant, sed sufficere, quòd Mysteriis propositis à Patre, Matre, Parocho &c. firmiter, & absque titubatione seu formidine adhæreant, talem defectum evidentiæ credibilitatis supplente illustratione Spiritûs Sancti per lumen quod-

quoddam (ùt mox dictum est) intellectui communicatum, vi cujus objectis revelatis cum tanta firmitate assensum præbent, ut mallent mori, quàm à fide illa deficere. Hujus Assertionis defensorem allegat ibi etiam P. Cardenam in *Crif. Theol. ad propos.* 21. ab Innoc. XI. damnatam.

550. Secundum suggerit Clariss. P. Babenstuber in *Theol. Moral. de Præc. Decal. disp.* 1. *art.* 1. *n.* 36. notans de pueris baptizatis, ac inter fideles enutritis, quòd equidem post sufficiens rationis diluculum acquisitum mox teneantur assensum fidei elicere, si hunc ùt necessarium apprehendant; in praxi tamen vix contingat, ut peccent, talem assensum non eliciendo: ex ea ratione: quia ipsis hæc obligatio vix unquam in mentem venit. Idem affirmat Thom. Tambur. in *Decal. l.* 1. *cap.* 1. *num.* 8. ex Sanchez, dicitque, hac in re in Confessionali cum pueris scrupulosè non esse agendum.

551. Tertium desumo ex *eod.* P. Babenstuber *ibid. num.* 40. ubi cum Reding, & P. Sporer docet, haud esse necessarium, ut vel Confessarius ex pœnitente quærat, vel ipse pœnitens se examinet, utrùm præceptum de interno actu fidei eliciendo impleverit: quia moraliter non contingit, ut homo Christianus, qui fidem Catholicam semel toto corde amplexus est, ac in ea habitualiter & sine hæsitatione perseverat, actus fidei non sæpiùs repetat, tum per se, tum per accidens, v. g. orandô, Missas audiendô &c. Hactenus de actu interno fidei.

# QUÆSTIO TRIGESIMA.

## *An Sectarius Catholicam Religionem judicans probabiliorem possit persistere in sua, quam judicat solùm probabilem?*

552. Affirmativam olim sustinuit Joan. Sanch. relatus à Domin. Viva in *Propos.* 4. damnata ab Innoc. XI. *num.* 1. nitebàturque illis principiis, quibus communior Sententia utitur de licito usu opinionis minùs probabilis in conspectu & conflictu Sententiæ oppositæ probabilioris. Nam primò: non apparet sufficiens discriminis fundamentum, cur in cæteris humanis actionibus usus Sententiæ minùs probabilis sit licitus, propterea, quòd tunc quis agat prudenter, adeòque licitè, & non idem asseratur de usu alicujus Sectæ, licèt minorem, attamen veræ probabilitatis speciem præseferentis. Secundò: quia ex contraria decisione sequeretur illud absurdum, quòd etiam bonus Catholicus Catholicam deberet deserere fidem, quando Secta alia v. g. Lutherana eidem inciperet videri probabilior nostrâ Religione Catholicâ: Et rursus nova variatione opus foret, si novo illi Lutherano alia Secta v. gr. Calviniana, fortiora probabilitatis argumenta habere videretur: ad hoc igitur absurdum declinandum, satiùs erit dicere, quemlibet tamdiu in sua Secta stare posse, quamdiu ea ipsi apparet verè probabilis, esto altera quæcunque appareat esse probabilior. Tertiò: quia Mysteria fidei sunt adeò sublimia, ut non quælibet major probabilitas censeri debeat tantarum esse virium, ut aliquem ad credendum obstringat: maximè, quòd ipse quoque D. Thomas in 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. ad obligationem credendi non præcisè majorem probabilitatem, sed evidentiam credibilitatis desideret. His tamen nihil moventibus,

553. Assertio nostra adhæret decisioni negativæ, statuitque, infidelem (idem proportionaliter tene de hæretico) in dicta hypothesi in sua secta licitè perseverare non posse. Ita P. Viva *loc. cit.* ad proposit. quart. ab Innoc. XI. damnatam: Cardenas & Corrella ibidem &c.

554. Probatur statuta assertio primò ex damnatione *cit.* propositionis quartæ, quæ sic asserebat: *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili*: quæ propositio juxta expositionem P. Vivæ id volebat, „ quòd infidelis non teneatur Religionem suam falsam relinquere, & fidem amplecti Catholicam, si probabile sit, suam Religionem esse veram, esto probabilius esset, quòd esset falsa. Ostenditur secundò hac ratione. Non licet sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori, quando evitatio periculi vel damni non dependet ab opinionis probabilitate, ex qua secta quædam alicui videtur vera. Atqui in materia versante circa mysteria fidei evitatio periculi, & damni, hoc est peccati, erroris, & æternæ damnationis, non pendet ab opinionis probabilitate, qualiter juxta probabilistas dependet in quæstionibus solam actionis humanæ honestatem concernentibus: quemadmodùm nec valor Sacramentorum, nec medicinæ rectitudo à ministri, vel Medici opinione probabili dependet, sed à rebus à parte rei positis & adhibitis: Si enim infidelis, vel hæreticus, negligens vel contemnens amplecti Religionem Catholicam longè verosimiliorem sibi visam, vera mysteria veræ Religionis ex motivo Divinæ revelationis reverà non attingat, sed solùm erroneè ac putativè, nequit verum ac supernaturalem fidei assensum, qui ad justificationem & salutem (cùm impossibile sit, sine fide DEO placere) consequendam idoneus sit, elicere, sed purè naturalem. Nequetalis

lis culpâ vacat, vel ignorantiæ invincibilis prætextu coram DEO excusatur, qui sequendo opinionem minùs tutam, minùsque probabilem, periculum erroris, in quantum poterat, vitare, & ad veritatem propiùs accedere noluit. Ex his jam manifesta est

555. Responsio, & discriminis ratio danda ad primum argumentum contrarium, quòd nempe in materiis, in quibus agitur solùm de honestate actionis, periculum formale peccati, & damni spiritualis ex bona fide, & animi DEUM nolentis offendere sincero affectu, nec non ex motivo gravi ad judicium prudentiale concurrente evitetur: secus est in rebus fidei & Sacramentorum. Sanè, si quis crederet DEUM trinum quoad naturam, adeoque tres Deos, ductus rationibus quibuscunque apparenter probabilibus, cum tali fide salutem minimè consequeretur: nemo enim extra veram Catholicæ Ecclesiæ fidem salvari potest, ùt dicitur in professione fidei à Tridentino Concilio præscripta: item in *cap. firmiter. de SS. Trin. & fid. Cath.* & in *Extrav. unam Sanctam.* 1. *de Maj. & obed.* Adde ex P. Viva, opinionem minùs probabilem infidelis de sua secta in concursu probabilioris de Religione Catholica non esse probabilem practicè, sed ad summum speculativè.

556. Ad secundum nego sequelam, & suppositum, quòd Catholico doctrina v. g. Lutherana aut alia possit apparere probabilior: hoc enim impedit evidentia credibilitatis, quam ex tot manifestis signis, notisque de veritate Ecclesiæ Romano-Catholicæ habet, aut habere potest, dummodò se reflectere velit. Nec mihi persuadebis, quòd vel ipse Martinus Lutherus, vel alii, qui ad novam sectam defecerunt, ex majori hujus probabilitate illuc abducti fuerint, sed potiùs id factum ex quadam passione, superba obstinatione, & obcœcatione à DEO ex justo judicio permissâ. Si urgeas, infidelibus saltem posse ignota esse motiva illa, quæ fidei orthodoxæ evidentiam credibilitatis conciliant. Respondet P. Viva, infidelem, v. gr. Judæum, Turcam &c. de sua secta non posse inculpabiliter veram habere probabilitatem, dum Christianam Religionem ex opposito censet esse verosimiliorem. Tenetur siquidem de veritate Religionis probabilioris diligenter indagare, ac verum Deum orare, qui, ùt dicitur Joan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, & paratus est semper lumine fidei supernæ subobscuro evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei Christiano - Catholicæ ostendere, unde probabilitas falsæ sectæ evanescat. Ex quo constat responsio quoque ad tertium argumentum. Plura noscere volens confer P. Viva & P. Cardenam ad *cit. 4. propos.* ab Innoc. XI. damnatam. & P. Laymannum *de fid. cap.* 10. circa finem.

# QUÆSTIO TRIGESIMA PRIMA.

## *Quando obliget præceptum fidem exteriùs profitendi?*

557. ASsert. obligat, dum externam professionem exigit vel honor Dei, vel salus proximi, vel propria. S. Th. hic *qu.* 3. *artic.* 2. rationem nectit Tambur. *loc. cit. d. cap.* 1. §. 2. quòd in dictis circumstantiis in obligationem veniant etiam aliarum virtutum actus quatenùs sunt necessarii ad finem charitatis erga Deum, proximum, vel seipsum. Quando verò nec prædicta necessitas, vel specialis utilitas suadet, sed potiùs professio fidei exterior perturbationem esset causatura, tunc pro mensura perturbationis censebitur quis peccâsse venialiter vel mortaliter. Tambur. *loc. cit.* cum Laym. *cap.* 11. *n.* 2.

558. Assert. secunda: Interrogatus de sua religione ab homine gerente personam publicam Magistratûs, Judicis aut Superioris, tenetur suam fidem manifestare: secus, si à privato sit interrogatus. Ita communis, speciatim Tamburin. Laym. Sbogar ad *propos.* 18. ab Innoc. XI. proscriptam, quæ sic sonabat: *si potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno:* quam ultimam propositionis partem, teste eodem Sbogar Hæretici Elisaitæ propugnabant: & vide ibi casus quosdam per accidens quodammodo à confessione fidei aperta excusabiles. Ideò verò interrogatus à publica potestate nequit dissimulare, aut reticere suam Cathol. Religionem, quia Deo inde subtraheretur debitus honor, & beneplacito altissimi contraveniretur, dicente Servatore apud Matth. cap. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Cæterùm fidem vel verbô vel factô coram nemine sine gravi peccato exteriùs negari posse, etiamsi in animo actum internum exteriori non conformet, apud omnes in confesso est: præceptum siquidem fidei, *fidem non abneges*, in hoc sensu est negativum, semper & pro semper actum fidei contrarium prohibens.

559. Obiter autem hìc noto ex Laymanno & aliis, cum solummodo propriè hæreticum esse, & per infidelitatis actum fidem internam amittere, qui aliquid fidei contrarium ex animo & deliberatè tenet, vel asserit:

rit: alium verò, qui solùm ore, & simulatè fidem negat, hæreticum vel Apostatam non esse, quamvis contra veritatem gravissimum mendacium committat.

560. Porrò *simulare* fidem falsam & alienam, ex eadem ratione nunquam licet, quia mendacium involvit juxta D. Th. in 2. 2. *q.* 3. *art.* 2. dissimulare autem, hoc est, nec negare fidem, nec affirmare, est se præcisivè habere; potéstque à peccato persæpè excusari, nisi, ùt diximus, vel quis à potestate publica interrogetur, vel aliud malum, v. gr. scandalum exinde secuturum prævideatur.

561. Quid si Petrus à Judice hæretico interrogetur, utrùm ipse sit Sacerdos, vel, an in quadragesima abstineat à carnium esu? Tenetúrne fateri, se esse Sacerdotem, servare jejunium &c. Dicendum, quòd sic interrogatus non obligetur fateri, se esse Sacerdotem, sed possit silere, vel responsum intricare seu eludere: multi enim sunt Catholici, qui non sunt Sacerdotes, nec jejunant in quadragesima: igitur Petrus tunc non censetur interrogari circa fidem, sed circa statum. Clericatus *Erotematum Ecclesiast. cap.* 3. *de fid. n.* 8. Si verò Petrus interrogaretur, an sit Papista? tunc non poterit hoc vel negare, vel præcisè silere: idem siquidem est, ac si interrogaretur, an sit Catholicus. Clericat. cum Tamburino *loc. cit.* Sed cur, instas, Christianus tenetur fidem fateri, dum interrogatur à Magistratu, & non pariter, dum interrogatur à privato? Nunquid confessio fidei in utroque casu ad singularem Dei gloriam conducit? Respondet Martinus Becani in *Controvers. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. in Magistratu residere jus interrogandi, in privato nullam esse hujusmodi potestatem: de cætero non semper ex præcepto tenemur omnia ea facere, quæ cedunt in gloriam Dei; alioquin tenerentur v. g. omnes Sacerdotes, quotidie sacrificare, Laici quotidie Sacramenta percipere &c.

# QUÆSTIO TRIGESIMA SECUNDA.

## *Liceátne Christianis uti vestibùs, aut aliis notis seu signis infidelium?*

562. ASsertio distinguit. Usus vestium, quæ ad publicam apud infideles professionem suæ falsæ Religionis ordinantur, Christianis non est licitus; etsi cæteroquin subesset periculum vitæ: benè verò usus aliunde intra certam Religionem, vel Nationem receptus. Clericatus *dict. cap.* 3. *n.* 13. cum Tambur. & Card. de Lauræa &c. Contrariam sententiam, quòd usus ejusmodi vestium Christianis absolutè sit licitus, sustinet Layman *de fid. cap.* 11. *n.* 4. ùt probabiliorem: quia vestes illæ, ait, non sunt signa falsæ Religionis protestativa: alioquin peccarent Judæi, dum Romæ signum flavum in pileo gestant; imò & Magistratus Catholicus peccaturus esset, eos ad tale signum gestandum compellens. Verùm contra est, quòd, licèt vestes de se sint res indifferentes, possint nihilominùs ex libera voluntate vel ipsorum Infidelium, vel Magistratuum Catholicorum introduci, ut sint signa exteriora distinctiva alicujus falsæ Religionis, v. gr. Judaicæ, quibùs infideles illi à fidelibus discernantur: Neque Magistratus Catholicus Judæos v. gr. ad talia signa gestanda compellens peccati arguendus est; cùm signa illa gestari præcipiat, non ùt sunt protestativa falsæ Religionis, sed ùt sunt distinctiva hominum falsæ Religioni addictorum ab hominibus sub vera orthodoxa Religione militantibus.

563. Nec urget argumentum Laymanni, formatum à pari de Sacerdotibus vel Religiosis, qui iter per terras hæreticorum facientes, vestibùs Laicorum uti solent, non utique eâ intentione, ut se Laicos simulent (id enim mendacium foret) sed ùt statum Sacerdotii vel Ordinis Regularis celent seu dissimulent, utpote non obligati, ut statum suum prodant: non, inquam, urget hoc argumentū: cùm enim, uti paulò superiùs advertimus, interrogatus, utrùm sit Sacerdos, quæstionem eludere valeat; quia non versatur circa fidem, sed circa statum; multò magìs, ob evitandum grave periculum, habitum & tonsuram Sacerdotis à non Sacerdote distinctiva mutare licebit; præsertim quòd obligatio habitum & tonsuram gestandi sit ex præcepto merè humano affirmativo, in multis casibus non obligante: at verò, quando certus usus vestium sive ad profitendam sive etiam ad cognoscendam & distinguendam Religionem certorum infidelium, vel hæreticorum ordinatus atque introductus est, ille usus vestium non denotat præcisè certum statum, sed peculiarem falsámque Religionem, cui certum genus hominum adscriptus est: quo casu præceptum negativum Divino-naturale de nunquam, sive verbo, sive facto, sive alio signo neganda fide, dubio procul conformitatem in tali signo, veste, pileo &c. omnibus prohibet. Si Turcarum Imperator, vel alius ejus jussu, ex me quæreret, quam Religionem profitear, non liceret mihi Mahumetanam Sectam vel verbo, vel actione, vel ritu Mahumetanis proprio

profiteri: Ergo nec licitum erit, Sectam illam profiteri signô vestis, per Turcarum Imperatorem ad eam profitendam vel cognoscendam institutô: ita quoque sentit Card. Cajetanus in 2: 2. *quæst.* 3. *artic.* 3. cujus quidem Sententiam infirmare conatur Azorius *Inst. Moral. lib.* 8. *quæst.* 1. argumentando à licito usu liguæ v. gr. Turcicæ, si Christiani per Turciam proficiscantur: sed quis non videt, linguæ usum non ad fidem ordinari, sed ad commercium nationis?

546. Ad Quæstionem, an Catholico v. g. die Veneris liceat cum Acatholicis vesci carnibûs, ut hac ratione fidem Catholicam dissimulet, propter damnum grave, vel periculum vitæ non dissimulanti imminens, avertendum? Affirmativam tenet Sanchez apud Layman hic *cap.* 11. *num.* 5. eò quòd talis nec delinquat contra legem Ecclesiasticam jejunii; quippe quæ cum tam gravi incommodo obligare non solet; nec contra legem Divinam, prohibentem, ne fides negetur: quia carnium esus secundùm se non est nota hæresis, nec jejunium eo fine institutum est, ut ex ejus observantia Catholicus à non Catholico discernatur. Huic Sententiæ accedo sub illa limitatione, dummodo aliunde esus ille carnium non paretur ad confitendam, vel negandam fidem. Unde excusari possunt famuli & ancillæ, existentes in Germania in servitiis Acatholicorum, quando diebus jejunii ipsis aliud non apponitur, & tunc comedunt carnes; carnes enim ipsis ordinariè non censentur apponi eo fine, ut tentetur eorum fides &c. qua de re aliqua scripsi in *Lib. III. Decret.* ad *tit. de observ. jejunii &c.* & de Acatholicis Romani Imperii plura videri possunt in meo *Lib. V. Decretal. ad tit. de Hæretic.*

565. De obligatis ad Professionem fidei quam Ecclesia certis personis præscribit, deponendam, aliqua prælibavi in *Lib. I. Decretal.* ad *tit.* 1. *de Summa Trinitat. & Fide Catholica.*

# QUÆSTIO TRIGESIMA TERTIA.

## *Sintne Apostatæ, seu Desertores veræ fidei Christianæ tolerandi?*

566. HEterodoxi liberalissimi sunt in concedenda fidei libertate. Ob oculos mihi non ita pridem venit Dissertatio cujusdam Juris-Consulti Noviomagensis, Gerardi Noodt, quam inscripsit *de Religione ab Imperio Iure Gentium liberâ*, & in Academia Lugduno-Batava Anno 1706. peroravit. Censeo, inquit, Religionem unicuique nostrûm Dei munere concedi; ab ejúsque motu atque instinctu pendere; cæterùm liberam esse, & extra Imperium positam; adeò neminem invitum aut ignorantem alicui Sectæ adjungi; nec magis, ut in eam intret, aut in ea maneat, eique, cui adhæret, in omnibus & per omnia consentiat, armis vel legibûs cogi posse humano jure. Naturam si spectemus, quid æquius aut justius, quàm ut suam quisque rem suô agat arbitriô? An quis nescit, omnes homines statim, ac nati sunt, ita sibi commendari, ut, velint nolint, sua sequantur commoda, & mala declinent. . . . . An non quotidianis discitis experimentis, quàm parum, imò quàm nihil per vos stet, quid animô volvatis vestrô? Dicite si potestis, licet; an quis cogitationes, quas velit aut optet, inveniat sibi? An quis eas suo formet arbitrio? Nónne incidunt unicuique continuò & invito & ignoranti? Et, si exciderint, an revocari à fuga ullius diligentiâ aut arte possunt? Quod quò pertinere arbitramur, nisi ut intelligamus, neminem natum hominem, qualiscunque dignitatis, loci aut fortunæ sit, mentis non dicam alienæ, sed suæ potestatem habere? Verum unum ejus Rectorem, Dominum, atque arbitrum esse immortalem DEUM, illum hanc jure suo fingere, ac formare ceræ more: nec quid ulli, præter obsequium relinquere reliquum. . . Natura, ut suo quisque uteretur judicio, ratione omnes instruxit. Nec tam proximum quid est æquitati, quàm quemque, quæ sibi vindicat, ea aliis non abjudicare. Fecit enim natura pares, quibus easdem dedit facultates; nec posuit alterum alterius utilitati Judicem, quæ alterum alteri nullum prætulit. Quare si tu vis de tua salute tuô uti judiciô, jus est: dum mihi liceat, de mea, quod mihi videtur, statuere: aut si tu vis de mea sedere Judex, nónne ego vicissim de tua tabelam dimittam? Sed huc delabimur, ut in rebus Divinis homo ab homine liber sit; altérque alterum, si erret, comiter monere, & benignitate amicæ suasionis revocare in viam possit, relicta illi libertate faciendi; quod ex ejus usu sit; cæterùm invito Religionem exprimere armis pœnisque nequeat: quia hominem homini prodesse, fas est naturæ lege; officere ac nocere flagitium est. Hæc & plura allegatus Jurisconsultus: an plus paganicè & ethnicè, quàm Christianè, vir bonus facilè dijudicabit.

567 Assertio: Veræ & Christiano-Catholicæ fidei desertores non sunt tolerandi. Procedit hæc assertio, spectato jure Divino,

&

& humano tum Ecclesiastico, tum Civili: præscindendo à transactionibus, & publicis pactionibus in Romano Imperio, post Martini Lutheri multiplicatam gentem, auctam que in suis adhærentibus potentiam, inter dissidentes partes initis, Catholicos prementе necessitate, & terrente majoris mali imminentis tetra imagine.

568. Ostenditur primò ex Sacra Scriptura *Deut.* 13. Ubi DEUS illos, qui personam falsi Prophetæ assumpserunt, quique populum à vero DEI cultu averterunt, interfici gravissimè præcepit, juncto *cap.* 18. & *cap. antecedente* 17. Moyses dixit: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat* Domino DEO *tuo, & decreto Judicis; morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Extant quoquo exempla 3. *Reg.* 18. & 4. *Reg.* 10. & 23. quòd aliqui falsi Prophetæ fuerint reverà occisi per Prophetam Eliam, Josiam & Jehu Reges, zelo legis DEI. Non est autem minor malitia ac pernicies hæreticorum, quàm falsorum prophetarum. Nec minùs ordinatus esse debet status Ecclesiæ Christianæ, quàm Synagogæ Judaicæ: *Lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Christum facta est*; *Joannis* 1. 17. Si hoc (inquit S. Cyprianus, loquens de occisione falsorum Prophetarum *lib. de exhortatione Martyrii c.* 5.) *in testamento veteri fiebat, nunc magis faciendum est.* Et D. Hieron. *Commentar. in epist. ad Gal. cap.* 5. ad vers. *modicum fermentum totam massam corrumpit, subinfert*: igitur scintilla, statim ùt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semovendum, secandæ putridæ carnes, scabiosum animal à caulis ovium repellendum; ne tota domus, massa, corpus, & grex, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma depopulata est.

569. Ipse Ecclesiæ Divinus Auctor & Institutor flagello è Templo ejecit vendentes & ementes *Joan.* 2. suo facto docturus, non fore unquam tolerandos, qui doctrinam rectam verumque DEI cultum perverterent. Et Apostolus Paulus ad *Gal.* 1. *v.* 7. *& seq.* omnibus anathema dixit, qui conturbant Evangelium, & doctrinam Christi.

570. Ostenditur secudò ex Jure Civili. Imprimis ex *Authent. Gazaros* Cod. *de Hæretic. Omnes hæreticos utriusque sexûs quocunque nomine censeantur, perpetuâ damnamus infamiâ, diffidamus atque bannimus: censentes, ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulteriùs revertantur, ita, quòd filii eorum ad successionem eorum pervenire non possunt; cùm longè gravius sit æternam, quàm temporalem offendere Majestatem.* Deinde in *l. ex Manichæo* 16. *Cod. d. tit.* sic habetur: *ex Manichæo factus orthodoxus, si inventus fuerit ea, quæ pristini erroris erant, facere, aut saltem unà degere duntaxat, & conversari cum Manichæis, nec confestim prodiderit illa competenti Judici: ultimo supplicio punitur.*

571. Eædem Leges Civiles prohibent, ne hæretici extra Ecclesiam in privatis ædibus conventicula celebrent, *l. conventicula* 15. *Cod. de Episc. & Cleric.* sequenti tenore: Conventicula illicita etiam extra Ecclesiam in privatis ædibus celebrari prohibemus, proscriptionis domûs periculo imminente, si dominus ejus in ea Clericos nova ac tumultuosa conventicula extra Ecclesiam celebrantes susceperit. Et in *l. nullus* 2. §. *ult. Cod. de Summa Trinitate.* omnes hæretici *illicitas agere intra oppida congregationes* vetantur. Et in *l. Cælicolarum.* 12. *Cod. de Judæis, eorum ædificia,* in quibus novi alicujus *dogmatis conventus habentur, Ecclesiis vindicantur.*

572. Jure Canonico hæretici incurrunt excommunicationem, *cap.* 13. §. *credentes de hæretic.* Illorum subditi à juramento obsequii & fidelitatis, quam suis dominis debent, absolvuntur, *cap. ult. eod. tit.* Et liberi à patria potestate liberantur; *cap. quicunque* 2. §. *hæretici, eod. tit. in* 6.

573. Rationes quoque variæ expulsionem hæreticorum (nisi pacta publica à quibus semper in hoc opere abstrahimus, in aliquo Regno vel Provincia obstent) suadent. Primò enim Jure Divino, nobis per Apostolum promulgato, fides salvifica non est nisi *una*, sicuti & *unum Baptisma ad Ephesios* 4. *v.* 5. concessâ igitur libertate credendi, quod cuique placuerit, manifestò eidem etiam conceditur libertas errandi, & quidem in re gravissimâ, qualis est fides, sperandarum substantia rerum, seu fundamentum salutis æternæ. Secundò, curandum utique est, ne improbi noceant bonis, nève opprimant, aut seducant innocentes. Tertiò, ut consulatur publicæ Regnorum Provinciarumque tranquillitati atque concordiæ, quæ conciliari nequit, quamdiu diversæ Religionis dissidia animos exulcerant, & in amarulendos affectus distrahunt. Docuit id nos prôh dolor! tristis & continua experientia. Quartò, expedit, ut paucorum suppliciis tota communitas à sceleribus absterreatur. Quintò, & principaliter, ut tollatur chaos errorum, ex libera credendi facultate oriturum, & sic subducatur materia Divinæ offensionis, Deòque suus cultus verus, purus, ac uniformis in actibus Religionis tum defendatur & conservetur, tum reparetur.

574. Ex Novatoribus Calvinus ipse in libro: cui titulus (*defensio orthodoxa fidei de S. Trinitate contra errores Michaëlis Serveti Hispani*) docet, hæreticos jure gladii coercendos esse, ùt testatur Arnold. Corvinus à Belderen JCtus, in opusculo, *Imperator Justinianus Magnus Catholicus, Augustus, Triumphator,*

*phator, tit.* 10. ubi etiam adducitur Melanchton in *libro de officio Principum*, sic loquens: *Principes & Magistratus debent impios cultus tollere, & efficere, ut in Ecclesiis vera doctrina tradatur, & pii cultus proponantur.* Et *Declamat.* 9. sic scribit: De officio politici Magistratûs his annis sæpè quæstio mota est. Rectène fecerint Constantinus & Theodosius, qui sacrificia idolorum prohibuerunt. Rectène fecerit Magistratus Genevensis, quòd Servetum ultimo supplicio affecit? De his quæstionibus planè & sine ulla dubitatione respondeo: Magistratum politicum non esse armamentarium, & tantùm pacem & corporis bona tueri debere, sicut multi insulsè loquuntur; sed esse Ministrum Dei & disciplinæ custodem juxta utramque tabulam Decalogi &c. Ita Magistratus sit viva lex, verè doleat propter gloriam Dei, ac ardenti Nemesi accendatur ad tollenda catharmata, quæ Deum manifestis contumeliis afficiunt.

575. Bucerus *enarrat. in* 22. *cap. Matth.* Nihilominus, ait, cùm & doctrina & cæremoniæ externæ sint, & potestas publica in hoc à Deo rebus humanis præfecta sit, ut illæ optimè, id est, ex sententia ejus habeant, ac ita ante omnia ipsius cultus vigeat, neque possit nocentius quidquam accidere impiâ doctrinâ & superstitiosis cæremoniis; etiam apud nos Magistratûs officium erit cavere, ne quid in his palam peccetur: occulta Dei judicio relinquere oportet.

576. Ex his jam manent convulsæ rationes à Christiano homine alienæ, quibus indifferentistæ, & libertini, speciatim suprà *n.* 566. relatus JCtus Gerardus Noodt, amplissimam credendi, sicque etiam errandi, séque æternâ ruinâ perdendi, libertatem cuivis concedendam esse, contendere non erubescunt. Sed adhuc

577. Arguis primò: fides debet esse libera: non ergo est in potestate vel Magistratûs, vel Romani Pontificis, ut ad certam fidem, v. g. Romano-Catholicam cujuscunque libertatem restringere valeat. Resp. primò: Quô Sac. Scripturæ locô Biblistæ nobis monstrare possint hoc liberum in credendo exercitium? In veteri testamento quid Deus circa falsos Prophetas jusserit, constat ex *num.* 502. item quòd Paulus in novo anathema dixerit, qui doctrinam Evangelicam conturbant. Est equidem libera fides interna, quam nulla creatura alteri extorquere poterit: at externam fidei professionem cuivis liberam relinqui, est aliquid periculo, & magnis incommodis sceleribúsque obnoxium, uti denuò ex nostris primùm allegatis constat. Audésne leges Imperatorum Christianorum in hæreticos latas vel sævitiæ, vel injustitiæ insimulare? Reflecte, quid hoc in passu concedant ipse Calvinus, Melanchton, Bucerus?

578. Audi D. Augustin. *epist.* 48. ad Vincentium. „Mea, ait, primitus erat sententia, neminem ad unitatem Christi esse co-„gendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur Civitas mea, quæ, cùm tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore Legum Imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est (*Proverbior.* 9.) *Da sapienti occasionem, & sapientior erit*: & paulò infrà „ait: Serviant Reges terræ Christo, etiam „leges ferendo pro Christo.

579. Arguis secundò: Judæi non possunt legibus, armis, vel tormentis ad fidem Christiano-Catholicam amplectendam compelli. An ergo hæretici erunt vilioris conditionis; ut eisdem vis saltem externa inferri queat? Resp. latum esse discrimen. Nostra assertio loquitur de desertoribus Ecclesiæ & veræ fidei, quam semel ingressi & professi sunt, de Judæis hoc dici nequit. Horum Religio jam olim erat à Deo approbata ad tempus definitum: custodiunt libros veteris Testamenti, quibus testimonium dant Evangelio contra infideles: non moliuntur Christianos ad suam Religionem trahere. Contrà hæretici à fide semel suscepta pertinaciter deviant & recedunt: falsam, Deoque odibilem doctrinam profitentur: Fidelem populum pestiferis dogmatibus imbuere, & à vera fide ac Religione fraudulenter abducere conantur &c.

580. Arguis tertiò: Religio unicuique nostrûm Dei munere conceditur: quid enim antiquius illo, fidem esse donum Dei? Non igitur est in nostræ voluntatis potestate positum, ut eam habeamus. Addis iterum: homini à Deo liberi arbitrii facultatem datam esse: igitur nec eos, qui fidem semel susceptam, ut exercitiô suæ libertatis utantur & fruantur, ultrò deserunt, citra nefas aut injuriam prohiberi non posse.

Resp. primò: Fidem quidem esse donum Dei: hoc tamen donum nemini auferri, nisi malitiosis liberi arbitrii actibus à fide ad hæresin vel infidelitatem deficienti. Etiam aliæ virtutes, ùt castitas, justitia &c. in homine justo sunt dona Dei: quarum tamen transgressores, v. g. Sodomitæ, adulteri, homicidæ, raptores, nec à culpa, nec à pœna immunitatem prætendere possunt; quia liberè peccant: sed meritò ad castè & justè vivendum debitis pœnis adiguntur: cur non similiter orthodoxæ fidei perversoes compellendi sint, ut ad frugem & fidem & fidem Catholicam redeant?

582. Resp. secundò: Si prætextu liberæ voluntatis, à Deo profectæ omnes fidei fines excedere licet; quidnî & omnium morum regulas, legúmque tam Divinarum quàm humanarum limites transgredi & despicere? Frustra *dicis* (inquit D. August. contra Crescon. Grammat. *l.* 3. *cap.* 51. (*relinquas arbitrio libero: cur enim non in homicidiis, & in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis, libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia justis legibus comprimi, utilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam.* Sed de Lib. arbitrio in proprio Tractatu plura dicentur. Pro conclusione hujus Tractatûs subjiciuntur

# QUINQUAGINTA RATIONES & MOTIVA,

## *Cur in tanta varietate Religionum & Confessionum Fidei, in Christianitate moderno tempore vigentium, sola Religio Romano-Catholica sit eligenda, & omnibus aliis præferenda.*

583. EXpendit ea Sapientissimus non minùs ac Serenissimus Dux Brunsvicensis & Lüneburgicus Antonius Ulricus, ad Religionem Orthodoxam conversus. Refero propria ipsius verba:

I. In electione & prælectione rerum præferenda sunt majora bona minùs bonis, & à fortiori ipsis malis, certa incertis ac dubiis, vera falsis, perpetua ad breve tempus durabilibus, æterna quibuscunque temporalibus, conformia rectæ rationi eidem difformibus.

II. Ad finem unicè desiderabilem obtinendum, adhibenda sunt media opposita & proportionata, & potiùs magis certa, quàm minùs certa, vel omnino incerta.

III. Ex mediis ad salutem æternam consequendam, illa sunt certiora, per quæ constat multos consecutos esse salutem æternam, quàm ea, per quæ neminem certò constat eam adeptum fuisse.

IV. Illa quoque media ad salutem sunt certiora, quæ adhibenda suadet recta ratio, & authoritas Virorum sapientum, ac eximiis virtutibus præditorum, & Sanctorum, aut quæ suggerit ipse Spiritus Dei; quàm quæ dictat Caro, Sanguis, mundus & vitæ licentia, ac libertas, *Spiritus enim est qui vivificat, Caro non prodest quidquam* Joan. 6. v. 64. *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui verò secundùm Spiritum sunt, quæ sunt Spiritûs, sentiunt. Nam prudentia carnis mors est: Prudentia autem Spiritûs, vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Ad Roman. 8. v. 5. 6. 7. & 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.*

His fundamentis & prudentiæ principiis in eligendis rebus præsuppositis, institui sequentes Considerationes, ex quibus erui convincentia Motiva, cur potiùs elegerim, & amplexus fuerim Fidem Romano-Catholicam, quàm ullam aliam Sectam, ex illis, quæ nunc in Christianitate vigent; cúrque omnes cæteras Religiones repudiaverim.

*Consideratio I.* Pro prima itaque consideratione assumpsi in deliberationem, utrum meliùs fecero, si me adjunxero Statui Catholico vel Evangelico (quo titulo gloriantur alicubi Lutherani & Calvinistæ simul) & quidem quisnam, & qualis sit Status Catholicus, illico intellexi, nempe quòd sit eorum, qui sequuntur Fidem Romanam per totum orbem terrarum, semper & ubique, ac in omnibus Articulis Fidei sibi æqualem ac similem. Circa Statum autem Evangelicum, statim impegi in periculosissimum scopulum; sic enim mecum ratiocinabar: Status Evangelicus deberet ille esse, qui tenet doctrinam per omnia Evangelio conformem. Atqui doctrina, quam tenent Lutherani & Calvinistæ simul, non potest esse conformis Evangelio. Duæ siquidem doctrinæ sibi contrariæ, vel planè contradictoriæ, simul non possunt esse conformes eidem veritati Evangelicæ; sed alterutra earum necessariò debet esse difformis eidem. Constat verò, doctrinam Lutheranorum & Calvinistarum in multis Articulis Fidei sibi esse contrarias & planè in aliquibus contradictorias. Ergo utraque simul non potest constituere unum statum Evangelicum, adeóque hic status est omnino Chymericus. Ego autem nolui in hac mea electione & deliberatione venari chymeras, sed indagare ipsam veritatem rerum Fide Divinâ credendarum. Igitur hic status Evangelicus non cadit sub meam electionem, & consequenter illum ab ea prorsus judicavi rejiciendum.

*Consideratio II.* Deinde institui hanc considerationem. Cum Calvinistica & Lutheranica Religio simul utraque non possit dici Evangelica, an saltem alterutra, & seorsim illarum aliqua sit Evangelica, adeóque una alteri præferenda, & consequenter hæc potiùs, quàm illa præeligenda? Sed rursus hæsi. Ratio

tio siquidem ipsa mihi dictavit, in prælectione unius rei præ altera debere esse potiores rationes pro una parte, quàm pro altera. Non potui autem invenire potiorem rationem, cur Lutherana doctrina debeat dici Evangelica, quàm Calviniana, nec econtra; sed neque ab ipsis Lutheranis & Calvinistis hanc extorquere potui. Nam utraque pars citabat pro se aliquos Textus Evangelii, & circa citatum Textum Lutherani aliter eundem interpretabantur, aliter item Calvinistæ. Et illi asserebant, suam interpretationem esse veram ac genuinam, Calvinistarum falsam; & econtra Calvinistæ suam interpretationem esse veram, & Lutheranorum falsam. Utraque autem pars veritatem suæ interpretationis probabat ex dictamine proprii Spiritûs, qui erant sibi prorsus oppositi; & neutra pars potuit assignare rationem vel motivum, cur potiùs alterius privatus Spiritus & Critirion aberret à veritate interpretationis, & non suus. Non potui proinde inter has duas doctrinas unam potiùs eligere, quàm alteram. Ergo utramque judicabam rejiciendam.

*Consideratio III.* Illud quoque capere non potui, quo fundamento Lutherani & Calvinistæ excludant à statu suo Evangelico Anabaptistas vel Arianos. Nam hi eodem planè jure dicunt, se debere vocari Evangelicos, & suas doctrinas conformes esse Evangelicæ veritati. Imò potiori quàm Lutherani & Calvinistæ. Anabaptistæ siquidem dicunt: in Evangelio nullibi legimus infantes esse baptizatos; imò Christus ipse dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit hic salvus erit.* Ergo Fides debet præcedere Baptismum, Fides autem non datur nisi in adultis: ergo ante adultam ætatem nemo debet baptizari. Ergo nostra doctrina est conformior Evangelio, quàm Lutheranorum & Calvinistarum, admittentium Baptismum puerorum. Ariani pariter dicunt: In Evangelio expresse dicit Christus: *Pater major me est.* Ergo nos juxta Evangelium docemus, Filium in Divinis non esse æqualem Patri, sed minorem Patre. Nec admittimus in præsenti Textu interpretationem SS. PP. Filium esse minorem Patre secundùm humanitatem, æqualem verò secundùm Divinitatem (si ea contra nos adducatur à Lutheranis & Calvinistis) quia & ipsi Lutherani & Calvinistæ in materiis controversis inter se & Catholicos interpretationem SS. PP. rejiciunt. Nec est major ratio, cur in hoc puncto authoritas PP. deberet valere, & non in aliis materiis Fidei.

Si verò ipsi suam & privati sui Spiritûs interpretationem adducant, petent sibi eandem interpretationem ostendi in Scriptura expressis terminis, cùm utraque pars admittat, quod nihil sit credendum, nisi quod expresse & explicitè ac clarè in Scriptura S. habeatur.

*Consideratio IV.* In præsenti consideratione occurrit mihi monitum illud Scripturæ Sac. *State super vias & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea.* Jerem. 6. Et judicavi apud me illam viam ad cœlum esse meliorem, securiorem, & magis certam ac tutam, per quam constat quàm plurimos jam pervenisse ad cœlum, quàm illam, per quam hactenus neminem constat, ad cœlum pervenisse. Subsumpsi deinde. Atqui pro certo constat, quòd multi, qui in Fide Romano-Catholica vixerunt & mortui sunt, salvati sint; quòd verò aliqui, alias Religiones tenentes salvati sint, certò non constat; & inde intuli: Fidem Romano-Catholicam certiorem viam esse ad salutem consequendam, quàm quamcunque aliam Religionem, ac proinde hanc præ aliis eligendam.

*Consideratio V.* Hinc ulteriùs sic argumentabar: omnis, qui salvatur placet Deo. *Atqui sine vera Fide nemo potest placere Deo.* Ergo Fides & Religio illa, per quam quis salvari potest, est vera, sed indubium est multos tenentes Fidem & Religionem Romano-Catholicam salvatos fuisse (quod nec ipsi quidem Adversarii negare audent) ergo Fides Romano-Catholica est vera Fides ac Religio. Ergo hæc est eligenda.

*Consideratio VI.* Hinc rursus sic arguebam: sicut unus est Deus verus, ita & una Fides est vera; juxta illud S. Pauli, *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Ad Ephes. 4. v. 4. Una igitur est Fides vera & salvifica, sicut unus est Dominus, sive Deus. Ergo si Catholica Fides est vera & salvifica (ùt ostensum est) reliqua Religionum genera non habent rationem veræ Fidei, neque extra Fidem Catholicam datur salus. Ergo Fides Catholica est præ cæteris mihi eligenda.

*Consideratio VII.* Sed & illud me plurimùm confirmavit in proposito ad amplectendam Fidem Romano-Catholicam, quòd Catholicos salvari posse etiam Hæretici profiteantur; Catholici autem firmissimâ Fide credunt, neminem extra Ecclesiam Romano-Catholicam salvari posse. Quæ ergo dementia foret cum Catholicis non stare, quos etiam Adversarii salvari posse admittunt, sed cum Acatholicis, quos Catholici salvari posse negant. Cui enim non suaderem tutiorem in periculosissimo discrimine viam. Illa autem est tutior, quam probat utraque pars, licèt sibi adversaria, quàm illa, quam una tantùm pars probat, altera etiam jurando reprobat. Sic nemo dubitat, utriusque medici judicio medicinam probatam tutiùs accipi, quàm alterius judicio damnatam ùt mortiferam.

*Consideratio VIII.* Memor verò illius moniti Deuter. 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos & dicent tibi,* & illius Prov. 22. *Non transgredieris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui:* Consului libros veterum SS. PP. quid consilii ex iis capere possem, super hac quæstione; utrùm Romano-Catholicam fidem, an aliquam ex aliis Religionibus amplecti debeam? Ex his primus mihi oc-

occurrit S. Augustinus (qui pariter ex Manichæorum hæresi conversus est ad Fidem Romano-Catholicam) simul addens rationem suæ conversationis *tom. 6. contra epist. fundam. cap. 4.* hunc in modum: *Multa sunt, quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissimè tenent: tenet consensus populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum successio* Sacerdotum, *&c.* 17. de utilitate credendi. *Dubitabimus nos in ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, hæreticis partim conciliorum gravitate, partim miraculorum Majestate damnatis, culmen Authoritatis obtinuit?* Alter hoc adhuc antiquior fuit S. Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. sic scribens de Romana Ecclesia: *Ad hanc Ecclesiam, in qua semper conservata ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Tertius est Tertullianus in præscrip. cap. 36. *Habes Romam, unde nobis quoque Authoritas præstò est, statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Quartus est S. Hieron. epist. 3. contra Ruffinum cap. 4. *Scito Romanam Fidem Pauli Authoritate munitam.* Ac in extremo dialogo adversùs Luciferum: *Brevem* (inquit) *apertámque animi mei sententiam proferam; in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat.* Loquitur autem citato loco de Romana Ecclesia. Demum his accessit S. Nazarenus, qui ad præsentem meam quæstionem sic respondet (carmine de sua vita) *Fides Romana recta erat jam antiquitus, & recta perstat nunc etiam nexu pio, quodcunque sol videt, devinciens.* Quibus intellectis, non potui acquiescere horum sapientissimorum, & sanctissimorum Patrum judicio, decrevi proinde Fidem Romano-Catholicam amplecti.

*Consideratio IX.* Recurri dein ad alios Sanctos, & Sanctas Dei, & quæsivi ex iis, in quanam fide illi, & illæ vixerint, & per quam fidem ad salutem æternam pervenerint; & responderunt omnes, se in fide Romana vixisse, & per hanc fidem ad salutem æternam pervenisse. Sic mihi respondit, ex Episcopis S. Martinus, S. Nicolaus, S. Athanasius & plurimi alii. Sic ex Monachis, S. Dominicus, & S. Franciscus &c. Sic ex Viduis S. Monica, S. Brigitta, S. Elisabetha &c. Sic ex Virginibus S. Agatha, Lucia, Agnes, Catharina &c. Unde hanc feci resolutionem, si hi Sancti & hæ Sanctæ, hanc fidem tenentes, pervenerunt ad cœlestem gloriam, hæc profectò est tutissima, & securissima via ad cœlum, & nulla alia quærenda.

*Consideratio X.* Converti me postmodum ad sanctos Martyres, & ex his quæsivi, quænam fuerit illa fides, pro cujus veritate ipsi sanguinem suum fuderunt, exilia, & tantos cruciatus, ac tormenta tam patienter sustinuerunt, tam diuturnos carceres toleraverunt? & responderunt omnes, illam fidem non fuisse aliam, quàm Romano-Catholicam. Sic responderunt mihi tres & triginta Martyrio affecti Romani Pontifices. Sic Cornelius, & Cyprianus, sic Fabianus & Sebastianus, sic S. Laurentius, sic S. Agatha, S. Cæcilia, S. Dorothea, S. Barbara, & innumeri alii, & aliæ. Conclusi proinde mecum, fidem illam, in cujus veritatis testimonium vitam suam deposuêre, tam gloriosè, tam hilariter & libenter tot & tanti Testes, non posse non esse veram. Quomodo igitur ampliùs potui dubitare de Ecclesiæ Romano-Catholicæ veritate?

*Consideratio XI.* Dejeci dein mentis oculos in Tartara, & vidi ibidem æternis cruciatibus torqueri Simonem Magum, Novatianum, Arium, Vigilantium, Pelagium, Nestorem, Macedonium, Marcionem, Machometem &c. & quæsivi ex iis, ob quam causam sint ignibus æternis addicti, & responderunt mihi: causam hanc damnationis suæ esse, quòd recesserint ab unitate Ecclesiæ Romano-Catholicæ, & Authores fuerint sectarum ab illa alienarum. Salubriter igitur mecum conclusi, quòd, si non volo cum illis æternùm ardere, non debeam ab Ecclesia Catholica recedere.

*Consideratio XII.* Nemo est, qui dubitare possit, S. Pauli Apost. fidem fuisse veram, & Apostolicam Fidem. Atqui hæc fuit eadem cum Romana; uti ipsemet S. Apostolus testatur scribens ad Rom. 1, v. 12. *Desidero simul consolari in vobis* (Romanis) *per eam, quæ invicem est; fidem vestram, atque meam.* Ergo Romana fides fuit, & est vera, & Apostolica Fides. Et ipsi quoque adversarii concedunt veram, & Apostolicam ab initio fuisse, sed postea dicunt eam defecisse (quod Romano-Catholici constanter negant) dicunt id quidem illi, sed non probant. Nam si quis quæraret ex illis: in quibus dogmatibus Fidei defecerint, & ubi? Ac quando? nihil certi adducere possunt: illis autem incumberet probatio. Profectò, si certò constaret, aliquam Familiam antiquissimæ Nobilitatis esse, & aliquis diceret, habuisse quidem olim illam Nobilitatis prærogativam, sed postea eandem deperdidisse, talia dicenti incumberet probatio, quando, & ex quibus causis eandem amiserit? Quòd si probare non posset, ad minimum in *Emenda lingua*, coram æquo Judice convinceretur.

*Consideratio XIII.* Cùm in hac deliberatione essem: an scilicet fidem Romano-Catholicam præeligere deberem, vel aliam ab ea alienam; nova se mihi objiciebat difficultas. Nempe hæc: quòd si Catholicam Religionem rejicerem, iterum deberem aliam deliberationem instituere, quamnam ex illis ab Ecclesia Romano-Catholica alienis præeligere deberem. An Lutheranam? vel Calvinianam? vel Anabaptisticam? aut Arianam? cùm hæ Religiones in multis inter se discrepent, & ad invicem se gravissimorum errorum incusent. Imò, esto me jam ad unam ex istis eligendam determinarem, necdum esset finis deliberatio-

nis, siquidem hæ Religiones rursus sunt subdivisæ inter se: & sic rursus instituere deberem novam deliberationem, quamnam ex tam diversis, & subdivisis tenere, & amplecti debeam. Præstabat igitur unâ fideliâ omnes has ex iisdem rationibus rejicere, & fidem Romano-Catholicam amplecti. *Cui Deus dedit, usque ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii Pastores & Doctores in ædificationem Corporis Christi, ne circumferatur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ad Ephes. 4. v. 14.

*Consideratio XIV.* Illud mihi statim initio hujus deliberationis proposueram, quòd, in quacunque Secta vel Religione errorem in fide & contra rectam rationem deprehenderem, illam omnino velim rejicere, nec ampliùs in materiam electionis assumere: examinavi proinde varia fidei dogmata modernarum Religionum, à Romano-Catholica alienarum, ex fundamentis & principiis in exordio hujus dissertationis præsuppositis, sic de iisdem sigillatim discurrendo: pro exemplo primo posui hunc discursum. Deus est infinitæ sapientiæ & infinitæ bonitatis, & imposuit nobis certa præcepta, ob quorum transgressionem gravissimè, & quidem in æternum homines punit. Ergo debent talia præcepta illa esse, quæ cùm illius gratia à nobis observari possint, aliàs enim non esset Sapientissimus Legislator, nec esset Benignissimus Dominus, si propter transgressionem illorum æternùm homines puniret. Nemo enim dicit illum sapientissimum esse Dominum, & simul benignissimum, qui servo suo præcipit id, quod absolutè præstare non potest: v. gr. ut solis cursum sistat, vel ut cœlum digito tangat, & propter hoc, quòd præceptum sibi impossibile executioni non daret, gravissimis pœnis, & exquisitis tormentis eum puniret, ac excruciaret. Deus autem est Sapientissimus Legislator, & simul summæ, imò infinitæ bonitatis & benignitatis. Ergo nobis non proposuit talia præcepta, quæ à nobis gratiâ illius adjuvante observari non possint. Ergo falsum dogma fidei est omnium novatorum, quòd præcepta Dei impossibile sit à nobis, adjuvante illius gratiâ, observari.

Exemplum secundum est. Deus est summæ bonitatis: ergo nihil admittendum est in Deo, quod repugnat ipsius bonitati. Repugnaret autem ipsius summæ bonitati, si aliquem ante prævisa ulla illius demerita, purè ex sua voluntate præordinaret, ac reprobaret ad æternam damnationem; imò hoc fine illum crearet. Ergo talis reprobatio in Deo non datur. Ergo falsum est hoc dogma Calvinistarum, adeóque rejiciendum, unà cum sua Secta, quæ illud tenet.

Exemplum tertium sit: Deus est essentialiter verax & Omnipotens, & nihil apud eum est impossibile. Ergo cùm Christus (qui utique simul erat Deus) porrigendo in ultima Cœna panem & vinum Discipulis suis, dixerat: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* vel non dixit verum? & sic non est essentialiter verax. Vel non potest id facere, ut panis transeat in illius Carnem, & vinum in Sanguinem? & sic non est Omnipotens, adeóque nec Deus. Est autem Deus, ergo essentialiter verax ac Omnipotens. Et certè si Deus potuit ex nihilo creare mundum, & Christus in nuptiis Canæ Galileæ transmutare aquam in vinum, potuit & panem, ac vinum transmutare in Corpus suum, ac Sanguinem suum. Ergo hoc dogma Fidei Calvinistarum, qui negant in Evcharistia realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, est falsum. Plura similia exempla adducemus in sequentibus.

*Consideratio XV.* In hoc examine dogmatum fidei, alienarum Religionum à Fide Romano-Catholica, reperi in iis plurima paradoxa, prorsus incredibilia, & rationi rectæ penitus difformia. Exemplum sit. Docent inter reliqua hoc etiam: quòd omnia peccata sint æqualia, nec ullum dari peccatum, quòd sit veniale: unde sic arguebam. Verbum otiosum est peccatum: cùm Christus Dominus minetur de omni verbo otioso dandam esse nobis in die judicii rationem. Ergo secundùm hoc dogma novatorum est æquale reliquis peccatis. Ergo & peccato blasphemiæ. Ergo & peccato incredulitatis. Ergo & Apostasiæ à Fide Christi. Si est æquale his peccatis peccatum otiosi verbi; ergo est etiam æqualis culpæ. si est æqualis culpæ; ergo æqualem meretur pœnam. Si æqualem meretur pœnam: ergo etiam æqualem habet remissibilitatem, vel irremissibilitatem. Ergo æquè difficulter remittitur, ac alia peccata. Et tamen Christus de pœnis, & remissibilitate peccatorum longè aliud docuit; nam Matth. 5. v. 22. dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit: Racca, reus erit concilio, qui dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ergo iræ affectus erga proximum meretur quidem aliquam pœnam; sed majorem, verbum acerbum, & adhuc majorem verbum contumeliosum. Deinde 1. Joan. 5. v. 26. dicitur: *Est peccatum ad mortem.* Ergo est peccatum aliquod, quod non sit ad mortem. Ergo non omnia peccata sunt æqualia. Præterea est peccatum, quod neque in hoc, neque in alio sæculo remittitur. Quale est peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo aliqua peccata sunt, quæ in hoc vel in alio sæculo remittuntur. Ergo non est æqualis remissibilitas in omnibus peccatis. Ergo nec æqualis culpa. Ergo non omnia peccata sunt æqualia. Demum Prov. 24. v. 16. habetur. *Septies enim cadet justus & resurget, impii autem corruent in malum.* Ergo sunt aliqua peccata, quæ non tollunt habitualem justitiam; & alia, quæ eandem tollunt. Ergo omnia peccata non sunt æqualia. Ergo Sectam vel Religionem illam, quæ hoc falsum Dogma tenet, meritò judicavi esse rejiciendam.

Con-

*Consideratio XVI.* Juxta eosdem, omnia nostra bona opera sunt peccata. Et juxta eosdem omnia peccata sunt æqualia. Ergo omnia nostra bona opera sunt æqualia peccata reliquis peccatis: igitur orare DEUM erit æquale peccatum, ac blasphemare contra DEUM: & Eleemosynam dare pauperi, erit æquale peccatum, ac eundem pauperem spoliare: & injustè possessam rem restituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eandem apud se invito Domino retinere.

*Consideratio XVII.* Hinc optarem scire, quidnam deberet dicere, ac suadere aliquis Prædicans, alicui consulenti se: utrùm rem alienam, quam injustè habet, debeat proprio illius Domino restituere? Nam si dicat ita, Posset ei reponere quærendo: an restituere rem alienam sit opus bonum? Si affirmaret, posset iterum proponens subsumere: juxta nos omnia nostra bona opera sunt peccata: peccata autem iterum juxta nostram doctrinam sunt æqualia omnia: ergo sive rem alienam restituero, sive retinuero, æquale erit peccatum, nec unum majus altero. Quorum utrumque judicavi esse absurdum, & consequenter, & sectas has doctrinas tenentes ac docentes.

*Consideratio XVIII.* DEUS est Summa Sanctitas. Si ita, ergo est maximè remotus à peccato. Si hoc, ergo maxime odit peccatum; si hoc, ergo nullatenus illud vult fieri; si hoc; ergo illud non mandat fieri. Si hoc, ergo nullatenus illud causat. Ergo DEUS non est Author & causa peccati, volens, suggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans, ùt docent Calvinistæ, & Lutherus quoque docuit.

*Consideratio XIX.* Revolvi quamplurimos historicos, tam politicos, quàm Ecclesiasticos, Annales item variarum Gentium, ac Nationum, & diligenter exquisivi, an alicubi ante Sæculum decimumquintum fuerit aliqua & mentio Lutheranicæ aut Calvinisticæ doctrinæ, & aliarum modernarum Sectarum. Legi item ad hunc eundem finem multa antiquissima scripta, & annotationes rerum memorabilium, quæ singulis sæculis contigerunt, & nullam mentionem, vel vestigium illarum invenire potui. Unde conclusi, has Religiones planè novas esse, adeóque non esse Apostolicas, nec à Christo & Apostolis traditas, sed ex cerebro Authorum harum Sectarum noviter excogitatas & consequenter repudiandas.

*Consideratio XX.* Memini quidem, me adhuc in juventute legisse cujusdam Calvinistæ libellum, sub titulo *Itinerarii*, in quo conatur demonstrare longissimum Catalogum hunc in finem contexendo, quòd statim à Nativitate Christi singulis sæculis fuerint aliqui, qui tenuerint doctrinam Lutheri & Calvini: sed pessimo successu & irrito conatu, tentavit præstare. Primò quidem ex eo, quòd illos, quos adducit in dicto Catalogo, faciat idem sensisse, tam cum Calvino, quàm cum Luthero, adeóque fuisse Luthero-Calvinistas; cùm tamen nec ipse Lutherus & Calvinus, nec ipsi Lutherani & Calvinistæ inter se in doctrina Fidei conveniant; sicut ergo de facto nemo se fatetur esse Luthero-Calvinistam, sed vel Lutheranum, vel Calvinistam, ita neque ab eo citati, poterunt dici Luthero-Calvinistæ. Non est autem major ratio, cur soli Calvinistæ trahant illos pro se, quàm soli Lutherani, & ècontra; imò eosdem æquali jure possent pro sua Secta trahere etiam Anabaptistæ, & alii Sectarii. Ergo exinde non potest deduci, aliquem fuisse ante Lutherum vel Calvinum, qui integrè ea omnia credidisset, tenuisset, aut docuisset, quæ tenuit, credidit, ac docuit Lutherus vel Calvinus, aut quæ tenent Lutherani vel Calvinistæ. Secundò, quia ex eo præcisè illos, quos citat, facit Luthero-Calvinistas, quia invenit in illis unum aut alterum verbum, aut propositionem quam etiam Lutherani & Calvinistæ tenent. Quod, si sufficeret, potuisset & Mahometem, & Judam Iscariotem, & Arium ac alios Hæresiarchas ponere ad Catalogum Luthero-Calvinistarum. Nam & hi tenuerunt aliquid, quod tenent Lutherani & Calvinistæ. Sic Mahometes tenebat, dari solùm unum DEUM. Arius tenebat, Concilia Ecclesiæ errare posse, & Nicænum Concilium errâsse ipso facto in sui condemnatione. Ergo sequeretur, quòd & Mahometes, & Arius fuerint Luthero-Calvinistæ. Tertiò, quia eos ponit in dicto Catalogo, quos constat, usque ad finem vitæ vixisse in Fide Romano-Catholica, aliquos etiam ex Pontificibus ipsis, Cardinalibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Monachis, etiam talibus, qui scriptis suis veritatem Catholicæ Fidei propugnavêre, sed quo fundamento? planè nullo. Nam S. Gregorium ex eo probat fuisse Luthero-Calvinistam, quia coarguebat vitia Sacerdotum. Irenæum ex eo, quòd Scripturam Sacram collaudabat. Polycarpum ex eo, quòd Apostolicam doctrinam tenuerit. Bellarminum ex eo, quòd malos Catholicos de peccatis corripiebat. Ex quibus nullatenus sequitur hæc Conclusio. Ergo fuerunt Luthero-Calvinistæ. An non enim & moderni Romano-Catholici & Zelosi Concionatores Sacerdotum malam vitam detestantur? malorum Catholicorum peccata exprobant? Scripturam Sacram ac doctrinam Apostolicam commendant? & tamen non sunt Luthero Calvinistæ.

*Consideratio XXI.* Longè meliùs itinerarium ergo in hac mea deliberatione confeci, percurrendo hæreses singulorum sæculorum nato Christo. Inveni siquidem, omnes ferè

re articulos Fidei, quos tenent Lutherani & Calvinistæ, jam fuisse doctos ab aliis Hæresiarchis, & damnatis ab Ecclesia. Non quòd aliquis fuisset, qui omnia illa docuisset, quæ docuit Lutherus, vel Calvinus: talis enim nullus omnino fuit, sed diversi diversos, ac diversis sæculis, & temporibus. Inde tamen non potui concludere; quòd Lutherana doctrina vel Calvioiana fuerit ante Lutherum vel Calvinum. Sed feci hanc legitimam conclusionem. Ergo Lutherana, & Calviniana Religio est consarcinata, ex variis hæresibus jam pridem ab Ecclesia damnatis, nonnullis noviter adjectis, non secus ac vestis mendicorum ex multis frustis, antiqui & diversi coloris panni, in foro scrutario comparatis & collectis, superadditis aliquibus aliis frustillis ex novo panno, & colore, & qualitate prorsus improportionato.

*Consideratio XXII.* Post hæc assumpsi in considerationem signa, & notas veræ Christi Ecclesiæ: nempe quòd sit, *una*, *sancta*, *Catholica*, *& Apostolica* & nullam ex his reperire potui in reformatis, seu potiùs deformatis istis Ecclesiis. *Non unitatem* cùm in multis iisque præcipuis Articulis Fidei inter se discrepent, ac singulæ rursus in alias subdividantur de rebus fidei sententias, & opiniones. *Non Sanctitatem.* Cùm enim Sanctitas requirat, ut quis declinet à malo & faciat bonum Psalm. 36. v. 27. certè hæ non tantùm non docent declinare à malo, Præcepta DEI servando, sed tenent, impossibile esse eadem servare; & non tantùm non suadent bonum facere; sed docent, bona opera ad salutem æternam prorsus esse inutilia, imò & peccaminosa; nec ullum Sanctum nominare possunt, qui fuisset illorum fidei. Non, *quòd sit Catholica*, *seu universalis*, quia non annuntiatur in universo Mundo sicut Romana, ùt testatur S. Paulus ad *Rom.* 1. *v.* 5. Nec quod fuerit semper, quia non fuit ante Annum 1515. Sed nec defactò est ubique: solùm enim delitescit in pauculis provinciis Europæ, quæ ipsa est minima pars Orbis, respectu Africæ, Asiæ, & Americæ, in quibus de his Religionibus nihil penitus scitur, imò nec auditur. *Non*, *quòd sit Apostolica*, quia non est fundata ab Apostolis, nec Pastorum suorum & doctrinæ suæ continuam successionem possunt deducere usque ad Apostolos. Hæc autem omnia signa sunt in Ecclesia Romano-Catholica. Ergo Jure optimo illam omnibus aliis prætuli.

*Consideratio XXIII.* Conjeci deinde oculos ad initia conversionum populorum, nationum, & Regionum, ex Gentilismo ad Fidem Christianam, quæ sanè mirabilis fuit, & non nisi Divinâ ope, ac auxilio fieri potuit, propter tot obstacula potentissimorum Regum, Imperatorum, & Tyrannorum, eorúmque sævitiem ac ipsorum idololatrarum pertinaciam, & obstinationem, præsertim cùm Fides Christiana suaderet illis ea, quæ sunt carni, & sanguini, ac principiis mundanis omnino contraria, & proponeret Mysteria altissima, quæ solo naturali lumine nequeunt comprehendi, & quidem per prædicatores imbelles, ac inermes. Investigavi dein, quænam fuerit illa Religio, ac Fides, & clarè deprehendi illam fuisse Romano-Catholicam, & quidem per viros Apostolicos, à Romanis Pontificibus ad prædicandum Evangelium submissos. Nam, quòd primis quinque sæculis non fuerit alia Christiana Religio, ad quam conversæ fuissent gentes, ipsimet adversarii non diffitentur. Sexto verò sæculo conversa est Anglia per S. Augustinum Monachum, missum eò à S. Gregorio Papa. Septimo, Germania per S. Bonifacium, missum à Gregorio III. Papa. Octavo, Moravia per SS. Cyrillum & Methodium. Nono, Hungaria, & Polonia per S. Adalbertum, & S. Piligrinum aliósque. Decimo, Bohemia, & Moschovia, Francia seu Gallia per S. Remigium, Frisia per S. Bonifacium & Willebrordum, longè adhuc priùs. Undecimo, Pomerania per S. Brunonem. Duodecimo, Livonia per S. Mainardum. Et Suecia per Nicolaum Brakpier, postea in Pontificem Romanum electum. Pomeriana per S. Ottonem. His autem postremis duobus Sæculis in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus quàm plurimæ Provinciæ, & longè plures quàm tota Europa numerat, conversa sunt ad fidem Christianam, eámque non aliam, quàm Romano-Catholicam, & in dies plures, ac plures, ad eandem convertuntur. At verò nullam gentem ex paganis reperi conversam fuisse ad Lutheranam, & Calvinianam, aut aliam ex novis moderni temporis sectam; sed solùm ex tepidis Catholicis, idque nòn alio ex fine, quàm pro libertate carnis, & vitæ licentiosæ. Præstabat igitur mihi Romano-Catholicam Fidem potiùs, quam aliquam ex reliquis moderni temporis sectis eligere.

*Consideratio XXIV.* Ex occasione hujus considerationis occurrit mihi alia observatio. Nempe: quòd DEUS omnes Apostolos & viros Apostolicos, quos elegit, & misit ad conversionem populorum, ac gentium, ornaverit dono magnorum miraculorum juxta sua Divina promissa, ùt habetur Matth. 10. vers. 7. *Euntes* (ait Christus ad suos Discipulos) *prædicate*, *mortuos resuscitate*, *leprosos mundate*, *dæmones ejicite &c.* Et Marci ultimo: *Illi verò profecti prædicaverunt ubique*, *Domino cooperante*, *& sermonem confirmante sequentibus signis.* Antesignani autem modernarum novarum sectarum, esto glorientur se missos à DEO tanquam Reformatores suæ Ecclesiæ: nullum unquam tamen signum, ac miraculum ediderunt in confirma-

mationem suæ doctrinæ, vel suæ à DEO missionis: & quidem, ùt quidam ait, nec unicum claudum equum sanare potuerunt. Quomodo ergo poteram credere, illos missos à DEO hunc in finem? Præsertim cùm Salvator nos præmonuerit, ut *attendamus nobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium (Scripturam & Evangelium semper in ore habentes) intus autem sunt lupi rapaces.* Maximè verò, si ii contrariam sibi ad invicem doctrinam prædicent, (ùt fecit Lutherus, & Calvinus) uterque enim veritatem docere non potuit, consequenter nec mitti à DEO uterque ad reformandum Ecclesiam, neuter autem illorum majora argumenta aut signa protulit à DEO suæ missionis & doctrinæ, quàm alter. Igitur neutri judicabam esse credendum.

*Consideratio XXV.* Rursus consideravi vitas, & mores Authorum harum Religionum, & feci comparationem eorum cum iis viris Apostolicis, qui gentiles ad fidem Romano-Catholicam converterunt. DEUS bone quantam inter hos vidi disparitatem? tantam scilicet, quanta est inter cœlum & terram. Hi námque erant viri DEO uniti, devotioni ac pietati addicti, virtutibus magnis exornati, sobrii, humiles, continentes, rerum temporalium, & voluptatum carnis contemptores, solam DEI gloriam quærentes, & zelum animarum intendentes. Uti ex vitis illorum, & scriptis constat. Illi verò ventri, & carni dediti, à Fide Apostatæ, votifragi, impii, superbi, non aliud quàm carnis voluptates, & vitæ licentiam docentes, ùt pariter ex illorum vitis, & scriptis clarissimè patet. Quid enim Luthero, & Calvino fuit superbius, & arrogantius? Qui se toti antiquitati præferebant, suam interpretationem Scripturæ Sacræ Interpretationi omnium SS. Patrum, & totius Ecclesiæ anteponebant. Cujus scripta magis spurca, quàm Lutheri? magis impia & blasphema, quàm Calvini? Ita ut jam sequentes eorum, talium scriptorum pudeat.

*Consideratio XXVI.* Pro magno stimulo fuit mihi ad Fidem Romano-Catholicam præ aliis modernis Religionibus amplectendam etiam illud, quòd in ea nunc quoque reperiantur quàm plurimi, qui zelo animarum ducti, relictis, ac spretis omnibus vitæ hujus commodis, amicis & cognatis, dignitatibus ac honoribus & aliis mundi bonis, quæ in re vel spe habent, non obstantibus minis Tyrannorum, & certissimâ quasi nece à barbaris inferendæ, promptissimè & summa cum alacritate vadunt ac remotissimas etiam gentes pro illarum conversione, Evangelium Christi iis prædicando, & ad Ecclesiam Catholicam easdem adducendo, esto pro comperto habeant, se fore inter eas cum S. Paulo, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modũ, in mortibus frequenter.* 2. ad Corinth. 11. v. 23. Quod certò in Prædicantibus aliarum Religionum non reperi. Unde conclusi, eos verè Spiritu DEI agi, non autem hos. *Majorem siquidem hac, dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. v. 13.

*Consideratio XXVII.* Observavi & valde admirabar etiam illud, quomodo inter Romano-Catholicos multi divitiis affluentes, & amplissimas quoque hæreditates, ac omnes vitæ commoditates, etiam magnarum familiarum, non tantùm Nobilium, sed & Baronum, Comitum, Marchionum, Principum, Filii ac Filiæ spretis omnibus deliciis, ac voluptatibus ad pauperes & austeros Religiosorum diversos Ordines, sponte, & sæpe non nisi magnis obstaculis perruptis, tanto numero convolent, præcisè solius DEI amore, & securitatis majoris salutis animæ suæ ergo: cùm in aliis novis Religionibus vix ullus magnæ Nobilitatis, vel conditionis valde honestæ dignetur statum prædicantium amplecti. Quod non ideò dico: quasi DEUS esset acceptator personarum, cùm constet, Christum rudes, ac simplices piscatores in Apostolos elegisse, sed solùm inde colligo, quòd specialis DEI gratia in illis operari debeat, adeóque & Fides illa vera, in qua tam singulares gratias DEUS suis confert.

*Consideratio XXVIII.* Memini, cùm adhuc essem juvenis, duos Prædicantes Lutheranos me præsente mentionem fecisse adolescentis cujusdam bonæ indolis, mihique notissimi: ac cùm unus ex illis hanc conjecturam de illo fecisset: Hic adolescens vitam ducet cœlibem, & continentem, quantùm ex illius indole licet conjecturari. Alter mox subjunxit: optimè sanè faciet; continentia enim, & cœlibatus, est magnum DEI donum & specialis gratia. Ego tunc adhuc planè juvenis & quidem Lutheranus existens, apud me tacitè hanc illationem cum admiratione feci; quomodo fieri potest, ut cùm nostri Pastores dicant se Reformatores Ecclesiæ, & Evangelii purissimi prædicatores, & continentia ac cœlibatus sit donum DEI singulare, ac specialis gratia, DEUS hoc donum, & hanc gratiam nulli prædicantium conferat? Prædicantes siquidem cœlibem vitam ducere nullibi est videre, quin nec audire quidem. Et vicissim quomodo DEUS hoc donum, & hanc gratiam multis Papistis, quos nos idololatras esse dicimus, confert, apud quos tam multæ Virgines, Moniales, Religiosi, & Ecclesiastici vitam continentem, & puram ducunt; debet igitur illorum Religio magis grata esse DEO, quàm nostra, quoniam aliter quis non potest esse continens, nisi DEUS det ei donum hoc. Sæpiùs dein mihi in maturiori ætate hoc dictamen in memoriam recurrit, ac tandem

etiam ad amplectendam Fidem Romano-Catholicam unum ex motivis fuit.

*Consideratio* XXIX. Evolvi quàm plurimos Authores, qui contra fidem, ac Religionem Romano-Catholicam scripserunt, & illud signatè notavi, quòd in omnibus suis argumentationibus in probare affatim conentur, quod Catholici non negant, sed ultro admittunt: illud verò, quod Catholici pro dogmate fidei tenent, oppugnando vix attingant. Ex. gr. Adferunt copiosissimos Scripturæ S. Textus: quòd solus Deus sit adorandus, & colendus cultu Divino. Hoc autem Catholicorum nemo negat, qui firma fide credunt peccatum Idololatriæ esse, creaturæ cuicunque tandem, cultum Divinum exhibere. Adducunt multa Scripturæ testimonia, quæ honorificè loquuntur de matrimonio. Quid tum? Hoc enim Catholici non improbant, imò matrimonium inter Sacramenta numerant, hoc solùm cum S. Paulo tenent, quòd *qui matrimonio jungit Virginem suam, benè faciat, qui non jungit, melius faciat.* Similiter merita Christi deprædicant, ipsiúsque satisfactionem pro peccatis nostris. Quid inde? Hæc enim Catholici quoque infiniti valoris esse docent, & satisfactione illius sufficere pro totius mundi peccatis ajunt: Quid ergo docent? id quod S. Petrus sua 2. Epist. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et S. Paulus ad Rom. 8. v. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*: Pari modo fidem mirè extollunt. Quid exinde? Etiam Catholici Fidem necessariam esse ad salutem fatentur. Quid ergo dicunt? id. quod S. Jacobus *cap.* 2. *v.* 24. *Ex operibus justificatur homo & non ex fide tantùm.* Quod S. Paulus ad Cor. 1. cap. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Demum contra malam vitam aliquorum Sacerdotum invehuntur. Quid inde proficiunt? Hanc enim etiam omnes Catholici detestantur, sed & continentiam, ac puritatem Angelicam mentis, & corporis, in pluribus admirantur.

*Consideratio* XXX. In iisdem Authoribus, uti etiam in aliorum prædicantium concionibus, & discursibus observavi; quòd calumniis potiùs oppugnent, & coram plebe denigrent Ecclesiam Romano-Catholicam, & ex hoc modo agendi conjeci manifestè, quòd deficiant in argumentis ad eandem oppugnandam. Quando enim devenitur in probationibus & disputationibus ad calumnias, infallibile signum est, quòd in probatione argumentans succumbat. Deinde calumniæ semper sunt conjunctæ cum falsitatibus & mendaciis. Quomodo ergo per ipsa mendacissima mendacia eruetur rei veritas? atqui hujusmodi calumniæ sunt: v. g. quòd Catholici ita adorent Sanctos, sicut ipsum DEUM: quòd Pontificem habeant pro DEO; quòd in Sanctorum meritis, & suis propriis ponant majorem spem, & fiduciam, quàm in meritis Christi Domini, & sexcenta similia figmenta. Non potui igitur in mendaciis & calumniis fundamenta meæ fidei ponere; igitur statui mecum, quòd ipsemet velim rei veritatem indagare, quâ compertâ rejeci tamquam impostorias omnes has novas Sectas.

*Consideratio* XXXI. Recordor optimè, quòd, cùm in adolescentia mea interfuissem cuidam explicationi Theologicæ apud Calvinistas, quidam ex Authoribus, cæteris intelligentior proposuerit publicè Professori, in persona Catholici quoddam argumentum valdè ponderosum. Quo audito, Professor Calvinista substitit, & aliquantulum hæsit. Deinde verò dixit. Idem argumentum à se aliquando cuidam suo Professori in Anglia fuisse propositum, sed ab eo pro responso se non aliud accepisse, quàm quod argumentum illud sit planè insolubile, ac proindè Catholicis ad illud directè nunquam esse respondendum, sed solum eludendum. Vehementer scandalizatus fui in hoc responso. Per elusionem enim argumenta non solvuntur, nec ad cognoscendam veritatem rei pervenitur. Et jam tunc judicabam, Acatholicos etiam circa Articulos Fidei non laborare de rei veritate.

*Consideratio* XXXII. Illud quoque omnes Religiones, à Romano-Catholica alienas, mihi suspectissimas de falsitate redditit: Quòd licèt semper Catholicos ad Scripturam S. pro libitu suo tractent, partim integros libros ex Canone Sacrorum librorum eliminando: partim malâ fide vertendo, partim pro suo arbitrio juxta dictamen uniuscujusque privati Spiritûs interpretando. Cum tamen Romano-Catholici eandem versionem omnes habeant, iisdem semper Bibliis omnes utantur, quibûs usa est Ecclesia à mille & trecentis, ac ampliùs Annis, neque eam juxta suum proprium judicium explicant, sed sequuntur interprecationem Veterum SS. Patrum ac totius Ecclesiæ, de qua Christus dixit Matth. 18. v. 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

*Consideratio* XXXIII. Ut nihil intentatum relinquerem, legi consideratè parvulum Cathechismum Lutheri, quo Lutherani in Hungaria defacto utuntur; cùmque contuli diligenter cum Cathechismo ejusdem Lutheri Anno 1567. Wittenbergæ impresso, & reperi eundem in prima editione Wittenbergensi, differre totô cœlô, in quàm plurimis Articulis Fidei. Nec satis capere potui tantam mutationem, nisi mihi occurrisset, quòd Novatores moderni pro libitu mutent Religionis suæ Articulos, alios tenendo in una Provincia, alios in altera,

alios

alios in uno sæculo, alios in altero. Quòd, si quis huic tantæ diversitati, quoad ipsos Articulos fidei inter hos duos Catechismos fidem adhibere nolit, conferat simul utrumque, id autem facilè consequi poterit, cùm Wittenbergensis ille Catechismus hoc ipso Anno 1701. sit Tyrnaviæ in Hungaria impressus: econtra verò cùm peragrarer diversas Provincias Catholicorum, nullam in eorum Catechismis inveni, quoad Articulos fidei discrepantiam, sed in omnibus omnino omnimodam convenientiam.

*Consideratio* XXXIV. Cùm ergo viderem tantas diversitates opinionum, etiam quoad dogmata Fidei, inter eos, qui se Augustanam confessionem profiteri dicunt, ipsam confessionem Augustanam considerate perlegere decrevi, sed has tam diversas esse reperi variis in locis, & temporibus impressas, adeóque inter se differentes; ut quænam sit genuina confessio Augustana apud me determinare non potuerim, quia nec ipsi Professores Academiarum Lutheranicarum hac de re inter se conveniebant, donec unâ occasione Bibliothecam Cæsaream viennensem visitarem, in qua Bibliothecarius Cæsareus, inter alia exhibuit nobis, qui tunc simul eramus, illam ipsam in originali, quæ exhibita fuit à Melanchtone Augustæ in Comitiis imperialibus Carolo V. Cæsari Anno 1530. Quæ in tantum differt ab aliis editionibus Augustanæ Confessionis, ut nisi illis apponeretur Titulus *Augustanæ Confessionis*, nemò eas diceret Augustanas Confessiones. Unde intuli, modernam Religionem Lutheranorum non esse Augustanæ Confessionis Religionem, sed longè diversam; ideò hanc omnino rejiciendam judicavi. Cur verò neque illi originali acquieverim, inter alias rationes hæc etiam fuit: quòd hæc ipsa contineat in se plurima mendacia, & apertas contradictiones. Quas fusè deducit Cardinalis Pazmannus in erudito suo opere, Kalauz dicto, à folio 415. usque ad folium 440.

*Consideratio* XXXV. Consideranti mihi sæpiùs verba illa Christi Domini: *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Matth. 7. v. 13. item *Contendite intrare per angustam portam.* Luc. 13. v. 24. Occurrit illicò mihi, Religiones alienas à fide Romano-Catholica non esse hanc arctam viam, quæ ducit ad vitam, sed illam spatiosam, quæ ducit ad perditionem. Nam juxta harum doctrinam satis est ad vitam æternam consequendam, si credat quis se salvandum, aut prædestinatum ad eam; quæ doctrina sanè contraria est illi, quam nobis præscripsit Christus per se, ac suos Apostolos. Nam interroganti illi *Matth.* 19. Magister bone quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, secundùm verò doctrinam harum Religionum non respondetur, si vis ad vitam ingredi, serva mandata; hoc enim ajunt esse impossibile. Quid autem respondetur à Novatoribus? Si vis ad vitam ingredi, crede tantùm, quòd Christus pro te mandata DEI Patris adimpleverit. Similiter S. Petrus Act. 2. v. 37. interrogantibus Judæis compunctis corde ex iis, quæ ab eo audierunt. *Quid faciemus viri fratres?* Respondit: *Pœnitentiam agite*, & ipsemet Christus Luc. 13. v. 3. ait: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et rursus S. Petrus Act. 3. v. 19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Pariter & S. Joan. Baptista suam prædicationem sic inchoavit. *Pœnitentiam igitur agite*; item *facite fructus pœnitentiæ.* Matth. 3. v. 3. & 8. Quid autem hæc nova doctrina ad interrogationem: an, & quomodo pœnitentia sit agenda, respondebit? Hoc unicum? *Crede tantùm*, quòd remissa sunt tibi peccata propter merita Christi, & hoc solùm sufficit. Quæro ulteriùs ex iisdem. An debeam dimittere debitoribus, & condonare injurias mihi factas, si volo à DEO mihi remitti peccata? Quid respondebunt? Non aliud juxta suam doctrinam, quàm hoc, non esse necessarium, sed satis esse, si credam, mihi dimissa esse peccata. Cùm tamen Christus dicat Matth. 6. v. 14. & 15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Rursus pergo quærere, utrùm per bona opera mereri possim vitam æternam? Et respondebunt mihi negativè, & dicent solam fidem ad id sufficere. Cùm tamen Scriptura dicat 2. Petri 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et S. Paulus ad Roman. 2. v. 6. *Et reddet unicuique secundùm opera sua.* Et ad Corinth. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum.* Urgeo interrogando: possúmne redimere peccata Eleemosynis? Cùm Christus dicat Luc. 11. vers. 41. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Daniel. 4. v. 24. *habeatur: peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et respondere debebunt consequenter mentiendo: nec id esse necessarium; sed tantùm crede, quòd Christus pro te satisfecerit: & munda sunt tibi omnia: tantùm crede Christum Dominum pro te esse mortuum, & redimes peccata tua. Sola Fides ad hæc omnia sufficit. Demum quæro, propter quæ peccata homines damnantur, & à cœlesti gloria excluduntur? Respondebit S. Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 9. 10. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici,* neque

*neque rapaces, Regnum Dei possidebunt.* Novatores autem respondebunt cum suo Luthero (Postillâ in Dominicam 8. post Trinitatem) *Sola incredulitas damnat.* Ecce viam novam, eamque spatiosam ad coelum? quâ nemo pervenit ad illud.

*Consideratio* XXXVI. Ex consideratione hujus controversiæ, an sola Fides sufficiat ad salutem, pro qua adstruenda Lutherus ad illum Textum S. Paul. ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per Fidem*, fraudulenter addidit per *solam* Fidem, venit mihi suspicio, an non etiam in aliis Textibus Scripturæ Sacræ utantur similibus dolis Acatholici; & reperi id, quod suspicabar. Nam idem Lutherus in superiùs citatis verbis 2. Petri cap. 1. v. 10. *Quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram, & Electionem faciatis*, in sua versione totaliter omisit verba illa *per bona opera.* Quia apertè adversantur ejus errori, quo docet, bona opera homini non conducere ad salutem. Calvinistæ plerique in Evangelio Luc. cap. 22. v. 19. verba illa clarissima: *Hoc est Corpus meum*: sic transmutârunt: *Hic est Corpus meum*: ut excluderent realem præsentiam Corporis Christi in Evcharistia. Ob eandem causam, ubi Joan. 6. v. 51. legitur. *Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi*: *pro voce vivus, substituerunt vivificans*: ut intelligatur panis usualis. Et in Epist. S. Jacob. 5. v. 16. verba illa: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Reformatores sic verterunt: *Confitemini peccata vestra erga invicem*, ut sic eludant Sacramentalem Confessionem, quam inde probant Romano-Catholici. Et illud S. Pauli ad Hebr. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus*, Novatores ut defenderent Matrimonium etiam Sacerdotum verterunt sic: *Honorabile connubium inter omnes*: Item, ex verbis illis Christi Domini Matth. 25. v. 35. 42. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, dedistis mihi manducare*: *Sitivi, & dedistis mihi bibere*: *Hospes eram, & collegistis me.* Illud *enim* omisit Lutherus in sua versione, quia videbat inde probari, opera bona esse merita vitæ æternæ. Omitto quàm plurima alia his similia. Unde conclusi, harum Religionum antesignanos viam Dei in veritate non docere, sed Scripturas malâ fide ad suum sensum contorquere, & pro suo libitu truncare ac mutare. Quomodo igitur prudenter poteram illorum Religioni nomen dare?

*Consideratio XXXVII.* Institui dein Analysim & Synthesim circa discernendam veram Christi Ecclesiam à non veris, hac ratione: in Christianitate datur aliqua vera Christi Ecclesia (quam propositionem admittunt omnes omnino Religiones & Sectæ, quæ sunt in Christianitate, præter hæreticos illos, qui vocantur (*Exspectantes*) si datur Christi Ecclesia, ergo hæc debebat institui ab ipso Christo; si ab ipso Christo, utique institui debuit sapienter; ipse siquidem fuit sapientia æterna, Et cum sapienter sit instituta, debebat institui durans stabiliter, juxta ipsius Christi doctrinam. Matth. 7. v. 24. ubi ait: *Sapientem virum esse, qui ædificat domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra Petram.* Estque illa, de qua Christus dixit Matth. 16. v. 18. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; Si ita stabiliter est fundata; ergo non potuit deficere & cadere, sive per pluvias afflictionum, sive per flumina, & fluvios persecutionum, sive per ventos hæresum; alias enim fuisset fundata supra arenam, & non supra petram. Si non potuit deficere; ergo fuit semper visibilis. Et aliunde Christus frustra fideles suos monuisset Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quomodo enim possent aliquid dicere, seu proponere fideles Ecclesiæ invisibili & irreperabili? Si fuit visibilis omnibus fidelibus; ergo debuit propagari per Apostolos, post Ascensionem Christi, utpote quibus dictum est à Christo: *Euntes in universum mundum prædicate* Evangelium *omni creaturæ.* Marc. 16. v. 15. Quod etiam fideliter ii præstiterunt testante eodem Evangelistâ v. 20. *Illi autem profecti, prædicârunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*: & cùm Fides per Apostolos ubique fuit propagata, & per universum mundum veritas illius prædicata, igitur fuit *Universalis* seu *Catholica.* Si universalis; ergo & una. Et ideò Joan. 10. v. 16. dicitur *unum Ovile*, ad Rom. 12. v. 4. *Unum Corpus.* ad Ephes. 4. v. 4. *Unus Spiritus.* Si unum Corpus, & unus Spiritus est Ecclesia: ergo debuit habere etiam unum caput. Si hoc, ergo pro capite visibili, post Christi Ascensionem, Ecclesiæ hujus debuit à Christo constitui unus ex Apostolis. Si unus ex Apostolis: ergo illi, cui Christus dixit: *Pasce agnos meos*: Joan. ult. v. 16. item: *Tu vocaberis Cephas, id est Petrus. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves regni cœlorum.* Matth. 16. v. 18. Ergo Petrus constitutus erat Caput visibile Ecclesiæ à Christo fundatæ. Rursus quia Petrus non potuit semper vivere, & Ecclesia duratura erat semper, juxta illam promissionem Christi Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, debuit habere in officio suo pastorali, eoque universali, in doctrina Christiana alios successores, & hi rursus alios: ergo successio hæc perpetua & continuata Pastorum & doctrinæ, est de ratione veræ Christi Ecclesiæ. Quia verò Petrus & alii ejusdem Successores, non poterant prædicare Evangelium in universo mundo in sua persona, debebant habere coadjutores in hoc sacro opere. Ideò *Christus ipse, dedit quosdam (alios quoque) Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in mensuram ætatis, plenitudinis Christi (nempe*

*in resurrectione*) *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ad Ephes. 4. v. 11. 12. Demum quia Christus vocavit nos ad Ecclesiam suam *ut induamus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* ibid. v. 24. Ecclesia Christi debet esse *Sancta*, hoc est: & ad sanctitatem suâ doctrinâ instruere, & saltem aliquas personas Sanctitate illustres in suo gremio continere. Atqui hæc Christi Ecclesia ab ipso fundata, & per Apostolos propagata, non est alia, quàm Romano-Catholica. Hæc enim per SS. Apostolos, Petrum & Paulum, Romæ est inchoata & aucta, hujus fides erat eadem, quæ fuit Apostolorum & nominatim S. Pauli, qui ad Romanos 1. v. 12. Fidem Romanam dicit esse Fidem suam, & fidem suam esse Fidem Romanam: ergo est Apostolica. Hæc teste *eod. c. v.* 8. annuntiata fuit in universo mundo. Ergo est *Universalis* seu *Catholica*. Hæc est fundata à Christo per Petrum in petra. Ergo non potuit deficere. Fuit semper & est visibilis, ad quam recurrebant omnes gentes, ad illam convertebantur ex Gentilismo omnes populi. Hæc habuit semper per continuam Successionem Pastores totius Christianitatis à S. Petro inchoando, usque ad modernum Pontificem Clementem XI. Hæc tenet eandem omnino doctrinam Fidei per universum orbem. Ergo est una. Hæc habuit innumeros Sanctos & Sanctas, Martyres, Confessores, Virgines, & docet fideles suos ad sectandam Sanctitatem declinando à malo & faciendo bonum. Ergo est *Sancta*, ergo & vera fides, vera Religio, vera Christi Ecclesia; si vera, ergo sola, ergo hæc sola est amplectenda.

*Consideratio* XXXVIII. Vicissim aliæ omnes Religiones à Romano-Catholica alienæ simul & collectivè, sive singillatim sumptæ in doctrina sua, & dogmatibus Fidei plurimùm differunt inter se. Ergo non sunt *una Ecclesia.* Non sunt propagatæ per Apostolos, sed multis sæculis post tempora Apostolorum exortæ. Ergo non sunt *Ecclesia Apostolica.* Non sunt universales, nec sunt ubique, sed in pauculis duntaxat Provinciis & quidem solius Europæ. Ergo non faciunt *Ecclesiam Catholicam* seu universalem: suorum Pastorum, & doctrinæ successionem non possunt altiùs referre, quàm ad Lutherum. Ergo non habent continuam successionem Pastorum & doctrinæ, ab ipsis Apostolis. Nullum Sanctum suæ Religionis possunt nominare. Nec docent à malo declinare, vel bonum facere; imò tenent, illud esse impossibile, & hoc inutile. Ergo non constituunt *Ecclesiam Sanctam.* Ergo nullum habent indicium veræ Christi Ecclesiæ. Ergo omnes & singulæ sunt rejiciendæ.

*Consideratio* XXXIX. Contingit frequentissimè, ut inter Romano-Catholicos & Acatholicos, in aliqua controversia, non sit quæstio, circa Textum aliquem Scripturæ Sacræ, an ille liber Scripturæ, ex quo is profertur, sit liber Canonicus? Nec an sit bona, & legitima versio; sed præcisè quis sit illius sensus genuinus, & legitima interpretatio? Romano-Catholici interpretantur eum juxta mentem primitivæ Ecclesiæ & veterum Sanctorum Patrum: circa eundem Acatholici comminiscuntur novas interpretationes, easque non solùm à primitivæ Ecclesiæ, & veterum Sanctorum Patrum interpretatione diversas, sed etiam inter se discrepantes, & oppositas prout unicuique privatus suus Spiritus dictaverit. In similibus casibus sæpiùs anceps hæsi, cuinam explicationi & interpretationi adhærere debeam; sed re diligenter consideratâ, ratio ipsa mihi clarissimè dictabat, potiùs esse sequendam interpretationem Romano-Catholicorum, utpote conformiorem interpretationi antiquissimæ totius Ecclesiæ, & veterum Sanctorum Patrum. Tum quia authoritas communis, & totius, ac antiquissimæ Ecclesiæ, prævalet unicuique privatæ authoritati, eique novissimæ, & suspectæ: tum quia veteres sancti Patres omni exceptione majores erant, in Sanctitate, & doctrinæ soliditate, in virtutibus, & veritatis indagatione, modernis novellis, leviculis & sciolis nihil aliud quàm vitæ libertatem & carnis licentiam quærentibus & sectantibus, Ecclesiæ deformatoribus. Tum quia illi erant viciniores temporibûs Apostolorum, & nonnulli ferè iisdem aut saltem immediatis eorum successoribus convixerunt, ac proinde de eorum sensu ac mente majorem potuerunt habere notitiam circa Scripturæ Sacræ intelligentiam, quàm moderni Novatores post tam multas annorum centurias; tum quia eorum interpretatio fuit ante motas controversias inter Catholicos & Acatholicos hodiernos; adeòque sine ullo privato affectu sacras litteras interpretabantur; at verò moderni heterodoxi præoccupato affectu in alterutram partem controversiæ, conantur Scripturas ad suum sensum & doctrinam trahere, vel rectiùs detorquere, & non doctrinam suam Scripturæ Sacræ accommodare.

*Consideratio* XL. Sed ut hæc res magis pateat, declaremus eam in exemplo: statuatur e. g. hic Textus Scripturæ Sacræ, & hæc verba Christi Domini: *Hoc est Corpus meum*, Romano-Catholici accipiunt verba hæc in proprio ac reali sensu, quia hæc fuit explicatio illorum, & interpretatio, semper, totius Ecclesiæ ab initio ejusdem, ac omnium veterum Sanctorum Patrum, Acatholici id negant, ex suo proprio sensu, & privati Spiritûs dictamine. Et rursus alio modo eadem explicant Lutherani, alio Calvinistæ, alio Zwingliani, alio Ariani, & unusquisque pro argumento suæ interpretationis nihil aliud adducit, quàm privati sui Spiritûs dictamen. Cui igitur potiùs ex his spiritibus potuissem credere, aut cu-

cujus interpretationi potiùs adhærere? melius proinde fore judicavi nulli eorum credere, cùm pro una parte majorem rationem veritatis adferri non viderem, quàm pro altera. Veritas enim una est, quacunque de re, falsitas verò multiplex. Malui itaque hoc in puncto etiam sequi doctrinam Fidei Catholicæ, utpote securiorem.

*Consideratio* XLI. Ut ad fundamentum veritatis indagatæ devenirem, statui mecum utriusque partis celebriores Authores evolvere, hac intentione, ut viderem, quomodo eorum doctrina cum doctrina veterum SS. Patrum primitivæ Ecclesiæ ac ipsorum & inter se conveniret. Legi proindè varios libros eósque à Romano-Catholicis, & quidem diversarum nationum, in diversis Regnis, ac Provinciis conscriptos, partim ab Hispanis, Italis & Gallis, partim à Belgis & Anglis, partim à Germanis, Polonis & Hungaris, & deprehendi omnes in Dogmatibus, quàm inter se per omnia convenire, & quod mirum mihi videbatur, illos etiam, qui in aliis Scholasticis materiis acriter inter se discrepant, ut sunt Scholæ Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, & Societatis JEsu, qui tamen ubi ad Dogma aliquod Fidei ventum fuerit, idem omnino tenent, idem docent, idem profitentur. Id ipsum observavi in scriptis veterum SS. Patrum. Licet ii diversis temporibus & remotissimis in partibus vixerint, ac scripserint; ut Ignatius & Chrysostom. Antiochiæ, Athanasius & Thelesphorus Alexandriæ, Macarius & Cyrillus Hierosolymæ, Proclus Constantinopoli, Gregorius & Basilius in Cappadocia, Justinus Athenis, Dionysius Corinthi, Ephrem in Syria, Cyprianus, Optatus & Augustinus in Africa, Epiphanius in Cypro, Ambrosius in Italia, Irenæus in Gallia, Orosius & Isidorus in Hispania, Beda in Anglia. Econtra verò cùm contulissem Acatholicorum modernorum scripta cum doctrina veterum Sanctorum Patrum, in tantum eos ab illa recessisse comperi, ut totô cœlô ab eadem distent: combinavi dein ipsos scriptores Acatholicos inter se, & maximam discrepantiam in Dogmatibus Fidei inter illos clarissimè deprehendi: dum non tantùm Calvinistæ in Lutheranos; & vicissim Lutherani in Calvinistas, ac utrique in Puritanos, Arianos, & Anabaptistas insurgunt; sed etiam illi, qui sub eodem Titulo comprehenduntur, mirum in modum inter se digladiantur, quoad Fidei suæ Dogmata. Et aliud sentiunt, tenent, ac docent circa eadem rigidi Calvinistæ, & aliud molles Calvinistæ, aliud Remonstrantes, aliud contra Remonstrantes, aliud Puritani, aliud Presbyteriani, & aliud Lutherani Wittenbergenses, aliud Regiomontani, aliud in Suecia, aliud in Hungaria, aliud in statu Brandeburgico, aliud in Anglia; Aliud iidem tenent hoc sæculo, aliud tenuerunt priori sæculo, aliud ad initium Lutheranismi, aliud in ejusdem progressu. Quam igitur causam adferre potuissem in extremo die Judicii, si tot ac tantis hominibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos, pauculos, minùs doctos, minùs probos, ac hos inter se divisos antetulissem? potiùs igitur illis adhærendum, & hos rejiciendos judicavi.

*Consideratio* XLII. Sed licèt hi omnes tacuissent, ipsi tamen lapides & res cunctæ vetustatem aliquam habentes, mihi loquebantur, & veritatem Fidei Romano-Catholicæ inclamabant & inculcabant: consideravi enim templa antiquissima, electiones Cæsarum & Regum, eorúmque inaugurationis ritum, veterum Cæsarum, ac Regum statuta & articulos, antiquissimarum Academiarum Christianarum consuetudines ac Leges: Nationum ac populorum ad Christianitatem conversiones, marmoribus incisas inscriptiones, omnium sæculorum à Christo nato Historicos & Annales, gesta & res memorabiles omnium temporum, à quibus cœpit promulgari Christiana Fides: Ephemerides & in iis Festa Sanctorum & denominationes solemniorum dierum per annum, quæ etiam apud ipsos Acatholicos in usu sunt, cujusmodi sunt: Dominicæ, Quadragesimæ, Quinquagesimæ, Sexagesimæ, Septuagesimæ, Dominica in albis, Quasimodogeniti, Jubilate, Cantate, Rogate &c. Quæ omnia mihi inclamabant, non aliam unquam Religionem in Christianitate primis radicibus insedisse quàm Romano-Catholicam: convincentem proinde habui rationem, cur vetustati adhærerem & nuper natas novitates rejicerem.

*Consideratio* XLIII. Septemdecim jam sæcula præteriêre, quibûs Ecclesia Romano-Catholica impugnata fuit à crudelissimis Tyrannis, à Mahometanis, à Paganis & Gentilibus, & Schismaticis, à tam diversis hæresibus, semper tamen mansit, & nunc quoque manet invicta, insuperabilis, visibilis & florens, qui indies magis & magis augetur, crescit, & propagatur. Econtra verò tot, ac tam variæ exortæ fuerunt hæreses, quæ quidem videbantur potentissimæ, & diffundebantur instar torrentis, omnes tamen sensim sine sensu interiêre & periêre, ac penitus defecêre. Tales e.g. hæreses fuêre Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, Iconiclastarum & aliæ quàm plurimæ: Quid inde conclusi? Non aliud, quàm quòd Ecclesia Romano-Catholica fundata sit à Christo in petra, & de qua Christus prædixit: quòd neque portæ inferi prævalebunt adversus eam: aliæ verò sectæ ædificatæ fuerint ab hominibus & in arena, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in illas & ceciderunt, & fuit ruina illarum magna; imò & per se corruerunt multæ, & modernæ quoque successu temporis corruent. Juxta illud dictum Salvatoris: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Malui

lui

lui igitur me recipere in illam domum, quæ fundata est in petra, quàm in aliquam illarum, quæ ædificatæ sunt super arenam, & proximam minantur ruinam.

*Consideratio XLIV.* Sæpiùs perlustravi ex professo Bibliothecas tam Catholicas quàm Acatholicas, & in Catholicis observavi tria genera, seu classes librorum per longissimas series dispositorum, ex quibus in Bibliothecis Acatholicis, inter libros ab ipsis conscriptos, nec vestigium quidem exstabat. Quarum trium classium in Bibliothecis, prima erat sub *vita Sanctorum & Sanctarum.* Plurimæ hæ erant, ex omni statu fidelium. Erant inter eas Vitæ Sanctarum Virginum innumerarum. Sanctarum item Viduarum, Episcoporum, Eremitarum, Religiosorum, Monialium, Martyrum, Virorum Apostolicorum, SS. Regum & aliorum Sanctorum Confessorum, in quibus continebantur admirandæ eorum ac hæroicæ virtutes, vitæ innocentia, morum Sanctitas, devotio erga DEUM, charitas erga proximum, ac omnes vitæ Christianæ perfectiones. Et recogitabam, ac apud me concludebam, illam Religionem indubitatè veram esse: in qua fuere hæ sanctæ personæ, tantarum virtutum, ac tantæ perfectionis. Non potest siquidem mala arbor bonos fructus facere Matth. 7. v. 18. & v. 20. Et ex fructibus eorum cognoscetis eos; atque assumebam. Atqui hæ omnes sanctæ personæ vixerunt & mortuæ sunt, in Fide Romano-Catholica. Unde necessariò inferre debui. Ergo Fides Romano-Catholica est vera.

Altera autem classis librorum erat sub titulo *Ascetici*, in quibus comprehendebantur saluberrimæ spirituales doctrinæ, de exercitio virtutum Christianarum, & perfectione vitæ, de imitatione Christi, de mundi contemptu & vanitate, de amore DEI & charitate proximi, de dilectione inimicorum & condonatione injuriarum, de humilitate profunda, de castitate intaminata, & mentis ac corporis Angelica puritate, de conformitate humanæ voluntatis cum Divina, de meditatione, quatuor novissimorum & peccatorum gravitate, déque praxi omnigenæ pietatis, ac devotionis.

Tertia classis erat sub Titulo *Morales Theologi*, qui fusè tractant de observatione decalogi, & Legum Divinarum, de restitutione rerum alienarum & iniquè possessarum, & refusione damnorum per nos alteri causatorum, de Sacramentorum usu & administratione debita, deque aliis rebus ad dirigendam conscientiam spectantibus.

In Bibliothecis verò Acatholicis nullos similes libros reperire potui: Non vitas *Sanctorum & Sanctarum.* Quia nullos Sanctos vel Sanctas habent. Non *Libros Asceticos* Nihil enim libri eorũ habent de perfectione, quam nec ex nomine noverunt. Nihil de immitatione Christi, quam dicunt esse impossibilem, nihil de exercitio virtutum, bonorum operum, quæ inutilia esse ad vitam æternam judicant, nihil de castitate & continentia; ad cujus vel nomen exhorrescunt, nihil de pœnitentia agenda, ad quam ajunt sufficere, si quis credat Christum pro peccatis nostris æterno Patri satisfecisse: Theologia Moralis apud illos nulla est. Utpote qui docent præcepta Decalogi servari non posse: peccata omnia esse æqualia: peccata prædestinatorum apud DEUM non reputari pro peccatis: neminem damnari nisi ob peccatum infidelitatis. Et alia his similia, quæ caro & sanguis illis suggerit, & non Pater cœlestis iisdem revelavit, suntque non vitæ spiritualis, sed brutalis animalis principia, omnis laxitatis, & licentiosæ vitæ, ac libertati carnis occasionem præbentia.

*Consideratio* XLV. Contuli etiam conventicula Acatholicorum & specialiter, in quibus causæ sunt confessiones: Augustana, Helvetica, Genevensis, Anglicana, cum antiquissimis & Generalibus Conciliis Ecclesiæ Romano-Catholicæ, sed quæ poterat esse comparatio inter lucem & tenebras? ad Concilia, siquidem Generalia Ecclesiæ Romano-Catholicæ, convocari solent Episcopi totius Orbis, summi ex omnibus nationibus Theologi, Legati & Oratores Regum & Cæsarum, tractantur negotia summa cum maturitate, acuratissima cum discussione, cum consideratissima deliberatione, ac controversiarum unanimi definitione & decisione, & decretorum à fidelibus universali acceptatione; celebrantur longissimo tempore, ac subinde annis & annis, ut res controversæ meliùs discutiantur, ventilentur, examinentur, ac semel definitæ non ampliùs in dubium revocentur. Quid autem conventicula Acatholicorum? accipiamus in exemplum conventiculum Augustanum; in quo causa est confessio Augustana; Hæc confecta est paucorum, vix Theologiâ tinctorum concilio; & scripta cum magna festinatione, & celeritate, & quidem in diversorio publico, interfuêre illi solùm unius nationis, Germanicæ scilicet viri, iique pauculi, præoccupati jam priùs aliis opinionibus, homines animi elati, carnis libertati, & vitæ licentiosæ addicti, eadem à pauculis civitatibus & Principibus est acceptata, à pluribus rejecta, sæpiùs mutata & variata. His utrinque consideratis, quomodo potui non stare eorum potiùs quàm horum judicio, in decisione rerum controversiarum Fidei?

*Consideratio* XLVI. Considerationem hanc feci circa conscientias; Catholicam & Acatholicam: est autem conscientia actus intellectûs seu rationis, qui dictat nobis vel advertit, aliquid licitum vel illicitum esse, adeóque agendum vel omittendum, éstque proxima & immediata voluntatis nostræ Regula.

la. Jam videamus, quænam sint hæ Regulæ dirigentes voluntates, ex doctrina Romano-Catholicorum, & ex doctrina Acatholicorum.

Ex doctrina Romano-Catholicorum sunt hæ: omne peccatum est cavendum, & in libero arbitrio est hominis adjuvante DEI Gratiâ, ut peccet vel non peccet.

Omne peccatum mortale, meretur pœnam æternam, & unum illorum sufficit ad æternam damnationem.

Peccatum pro nulla re hujus mundi est faciendum, ita ut præstet millies mori, quàm unicum peccatum committere, etiam minimum.

De omni peccato etiam levissimo, ac verbo otioso danda est DEO ratio.

Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

Post grave peccatum commissum nihil restat, quàm vel Infernus vel pœnitentia.

Nullum opus honestum supernaturale est, quod non meretur Gloriam & gratiam supernaturalem aut illius augumentum.

Omnia peccata mortalia sunt in Confessione aperienda, ac Sacerdoti manifestanda, & plura his similia.

Acatholicæ autem doctrinæ hæc sunt conscientiæ dictamina.

Præcepta DEI est impossibile servare.

Unusquisque tenetur se credere salvandum vel prædestinatum.

Talibus, qui hæc credunt, DEUS non imputat ullum peccatum.

Propter nullum peccatum damnatur homo, nisi propter peccatum infidelitatis.

Bona opera non sunt meritoria vitæ æternæ.

Pœnitentia pro nostris peccatis non est necessariò agenda, siquidem Christus jam suâ morte & Sanguine satisfecit pro nobis.

Non est in nostra potestate peccata cavere.

Nemo obligatur ad sua peccata confitenda: sola fides sufficit ad salutem.

Jam quis consideret & perpendat, his principiis, qualisnam conscientia formabitur ad evitandum malum & faciendum bonum? cum tamen principia Catholicæ doctrinæ id unicum præstare possint. Convictus proinde fui potiùs conscientiam Catholicam sequi, quàm Acatholicam.

*Consideratio* XLII. Vehementer & illud mihi displicuit in Prædicantibus, quòd in omnibus suis Concionibus ac Sermonibus totos quantos se occupent in carpendis Catholicis præsertim in Cæremoniis & ritibus eorum irridendis, interim tamen quæ sunt gravissima in sua Religione, & unicè necessaria ad salutem populi curandam, ea penitus dissimulent, cujusmodi sunt, quòd non sint veri Sacerdotes utpote non habentes potestatem conficiendi Corpus & Sanguinem Christi in Evcharistia: neque potestatem dimittendi peccata, in quibus tamen Sacerdotalis muneris officium consistit. Unde fit, ut graviter decipiatur populus, putans se sub utraque specie accipere Corpus & Sanguinem Christi, sic à Prædicantibus dementatus, cùm tamen sub neutra specie accipiat, defectu Sacerdotalis potestatis in Prædicantibus, sed purissimum Panem, & purissimum Vinum. Persuadent item populo, se nihil docere, nisi quod docuit, & tenuit primitiva Ecclesia Christiana, & veteres SS. Patres, quod tamen falsissimum est, & ipsimet conscii sunt hujus falsitatis; non docent suos, aut peccata cavere, aut pro commissis peccatis pœnitentiam agere; non hortantur eosdem ad benè agendum, benè & Christianè vivendum, conformiter ad doctrinam & exemplum Salvatoris nostri.

*Consideratio* XLVIII. Cùm versarer inter Catholicos, observabam, quinam illorum judicio censeretur malus, ac tepidus Catholicus, & intellexi, illos in hac classe ab iis poni: qui DEI & Ecclesiæ præcepta non observant, in bonis operibus se non exercent, confessionem fugiunt, & negligunt, raro Sacris intersunt, ad Sacramentum pœnitentiæ raro accedunt, concupiscentiis suis & sensibus indulgent, jejunia non observant &c. Et reflexi me ad Acatholicos, inter quos, qui hæc non observant pro ferventibus Evangelicis & Protestantibus habentur. Et subintuli, ergo infirmi & pessimi Catholici sunt sicut optimi Evangelici vel Protestantes. Et confirmatus fui in illa gradatione, quam aliquando audiveram: ex pessimo Catholico fit optimus Lutheranus, ex pessimo Lutherano, optimus Calvinista, ex pessimo Calvinista, optimus Arianus, ex pessimo Ariano, optimus Mahometanus.

*Consideratio* XLIX. Pro motivo conversionis ad Fidem Romano-Catholicam etiam illud mihi erat: quòd nunquam observârim, ideò deficere à Fide Romano-Catholica aliquem ad Acatholicos, ut melior fiat, sed præcisè ùt libertatem carnis, ac licentiam vitæ consequatur. Unde nullum Religiosum, aut Ecclesiasticum vidi à Catholicis ad Acatholicos transire, cujus prima cura non fuisset ducendi uxorem & voluptates carnis sequi. Econtra verò, qui ex Acatholicis convertuntur ad Fidem Romano-Catholicam, observavi evasisse in homines valde pios & ferventes, zelosos ac exemplares, & multos ex iis mundo valedixisse, & se totos DEO, ac illius servitiis consecrâsse. Atque sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. *Matth.* 7. v. 17.

Sed & illud mihi mirum videbatur, quòd, cùm tam clari Scripturæ Sacræ Textus sint de necessitate & utilitate Charitatis, Spei, Timoris DEI, Eleemosynæ, & aliorum bonorum operum, ac de necessitate Fidei, Acatho-

tholici tamen doceant solam Fidem sufficere ad salutem, licet hoc nullibi sit in Scriptura sacra. Sicut enim de Fide testatur Scriptura: *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad Justitiam.* Item: *Fides tua te salvum fecit.* Idem etiam de Spe testatur eadem Scriptura: *Multa flagella peccatoris; sperantem autem misericordia circumdabit.* Psal. 13. v. 10. item: *In te sperabo, non confundar in æternum.* Item: *spes autem non confundit.* Item: *Omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se.* 1. Joan. 3. v. 13. Et de charitate: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. v. 42. Et charitas *cooperit multitudinem peccatorum.* 1. Petr. 4. v. 8. Et de observatione mandatorum. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et aliis bonis operibus. *Et qui bonum egerint, ibunt in vitam æternam.* De pœnitentia: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Misericordia: *Misericordiâ & veritate redimitur iniquus.* Eleemosyna: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Idem: *quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* De condonatione inimicorum: *Dimititte, & dimittemini.* Luc. 6. v. 37. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester delicta vestra.* Matth. 6. v. 14. Meliùs ergo & tutiùs esse judicavi, doctrinam Catholicorum sequi, qui docent Fidem quidem necessariam esse ad salutem, sed non excludi spem, & charitatem, aliáque bona opera. Nam ùt S. Paulus habet: *Fides, spes & charitas tria hæc (necessaria sunt ad salutem)* & alibi sic: *Si Fidem habeam, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Si autem hoc admittatur (uti admitti debet) igitur falsum est, quòd *sola fides* sufficiat ad salutem, falsum item, quòd alia bona opera non sint utilia ad salutem. Falsum denique, quòd omnia nostra bona opera sint peccata, peccata siquidem non sunt utilia ad salutem, sed sunt media ad æternam damnationem.

*Consideratio L.* Non paucos observavi Acatholicos, qui estò in vita fuerint pertinacissimi in suis sectis, postea tamen ubi ventum est ad articulum mortis, convertebantur, & desiderabant mori in Fide Catholica. Econtra nullum Catholicum notavi, qui ad extrema deveniens, optâsset in Religione Acatholica mori, cùm tamen in hora mortis maximè aperiantur homini Christiano mentis oculi, circa ea, quæ concernunt æternam animæ salutem. Ego autem sic vivere statui, sicut vellem mori. Igitur maturè Fidem Catholicam amplecti decrevi. Siquidem sicut mors est certissima: ita hora mortis est incertissima. His accessit, quòd Catholici, cum quibus de mea conversione egi, hanc dabant mihi assecurationem: quòd si propter susceptam Fidem Catholicam damnari deberem, ipsi parati sint pro me in die Judicii respondere, & damnationem æternam loco mei, vel mecum subire. Qualem assecurationem non potui obtinere vel extorquere ab aliarum Sectarum Prædicantibus; si in illorum Secta vixero & mortuus fuero. Unde conclusi, firmioribus fundamentis niti Fidem Romano-Catholicam, quàm alias sectas à Fide Romano-Catholica alienas.

Hactenus de Ecclesia militante, & Religione Catholica. Ad quem Tractatum etiam subsequens ordinatur.

# SCHEMA,

## *Eorum, qui ex Illustrissimis ac Serenissimis Prosapiis oriundi per unius Sæculi decursum ab Heterodoxa ad Romanam & Orthodoxam fidem, vocante Numine, rediere.*

Elisabetha Christina Brunswico-Guelpherbytana, Caroli VI. Rom. Imp. Augustissima Conjux.
Amalia Brunswico-Hanoverana Josephi I. Rom. Imp. Augusta Vidua.
Jacobus II. Angliæ Rex.
Fridericus Augustus II. Saxoniæ Elector, & Poloniæ Rex.
Christina Sueciæ Regina.
Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatin. Rheni Neoburg.
Elisabetha Amalia Ducissa Hasso-Darmstad. Electrix Palatin. Eleonoræ Magd. Imp. Mater.
Joannes Fridericus Dux Hanoveranus Amaliæ Imp. Parens.
Antonius Ulricus Dux Brunswico-Guelpherbytanus Elisabethæ Christ. Rom. Imp. Avus.
Eduardus; Rupertus; Mauritius Fratres Comites Palatini, Electoris Palatin. Friderici V. Filii; cùm Louysa Hollandina, Maubuissonæ in Gallia Abbatissa, Sorore.
Gustaphus Samuel ex Adolph. Joan. Caroli Sueciæ Regis Fratre Nepos.
Maria Elisabetha Ducissa Bipontino-Kleeburgica.
Carolus I. Angliæ Rex.
Carolus II. Angliæ Rex.
Christianus Augustus Sereniss. Dux de Saxo-Seiz Eminent. S. R. E. Cardin.
Christianus Wilhelmus Marchio Brandenburgicus, Porussiæ Rex.

Emi-

Eminentiſſ. S. R. E. Cardin. Comes de Neidhart ex Sileſia oriundus.
Fridericus Landgravius Haſſo-Darmſtad. S. R. E. Card. & Epiſcopus Breſslavienſis.
Erneſtus Landgravius Haſſo-Rheinfelt.
Guſtaphus Adolph. Marchio Badenſis Durlach. S. R. E. Card. & Ducal. Eccleſiarum Campid. ac Fuld. Princeps Abbas, dictus aliàs Bernardus Guſtaphus.
Jacobus Marchio Baden-Durlach.
Eduardus Fortunatus Marchio Badenſis.
Philippus Marchio Badenſis.
Carolus Marchio Baden-Durlach.
Eminentiſſ. S. R. E. Card. Leopoldus de Kolonitsch Archi-Epiſc. Strigon.
Chriſtianus Auguſtus Prin. Solisbacenſis Comes Palat. Rheni, cum conjuge ſua Amalia Comitiſſa Naſſov. Siegen.
Joan. Frid. Dux Brunswico-Luneburg-Hanov. Auguſtæ Imp. Amaliæ Parens.
Maximilianus Wilhelmus Dux Brunswico-Luneburgicus.
Adalbertus Dux de Saxo-Weiſſenfels.
Chriſtianus Dux Megalopol. Schwerin.
Erneſtus Marchio de Haſſo-Rheinfels.
Maria Eleonora Comitiſſa de Solms.
Georgius Marchio Haſſo-Darmſtad.
Philippus Princ. Marchio Haſſo-Darmſtad.
Fridericus Marchio Prin. Haſſo-Darmſtad.
Georg. Chriſtianus Prin. Haſſo-Homburg.
Carolus Alexander Dux Würtenberg-Stuttgard.
Eleonora Charlotta Duciſſa Würtenberg-Mœmpelgard.
Alexander Henric. Dux Holſat. Sunderburg. cum duobus Sereniſſimis Filiis, Eorúmque Deſcendentibus.
Fridericus Wilhelm. Dux Holſat. Sunderburg-Beck.
Leopoldus Dux Holſat. Wieſenburg.
Dorothea Eliſabetha, Eleonora Margaretha, Magdalena Sophia, } Holſat. Wieſenburg.
Dorothea Hedwigis Duciſſa Holſat. Sunderburg. Nordburg.
Joachim Erneſtus Holſat. Sunderburg. Phen. cum Prin. Fil. Joa. Erneſto Franciſco.
Julius Henricus, Franciſcus Carolus, Rudolphus Maximilian. Franciſcus Erdmann. Fridericus Chor-Epiſc. Colon. } Principes Saxo-Lauenburg.
Frid. Auguſtus III. Saxon. Elector, & Polon. Rex.
Joannes Prin. Naſſov. Siegen.
Joan. Ludov. Prin. Naſſov. Hademar.
Guſtaph. Adolph. Naſſov. Idenſtein.
Ferdinandus Curlandiæ Dux.
Alexand. Wenceslaus Euſebius Dux de Friedland & Sagan.
Godefridus Langwerth à Simeren Epiſc. Teutraniæ, Ratisbon. Canon.
Comes de Göz, Comes de Schulz, Comes de Harſch S. C. M. Generales.
Godefridus Adolphus Voluſius SS. Theologiæ Doctor Suffraganeus Mogunt.
Petrus & Adrianus de Wallenberg, Doctrinâ Controverſiſticâ, & ſtemmate admodùm Nobiles.

TRA-

# TRACTATUS VII. APPENDIX. SEU

# ANIMADVERSIO

## IN ANONYMUM, SUB LARVA SINCERI PISTOPHILI LATITANTEM.

Cùm labente anno superiori, hujus Sæculi trigesimo sexto, Operi meo Theologico ad prælum promovendo ultimam admoverem manum, ex improviso à tertia manu mihi incognitâ, aliqua deductio impressa transmissa fuit, gerens in fronte sequentem Titulum: Wohlverdiente Bestraffung des unverschamt- und Eselhafften Calumnianten, so unter dem erdichten Namen Sinceri Pistophili, die Buß- und Fasten-Predig Seiner Hochfürstlichen Gnaden Leopoldi Antonii Eleutherii, Ertz-Bischoffen, und des heiligen Römischen Reichs Fürsten zu Saltzburg ꝛc. mit lästerlichist- und allerunvernünfftigsten Anmerckungen nachzudrucken sich freventlichist unternommen; nun aber mit behörigen Antworten, und wohl gemessenen Correctionen offentlich beschämet ꝛc.

In præfatione, oder Vorbericht illius sinceri Pistophili exordium texitur ab emigrantibus Evangelicis ( ut eos vocat) è Principatu celebris Archi-episcopatus Salisburgensis, quòd non solùm Germaniæ, verùm & & aliorum Regnorum oculos notabili suo numero attentos in se fecerint. Cuicunque (pergit deinde) Evangelica veritas in pretio est, is ob primordium lucis, quæ ibi inclaruit, cordicitus gavisus fuit. Verùm, dum cogitandum esset, potentes quoque & litteratos illius Regionis veritatem quodammodo meliùs inspecturos esse, prô dolor! contrarium evênit. Salisburgo nobis Scripta afferuntur, in quibus periculosæ & erroneæ doctrinæ Romanæ Ecclesiæ altissimè provehuntur, novísque adaugentur. D.P. Benedictus Schmier Professor Salisburgi 4. Augusti 1732. amplam disputationem sive librum de *Militante Ecclesia* edidit, ac Primatum atque infallibilitatem Pontificum probaturus, non tantùm pag. 218. ad putativas Epistolas Anacleti, Evaristi &c. provocavit, cùm tamen prudentes Papistæ cum pridem agnoverint, omnes illas Epistolas falsò confictas, & suppositas esse: sed etiam dum aliàs Pontificii Scriptores ipsimet magnas illas prærogativas, quas Ecclesiæ adscribunt, non de persona cujuslibet actualis Pontificis intellexisse volunt, præcipuè quando de testimonio, quòd Ecclesia de libris Sac. Scripturæ dabat, sermo est. At contrà D.P. Schmier omnino dilucidè se declarat, & pag. 253. dicit: Fides quoad assensum ultimatò resolvitur in veritatem Divinam, tanquam in rationem formalem sub qua, & motivum; in Ecclesiam verò vel potiùs in ejus Capita successiva, scilicet Romanos Pontifices, quoad propositionem credendorum, regulam fidei, & conditionem applicativam formalis motivi. Hæc in latinum translata quasi de verbo ad verbum correspondent germanico contextui Pistophili larvati in sua præfatione, oder Vorbericht ad concionem paulò antè memoratam. Subjicio ipsam contexturam germanicam Pistophili.

Man hat geraume Zeit her in der Welt viles geredet von dem berühmten Saltzburgischen Ertz-Bistum, und die beträchtliche Anzahl der Evangelischen Emigranten aus disem Fürstenthum hat die Augen des gantzen Teutschlandes, auch anderer Königreiche, auf sich gezogen. Wem die Evangelische Wahrheit lieb ist, der hat sich über den Anfang des Liechts, so da selbst erschienen, hertzlich gefreuet. Aber, da man hätte dencken sollen, daß auch die Mächtige und Gelehrte in selbligem Land die Wahrheit in etwas besser einsehen möchten; so ist, leyder! gerad das Gegentheil geschehen. Es werden uns von Saltzburg Schrifften gebracht, in welchen die gefährliche- und irrige Lehren der Römischen Kirche auf das höchste getriben, und mit neuem vermehret werden. Der Herr P. Benedictus Schmier, Professor zu Saltzburg hat den 4. Augusti 1732. eine weitläuffige Disputation, oder Buch de militante Ecclesia heraus gegeben, und sich die Hochheit und Unbetrüglichkeit der Päbst zu erweisen, nicht nur p. 218.

auf die vereintliche Episteln Anacleti, Evaristi, u. s. w. beruffen, da doch gescheide Papisten längst erkannt, daß alle dise Brieffe fälschlich erdichtet, und untergeschoben sind: sondern auch, da sonsten die Päbstliche Scribenten selbst die grosse Vorrechte, die sie der Kirchen zuschreiben, nicht eben von einer Person, nemlich dem jedesmahligen Pabst, wollen verstanden haben, sonderlich, wan vom Zeugnuß, so die Kirchen von den Bücheren der heiligen Schrifft gebe, die Rede ist: So gehet hingegen der Herr P. Schmier gantz deutlich mit der Sprach heraus, und sagt p. 253. Fides quoad assensum ultimatò resolvitur, das heisset: der Glauben gründet sich zwar am End auf die Göttliche Wahrheit, aber in so weit die Wahrheit vorgetragen, und zur Glaubens-Regul wird, gründe sie sich auf die Kirche, oder vilmehr derselben nach einander folgende Häubter, die Römische Päbst.

Jam post informatum Æquanimum Lectorem, unicè pro gloria DEI, & Bono nostræ veræ Religionis, seu Ecclesiæ supra summos Vicarios Christi, tanquam legitimos D. Petri Successores fundatæ, animadversionem contra provocantem sequenti allocutione auspicor.

Sincerum te Pistophilum nominare non erubescis, qui alieno nomine velut larvâ faciem velas, ut liberiori licentia, & impudentiori pruritu astúque velut ex insidiis Salisburgenses, ac præcipuè (quod sceleris caput est) & primariò eorum Celsissimum Reverendissimúmque Archi-Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum Natum, S. R. I. Principem, & Germaniæ Primatem, affictorum errorum calumniis invaderes, ejúsque Pastoralem zelum, quem piissima atque sapientissima Verbi Divini Prædicatione in sua Metropolitana non sine eximio animarum fructu palàm monstravit, in ludibrium converteres, & arrogata correctione confutares. Sed quo laudis commeritæ præmio ob præsumptam tuæ Religionis utilitatem istud negotium gesseris, patrati à te contra tantum Principem facinoris nuper typis editæ *Vindiciæ* publicæ, in quibus tanquam ignorantiæ monstrum animalibus Arcadicis prolixè compararis & associaris, inspicienti imaginem quasi in speculo repræsentabunt. Quis ille Anti-Anonymus Vindex fuerit, nihil ad me; tu videris Pistophel larvate.

Quantum res meam causam concernit, ego tam inhonorificam seu metamorphosin seu metempsicosin dissimulo, & humaniùs tecum egero, si te quidem animal rationale in actu primo haud inficier, in actu tamen secundo distortè discurtivum, ubi nempe ad sphœram supernaturalem fidei Divinæ & Ecclesiæ universalis divinitus institutæ verticem, mentis tuæ Operationes dirigis, liberè incusavero; quod ex hac Deductione constabit.

Primò lepidè in tuo exordio gloriaris, quòd Salisburgenses Emigrantes non solùm Germaniæ, sed & vicinorum Regnorum oculos in se attentos effecerint. Quæso! quid gloriæ, & incrementi tuæ inde Religioni accessit? Nemo unus supra conditionem plebeiam elevatus, nullúsque litteratus, vel aliquo officio conspicuus intra illa Juvaviensia montana cum tumultuantibus rusticis fœdus aliquod sanxit, & desultoria levitate avitam, id est, Catholicam Religionem abjurando aut aliàs proculcando, aut aliam novam profitendam foràs processit, aut emigrando pedem effere Auctoritate Principis compulsus fuit. Quis illos simplices monticolas ad ea consilia pellexerit, occultísque suggestionibus, promissis, & allicimentis in retia traxerit, abduxerítque, sinceris Germaniæ nostræ patriotis quàm plurimis haud sanè est incognitum, tibi verò, tibi verò, Pistophile, tuisque contubernalibus, dummodò sincerè fateri velletis, comprimis erit compertum. Ne ergo gloriam, pretium, vel æstimationem ex tali rapto quæratis. Magìs metuite, qualem rationem supremo Judici quondam reddituri sitis.

*Evangelicos* emigrantes appellâsti, haud dubiè, ut eos à *Catholicis* contra distingueres, tantáque inter ea prædicata antithesis & antipathia intercederet, ut primum daret exclusivam alteri, & nos Catholici non possemus revera dici ac esse Catholico-Evangelici, sed Catholico-non Evangelici, quod nunquam tolerandum à nobis juratis Evangelii Christi Professoribus. Evangelici derivantur ab Evangelio, quod idem significat, ac fausta annunciatio. Et nonnulli ab Hebraica voce *Eban*, nempe petra, & *Ghelion*, id est, manifesta, etymologiam deduxerunt: quoniam in Evangelio generi humano propalatur verus Messia, qui fuit angularis lapis à perfida Synagoga reprobatus. Neque vocabulum illud semper quatuor Evangelica denotat; sed quandóque missionem, nuncium, & prædicationem &c. Sicut ad Romanos 16. Gratia Domini nostri JEsu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum & prædicationem &c. Item: contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus. Rursus: sed contra cùm vidissent, quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis. Gal. 2. Certè in hac Evangelii acceptione nihil fundamenti apparet, ex quo monticolis emigrantibus, vel potiùs emigrare jussis, peculiariter & cum distinctione contra Catholicos Evangelicorum appellatio approprietur, quasi ipsi essent propriè missi, nuncij, prædicatores, aut imitatores veri Messiæ, vel etiam Regni cœlestis appropinquantis.

Quòd si prætendatur, prædictos emigrantes nomen Evangelicorum promereri

ex

ex singulari affectu, zeloque, quo præ Catholicis in venerationem Evangelii, seu Evangelicæ doctrinæ incitentur, longè majori ratione vocabulum Evangelicorum Catholicis subordinatur? tum quòd apud istos solos Consilia Evangelica voluntariæ paupertatis, obedientiæ, & Castitatis perpetuæ ad Exemplum Apostolorum, in usum DEO gratissimum redigantur: tum quòd sacra Evangelia non solùm in scholis & instructionibus Catecheticis juventuti ad discendum, verùm etiā in templis comunitati fidelium ante Conciones continuò pro jugi instructione, imitatione, & observantia prælegantur, itemque juxta præclaros Sanctorum Patrum Commentarios, receptúmque in antiqua orthodoxa Ecclesia sensum, singulis diebus Dominicis, ac festivis prædicentur ac explanentur. Quin imò in quotidianis Missæ sacrificiis, sicuti & officii divini horarii tam publicis cantibus, quàm privatis Breviarii recitationibus sacra Evangelia inseruntur, & in solennitatibus sublimi veneratione decantantur. Isque venerationis & mysticarum ceremoniarum usus in Ecclesia Catholica antiquissimus est. Juxta decretum Anastasii Papæ non sedetur, dum legitur in Missæ Sacrificio Evangelium. *Microlog. de Ecclesiast. observat. cap.* 9. Diaconus in Missa solenni cantaturus Evangelium, priùs celebrantis manum osculatur; Subdiaconus verò post Epistolæ lectionem; quia vetus lex terminata est in Christo, à quo nova sumpsit exordium: hæc enim (scilicet nova) in Diacono sicut illa (scilicet vetus lex) repræsentatur in Subdiacono: quæ repræsentatio in Sacrificiis Missæ privatis etiam locum habet: nam in Altari cornu Epistolæ, veteris, & cornu Evangelii, novi Testamenti sunt symbola: ideo quando legitur Evangelium, à dextro latere ad sinistrum transfertur: sive, ùt Hugo de S. Victore in *Spec. Eccles. cap.* 7. notat, ea translatione repræsentatur, quòd, Judæâ respuente Verbum DEI, Apostoli ad Gentes transierint. In Missa solenni lectionem Evangelii præcedunt lumina per ceroferarios delata, non ad expellendas tenebras; quia tunc non reperiuntur: sed ad denotandum Evangelii splendorem, D. Hieronymo *adversus Vigilantium* id confirmante his verbis: quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: unde & Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades.

Aliud morale circa hoc meditatur Innocent. III. *lib.* 1. *de Myst. Miss. cap.* 3. nimirum per cereos accensos, dum legitur Evangelium, nos admoneri, ut proximis bona opera ostendamus.

De trino autem signo crucis, quo simul cum Diacono circumstantes in principio Evangelii sese signant, sic ait: signare se debet in fronte, signare se debet in ore, & in pectore, ac si dicat, ego Crucem Christi non erubesco, sed credo corde, quod ore prædico, vid. eundem circa hoc *lib.* 2. *de Myst. Miss. cap.* 43. ubi de osculo Evangelii adnotat, nos mediante illo pacem à Christo recipere. Et quidem Sacerdos celebrans Missæ sacrificium in fine Evangelii illud osculatur: si tamen præsens adsit aliquis in dignitate Ecclesiastica eò major, v. gr. Episcopus, Archi-Episcopus &c. ipsi Evangelium defertur ad osculandum. Nulli verò Principi sæculari Evangelium in Missa ad osculandum deferre licet hodie post prohibitionem factam ab Honorio III. Pontif. Max. in Epistola decretali, quæ incipit, *ad audientiam*, estò antiquiori tempore populus ad hujusmodi osculum admissus fuerit; quod haud dubiè ex peculiari venerationis respectu ad sacrum Evangelium in sacrificio Missæ legendum ita statutum ac mutatum est. Reges autem, quando oleo sancto ritè uncti sunt, nedum Evangelium in Missa osculari, verùm etiam canere possunt. Et narrat Albertus Argentoratensis in sua chronica circa an. 1347. quòd Basileæ in Nocte Nativitatis Domini Carolus IV. Romanorum Rex post refectionem sacræ Communionis Evangelium alta voce legerit, illud nempe, quod incipit: *Exiit edictum à Cæsare Augusto &c.* tenens in manu gladium denudatum. Romæ, dum Papa processionaliter ex Throno ad Altare pro inchoanda Missa accedit, latinus Subdiaconus Evangelium argento contectum ante pectus defert: quod etiam fit, dum celebrat Episcopus, *Carem. Episc. lib.* 1. *cap.* 10.

Mos quoque erat semper, ùt tempore cujusdam Concilii Oecumenici in primario ac venerabiliori consessorii loco specialis erigeretur Thronus pro memorati sacri Codicis deposito, ejúsque submissiori reverentia: & inter veteres Christianos pia vigebat devotio ferendi in pectore Evangelium, non secus, ac si pretiosissima esset reliquia: Non cernis (ait S. Chrysostomus. *homil.* 19.) ùt mulieres & parvi pueri præ magna custodia collo Evangelia suspendunt? Et de gloriosa Virgine ac Martyre Cæcilia ejus acta testantur, quòd semper Evangelium Christi in pectore gessit.

Hæc tu, Pistophel, ignorâsti, ideóque in re tanti momenti lucónico saltem magisterio & instructione indiguisti. Compara jam cultum; venerabilémque Evangelii usum inter nos Catholicos tam pium, floridum, & receptum, apud vos econtra non-Catholicos tam egenum, aridum, & desuetum; dein sepositis partium studiis judica, an non fortiori jure Catholici (in sensu sano, ac legitimo) *Evangelicorum* nomen sibi vindicent ac subordinent, quàm Emigrantes Salisburgenses, & quicunque à Catholicis divulsi?

Fortasse sæpe dictum prædicatum ex eo ad

ad tuam Religionem præripere ac restringere contendis, quòd vos omni studio aliud, & à Martino Luthero noviter inventum Evangelium sequamini. Ita jactitare potestis, probare minimè. Si aliud sectemini, quæro, aut diversum est per Lutheri emendationem, aut per ejus corruptionem? Neutrum vestris principiis favet.

Non vultis audire, novum & aliud esse Evangelium per corruptionem: quia corruptum non foret verum Christi Evangelium. Si verò dicatis, novum esse per emendationem, vobis contradicitis. Nonnè enim omnis scriptura divina juxta vos quoque infallibilis est, ita ut nec falli nec fallere queat? Atqui Evangelium scriptura divina est, eratque tot sæculis ante Lutherum: Ergo juxta vos quoque Evangelium ante Lutherum infallibile erat: Ergo nec falli nec fallere poterat. At si corrumpi potuit Evangelium ante Lutherum, & ab eo postea emendari, evidenter falli, seu infallibilitatem amittere, ac fideles Christianos decipere potuit. Quo modo ergo hæc vestris cohærent principiis, qui perpetuò congeminatis, extra scripturam nullum dari Controversiarum judicem, cunctos homines fallibilitati & errori obnoxios esse; solâ scripturâ divinâ, quia nec falli nec fallere valet, generaliter in omnibus disceptationibus, quæ circa fidem hinc inde suboriuntur, lites dirimi? Cujus tamen contrarium Catholici, unum supremum infallibilem Controversiarum judicem profitentes, satis perspicuè demonstrant.

Cæterùm falsificatio, aut corruptio, Evangelii alteriusve divinæ scripturæ necessariò universalis Ecclesiæ defectibilitatem supponeret; Illéque, qui se pro correctore & reformatore indubitabili gerere posset, ex promissa Spiritûs Sancti certa assistentia infallibilitatem habere deberet. Catholici autem Ecclesiæ universalis indefectibilitatem (cùm portæ inferi contra eam nunquam sint prævalituræ) invictè probant, simul & defectibilitatem, lapsus, errorésque Martini Lutheri æquè ac aliorum novatorum eidem confinium aut coævorum, veluti latè deductum fuit in Tr. de *Ecclesia Militante &c.* ad quem candidus Lector omnino in hisce materiis, ibi ex instituto percolatis & trutinatis remittitur.

Testimonium ipsius Lutheri de *Clanculario Concionatore*, hunc in modum loquentis adijcio: „ Accersat eum Senatus ad se, „ etiam præsente omni populo, si fieri potest, & quærat ex eo: quis eum huc miserit, aut vocaverit ad docendum? Id procul dubio Senatus non fecit. Quòd si istum dicat, se à DEO, atque ipsius Spiritu missum esse, quemadmodum Apostoli, probet hoc miraculis & signis editis, vel nolite ferre ut concionetur; nam ubicunque Deus ordinariam vocationem mutare vult, ibi semper miracula facit. Hæc Lutherus. Si ergo ex propria ejus confessione nullus novus Evangelii concionator, vel Missionarius extraordinarius (qui nimirum suam vocationem & missionem legitimare nequit) sine editis miraculis, admittendus est, quantò minùs antiqui Evangelii temerarius Corrector, à cujus auctoritate nova classis *Evangelicorum* nomen singulari quadam Distinctionis vel excellentiæ prærogativa sortiatur, audiendus erit?

Antehàc is erat universi orbis status, uniforméque recti Christiani nomen, ut in Christi Ecclesia esset terra labii unius, & sermonis ejusdem, ac multitudinis credentium cor unum, & anima una. Sicut unus Deus ab omnibus colebatur, ita fides una retinebatur. Una fuit eadémque administrandorum Sacramentorum ratio, unus & idem propè cæremoniarum ubique ritus. Idipsum dicebant, idipsum sentiebant, idem sapiebant omnes. Quamobrem cùm una & eadem essent omnes mente præditi, nomine quoque non nisi uno & eodem censeri volebant. Non vocabantur alij Gnostici, alij Apostolici, alii Evangelici, alii Papistæ, non aliis quibuscunque nominibus censebantur: sed à Christo, quem unanimiter profitebantur omnes, in quo sibi solo fas esse gloriari persuasum habebant, *Christiani* seu Christiano-Catholici ab una, sancta, Catholica Ecclesia cuncti nominabantur: quo nomine nullum sibi gloriosius dari posse existimabant. Homines enim erant recti, & simplices, ac timentes DEUM: qui non in contentione sermonis, sed in simplicitate fidei Regnum DEI esse crederent, nec aliud scirent Evangelium, nisi quod à Spiritu Christi profectum, de Christo per Christi discipulos scriptum esset. Sed cùm sibi conscius esset (subdit Hosius *lib.* 1. *de Hæresibus nostri temporis*) „ Lutherus, à quovis alio potiùs, „ quàm à Christo suum Evangelium profectum esse, noluit Sectatores suos vocari Christianos, quod nomen, ùt jam diximus, commune fuit omnium, qui ante quadraginta annos, quibus Lutheri dogmata in vulgus spargi cæperunt, Christum professi fuerant: sed vocavit eos Evangelicos, ut vel ipsa hac appellatione se suósque à Christo & à Corpore ejus, una, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia segregatos, neque sibi commune quicquam esse cum Christo, declararet. Atque hoc illud est, quod adeò magnificè ab iis Evangelicis prædicatur DEI Verbum & Evangelium, non quidem illud à Christo, sed ab Authore Satana profectum, sicut ipse fatetur, qui primus id in lucem edidit Lutherus. Nam eo libro, quem inscripsit *de Missa angulari*, à Satana sibi gloriatur argumenta esse suppeditata, quibus & Sacerdotium & sacrificium everteret.

Qui-

„ Quibus everſis, quid aliud quàm DEUS „ ipſe ſublatur è medio, vel ſaltem in ordi- „ nem coactus eſſe videtur? Nam ubi nul- „ lum eſt Sacerdotium, nullum ſacrificium, „ ibi conſequens eſt nullum etiam DEUM „ agnoſci. Hucusque Hoſius. Ex quibus omnibus Magiſter Piſtophel diſcet in actu ſecundo ratiocinari, quanto Religionis jure & honore Salisburgenſes emigrantes titulo *Evangelicorum*, commutando antiquiſſimum nomen Chriſtianorum & Catholicorum, decoraverit; præſertim, quòd plurimi emigrantium, quando præconceptum errorem dedocti intellexerunt, nos quoque Catholicos ſanctum DEI Evangelium credere, profiteri, ſequi, tenere, atque usque ad ſanguinis effuſionem defendere, Evangelico-Catholicos ſeſe nominare non dubitârint.

Secundò, vix non delirantis in morem doles, & miraris, quòd ex lucis primordio, quæ per Evangelicos emigrantes Salisburgenſibus apparuerit, etiam potentes ac litterati in ea regione veritatem non meliùs inſpexerint, ſed potiùs contrarium evenerit: quaſi dicas, dolendum eſſe, quòd tota Provincia Salisburgenſis, Apoſtatarum licèt emigrantium doctrinâ, moribus, & exemplis inſtructa tam inſigniter, nihilominus non fuerit permota ac inflexa ad pariformem Apoſtaſiam ſeu defectionem ab avita Catholica Fide ad eam, à qua Salisburgenſes Metropolitæ illas oves errantes, ne perirent, cura & vigilantia adeò Paſtorali retinere, cuſtodire, & præſervare tot præteritis annis aſſiduò ſtuduerant. Ergòne oves turbatæ & circumerrantes Paſtorem paſcere, inſtruere & regere debuerant? Subditi Præpoſitos? Laici Clerum? Idiotæ ac litterarum ignari ſapientes & doctos? Ergòne ruſtici emigrantes, opifices, mediaſtini, ancillæ, puellæ, ſenes, & vetulæ ubique in Salisburgenſi Provincia, adeóque in Eccleſia Metropolitica fuiſſent rogandi, ut conſcenderent Cathedras, atque ex iis Celſiſſimum Archi-Epiſcopum, Illuſtriſſimum Capitulum, Miniſterium Aulicum, Reverendiſſimum Conſiſtorium, Prælatos, totum Clerum, Doctores & Profeſſores Archiepiſcopalis Univerſitatis, Magiſtratúmque cum Civibus Rudimenta Chriſtiana & veritatem fidei docerent? Hæc tam abſurda ſunt & abſona, ac ſi diceres, Piſtophel, lumen Soli inferendum, ſerenitati nubem inducendam, juxta fluvium puteum fodiendum, bovem à curru trahendum, agricolam ab aratro regendum, aquam igni miſcendam, Herculis vel Gigantis cothurnum infanti optandum, Camelum ad ſaltum excitandum, aut à ſue cum Minerva certamen ſuſcipiendum eſſe.

Cur non adjeciſti, vulgus potuiſſe vel debuiſſe omninò Principi terræ, cæteriſque eidē ſubjectis ſtatibus primùm comemoratis, *Beneficium flebile emigrationis* ſeu obtrudere, ſeu comminari, nî quantocyus à Catholica Religione ad illam Luthero-Evangelicam deſilire malint. Si enim monticolis prætactis addicis ſuperioritatem & regimen prælucens in Religione, quamvis hactenus diœceſani ſubditi eſſent, non minori imprudentia eos Religionis jurisdictione & dominatione dignos cenſebis, tametſi antea Principi terræ ſubjacerent: præcipuè, quòd non levis rumor percrebuerit, ſub pallio aut peplo Evangelicæ Religionis longè ferventiori ſpiritu liberationem à ſubjectione civili intentam, ſicque independentiam cum ſuperioritate Democratica, ad normam quarundam aliarum nationum, quæſitam fuiſſe; quod quidem ego aſſerere nec volo nec audeo, ſed ſuo loco repoſitum relinquo.

Cùm verò Piſtophilus expreſſerit, non tantùm à Germania, verùm etiam ab aliis Regnis oculos in Salisburgenſes emigrantes conjectos fuiſſe, ſi conſequenter ratiocinari vellet, ad multò vehementiorem dolorem ſtuporémque commoveri eum docuiſſet, quòd ſplendor lucis per emigrantes exortæ oculos & animos non modò univerſæ Germaniæ, ſed contiguorum quoque Regnorum non æquè perſtrinxerit, atque ad parem fidei Evangelicæ novam profeſſionem faſcinârit, attraxerítque. Quàm latè enim patens tunc meſſis fuiſſet, cui converſio totalis Salisburgenſium ùt pars modica ſolùm acceſſiſſet?

Cui veritas Evangelica in amore eſt, ais porrò, is de primordio lucis, quæ ibi apparuit, cordicus gaviſus eſt. Quid eſt veritas Evangelica? Utique eſt doctrina Chriſti ad DEUM & Regnum Cœleſte ductrix: illa nempe, quam Catholica Eccleſia ſemper incorruptam tenuit: non quam Martinus Lutherus, pro ingenii ſui oſtentatione in vindictam contra Romanum Pontificem verbo, ſcripto, & opere deformavit; quæ quàm tutò ac piè ducat ad Cœlum, illi tandem in vitæ termino experti fuerint, qui in via Lutheri juxta ejus ductum & interpretationem ambulârunt.

Non *propter DEUM hac res capta eſt*, aiebat iſte Novator, *neque propter DEum finietur.* Et in epiſtola ad Argentinenſes, Haganoæ impreſſâ Anno 1525. diſertè fatetur, ſe non Chriſti amore, ſed Papæ odiô inflammatum, in quod ex dolore ob interceptum ex indulgentiis invulgandis (quod munus tunc temporis Archi-Epiſcopus Moguntinus Ordini Prædicatorum detulerat) ſperatum cæteroquin quæſtum exarſerat, hasce Orbi moviſſe tragœdias. Id ipſum turpiter notavit in ſuo epitaphio ſibimet compoſito:

*Peſtis eram vivus, moriens tua mors ero Papa.*

Simile quid deſpumavit, ſcribens ad Regem Angliæ: *Vivens Papatûs hoſtis ero: exuſtus, bis hoſtis ero: facite porci Thomiſtæ, quod po-*

*testis*. Hæcne sunt Evangelici Doctoris specimina, & veritatis Evangelicæ testimonia.

Quomodo ea doctrina ad Cælum dirigat, & sit Evangelica, quæ docet, nullum esse hominis meritum ad consequendam gloriam? quæ docet, homines non esse liberi arbitrii, nec ullam habere activitatem in suis operationibus: inde sequitur, Deum esse authorem omnium scelerum atque impulsorem: cùm tamen Christus Hierosolymæ non sine fletu exprobrârit: quoties volui te congregare, & noluisti? Quæ docet, non dari veram remissionem peccatorum atque emundationem ab illis, sed peccata solummodo *tegi*: cùm tamen Christus dixerit: quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & D. Petrus epist. 2. v. 1. mundationem sese accepisse veterum peccatorum, quomodo Jesus (id est Salvator) salvaret populum suum à peccatis eorum, si non obstante ficto tegumento, coram oculis DEI sordibus defœdati & horrendùm conspurcati manerent? Aut forsan aliquid immundum & coinquinatum in regnum cœlorum intrabit? Taceo alia errorum portenta, in schola Evangelica Lutheri procusa, quorum lineamenta D. Pistophel ex lectione mei Tractatus de Ecclesia Militante satis perspecta habebit. Similia itaque Evangelica dogmata emigrantes prædicare debuissent per Salisburgum, per Germaniam, aliaque Regna. Cùm autem sint Sacræ Scripturæ è diametro opposita, quomodo assensum meruisset hoc novum Evangelium? Imò, ipsi emigrantes, dum maxima ex parte literas ignorârunt, & ita scripturam Evangelicam legere incapaces extiterunt, juxta principia Acatholica, fidem sæpe dictam Evangelicam nequidem recipere valuerunt, sicque nec alios docere: nihil enim, apud Pistophili confœderatos recta apprehensione de divinis credi aut alios doceri debet & potest, nisi ex sacra Scriptura exhibeatur. Atqui si maxima pars emigrantium litteras non callebat, nec sibi, nec aliis quidpiam ex sac. Scriptura exhibere, monstrare, perhibere vel probare valebat. Ergo neque ipsi quidquam de scriptura Evangelica nova, stando principiis Acatholicis, credere, neque alios docere poterant: quod enim noverant, è fallibili hominum, sive Ministrorum ipsis prædicantium ore & voce perceperant. Ecce! quanta sit doctrinæ vestræ consonantia, & consequentia. Erubesce igitur audax Pistophel, quòd Salisburgenses litteratos incusaveris, calumniando, vobis Salisburgô scripta afferri, in quibus periculosæ atque erroneæ Doctrinæ Romanæ Ecclesiæ usque ad summum extollantur, novisque accumulentur. Turpe sanè est, alios erroris condemnare, & proprios nec velle agnoscere, nec emendare.

Tertiò, post Salisburgenses litteratos generatim sugillatos, me P. Benedictum Schmier in specie nominas, invadis, & quoad tria puncta ex Tractatu meo de Ecclesia Militante anno M.D.CC.XXXII. in Archi-episcopali Benedictina Universitate Salisburgensi in lucem edito, ac publicæ disputationi, in præsentia Celsissimi ac reverendissimi S.R.I. Principis & Archi-Episcopi &c. Illustrissimi Capituli Metropolitici, & totius Aulæ, eo tempore subjecto, produxisti, impetis ac tacitè corripis. Primum, quod attingis, sunt epistolæ Decretales primorum Apostolicorum Pontificum: alterum, prærogativæ Auctoritatis & infallibilitatis iisdem summis Christi Vicariis, juxta Pistophilum, immeritò attributæ. Tertium assignata resolutio assensûs fidei Theologicæ.

Priusquàm ad singula progrediar, accepto tuam tacitam confessionem, Pistophile, quoad reliqua omnia, in allegato Tractatu meo in medium prolata, probata, & contra quoscunque ab Ecclesia Catholica divulsos firmiter stabilita. Proinde unà mecum confiteri censeris, solam Romanam, Apostolicam & Catholicam esse unicam & veram Ecclesiam: semper fuisse visibilem: nunquam defectibilem: hodiernam cum veteri esse omnino consonam: Lutherum nec bono zelo nec legitima vocatione ad illius reformationem decurrisse; eandem verò pluribus erroribus deformâsse: sibi ipsi multoties contradixisse: sacras scripturas non ita claras esse, ut pro terminandis fidei Controversiis nullo legitimo interprete indigeant: pro hoc interprete ac judice Controversiarum Romanum pontificem præprimis recipi, suspici, agnosci, ac audiri debere: sicuti & Traditiones divinas, id est verbum DEI non scriptum &c. Cætera Catholicæ fidei dogmata Antiquissima, singulariter quæ ad Sacrosancta Ecclesiæ à Christo Domino instituta Sacramenta, cultum Sanctorum, venerationem Crucis Christi & sacrarum imaginum, usúmque Cæremoniarum, à quibus omnibus Lutherus vobis tam funesto casu saltúve recessit, pertinent, in Opere meo Theologico hinc inde variis in Tractatibus elucidata & propugnata invenies. Tolle, lege, ad salutem tuam æternam quam tibi unicè exopto.

Accepto, inquam, tacitè confessa atque admissa, quatenus D. Pistophel ex discussis in meo Tractatu, quo de vera, antiqua Catholica Religione per extensum agitur, tot alia capita substantialia prorsus intacta, salva, & tanquam ab omni errore illimia seu immunia reliquit, solam verò Auctoritatem & infallibilitatem Papalem, velut nimium à me sublimatam, excepit, atque inter erroneas & periculosas doctrinas supputavit. Exceptio nempe firmat regulam in contrarium, & in casibus non exceptis.

Nec verosimile est, quòd D. Pistophel reliquam orthodoxiam, contra heterodoxos in

in mea Academica Concertatione longa ſerie exporrectam, absque omni motu tam pacifice pertranſiiſſet, ſi quæ errori obnoxia, & quovis aſſultu digna ibi obſervâſſet. Cur enim mihi pepercisſet, qui adeò perfricta fronte, tantòque Criticorum, ſeu Zoilorum livore Celſiſſimi Archi-Epiſcopi Salisburgenſis, Germaniæ Primatis, Catholicam Concionem traducere, & eludere non verebatur?

Accedamus jam ad epiſtolas Apoſtolicorum quorumdam primorum Pontificum, puta Anacleti, Evariſti &c. in meo Tractatu pag. 218. allegatos, quas D. Piſtophel vocat putativas, & ex ipſa prudentûm Pontificiorum agnitione falsò confictas, ac ſuppoſitas. Multa hìc occurrunt intentioni aggreſſoris parum honorifica, ac minùs accepta.

Primum eſt, quòd falsò aſſerat, vel ſupponat me prætactas epiſtolas, ad probandam Summi Pontificis Superioritatem & infallibilitatem pro fundamento ſtatuiſſe. Nonnè *qu.* 19. *num.* 374. ad ſcopum & finem id probandi ex Matth. 16. illum locum adduxi: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi* (quod nempe ſuum Magiſtrum, Chriſtum Filium DEI vivi confeſſus fuerit) *ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Et ego dico tibi, *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Et, tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et, quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: Et, quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Rurſus adduxi illud Joan. 21. ubi Dominus, poſtquam Petri dilectionem exquiſierat, ter eidem Gregem Eccleſiæ ſuæ commiſit, dicens: *paſce oves meas:* & poſt alia plura ibi ad propoſitum allata, lectorem ad Tractatum meum de *Romano Pontifice* in Univerſitate noſtra Salisburgenſi anno 1716. quo Cathedram Juris Canonici moderabar, publico Academici exercitii certamini propoſitum, & fortaſſe brevi recudendum, remitto. Epiſtolas verò Summorum Pontificum primùm ſolutioni objectionis quartæ ſubtexui, dicendo, ipſos Romanos Pontifices ab initio hucusque Primatum ſuum agnoviſſe, defendiſſe, & in alias Eccleſias exercuiſſe.

Alterum: falsò quoque objicis, omnes epiſtolas à me loco citato cumulatas à prudentibus Papiſtis pro confictis & ſuppoſititiis haberi. Nequaquam enim ſolas epiſtolas Pontificum, qui usque ad añum CCC. ſederunt, pro adminiculo ſubjunxi, puta Anacleti, Evariſti, Alexandri Primi, Sixti Primi, Pii Primi, Aniceti, Eleutherii, Victoris, Zephyrini, & Lucii, & ſi quæ ſunt aliæ, à quibusdam Catholicis in dubium vocari ſolitæ: verùm etiam poſterioris ævi Pontificum, ut Symmachi, Hormisdæ, Pelagii Secundi, Gregorii Magni, Nicolai Primi & Secundi, Gregorii Septimi, Eugenii tertii & quarti, Pii ſecundi &c. epiſtolas protuli. Cùm autem D. Piſtophel neminem ex probatis Catholicorum Scriptoribus, qui ad iſtorum Pontificum epiſtolas, pro oppugnanda Pontificia auctoritate provocent, aſſignare valeat, quid ei profuit dixiſſe, omnes à me allegatas Apoſtolicorum Pontificum epiſtolas ipſo prudentûm Catholicorum judicio tanquam confictas reijci, & ad partus ſuppoſititios relegari?

Tertium. Ignavum D. Piſtophel ſe probat Dialecticum: cùm Logiçam Topicam, ſive argumentationem probabilem haud benè intelligat, ex antecedente ad ſummum & qualitercunque probabili duntaxat, tacitè ac per indirectum conſequentiam pro ſe certam, & contra me convincentem inferendo. Poſtquam enim Salisburgenſes indiſcriminatim, quòd de Romana Eccleſia periculoſas ſimúlque falſas doctrinas invulgarent, culpârat, profert in ſpecie exemplum epiſtolarum Pontificiarum à me productarum, quas tamen prudentes Papiſtæ (ùt contra morem ab antiquo in Romano Imperio receptum nos Catholicos appellat) pro falsò confictis, & ſuppoſititiis agnoſcant: unde reipſa ejus argumentum in hanç formam redigitur: Prudentes Bapiſtæ (nonnulli ſcilicet, non omnes, nec eo modo, quo loquitur D. Piſtophel) præcitatas epiſtolas pro confictis habent: ergo periculoſa & erronea doctrina eſt P. Benedicti Schmier, Profeſſoris Salisburgenſis, allegatione dictarum epiſtolarum Summi Pontificis ſuperioritatem, ſuprematum, ſeu Primatum, nec non infallibilitatem, probare conantis. Transmiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia: quia ex præmiſſis (vel etiam antecedente in enthymemate) probabilibus ſequitur concluſio quoq; ſolùm probabilis, minimè verò ſequitur concluſio abſolutè falſa, aut erronea. Nõnulli prudentes & litterati Auctores, vel Hiſtorici ad ſummum facuint aliquam probabilitatem: ſi ergo nõnulli prudentes Auctores vel Hiſtorici negent, epiſtolas primorum Pontificum eſſe authenticas, ad ſummum ſolùm probabile eſt, propter tales Auctores (ſi tamen bene ponderatis & gravibus rationibus ducantur) illas epiſtolas non eſſe genuinas; ergo pariter ad ſummum probabile tantùm eſt, ex prædictis epiſtolis Primatum & infallibilitatem Summi Pontificis non evinci. Vides igitur, Piſtophel, quàm blæſus ſis Dialecticus: confundis terminos, & ex incerto infers certum, ex probabili verò infers certò erroneum in contrarium.

Verto argumentum, ut te ipſum è ſtatione deijciat. Exceptis nonnullis, reliqui omnes prudentes & litterati Catholici ſæpe dictarum epiſtolarum veritatem, præcipuè ob antiquitatis privilegium, reverentur, eas ſaltem, quas ego paulò inferiùs recitabo. Ergo multò magis periculoſa & erronea eſt doctrina Piſtophili, ex rejectione earumdem Summi Pontificis ſupremam Auctoritatem, & infallibilitatem deprimere, aut

om-

omnino exterminare allaborantis. Si enim plurium gravium virorum consensus pro aliqua scriptura tanquam genuina concordârit, ùt major & sanior pars minori parti praevalet; *cùm sit integrum judicium* (*ùt Canones attestantur*) *quod plurimorum sententiis confirmatur*, per tex. in cap. *prudentiam.* 21. *de offic.* & *potest. Jud. deleg.*

Aliunde etiam testibus affirmantibus plus creditur, *regulariter*, quàm negantibus. Gloss. in *l. diem proferre.* §. *si plures*, ibique Bart. ff. *de recept. arbit.* Berous cons. 24. num. 9. *vol.* 1. dixi, *regulariter*: non enim ignoro, in Criminalibus, vel dum testes negantes deponunt pro reo, aut pro non delicto &c. oppositum teneri, ut Testimonium negantium affirmantibus praeferatur.

Quid si gratis permitatur in quasdam memoratorum Pontificum Epistolas aliquos accidentales naevos, aut errores undecunque demum irrepsisse, exinde tamen non deducitur, substantiam rerum non mansisse Salvam, & incorruptam, quique dictas epistolas ùt falsas, confictas, & Suppositias accusant, causas suae accusationis afferant, necesse est, alioquin à limine judicii statim repellendi. Pistophel, tu me coram publico accusâsti, quòd epistolis falsis Pontificum pro tuenda Papali auctoritate usus fuerim: tam itaque ipsas Epistolas, quàm me iis utentem ad tribunal totius Christiani & litterarii orbis vocas, atqui nullas causas, nullas rationes, ad probandam Intentionem tuam attulisti: es igitur à limine judicii rebellendus: nam Actore, vel accusatore non probante, reus absolvitur, etiamsi iste pro sua innocentia nihil deduxerit aut probaverit, per l. 1. *ff. ad SCtum Turpill. l. qui accusare.* 4. *cod. de edendo*: imò hujusmodi accusator, nihil probans, accusato actione etiam injuriarum tenetur, secundùm Angel. in *l. item apud Labeonem.* 15. §. *si quis libellos. ff. de injuriis.* Onus tibi proinde incubuisset, specificandi in Particulari aliquos Defectus insanabiles, & rationes momenti gravis apponendi, ex quibus Epistolae Anacleti, Evaristi, caeterorùmque Pontificum Apostolicorum, sint inter pura figmenta computandae, & despiciendae. Auctores quoque ex orthodoxis speciatim nominare decebat aliquos, ut inquiri potuisset, an, & quibus censuris vel Sugillationibus praefatarum Epistolarum fidei, valori & veracitati refragentur. Tu ipse, mi Pistophel, fortè aut nullum, aut perpaucos ex Catholicis, suppresso nomine citatis, vel ad manum habuisti, vel evolvisti; multò minùs vel unum ex illis, quorum studio, perspicacitate, dexteritate, eruditione Historica, ac Discretione singulari complanatum fuit, quidquid asperum, ambiguum, dissonum, absonum, & suspectum aliis, aut unius alteriusve vocem sententiamve mox sectantibus, aut aliàs rem non nisi perfunctoriè considerantibus, videri poterat.

Exempli causâ, centuriatores Magdeburgenses, & forsan quidam Catholici, inter caeteras diu excogitatas rationes, ex ea speciali Epistolas Decretales Clementis, Anacleti, Evaristi &c. pro suspectis habent, quòd in codicem Canonum Ecclesiae Romanae, ex tribus vetustissimis Exemplaribus compositum, non fuerint relatae. Hoc telum facile refringitur. Si enim scopum attingeret, sequeretur, nec Gregorii Magni epistolas in sua, caeteroquin apud omnes indubitata auctoritate, firmas subsistere: quandoquidem nec illae praedicto Canonum Codici fuerunt insertae. Similiter vacillarent & satiscerent alia quoque Romanorum Pontificum Decreta, quibus caeterorum Ecclesiasticorum scriptorum opera probantur, vel improbantur, quia defectu incorporationis in ejusmodi Codicem Canonum laborarent.

At meminisse oportet, quid doceat Nicolauus I. *Can.* 1. *dist.* 19. ejus verba sunt: Si ideo non esse Decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscriptae: ergo nec S. Gregorii nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum; eò quòd in Codice Canonum non habeatur adscriptum. Ergo doctrinam eorum, & sanctione, quae ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur adscriptae, de Codicibus suis eradant. Ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptae? Sed quare multùm immoramur, cùm nec ipsas divinas scripturas Veteris & Novi Testamenti jam recipiemus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in Codice Canonum Ecclesiasticorum habetur insertum. . . Inter ipsos Canones unum P. Leonis capitulum constat esse permistum; quo ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicae custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo verò, *omnia Decretalia constituta*, nullum de Decretalibus constitutis praetermisit, quod non mandaverit esse custodiendum... Consonat autem huic Beatissimo Papae Leoni sanctus & facundissimus in Decretis suis Papa Gelasius, ita inquiens: Decretales epistolas, quas Beatissimi Papae diversis temporibus ab Urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum est, quia non dixit, Decretales Epistolas, quae in Canone habentur, nec tantùm, quas moderni Pontifices ediderunt; sed, quas Beatissimi Papae diversis temporibus ab Urbe Roma dederunt. Dictis autem (diversis temporibus) etiam illa tempora vir san-

ctus comprehendit, quæ crebrescentibus Paganorum persecutionibus ad sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant. &c.

Causantur etiam styli, argumenti, ac materiæ similitudinem, quasi nimirum primi Pontifices in sæpe adductis epistolis simili charactere, scribendique forma de iisdem rebus, v. g. de Primatu Petri, de regno Ecclesiæ Rom. de Ordinatione Episcoporum, de appellatione ad sedem Apostolicam, de non lædendis, accusandis, deponendis Sacerdotibus, uti soleant. Verùm, si ex hoc capite tanquam falsæ & confictæ sunt respuendæ, ab impugnatione vix tutæ remanebunt epistolæ Pauli, Petri, & Jacobi, tam propter similitudinem, characteris, quàm ob similitudinem rerum quandoque dogmaticam & paræneticam v. g. de divitibus, de mansuetudine, de castitate, de conversatione honesta sine contentione, de pœnitentia ad salutem, de obedientia Magistratibus exhibenda, tolerantia passionum, amore fraternitatis &c. Haud secus fictionis & suspicionis vitio respersæ censerentur posteriorum Decretales epistolæ Pontificum, non rarò styli, ac materiæ, de qua tractant, pariformitate inter se convenientium. Sed & in ipsis actis, ac processibus, quæ in Dicasteriis, vel scriniis publicis asservantur, mira stili, argumenti, materiæ, sive causarum decisarum similitudo intuentium oculis observatur; negabisne ea propter illis fidem publicam, ac inter commenta reputabis? Pro aliis scrupulis eximendis remitto te, Pistophile, ad Franciscum Turrianum, qui in *Defensione Canonum Apostolorum, & Decretalium Epistolarum Pontificum Apostolicorum*, in quinque libros digestâ, singulariter & eruditissimè Centuriatorum Magdeburgensium, cæterorúmque Novatorum machinas diffringit. Sed nunc arcanum propalandum est.

Intererat permagni, ut vos Catholicæ fidei Antagonistæ primorum illorum Pontificum, Divi Petri proximorum successorum, Decretales epistolas, scil. Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti, Telesphori, Higinii, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutherii, & Victoris collectis undique viribus expugnare, atque exauctorare studeretis. Nam, quia in iisdem epistolis Auctores earum quædam ab ipsis Apostolis, quædam ab Apostolorum discipulis clarissimè tradita acceperunt, videl. de honore Episcoporum, & erga eos reverentia, de Ecclesiasticæ Hierarchiæ Gradibus, de appellationibus ad sedem Romanã, de Pontificis Romani Principatu; item quædam de dogmatibus, v. g. de Sacerdotio, Cœlibatu, pœnitentia, satisfactione, de sacrificio Missæ, de justificatione ex fide & operibus, de orando pro mortuis, de statutis Ecclesiasticis, exinde non-Catholici, secum pensitantes, quantum sua religione ab hisce omnibus tanti momenti rebus, dogmatibus, ac moribus recessum fecerint, in angustias peracerbas conjiciuntur, nisi primorum Pontificum scripta & acta penitus negarent. Quid enim, iis concessis superesset, quam ut vel ipsos Apostolos negarent, ac desererent, vel saltem defectionem suam apertam ab eorumdem institutis atque traditione confiterentur? Certè Magdeburgenses, & Calvinus agnovêre, in prænominatis epistolis Primatum Romani Pontificis asseri, & illarum Scriptores, scil. primos Pontifices intra tria prima sæcula sanctos ac veros Pontifices fuisse: nihil ergo perfugii residuum conspexerunt, quàm ut audacter obtenderent, epistolas hujusmodi esse confictas, recentes, & præfatis Pontificibus falsò adscribi. Sed nonnè Lutherus simili stratagemate & exemplo prælusit, quando Epistolam D. Jacobi, in qua fides sine operibus mortua pronuntiatur, ex Canone delevit; eò quòd, stante illius valore, falsum dogma noviter intrusum, quasi sola fides salvet, ruinam minitari viderit: quamquam error Lutheri ex pluribus aliis scripturæ locis à nobis Catholicis demonstrari & confutari valeat. Sic ergo nulla ratione & via doctrinam vestram reformatam defensare potestis vos Novatores, nisi epistolas sanctissimorum & primorum Pontificum in cineres redigatis, sicque totam antiquitatem, famámque juxta vetustissimam temporum retro vigentem perpetuam memoriam, nec non traditionem usque in præsens actibus possessoriis, ac manifestissimis monimentis roboratam certissima cæteroquin probationis argumenta, prorsus obliterare atque in nihilum reducere collaboretis. Quidsi istæ Decretales epistolæ pro vobis quidpiam testificarentur, an non tanquam inconcussa fundamenta in montibus sanctis posita suspicerentur, & probationes plenissimas conficere dicerentur? Quantâ solertiâ rationes dubitandi dissolvere, unúmque cum altero conciliare curaretis?

Platonis, Aristotelis, Varronis, similiúmque plurium Authorum profanos libros absque impugnatione recipitis. Unde autem nôstis, quòd ipsorum sint, nisi eâdem temporum contestatione continuâ? Cur non potiori titulo epistolis Sanctorum Pontificum, de rebus divinis & sacris disserentium, temporis immemorialis tractus constánsque antehàc fama suffragari debeant, earúmque veritatem constabilire? Fama consentiens (ùt Callistratus Jureconsultus ex rescripto Hadriani ad Valerianum ait) confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Plato quoque in libro de legibus 12. famæ crebræ, & vetustate celebratæ, fidem adhibendam esse judicavit.

Sanè plus valere debet sibique vindicare antiquissimorum virorum, vitæ probitate doctrináque excellentium, attestatio, quàm juniorum negatio. Divus Isi-

Isidorus Hispalensis ante mille annos Canonum Decreta hortatu octuaginta Episcoporum studiose collegit, in prologo sic prænotans: „ Compellor à multis tam Episcopis quàm reliquis servis Christi Canonum sententias colligere. Deinde quarumdam epistolarum decreta virorum Apostolicorum interservimus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi, & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire epistolas, usque ad Sylvestrum Papam: postmodum verò Nicænam synodum constituimus, & deinceps reliqua decreta Præsulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium. Ecce! Pistophel, auctorem, ætate Caroli Magni seniorem: ecce! octuaginta Episcopos contestes in uno Isidoro. Nisi enim Epistolas etiam primorum Pontificum cæteras inter authenticas, proque Ecclesiæ instructione atque gubernatione omnino proficuas, recensione dignas æstimâssent, earúmque veritatem ac sinceritatem à majoribus traditam pernovissent, nimis inconsultò generalem illam canonum seu Decretalium epistolarum Collectionem Isidoro suasissent. Si autem Isidorus cum tam numeroso & spectabili Episcoporum comitatu Carolum Magnum præcessit, sicque illo ætate major fuit, quomodo tuorum consortium scripta subsistent, dum dicunt, prædictas epistolas à priori sæculo usque ad ætatem Caroli Magni à nullo Patrum, aut fide digno Auctore citari.

Meminit hujus Operis ab Isidoro collecti Igmarus, seu Hincmarus Archi-Episcopus Rhemensis) qui vixit sub Carolo & Ludovico Filio, à Benedicto III. & Nicolao I. litteris honoratus) libro *de variis capitulis Ecclesiasticis*, cap. 27. scribens: *Et beatus Isidorus in Collectario suo de Canonibus, quatuor editiones Nicani Concilii compaginavit.* Ivo quoque Carnotensis, & Burcardus Episcopus Vormatiensis, jam ante Gratianum epistolarum, de quibus sermocinamur, Decreta omni diligentiâ collegerunt, atque in certos locos communes digesta suis auctoribus assignârunt.

Franciscus Turrianus *lib.* 5. pro Epistolis primorum Apostolicorum Pontificum pag. mihi 636. ita loquitur & testatur: In Triburiensi Synodo (Arnoldo Imperatore) ante annos ampliùs sexcentos, epistolæ Clementis ad Jacobum, Anacleti, Alexandri, & aliorum Pontificum epistolis, non semel & iterum, sed sæpius testimonium fidei dederunt viginti duo Episcopi: Moguntiacensis, Agrippinensis, Trevirens. Frisingens. Eistâtens. Ratisbonens. Augustanens. Constantiens. Curiens. Basileensis, Strazburgens. Spirens. Vormatiens. Brumiens. Wirdunens. Hiltines hermenens. Wirtzburgens. Haluarastadens. Metens. Nimidens. Padarbrunens. Osnebrugensis. Omnes hi testes, magni certè nominis & auctoritatis ex inclyta Natione Germanica assumpti & coadunati quantum non faciunt testimonium credibilitatis? Adhæc: non tantùm in Concilio Rhemensi anno 902. Anacleti, Damasi, aliorúmque Pontificum epistolæ expensæ fuerunt in causa Arnulphi; verùm in Aquigranensi quoque circa annum 836. Coloniensi circa annum 887. Moguntino circa an. 888. & Lateranensi sub Callisto II. anno 1122. Conferte nunc Magdeburgenses Centuriatores (instat Turrianus contra eos, & ego contra Pistophilum) tempora nostrorum testium, numerum, fidem, & auctoritatem cum uno vestro Kalteisen, recenti & teste ignoto, in epistolas, quas priùs oderat, testimonium dixit.

Pœniteat autem Pistophilum, quòd ad prosternendam Romani Pontificis ex Cathedra Apostolica docentis sublimitatem, & infallibilitatem evacuandam in rebus fidei morúmque Catholicos testes innominatim producat, simpliciter asserens epistolas Decretales primorum Pontificum à me citatas à prudentibus Catholicis pro confictis, suppositis, ac falsis reputari. Præterquam enim, quòd (secundùm superiùs Pistophilo jam exprobrata) nec ullum Auctorem nominet, nec ullam rationem suæ assertionis commonstret, testes Catholicos pro sua causa contra me productos, etiam contra se sustinere tenetur. Nam testem producens, eum impugnare nequit, *Gloss. in §. & licet*, in fin. *Authentica de Testibus*, *Collat.* 7. Baldus in *c. licet. de Testib.* adeò quidem, ut quamvis producens testem, eo usus non fuerit, nihilominus non possit aliquid opponere contra testis personam, si ex adverso producatur. Bald. in L. 1. *§. Bestias. ff. de postulando.* Et in *L. data opera. Cod. qui accusare non poss.* Nec potest quis testem à se in quadam causa productum in aliis causis contra se productum reprobare, ex quo ipsum semel approbavit, Archi-Diac. & post eum Johan. Turrecremat. in *cap. accusatores caus.* 3. *qu.* 8. *cap. si quis testib. caus.* 4. *qu.* 3. Ex quo enim quis ad testimonium vocatur, eo ipso videtur approbatus esse per eum, qui ipsum vocari fecit.

Gratis ergo permisso, nosci aliquos Catholicos Scriptores, & à Pistophilo adduci posse, quibus primorum Pontificum epistolæ indubitatæ non videantur quantum ad nomina illorum Pontificum ùt Auctorum determinatè, ipsi tamen minimè negant vel veritatem rerum in epistolis contentarum, vel subsistentiam Decretorum, vel institutionem Papatus perpetui, seu Primatus in D. Petro ejusque Successoribus à Christo Domino factam, vel infallibilem ac supremum Judicem in Controversiis saltem cum Concilio, vel indefectibilitatem Ecclesiæ,

vel

vel traditiones divinas, vel Episcopatum, simplex Sacerdotium & sacrificium incruentum in lege nova, vel septem Sacramenta, vel subordinationem in Hierarchia Ecclesiastica &c. Sed è converso ejusmodi doctrinas in Ecclesia Catholica receptas & respectivè fidei articulos indubitanter admittunt, credunt, defendunt, contraria verò seu opposita dogmata rejiciunt, damnant, anathematizant.

Dum igitur eosdem Scriptores orthodoxos, qualescunque subintellexeris, ego contra te, Pistophel, coram Orbe Christiano reproduco, sistóque, nonne ex eorundem unanimi attestatione ac fide à te semel approbata convictus es, ut non modò veritates in sæpe laudatis epistolis contentas, verùm etiam ipsum Papatum perpetuum, Primatum in D. Petri Successoribus, summum, infallibilemque in difficultatibus Religionis Judicem saltem cum Generali Episcoporum convocatorum Concilio, cæteráque omnia in Ecclesia Catholica indubitanter recepta ac sub periculo seu potiùs sub incursu æternæ damnationis credenda, tu quoque nolens volens admittere, recipere, credere & constanter tenere cogaris. Itaque absque impudentiæ nota non poteris dicere: testes Catholicos, in quantum contra epistolas Pontificum (negando, certos earum Auctores esse) sentiunt, & deponunt, pro veridicis seu legalibus produco, agnosco, accepto: in quantum verò res in epistolis contentas, Papatum perpetuum, Primatum in D. Petro & Successoribus ejus, Controversiarúmque supremum Judicem saltem unà cum Concilio, cæteráque in Ecclesia Romana indubitanter recepta & credenda admittunt, testificantur, concedunt, credunt, ac firmiter defendunt, sic testes illos pro veridicis non agnosco, non accepto, nec contra me pariter produci patior.

Scias, Pistophile, ab iis Catholicis, qui, an primorum Pontificum epistolæ sint his Pontificibus adscribendæ aliquando dubitârunt, nihilominus asseverari, quòd magnæ sint Auctoritatis & ad Canones pertineant. Ita notat illustriss. Petrus de Marca lib. 3. cap. 5. *de concord. Sacerdot. &c.* dicens, id saltem constare, quòd è sententiis & verbis legum, Canonum Antiquorum, & sanctorum Patrum, qui quarto sæculo floruerunt, fuerint concinatæ.

Imò David Blondellus, Acatholicus, in suo volumine, cui *Pseudo Isidoro* nomen fecit, Genevæ anno 1627. edito, in id vires impendit, ut evincat, in præfatis epistolis comprehensa, maxima parte ex operibus scriptisque Pontificum, atque Auctorum, ætate posteriorum decerpta esse. Quod assertum Blondelli epistolarum veritati plus favet, quantum ad materias iis insertas, quàm derogat. Sic enim, quæcunque in illis epistolis ad Ecclesiæ Romanæ gloriam & auctoritatem faciunt, saltem ab aliis antiquis eique tempori vicinis Pontificibus decreta, atque à vetustis Ecclesiasticis Historiographis adnotata fuisse, ostenditur. Neque Romani Pontifices, qui sæculo quarto, quinto, aut posteriori Ecclesiam rexerunt, inferiori, quàm tribus prioribus sæculis Pontificatum gerentes, potestate pollebant; cùm utique Christus in D. Petri Primatu pro omnibus Successoribus æqualem instituerit, concesseritque.

Eò deventum est, ait de Marca cit. lib. 3. c. 6. ut tantis nominibus veterum Pontificum cesserint unà cum reliquis Episcopis etiam Gallicanæ Ecclesiæ Rectores. Siquidem illorum sententiæ aliquando expressis, sæpiùs tacitis Auctorum nominibus probatæ sunt in variis Conciliis Gallicanis, & in Regiis Capitularibus. Et rectè. Quid enim interest, si epistolæ veræ sunt, an doctrina ibi inventa pro Auctore habeat Pontificem A. vel Pontificem B. aut C. Sic quoque, dum opus quoddam suis numeris absolutum cernimus, parum curamus, sitne hujus vel alterius Artificis? an v.g. Apelles, vel Parrhasius imaginem pinxerit? Quid quid igitur quæstionis aliqui moveant de nominibus Auctorum, nobis sufficit integritas, veritas, utilitásque rerum in iis contentarum. Sufficit præterea, quòd vel ideò illæ epistolæ non solùm ab ipsis summis Pontificibus sint receptæ ac velut adoptatæ, ut ita dicam, sed etiam à Conciliis, à Theologis & Juris Canonici peritis, atque ab omni scriptorum genere.

Denique per inconcessum fingamus, aut supponamus, nullas omnino primorum Pontificum Apostolicorum extare Decretales epistolas, putásne, Pistophel, propterea vel Pontificiæ Majestati, vel Hierarchiæ Ecclesiasticæ, vel aliorum Dogmatum Catholicorum veritati excidium imminere? Ne tibimet, tuísque vana delusione blandiaris. Totum nihilominus systema solidissimè hactenus stetit, & usque ad consummationem sæculi stabit; nec enim portæ inferorum unquam prævalebunt contra Ecclesiam à Christo fundatam supra Petrum, quem petram sibi subordinatam nominavit. Stetit inquam solidissimè totum systema, frustráque impugnatur. Nam etsi à Clemente, Anacleto, Evaristo, aliisque Sanctis Pontificibus nulli Canones Apostolici nullæve epistolæ, monumentis scriptis vel impressis ad posteros Christianos pervenissent, attamen & summi Pontificis auctoritas, & Hierarchicus Prælatorum Ecclesiasticorum ac Sacerdotum ordo cum omnibus ad doctrinam Catholicæ Religionis pertinentibus per singula Christiana sæ-

sæcula in interrupta observantia, uniformitate, constantia, stabilitate, consuetudine, ac majorum nostrorum perpetua traditione toti Orbi splendidissime illuxerunt, atque demonstrata permanserunt. Nihil itaque tu, Pistophel, tuique quicunque ex attentata Canonum, & epistolarum Pontificiarum, seu veterum, seu novitrum inficiatione, aut imputata corruptione pro causæ vestræ defensione proficietis; quia antiquissimam & invincibilem Traditionis arcem, ex qua Catholici vestrarum novitatum seu reformationis conglutinatos aggeres nullo aut facili labore diriciunt, nunquam ullis tormentis expugnabitis. Ubi res gestæ publicâ ac perpetuâ famâ notoriæ sunt & obsignatæ, non ideo minùs valebunt, quòd nullum scriptum instrumentum de illis intercesserit, vel confectum fuerit. *Nihil interest* ( inquit Tertullianus *lib. de Coron. Militis* ) *utrùm consuetudo, quæ idoneus testis est traditionis, scripturâ, an consuetudine consistat, quando & legem ratio commendat. Porrò* ( pergit ) *si lex ratione constat, lex erit omne, quod ratione constiterit, à quocunque productum. Neque tam quærendus est Author, quàm authoritas consuetudinis, cujus est traditio inventrix; ratio confirmatrix: fides observatrix.*

Si qui hodierno tempore v. g. auream Bullam ( in qua agitur de Electione, & Coronatione Romanorum Imperatoris; de Vicariis, & Electoribus Imperii; de Pace Publica, de Crimine læsæ Majestatis &c. ) oppugnarent, quòd ejus Conditor non sit Carolus quartus, vel quòd sit corrupta, conficta, sicque suppositiția, nonne tales, volentes contenta in illo libro convellere, operam perderent, & passim exploderentur? eò quòd in observantia temporis & præscriptionis immemorialis nihilominus certissimò sint fundatæ, prout in 1. statim *cap.* insinuatur in verbis: *juxta antiquam laudabilem consuetudinem:* aç iterum in *cap.* 2. §. 8. similis fit mentio, ibi: *Et quia de antiqua, approbata, & laudabili consuetudine tam inconvulsè, quàm immutabiliter, quod subscribitur, semper extitit hactenus observatum, ideóque &c.* Habetúrque apud Jurisperitos hæc vetustissima possessio, immemorialis ( id est, de cujus origine, vel contraria praxi apud homines de facto viventes non datur memoria ) usus, seu præscriptio, pro veritate in omnibus, quæ possibilia sunt, nullam requirens tituli, auctorisve allegationem vel probationem, aut etiam scripturæ authenticæ assistentiam, adeò, ut non solùm in Jure Privato, sed etiam Publico Romano-Germanico nullum jus sit firmius, & quotidie intra & extra Comitia tutiùs ac solidiùs proferatur, quàm fundatum in antiquissima observantia in dem uhralten Herkommen. Quantò minùs igitur pro stabilimento sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ejusque infallibilis aç supremi Capitis in sua Auctoritate, & universorum dogmatum in suo valore conservanda immobili subsistentia & fide, necessaria erit scripturæ, genuinæ editionis, auctorúmque certitudo illorum, quibus tanquam primis Divi Petri Apostolicis Successoribus epistolæ Decretales appropriari solent? Cùm utique præmissa omnia quoad substantiam non modò temporis immemorialis intervallo, traditionéque, sed ab omnibus sæculis Æræ Christianæ usque in præsens in Orbe Christiano-Catholico florentissimâ observantiâ, morum praxi, possessione, ac quotidiano usu trita, frequentata, probata, & corroborata ( tumultuantibus licèt ventis, & spumantibus atque in Ecclesiæ navim proruentibus tot hetroclitorum dogmatum furentium procellis ) noscuntur.

O! si tu, Pistophel, tuique contesterati pro vestro novo Evangelio, ac Reformatione cohonestanda, ad antiquitatem, traditionem, & continuo tot centuriarum tractu radicatam, præscriptam, inveteratam, firmatámque consuetudinem provocare possetis, nunquid argumento validissimo ac insuperabili nos Catholicos confusos, convictos, convictósque in Triumphum duceretis? Considerate jam, quibus præsidiis & irrefragabilibus argumentis vos superent & revincant Catholici, qui Religionem suam non tantùm sacrarum scripturarum monumentis, Generalium Conciliorum Decretis, Summorum Pontificum, nunquam interrupta serie in Apostolico Throno sibi succedentium, Definitionibus, Declarationibus, Directionibus, Correctionibus, paternis monitionibus, ac saluberrimis ad gregem suum debitè pascendum doctrinis institutis, constitutionibus; itémque sanctorum Patrum Legem Christianam illustrantibus interpretationibus: sed insuper divinis pariter ac Apostolicis Traditionibus, per omnium Temporum ætates propagatis, docent, illustrant, obfirmant? An vos Novatores Reformationem vestram, ante ducentos annos & quod supra est, primùm cæptam, in rebus credendis & agendis semper variatam æqualibus argumentis docere poteritis? Nequaquam. Nihil horum Biblia, Biblia, non traditiones, semper clamatis: nihil credendum vel tenendum, quod ibi non est scriptum. At, unde & à quo Mart. Lutherus sua Biblia accepit, quæ postea corrupit, nisi à Catholicis? quales enim ante defectionem Lutheri fuerunt Lutherani? in qua parte orbis Christiani? Nullibi. Hæc autem Biblia, & libri in illis contenti, vim authenticam completam respectivè ad nos Christianos omnes absque traditione, & Summorum Pontificum vel intra vel extra Concilia Generalia præcedente approbatione nunquam habuerunt; de quo latiùs disséro in meo Tractatu *de Ecclesia Militante* per Pistophilum obiter impugnato.

His

His omnibus pro subsistentia Epistolarum, quòd sint primorum Pontificum, non modicum contribuit conjectura necessitatis ad scribendum compellentis. Posteriores Pontifices Epistolis regendæ Ecclesiæ invigilârunt, cum pax esset Ecclesiarum: quantò magis simile quid fecisse censentur primi Apostolici Pontifices, dum erant bella, pugnæ pericula; dum Imperatores, Magistratus, ac fere omnes gentes Christianis persecutionem intentabant, & vim inferebant? Dum nullos cætus, nullaque Concilia institui poterant? An non sancti Apostoli futuris Pontificibus in scribendis pro exhortatione in doctrina sana Epistolis exempla vivacissima reliquerunt? Si talibus vestigiis institêre Dionysius, Ignatius, & Polycarpus, Apostolorum Discipuli, quid non egerint Petri primi Pontificis ad regimen totius Ecclesiæ legitimè vocati Successores? Ut verò contra quoscunque contradictores ostendatur, saltem non omnibus Epistolis primorum Pontificum evulgatos defectus cum fundamento imputari posse, nonnullas earumdem ex integerrimo scriptore Jodoco Coccio seligere, hicque producere mecum constitui.

Anacletus Epist. 1. ita scribit: Quòd si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel majorum judicia, aut majores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur: Quoniam Apostoli hoc statuerunt jussione Salvatoris, ut majores & difficiliores quæstiones semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. Apostolorum Principem Petrum: *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Epist. 3. c. 3. consona leguntur. Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Prima ergo Sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam Beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrârunt: Sic Roma, quæ priùs erat Cacodæmonis artificio omnium errorum Mater & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abjectis, filiorum Dei, exorto sole justitiæ, facta est copiosa propagatrix.

Evaristus Epist. 1. Sic loquitur: Consulentibus vobis, fratres Charissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à Beatis Apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, optantes (ùt retulistis) nostris institui documentis, hæc verò rescribimus: Siquidem dilectio vestra normam secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire potiùs, quàm usurpatione præsumere.

Alexander Primus Epist. 1. Relatum est, ait, ad hujus sanctæ & Apostolicæ sedis apicem, cui Summarum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente Principi Apostolorum Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.*

Sixtus Primus Epist. 2. Si quis verò vestrûm pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam, quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.

Pius Primus Epist. 1. Christus hanc Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente Principi Apostolorum! Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.

Anicetus *ad Episcopos Galliæ c.* 3. Si aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium Comprovincialium præsentia vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tantùm, quæ ad propriam suam Parochiam pertinent, agere, aut eos gravare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, nec talia præsumere deinceps audeat. Si verò incorrigibilis, eisque inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam Sedem (cui omnia Episcoporum judicia terminare præcepta sunt) ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem grave ad hanc Sedem causam ejus deferre fuerit, tunc ad ejus Primatem causa deferatur, & penes ipsum hujus sanctæ Sedis auctoritate judicetur.

Eleutherius *ad Gallia provincias, cap.* 2. De accusationibus Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolorum deferre, finitiva tantùm Episcoporum judicia huc deferantur, ut hujus sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorum successoribus multorum consensu Episcoporum jam definitum est. Nec in eorum Ecclesiis alii aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum justè terminentur negotia. Quoniam quamvis liceat apud provinciales & Metropolitanos atque Primates eorum ventilare accusationes, vel criminationes, non tamen licet definire secus, quàm prædictum est.

Victor *ad Theophilum Alexandrinum Ægyptiorúmque Episcopos:* Placuit, ut accusatus, vel judicatus, à Comprovincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet, & adeat Apostolicæ Sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio Pontifex suam causam agit, nullus alius in loco ejus ponatur aut ordinetur Episcopus: Quoniam quamquam à Provincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat; non tamen diffiniri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis.* Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum successorúmque ipsorum terminos transgredi, eorúmque decreta violare.

Zephyrinus *ad Episcopos Siciliæ.* Finis causæ ejus ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur: Nec antea finiatur, sicut ab Apostolis vel Successoribus eorum olim statutum est, quàm ejus auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum. Judicia enim Episcoporum, majoresque Ecclesiæ causæ à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli & sancti Successores eorum statuerunt, cum aliis Episcopis sunt terminandæ; quia licet in alios transferantur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis:* Et reliqua privilegia, quæ soli huic sanctæ Sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorúmque Successoribus, aliisque quàm plurimis cum eis concinentibus, habentur inserta. Brevitatis amore plures primorum, sicuti & sæculô tertiô posteriorum Pontificum Epistolas exemplare omitto. His præconceptis, & ponderatis:

Animadversio circa secundum, & tertium punctum, quod D. Pistophel tanquam erroneum perstringit (objiciendo, ab ipsis Pontificiis Scriptoribus magna privilegia, quæ Ecclesiæ adscribunt, haud quaquam de persona tantùm cujuslibet Papæ intelligi, præcipuè quando sermo est de attestatione, quam Ecclesia de libris Sacræ Scripturæ proferebat: Verba Germanica sic sonat: Da sonsten die Päbstliche Scribenten selbst die grosse Vorrechte, die sie der Kirchen zuschreiben, nicht eben von einer Person, nemlich dem jedesmahligen Pabst, wollen verstanden haben, sonderlich wan von dem Zeugnuß, so die Kirchen von den Büchern der H. Schrifft gäbe, die Rede ist: So gehet hingegen der Herr P. Schmier gantz deutlich mit der Sprach heraus, und sagt pag. 253. Fides quoad assensum ultimatò resolvitur in veritatem Divinam, tanquam in rationem formalem sub qua & motivam; *In Ecclesiam verò vel potiùs in ejus Capita successiva, scil. Romanos Pontifices*, quoad propositionem credendorum, Regulam fidei, & conditionem applicativam formalis motivi &c. prolixa deductione non indiget.

Nam primò Pistophilus nullum Catholicum scribentem nuncupat, sed generatim quasi ex folle, & confusè loquitur, sicuti per aversionem citavit Catholicos Auctores contra Epistolas primorum Pontificum. Nec ullam rationem vel propriam vel alieni Auctoris afferre novit, ex qua prærogativæ summæ auctoritatis & infallibilitatis Personæ Publicæ cujusvis Romani Pontificis, legitimè electi, in solidum ac præcisivè, seu privativè non possit aut debeat competere, sed de Ecclesia veniant intelligendæ. Audet etiam de Catholicis Scriptoribus indefinitè id asserere, quasi omnes passim, nullo habito Pontificis respectu, Ecclesiæ secundùm se in Corpore spectatæ, aut saltem Ecclesiæ & Pontifici simul pro indiviso eas prærogativas assignent. Uterque modus loquendi à mente & typo nostrorum Catholicorum alienissimus est, iisque non nisi per infamem calumniam affingitur. Abstrahendo enim à Gallicis dissidiis, credunt omnes cæteræ nationes, oraculô Christi non Ecclesiæ secundùm se & quà Corpori, sed Petro, super quem ùt petram ipse suam ædificavit Ecclesiam, ut Primati Capiti, Pastori & Magistro supremo fuisse commissas claves Regni Cœlorum; ligandíque & solvendi, docendi, pascendi, gubernandi &c. potestatem traditam; & judicium Papæ cujuslibet legitimè electi, seu pacificè ab Ecclesia recepti, esse summum Jurisdictione, infallibile à Concilio independens, ac irreformabile in damnandis falsis dogmatibus, definiendis vel declarandis articulis fidei, & formandis Decretis morum, dummodo ùt Vicarius Christi loquatur ex Cathedra Apostolica, id est, faciat, quod sui officii est, & præmittenda præmittat. Hujus rei fundamentum comprimis ex SS. Paginis, præcipuè Matth. 16. & Luc. 22. adjuncta SS. Patrum interpretatione Summorum quoque Pontificum perpetua praxi, Conciliorum ipsorum contestatione, & Ecclesiæ antiquissima traditione, nec non communi Theologorum, Canonistarúmque consensione, prout articulatim, cum aliis me longè superantibus præclarissimis viris, in meo impresso Tractatu de *Romano Pontifice* ex instituto tractavi & commonstravi, con-

clu-

cludenter colligitur. Unde mihi in præsenti minùs commodum, vel opportunum accidit, ut in gratiam, nihil prorsus in contrarium probantis Pistophili, tum ibi fusè scripta, tum in tractatu de *Ecclesia Militante* succinctè regesta, atque ab ipso ne levi quidem molimine refutata, nova ac toties repetita adumbratione adornem.

At per Gallos Romani Pontificis prærogativas Ecclesiæ vel Generali Concilio deferri, verosimiliter voluit Pistophilus innuere. Transmittamus hoc. Redibit superiùs tibi de Epistolis primorum Pontificum exprobrata, utpote regulis Dialecticæ dissona argumentatio. Tu enim, mihi errorem imputaturus ob nimiam Pontificiæ Auctoritatis, & infallibilitatis elevationem, à particulari ad universale, & à probabili (sive verè probabili, sive tenuiter, sive plausibiliter duntaxat) infers certò falsum oppositum: quasi ita instes: Natio particularis aliqua, scil. Gallica, singulari sententia tantam auctoritatem & à Concilio independentem infallibilitatem in Romano Pontifice non agnoscit, sed in dubium vocat. Ergo universaliter tanta non agnoscitur: Vel: ergo absolutè & universaliter erroneum est, tantam in eo agnoscere. Item: secundùm Gallos probabile est, tantam auctoritatem, & à Concilio independentem infallibilitatem non dari. Ergo oppositum, quòd in Romano Pontifice tanta detur, certò falsum est. Apage cum hac absona & falsa Dialectica. Redibit præterea argumentum contra Pistophilum. Testes Gallos, quos tu pro tua causa pro veridicis habes, id est, in impugnatione Pontificiæ potestatis, non potes rejicere, quando in eadem Romani Pontificis causa contra te producuntur, supponunt, & loquuntur. Atqui contra te producuntur, supponunt, & loquuntur, in quantum in Romano Pontifice verum Vicarium Christi, Caput universalis Ecclesiæ, & utriusque saltem in Concilio Generali infallibilitatem &c. defendunt ac profitentur. Ergo tu, Pistophel, verum Christi Vicarium, Caput Ecclesiæ Universalis, ac utriusque saltem in Concilio Generali infallibilitatem &c. rejicere non potes.

Et quæso! ad quid tanta tua sollicitudo de tanta vel tanta Romani Pontificis potestate, si suppositum, sive ejus quidditatem ac existentiam (reclamante licèt interna cognitione & conscientia) forinsecus ad tuum tuorúmque interitum perfractè negare non desistas? Si Papa Romanus nihil est, quare hoc nihilum formidas, & cum umbris ac negationibus confligis?

Fortenè aucta Ecclesiæ vel Concilii, & minuta Summi Pontificis potestate, quàm adeò diris devovetis & execramini, propior spes vestræ ad Catholicum gremium reversionis affulgeret? Hunc equidem titulum sperandæ unionis ùt honestissimum Parisienses quondam suæ Declarationi præfixere. Sed quales fructus præconceptæ spei responderint, & ex Propositionibus Gallicanis progerminârint, apud Germanos nihil innotuit. Qui tam ingens divortium à tota Ecclesia semel fecerunt, & in dies suum schisma promovere omni possibili conatu contendunt, non magis Conciliis se submittent, quàm Papæ. Tota seu universa Christi Ecclesia & Caput & Corpus complectitur. Per schisma ab utroque fit divulsio. Facilius cum Romano Pontifice compositio iniretur, & feliciùs ac velociùs novum Pacis religiosæ negotium componeretur, quàm cum Concilio Generali, utpote cujus congregationi & consummationi, hoc præcipuè tempore, gravissima obluctantur obstacula: cúmque ad ejus legitimitatem quàm plurima requisita concurrere necesse sit, quantis non pateret exceptionibus, contradictionibus, protestationibus? Lites, si usque ad Generale Concilium protelentur, sub tam morosa cunctatione non tantùm de malo in pejus proserpunt, sed fiunt quasi immortales, quarum exitum & decisionem ne quidem homines futuri centenarii expectare poterunt. Hinc eas ad Concilium deferentibus congruet responsum Judicum in Areopago, partibus, quæ litem aliquam implexam ibi proponebant, reponentium, ut post centum annos judicio se sistant, sententiam quasi post mortis fatum acceptu-ri.

Ariani, Pelagiani, aliíque notissimi hæretici jam dudum à Conciliis damnati, annè Conciliis acquieverunt, & Ecclesiæ per obedientiam ac submissionem reconciliati, atque in vinculo charitatis reuniti sunt, aut perstiterunt? *Non aliunde hæreses sunt exortæ, & natæ schismata, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Dei Sacerdos, & Judex vice Christi cogitatur.* S. Cyprianus *epist.* 55. *ad Cornel.* Quantò plus auctoritati Summi Pontificis detraxeris, tantò minùs sectarii eundem æstimabunt, & reverebuntur. Si Magnates (ait regalis Sacerdotii Eminentissimus Author *Præludiorum* §. 4. ac Ministros reformatæ Religionis spectes, illi aut ambitione, aut libertate, aut aliis affectibus tenentur, ut veræ Religioni non accedant; & ideo non minuto tantùm, sed nec etiam sublato Pontifice errorem deserent. Si minores, & plebem accipias, parum illius interest, Papæ, Concilio, an aliis obediant; cùm alicui necessariò subsint. Non ergo Papæ Imperium, & potestas errandi causa est; sed prætextus, quem si auferas, alii non deerunt.

Fallitur, qui credit hostem concessis expleri; unum adeptus aliud exiget obtentis insolentior: & si historiam percurras, rarò invenies hac conniventiâ aliquid profectum.

In

In exemplum meritò adducitur, quòd Georgius Bohemiæ Rex à Pio II. communionem sub utraque specie pro Bohemis impetrârit, si hoc concederetur, ad Catholicam unionem reversuris. Idem à Concilio Basileensi exoratum: sed tantum abfuit, illos beneficio tali profecisse, ut impudenter potiùs jactarent, *Papistas suum errorem hac in re fassos, spémque allucere, ut alios æquè errores emendarent*. Quæ causa fuit, ut quamvis Augustissimus Ferdinandus à Patribus Concilii Tridentini Communionem sub utraque specie ardentissimè urgeret, allegata conversionis certissima spe, si gratia fieret: si negaretur, periculô, ne jam Catholici ad heterodoxos deficerent: nunquam tamen obtinere potuit: sed responsum fuit, satis experientiâ constare, heterodoxos beneficiis obstinari abutique, & quidquid crederetur, victoriam suam arbitrari, non piam Ecclesiæ conniventiam. De quo plura Pallavicin, in *Historia* Concilii, *lib.* 18. *cap.* 4.

Ante sæculum decimum quintum nec in Galliis, nec alibi, inter orthodoxos infallibilitate Summi Pontificis quæstio mota fuit. Cùmque ejusmodi quæstio concernat non solùm jus Romani Pontificis, sed Generalis quoque Concilii, imò totius Ecclesiæ securitatem quoad recipienda fidei ac morum decreta, sanè inter causas majores refertur, minimè ab una Natione, tanquam Summo Capiti & erit Ecclesiæ Principi subditâ, & dijudicanda: sed, si per hypothesin inconcessam, extra casum Schismatis, judicium aliquod subire posset, illud ad Concilium Oecumenicum spectaret. At quis Summorum Pontificum pro examinando & decidendo tanti sui præjudicii punctô Concilium convocaret? Quis illi præsideret? Quis cæteras orbis Christiani Nationes hactenus pro Sede Apostolica immobiliter decertantes cum una, Pontifici repugnante, concordaret? Et estò aliquæ in concordiam coirent, sine Summi Pontificis finali confirmatione nullum conclusum in suo robore subsisteret.

Ipsamet Gallicana natio nunquam unanimi consensu Prærogativas Romani Pontificis in dubium vocavit, prout in meo Tractatu Canonico-Juridico ex probatis Auctoribus latiùs ostendi. Ex multis hic subjicio Franciscum de Victoria Universitatis Parisiensis Alumnum, Relectione 4. ita loquentem: „Non spectat ad subditos determinare aut examinare, quid possit Papa, „ aut quid non possit; & quomodo teneatur „ parere, vel non. Quia hoc ipsum determinare, quæ sit potestas spiritualis alicujus, „ est jurisdictio & pars gubernationis, quæ „ non spectat ad subditos, saltem erga superiores. Ergo hoc non convenit illis. Deinde, quia hoc profectò esset in turbationem & dissolutionem Hierarchiæ Ecclesiasticæ & auctoritatis, si quilibet posset „ dicere; Papa hoc non potest; & hoc modo „ eximeret se à mandatis Papæ; & esset manifestum nutrimentum inobedientiæ, & „ Schismatum, & hæresum &c.

Nec ignota est ex histor. Univers. ad an. 1387. professio unanimis totius Universitatis Parisiensis, qua Clementem tanquam legitimum Pontificem, ejusque in causis fidei judicium infallibile per Magistrum Petrum de Alliaco venerabatur sequenti tenore: Igitur pro vestris humilibus filiis Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum Nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd quidquid in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc vel aliàs pro eis acturi aut dicturi sumus, totum correctioni & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus: dicentes cum B. Hieronymo *caus.* 24. *quæst.* 1. *Hæc est fides, Pater Beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minùs perite aut minùs cautè fortè aliquid positum est, emendare petimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes.* Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia, ùt habetur in *ead. quæst.* in *cap. quoniam vetus.* Et sicut dicit Cyprianus 93. Dist. *cap. qui Cathedram.* De qua Sede in Persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: P*etre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22. Hæc est igitur, ad quem determinatio fidei, & approbatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.

Neque per Concilium Constantiense auctoritati Papali aliquid detractum fuit, aut detrahi potuit. Quidquid enim tunc agebatur circa Pontifices, quorum tres incerti inter se certabant, solum casum *Schismatis*, & Papæ *dubii* respexit, uti patet ex verbis sæpius à Patribus Concilii repetitis: *In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis.* Unde etiam, proclamato Martino V. Pontifice Maximo, mox Concilii potestas cessavit, nihilque ampliùs ab eo in rebus fidei vel morum gestum fuit. Et in Bulla ejusdem Martini V. quæ, Concilio annuente, emanavit, inter propositiones cæteras, ob quas suspicio hæresis Hussiticæ incurrebatur, una erat ista: *Papa Canonicè electus non est Successor Petri, nec habet in Ecclesia* Dei *supremam auctoritatem.* Rursus, ea tantùm decreta fidei approbavit, quæ facta fuerant conciliariter, id est, re diligenter examinata: illud autem decretum quod ad elevationem Concilii attinebat, eo modo haud factum fuit: unde nec à Martino V. ratihabitionem accepit. Tandem, memoratus Pontifex appellationem ad futurum

Con-

Concilium reprobaturus (occasione Polonici Legati, nisi voto Nationis suæ per condemnationem libelli cujusdam dicti à Falchenberg satisfieret, talem appellationem comminantis) primo Pontificatûs anno 6. Idus Martii Constitutionem edidit hisce terminis: *Nulli fas est, à supremo Judice, videl. Apostolica Sede seu Romano Pontifice JEsu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsius & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* Vid. *Gallia vindicata Differt.* 3.

Quantum ad Concilium Basileense, cujus attentata contra Auctoritatem Romani Pontificis quandoque allegari solent, communis responsio tenet, ipsum quidem fuisse legitimè congregatum; posteaquam verò contra Eugenium surrexerat, in Conciliabulum degenerâsse, suoque robore eatenus destitutum mansisse. Sed de Concilio Constantiensi & Basileensi Purpuratum ac illustrissimum Benedictini Ordinis, nec non Benedictinæ Universitatis Salisburgensis Decus Cœlestin. Sfondrati tum in *Regali Sacerdot. lib.* 2. tum in *Gallia Vindicata dissert.* 3. præclarissimè solvit, diluitque, quidquid exinde contra Romani Pontificis præeminentiam hauritur & spargitur. Porrò Alexander VII. propositionem illam: *futilis est assertio de infallibilitate Pontificis in fidei Quæstionibus decidendis*, inter damnatas recensuit: quamvis Gallorum propositiones nullâ censurâ vel damnatione unquam fuerint perculsæ: nondum ergo erant de summa rei, quæ fidem tangebat. Proinde Parisienses adhuc intra aram & extra hæresim confligebant, de rebus nempe in Ecclesia nondum decisis, declaratis & ad credendum propositis. Absque pertinacia, cùm nulla à supremo Judice lata esset sententia, adeóque salva semper fidei unitate, & obedientia Apostolicæ Sedi debita, animóque excipiendam Summi Pontificis, si qua tandem ferretur, declarationem parato, in Galliis disceptatum fuerat. Sic & illud certamen de observantia Legalium jam inter Apostolos suscitatum unitati fidei minimè nocuit; nec ingens illa contentio inter Cyprianum & Stephanum Papam subsecutum; Cypriano nimirum contendente, baptizatos ab hæreticis, denuo esse rebaptizandos; Stephano contrarium declarante, & præcipiente, cui tandem Cyprianus cum cæteris Episcopis cessit, & paruit.

Quod ideo hic memorandum erat, ne Pistophilus suis cum asseclis ex prædicta quasi-accidentali dissensione aliquid substantiale in favorem suæ causæ prætexere aut captare valeat, quod in odium ac dispendium Catholicæ Ecclesiæ, Auctoritatis Pontificiæ, atque sufficientis unitatis, concordiæ nexúsque inter Caput & Corpus Mysticum detorqueat.

Juvátque, ad pleniorem litis successu temporis compositæ notitiam, litteras, quibus Gallicani Episcopi suam ad perfectum Primatum Summi Pontificis submissionem Innocentio XII. subjectissimè protestati sunt.

## Beatissime Pater.

Cùm in hac tandem exultantis Ecclesiæ felicitate ingentes Christiani omnes Paternæ Providentiæ Sanctitatis vestræ fructus percipiant, facilémque in sinum Clementiæ vestræ aditum experiantur; nihil accidere molestius nobis potuit, quàm quod eo loco res nostræ sint, ut aditus in Gratiam Sanctitatis vestræ nobis hactenus interclusus videatur. Cujus quidem rei, cùm eam fuisse rationem cuperemus, quòd nos Cleri Gallicani Comitiis anno 1682. Parisiis habitis interfuerimus; idcirco ad pedes Beatitudinis vestri provoluti profitemur, & declaramus, nos vehementer quidem, & supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis prædictis, quæ Sanctitati vestræ, Ejúsque Prædecessoribus summopere displicuerunt, ac proinde quidquid in eisdem Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam authoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, & habendum esse declaramus, & quidquid ibi deliberatum in præjudicium Ecclesiarum censeri potuit, pro non deliberato habemus, & habendum esse declaramus; quin imò à mente nostra alienum fuisse testamur, quidquam decernere, & Ecclesiis prædictis præjudicium inferre, prompti insuper in profundissimi obsequii, quod Sanctitati vestræ profitemur, & demissæ reverentiæ pignus ita nos gerere, ut de debita nostra, quam ad extremum vitæ spiritum Sanctitati vestræ impensissimè præstabimus, obedientia, & de nostro pro tuendis Ecclesiæ juribus zelo nihil unquam possit desiderari. His itaque perlectis nostris litteris, speramus, & Sanctitatem vestram humillimè obtestamur, ut nos in gratiam benevolentiámque tandem receptos, Ecclesiis, ad quas Rex noster Christianissimus nos nominaverit, præficere non dedignetur, quò maturiùs animarum saluti & Christianæ Religionis utilitati, ipsarum Ecclesiarum Juribus, & dignitati, ut sincerè Sanctitati vestræ profitemur, studium omne nostrum, & curam impendamus. Interim Beatitudini vestræ tanquam Beati Petri Apostolorum Principis Successori, Christi Domini Vicario, totiusque Militantis Ecclesiæ Capiti veram & sinceram obedientiam, quam jam promisimus, iterum promittimus, vovemus, & juramus, ac multos & felices annos pro Bono totius Ecclesiæ ex animo præcamur.

Gloriosum magis, quàm probrosum

his pietate & sapientia decoratis Ecclesiarum particularum Præsulibus extitit, novas, nec unanimi calculo approbatas opiniones & propositiones recantare ; non ignaris, veritati cessisse, victoriæ speciem præseferre. Plus nobis ( ait D. Gregorius Magnus *Homil. 26. in Evang.* ) aliquorum incredulitas ad fidem, quàm fides aliorum credentium profuit.

Coronârunt hanc sacram Concordiam litteræ ipsius Regis Christianissimi, Ludovici XIV. idiomate gallico conceptæ, & ad Summum Pontificem submissæ. Latino stylo sequentem contextum habent.

## Beatissime Pater.

" Multa mihi, & egregia de Sanctitatis vestræ ad Pontificiam hanc Dignitatem promotione pollicitus eram: cùm nihil ambigerem, eam quàm plurimùm ad Ecclesiæ totius, nostræque sanctæ Religionis incrementa ac splendorem profecturam. Nec ea me spes fefellit ; cùm non sine ingenti meo gaudio, quæ in utriusque commendationem, maximúmque augmentum à Sanctitate vestra magnificè, præclaréque gesta sunt, oculis usurpem, sentiámque, eam quoque ob causam filialem meam in Beatitudinem vestram reverentiam semper intendi. Et quia animo statui, qua maximè ratione possum, id ipsum Sanctitati vestræ testatum facere ; latere Eam nolo, jam à me provisum esse, ut Edictum quo Parisiensium Comitiorum declaratio anno 1682. die secunda Martii, munita fuerat, quodque *eorum temporum conditio à me expresserat, effectu deinceps careat, suspensúmque censeatur &c.*

Quibus omnibus pensiculatè consideratis, in propatulo est, Pistophilum in hoc turbido piscari volentem, spe delusum esse, & Romani Pontificis Primatum, Auctoritatem ac infallibilitatē ab Ecclesia tota (quam totam congregari, & omnium ejus membrorum suffragia colligi, humano modo aliunde impossibile esse constat) uti etiam à Concilio Generali independere. Loquimur autem de Romano Pontifice, ex Cathedra loquente ùt Persona publica, vero, & legitimè assumpto JESU Christi Vicario: non item de intruso, hæretico, temerario, vel præcisè ùt Personâ privatâ agente. Unde de illo rectissimè à me cum Theologis dictum & scriptum est' quòd quoad propositionem credendorum sit regula fidei, & conditio applicativa formalis motivi: sive, quòd Fides ( divina & Theologica ( quoad assensum ultimatò resolvatur in Veritatem Divinam, tanquam in rationem formalem sub qua & motivam : in Ecclesiam verò vel potiùs in ejus Capita successiva, scil. Romanos Pontifices resolvatur quoad propositionem credendorum &c. nullo interposito discrimine circa objecta materialia, quasi ejusmodi infallibilitati aliqua subducenda forent, ex. gr. quando agitur de Approbatione Authentica Librorum Sac. Scripturæ, in quibus Pistophilus exceptionem fieri debere existimat, at erroneè absque ullo fundamento majoris rationis, quasi nempe in eo articulo major infallibilitas, quàm in proponendis aliis rebus divinitus revelatis, requiratur.

Satis dictum & probatum
contra eum, qui nihil
probavit.

## Laudetur JESUS Christus.

TRA-

# Tractatus VIII.

De

## Spe & Charitate: Gratia habituali: Juſtificatione:

Et

## Merito Juſtorum.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De Spe & Charitate Divina.

QUÆSTIO I.

*Quid ſit ſpes: quodnam ejus objectum?*

QUÆSTIO II.

*An in eo, cui revelata fuit ſua damnatio, poſſit eſſe ſpes Theologica? De tertia virtute Theologica, nempe de Charitate.*

QUÆSTIO III.

*Quid ſit charitas: quodnam ejus objectum?*

QUÆSTIO IV.

*Utrùm etiam actus Charitatis, habitu præexiſtente remiſſiores, augmentum gratiæ & charitatis meritoriè cauſent?*

QUÆSTIO V.

*Quomodò fiat augmentum charitatis intenſivum? &, an illius habitûs intenſio per peccata venialia minuatur?*

QUÆSTIO VI.

*An detur ſpeciale præceptum de diligendo DEO; & quo tempore illud obliget?*

QUÆSTIO VII.

*Quid circa præceptum amandi proximum notandum ſit?*

## DISSERTATIO II.

### De Gratia ſanctificante, & Juſtificatione.

*Prænotiones circa juſtificationis & juſtitiæ nomen: locutiones Novatorum: nec non circa diviſionem gratiæ, & participationis varietatem.*

QUÆSTIO VIII.

*An Gratia ſanctificans ſit juſtitia realiter inhærens: & qualis ſit naturæ Divinæ participatio?*

QUÆSTIO IX.

*An ſola Gratia ſit formalis & adæquata cauſa noſtræ juſtificationis?*

QUÆSTIO X.

*An Gratia habitualis ſuapte natura, & abſque favore DEI extrinſeco, hominem DEO gratum, ſanctum, Filium DEI adoptivum, conſtituat?*

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

*An saltem de potentia DEI absoluta aliquis actus, præter gratiam, possit esse forma justificans?*

QUÆSTIO XII.

*An peccatum mortale de Potentia DEI absoluta auferri possit per solam condonationem extrinsecam?*

QUÆSTIO XIII.

*Utrùm Gratia sanctificans & peccatum saltem de potentia DEI absoluta in eodem subjecto consistere possint?*

QUÆSTIO XIV.

*Possitne homo sine peculiari revelatione certus esse de gratia & sua justificatione? Resolutio quorundam dubiorum circa hanc quæstionem.*

QUÆSTIO ULTIMA.

*An sit possibilis Status Naturæ puræ?*

## APPENDIX
### Exercitii Menstrui Salisburgensis
### *De Merito Justorum.*

# PROLOQUIUM.

Cum non tantùm de Ecclesia Militante, proinde de Religione Catholica reâpse, sed insuper expressè de Fide, ad quam sequitur Spes, & Charitas, in Tractatu anteriori complura protulerim: præsens Tractatus peraccommodè subnectitur, non solùm quòd tres illæ Virtutes Theologicæ, quemadmodum & Morales, à Gratia Habituali, seu Sanctificante tanquam proprietates à sua essentia dimanent, & earum actus ad justificationem, quæ non nisi per deletionem peccati habitualis vel originalis vel personalis fit, concurrant; verùm etiam, quòd heterodoxi tum circa gratiam tum circa ipsam justificationem, & meritum vitæ æternæ in erraticas Sententias distrahantur. Ex quo apparet, notitiam hujus Tractatûs, ùtùt intra angustos terminos concentrandi, utilem mantissam, imò & coronidem vix non necessariam fore ad Tractatum præcedentem.

# DISSERTATIO PRIMA.
## *DE*
## *Spe, & Charitate Divina.*

EXpedita Virtute Theologica, quæ dicitur fides, proximum eſt, ut in medium proferamus aliqua de Spe, de qua Doctor Angelicus 2. 2. à *quæſt.* 17. tractare incipit: quocum hîc ponitur

## QUSTIO PRIMA.
### *Quid ſit Spes: Quodnam ejus objectum?*

1. ASſertio prima: Spes eſt Virtus: & quidem Theologica. Prob. prima pars: Quod facit actum bonum, & attingentem debitam regulam, eſt virtus, quæ (juxta Ariſtot. 2. *Eth. cap.* 6.) facit habentem bonum, & ſimul ejus opus bonum reddit, dum ſcilicet attingit regulam vel rationis vel DEI. At Spes, quæ eſt de bono futuro arduo poſſibili per Divinum auxilium, eſt hujuſmodi: quia ejus actus attingit DEUM, qui eſt ſuprema Regula actuum humanorum. Ergo &c. Secunda pars conſtabit ex declaratione objecti. Sit itaque

2. Aſſertio ſecunda: Objectum *formale quod*, ſeu primò terminativum Spei Theologicæ eſt DEUS, ùt Beatitudo poſſidenda, connotans in obliquo beatitudinem formalem, id eſt, viſionem claram, tanquam primam poſſeſſionis adeptionem objecti Beatifici. Objectum formale *quo*, ſive motivum Spei Theologicæ eſt auxilium Divinum, ſive DEUS ùt auxiliator, Omnipotens, miſericors & fidelis. Ratio primæ partis eſt, tum quòd S. Doct. 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 5. dicat, Spei, in quantum eſt virtus, principale objectum eſſe DEUM, ſcilicet quà Summum bonum nos beans: intelligendo utique ſub nomine DEI non ſolam eſſentiam Divinam, ùt virtualiter ab attributis & relationibus Divinis diſtinctam, ſed horum omnium complexum, & prout DEUS realiter in ſe exiſtit: tum, quòd fides ſit ſubſtantia ſperandarum rerum: ſi ergo res ſperanda, quam attingit fides, eſt DEUS tanquam objectum *formale quod*, & primarium, erit & Spei, quamquam ſub diverſa attingibilitate: tum denique, quia DEUS ùt beatitudo objectiva, ſeu ſummum bonum beatificans in patria eſt objectum formale *quod* fruitionis, conſequenter & virtutis Spei in via; cùm hæc duo, ſpes, & fruitio ad idem objectum primarium terminentur.

3. Secunda pars colligitur ex frequentiſſimis Scripturæ teſtimoniis: ùt Pſalm. 27. *Dominus adjutor meus; in ipſo ſperavit cor meum.* Et D. Thom. *quæſt. un. de Spe a.* 1. *in C. Spes*, inquit, *habet virtutem ex hoc ipſo, quòd homo inhæret auxilio Divinæ poteſtatis ad conſequendam vitam æternam. Si enim aliquis inniteretur humano auxilio, vel ſuo, vel alterius, ad conſequendum perfectum bonum, abſque auxilio Divino, eſſet hoc vitioſum ſecundùm illud* Jerem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine. *Sic igitur ſicut objectum formale fidei eſt veritas prima, per quam ſicut per quoddam medium aſſentit his, quæ creduntur, quæ ſunt objectum materiale fidei: ita etiam formale objectum Spei eſt auxilium Divinæ poteſtatis & pietatis, propter quod tendit motus ſpei in bona ſperata, quæ ſunt materiale objectum ſpei.* Ulterius S. D. 2. 2. *cit. q.* 17. *art.* 4. advertit, *quòd liceat ſperare de aliquo homine vel creatura ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcunque bona conſequenda in beatitudinem ordinata. Et ſic ad Sanctos convertimur.* Ex his deducitur, quælibet bona creata, ſupernaturalia, ardua, abſentia, & ad æternam beatitudinem conducentia vel pertinentia, eſſe objecta ſecundaria & materialia Spei Theologicæ. Conſtat inſuper pars ſecunda primæ Aſſertionis: cùm enim ſpes attingat immediatè DEUM, DEOque innitatur ùt auxiliatori, non poteſt non eſſe Virtus Theologica. Propterea Apoſtolus 1. *Cor.* 13. Spem adnumerat Fidei & Charitati, quæ ſunt Virtutes Theologicæ. Quodque ſit virtus ſupernaturalis infuſa, expreſſit idem Apoſt. Rom. 15. *DEUS autem Spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritûs Sancti.* Neque ſpes habet medium & extrema ex parte principalis objecti; quia verſatur circa ipſam regulam Divinam, & Divino auxilio nemo poteſt nimis inniti: licèt quantum ad ea, quæ confidit aliquis ſe adepturum, poſſint eſſe medium & extrema, in quantum præſumit, vel deſperat. S. Doct. *cit. quæſt.* 17. *art.* 5. *ad* 2. Cùm autem de virtute Spei informi proportionaliter ſit diſcurrendum, ac de virtute informi fidei, revidendus eſt *nu.* 436. ac dicendum, Spem informem, id eſt, à gratia & charitate (quæ

per

per quodcunque peccatum mortale amittuntur) non esse virtutem perfectam secundùm statum.

4. Infertur primò, ideò beatitudinem *formalem*, quæ consistit in actu visionis claræ seu intuitivæ, non constituere in recto saltem partialiter objectum primarium seu formale *quod* Spei, quia quælibet virtus Theologica respicit immediatè DEUM pro objecto: sed beatitudo formalis, non est DEUS, sed quid creatum: nec est finis ultimus *qui*, sed solùm finis *quo*, seu medium, quo beatitudinem objectivam consequimur. Ergo Virtus Theologica beatitudinem formalem non respicit ùt partiale constitutivum objecti formalis *quod* in recto, sed tantummodo ùt connotatum in obliquo, itemque ùt objectum materiale & secundarium.

5. Infertur secundò, neque arduitatem aliquo modo constituere objectum formale *quo*, vel rationem formalem *sub qua* spei. Quàm parùm enim obscuritas objecti fidei movet ad assensum fidei, tam parùm arduitas consequendæ beatitudinis movet ad eliciendum actum Spei, sed potiùs permultos absterret. Requiritur tamen arduitas ad objectum & actum Spei tanquam conditio necessaria; quemadmodùm & obscuritas ad objectum & actum Fidei Theologicæ.

6. Infertur tertiò, subjectum proximum Spei Theologicæ esse voluntatem. S. Doct. hic *quæst.* 18. *art.* 1. Nam objectum Spei est bonum: ergo actus Spei debet esse motus partis seu potentiæ appetitivæ: atqui non potest esse motus appetitûs sensitivi: quia illius principale objectum non est bonum sensibile, sed intelligibile & Divinum. Ergo Spei actus erit motus appetitûs superioris, qui dicitur voluntas.

7. Habitus Spei Theologicæ non manet in damnatis: nec in Beatis: damnati enim æternam beatitudinem non possunt apprehendere ùt bonum ab ipsis mediante Divino auxilio assequibile; nec beati, qui beatitudinem jam possident, in eam tendere ùt futuram: nec etiam ipsa continuatio gloriæ habet rationem futuri. Vid. D. Tho. *cit. quæst.* 18. *art.* 3. *ad* 2. ubi dicit, quòd in damnatis maneat fides scilicet informis, non tamen peræquè Spes: discrimine dato, quòd fides sit de rebus tum bonis tum malis præteritis; Spes verò de solis bonis futuris. Quo loco S. D. non est intelligendus, quasi in damnatis fidem aliquam infusam, seu supernaturalem, licèt informem, admittat, sed tantùm naturalem & acquisitam: quia adhuc credunt, quamvis quodammodò coactè, scilicet ùt sunt moraliter convicti de mysteriis propter evidentiam signorum; Sic, ut nulla pia affectione ad primam veritatem revelantem credant. Manet autem Spes in animabus in Purgatorio; quia apprehendunt beatitudinem ùt possibilem & futuram: Sicuti & fides, & quidem per charitatem formata: tum, quia nondum sunt completè in termino: tum quia in ipsis manet supernaturalis cognitio mysteriorum.

8. Quid de Christo: fuitne in hac vita in ipso spes? Resp. Christum in hac vita fuisse comprehensorem respectu fruitionis Divinæ: simul tamen viatorem respectu passibilitatis suæ naturæ humanæ; ideò potuit equidem quodammodo sperare impassibilitatem, & immortalitatem; non tamen per actum elicitum dependenter à virtute spei, id est, Theologicæ, utpote quæ non respicit gloriam corporis tanquam objectum principale, sed fruitionem Divinam. S. D. *cit. q.* 18. *art.* 2. *ad* 1.

9. Quantum ad certitudinem spei, D. Th. *q.* 18. *art.* 4. concludit, quòd spes in viatoribus sit certa non quidem essentialiter, sed per fidem omnem suam certitudinem participativè habeat. Quamvis enim certitudo essentialiter sit in vi cognoscitiva, participativè tamen, ùt notat ibi S. D. est in omni eo, quod à vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad suum finem. Hujusmodi autem est spes. Ergo.

10. Si opponas, spem ex gratia & meritis provenire, in hac autem vita de statu gratiæ, & merito nos certitudinem non habere: Resp. *ib.* S. D. ad secundum, quòd spes non innitatur principaliter gratiæ jam habitæ: sed Divinæ omnipotentiæ & misericordiæ: per quam etiam, qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia autem DEI & misericordia (quibus designatur motivum spei) certus esse potest, quicunque fidem habet. Quia tamen certitudo spei etiam nostræ liberæ voluntatis cooperationem connotat, hæcque fallibilis est, spes ratione istius connotati, nullatenus verò ex parte motivi, fallibilitatem & formidinem relinquit. Ex prædictis formatur sequens definitio spei, quòd sit virtus infusa Theologica, per quam futuram beatitudinem speramus, mediante auxilio Divino obtinendam.

11. His addendum, spem habitualem, cùm sit connexa cum infusione gratiæ & charitatis, esse in quolibet necessariam necessitate medii ad salutem. Ex præcepto affirmativo spes actualis necessaria est in justificatione peccatoris, & quoties tentatio desperationis aliter, quàm per actum spei, superari nequit.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## *An in eo, cui revelata fuit sua damnatio, possit esse Spes Theologica?*

12. ASsertio est negativa. Ratio prima: Quia Ecclesia non ampliùs oraret pro tali, licèt adhuc in hac vita constitutus esset, juxta S. August. *l.* 21. *de Civ. cap.* 24. Secunda, quia deficeret conditio essentialis, à qua dependet actus spei ex parte actûs primi: hæc enim importat judicium prudens de assequibilitate seu futuritione suæ beatitudinis. Tertia: Quem revelatio facta cogit desperare, ille nequit sperare Theologicè: sed cuicunque fieret talis revelatio, illum cogeret desperare juxta S. Thom. *q.* 23. *de ver. art.* 8. *ad* 2. Quarta: Si posset sperare, posset prudenter dissentire illi revelationi: Sed hoc non potest: ergo &c. quomodo ergo poterit prudenter judicare, se fore salvandum? Item quomodò judicium prudens poterit recuperare supernaturalem actum spei Theologicæ, qui essentialiter debet prodire à prudenti judicio futuræ beatitudinis? Quinta: Ubi nec potentia sperandi est antecedens, nec consequens, ibi nec potest dari actus spei: Sed nulla adesset: de consequenti certum est: de antecedenti verò probatur: non enim datur potentia antecedens, ubi deest complementum intrinsecum, consistens in judicio prudentiali *futuritionis*, & ubi deest requisitum ex parte actûs primi proximi. Impossibile enim est, ut voluntas sit proximè expedita, & completa ad efficaciter desiderandum aliquod objectum tanquam futurum, nisi quod in intellectu præsuppositivè repræsentatur ùt futurum. Sexta: ex S. D. 2. 2. *q.* 18. *art.* 2. *in Corp.* ubi sic ait: *Subtracto eo, quod dat speciem rei, resolvitur species, & res non potest eadem remanere: spes autem recipit speciem ab objecto suo principali. Objectum autem principale ejus est beatitudo æterna, secundùm quod est possibilis haberi ex auxilio DEI; quia ergo bonum arduum possibile non cadit sub rationem spei, nisi secundùm quod est futurum, non potest esse virtus spei.* Unde S. Doct. non tantùm moralem impossibilitatem subesse censet, sed etiam physicam ad sperandum.

13. Arguis primò. Voluntas prædeterminata ad amandum, quamvis non possit non amare potentia consequenti, & in actu, seu sensu composito: quia tamen potest amare potentia antecedenti, & in sensu diviso, ideò absolutè habet potentiam non amandi: ergo etiam cui facta est revelatio &c. potentiam antecedentem servat. Resp. conc. ant. neg. conseq. quia præmotio physica est mera applicatio actûs primi jam completi ad actum secundum, estque causalis inchoatio actûs secundi, relinquens indifferentiam judicii, vi cujus homo judicare potest, se ita unam partem amplecti, vel amare bonum limitatum, ut posset amplecti alteram oppositam partem, vel bonum illud (cùm non necessitet, utpote quid finitum de se & imperfectum) non amare. Ergo non tollitur potentia antecedens, sed illæsa conservatur. Aliud est de revelatione, utpote quæ non ampliùs relinqueret *indifferentiam judicii*, quod quis beatitudinem possit consequi, ut probabiliter futuram &c.

14. Arguis secundò: Maneret habitus spei: cùm revelatio ipsa non sit contraria habitui, & hujus corruptivum. Resp. negando antec. Hìc enim actus primarius virtutis spei evaderet impossibilis: ergo & habitus corrumperetur, cùm non possit inclinare in actum impossibilem, & quidem primarium. Corrumperetur ergo saltem *indirectè* subtractô nimirum prudentiali judiciô de futuritione beatitudinis, à quo tanquam essentiali prærequisito in *fieri* & *conservari* dependet: quemadmodum virtus seu habitus fidei, superveniente infidelitate, corrumpitur *indirectè* (non *directè*, velut per expulsionem à suo contrario) tanquam subtracto essentiali fundamento fidei, à quo dependet in fieri & conservari.

15. Arguis tertiò: Talis deberet posse licitè desperare: hoc autem repugnat: cùm sit quid intrinsecè malum: ergo &c. Resp. primò: posset desperare desperatione sumpta *negativè*, pro non sperare: cùm *positivè* sperare nec possit, nec teneatur. Resp. secundò: quoad positivè *desperare*, distinctione opus esse, juxta Joan. à S. Th. Si desperatio accipitur pro odio & aversione ab ipsa beatitudine apprehensa sub ratione *mali*, sic non licet, estque intrinsecè mala: neque est propriè dicta desperatio, sed odium oppositum amori. Si verò accipitur pro positiva nolitione tendendi in beatitudinem, fundatâ in perverso judicio, quo aliquis judicaret, potentiam & misericordiam DEI non esse tantam, ut ei oporteat fidere in negotio salutis, iterum foret mala desperatio, utpote opposita formali objecto spei. Si demum accipiatur pro dejectione seu tristitia animi nolentis tendere in beatitudinem, quam judicat nimis difficilem, seu impossibilem adeptu, quo in sensu est propriè dicta desperatio, in nostra hypothesi non erit illicita: cùm tristitia illius hominis de tanto malo sit rectæ rationi conformis, nec ipsa beatitudo terminaret odium, vel tristitiam, sed ejus consequendæ impossibilitas: unde, quàm licitè potuit tristari Petrus propter prædictam sibi negationem Christi, tam etiam excusabilis ab omni peccato foret illa desperatio. Nota igitur, desperationem esse intrinsecè malam (in omni sensu) de lege ordinaria, & citra talem revelationem factam: non item, eâ revelatione damnationis suppositâ: ex qua ratione damnati in inferno absque peccato desperant.

16. Dices: ejusmodi desperatio foret difformis Divinæ voluntati. Ergo mala. Resp. non esse obligationem, ut voluntas creata cum Divina conformetur in volito materiali, sed in volito formali, & quatenus nobis aliquid ùt Divinæ voluntati conforme proponitur.

17. Arguis quartò: Potest ille, cui damnatio sua revelata fuit, adhuc obtinere beatitudinem: cùm non desint auxilia sufficientia: ergo etiam adhuc sperare poterit. Resp. negando conseq. quia ad sperandum ultra possibilitatem, requiritur judicium de probabili futuritione.

18. Arguis quintò: Revelatô peccatô certè futurô, non cessat obligatio ad præceptum servandum: ergo nec cessat potentia sperandi, revelata damnatione &c. Resp. nego conseq. quia talis revelatio non aufert honestatem motivam præcepti, vel aliud necessarium requisitum ad observantiam illius: revelatio verò damnationis tollit probabilem futuritionem, & consequibilitatem salutis.

19. Arguis sextò: Ex concessis in nostro casu maneret obligatio ad observantiam mandatorum DEI: ergo & obligatio ad eliciendam spem: cùm juxta S. Th. per spem proemii homo inducatur ad observantiam præceptorum. Resp. negando conseq. quia spes non est necessarium & unicum medium inductivum ad observantiam mandatorum; utpote quæ ratione suæ objectivæ honestatis, & obedientiæ DEO debitæ sufficienter movere, atque ad sui observantiam obligare potest.

20. Arguis septimò: Objectum spei non est beatitudo ùt futura tantùm absolutè, sed etiam conditionatè: hoc est, beatitudo, ùt objectum spei Divinæ, dependet à conditione usûs gratiæ Divinæ, ac finalis perseverantiæ: sed non obstante revelatione damnationis, adhuc maneret beatitudo objectum futurum sub dicta conditione: ergo sufficienter maneret objectum spei. Resp. dist. dependet ab usu gratiæ &c. ita ùt hæc conditio judicetur probabiliter futura, concedo, secùs nego antec. Certè, quod inspicitur ùt practicè consequibile, aut acquirendum, inspicitur etiam ùt absolutè acquirendum: & quòd inspicitur ùt absolutè acquirendum, nequit non inspici ùt absolutè futurum probabiliter, si probabiliter apprehenditur practicè acquirendum. Nam motus spei est verè efficax & seria prosecutio boni expectati, ad distinctionem à simplici affectu, & desiderio ad illud: sed hujusmodi motus non tendit ad bonum præcisè ùt est *possibile* acquiri, sed etiam ùt est *probabiliter* saltem acquirendum: insuper seria prosecutio boni expectati infert absolutam electionem mediorum ad illius absolutam, & actualem consecutionem utilium: unde motus spei tendit ad bonum non conditionatè, sed absolutè consequendum saltem probabiliter: nempe tale judicium speculativum: *obtinebo salutem:* præcedere debet; sicut in eo, qui adorat hostiam per actum Religionis, opus est, quod præter judicium speculativum in communi (quod apud nos est illud, quo credimus vitam æternam esse repromissam omnibus cum oblatione auxiliorum Divinorum) quo fide Divinâ credit, hostiam ritè consecratam continere Corpus Christi, præcedat aliud judicium in particulari saltem probabile & prudentiale, dictans, hanc determinatam Hostiam esse ritè consecratam: ergò qui non potest habere illud judicium speculativum in particulari, putà hoc, *obtinebo salutem*, nec potest elicere actum Spei Theologicæ: quemadmodùm non potest elicere actum Religionis sine judicio speculativo præhabito de legitima facta consecratione Hostiæ &c. Clarum autem est in nostro casu, non posse dari hoc judicium, *obtinebo salutem:* ergò nec Actus Spei Theologicæ. Ita nonnemo insignis Theologus. Hinc

21. Notat primò, non sufficere, ùt putat Ripalda, apprehensionem futuritionis sine judicio intellectûs seu cognitione prudentiali, & rationabili de futuritione absoluta beatitudinis: sic enim, exstante judicio de non consecratione facta de præterito circa hostiam, stare nequit ulla cognitio prudentialis, & rationabilis de ejus consecratione, & adorabilitate. Secundò: ad movendam voluntatem non sufficit simplex apprehensio, sed requiritur judicium intellectûs, & quidem practicum; quia non est satis, proponi objectum voluntati ùt bonum absolutè, sed requiritur, ut proponatur ùt conveniens appetenti: ergò mediante judicio debet fieri collatio illius boni cum appetente, & appetentis cum bono: in hoc ergò excedit voluntas tanquam appetitus superior appetitum sensitivum, ad cujus motionem sufficit simplex apprehensio objecti in potentia æstimativa sine collatione rationum convenientiæ vel disconvenientiæ: deinde cognitio prudentialis necessariò consistit in aliquo judicio.

22. Arguis octavò: Præceptum moriendi relinquit in Christo potentiam antecedentem: ergò & revelatio tanquam aliquid extrinsecum voluntati relinquit potentiam antecedentem sperandi. Resp. negando consequentiam: ùt dictum enim est, tollitur hic objectum Spei &c. Disparitas est, quòd objectum potentiæ liberæ ad moriendum sit mors secundùm se, & omissio mortis secundùm se; non verò mors & omissio illius ùt conjungenda cum præcepto: præterea præceptum non tollit, vel impedit, quin Christi voluntati proponatur mors & carentia illius secundùm se cum omnimoda indifferentia, licèt tollat si proponatur omissio mortis ùt conjungenda cum præcepto: hoc enim spectaret ad potestatem *consequentem*, quam Christus non habuit: aliàs habuisset potestatem ad implendum, & non implendum.

23. Arguis nono. Ratio, cur reprobus ante revelationem sperare potest, non est igno-

ignorantia suæ reprobationis : cùm talis ignorantia non sit motivum Spei, nec tollat nec tribuat probabilitatem rei ; sed solùm tollit notitiam futuri eventûs : ergò motivum Spei in reprobo ante revelationem est possibilitas salutis per auxilia collata, vel oblata, & libertas voluntatis ad implenda præcepta expedita : atqui nil horum tollit revelatio damnationis : ergò antè & pòst sperare potest &c. Resp. Rationem de reprobo, ùt potente sperare ante revelationem reprobationis adæquari ex hoc, quia ei beatitudo repræsentari potest ùt futura possibiliter per judicium prudentiale &c. quod tollitur post revelationem. Ulteriùs ignorantiam reprobationis non esse motivum sperandi, fatemur, quia hoc est auxilium DEI : est tamen *conditio*, *sine qua non* potest subsistere objectum *quod* Spei. Illius enim objectum *quod* est salus ùt repræsentabilis futura absolutè saltem probabiliter ; & auxilium Divinum nequit movere ad sperandum, nisi præcedat illa proportio, ad quam omnino deservit ignorantia reprobationis.

24. Arguis decimò. Evidentia in attestante non tollit intrinsecum motivum fidei : ergò nec revelatio &c. motivum Spei. Probat. consequentia : ideò prius verum est, quia evidentia illa non immutat objectum fidei : sed nec revelatio objectum Spei immutat : solùm enim declarat malitiam peccatoris voluntariam, & pœnam æternam illi infligendam. Resp. negando consequentiam. Quia in priori casu relinquitur objectum revelatum sub sua obscuritate : at cognitio certa futuritionis absolutæ damnationis, & *non esse* salutis mediante revelatione DEI immutat objectum Spei, impediendo, ne repræsentetur ùt futurum absolutè.

25. Arguis undecimò. Providentia DEI rebus nullam necessitatem imponit, nec ordinem causarum immutat, non obstante, quòd disponentes exinde pendentes sint infallibiles : ergò nec revelatio. Resp. negando paritatem : quia revelatio præscientiæ superveniens tollit judicium de futuritione absoluta &c.

26. Arguis duodecimò. Qui non tenetur ad prosequendum finem, nec tenetur ad prosequenda media, qualia sunt observatio mandatorum : & tamen hæc obligatio manet, finis verò ùt consequendus cessat. Resp. facta revelatione, adhuc illum miserum teneri absolutè ad prosequendum finem, non tamen ex intentione efficaci illius, & illum consequendi. Deinde eo modo, quo quis tenetur ad prosequendum finem, vel non tenetur, tenetur quoque, vel non tenetur ad prosequenda media. Jam ut quis teneatur ad prosequendam salutem, satis est, quòd sit absolutè possibilis, non verò requiritur, ut sit futura *absolutè*, vel sub ea ratione repræsentetur : tunc autem est possibilis, quando adsunt auxilia sufficientia & ad observationem legis necessaria : non tamen tenetur ad præceptum Spei implendum, quia ipse actus non est possibilis. Rursus : si adimpletio præcepti Spei est medium ad consequendam salutem, concedendum etiam est, quòd non teneatur ad illam prosequendam : sed non eo ipso liberatur ab observatione aliorum præceptorum ; quoniam talis observatio non ideò præcisè obligat, quia est medium ad salutem obtinendam : sed etiam ob moralem honestatem materiæ, quam præcepta concernunt. Obligant quoque, quia actus illi sunt possibiles absolutè dependenter ab auxiliis collatis, vel oblatis.

27. Dices : Ergo reprobus post revelationem potest sperare observationem totius legis. Resp. totius legis divisivè concedo, collectivè sumptæ nego. Licèt enim habeat judicium certum, quòd non sit observaturus omnia præcepta, non tamen potest formare judicium certum, quale præceptum determinatè violaturus sit. Nec posset alicui, supposita revelatione damnationis suæ, revelari, quòd propter omissionem actûs Spei sit damnandus : quia omissio illius actûs foret necessaria, cùm actus positivus non sit possibilis.

28. Arguis decimo tertio : Si cui peccatum reveletur futurum pro certa morula temporis quasi indivisibilis : ánne adhuc illud vitare tenebitur ? Resp. affirmativè. Contrà : non posset seriò conari ad vitandum peccatum : ergò pro illo tempore peccatum vitare non tenebitur : Urges : si apertè sciat, medium omne esse inutile, non potest ille seriò conari cum efficaci voluntate ad vitandum : ergò &c. Si verò adest medium efficax, tunc etiam potest sperare, se peccatum esse vitaturum, quod tamen in isto casu impossibile est. Resp. supposita revelatione, aliud esse, quòd omne medium sit absolutè inutile, seu inefficax, aliud, quòd media, quæ defactò ponet, sint inutilia. Hoc secundum est verum, primum est falsum. Exempli gratiâ revelatur Petro : tu ibis hodie illo quadrante horæ in domum Pauli, ibique carnaliter peccabis. Medium efficax ad non peccandum est *non ire* ad domum Pauli : sed quis dicat, vi revelationis esse absolutè impossibile, ne *iret* : necessitas enim in rebus per revelationem non ponitur, sed solùm ad non *sperandum*, quia objectum Spei est *futurum*, aliorum actuum est objectum possibile. Unde ille, cui fieret talis revelatio, posset ponere medium efficax ad vitandum peccatum fornicationis in sensu diviso, id est, non eundo ad domum Pauli, quamvis (quia illuc ibit) non sit illud medium *non eundi* positurus ; quod est idem, ac in sensu composito ipsum esse peccaturum. Cæterùm, ut quis teneatur ad vitandum peccatum, sufficit, quòd habeat potestatem antecedentem ad eliciendam volitionem seriam & efficacem de peccato vitando ; item ad ponendum medium ad peccati evitationem necessarium : quamquam certò prævideat, quòd

medium

medium illud non ponet, nec conabitur ad illud ponendum, ſcilicet ex propria malitia & defectibilitate. Hæc de ſecunda Virtute Theologica.

## De tertia Virtute Theologica: id eſt, de Charitate.

29. DIvus Thomas 2. 2. à *q.* 23. exorditur explicationem præſentis materiæ, & per aliquot quæſtiones perſequitur. Secundùm Apoſt. 1. *ad Cor.* 13. inter tres virtutes Theologicas major eſt charitas. Sed cur? Audi D. Th. *cit. q.* 23. *artic.* 6. *Semper id, quod eſt per ſe,* ait, *majus eſt eo, quod eſt per aliud; fides autem & ſpes attingunt DEUM, ſecundùm quod ex ipſo provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: ſed charitas attingit ipſum DEUM, ut in ipſo ſiſtat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideò charitas eſt excellentior fide & ſpe, & per conſequens omnibus aliis virtutibus &c.* Nunc de quidditate Charitatis.

## QUÆSTIO TERTIA.

### *Quid ſit Charitas? Quodnam ejus objectum?*

30. ASſertio prima: Charitas eſt virtus Theologica, ſive habitus ſupernaturalis, ſeu infuſus, inclinans voluntatem ad diligendum DEUM appretiativè ſuper omnia propter ſe, & alia propter DEUM. Dixi *appretiativè*, quâ voce innuitur, eum, qui DEUM verè diligit, bonum Divinum ſeu amicitiam DEI ita ſupra omnia alia bona creata æſtimare, ut, quamvis non omni intenſionis perfectione illam bonitatem amet, potiùs tamen omnia alia, quàm DEUM offendere vel relinquere malit.

31. Aſſertio ſecunda: Objectum formale *quod*, ſeu primarium & adæquatum charitatis eſt Divina bonitas in ſeipſa, ſuper omnia amabilis. Unde ex ea tanquam proprio, ac formali ſpecificativo charitas ceu tertia virtus Theologica ſuam ſpeciem ſumit, & à cæteris virtutibus diſtinguitur. Hæc ſunt certa & communia. Diſputant autem DD. utrùm objectum formale *quo*, ſeu motivum charitatis ſit bonitas Divinæ naturæ, prout virtualiter diſtinctæ ab attributis; vel prout formaliter involvit tam bonitatem eſſentiæ, quàm bonitatem attributorum. Poſterius videtur tenere D. Th. in *quæſt. diſput. de charit. art.* 12. *ad* 6. ubi dicit: Sicut in cognitione cujuslibet veri cognoſcitur prima veritas ſicut primum exemplar in imagine vel veſtigio; ita etiam, quòd in amore cujuslibet boni ametur ſumma bonitas, non ſufficit ad rationem charitatis; ſed oportet, quòd ſummum bonum diligatur, prout eſt beatitudinis objectum, & propter hoc. Ex quo ſic inſto: Infinitum ſive ſummum bonum, finis ultimus adæquatus, & ſatiativum perfectum coincidunt, includuntque quamcunque bonitatem excogitabilem: ergo etiam bonitatem omnium & ſingulorum attributorum Divinorum includunt.

32. Aſſertio tertia: Objectum materiale charitatis primarium eſt ipſe DEUS, ſecundarium verò proximus, & quidquid rationem formalem bonitatis à DEO participat: ut adeò actum charitatis proximi tunc elicias, quando eum, quatenus ad DEUM refertur, illiusque beatitudinem tanquam filius adoptivus participare poteſt, amas; ſecùs, ſi id fiat propter bonitatem in proximo exiſtentem ſine relatione ad DEUM; tunc enim non charitate, ſed amicitiâ, quæ virtus moralis eſt, proximus diligeretur. Caſtrop. de *charit. tr.* 5. *diſp.* 1. *Punct.* 1. *n.* 5. Ex hoc infert, „nullum actum charitatis Theologicæ virtutis habere veram rationem amicitiæ erga proximum, ſed ſolùm circa DEUM: quia per virtutem Theologicam non deſideramus bonum proximo, quia bonum illius eſt, ſed quia in bonum DEI cedit, ſcil. in ejus honorem & gloriam. Ergo talis amor non eſt amor amicitiæ erga proximum, ſed circa DEUM; ſicuti non eſt amor amicitiæ erga ſervum, cùm illi bonum deſideras, quia cedit in bonum Domini, cujus ipſe ſervus eſt.„ Sic ille ex Vaſquez, Leſſio & Coninch.

33. Aliqui pro objecto formali ſecundario charitatis ſtatuunt bonitatem DEI ùt participatam vel participandam à creaturis: & quidem prout DEUS ex creaturis per lumen naturale ac ſine auxilio ſupernaturali cognoſcitur, ſic oritur amor DEI naturalis; amor verò DEI ſupernaturalis requirit auxilium DEI ſupernaturale, quo mediante voluntas fertur in DEUM ùt ſummum bonum, præcognitum ſcilicet in via per lumen ſupernaturale fidei, in patria per ſpeciem, ſeu claram viſionem.

34. Nonnemo objectum materiale charitatis diſtinguit in id, quod ſecundùm ſe diligitur, & in illud, cui bonum volumus, vel cujus bono delectamur. Hoc objectum charitatis, cui bonum volumus, eſt primò DEUS: ſecundò nos ipſi: tertiò proximus. In DEO, ceu objecto charitatis præcipuo bonitas Divina præſtantiſſimè elucet. Amor noſter eſt menſura amoris proximi: diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Levit.* 19. & in utroque relucet Divina bonitas, atque capacitas ad beatitudinem ſupernaturalem: quæ duo ſunt conditiones neceſſariæ, ut aliquid ſit objectum charitatis, cui volumus bonum. Inter proximos noſtros computantur etiam Angeli boni, juxta D. Auguſt. *lib.* 1. *de Doct. Chriſt. c.* 3. Et dicitur proximus vel amicus ille, de quo benè meremur, aut qui benè mere-

meretur de nobis. Nec solùm amicos, sed etiam inimicos diligere jubemur *Mathæi* 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros & benefacite iis, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri.*

35. Propter identitatem motivi seu objecti formalis, quod est Divina bonitas, charitas, qua DEUM, & qua proximum propter Divinam bonitatem diligimus, una specifica virtus est. Præterea eadem specifica & numerica charitas est in via, quæ in patria, juxta illud 1. ad Corinth. 13. ubi, *non evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet*, Interprete Div. Th. in 1. 2. *q.* 6. *art.* 6. Quamvis autem charitas in *patria* de lege DEI ordinaria non augeatur per intensionem, ea tamen (sicut fides & spes) intensivè augetur in *via*: & hoc augmentum intensivum per nostros actus charitatis supernaturales fit non tantùm *meritoriè*, sed etiam *dispositivè*. Quemadmodùm verò charitas primò à DEO effectivè producitur & infunditur nobis per ejus eductionem è potentia nostra obedientiali unà cum gratia habituali, ita etiam per hoc, quòd magis magisque ex illa educatur, augmentum charitatis intensivum effectivè spectatum à solo DEO procedit, velut id explicat sequens

## QUÆSTIO QUARTA.

### *Utrùm etiam Actus Charitatis habitu præexistente remissiores, augmentum Gratiæ & Charitatis meritoriè causent?*

36. Quòd actus charitatis sufficienter proportionatæ sint dispositiones non solùm morales, sed etiam physicæ ad augmentum gratiæ & charitatis, & non concurrant efficienter ad illud, tradit S. Doct. in 1. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *in Corp. Non eodem modo*, ait, *se habet actus informatus charitate ad augmentum charitatis, & actus præcedens charitatem ad habendam charitatem: actus enim, qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis, & per modum dispositionis, & per modum meriti: sed actus præcedens charitatem ordinatur ad consequendam charitatem solùm per modum dispositionis, & non per modum meriti; quia ante charitatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam charitatem, vel augendam per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos habitus acquisitos.* Hæc S. D. Ratio primi est, quòd ex dicendis *Exercit. seq.* actus charitatis disponat physicè ad primam productionem gratiæ charitatis: cur non similiter ad augmentum? Ratio secundi est, quòd gratia & charitas sint dona, quæ solus DEUS quoad primum illarum *esse* infundit: consequenter etiam solus DEUS augmentum, & majorem intensionem gratiæ & charitatis magis radicatæ efficienter producit: quandoquidem augmentum & primum esse illarum ejusdem sunt rationis. His suppositis, sequitur

37. Assertio: actus charitatis, etiamsi sit remissior, seu minùs intensus, quàm sit gratia habitualis, & habitus charitatis præexistens, meritoriè, & quidem de condigno, augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, causat. Prob. Petrus habens gratiam & charitatem habitualem intensam v. g. ùt sex, prorumpit in actum charitatis intensum tantùm ùt duo: talis actus ùt causa moralis & meritoria causat prædictum triplex augmentum: nihil enim deesse videtur tali actui, quò minùs sit meritorius: cùm sit actus viatoris, in statu gratiæ constituti liber, moraliter & supernaturaliter bonus, in obsequium præmiantis ordinatus: insuper à DEO acceptatus sub promissione retributionis, habens sufficientem proportionem cum augmento prædicto tanquam cum præmio, propter valorem actûs dignificati per gratiam sanctificantem, quæ est radix & semen gloriæ. Quòdsi quis duas posteriores conditiones in dubium vocârit, habebit contra se tum Sacram Scripturam, tum Concilia, Arausicanum, & Tridentinum, quæ absque distinctione inter actus remissiores & intensos observantiæ mandatorum DEI, & bonis operibus mercedem proponunt. Brevitatis causâ sufficiat allegâsse S. Triden. Conc. *sess.* 6. *de Justif. cap.* 10. *Justi per bona opera, quibus mandata DEI & Ecclesiæ observant, crescunt in gratia, qua justificati sunt.* Et *Can.* 32. anathematizatur, qui dicit: *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam & JESU Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserint, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.* Si igitur indistinctè quilibet actus charitatis augmentum gratiæ & gloriæ meritoriè causat; quidnî & augmentum ipsius charitatis? Et D. Th. 1. 2. *q.* 114. *artic.* 8. *ad* 3. expressè tradit, *quolibet actu meritorio hominem mereri augmentum gratiæ.* Et in 2. 2. *q.* 24. *art.* 6. *ad* 1. sic habet in terminis: *quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum.* Dictis

38. Obstat primò difficilis text. ex D. Th. in *cit.* 1. *sent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. ubi quilibet actus charitatis in quantum informatus tali habitu ordinatur ad prœmium substantiale; non tamen ad augmentum prœmii, sicut nec ad augmentum charitatis. Obstat secundò alius text. ex 1. 2. *q.* 52. *art.* 3. *in C.* ubi de actibus naturalibus habitu præexistente remissioribus negatur, quòd ad augmentum talis habitûs concurrant: ait enim S. D. si intensio actûs proportionaliter deficiat ab intensione habitûs, talis *actus non disponit ad augmentum* habitûs, *sed magis ad diminutionem* ipsius: Pari ergo ratione de actibus supernaturalibus remissioribus discurremus: ideò enim naturales remissiores habitum præexistentem augere nequeunt, quia tale augmentum intensivum in se non continent:

tinent: at nec actus supernaturalis charitatis remissior augmentum intensivum habitûs charitatis intensioris jam præexistentis in se continet: ergo eodem modo &c. Obstat tertiò, quòd nequeat explicari, *quando* præmium augmenti physici gratiæ & charitatis actui remissiori conferatur. Non tempore eliciti actûs remissioris: quia physicum gratiæ vel charitatis augmentum non confertur, nisi quando adest proportionata physica dispositio, qualis non est actus remissior habitu præexistente, vel æqualis intensione. Nec tempore subsequenti, cùm aliquis elicit actum charitatis ferventiorem & habitu præexistente intensiorem: nam inconveniens est dicere, quòd augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, quod confertur titulò actûs perfectioris, seu intensioris, simul conferatur titulo actûs remissioris: sic enim verum non esset, quòd quilibet actus charitatis mereatur charitatis augmentum, quod tamen est contra scripturæ testimonia, Concilii Trid. & S. Thomæ. Nihilominus ista assertioni non obstant.

39. Ad primum enim Resp. S. D. *loc. cit.* non negare augmentum gratiæ, & charitatis quantum ad meritum & jus morale ad illud, sed solùm velle, augmentum physicum non statim conferri ad quemlibet actum: de quo infra ad tertium plura. Ad secundum disparit. est, quòd actus remissi, si habitum naturalem, seu acquisitum in majori intensione præexistentem augerent, vel ùt dispositiones physicæ, vel ùt causæ physicæ efficienter concurrere deberent: hoc autem fieri nequit ob defectum proportionis: econtra actus supernaturales habitu præexistente remissiores ad augmentum physicum gratiæ, charitatis & gloriæ nec concurrunt ùt dispositiones physicæ, nec ùt causæ physicæ, sed tantummodò moraliter & meritoriè; in quo genere morali & in esse valoris illorum proportio consideranda venit respectu augmenti ùt præmii. Ex his

40. Ad tertium Resp. cum Thomistis, posito actu remissiori charitatis (idem intellige circa augmentum aliarum virtutum infusarum) gratiam, & charitatem non statim augeri in esse qualitatis, sive entitatis physicæ, sed solùm in *esse* gratiæ & charitatis, hoc est, in ratione juris, & quantum ad Divinam acceptationem: eò quòd DEUS actibus etiam remissis tum charitatis, tum aliarum virtutum infusarum prædictum augmentum promiserit, eo tempore conferendum, quo erimus sufficienter etiam physicè dispositi. Cumque homo justus in ultimo instanti suæ viæ & vitæ, & in primo instanti suæ glorificationis prorumpendo in actum ferventissimum charitatis (qui ob terminum viæ tunc ampliùs meritorius esse non potest) dispositionem physicam ponat toti gratiæ, & charitati, quæ actibus meritoriis totius vitæ etiam remissioribus debetur, commensuratam, augmentum gratiæ, & charitatis in esse qualitatis & entis in illo glorificationis initio primùm conferri existimandum est.

41. Quòdsi justus, propter veniales nævos, & pœnas temporales adhuc non solutas, ad purgatorium divertere debeat, credibile est, etiam ibi actum charitatis tam ferventem eliciturum esse, quo ad sæpè dictum augmentum entitativum, actibus remissis antehàc debitum, sufficienter disponatur. Colligitur hoc ex eo, quòd juxta D. Th. *q. 7. de Mal. art. 11. in Corp.* per ejusmodi ferventem actum charitatis, habitu præexistente intensiorem, animæ justi ad purgatorium descendenti peccata venialia deleantur. Text. est notabilis: „Non est probabile, quòd aliquis in gratia existens, & cognoscens, sibi mortem imminere, non moveatur motu Charitatis & in DEUM, & contra omnia peccata, quæ fecit, etiam venialia. Et hoc sufficit ad remissionem venialium quantum ad culpam, & fortassis etiam quantum ad pœnam, si sit intensa dilectio. Sed quandoque contingit, quòd aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, occupantur somnô, vel aliqua passione auferente usum rationis, & præveniuntur morte, antequàm possint habere usum rationis. Quibus manifestum est, quòd in hac vita peccata venialia non dimittuntur, & tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna, ad quam nullo modo perveniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa effecti; & ideo oportet dicere, quòd venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita scilicet per actum Charitatis in DEUM, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem, impedimentum venialis culpæ; non tamen, meretur absolutionem, vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.„ Hæc S. Doct.

42. Pro coronide hujus Quæstionis subnota primò, quòd, licèt non subsit physica, & entitativa proportio inter actus remissos, & augmentum charitatis in nostra hypothesi, subsit tamen sufficiens in ratione valoris meritorii: item, quòd quidem jus physicum ad gloriam ùt hæreditatem radicetur in esse physico gratiæ: non tamen *jus morale* ad gloriam consideratam in ratione præmii & coronæ: hoc quippe pendet ex meritis: unde licèt gratia sine augmento in esse qualitatis non suscipiat aliquod augmentum intensivum in jure physico ad gloriam, potest nihilominus augeri in jure morali, & sub ratione formæ dignificantis actum meritorium. Subnota secundò, quòd Actus Charitatis, qui ab aliquo elicitur in primo instanti glorificationis, equidem gratiæ & gloriæ perfectionem jam supponat in genere causæ efficientis & formalis, in quantum, à gratia physicè procedit, & jam regulatus lumine gloriæ; non tamen in genere causæ dispositivæ:

tivæ : in hoc enim perfectionem gratiæ & gloriæ præcedit, quemadmodùm ejusmodi mutua causalitas in diverso genere adstruetur à nobis in justificatione peccatoris.

# QUÆSTIO QUINTA.

## *Quomodo fiat Augmentum Charitatis intensivum? Et, an illius habitus intensio per peccata venialia minuatur?*

43. ASsertio prima : Intensio gratiæ vel charitatis non fit per additionem gradûs ad gradum, id est, per novas entitates reales & partiales ; sed per hoc, quòd gratia, vel Charitas magis radicentur in suo subjecto, sive in ratione informandi subjectum magis perficiant, illudque sibi per novam applicationem in informando subjiciant. Desumitur ex 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 5. *ad* 3. ubi S. Doct. sic loquitur : *Augmentatio Charitatis importat mutationem secundùm magis & minùs habere ; & ideo non oportet, quòd aliquid insit, quòd priùs non infuerit, sed quòd magis insit, quod priùs minùs inerat ; & hoc est, quod facit DEUS augendo Charitatem, scilicet quòd magis insit, & quòd perfectiùs similitudo Spiritûs Sancti participetur in anima.* Respiciendum hîc est ad ea, quæ in Physica traduntur de intensione qualitatum : quam & ego in mea Philosophia impressa in majori radicatione qualitatis in subjecto colloco.

44. Assertio secunda : Per peccata venialia intensio habitûs Charitatis directè non minuitur. D. Thom. *cit. quæst.* 24. *a.* 10. *in C.* adjecta ratione : quòd deberet minui vel effectivè, vel meritoriè : non effectivè : quia peccatum veniale ad ipsam Charitatem non pertingit : Charitas enim est circa finem ultimum ; veniale autem est quædam inordinatio circa ea, quæ sunt ad finem ; non autem diminuitur amor finis ex hoc, quòd aliquis inordinationem aliquam committat circa ea, quæ sunt ad finem, id est, circa usum mediorum : sicut etiam aliquando contingit, quòd aliqui infirmi multùm amantes sanitatem, inordinatè tamen se habent circa diætæ observationem &c. Similiter etiam veniale non meretur diminutionem Charitatis. Cùm enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. DEUS enim non plus se avertit ab homine, quàm homo se avertat ab ipso &c. Sic S. Doct.

45. Arguis primò : cont. prim. Assert. Quando fit nova mutatio realis, debet aliquid reale produci, quod prius non erat. At, quando gratia, vel Charitas magis intenditur, fit nova mutatio realis. Ergo debet aliquid de novo produci, scilicet entitas, seu novus gradus. Resp. (omissis instantiis, quibus argumentum istud infirmari posset, ùt in reunione animæ cum corpore, in qua fit quædam mutatio realis, at sine productione alicujus novi termini partialis, cum sola productione termini totalis) Maj. esse veram, quando datur actio productiva seu factiva alicujus qualitatis, vel alterius rei, quæ anteà non erat existens : secùs si tantùm detur actio quasi applicativa magis ejus, quod jam præexistebat, aut quasi conservativa qualitatis fortiori modo, quàm antè. Non primò, sed posteriori modo fit augmentum intensivum Charitatis, & gratiæ. Si urgeas, terminum intensionis per motum intensionis debere produci, gratis *dist. in mea Physica part.* 2. *disp.* 3. *de Intens. qualitat. contr.* 4. debet produci propriè, entitativè simpliciter, & in abstracto nego, secundùm quid, impropriè, id est communicativè, participativè, & in concreto, sic conc. Certè si adderetur novus terminus, aut gradus, vel esset specie diversus, vel numero ab habitu Charitatis præexistente in voluntate, tanquam subjecto proximo? Non specie : quia specifica distinctio in habitibus desumitur à diversitate objectorum : distinctio verò secundùm numerum est secundùm diversitatem subjecti. Potest ergo contingere (verba sunt Div. Thom. *cit. quæst.* 24. *art.* 5. *in C.)* quòd aliquis habitus per additionem augeatur, dum extenditur ad quædam objecta, ad quæ priùs se non extendebat. Et sic augetur scientia Geometrica in eo, qui de novo incipit scire aliqua Geometricalia, quæ priùs nesciebat. Hoc autem non potest dici de Charitate : quia etiam minima Charitas se extendit ad omnia illa, quæ sunt ex Charitate diligenda &c. Contra distinctionem verò numericam pugnat juxta eund. S. Doctorem quòd subjectum Charitatis sit unum quid & indivisibile, scilicet mens rationalis, loquendo de subjecto remoto &c. & simile est de proximo. Relinquitur ergo, Charitatem per hoc augeri, quòd subjectum magis ac magis charitatem participet, id est, secundùm quod magis reducitur in actum illius, *& magis illi subditur*, ut sonant finalia S. Doct. Dicant Adversarii, quomodo gradus numerici inter se unirentur, ut unam qualitatem indivisibilem constituant : non ùt actus & potentia : nónne enim omnes habent rationem formæ, & actûs? neque ùt partes integrantes : hæ enim debent esse quantitativæ, quæ certè per se non inveniuntur in qualitate, præsertim spirituali. Quòd si specie distinguerentur, quomodo pertinere possent ad eandem formam specificam eamque intendere?

46. Arguis secundò : cont. sec. Assert. Per venialia minuitur fervor Charitatis : ergo etiam habitus, & intensio Charitatis. Resp. neg. conseq. Juxta S. D. *quæst.* 7. *de Mal. art.* 2. *ad* 17. fervor potest accipi dupliciter. Uno modo, *secundùm quod importat intensionem inclinationis amantis in amatum ; & talis fervor est essentialis Charitati, & non diminuitur*

per

*per veniale peccatum. Alio modo dicitur fervor Charitatis, secundùm quod redundat motus dilectionis etiam in inferiores vires, ut quodammodo non solùm cor, sed etiam caro exultet in DEUM. Et talis fervor diminuitur per veniale peccatum absque diminutione Charitatis.*

## QUÆSTIO SEXTA.

### *An detur speciale præceptum de diligendo DEO ; & quo tempore illud obliget?*

47. ASsertio sexta : Certum est, dari præceptum Divinum speciale diligendi DEUM : dicitur enim *Deut.* 6. *Diliges Dominum DEUM ex toto corde tuo , & ex tota mente tua, & ex tota anima tua :* cujus præcepti existentiam Salvator in S. Evangelio sæpiùs commemorat & commendat, ùt *Matth.* 22. *Marci* 12. &c. Nec solùm semel , sed frequenter (saltem indirectè) hoc præceptum in vita nostra urgere , constat tum ex illo *Joan.* 15. *Manete in dilectione mea :* quem tex. SS. PP. apud P. Sbogar in *Theol. radic. de charit. cap.* 1. de frequentia actuum amoris DEI exponunt : tum ex eo , quòd præcepta Decalogi sine frequenti charitatis Divinæ exercitio moraliter impleri , aut diu observari non possent.

48. Controversum manet, utrùm præceptum dilectionis DEI per se & *directè* obliget statim in primo instanti sufficientis usûs rationis acquisiti ? Negat id Castropal. hic *Punct.* 4. cum aliis : affirmant Thomistæ, & nonnulli RR. cum S. Thom. in 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. ex ea ratione, quod status & conditio viatoris id exigat , ut, quàm primùm viam moraliter ingreditur , finem vitæ statim intendat, sibi præfigat, & in eum tendat. Similiter, in mortis articulo hocce præceptum etiam per se ac directè obligare , suadet ratio ; quia tunc viator est in procinctu proximo, ut per unionem æternam fini suo conjungatur. Vid. Clariss. P. Babenstub. *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. *à num.* 11. & P. Mezger hic *artic.* 4.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

### *Quid circa præceptum amandi proximum notandum sit?*

49. ASsertio. Primò hoc præceptum affirmativum Salvator *Math.* 22. & alibi proponit, dicendo : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Secundò, quantum ad ordinem charitatis, inprimis propriæ animæ salus nulli alteri bono creato posthaberi potest. Quando autem proximus noster versaretur in extrema necessitate salutis spiritualis , ita, ut nemo sit præter te, qui ei succurrat, teneris ei subvenire etiam cum certo propriæ tuæ vitæ periculo : Et in hac gravissima necessitate procedere dicunt illud 1. *Joan.* 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere :* quod quidem præceptum charitatis unà cum præcepto justitiæ animarum Pastores & Curatores præcipuè obligat. Inter ipsos autem proximos (quo nomine veniunt omnes creaturæ rationales, æternæ beatitudinis capaces , exclusis dæmonibûs , & damnatis) ordo prælationis quoad effectum charitatis, officiumque ac beneficium servandus est ; potiùs enim parentibus & propinquis , quàm aliis , charitatis officia & affectum exhibere tenemur. Qua de re latè agit *Theol. Moral.* Clariss. P. Babenstub. *tr.* 5. *disp.* 1. *art.* 4. Tertiò , secundùm dicta , etiam inimicorum dilectio sub præceptum cadit , ut eisdem signa charitatis saltem communia, & quandoque etiam singularia (ut si sit superior) exhibeamus , veniam seriò poscentibus injuriam & vindictam privatam remittamus, ab odio inimicitiæ abstineamus.

# DISSERTATIO SECUNDA.
## DE
## *Gratia Sanctificante, & Justificatione.*

50. PRæceptor Angelicus in 1.2. necessitatem, naturam, causam, & effectum Gratiæ Divinæ sanctificantis à Quæst. centesima nona exponere incipit, subjunctâque explicatione *Meriti*, in quantum illud à Gratia dependet, & dignificatur, partem eam suæ Summæ, quæ *Prima Secundæ* inscribitur, finit. In primordio Quæstionis nonagesimæ advertit, principium extrinsecum, quod ad malum inclinat, esse diabolum: principium autem movens ad bonum esse DEUM, qui nos & per Legem instruit, & juvat per gratiam, cujus motum & nos pro breviter tractanda materia tam sublimi exoptamus.

## PRÆNOTIONES
### *Circa Justificationis & justitiæ nomen: Locutiones Novatorum: nec non circa divisionem Gratiæ, & participationis varietatem.*

51. PRænotio prima: quoad nomen justificationis ac justitiæ, & illius ab ista derivationem, ac utriusque significationem advertendum est, in præsenti justificationem non sumi pro lege, quo modo sumit David *Psal.* 118. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas:* Justitia verò accipitur pro rectitudine interna quâ homo rectè ordinatur erga DEUM & proximum: quæ sola est simpliciter, & absolutè justitia: appellaturque justitia fidei, quia à fide incipit, & justitia DEI, quoniam à DEO donatur. De hac Cardin. Bellar. *lib.* 1. *de Justific. cap.* 1. intelligit illud *Philip.* 3. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi JESU, quæ ex DEO est justitia in fide.* Ubi ulteriùs notat justitiam ex lege, quæ opponitur justitiæ ex fide, non esse justitiam legis, id est, justitiam scriptam in lege; sed esse justitiam factam sine auxilio gratiæ ex sola cognitione legis: *mirô modô* (inquit Augustinus in *lib. ad Bonifacium cap.* 7.) *sed tamen vero justitiam legis non implet justitia, quæ in lege est, sed quæ in spiritu gratiæ.* Idem enim significat justitia ex lege, & justitia in lege.

52. Interna igitur (subdit) justitia sedem habet in corde: nam justitia legis est in libris, justitia operum est in manibus, justitia fidei, sive DEI, est in animo, id est, in voluntate, quæ cordis nomine in Scripturis appellari solet: juxta illud *Psal.* 31. *Lætamini justi in Domino, & gloriamini omnes recti corde.* Atque hæc interna ordinis rectitudo (non verò justitia sumpta pro rectitudine operum externorum) est illa justitia, unde justificatio nomen suum derivat: nec per justum hic aliud intelligitur, quàm quod est rectum & adæquatum, & cum regula sua congruens. In dicto sensu

53. Dividitur justitia interna in habitualem, & actualem. Docet id Augustinus *lib.* 19. *de Civit. DEI cap.* 27. apud eundem Bellarm. tractans illud Ps. 118. *Feci judicium & justitiam:* ubi monet, psalmum loqui de justitia actuali, „id est, de opere justitiæ, quod faciunt, qui justi sunt, secundùm text. 1.„ *Joan.* 3. *qui facit justitiam, justus est:* „non de„ ipsa virtute justitiæ, quam DEUS in nobis„ facit, cùm justificat impium.„

54. Varias causas justificationis, Concilium Trid. *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 7. secutus Bellarmin. *loc. cit. cap.* 2. assignat. Pro finali assignat gloriam DEI & Christi, ad *Ephes.* 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et (de gloria Christi) *Decebat eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Hoc ego interpretor de fine *qui*, seu cujus gratia: nam finis *cui* obvenit commodum in justificatione intentum & obtentum, est ipse justificandus, sicut diximus de motivo Incarnationis, integrando ex fine *qui*, & fine *cui* unum finem totalem. Efficiens primaria est bonitas & misericordia DEI: ad *Roman.* 3. *Unus est DEUS, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* De causa meritoria loquitur Apostolus ad *Roman. cit. cap.* 3. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo JESU. Ubi Bellar. adnotat, Christum non esse causam meritoriam, quasi Pater in gratiam Filii nobis peccata dimiserit, quomodò sæpè Reges in gratiam amicorum petentium reos absolvunt; sed quoniam pretium exactè persolvit, & ex rigore justitiæ (ùt Theologi loquuntur) pro nostris omnium sceleribus satisfecit.

55. Causam instrumentariam sed conjunctam designat Scriptura, dum DEI Filium ratione naturæ assumptæ brachium Domini nominat, ùt Is. 53. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui revelatum est? & ascendet sicut virgultum coram eo, & tanquam radix de terra sitienti &c.* de quo vid. S. Cyrill. *lib.* 4. *in Joan. cap.* 12. 14. & 23. Damascen. *lib.* 13. *cap.* 15. Quòd causa instrumentaria Justificationis separata consistat in verbo DEI, & Sacramentis, & de ipsis ministris verbi & Sacramentorum, pariter non desunt Textus: de verbo DEI Jacob. *cap.* 1. *voluntariè genuit nos verbo veritatis*, de Sacramentis in *Epist.* ad

Titum

Titum *cap.* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.* de Ministris 1. *Cor.* 3. *DEI adjutores sumus.* Et 2. *Corinth.* 5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis.*

56. Pro causa materiali assignatur animus, seu voluntas hominis, in qua justitia tanquam in subjecto & sede propria commoratur. Præterea ad causam materialem pertinent dispositiones, quæ materiam seu subjectum pro receptione formæ præparant. Dispositionum nomine veniunt omnes illi actus gratiæ & liberi arbitrii, qui ad donum justificationis acquirendum concurrunt, quales sunt actus fidei timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ. Prout ex Conc. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 6. colligitur

57. Quòd autem causa formalis intrinseca justificationis sit ipsa gratia seu justitia habitualis, seu sanctificans, Divinitùs infusa, statim inferiùs elucidabitur. Pro causa formali extrinseca seu exemplari Bellarm. *cit. cap.* 2. statuit ipsam Christi justitiam: *Nam quos præscivit, eos DEUS prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, Rom.* 8. Et 1. *Corinth.* 15. Apostolus hortatur, ut portemus imaginem hominis cœlestis, id est, Christi, sicut portavimus imaginem hominis terreni, id est, Adami.

58. Denique causam formalem justificationis censet Bellarm. etiam vocari posse ipsa opera justa, quæ etiam effectus justitiæ, vel justificationis dici queunt; sunt autem & dicuntur causa formalis non propriè, nec in habitu, sed in actu & impropriè. Quare in tali actuali justitia, seu in ipsis actibus bonorum operum non consistit justitia illa à peccato emundans & formaliter regenerans, seu per quam formaliter justi nominamur & sumus; sed actus bonus *dispositivè* aut *meritoriè* tantùm ad justificationem formalem se habet, in quantum aliquis per actum bonum rectè ordinatur erga DEUM & proximum; & sic actualiter justè, piè, seu rectè agere denominatur, quod tamen non est formaliter justificari secundùm eum sensum, in quo Theologi justificationem accipiunt.

59. Prænotio secunda: Quantum ad erroneas justificationis explicationes, prælibandum est primò, Novatores, dissentientes à Catholicis in eo inter se concordes esse, quòd justificatio à peccato sola fide, & nulla alia re, acquiratur, seu (ùt dicunt) apprehendatur, nisi fide. Quantum ad modum, quo fides justificat ipsimet non sunt unanimes. Teste enim Bellarmino (quem hic omnino sequi lubet) Lutherus fidem pro vera causa justificationis admisisse videtur, quando ad Gal. 2. dicit: *Fides est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter charitatem:* alii tamen fere omnes fidem pro formali aut physica efficiente, aut etiam meritoria justificationis causa agnoscere detrectant, inficiantes, fidem aut esse ipsam justitiam, aut initium justitiæ, aut fidei intuitu DEUM nos justificare; „sed solùm relativè, „quia respicit ac recipit oblatam indulgentiam, ut sensus sit: homo justificatur per„ gratiam DEI, non imputantis peccata, „ quam gratiam fides credendo recipit.„ Quod explicant exemplo manûs qua pauper eleemosynam à divite recipit. Nam manus illa recipiens eleemosynam non est ipsa eleemosyna, neque est causa efficiens eleemosynæ, sed solùm relativè concurrit ad eleemosynam obtinendam: quoniam dare & accipere sunt relativa: neque enim dari potest eleemosyna, nisi ab aliquo recipiatur. Ita explicant modum, quo fides justificat, Philippus in *locis communibus tit. de bonis operib.* Chemnit. in *Examine Concilii Trident. Sess.* 6. Calvin. in *Antidoto Concilii* ad *Can.* 11. *Sess.* 6. Wittembergenses Electorales cum ipsis in eo conveniunt, quòd fides non sit dicenda causa, sed merum organum justificationis.

60. Dissentiunt prætereà circa actus virtutum aliarum, sive operum, ùt spei, dilectionis, pœnitentiæ, &c. an & quomodo ad justificationem requirantur: quibûsdam asserentibûs, eos requiri ùt signa veræ fidei, aliîs opinantibûs, aliis de causis requiri. Ex Calvini Sententia in Antidoto Concilii ad *Can.* 11. *cit. Sess.* 6. fides sola equidem justificat, non tamen fides est sola, quo modo solis calor solus accendit, quamvis non sit solus, sed cum splendore conjunctus.

61. Contrà Illyriciani, sive Saxonici, seu rigidi Lutherani in *Colloquio Altemburgensi* contendunt, ita solam fidem justificare, ut illud *solam* non solùm meritum, sed etiam præsentiam aliarum virtutum excludat, conformiter menti & verbis Lutheri in *cap.* 2. *ad Galatas* dicentis: *Fides sine, & ante Charitatem justificat.* Et in *Disputatione*, utrùm opera faciant ad justificationem, an non, *tom.* 1. *operum suorum, in* 3. *propositione* sic ait: *Fides, nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat; imò non est fides.*

62. Idem Lutherus, causam formalem justificationis quandoque fidei aliquando Christo attribuit. Nam in *Commentar.* ad *cap.* 2. *ad Galat.* sic loquitur: sicut Sophistæ dicunt, Charitatem informare, & imbuere fidem, sic nos dicimus, Christum informare & imbuere fidem, vel formam esse fidei. *Ergo fide apprehensus & inhabitans Christus, est justitia Christiana, propter quam nos DEUS reputat justos, & donat vitam æternam.* Philippus Melanchthon, ùt patet ex *Confessione Augustana*, & *Apologia Confessionis*, aliquando causam formalem justificationis constituit in fide; aliquando in merito Christi, interdum in misericordia DEI. Bellarm. *lib.* 2. *de Justificat. cap.* 1. quo etiam teste, Osiander in *Confutatione Scripti*, à Melanchthone contra ipsum editi, viginti discrepantes Sententias apud solos Confessionistas recenset.

63. Calvinus equidem cum Lutheranis inprimis negat omnem nobis inhærentem justitiam, & admittit, nobis imputari Christi justitiam, obque eandem nobis condonari peccata: propriè tamen justificationem in ipsa peccati remissione consistere existimat, uti

uti patet ex *lib. 3. Instit. cap. 11. §. 2. Nos justificationem simpliciter interpretamur acceptationem, qua nos DEUS in gratiam receptos pro justis habet: eamque in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.*

64. Ex his omnibus satis liquet, Novatoribus nullatenus placere, quòd causa formalis justificationis à peccato mortali debeat esse justitia, id est, vera qualitas gratiæ sanctificantis homini, qui à peccato liberatur, realiter inhærens, eumque internè à peccato emundans.

65. Prænotio tertia circa divisionem gratiæ, & variam acceptionem participationis. Ubi non tam probo, quàm suppono cum Theologis gratiam habitualem seu sanctificantem esse quid diversum à gratia gratis data, illamque rectè dici gratiam, quæ gratum facit, secus istam. Itaque gratia sanctificans, seu hominem DEO gratum & acceptum faciens, est donum quoddam supernaturale indebitum, primariò destinatum ad sanctificationem & salutem illius, cui infunditur, quamquam ratione exempli, quod per exercitium bonorum operum supernaturalium aliis præbetur, gratia habitualis, in qua fundantur, ad utilitatem proximi quoque ordinetur. Econtra gratia gratis data est donum supernaturale indebitum, primariò & per se ad utilitatem scil. spiritualem & salutem aliorum destinatum, licèt quis gratiâ gratis datâ etiam ad suam propriam salutem uti possit, ac debeat, ùt si quis habeat gratiam gratis datam fidei, id est, si certissimè teneat principia seu fundamenta rerum Divinarum: & per gratiam *sapientiæ* conclusiones ex illis altissimis fidei principiis elicere, ac per gratiam *scientiæ* ope rerum humanarum res Divinas explicare valeat, exemplisque bonis abundet, & suam doctrinam confirmet, talis per hæc dona primò est proficuus proximo, & secundariò etiam sibi. Quò pertinet illud Daniel. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Species gratiæ gratis datæ expressit Apostol. 1. *Corinth.* 12. illis verbis: *alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ: alteri fides* (sumendo scilic. fidem pro speciali illustratione, per quam aliquis redditur idoneus ad proponenda fidei mysteria) *alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

66. Notandum quoque, quòd gratia gratum faciens, non minùs quàm illæ, quæ dicuntur gratis datæ, à DEO gratis detur, & sic utriusque gratiæ nomen sit genericum & pariter conveniens; gratiæ tamen gratis datæ tanquam uni speciei, quæ alio proprio nomine carebat, nomen generis relictum sit. Nec dubium est, quin aliquis possit habere unam gratiam gratis datam, vel plures, absque conjunctione gratiæ sanctificantis seu gratum facientis, juxta illud *Matth. 7. v. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Et Luc. 10. v. 20. Salvator ad discipulos ait: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sint in Cœlis.* Hinc longè magis præstat, habere gratiam gratum facientem, utpote per quam homo immediatè ad finem ultimum suum supernaturalem ordinatur, quàm gratiam gratis datam, quæ immediatè ordinat aliquem ad ea, quæ ad ultimum finem disponunt; potestque gratia gratis data stare cum peccato mortali in eodem subjecto, quod secus esse de gratia gratum faciente, inferiùs probabitur.

Prænotio quarta: Participatio, quæ in genere est imitatio vel expressio alicujus perfectionis à re superiori participatæ in re inferiori, dividitur in *moralem*, & *physicam. Moralis* juxta Joan. à S. Thom. hic *disp. 22. art. 2. n. 5.* fit mediante aliquo actu voluntatis, designante aliquid, ut vices alterius gerat: hac ratione dicit, uxorem assumi ad consortium & dignitatem viri mediante contractu matrimoniali, & pecuniam accipere valorem mediante signo Regis, quod totum ad participationem *moralem* & *extrinsecam* pertinet: Theol. Salisb. hic *disp. 7. art. 2.* moralem participationem in conformitate & imitatione in rebus vel actionibus voluntariis ac moralibus constituit: Salmanticenses in voluntaria substitutione unius loco alterius. *Physica* dicitur, quando perfectio participata realiter, intrinsecè & naturaliter inest participanti, secluso omni pacto & actu voluntatis, qualiter imago naturalis v. g. filius naturam patris participat.

68. *Physica* subdividitur in *formalem* & *virtualem. Virtualis* participatio apud Joan. à S. Th. *loc. cit.* vocatur, vel, quia est participatio alicujus virtutis ad producendum vel continendum id, quod in se habet participationem formalem, sicut species impressa (ait) dicitur virtualis participatio objecti; quia continet virtualiter speciem expressam, quæ est formalis repræsentatio: & semen dicitur virtualis participatio generantis; quia est virtus ad producendum simile, in quo est formalis participatio generantis: vel etiam dicitur virtualis participatio; quia solùm participat id, quod est virtualiter & eminenter in suo principio, non quod *formaliter*, sicut in subterraneis participatur calor solis, & non lux; cùm tamen calor solùm *virtualiter* sit in sole. Sic etiam essentia hominis à DEO participata est in DEO solùm *eminenter*, non formaliter, in homine *formaliter. Formalis* est, quando perfectio participata ita inest participanti, ut etiam de hoc formaliter prædicari possit & non tantùm de extremo, à quo est participata. Quandoque autem ista prædicatio est per convenientiam *univocam*, cùm scil. perfectio physicè participata est eadem formaliter & specificè in u-

troque extremo, licèt excellentiori & intensiori modo reperiatur in extremo, à quo communicatur, quàm in extremo participante. Exemplum dari solet de aëre illuminato, qui utique lumen à sole univocè participat, sic tamen, ut lumen in sole sit intensius quàm in aëre: & simile exemplum habes in aqua calorem participante ab igne: quandoque prædicatio *formalis* est solùm per convenientiam analogicam & proportionalem, sic, ut perfectio participata & prædicabilis in participante non reperiatur cum omnibus prædicatis formalibus, & perfectionibus essentialibus, quæ sunt in illo, à quo communicatur, & participatur: ex. gr. justitia, charitas, visio beatifica continentur in DEO cum prædicatis formalibus & essentialibus substantiæ, aseitatis, infinitatis, &c. in creaturis sunt entia accidentalia, ab alio, limitata &c. His fundamentaliter prænotatis sequitur

# QUÆSTIO OCTAVA.

## *An Gratia Sanctificans sit Justitia realiter inhærens: & qualis sit naturæ Divinæ participatio?*

69. Assertio prima: Gratia habitualis, quâ homo redditur & denominatur justus, DEOque gratus, est aliquod donum creatum, supernaturale, animæ rationali realiter & intrinsecè inexistens. Est contra modernos heterodoxos præsertim existimantes, pro peccatorum remissione nulla opus esse infusione gratiæ internæ, sed per solam fidem & imputationem justitiæ & sanctitatis, quæ est in Christo, peccata deleri, & justificationem procurari: contra quos Sac. Trid. Conc. *Sess.* 6. *de Justific. cap.* 7. sic definit: *unica formalis causa* (justificationis) *est justitia DEI: non quâ ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videl. donati renovamur spiritu mentis nostræ & non modo reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem, & cooperationem, &c.* Deinde in *Can.* 11. anathematis fulmine percelluntur, *qui dixerint, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque illis inhæret; aut gratiam, qua justificamur, esse solùm favorem extrinsecum DEI.* Nec deest fundamentum in Sacra Scriptura. Sic Joan. 4. dicitur: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Item 2. *Cor.* 1. *Gratia vocatur pignus spiritûs in cordibus nostris.* Et 1. *Joan.* 2. *Unctio, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et ad *Rom.* 3. *v.* 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem Christi.* Et ad Titum 3. *v.* 5. per Spiritum S. in nos effusum justificati dicimur gratiâ Christi, imò *renovati* & *regenerati.* Et *Rom.* 8. *v.* 11. Spiritus S. *habitat in vobis.* Et ad *Galat.* 6. *v.* 15. dicimur fieri *nova creatura.* Et *cap.* 4. *v.* 24. *Induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate.* Et apud D. Dionys. *de cœlest. Hierarch. cap.* 1. gratiæ collatio dicitur *ineffabilis operatio, quâ Divinus in nobis status formatur.* Quæ omnia innuunt, gratiam esse aliquid reale, & subjecto grato, renovato, regenerato, &c. realiter inexistens.

70. Et rationem affert D. Th. 1. *p.q.* 20. *art.* 2. dicens, quòd amor DEI (utpote non merè affectivus, sicuti est noster amor, sed effectivus bonitatis rei à DEO amatæ) sit *infundens, & creans bonitatem in rebus:* quando igitur nos amat in ordine ad vitam æternam, causat in nobis aliquod bonum seu donum supernaturale intrinsecum.

71. Quòd autem gratia habitualis immediatè recipiatur in anima nostra, tanquam in subjecto proximo, deducitur ex eo, quòd ipsa sit subjectum proximum effectûs formalis gratiæ, consequenter & ipsiusmet formæ. Nam effectus ille facit hominem DEUM participativè, Filiumque DEI adoptivum: hujus autem duplicis effectûs, homo capax est proximè ratione animæ; sicut enim in ordine naturali substantiæ per se primò competit filiatio naturalis; ita in ordine supernaturali filiatio adoptiva, & naturæ Divinæ participatio per se primò convenit animæ rationali.

72. Assertio secunda: Gratia sanctificans est non tantùm *moralis*, sed etiam *physica* participatio naturæ Divinæ, ùt natura est: & quidem formalis non merè virtualis.

73. Prob. primò: Si esset præcisè participatio *moralis*, tota quanta consisteret in eo, quòd esset radix operationum moraliter rectarum, & honestarum, in quantum per gratiam sanctificantem inclinaremur ad operandum id, quod est conforme Divinæ voluntati, sanctitati, & rectitudini: at, licèt hanc moralem participationem ipsimet ultrò adstruamus, ultra illam tamen est alia in genere physico admittenda. Probat. hæc min. tum, quia rectitudo moralis in DEO naturam ùt radicem virtualem præsupponit: ergo similiter rectitudo moralis participata à creatura rationali, præsupponit naturam Div. ùt participatam sub esse naturæ tanquam radicem illius rectitudinis moralis: tum quia texx. Scripturæ, & Patrum interpretationes non præcisè moralem, sed physicam participationem sonant, & probant.

74. Dilucidatur hoc & confirmatur: nam illud Petri: Per *quem maxima & pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Illud Joan. 1. *ex DEO nati sunt:* & Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI:*

*DEI:* item: *dedit nobis, ut Filii DEI nominemur & simus:* Illud Augustin. in Ps. 49. *DEUS qui justificat, ipse deificat, quia justificando* (scilicet per gratiam, tanquam formalem causam justificationis) *Filios DEI facit:* Illud S. Cyrilli Alexandrini *lib. 4. in Isaiam cap. 44. Formatur in nobis Christus Sancto Spiritu, nobis Divinam quandam formam per sanctificationem indente: sic enim in animis nostris elucet character substantiæ DEI:* ista, inquam, & plurima alia testimonia præsertim *num.* 69. adducta, minimè salvantur per solam participationem moralem; alioquin illæ locutiones forent planè hyperbolicæ, sicque non veræ in sensu proprio, sed solùm in improprio & diminuto: qui enim non realiter cum aliqua immutatione physica, sed moraliter solùm generatur, nascitur, ungitur, deificatur & assumitur tanquam filius adoptivus in consortium Divinæ naturæ, & characterem Div. substantiæ in se habet, ille non nisi impropriissimè & diminutè ea participat, quæ à Sacra Scriptura & Patribus tam magnificè de Gratia sanctificante, & ejus participatione effectibusque formalibus enuntiantur. At tantùm abest, DEUM magnificis verbis dona & bona minora extollere, ut potiùs verba & promissa rerum magnitudine superet: *nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.*

75. Prob. secundò: Speciatim, quòd illa participatio physica sit naturæ Divinæ, ùt natura est. Inprimis assignandum est principium reale & radix physica inclinationis in DEUM, donorum, seu virtutum, & maximè operationum supernaturalium, scilicet visionis intuitivæ, & amoris beatifici: cur enim requiratur principium radicale operationum naturalium animæ, & non similiter operationum supernaturalium? si autem gratia sanctificans sit hoc principium, imitatur Divinam naturam, eamque participat sub ratione naturæ, utpote quæ nostro concipiendi modo, & ùt virtualiter distincta ab attributis & Personalitatibus, est radix Divinarum perfectionum, & operationum, in quantum DEUS seipsum intuitivè ac comprehensivè cognoscit, & suam Divinitatem infinitè amat, sicque inclinatur in seipsum, per aliquam emanationem eminentialem, virtualem, ac realiter indistinctam. Deinde Charitas supernaturalis creata est participatio physica attributi Divini amoris: dicitur enim Joan. 17. *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit:* propterea vocatur participatio Spiritûs Sancti, qui est Divinus amor: lumen gloriæ verò est physica participatio Divini luminis, seu intellectualitatis pariter adinstar attributi se habentis: *nam similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* 1. *Joan.* 3. Item gloria Sanctorum, cujus semen gratia dicitur, est vera & physica participatio gloriæ & beatitudinis ipsius DEI: ait enim Salvator Joan. 17. *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Concludo, si in prædictis participatio moralis non plenè salvat Scripturæ textus, & physica sine absurdo vel implicantia verificatur: cur hæreamus in ancipiti, num similiter gratia sanctificans, in Scripturis tantoperè exaltata, & in Tridentino Concilio pro radice virtutum donorumque supernaturalium agnita, atque declarata, sit vel esse possit quædam participatio physica naturæ Divinæ, sub ratione naturæ, hoc est, radicis & fontalis principii operationum supernaturalium, sic, ut physicè concurrat ad actus videndi & amandi DEUM? Ex his ulteriùs conclusio

76. Prob. tertiò: quòd hæc participatio sit *formalis*, & non merè *virtualis*. Ubi datur convenientia cum uno & altero prædicato naturæ Divinæ, ibi participatio est formalis, saltem analogica: talis convenientia datur ex parte gratiæ habitualis: nam prædicatum proprium naturæ Divinæ sub suo conceptu proprio spectatæ est, quòd, ùt diximus, sit radix physica seu principium inclinandi videndi & diligendi DEUM, ùt DEUS est in se: quòd sit quasi forma sanctificans DEUM: quodque Verbum Divinum ex Divinæ naturæ fœcunditate per generationem æternam & substantialem à Patre procedens constituat Filium DEI: at ista omnia per participationem & convenientiam analogicam conveniunt Gratiæ *habituali*, deque ea formaliter prædicari possunt. Ergo & participatio, de qua loquimur, est formalis. Sed contra præmissa

77. Arguis primò: contra realitatem & inhærentiam gratiæ. Justificatio, & regeneratio nostra spiritualis in Scriptura explicatur per aliquid morale extrinsecum, per favorem, meritum, & imputationem Gratiæ & Passionis Christi: Ergo per Scripturam realitas, & physica participatio atque intrinseca inhærentia gratiæ non probatur. Ant. ostenditur primò: ex *Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 1. *v.* 30. ubi de Christo enuntiatur, quòd sit *factus nobis Sapientia à DEO, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Secundò ex *Epist. ad Rom.* 5. *v.* 19. *Sicut per obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius justi constituuntur multi.* Tertiò ex Psal. 31. *Beati, quorum tecta sunt peccata:* &, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Hæc omnia sonant præcisè aliquam imputationem moralem, & favorem DEI extrinsecum.

78. Arguis secundò: Realitas gratiæ à Thomistis præcipuè exinde deducitur, quòd amor DEI sit effectivus; & ideò, si DEUS hominem in ordine supernaturali amet, & cum respectu ad DEUM ùt finem supernaturalem, debet in homine poni aliqua bonitas supernaturalis, quâ homo constituatur in esse proportionati objecti respectu Divini amoris: atqui ad hoc non requiri qualitatem intrinsecam, à DEO physicè participatam, patet tum ex eo, quòd DEUS homini reddatur gratus per solam extrinsecam benevolentiam; eodem igitur modo poterit homo DEO gratus reddi: tum, quòd DEUS de facto omnes prædestinatos speciali dilectione com-

complectatur, quin in omnibus electis intrinsecum aliquod bonum vel donum supernaturale ponat: quot enim ex illis longo tempore versantur vel in statu peccati mortalis, vel omninò in statu infidelitatis ad aliquod tempus?

79. Arguis tertiò, & singulariter impugnas secundam Assertionem. Participatio physica & formalis Divinæ naturæ videtur esse inexplicabilis: aut enim Divina natura participaretur etiam secundùm quod est ens à se, infinita, & irrecepta: vel hoc modo non participaretur à gratia? quidquid dicatur, summam patitur difficultatem. Si enim non admittatur prædicta participatio, contra nos militat, quòd ex gratia sanctificante oriatur in nobis inclinatio spei & charitatis in DEUM, ùt est ens infinitum, à se, per essentiam, totamque essendi plenitudinem in se continet: consequenter gratia debet in se participativè habere naturam Divinam, non præcisè, ùt natura est, sed etiam, ùt est ens à se, infinitum, per essentiam, irreceptum, immensum, &c. cùm nihil det inclinationem in aliquam naturam, nisi illam saltem participativè præhabeat. Si verò admittatur hujusmodi participatio, à tergo instat D. Thom. in 1. *dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. docens, nomina, Divinas perfectiones absolutè, quæ modum non concernunt, significantia, creaturis esse communicabilia; talia sunt potentia, sapientia, justitia, bonitas, &c. nomina verò significantia modum, quò DEO sunt propria, qualia sunt infinitas, aseitas, omnipotentia, summum bonum, &c. creaturis esse incommunicabilia: & meritò hoc docet D. Thomas: repugnat enim, creaturis à DEO illa prædicata communicari, quæ per se primò destruunt conceptum creaturæ, sicque illi formalissimè repugnant.

80. Arguis quartò: Adoptio est gratuita assumptio personæ in filium, quæ filius non erat: sed ad hanc assumptionem sufficit extrinsecus favor & acceptatio, quin opus sit, ut adoptans adoptato aliquid de sua natura participandum communicet: esto igitur per gratiam in filios DEI adoptemur, per hoc tamen non probatur, quòd Divinam naturam physicè participemus per gratiam.

81. Arguis quintò: Participatio radicis attributorum Divinorum, infert per consequentiam communicationem Divinorum attributorum: atqui natura Divina ùt natura per gratiam sanctificantem participata, continet in se radicem attributorum Divinorum: Ergo & gratia sanctificans. Subsumes: gratia sanctificans non potest participare Divina attributa; alioquin faceret hominem omnipotentem, omniscium, immensum, &c.

82. Arguis sextò: Si formalis similitudo DEI creata, qualis in gratia sanctificante prætenditur, est possibilis, quâ doctrinæ consequentiâ ex repugnantia talis similitudinis Thomistæ rejiciunt possibilitatem speciei impressæ creatæ ad visionem intuitivam DEI?

83. Arguis septimò: Semen virtualiter solùm continet naturam generantis: gratia sanctificans est semen DEI, 1. *Joan.* 3. Ergo gratia sanctificans naturam DEI, per quam spiritualiter in filios adoptionis DEI generamur, & supernaturali modo nascimur, naturam Divinam virtualiter solùm continet: Ergo gratia est physica naturæ Divinæ participatio non formalis, sed ad summum virtualis.

84. Resp. ad primum, neg. ant. Ad primum textum dico, quòd Christus sit nostra sapientia, justitia, sanctificatio *causaliter* & *activè* scil. per sua merita; non verò *formaliter, passivè,* & *terminativè;* sed hoc munus præstat per gratiam promeritam nobis, & realiter infusam. Instantia sensûs & locutionis causalis in variis exhibetur: ùt in illo: *Tu es patientia mea: Dominus illuminatio mea*, &c. Similiter in altero textu obedientia Christi in sensu *causali* nos constituit justos, qui per peccatum originale Adami causaliter fuimus constituti peccatores, *formaliter* verò per intrinsecam maculam seu privationem gratiæ originalis. Ad tertium replico, peccata tegi per lumen gratiæ illorum caliginem dispellentis vel operientis: nec DEO potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur: *omnia* siquidem *nuda & aperta sunt oculis ejus*, ad *Hebr.* 4.

85. Ad secundum conc. Maj. nego min. Ad primam instantiam dico, latam esse disparitatem inter amorem creaturæ, & DEI: ille enim est sterilis, merè affectivus, non practicus vel effectivus; ideoque supponit bonitatem vel veram vel apparentem ex parte objecti apprehensi & amati, à qua attrahitur voluntas: DEI amor econtra est fœcundissimus, practicus, & effectivus. Ideoque infundit, & creat bonitatem in rebus, ùt loquitur D. Th. *cit.* 1. *p. q.* 20. *art.* 2. Ad alteram instantiam reponitur, non esse necessarium, ut amor DEI pro omni tempore erga prædestinatos sit efficax, & aliquam bonitatem intrinsecam supernatur. ordinis in ipsis causet, vel infusam conservet; sed sufficit, quòd amor in decreto prædestinationis inclusus, talem formam causet pro tempore opportuno, & divinitùs determinato. Si urgeas, quid ergo ille amor in creaturis producat, quo DEUS voluntate solùm generali vult plurimos homines salvos fieri? Resp. Compendium Salmanticense *tr. de grat. disp.* 2. *dub.* 1. §. 1. *num.* 3. amorem illum, utpote generalem tantùm respectivè ad salutem, non esse absolutum ac simpliciter talem; propterea per se non infert pro tempore aliquo gratiam sanctificantem, quæ homines sic generaliter & remotè ad gloriam vocatos reddat à DEO simpliciter dilectos, & proximè ad gloriam acceptos, sed satis est, quòd vi talis amoris ipsis conferantur remedia generalia, & auxilia sufficientia juxta capacitatem subjectorum.

86. Ad tertium Resp. quòd gratia habitualis Divinam naturam non participet reduplicativè *ùt infinitam*, ùt actum purum, ùt ens

ens à se &c. propter rationem ex D. Th. optimè adductam : sed gratia participat naturam Divinam, ùt natura est præcisè, quatenus nimirum habet rationem inclinationis supernaturalis, & principii radicalis operationum Divinarum per quandam exscriptionem, seu participationem imperfectam, accidentalem, & analogicam : neque enim hæc participatio fit secundùm modum proprium, ùt est in DEO, sed secundùm modum participabilitatis in creaturis ; veluti expositum fuit in *Tr. de DEO uno*, *de constitutivo Metaph. Essent. Divinæ*. Ad rationem oppositam Gonetti, & aliorum, Resp. transmiss. ant. neg. conseq. Tunc enim gratia naturam Divinam deberet participare sub ratione entis à se, infiniti, actûs puri &c. quando inclinaret suum subjectum, ut appeteret in DEUM tendere, eum videre, & amare modo infinito, sique in ipsis operationibus, & principio radicali creato involveret aseitatem, independentiam, rationem actûs puri &c. hic autem appetitus & inclinatio ex gratia oriri nequit : ergo &c.

87. Ad quartum Resp. quòd adoptio illa, quæ jam supponit convenientiam adoptantis & adoptati in natura (qualis est adoptio in humanis) nullam exigat, nullamque involvat realem naturæ communicationem, sed solùm aliquam *affectivam*. Cùm igitur Divina adoptio talem convenientiam in natura creata prævié non supponat, ideò Divina natura debet per aliquid communicari adoptato, ut fiat capax juris ad hæreditatem percipiendam.

88. Ad quintum Resp. quòd gratia naturam Divinam ceu radicem attributorum solùm inadæquatè, imperfectè, & analogicè participet ; ideoque non omnia attributa necessariò in participium veniant ; sed excipiuntur illa, quæ se habent ùt modi & characteres differentiales, distinguentes esse increatum à creato, ùt sunt puritas actûs, aseitas, infinitas, immutabilitas, æternitas, omnipotentia, &c.

89. Ad sextum Resp. implicantiam speciei impressæ creabilis intuitivæ in visione beatifica in Tr. de DEO ostensam fuisse, v. gr. quia deberet esse comprehensiva, & commensurata Divinitati, cum expressione illius & similitudine univoca, utpote quæ immediatè ab ipso objecto Divinæ essentiæ, ùt illa est in se, deberet emanare : ideoque deberet esse in eodem immaterialitatis gradu cum actu puro Divino : item deberet Divinam essentiam posse reddere præsentem, ac facere summè & proximè intelligibilem, quæ omnia implicantiam involvunt in esse creato : at participatio naturæ Divinæ per gratiam habitualem est expressio, & similitudo naturæ Divinæ ùt natura est, solùm analoga, imperfecta, nec ad modum illum Divinum, quo DEUS est in se, sed ad modum, quo est participabilis à creaturis, scil. finitum, accidentalem, &c.

90. Ad septimum Resp. Gratiam dici semen comparatè ad gloriam, seu visionem beatificam, cujus radix est, non verò comparatè ad naturam Divinam, ùt talem, cum qua formaliter analogicè convenit, in quantum est radix participata, continens in se inclinationem in finem supernaturalem, dona & virtutes tanquam essentia suas proprietates, nec non rationem principii fontalis videndi & amandi DEUM, ùt est in se. Hæc quæstio prolixiùs agitata varia in se complectitur, quæ ab aliis Doctoribus nostris sparsim vel singulatim traduntur.

# QUÆSTIO NONA.

## *An sola Gratia sit formalis & adæquata causa nostræ Justificationis?*

91. PRæ oculis hìc comprimis ponenda sunt declarata à SS. Tridentina Synodo *Sess.* 6. per plura capita, & Canones inde extractos. Procemium sic incipit : Cùm hoc tempore, non sine multarum animarum jactura & gravi Ecclesiasticæ unitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de justificatione doctrina : *ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, Ecclesiæ tranquillitatem & animarum salutem, sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli, Divina providentia Papæ III. . . exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ Christus JESUS, fidei nostræ Auctor & Consummator docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu S. suggerente, perpetuò retinuit ; districtiùs inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præsenti decreto statuitur, ac declaratur.*

92. Deinde in *cap.* 1. indicatur naturæ, & legis ad justificandos homines, qui ex Adæ prævaricatione innocentiam perdiderunt, & facti *sunt immundi*, imbecillitas : in *cap.* 2. mysterium adventûs Christi : quem *proposuit DEUS propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris ; non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi.* In *cap.* 3. agit de his, qui per Christum justificantur : *Etsi ille* (ait Sac. Conc.) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum Passionis communicatur. . . . Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in Regnum Filii dilectionis suæ ; in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.* Exinde in *cap.* 4. describitur Justificatio impii, *quòd sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum DEI per secundum Adam JESUM Christum, Salvatorem nostrum : quæ quidem*

*dem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI.* Igitur in justificatione fit transitus de non esse seu carentia gratiæ ad esse gratiæ sanctificantis: illeque transitus (ùt notat Theologia Salisb. *Tr.* 7. *disp.* 8. *a.* 2.) si fiat absque præcedente peccato, ùt in B. Virgine, Angelis, & Adamo, habet se ad modum simplicis generationis, juxta D. Th. hic *q.* 113. *a.* 1. Si autem fiat, præsuppositô peccatô, est quasi motus de contrario in contrarium, seu de statu peccati ad gratiam sanctificantem, & remissivam peccati.

93. In *cap.* 5. declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis à DEI *per Christum JESUM, præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata à DEO aversi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam* (sub qua hîc intelligitur gratia actualis, seu auxilium transiens) *ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita, ut tangente DEO cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem recipiens, quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia DEI movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Unde in sacris litteris, cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, cùm respondemus: converte nos Domine ad te, & convertemur, *DEI nos gratia præveniri confitemur.*

94. In *cap.* 6. ulteriùs exponitur modus præparationis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes, vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt: atque illud inprimis à DEO justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU; & dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam misericordiam DEI se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, DEUM sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata*, &c. Sit nunc

95. Assertio: Unica formalis causa nostræ justificationis est gratia habitualis, seu sanctificans, nobis divinitùs infusa. Ita SS. Trid. Concil. *cit. Sess.* 6. *cap.* 7. postquàm enim ibi definiverat, quòd præparationem sequatur justificatio, quæ non sit *sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*, unde homo ex injusto fit *justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*, Concilium enumerat varias justificationis causas, putà finalem: efficientem, & instrumentalem (secundùm à nobis præmissa in *n.* 54.) *Demum*, ait, *unica formalis causa est justitia DEI, non qua ipse justus est; sed qua nos justos facit; qua videl. à DEO donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur; sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem*, &c. In quibus verbis nomine justitiæ DEI ipsa gratia sanctificans apertè intelligitur, & in subsequentibus describitur. Huc quadrant & rationes, & omnia testimonia Scripturæ, in priori quæstione realitatem & inhærentiam gratiæ suadentia. Consonat Catechismus Romanus, Auctoritate Concilii Tridentini confectus, in *Tr. de Baptismo:* „est autem gratia, quemadmodùm „ Tridentina Synodus ab omnibus creden- „ dum, pœnâ anathematis propositâ, decre- „ vit, non solùm per quam peccatorum fit „ remissio, sed Divina qualitas in anima in- „ hærens, ac veluti splendor quidam, & lux, „ quæ animarum nostrarum maculas omnes, „ delet, ipsasque animas pulchriores & splen- „ didiores reddit. „ Additurque paulò pòst, nos per illam qualitatem ad omnia pietatis officia habiles reddi: ex eadem pias honestasque actiones proficisci. Unde satis liquet, justificationem formaliter acceptam consistere in aliquo habituali, & non in aliquo actu transeunte, quod jam supra in *num.* 64. à nobis præmonitum fuit: colligitur etiam ampliùs ex contextu *cap.* 7. *in cit. Sess.* 6. ibi: *Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis D. N. JESU Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem:* per quod innotescit, istas virtutes earùmve actus habere se vel dispositivè & concomitanter, vel consecutivè ad gratiam, saltem considerato genere causæ formalis: sicuti & septem dona Spiritûs Sancti, & quatuor Virtutes Cardinales, & aliæ morales infusæ.

96. Ratio præcipua Assertionis est, quòd illa sola & unica forma sit pro causa formali justificationis agnoscenda, quâ positâ formaliter & immediatè excluditur & destruitur peccatum habituale, sive personale, sive originale: quæque ex se hominem facit permanenter justum, filium adoptivum DEI, & hæredem gloriæ cœlestis: Atqui hæc forma est sola gratia habitualis, prout tam ex dictis præsertim de habituali peccato constat, quàm adhuc magis ex sequentibus Quæstionibus elucebit. Ergo sola gratia habitualis est pro sola & unica causa justificationis agnoscenda.

97. Arguis primò: Factores legis *justificabuntur*, ad *Roman.* 2. Resp. sensum esse, quòd factores legis augmentum justitiæ mereantur: sicque justificentur per opera *meritoriè*, non verò *formaliter*. Vel sic: qui cupiunt

piunt verè esse legis observatores, dent operam, ut justificentur : non enim justitiam legis faciunt, nisi justificati. Ita apud Bellarm. *lib. 2. de Justificat. cap. 16.* explicat S. Augustinus *lib. de Spiritu & litera cap. 26.*

98. Arguis secundò : ex illo Jacob. 2. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo.* Ergo justificatio fit per aliquid in actu, & non per formam habitualem, saltem non completè. Verùm aut prior Responsio hic repeti valet, aut dicendum, ibi Apostolum loqui de secunda justificatione, id est, de acceptæ justitiæ incremento, seu processu de virtute in virtutem : hoc enim fit, si justificati in piis operibus se exerceant, ùt clarè tradit Trid. Concil. *cit. Sess. 6. cap.* 10. sicut scriptum novimus : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum : *Ne verearis usque ad mortem justificari :* & rursus : *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm :* Orat enim Ecclesia : da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *An Gratia habitualis suapte natura, & absque favore DEI extrinseco, hominem DEO gratum, sanctum, Filium DEI adoptivum, constituat?*

99. Supponendum hic, per gratiam sanctificantem nos certò adoptari in Filios DEI, juxta illud *Rom. 8. accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Quodque per gratiam reddamur reverà Divinæ consortes naturæ, constat ex *quæst.* 1. & illo 2. *Petri* 1. *per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Est autem adoptio assumptio personæ extraneæ in filium & hæredem adoptantis. Utque sit vera, requirit saltem *affectivam* communicationem naturæ; si *realis* non sit possibilis, in quantum adoptans optaret, ut adoptatus esset reverà suus filius : si enim extraneus quispiam, absque assumptione affectiva in filium ad hæreditatem alicujus ex testamento capiendam vocetur, minimè participabit rationem filii adoptivi. An verò gratia hunc & reliquos effectus in *Quæst.* propositos suâpte naturâ adæquatè præstet, sicut tenent Thomistæ & plurimi ex PP. Societatis an solùm, prout completur per institutionem voluntariam, misericordiam, seu extrinsecum favorem DEI, sicut vult Scotus in 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. & in *dist.* 16. *quæst.* 2. Okamus, & alii Nominales, in præsenti breviter decidendum est.

100. Conclusio : Gratia suâpte naturâ prædictos effectus adæquatè præstat. Prob. per connexionem ad præcedentes conclusiones, scilicet ex eo, quòd gratia sanctificans sit aliquid reale nostræ animæ Divinitùs infusum, & participatio physica naturæ Divinæ, & quidem formalis analogica, constituens nos filios DEI per spiritualem, & accidentalem regenerationem : ad istos autem effectus formales per favorem DEI extrinsecum & institutionem constitutivè nihil conferri patet : quia sanctificatio, seu justificatio, & filiatio adoptiva DEI *constitutivè* & *formaliter* habentur per eandem formam : quandoquidem secundùm declarationem Sac. Trid. Conc. *Sess. 6. cap.* 4. justificatio non solùm est *translatio in statum* gratiæ, sed etiam procuratio adoptionis Filiorum DEI : & forma justificationis est justitia, non quâ DEUS justus est, sed qua homines justos facit. Atqui laudatum Concilium, ut gratia sit justificatio formalis, seu forma justificans, nihil meminit de institutione morali, seu favore extrinseco DEI, sed potiùs dicit, quòd gratia sit *unica causa* illius : Ergo secundùm idem Concilium est pariter unica & sola forma, seu causa formalis nostræ spiritualis adoptionis in filios DEI, consequenter gratia suâpte naturâ constituit nos filios adoptivos DEI, simulque gratos DEO, facitque nos objectum dilectionis Divinæ congruum, & proportionatum ad accipiendam hæreditatem suam consistentem in visione & possessione DEI : *si enim filii, & hæredes, ad Rom.* 8. ubi innuitur connexio inter filiationem & hæreditatem.

101. Confir. Si institutio, acceptatio, vel favor DEI extrinsecus esset illa ratio, ob quam præexplicati effectus de gratia verificantur, Concilium Tridentinum dicere non potuisset, quòd gratia sanctificans sit unica forma, causa, & ratio justificationis, adoptionis, &c. & postquam egit de dispositione nostra seu præparatione ad justificationem, hanc explicaturum non dissimulâsset alia ad justificandum concurrentia : & tamen dissimulatis omnibus aliis, subdidit, quòd *justificatio non sit sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.*

102. Nec dicant Adversarii, favorem DEI extrinsecum requiri saltem ùt conditionem *sine qua non*, ut gratia sæpè dictos effectus formales præstet. Nam contra est, quòd forma de se ad præstandum aliquem effectum intrinsecè & entitativè insufficiens, nequeat intrinsecè reddi sufficiens, nisi per aliquod complementum ipsi intrinsecè adveniens, eamque in ratione formæ perficiens ad præstandum ejusmodi effectum. Urgeo : Lumen gloriæ ex seipso, absque favore DEI tanquam conditione *sine qua non*, per modum principii proximi confert jus connaturale ad gloriam : ergo & gratia per modum principii radicalis, utpote in qua lumen gloriæ non minùs, ac cæteræ virtutes & dona, radicantur.

103. In oppositum multa afferri possunt. Nam primò, si admittenda est forma physica con-

constituens per se filium DEI adoptivum, cum aliis effectibus, illa erit charitas: quia 1. Joan. 3. dicitur: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii nominemur.* Aliunde etiam sanctificare spectat ad actum charitatis; cùm perfectè aliquem DEO uniat; objectum congruum Divinæ dilectionis constituat; & justificatio adulti aliter non fiat, nisi per voluntariam gratiæ susceptionem, quæ necessariò actum charitatis importat. Secundò: ab Apostolo *ep. 2. ad Corinth.* 1. gratia vocatur signum & pignus: *qui unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus in cordibus nostris:* signum, & pignus dependent ab aliquo morali, institutione promissione. Tertiò: gratia & filiatio adoptiva non sunt necessariò connexa: aliàs gratia sanctificans etiam Christum Dominum inseparabiliter constitueret Filium DEI adoptivum. Quartò: Per illud habetur adæquata filiatio, per quod obtinetur consummata similitudo cum DEO: hæc autem obtinetur per actualem collationem seu adoptionem gloriæ: nam dicitur 1. *Joan.* 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus.* Ergo gratia se sola non constituit filium adoptivum DEI. Quintò: Positâ gratiâ, DEUS potest existentem in gratia amare, vel non amare: neminem enim, quàm seipsum necessariò amat. Sed si gratia suâpte naturâ redderet hominem DEO gratum, amicum, filium adoptivum, DEUS non posset non amare hominem in gratia existentem. Igitur gratia suâpte naturâ prædictos effectus non præstat. Sextò: Potest DEUS de potentia sua absoluta existenti in gratia concursum suum ad eliciendam visionem beatificam, denegare: ergo gratia se sola non constituit adoptivam filiationem, sine acceptatione gratuita ad gloriam. Igitur jus ad gloriam non est connaturaliter cum gratia connexum. Septimò: quod alicui connaturaliter debetur, non potest ipsi proponi ùt prœmium: gloria justificatis proponitur ùt prœmium: Ergo gloria justificatis per gratiam connaturaliter non debetur. Octavò: Nihil obstat, quò minùs DEUS, sine prævia gratiæ collatione, aliquem clara visione beatificet. Sed nónne sic beatificatus esset Filius DEI adoptivus? tum, quia esset elevatus & divinitus acceptatus ad hæreditatem gloriæ cœlestis: tum quia per visionem intellectualem *intelligere Divinum*, atque adeò etiam *naturam* Divinam participaret. Nonò: Cur opera meritoria, tametsi habeant jus & condignitatem intrinsecam ad gloriam ùt mercedem & coronam, nihilominùs Divinam promissionem, ordinationem, & acceptationem extrinsecam, pro efficacia & perfectione meriti connotare debent, & non similiter gratia sanctificans pro perfectione & complemento juris ad cœlestem gloriam tanquam ad hæreditatem? Sanè non est minor proportio operis meritorii ad gloriam ùt mercedem, quàm sit proportio gratiæ habitualis ad illam ùt hæreditatem.

104. Ad primum Resp. Negando seq. Major. Nam text. adductus, sicuti & ille, *qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo*, interpretandus est de charitate radicali, consistente in ipsa gratia habituali: neque enim per charitatem formalem, sive hæc consideretur quoad habitum infusum, sive quoad actum elicitum, homo per se primò, formaliter, & realiter justificatur participando naturam Divinam per cujus communicationem fit spiritualiter genitus, & hæres: sed per gratiam habitualem: unde per hanc tanquam charitatem radicalem, & non per charitatem formalem homo per se primò constituitur amicus DEI, ita, ut gratia sit forma primò terminans dilectionem amicabilem DEI.

105. Subtiliter hæc difficultas explanatur in *Compendio* Salmanticensium hic *tr.* 3. *disp.* 2. *n.* 45. hunc in modum: sicut DEUS constituitur amicus hominis per naturam Divinam, tanquam per id, per quod primò constituitur in ratione boni amicabilis; ita homo constituitur amicus DEI per gratiam tanquam per formam primò terminantem dilectionem amicabilem DEI. Hinc sicut DEO non obstat, ut constituatur primò in ratione objecti amicabilis per naturam Divinam, quòd voluntas Divina sit formalis amicitia DEI (ut sic dicamus) activa: ita non obstat, quòd charitas sit formalis amicitia hominis *activa*, ut per gratiam primò constituatur in ratione objecti amicabilis. Adhæc: quomodo actus contritionis aut charitatis poterit esse forma sanctificans? cùm se habeant ùt dispositio ad justificationem, velut perpetuò docet Trid. Conc. *Sess. 6.* sitque contra rationem dispositionis, ut ei munus & effectus formalis (v. g. sanctitatis, nitoris spiritualis &c.) tribuatur, qui, saltem quoad *rectum* est inseparabilis ab ipsa forma, qualis est gratia in profundo Justificationis mysterio, & inæstimabili DEI miserentis beneficio. Deinde, actus charitatis animam cum DEO unit solùm *affectivè*: forma verò sanctificans debet unire *formaliter* & *effectivè*. Hoc modo satisfit & illi textui apud Joan. *cap.* 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diligit eum.*

106. Ulteriùs advertitur *loc. cit.* quòd homo per actum charitatis non constituatur simpliciter in ratione objecti congrui Divinæ dilectionis, sed per participationem formalem naturæ Divinæ, quamvis ipse actus charitatis *formaliter* terminetur ad DEUM ùt objectum simpliciter amicitiæ. Cujus disparitatem dat, quòd actus charitatis, quo homo fertur in DEUM, pro objecto habeat non solùm attributum Divinæ charitatis, sed etiam naturam Divinam: si enim tantummodò ad voluntatem Divinam terminaretur, DEUS non constitueretur simpliciter in ratione objecti amicabilis; quandoquidem tunc homo DEO non vellet rationem boni simpliciter, utpote quæ habetur in natura Divina. Pariformiter ergo actus charitatis hominem non constituit simpliciter objectum

ctum congruum Divinæ dilectionis: quia amor Divinus non terminatur ad actum nostrum charitatis tanquam ad objectum simpliciter tale dilectionis Divinæ, utpote quod est natura Divina participativè nobis inexistens.

107. Ad illud, quod supra addebatur de voluntaria justificatione adulti, quòd nempe hæc fiat per actum charitatis, ex dictis responsio colligitur: damus enim libenter, ibi requiri voluntariam dispositionem, sed negamus, voluntarietatem formalem sic se habere, ut ipsam sanctitatem formaliter constituat.

108. Ad secund. oppositum, Resp. ex D. Th. 4. *cont. gent. cap.* 21. gratiam esse signum naturale, quo justus ab injusto distinguitur non merè moraliter, sed etiam physicè. Similiter est pignus physicum Spiritûs Sancti & gloriæ; cùm habeat se ùt dispositio physica: unde nihil huc facit, quòd pignus in humanis ab aliquo pacto extrinseco dependeat.

109. Ad tert. Resp. ad tribuendum effectum formalem & denominationem filiationis adoptivæ per gratiam habitualem conferendæ requiri subjectum capax, quod est sola persona *extranea*: Christus autem non est persona extranea respectu DEI, sed Filius DEI naturalis ratione personalitatis Divinæ naturam humanam intrinsecè terminantis. Unde gratia habitualis Christum equidem accidentaliter sanctificat, redditque consortem naturæ Divinæ, & potentem ad eliciendas operationes supernaturales, sed non constituit vel denominat Filium DEI adoptivum.

110. Ad quart. Resp. Auctor supra relatus, per visionem intuitivam DEI inprimis nullam causari similitudinem DEI in *esse intentionali*: quia visio illa creata *in esse* intentionali non est formalis expressio objecti beatifici, quod est DEUS: hoc quippe munus est speciei expressæ, vel verbi, quorum neutrum per visionem producitur. Neque *in esse* naturali datur ibi similitudo *formalis* naturæ Divinæ, sed intellectionis Divinæ, tanquam operationis determinatæ, consequenter non est similitudo cum DEO sub esse *naturæ*, sive in esse naturali: quæ sola posterior similitudo, secus illa prior, hominem Filium DEI adoptivum constituit.

111. Ad quint. Resp. cum eod. ibi *num.* 44. solùm inferri necessitatem aliquam amoris consequentem ex suppositione, quòd DEUS homini ex libera voluntate aliquid Divinum per gratiam infuderit.

112. Ad sext. Resp. in illa hypothesi adhuc salvari rationem filii adoptivi: quia non actualis collatio vel adeptio hæreditatis coelestis facit filium adoptivum, & hæredem, sed jus ad illam, & exigentia in gratia sanctificante physicè radicata.

113. Ad sept. Magnific. P. Pettschacher *tract. de peccat. habit. Gratia & Justif. Thes.* 9. *pag.* 105. neg. Maj. ejusque falsitatem demonstrat in gloria corporis, quam Christus sibi meruit, licèt ex vi gloriæ animæ, & ratione unionis hypostaticæ cum Verbo Divino, fuerit connaturaliter debita. Idem Resp. Theol. Salisb. *hoc tract. disp.* 7. *art.* 3. *num.* 13. & S. Thom. 3. *p. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 3. Ratio subditur, quòd eadem res possit plurib. titulis esse debita, sicque titulô connaturalitatis, & titulô mercedis. Si regeras: proprietates connaturales animæ rationali non posse proponi sub ratione prœmii per meritum consequibilis. Replicatur, hoc ideò sic esse, quia proprietates illæ fiunt vel vi ejusdem actionis, qua producitur anima, seu natura, vel saltem statim unà cum anima & natura: quòd, si emanatio illa physica proprietatum, putà intellectûs, voluntatis, suspenderetur, vel distinctis actionibus produceretur, possent dictæ proprietates proponi in prœmium: sicut ex eo, quòd effluxus gloriæ Corporis ex gloria animæ in Christo fuerit suspensus, ut daretur locus Passioni ejus, cadere potuit sub meritum. Adnotat, gloriam ùt hæreditatem deberi gratiæ sanctificanti connaturaliter non quidem immediatè, sed mediatè, mediante videlicet lumine gloriæ, quod immediatè & physicè emanat è gratia existente in statu perfecto, sive termini.

114. Ad octav. cum Theol. *Salisb.* negatur inprimis suppositum, quòd visio beatifica utpote actus vitæ supernaturalis perfectissimus, sine gratia habituali tanquam suo principio radicali elici queat. Deinde dissimulata hypothesi, rotundè negatur, illo modo beatificatum esse propriè Filium DEI adoptivum: datô enim, quòd hæreditatem possideret *in re*, non tamen possidenti competeret ex *jure*, fundato in communicatione naturæ Divinæ per participationem formalem.

115. Ad non. Resp. Pettschach. quòd proportio gratiæ habitualis ad gloriam tanquam hæreditatem sit proportio *connaturalitatis*, ex qua resultat essentialiter simile jus connaturalitatis ad gloriam, tanquam hæreditatem absque ullo favore extrinseco. Sic, supposita creatione Angeli, essentialiter in illo resultat jus connaturalitatis ad sibi infundendas species absque ullo favore extrinseco &c. At verò proportio operum justorum ad gloriam tanquam mercedem non est *connaturalitatis*, sed *meritoria*; adeoque *moralis*, in quantum opera bona hominis justi ex se quidem habent vim intrinsecam movendi DEUM ad dandam gloriam tanquam prœmium; non tamen ex aliquo jure cognato. Unde omne jus, quod habent, est vel fidelitatis ratione promissionis Divinæ; vel justitiæ, aut gratitudinis, quod in creatura pura haberi non potest, nisi vi pacti Divini: cùm enim justorum opera sint DEO multis titulis debita, non possunt ex vi propria & intrinseco valore DEUM vel ex fidelitate, vel justitia obligare, ad remunerationem.

116. Quæres hic, quid censendum sit de illa Sectariorum Sententia, quòd *sola* fides justificet? Hujus fundamentum desumunt ex Rom.

Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim hominem justificari sine operibus legis.* Ea de re aliqua fuit facta mentio in *tract.* 1. hujus operis à *num.* 452. Resp. primò, à SS. Trid. Concil. declarari, quòd verba Apostoli (Rom. 3. dicentis, justificari hominem per fidem sine operibus, adeoque gratis) sint intelligenda in eo sensu, *quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit, & expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere DEO, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus; alioquin, ùt idem Apostolus inquit, gratia non est gratia.*

117. Resp. secundò, à Luthero particulam *sola* Scripturæ in versione Germanica fuisse intrusam. Sed nónne hæc aperta Scripturæ corruptio est? Unde Lutherus illam Jurisdictionis speciem, quam merum imperium vocant, in textus Sacræ Scripturæ, ut illis vel adderet, vel aliquid demeret, accepit? Alibi (ùt in *præced. Tract.* sæpius vidimus) solenniter protestatur, nullum apicem Scripturæ adjiciendum vel subtrahendum esse: Verbum DEI purum relinqui oportere: nihil Patribus, Doctoribus, & Traditionibus deferendum esse &c. hìc verò proprio verbo & exemplo contrarium docet, tenetque, & pro ratione ipsi stat voluntas, suaque peculiaris Auctoritas: respondet enim, *se esse Doctorem super omnes Doctores. Lutherum sic voluisse. Papistas & Asinos idem esse &c.* Equidem Lutheri receptatores alia adhuc ratione suum Antesignanum ad illius particulæ intrusionem motum fuisse, prætexunt, quòd nimirum sensus illius voculæ *sola* in textu Apostoli reperiatur, qui sensus reddi clarè, significanter, ac propriè germanicè non potuerit, nisi additâ illâ particulâ: eò quòd sit natura Germanicæ linguæ, ut, cùm de duobus est sermo, & alterum asseritur, alterum negatur, adhibeatur præter particulam non, etiam particula *solùm*: ut cùm dicimus: Der Bauer bringt allein Korn, und kein Geld: hic rusticus adfert solùm frumentum, non pecuniam.

118. Verùm quis non condoleat miseræ Germanorum sorti, si eorum idioma Luthero tanquam Archimagistro & Interprete indiguerit, & hactenus in versione Latina in Germanicam linguam erraverit. Et certè allato Scholismo jure opponitur, regulam illam esse falsam, verissimamque rudium deceptionem. Quidsi enim (ut exemplo, quod adducunt de rustico adferente triticum, utamur) præter triticum etiam fuissent allati anseres, gallina, vitulus, nulla autem pecunia? nunquid falsa esset propositio? *Rusticus adfert solùm triticum, & non pecuniam.* Si Lutherus Scripturæ in Germanico idiomate, claritatis prætextu, ausus fuit addere particulam *solam*: ergo sibi contradictionem imponit, constanter ingeminando, Scripturam esse omni ex parte claram & lucidam: ipse enim ex obscura claram fecisset. Item: si fidelis Interpretis spartam assumpsisset, pluribus aliis textibus particulam *solùm* insuere debuisset. Ad *Gal.* 2. *v.* 16. Paulus ait: *Scientes autem, quòd non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi:* hæc verba æquipollent superioribus ad Rom. *cap.* 3. perscriptis: cur ergo Lutherus Germanicæ versioni non ex eodem zelo & motivo procurandæ claritatis, particulam *solùm*, ibi intrusit?

119. Qualiter autem uterque textus interpretandus sit, sapienter elucidat Card. Bellar. *lib.* 1. *de Justif. cap.* 19. advertens, sciendum esse primò, quid apud Apostolum sit lex factorum, & lex fidei: secundò: quid intersit inter justitiam legis, & justitiam in lege? Tertiò: quid intelligat per opera, dum hominem sine operibus justificari docet. Et rejecta explicatione Calvini atque Kemnitii, respondet, *legem factorum* apud Apostolum esse eam, quæ jubet, quid faciendum. *Lex fidei* est ipsa fides, quæ importat gra-„ tiam faciendi, quod lex factorum jubet.„ Itaque utraque lex requirit opera, sed lex„ factorum continet præceptum, lex fidei au-„ xilium. Lex factorum præstat, ut cogno-„ scamus, lex fidei facit, ut faciamus. Le-„ ge factorum dicit DEUS, fac, quod jubeo;„ lege fidei dicimus DEO, da, quod jubes.„ Denique lex factorum est litera, quæ occi-„ dit jubendo, & non juvando, lex fidei est„ spiritus, qui vivificat opem ferendo, ut ju-„ stificatio legis impleatur in nobis. Ex quo„ sequitur, ut non solùm lex Moysis, sed et-„ iam lex Christi, quatenus aliquid imperat,„ sit lex factorum, & lex fidei, non solùm„ quo nos Christiani, sed etiam Patriarchæ„ & Prophetæ, & omnes antiqui justi, DEI„ gratiam impetrârunt, & justificati gratis,„ per eandem gratiam legis mandata servâ-„ runt.„ Sic ille.

120. Quoad alterum dicit, justitiam legis esse opera justa, ut fiant, à lege præscripta. Hæc justitia nullibi à Paulo tanquam inutilis rejicitur, sed potiùs commendatur, ex. gr. ad *Roman.* 2. *v.* 13. *Factores legis justificabuntur. . .* & *v.* 26. *Si præputium justitias legis custodiat, nónne præputium in circumcisionem reputabitur?* Item Rom. 8. *DEUS misit filium in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* At justitiam ex lege, sive in lege, dicit esse illa opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, sola cognitione legis adjuti: & hæc opera non justificant coram DEO, sed solùm coram hominibus, externa tantùm considerantibus. Quodque Apostolus hanc justitiam ùt inutilem rejiciat, justitiæque fidei opponat, hoc est, operibus bonis, quæ fiunt ex gratia & fide, sive justitiam propriam justitiæ DEI, constat ex illo Roman. 10. *Ignorantes DEI justitiam, & suam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti.* Propria alicujus justitia,

justitia, seu quæ est ex lege, censetur esse ex viribus propriis, non verò ex gratia DEI, quam fides impetrat. Confirmatur hæc explicatio ex Div. August. *lib.* 3. *contra duas epistolas Pelagianorum, cap.* 7. *Putant*, ait, *se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & istâ implicati superbiâ, ad gratiam non convertuntur juvantem. At per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, justitiam legis non implet justitia, quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Justitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum. Secundùm justitiam verò, quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu, dicit Apostolus; & justitiam, quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non DEI. Intelligendum est igitur, justitiam legis non impleri secundùm justitiam, quæ est in spiritu gratiæ. Quod planiùs & breviùs ita dici potest, justitiam legis DEI non impleri, cùm lex jubet, & homo quasi suis viribus facit; sed cùm spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed DEI gratiâ liberata voluntas facit.*

121. Quoad tertium, quid intelligat S. Paulus per opera, dum hominem sine illis justificari asserit, eidem Augustino assentiri oportet, qui *lib. de grat. & libero arbitrio cap.* 7. intelligit opera fidei opposita, & à justificatione exclusa, opera, inquam, fidem præcedentia, quæque naturalibûs solius arbitrii liberi viribûs fiunt. Hinc non est recipienda ea sententia, quòd sub prædictis operibus sola legalium cæremoniarum, circumcisionis, sabbathi, &c. observatio intelligatur: quoniam *ad Tit.* 3. opera simpliciter excluduntur, nulla mentione facta legis Mosaicæ.

122. Quòd autem Apostolus pro justificatione non *solam* fidem statuat, nec omnia bona opera tanquam inutilia rejiciat, ex variis locis comprobari posset, v. g. ad *Gal.* 5. *vers.* 5. ubi *spem* justitiæ ex *fide* dicit expectari: & *v.* 6. dicit, *fidem per dilectionem operari.* Vid. dicta in *Tr.* priori *de Eccles. Militante à num.* 452.

123. Quàm autem perniciosum non minùs ac absurdum sit adversum dogma, apparet primò ex eo, quòd secundùm illud quilibet peccator æquè salvari posset, ac vir justus: æquè enim ille ac iste credere potest. Secundò: quia sic evacuaretur vis & obligatio omnium præceptorum DEI, & facilè relinquerentur omnia bona opera: sicuti & usus Sacramentorum in adultis. Tertiò evacuaretur judicium DEI de credentibus. Cùm enim fides sola inter eos faceret distinctionem, aut omnes ad salutem pervenirent, aut omnes perirent. Quartò: Fides, si opera omnia inutilia essent, frustra conjuncta fuisset in B. Magdalena cum pœnitentia & dilectione.

124. Quid ergo dicemus ad illud *Luc.* 8. *Crede tantùm, & salva eris.* Nónnè hic subauditur particula *sola?* Replico cum Bellar. *d. lib.* 1. *cap.* 20. ibi sermonem non esse de justificatione impii, & remissione peccatorum; sed de miraculo faciendo in excitatione defunctæ. Fatetur *cit.* Doct. fidem solam interdum sufficere ad miraculum impetrandum: quando videlicet refertur ad fidem ipsam confirmandam, non autem ad vitam illustrandam illius, qui miraculum impetravit.

125. Concludo, non sequi, quòd fides sola justificet, quando Scriptura quandoque ab aliis virtutibus vel operibus præscindit. Nam etiam quandoque solæ nominantur virtutes, aut Sacramenta, cum abstractione à fide, quæ tamen ad justificationem supponi debet. Sic *Luc.* 7. legimus: *Remittuntur ei multa, quoniam dilexit multum.* Ad *Rom.* 8. *Spe salvi facti sumus.* Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, &c. Hæc omnia ex sequentibus quæstionibus tum robur tum jubar accipient: Lectorem autem remitto ad Bellarminum.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

### *An saltem de potentia DEI absoluta aliquis actus, præter Gratiam, possit esse forma justificans?*

126. ASsertio: probabiliùs per absolutam DEI potentiam actus contritionis, vel dilectionis, aut quicunque elicitus ab homine non potest esse forma justificans. Ita Joan. à S. Thoma *To.* 5. hic *disp.* 27. *art.* 1. *n.* 7. ex nostris Magn. P. Petschach. Clariss. PP. Mezger, Babenstuber, &c. contra Marcum Serra *de gratia qu.* 63. *dub.* 3. Anton. à Goudin. *Tr. de Justif. artic.* 2. & alios, tenentes, per actum charitatis, & contritionis, absque gratiæ sanctificantis infusione, peccatum posse aliquatenus deleri, & peccatorem justificari, non autem completè & perfectè. Supponunt præfati AAres, esse in potentia DEI, ut mediante solo auxilio supernaturali peccatorem ad actum supernaturalem charitatis & contritionis moveat, & applicet.

127. Ratio nostra palmaris solidum habet fundamentum in definitione SS. Concilii Trid. quod pro causa formali unica & sola, consequenter & adæquata, gratiam sanctificantem assignat: consequenter etiam quoad effectum formalem delendi peccati. Et Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 113. *artic.* 2. *in C.* expressè dicit, non posse intelligi remissionem *peccati, si non adesset infusio gratiæ:* & *quæst.* 27. *de Verit. art.* 5. *ad* 17. ait, *quòd immediatus effectus gratiæ sit, conferre esse spirituale, quod pertinet ad informationem subjecti, sive ad justificationem impii, quæ est effectus gratiæ operantis: sed effectus gratiæ mediantibus virtutibus est elicere actus meritorios.*

128. Urgeo: Vel per actum contritionis & charitatis, à gratia habituali prorsus independentem, homo justificaretur (sive perfe-

perfectè sive etiam imperfectè) permanenter, & habitualiter, vel solùm actualiter & transeunter? Prius non dicent Adversarii: quia repugnat, ut effectus aliquis formalis permanens habeatur ac denominetur ab aliqua forma non permanente, nihilque positivum & reale relinquente. Nec admittere possunt posterius: quia esse *justum*, sanctum, amicum DEI sine dubio est aliquid habituale, & de se quid permanens: nam etiam, dum justus actu non conteritur, DEUM exercitè non amat, sed dormit, justus, sanctus, manet.

129. Urget ampliùs Joan. à S. Th. quòd actus contritionis & dilectionis ab homine elicitus deordinationem & maculam ipsius subjecti scil. animæ, quà privatæ Divinâ gratiâ, tollere non possit, nisi & ipsam animam attingat, in qua durat hactenus privatio gratiæ, & macula physico-moralis peccati habitualis: atqui animam non attingit; cùm recipiatur in potentia volitiva, in anima verò nec recipiatur formaliter, nec permanenter duret, hoc ipso, quòd sit ex sua natura aliquid transiens. Ergo per ejusmodi actus anima nec perfectè nec imperfectè tanquam per formas justificari potest. Adde, quòd secundùm D. Th. hìc. *q.* 113. *art.* 1. *ad* 2. *Fides & charitas dicant ordinem specialem mentis humanæ ad DEUM, secundùm intellectum & affectum: Justitia verò importet generaliter omnem rectitudinem ordinis.* Unde sic: justificatio, seu justitia interna radicat in subjecto generalem rectitudinem ordinis supernaturalis cum extensione & inclinatione ad omnes virtutes supernaturales, omniaque opera meritoria, utpote quibus suum influxum radicalem præstare debet. Atqui hoc nec actui contritionis, vel charitatis, nec cuiquam alteri convenit; cùm quælibet virtutis operatio sit restricta ad certum genus operandi, atque ad potentiam & habitum, à quo procedit. Ergo &c.

130. Assertio secunda: Actus charitatis & contritionis, quæ sunt dispositiones proximæ ad gratiam sanctificantem, ab eadem efficienter seu physicè procedunt. Sic ex nostris Redingus, Rasler, Liechtenheimb, &c. Item Actus contritionis & charitatis, ceu dispositiones ultimæ & proximæ ad gratiam, quatenus sunt actus virtuosi, supernaturales, perfectè vitales, & meritorii gloriæ, ita ab ipsa gratia, cui in eodem instanti reali coëxistunt, tanquam principio formali & effectivo dependent, ut simul in ratione dispositionum ab auxilio moventis DEI speciali dependeant. Dixi, quæ sunt *dispositiones* proximæ: quarum nomine Thomistæ hìc non solùm morales, sed etiam physicas intelligunt & prætendunt: ex ratione, quòd forma non purè moralis, sed physica, connaturaliter exigat dispositionem physicam, veluti patet in formâ ignis, introducendâ in materiam ligni. At gratia est forma non merè moralis, quasi præcisè ex ordinatione Divina effectum formalem tribuat, sed est verè physica, nobis intrinseca ex dictis: Ergo si motus liberi nostri arbitrii, speciatim actus contritionis & charitatis habent rationem dispositionum proximarum ad gratiam habitualem non possunt esse purè morales, consistentes in eo tantùm, quòd concurrant solùm movendo aliud, à qua forma ponatur, ex se verò nullam cum forma connexionem habent: sed sunt veræ & physicæ, ùt satis agnovit Div. Thom. hìc in 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. *in C.* dicendo, quòd ad gratiam (scilicet gratum facientem) aliqua præparatio præexigatur, adjecta ratione: quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. His prænotatis:

131. Prob. Physica dependentia prædictorum actuum à gratia ipsa, cui tanquam proxima dispositio in eodem instanti reali coëxistunt (quemadmodùm calor in primo instanti formæ ignis, ad quam in materia recipiendam disponit, coëxistit) S. Doctor, postquam 1. 2. *q.* 113. per aliquot articulos monstraverat, quòd in justificatione impii concurrant, scilicet, *art.* 1. peccatorum remissio, *art.* 2. gratiæ infusio: *art.* 3. motus liberi arbitrii in habente usum rationis, *art.* 4. motus fidei &c. quo quis tendit in DEI justitiam, & detestatur peccatum recedendo ab illo; tandem in *art.* 8. pronuntiat, ista quatuor in justificatione impii esse simul tempore (quia justificatio non est successiva: cùm fiat per gratiam Spiritûs Sancti, quæ subitò advenit *Actor.* 2. & quò agentis virtus est fortior, eò citiùs materia sive subjectum disponatur: virtus autem DEI est infinita, ipseque motus nostri liberi potest esse instantaneus, ut loquitur S. Doct. in *art.* 7.) sic tamen, ut ordine naturæ sit prior gratiæ infusio: deinde motus arbitrii in DEUM, tum motus in peccatum, postremò remissio culpæ. Et ratio subjicitur: quòd causa sit prior suo effectu naturaliter. At infusio gratiæ est causa istorum omnium. Ergo. Et in 4. ad Annibald. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 2. docet, unum ex prædictis esse prius altero secundùm diversum genus causæ. Néve dubitemus, quòd fortè non loquatur de gratia habituali, audienda sunt verba *cit. quæst.* 113. *art.* 8. *ad* 2. *Dispositio præcedit susceptionem formæ ordine naturæ; sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam subjectum disponitur; & ideo motus liberi arbitrii ordine naturæ præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem.* Nullam verò repugnantiam esse, quòd actus contritionis & charitatis in genere causæ dispositivæ & materialis gratiam præcedant, & nihilominùs ab eadem effectivè procedant, exemplum nobis præbetur in calore ùt *octo*, qui secundùm ultimam suam differentiam effectivè dimanat à forma ignis, & nihilominùs munus dispositionis exercet erga illam. Demum, ùt supra dictum, actus vitales supernaturales perfecti essentialiter petunt procedere à principio vitali proximo, conjuncto cum principio vitali radicali habente rationem naturæ: cùm igitur actus contritionis & charitatis sint tales, essentialiter petunt procedere

dere ab habitibus pœnitentiæ & charitatis, ceu principiis proximis, prout conjunctis cum principio radicali habente se per modum naturæ in ordine supernaturali: hoc autem principium radicale illorum actuum, aliorumque in dicto ordine perfectorum respectu est gratia habitualis: Ergo præfati actus physicè & effectivè procedunt à gratia habituali, tametsi sint dispositiones proximæ ad illam, & gratiæ in eodem signo in quo, seu instanti reali coëxistant.

132. Arguis primò: cont. primam Assert. Per illum actum potest quis absolutè justificari, per quem formaliter convertitur in DEUM, huncque diligit super omnia: atqui per actum contritionis & charitatis ille, qui anteà erat impius, & peccator, formaliter convertitur in DEUM: Ergo per actum hujusmodi absolutè loquendo potest justificari. Secundò: Id, quo posito, privatio gratiæ habitualis non ampliùs manet voluntaria, expellit peccatum habituale & consequenter per se est aptum ad justificandum. Atqui actus contritionis & charitatis est id, quo posito, illa privatio desinit esse voluntaria: ergo expellit peccatum habituale. Tertiò: actus, quo formaliter tollitur inimicitia hominis cum DEO, formaliter peccatorem DEO reconciliat: Actus Charitatis formaliter tollit prædictam inimicitiam, quia in illo consistit amicitia hominis cum DEO: hinc *Proverb.* 10. dicitur: *Universa delicta operit charitas:* & Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo &c. Quartò: ostendatur implicantia, cur non dependenter à solo auxilio supernaturali actualis gratiæ & absque gratiæ infusione possit elici actus aliquis contritionis & charitatis? Potest sic elici actus fidei, & spei; cur non similiter actus charitatis? Hâc autem hypothesi quà possibili concessâ, actus charitatis tenderet in DEUM ùt finem ultimum supernaturalem, consequenter destrueretur aversio, quæ hactenus hominem inimicum DEO constituebat, & homo redderetur DEO gratus, dilectus, amicus, proindeque justificatus.

133. Arguis quintò: contra sec. Assert. Actus contritionis & charitatis non possunt intelligi ùt dispositiones ultimæ in genere physico ad Gratiæ infusionem, nisi in quantum vi illorum gratia recipitur in subjecto ùt jam præparato: ergo infusioni gratiæ præexistunt. Sed si præexistunt, non possunt effectivè dependere & procedere ab ipsa gratia. Ergo secunda Assertio non subsistit. Deinde, homo priùs diligit DEUM, quàm diligatur à DEO, juxta illud Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo:* & Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

134. Ad primam Ration. contrar. Resp. Joan. à S. Thom. *de Justif. art.* 1. *num.* 16. quòd contritio & dilectio hominem convertant ad DEUM formaliter & affectivè, seu operativè; non verò effectivè & radicaliter: respiciunt enim, ait, DEUM operando circa ipsum, & quasi operativè convertendo hominem ad DEUM, sed non formaliter convertendo DEUM ad hominem, & participando naturam ejus, ita, ut DEUS inhabitet in homine, & propitietur illi: hoc quippe dependet ex conversione DEI ad hominem, quæ supponit conversionem hominis ad DEUM, tanquam dispositionem requisitam: in quo sensu intelligi debet adductus textus, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

135. Ad secund. Rat. Resp. peccatum habituale non consistere in quacunque aversione à DEO, ut fine ultimo, sed in aversione habituali, seu terminativa aversionis actualis: quare peccatum habituale non petit destrui directè & formaliter per conversionem actualem in DEUM, quæ per actum charitatis exercetur, sed per habitualem, quæ habetur per infusionem gratiæ sanctificantis. Deinde ratio voluntarii, quæ habituale peccatum constituit, non est voluntarietas actualis, sed habitualis, & terminativa: petit igitur destrui directè per similem voluntarietatem oppositam, itidem habitualem, qua homo habitualiter convertitur in DEUM: hæc autem habitualis conversio consistit in gratia sanctificante. Potest etiam repeti Responsio proximè ad primam rationem data.

136. Ad Rationem tertiam Resp. cum Joan. à S. Thom. *cit. art.* 1. *num.* 7. quòd actus charitatis, si spectetur ùt præcisus à gratia sit actus amicitiæ quasi *dispositivè* & *affectivè*, non formaliter & *effective:* quia amicitia pro fundamento supponit aliquam communicationem, quæ in justificatione fit per gratiam ceu participationem Divinæ naturæ, ad quam actus charitatis habet se ùt dispositio, consequenter etiam ad tollendam inimicitiam, præsertim, quòd inimicitia durans in peccato habituali, non sit actualis, sed habitualis.

137. Dices: eo ipso, quòd quis DEUM diligat, diligitur etiam à DEO: Resp. dist. diligitur à DEO dispositivè, in quantum per actum amoris intelligitur poni dispositio ad gratiam, quæ movet DEUM, ut diligentem diligat, conced. formaliter, & quasi dilectio hominis sit illa ratio motiva formalis, & dignitas, ut diligatur à DEO, sic negatur. Eleganter illustrat nostras Responsiones Joan. à S. Thom. *loc. cit. num.* 16. dicendo, quòd conversio DEI supponat conversionem hominis ad DEUM, ùt dispositionem requisitam: & sicut ad hoc, ut homo, qui est aversus à lumine, iterum illuminetur, non sufficit, ipsum moveri, & converti ad luminosum, sed requiritur, ut ipsum luminosum sua actione illi lumen infundat; ita contritio & dilectio convertunt nos quasi movendo, & applicando, ut non simus aversi ab ipso lumine, non tamen sicut ipsum lumen, quo formaliter reddimur illuminati à DEO. Priùs est ergo actio, quâ tollitur peccatum, & convertitur homo, deinde ipse splendor infusus à DEO. Cæterùm argumenta objecta nimiùm

mium semper probant: probant enim, defacto nos justificari per actum charitatis formaliter, & non per gratiam habitualem, quod pugnat contra Concil. Trid.

138. Ad quart. rat. Resp. rationem implicantiæ assignari in probatione nostra fundamentali *n.* 290. Sicut namque *esse* præsupponitur ad *operari* in ordine aliquo; ita ad operari simpliciter præsupponitur esse simpliciter: cùm igitur actus charitatis sit perfecta ac simpliciter dicta operatio in ordine supernaturali supponit *esse* simpliciter in illo ordine: hoc autem primum *esse* ordinis supernaturalis per se primò confert gratia sanctificans, esto, quòd etiam sit principium radicale operationum supernaturalium, consequenter & ipsius actûs charitatis: econtra aliæ qualitates & habitus supernaturales per se primò ad operationem ordinantur. Quòd autem actus fidei, ad quem connaturaliter sequitur actus spei, possit à solo auxilio actuali dependere, inde est, quòd fides sit initium primum justificationis: imò fides perfecta & ùt actus completus, debet esse actus gratiâ & charitate formatus, adeoque similiter effectivè à gratia procedere. Aliud est de actu fidei imperfectæ.

139. Si quis urgeat, possibile esse, ut DEUS, nullâ gratiâ infusâ, aliquem impium rapiat ad visionem sui claram: talem proinde per actum amoris, ex clara visione necessariò consequentem, fore justificandum, propter incompossibilitatem peccati cum clara visione: Resp. ex dictis, probabiliùs casum istum non esse possibilem: sique gratis ejus possibilitatem dissimularemus, adhuc ipsa visio & actus charitatis gererent munus dispositionum ultimarum, ad quas naturaliter sequeretur gratiæ infusio, & beatitudinis consummatio. *Theol. Salisb. de Justific. art.* 2. §. 4. *n.* 15.

140. Ad quint. Resp. Jam ostensum fuisse, non implicare prioritatem ejusdem & posterioritatem in diverso genere causæ. Qua de re videri possunt, quæ habentur in *Tr. de Potest. Clav. For. intern. par.* 1. *sect.* 1. *à n.* 27. ubi monstratur, quòd & quomodo gratia contritionem præcedat in genere causæ efficientis & formalis, eam verò subsequatur in genere causæ materialis, passivæ, & dispositivæ. Ad alias objectiones depellendas nota primò, nihil obstare nostris assertis, quòd gratia recipiatur in anima, & dispositiones in potentiis, putà, actus fidei in intellectu, actus charitatis in voluntate: sufficit enim, quòd dispositio recipiatur mediatè in subjecto, in quo recipitur forma. Sic forma substantialis in physicis recipitur in sola materia, primæ dispositiones verò immediatè in toto composito. Hinc dixit D. Th. in 4. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *ad* 3. *Non oportet, in eodem esse dispositionem, & perfectionem in rebus ad invicem ordinatis.* Nota secundò, dispositiones physicas in actibus consistentes requiri solùm, ut gratia voluntariè & liberè recipiatur: cùm proinde ad gratiam in conservari sufficiat, si non ponatur obex peccati, quin motus aliquis voluntarius sit necessarius, actus contritionis & charitatis in justificatione adultorum possunt requiri ùt dispositiones in *fieri*, quin requirantur ad *conservari* gratiæ. Restat resolvenda

## QUÆSTIO DUODECIMA.

### *An peccatum mortale de potentia DEI absoluta auferri possit per solam condonationem extrinsecam?*

141. Status quæstionis iterum non procedit de justificatione vera ac completa, quæ necessariò conjuncta est cum infusione gratiæ saltem de moderna DEI providentia, & cum connexis donis, sed de nuda peccati sive originalis, sive personalis remissione citra ullam restitutionem alicujus perfectionis, vel doni gratiæ per peccatum anteà amissi: an nimirum DEUS, absolutè loquendo, per solam veniam, condonationem, seu gratuitam remissionem extrinsecam, ac sine omni mutatione peccatoris intrinseca, peccatum ejusmodi auferre seu abolere possit? Pro affirmativa refertur Scotus in 1. *dist.* 17. *q.* 2. §. *de secundo articulo;* & 2. *dist.* 28. §. *ad quæstionem.* & 4. *dist.* 1. *q.* 6. §. *contra istam quæstionem.* Et *dist.* 16. §. *q.* 2. §. *respondeo.* Negativam tuentur Thomistæ communiter, & multi extranei, ùt Bellarm. *de Justif. lib.* 2. *cap. ult.* Valent. *disp.* 8. *quæst.* 5. *punct.* 5. Vasq. *disp.* 206. *cap.* 2. & alii, cum quibus sit

142. Assertio: Probabiliùs implicat, de potentia DEI etiam absoluta, peccatum mortale habituale pro hoc statu elevationis ad finem supernaturalem per solam extrinsecam condonationem auferri seu remitti. Est consequentia doctrinæ cum præcedentibus conclusionibus.

Prob. primò authoritate. Si absolutè possibilis esset remissio peccati habitualis mortalis per solam condonationem extrinsecam, homo post peccatum posset esse sine culpa, etsi gratiam non haberet, at hoc apertè repugnat D. Thomæ, ait enim hic *q.* 113. *art.* 2. *ad* 1. quòd homo post peccatum non possit esse sine culpa, nisi gratiam habeat. Imò S. D. jam supra relatus expressè docet, non posse intelligi remissionem peccati, si non adsit infusio gratiæ: quæ assertio est tam generalis, ut absolutam implicantiam ob oculos ponat. Ergo absolutè impossibilis est remissio peccati per solam condonationem extrinsecam.

143. Prob. secundò ratione. Peccatum habituale, tam originale, quàm personale consistit in privatione voluntaria gratiæ sanctificantis, prout inducta à peccato actuali

vel aliena, vel propria voluntate commisso, & relinquente maculam in anima physico-moralem, per ea, quæ tradidi cum Thomistis in *Tr. de peccatis:* ubi in specie Scotistarum sententia, peccatum habituale in sola obligatione ad pœnam constituentium, rejecta fuit. Quamdiu igitur illa privatio cum prædicta macula non aufertur, tamdiu est impossibilis peccati remissio: ad hoc autem indispensabiliter opus est infusione gratiæ: nam vel macula peccati animæ intrinseca, & à gratiæ privatione indistincta duraret (facta extrinseca condonatione culpæ) vel tolleretur? Si duret: ergo manet aversio habitualis à DEO, manetque causa odibilitatis, & indignationis Divinæ, cum qua non stat remissio culpæ, & reconciliatio: si verò non duret, quæro, per quid auferatur? Non per voluntatem seu condonationem extrinsecam: urgeo enim: physica privatio lucis in aëre nequit tolli per solam DEI voluntatem extrinsecam, sed debet tolli per positionem formæ oppositæ, quæ est lux: ergo nec macula privativa gratiæ, quæ similiter est privatio physica gratiæ, ceu formæ inesse debitæ in anima, tolli valet sine positione & infusione talis formæ. Urgeo magis: cæcitas, utpote privatio physica, & intrinseca, per solam voluntatem DEI extrinsecam, & per DEI potentiam etiam absolutam (manente, & non destructo subjecto) nequit auferri ab oculo, nisi per restitutionem potentiæ visivæ, & hoc ex natura oppositionis privativæ: & quia denominatio intrinseca non potest tolli, quin illius constitutivum intrinsecum deficiat. Ergo idem admittendum erit de ablatione aversionis, maculæ, & privationis gratiæ: nam D. Thom. ipse hanc paritatem pro stringente approbat, *q.* 28. *de Verit. art.* 2. ad propositam quæstionem: *Num peccatorum remissio possit esse sine gratia*, dicendo, quòd *remissio peccatorum nullo modo sine gratia gratum faciente esse* possit. Rationem hujus asserti redditurus, *tria sunt,* subjicit, *ratione quorum sine gratia remissio fieri non potest, aversio, offensa, & reatus. Non potest prædicta aversio removeri, nisi fiat conjunctio: hæc conjunctio non est nisi per gratiam: unde ad sanandam prædictam aversionem requiritur gratiæ & charitatis infusio, sicut ad sanationem cæcitatis requiritur restitutio potentiæ visivæ.*

144. Arguis primò: ab homine existente in gratia ablatio gratiæ necessariò non requirit introductionem peccati in animam: ergo nec ablatio peccati necessariò requirit introductionem gratiæ. Secundò: Quia inter album & nigrum stat solùm mediata oppositio, in quantum ex albo potest fieri non album absque introductione nigredinis, scilicet si in subjectum album, v. g. tabulam, color alius intermedius, v. g. cæruleus, viridis, aut fuscus ponatur, benè arguimus, unum extremum tolli posse, quin expulsio dependeat ab altero extremo in idem subjectum introducendo: Ergo etiam peccatum tolli potest vel remitti absque gratia; quia unius extremi cum altero oppositio est solùm mediata: suppositum consequentis liquet ex eo, quia inter gratiam, & inter ejus privationem, in qua consistit peccatum habituale, datur negatio seu carentia negativa gratiæ. Unde tertiò instabis cum Suario: privatio, seu macula privativa potest cessare, & velut migrare in puram negationem: tunc ergo non debebit tolli per gratiam. Ant. prob. in casu, quo DEUS ex. gr. Petrum ad statum supernaturalem decerneret elevatum usque ad sex tantùm annos à tempore usûs rationis, & Petrus intra hoc tempus mortaliter peccaret. Duret hoc peccatum habituale ultra sextum annum; nónne privatio, quæ hactenus erat constitutiva peccati habitualis cum respectu ad actum peccati præteritum, cessaret? quandoquidem carentia gratiæ, tanquam formæ Petro posthàc indebitæ, transiret in puram negationem. Quartò: DEUS obligationem voti sola extrinseca remissione condonare potest. Quintò: Valor monetæ recipit mutationem per solam voluntatem & ordinationem extrinsecam Regis.

145. Resp. ad primum dispar. alibi jam fuisse indicatam, scil. in *q.* 1. *hujus Tr.* Sicut dilectio hominis in homine dilecto nihil ponit effectivè, sed est merè affectiva; ita remissio offensæ & redintegratio amicitiæ nihil ponit intrinsecè & effectivè in offendente, cui injuria & offensa ab offenso condonatur. Imò offensor ab offenso potest diligi cum condonatione offensæ, dum vel actu injuriam infert, vel habitualiter in odio concepto perseverat. Quòd econtra offendens DEUM intrinsecè deordinetur à DEO, & gratia privetur tanquam formâ intrinsecâ, & contrahat intrinsecam indignitatem omnis boni Divini & dilectionis, jam sufficienter ostensum est. Cæterùm, tametsi Dominus DEUS sola voluntate cedere possit juri suo, ut pœnam æternam remittat peccatori, & nullam ab eo satisfactionem exigat: quia liberum est DEO, velítne reum pœnæ executioni cruciatûs actu deputare, vel pœnam decreto clementissimo suspendere ac remittere; hoc tamen non est simile quoad cessionem juris, ut peccatorem possit pro arbitrio odisse vel non odisse, quamdiu privatione gratiæ ùt inducta à peccato præterito manet intrinsecè maculatus: neque enim hæc macula physico-moralis, per quam peccator intrinsecè constituitur in ratione objecti odibilis, sola voluntate, & ordinatione extrinseca DEI auferri valet.

146. Ad secundum & tertium patet responsio ex dictatis in *Tr. de Peccat.* ubi concessimus, equidem inter gratiam sanctificantem & peccatum mortale, seu gratiæ illius privationem dari oppositionem solùm mediatam, si abstrahamus à statu elevationis de providentia moderna; quia potest dari status naturæ puræ, in quo homo careret gratia sanctificante, & tamen posset esse sine peccato: negavimus autem, illam oppositionem

esse solùm mediatam, si loquamur in suppositione elevationis ad ordinem supernaturalem, in qua defactò sumus: in hoc enim statu quilibet vel est in gratia, vel in peccato, & hoc non nisi per illam deleri potest. Vid. S. D. *q.* 28. *de verit. art.* 2. *ad* 5. Hinc Salmanticenses Carmelitæ *Tractat.* 15. *de Justif. disp.* 2. *à n.* 154. casum & argumentum Suarii non immeritò incusant, quòd in illo varietur status præsentis difficultatis, quæ procedit in suppositione prædictæ elevationis, & absque restrictione ad certum tempus, post quod status ille cesset, gratia ex debita fiat homini prorsus indebita, & inducatur status naturæ puræ. Deinde adnotant discrimen inter privationes purè physicas, & inter physico-morales. Prioris generis privationes attenduntur præcisè penès hoc, quòd forma opposita sit de præsenti *debita;* posterioris verò generis privationes non attenduntur penès hoc, quòd forma opposita sit de præsenti debita, sed considerandum est, an forma fuerit debita eo tempore, quo privatio moralis fuit inducta: hoc namque debitò observatò, carentia formæ servat rationem privationis tamdiu, donec per formam destruatur. Exemplum adducunt in comedente carnes die prohibito: talis incurrit carentiam conformitatis moralis ad legem tunc obligantem, eaque carentia est quædam privatio & macula moralis; nec per hoc ex privatione fit pura negatio conformitatis cum lege, quòd sequentibus diebus, in quibus carnium comestio fit licita, perseveret. Demum, ad refellendam objectionem præsentem Theolog. Salisb. hìc *disp.* 8. *art.* 3. *in fin.* concedit equidem, ex mediatè oppositis posse extremum positivum expelli sine introductione alterius membri oppositi, negat autem, extremum privativum expelli posse sine introductione extremi positivi: quia in privativè oppositis formæ, seu extremo positivo respondet duplex extremum oppositum, videlicet, unum contradictorium, seu negatio & non esse formæ, v. gr. gratiæ: alterum privativum, sive carentia formæ in subjecto apto, cui forma deberet inesse, & abesse privatio. Econtra tam negationi quàm privationi correspondet unicum extremum positivum tanquam oppositum, & tanquam forma: per consequens nec negatio nec privatio per aliud expelli possunt, quàm per formam; quæ tamen vel per negationem, vel per privationem destructioni exponitur.

147. Ad quartum dico, obligationem voti voventi non esse aliquam privationem intrinsecam, quæ tolli debeat per formam oppositam, qualis privatio est peccatum habituale mortale: sed esse vinculum quoddam morale tamdiu perdurans, quamdiu DEUS, vel superior aliquis, cui voluntas voventis subjecta est, illud ratihabet: dispensando autem seu relaxando obligationem, vinculum morale non ampliùs ratihabet. Similiter

148. Ad quintum Resp. per se patere, quòd valor extrinsecus monetæ, qui scilicet publica auctoritate imponitur, sit quid merè extrinsecum morale, sicque augeatur vel diminuatur ex ordinatione publica.

149. Argumentum aliud contra nos formari posset ex satisfactione rigorosa Christi: siquidem DEUS eandem acceptando peccata nobis remittere censetur per formam & voluntatem extrinsecam. Confirmatur: nam pro priori ad infusionem gratiæ DEUS, propter satisfactionem rigorosam Christi est obligatus ex justitia, ut se non gerat ùt offensum. Resp. Compend. Salmantic. hìc *disp.* 1. *dub.* 3. *sub num.* 20. hoc argumentum esse ruinosum ex multis capitibus: primò quia non distinguit prioritatem satisfactionis Christi respectu remissionis culpæ, & infusionis gratiæ: secundò, quia non distinguit inter applicationem meritorum Christi quoad sufficientiam, & quoad efficaciam. Tertiò: quia non commemorat tempus, pro quo applicatur passio seu satisfactio Christi, & à DEO quoad sui efficaciam acceptatur. Et hinc objectum argumentum suo robore destituitur. Nam satisfactio Christi, licèt materialiter & in *esse entis* præcesserit plurima peccata, non tamen causat remissionem illorum, nisi in quantum causat *satisfactoriè*, & *meritoriè* gratiam remissivam peccati & offensæ: aliàs in eodem instanti, quo peccatum committitur, remitteretur, & anteà; quod est Chimæricum. Unde eadem satisfactio à Christo non fuit applicata efficaciter, nec à DEO efficaciter acceptata, nisi pro instanti, quo gratia infunditur, & peccatum remittitur: & ita tantùm dicit prioritatem *à quo*, & similem ei, quam actus Divinus remittens peccatum, & causans gratiam dicit respectu infusionis gratiæ & remissionis culpæ.

150. Nec aliter satisfactio à Christo applicatur, & à DEO acceptatur ad remissionem culpæ, nisi quatenus applicatur priùs, & acceptatur ad productionem gratiæ, mediante quâ debet fieri remissio ex rigore justitiæ, & solvi debitum quoad pœnam æternam, & satisfactionem æqualem. Cujus signum est, quòd licèt memorata satisfactio sit superabundans, adhuc tamen in multis non remittatur tota pœna, DEO & Christo decernentibus, quòd remissio non fiat nisi dependenter à satisfactione tali quali peccatoris, ac proinde dependenter à mutatione intrinseca illius.

151. Posset hìc, more quorundam, specialis controversia moveri, an saltem in statu naturæ puræ peccatum mortale sola extrinseca DEI condonatione remitti possit? Negativa videtur Divo Thomæ placere: quia in *quæst.* 28. *de Virtut. art.* 2. *ad* 5. dicit: *Si à solo statu naturæ decidisset homo; nihilominùs tamen ad expiationem infinitæ offensæ donum Divinæ gratiæ requireretur:* Rationem dat Theol. Salisburg. *loc. cit. art.* 3. *§.* 1. quòd offensâ mortalis ex sua natura habeat oppositionem cum omni

omni amicitia DEI tam naturali quàm supernaturali; quia DEUS, ùt est in seipso offenditur; in seipso autem non tantùm est Author naturæ, sed etiam gratiæ, nec solùm finis ultimus naturalis, sed etiam supernaturalis: igitur ad destructionem offensæ etiam in præfato statu necessaria fuisset forma reparativa amicitiæ supernaturalis.

152. Contrariam tamen Sententiam Magnific. P. Pettschacher judicat probabiliorem, ex ratione, quòd, cùm peccatum mortale habituale tunc non consisteret in privatione gratiæ, utpote quæ homini esset indebita sicuti & ipsa conversio habitualis in DEUM ùt finem ultimum supernaturalem foret indebita, non appareat, cur peccatum remitti deberet per gratiæ infusionem; & propria statui naturæ puræ media non suppeterent. Ergo hanc controversiam in præsenti indecisam relinquo.

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

### *Utrùm Gratia sanctificans & Peccatum saltem de potentia DEI absoluta in eodem subjecto consistere possint?*

153. Variæ hic sunt Doctorum subtilitates & Sententiæ. Prima & celebrior est Scotistarum, gratiam solùm in esse *gratiæ*, & ex lege, seu ordinatione DEI, non verò ex sua natura, & in *esse* qualitatis cum peccato mortali oppositionem habere, propugnantium. Altera est Suarii *lib. 7. de Grat. cap. 19. & seq.* & aliorum, qui docent, gratiam cum peccato lethali opponi quidem ex natura rei, non tamen metaphysicè, & essentialiter, sic, ut saltem per miraculum, & de potentia DEI absoluta possint in eodem simul consistere. Tertia est Thomistarum, cum quibus sit

154. Assertio nostra: gratia sanctificans probabiliùs nec de absoluta DEI potentia cum peccato mortali sive habituali, sive actuali in eodem subjecto coëxistere potest. Est consequentia doctrinæ Thomisticæ, hactenus traditæ.

155. Prob. Assertio: generaliter tum contra Scotistas: tum contra Suaristas: nulla forma suaptè naturâ privativè opposita cum peccato mortali potest cum illo coëxistere in eodem subjecto, etiam per miraculum & spectatâ potentiâ DEI absolutâ: Gratia habitualis suâpte naturâ, & qualitate intrinseca est absolutè & indistinctè forma cum peccato mortali privativè opposita: ergo &c. Maj. est certa per instantias in physicis. Min. prob. inprimis ex illo 2. ad Cor. 6. *Quæ Societas lucis ad tenebras?* & ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino:* ubi status gratiæ per Christum introductus cum statu opposito comparatur ùt lux & tenebræ, inter quas utique intercedit oppositio privativa: item 1. Cor. 15. per illum tex. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes vivificabuntur:* unde gratia ex Christo oriunda, & peccatum ex Adamo relictum, comparantur ùt mors & vita. Huc pertinent varii Patrum textus. Deinde ex ratione simul & auctoritate Trid. Conc. *Sess. 6. de Justif.* sic insto. Est innegabile, quòd quilibet homo conceptus in peccato originali careat sanctitate, & justitia, quæ, si Adam non peccâsset, fuisset in ipsum transfundenda & vitam supernaturalem in quolibet radicâsset: item, quòd peccatum illud sit mors animæ, cuique insit ùt proprium, & sic quilibet propriam *injustitiam* contrahat ex defectu justitiæ seu gratiæ originalis propter culpam, à capite generis humani commissam, animæ in instanti unionis cum corpore omnino denegatæ. Hinc in *tract. de peccat.* ostendimus, esse damnatam illam propositionem, quæ tenebat, quòd, transacto actu peccati, nihil remaneat, quàm reatus seu condignitas ad pœnam. Ex quo infertur, hominem concipi & nasci cum carentia physica formæ sanctificantis intrinsecè & supernaturaliter vivificantis: cumque forma illa fuisset debita, & fuerit per peccatum ejus transfusio impedita, illa carentia est non præcisè privatio physica, propter absentiam formæ physicæ, sed etiam moralis, quia voluntaria in capite. Ulteriùs: in prædicta carentia physicomorali justitiæ seu gratiæ originalis formaliter consistit peccatum originale. Consistit namque in intrinseca injustitia opposita justitiæ: nónne autem justitia illa est ipsissima gratia justificans, gratum DEO, amicum, & filium DEI ex sua natura & officio constituens? Nec proinde confugere licet ad distinctionem, quòd gratiæ hæc prædicta conveniant non in *esse* qualitatis seu entitatis physicæ, sed sumptæ in *esse gratiæ*, in quantum includit decretum DEI peccati remissivum: Hoc siquidem pugnat cum Conc. Trid. quod gratiam (quæ nobis *infunditur*, *renovat* interiùs hominem, *conservatur* & *augetur)* pro unica & sola causa justificationis assignat. Sed utique favor, lex, & decretum DEI extrinsecum, in quo Adversarii gratiam in esse gratiæ constituunt, non sunt id, quod nobis infunditur, renovat hominem interius, conservatur, augetur, sed ista propriissimè conveniunt gratiæ in sua entitate, & nativa qualitate: ergo ratio justitiæ originalis, sanctificantis, justificantis, vivificantis, adoptantis, &c. conveniunt gratiæ in sua qualitate nativa seu entitate spectatæ. Quo semel probato, concluditur, gratiam ex sua natura esse formaliter oppositam peccato originali (consequenter & personali) atque peccati exclusivam, & tam parum hæc stare posse simul in eodem subjecto, quàm parum possunt lux & tenebræ, vita & mors.

156. Corroboratur argumentum: primò, est impossibile, effectum formalem, utpote

pote in recto indiſtinctum à forma, non communicari ſubjecto capaci, quando communicatur ipſa forma, aliàs poſſet lux poni in aëre, quin aërem redderet lucidum, vel albedo poni in pariete, eumque non reddere album. Secundò, eſt impoſſibile, effectus formales privativè oppoſitos, quales ſunt eſſe intrinſecè maculatum, & non maculatum intrinſecè, juſtum intrinſecè & injuſtum, dignum dilectione DEI vitaque æterna, & ſimul intrinſecè indignum, ſed dignum odio, & morte æterna, converſum in DEUM ùt finem ultimum, ac ſimul averſum ſimpliciter &c. Tertiò: quando Concil. Trid. loquitur de infuſione habituum fidei, ſpei, & charitatis, loquitur de illis ùt qualitatibus, & entibus realibus, & non prout complentur per legem, aut favorem extrinſecum, &c. Ergo nec aliter intelligenda ſunt verba Concilii loquentis de gratia ſanctificante &c. ejus virtute, efficacia, & perfectione in negotio juſtificationis. Quartò, lumen gloriæ ab intrinſeco præſtat ſuum munus, & effectum formalem. Quintò: Si ſtante gratia in Petro (qui per actum contritionis & charitatis ſe ad eam diſpoſuit) per DEI potentiam poſſet impediri effectus expulſionis peccati ſive originalis, ſive perſonalis; peccatum præteritum ipſi non maneret voluntarium, ſicque non ampliùs ab ejus voluntate penderet: per quid ergo perſeveraret? aut quis maculam intrinſecam conſervaret? Non voluntas creata, ùt dictum eſt: ergo (quod tamen repugnat) ſola Divina voluntate, quæ vellet gratiam infundere, & nollet peccati maculam deleri, ſubſiſteret. Sextò: Natura Divina, tanquam radix ſanctitatis per eſſentiam, opponitur ab intrinſeco cum peccato mortali & veniali: ergo gratia tanquam Divinæ naturæ & radicis illius participatio accidentalis ab intrinſeco opponitur cum peccato ſaltem mortali. Septimò demum pro noſtra ſententia ſtat auctoritas D. Thomæ *qu.* 28. *de verit. a.* 6. *in Corp.* ubi, *abſentia gratiæ*, ait, *ſecundùm ſe conſiderata habet tantùm rationem pœnæ, non autem rationem culpæ, niſi ſecundùm quod relinquitur ex actu voluntatis præcedente: ſicut tenebra non habet rationem umbræ, niſi ſecundùm quod relinquitur ex interpoſitione corporis opaci.* Adde text. ex *q.* 3. *de potent. a.* 6. *ad* 23. *Macula* (peccati habitualis) *in anima non ponit naturam aliquam ſed ſolam gratiæ privationem: tamen cum reſpectu ad actum peccati præcedentem, qui hujus privationis cauſa fuit, vel eſſe potuit.* Mirum eſt, ſi Suarez & alii RR. qui, extra materiam gratiæ actualis & Prædeſtinationis veſtigia Sancti Doctoris ſe premere profitentur, textus tam claros non viderint. His autem viſis, oppoſitio privativa inter gratiam habitualem & peccatum habituale tam apertè aſſerta eos latere non potuit: ergo nec incompatibilitas utriusque, contra quam nec de potentia DEI ullum remedium ſupereſt: non enim in DEO adſtruenda eſt potentia chymerica, qua duo contradictoria poſſit combinare ſcil. *eſſe* & non *eſſe* reſpectu ejusdem.

157. Ex his colligitur, nec peccatum actuale cum gratia ſanctificante in aliquo inſtanti reali conſiſtere: cùm enim peccatum actuale eſſentialiter, & quaſi effectivè inferat peccatum habituale, atque adeò ipſam gratiæ privationem voluntariam, ſaltem mediatè cum gratia opponitur.

158. Arguis primò: Effectus ſecundarius abſolutè eſt ſeparabilis à forma: at expulſio peccati reſpectu gratiæ eſt effectus ſecundarius: nam ſi eſſet primarius, deberet conſiſtere in aliquo poſitivo. Ergo &c. Secundò: Eſſe Filium DEI adoptivum eſt effectus ſecundarius, & ideò ſeparabilis à gratia, ùt patet in Chriſto: ergo etiam facere juſtum, & expellere peccatum. Tertiò: Non eſt idem, eſſe formam, & dare effectum formalem: iſte enim exurgit ex forma & ſubjecto apto: atqui aptitudo ſubjecti per peccatum poteſt impediri: igitur & effectus formalis gratiæ poterit per peccatum impediri. Min. prob. quia per peccatum ſubjectum fit exors Divinæ naturæ: Ergo implicat, ut per gratiam in ſenſu compoſito peccati fiat conſors naturæ Divinæ. Quartò: nulla cauſa exigit eſſentialiter effectum ſe ipſa nobiliorem. Atqui remiſſio unius peccati eſt effectus incomparabiliter nobilior, quàm omnis poſſibilis gratia. Ergo nulla gratia exigit eſſentialiter remiſſionem unius peccati. Ergo quævis gratia poteſt de abſoluta potentia componi cum peccato, ſic ſaltem, ut effectus formalis gratiæ per peccati conjunctionem impediatur. Quintò: Calor *ùt octo* videtur habere majorem oppoſitionem cum frigore ùt octo, quàm peccatum cum gratia; & tamen per miraculum, ſive de potentia abſoluta duæ illæ qualitates poſſunt ſe compati in eodem ſubjecto: Ergo multò magis peccatum & gratia, præſertim ſi gratiæ effectus formalis ſuſpendatur. Ant. colligitur ex eo, quòd eadem actio, quæ calorem ùt octo producit, ſufficiat ex ſe ad expellendam frigiditatem: econtra verò actio, qua remittitur peccatum, ſit alia ac diverſa ab illa, qua infunditur gratia: ait enim Trid. Concil. *Seſſ.* 6. *cap.* 7. quòd juſtificatio non ſit ſola peccatorum remiſſio ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam gratiæ, ſuſceptionem, & donorum. Qui modus loquendi remiſſionem peccati, & infuſionem gratiæ tanquam duo diſtincta commemorat.

159. Ad primum Reſp. Non procedere generaliter, quòd forma poſſit privari ſuo effectu ſecundario: exemplum allegant in forma cadaverica, quæ, ne formam viventem excludat, ne quidem divinitùs impediri valet. Neque forma lucis impediri poteſt, quin tenebras expellat. Argumentum ſingulariter non ſtringit, quando effectus ſecundarius formæ conſiſtit in tollenda privatione ipſius formæ, qualis effectus eſt expulſio peccati comparativè ad formam gratiæ. Faciliùs ergo conceditur ſeparabilitas formæ ab

ab effectu secundario, quando consistit in expulsione formæ positivæ.

160. Ad secundum Resp. In persona extranea filiationem adoptivam supernatur. ord. utut dicatur effectus secundarius gratiæ, non esse separabilem, licèt sit separabilis (propter incapacitatem subjecti, quod debet importare carentiam filiationis naturalis) in homine DEO.

161. Ad tertium neg. min. ad illius prob. conced. totum Enthymema: Sed nego suppositum, quòd adveniente gratia possit manere carentia participationis naturæ Divinæ, utpote quæ per infusionem gratiæ tam necessariò expellitur, quàm carentia lucis per illuminationem.

162. Ad quart. neg. iterum min. quæ denuò falsò laborat supposito, quasi nempe remissio peccati seu justificatio non esset realiter formaliter ipsa forma gratiæ: cùm tamen expulsio alicujus carentiæ nihil sit aliud, quàm ipsa forma, cujus priùs dabatur carentia. Certè quàm inseparabilis est à luce expulsio tenebræ, tam inseparabilis est à forma gratiæ remissio & expulsio peccati mortalis.

163. Ad quint. neg. ant. Calor namque & frigus sunt duæ formæ positivæ, & contrariè, non privativè oppositæ. Hinc ad expellendam frigiditatem non sufficit, quòd calor introducatur, sed insuper requiritur suspensio concursûs Divini, quo frigiditas antea conservabatur: hic ergo concursus suspendi potest, & sic per miraculum utraque forma in eodem subjecto consistere. Aliter se habere infusionem gratiæ ad expulsionem peccati, ex dictis liquet. Unde & illud falsum est, quòd præter actionem Divinam quâ producitur gratia Divina in peccatore justificando, alia requiratur, quâ expellatur peccatum, uti patet in introductione lucis, quæ sine alia distincta actione tenebras dispellit.

# QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

## *Possitne homo sine peculiari revelatione certus esse de gratia & sua justificatione?*

164. AFfirmativam tenet Lutherus suis cum asseclis, erroneè docens, ad consequendam peccatorum remissionem requiri, ut homo credat certò & absque hæsitatione, peccata sibi esse remissa. At

165. Assertio cum orthodoxis, & D. Th. hic *q.* 112. *artic.* 5. est negativa. Definiit hoc SS. Synodus Trid. contra hæreticos *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 9. ibi: *sed neque asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absque ulla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de DEI promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de DEI misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest; cùm nullus scire valeat certitudine fidei (cui non potest subesse falsum) se gratiam DEI esse consecutum.* His additur in *Can.* 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, *nisi hoc ex speciali revelatione didicerit*, anathema sit. *Sunt justi* (legitur apud Ecclesiast. *cap.* 9. *v.* 1.) *atque sapientes, & opera eorum in manu DEI:* & *tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta* &c. Ratio assertionis est, quòd ubi una ex præmissis est fallibilis, & dubio obnoxia, ibi illatio seu conclusio non possit esse infallibilis, & indubitata.

166. Vis te certum reddere de justificatione à peccato: sic discurres: quicunque cum idonea dispositione recepit Sacramenta, & perfectè contritus fuit, recepit justificationis gratiam: Ego cum idonea dispositione, & ùt perfectè contritus, recepi Sacramenta: Ergo recepi justificationis gratiam. Maj. est certissima: minor incerta: cùm non sis certus nec de sincera ministri intentione, nec de supernaturalitate tuæ attritionis aut contritionis: quandoquidem (ùt hic notat Grandin *tr. de Grat. quæst.* 4. *art.* 5.) actus naturales, quantum experiendo cognosci potest, supernaturalibus sint valde similes, & nonnunquam motivum supernaturale videatur esse, ubi tantùm naturale est, veluti patet ex hæreticis, qui mysteria revelata fide Christiana se credere existimant, & tamen non credunt.

167. In contrarium obstare videtur primò illud ad Rom. 8. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quòd sumus Filii DEI. . . . Certus sum enim; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo JESU.* Secundò illud Div. Augustini *lib.* 8. *de Trin. cap.* 8. Diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem: magis enim novit dilectionem, quâ diligit, quàm fratrem, quem diligit: „ Et *lib. de Medicina pœnitentiæ cap.* 2. ait: „Dimitte nobis debita nostra, non dicimus, pro peccatis, quæ remissa credimus in baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus.„ Tertiò, sicut scientia est donum DEI, ita & gratia. Sed qui à DEO scientiam accipit, scit se scientiam habere secundùm illud Sap. 7. *Dominus dedit mihi horum, quæ sunt, veram scientiam.* Ergo pari ratione, qui accipit gratiam à DEO, scit, se gratiam habere. Quartò, ut aliquis licitè suscipiat aliquod Sacramentum vivorum, debet esse securus, quòd sit in statu gratiæ. Quintò: ex nostra Conclus. sequitur, omnes semper esse dubios, hæsitantes, & anxios, an sint in gratia.

168.

168. Antequam contrariis satisfiat, prænoto, quosdam, ut Sylvium in 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 5. & Paul. à Concept. citra revelationem posse justum de sua justitia habere certitudinem quandam moralem, quæ quidem non excludat potentiam formidandi de statu contrario, actualem tamen formidinem, anxietatem & hæsitationem excludat. Sylvius tamen hanc certitudinem vocat non simpliciter moralem, sed confundit cum conjecturali; istoque in sensu loqui censet D. Thom. in *cit. quæst.* 112. *art.* 5. *in C. ubi tertio modo*, ait, *cognosci aliquid conjecturaliter per aliqua signa: & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scil. percipit, se delectari in DEO, & contemnere res mundanas: & in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Secundùm quem modum potest intelligi illud Apocal.* 2. *v.* 17. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi ille, qui hoc accipit, novit scilicet per quandam experientiam dulcedinis. Hæc fere in terminis S. Doct. Sylvius dicit, posse quem se in gratia constitutum bona cum fiducia existimare, quando probabiliter arbitratur, se pro modulo suo conscientiam examinâsse, concepisse sincerum dolorem de peccatis suis, legitimè confessum esse, cum congrua dispositione Sacram Eucharistiam sumpsisse; & quando, re bene discussa, se non reperit alicujus peccati mortalis conscium, sed è contrario velle peccata omnia vitare, bonis operibus seriò incumbere, DEOque placere. Verùm hæc cognitio est imperfecta: ideò Apost. ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Nunc

169. Resp. ad primum & secundum Apostolum ibi in primo textu non loqui de justis singulatim, sed generatim, seu de tota Ecclesia, quam ibi cum Synagoga comparat, quòd nimirum de Ecclesia Christi Spiritus Sanctus testetur, eam habere spiritum adoptionis seu amoris, Synagogam verò habuisse spiritum timoris. In altero text. supponimus, S. Paulum de sua gratia & charitate fuisse speciali revelatione certificatum, vel ibi certitudinem sumi solùm pro magna seu vehementi persuasione & confidentia. Quoad primum text. ex Div. August. objectum dicit Grandin hic *q.* 4. nomine dilectionis non intelligi actum diligentis, sed DEUM ipsum significari, qui pluribus titulis, quàm proximus cognoscitur. In altero text. per verba: *Credimus peccata remissa*, idem denotatur, *ac confidimus.*

170. Ad tertium Resp. S. Doct. 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 5. *ad* 2. donum scientiæ, sicuti & donum fidei, in intellectu existere & ad ejus perfectionem pertinere; & ideo earum rerum, quarum quis habet scientiam vel fidem, certitudinem in intellectu requiri: non autem esse parem rationem de illis donis, quæ vim appetitivam perficiunt. Porrò, dum 1. *Cor.* 2. dicitur, *nos accepisse Spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis*, idem S. Doct. *loc. cit. ad* 4. Apostolum explicat, quòd loquatur de donis gloriæ, quæ sunt nobis data in spe, quæque certissimè cognoscimus per fidem, licèt per certitudinem non cognoscamus gratiam, per quam nos possumus ea promereri: vel quòd loquatur de notitia privilegiata per revelationem: quia Paulus subdit: nobis autem revelavit DEUS per Spiritum Sanctum.

171. Ad quart. Resp. Sacramenta vivorum licitè recipi, dummodo quis judicio practico judicare possit, eorum usum sibi hic & nunc esse licitum, adeoque cum dubio practico non accedat: licet enim is, qui cum dubio practico statûs peccati mortalis accedit, periculo peccati se exponat, non tamen ille, qui solùm cum aliquo timore: dubitare quippe, est habere animum suspensum, nec magis in unam quàm alteram partem flexum: timere verò stat cum judicio, hoc vel illud bonum ac licitum esse, propter rationem probabilem, quamvis non omnino infallibilem: imò, qui se nullius peccati mortalis conscium reperit, poterit facilè judicium formare, se probabilius in statu gratiæ esse (v. gr. post depositam Sacramentalem Confessionem) quàm in statu peccati mortalis. Notat verò Grandin *loc. cit.* Timorem admitti posse, non tamen anxietatem, quæ animum turbare debeat: neque ubicunque datur locus formidini, datur eò ipsò locus anxietati: Ex. gr. dum per vicos transis, formidare potes, ne quid desursum decidat; non sic tamen anxius esse debes, ùt Æschylus ille, qui monitus, ex ictu superno sibi moriendum esse, tectum omne vitans sub dio manebat. Ex his Responsio constat ad quintum, & plura alia.

## Resolutio quorundam Dubiorum.

172. DUbium primum: Possitne, spectata potentiâ absolutâ, homo adultus per gratiam justificari absque omni motu liberi arbitrii, peccatum mortale præteritum retractantis, & detestantis? Resp. affirmativè: Ratio est, quòd defactò parvuli per Baptismi gratiam à peccato originali mundentur, & justificentur, quin præcedat, vel concurrat aliquis actus voluntatis, quo peccatum illud retractent, sicque ad justificationem sese disponant: quemadmodùm igitur voluntas parvulorum per gratiam ex opere operato, & virtute meritorum Christi infusam, tanquam per principium nostræ conversionis in finem ultimum supernaturalem æquivalenter retractatur, & habitualiter in DEUM convertitur, non obstante, quòd peccatum originale voluntarietate aliena scilicet Capitis Adami ipsis anteà fuerit habitualiter voluntarium, nec unquam actu retractatum retractatione capitis, ita idem de absoluta DEI potentia quoad adultum fieri posse,

posse, asserendum est, ut sine retractatione actuali propria peccati sui personalis justificetur per gratiæ infusionem sive intra sive extra Sacramentum Baptismi. Hocque confirmatur in physicis, eò quòd DEUS, si absolutè velit, nullis præmissis vel concomitantibus dispositionibus, formam in subjecto ponere queat. Magnif. P. Pettschach. *de Justif. thes.* 15.

173. Dubium secund. Utrùm **justificatio** impii sit maximum opus DEI? **Resp.** sub distinctione: Ex parte modi agendi opus creationis est maximum: quia ex nihilo fit aliquid: ex parte autem termini, seu illius, quod fit, majus opus est justificatio impii, quàm creatio Cœli & terræ: quia justificatio terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis. Majus opus est, inquit Divus Augustinus *tr.* 22. *in Joan. ut ex impio justus fiat, quàm creare Cœlum & terram. Cœlum & terra transibunt; prædestinatorum autem salus & justificatio permanebunt.* Hinc Psal. 44. canitur: *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Si instes, per glorificationem obtineri gratiam patriæ, quæ major est gratiâ in via. Replico: si magnitudo spectetur secundùm quantitatem absolutam, donum gloriæ majus esse dono gratiæ: si verò attendatur quantitas proportionis, tunc donum gratiæ justificantis majus esse dono glorificantis: quia donum gratiæ plus excedit dignitatem impii, qui erat dignus pœnâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi, qui est dignus gloriâ. Divus Thom. hìc *quæst.* 112. *art.* 9.

174. Dub. tert. An gratia habitualis producatur per creationem: an per eductionem? **Resp.** produci per eductionem ex potentia obedientiali animæ, & quidem à solo DEO efficienter ùt causa principali; ab actibus verò supernaturalibus adulti justificandi solùm dispositivè. Nam *Rom.* 8. dicitur: *DEUS est, qui justificat.* Quòd verò producatur per eductionem, colligitur ex natura accidentis: quemadmodùm enim reliqua accidentia, quia non sunt formæ, quæ independenter à subjecto (connaturaliter saltem) existere possunt, fiunt per eductionem, hoc est cum dependentia à subjecto præsupposito: ita res se habet cum productione gratiæ, ùt accidentis supernaturalis, educibilis ex potentia non naturali, sed obedientiali animæ rationalis. Et hinc etiam gratia perit, non per annihilationem, sed per corruptionem. Cæterùm Christus non solùm habet rationem causæ principalis, moralis, seu meritoriæ de condigno respectu gratiæ & justificationis, in quantum actus infiniti valoris Patri pro nobis obtulit, verùm etiam est ejus causa physica instrumentalis per humanitatem suam tanquam instrumentum Divinitati substantialiter conjunctum. Sic docet Divus Thom. hìc *q.* 112. *art.* 1. concludens: *Cùm gratia omnem naturæ facultatem excedat, eò quòd nihil aliud sit, quàm quædam participatio Divinæ naturæ, quæ omnem aliam naturam excedit, à nullo, nisi à DEO causari potest, scilicet principaliter.* Et statim in Resp. ad prim. subdit, humanitatem Christi esse sicut quoddam organum Divinitatis ejus: instrumentum autem non agat actionem agentis principalis propria virtute: sed virtute principalis agentis: & ideò Humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute Divinitatis adjunctæ, ex qua actiones Humanitatis Christi sunt salutares.

# QUÆSTIO ULTIMA.

## *An sit possibilis Status Naturæ puræ: Etiam de Potentia DEI ordinaria?*

175. Status hominis theologicè consideratus secundùm diversitatem virium, & per ordinem ad operationes, variatur, estque quadruplex.

176. Primus status hominis dicitur *Status Naturæ puræ:* de quo statim videbimus, an sit possibilis? In illo si aliquis homo conderetur, ille careret omni dono non solùm supernaturali, elevante ad statum gratiæ, & gloriæ, simulque opposito peccati malo: verùm etiam omni dono naturali superaddito, seu indebito; instructus tamen foret quâvis perfectione connaturaliter suæ naturæ rationali debitâ, habiturus DEUM pro fine ùt Authorem naturalem duntaxat. Inter perfectiones seu dona naturaliter tunc debita homini in puris naturalibus, ùt loquuntur, constituto, creato, vel generato, Auctor naturæ mox quarumlibet scientiarum, virtutumque habitus, pro statûs sui decenti regimine & conservatione magis necessarios, communicaret, vel ad minùs media ac subsidia, ad habitus hujusmodi brevi temporis spatio propriis actibus comparandos sufficientia, ac proportionata: Idque aliqui maximè ex eo arguunt, quòd Status Naturæ puræ hominis sic conditi perfectionem tam quoad corpus, quàm quoad animam statim à prima productione exigeret. Homo tamen in prænominato statu non foret exemptus à vitæ humanæ ærumnis, ùt sunt fames, sitis, labor, morbi, ipsaque mors; imò & ignorantiæ, variisque difficultatibus quoad bonum honestum ordinis naturalis sectandum, nec non motibus appetitûs concupiscibilis maneret obnoxius.

177. Alter status, quem appellant *naturæ integræ*, si daretur, similiter sphæram ordinis naturalis, prout opponitur ordini supernaturali, non transcenderet, sed ultra Statum Naturæ puræ, & quod iste importat de positivo, superadderet donum integritatis cum perfectionibus naturalibus, indebitis tamen, potentias hominis, qui in tali statu conderetur, ita roboraturis, ut superior rationis portio esset subjecta DEO tanquam Principi & fini naturali, pars verò inferior & sensitiva subjiceretur rationi, scil. intellectui & voluntati, ut (secun-

(secundùm explicationem Redingi hic *q.* 2. *a.* 2. *n.* 3.) per virtutes & auxilia specialia, *secundùm substantiam* tamen naturalia, impediretur, ne contra rationem insurgeret, vel saltem (secundùm aliorum expositionem) ut motus, si qui insurgerent, facilè compescerentur. Porrò, statum naturæ integræ cum Statu Innocentiæ originalis in primis nostris parentibus, antequam peccaverant, conjunctum fuisse, colligi valet ex eo, quòd ante commissum peccatum inordinatos concupiscentiæ motus non senserint, neque de sua nuditate tunc erubuerint. Quocirca audiendus est D. August. *lib.* 14. *de Civit. cap.* 17. Sicut scriptum est, nudi erant, & non confundebantur; non quia eis nuditas esset incognita; sed quia turpis nuditas nondum inerat; quia *nondum membra illa præter arbitrium liberum libido moverat*, &c. Et D. Bernard. Serm. 2. *de Annunciat.* de ipsis sic loquens: *Nonne contrariam legem invenerant in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? Timui ego*, (inquit Adam) *eò quòd nudus essem. Non sic miser, non sic paulò antè timebas; non quærebas folia, licet corpore nudus, sicut & modò &c.*

Denique ad statum naturæ integræ ultra perfectionem intra lineam moralem præexplicatam etiam intra genus physicum immunitatem ab hujus vitæ ærumnis, morbis, & morte, exigunt.

178. Tertius Status est Innocentiæ, seu Justitiæ Originalis, differens à Statu tum Naturæ puræ, tum Naturæ integræ per modum includentis ab incluso, quia non solùm omnem perfectionem utrique competentem in se includit, sed insuper mediante gratia sanctificante seu justitiæ originalis connexisque virtutibus, donis, ac scientiæ plenitudine statui illi proportionata, primus homo in dicto statu conditus elevabatur ad supernaturalem ordinem gratiæ, finis & gloriæ cœlestis. Per hanc gratiam originalem pars superior perfectè adhærebat & subdebatur DEO subjectione scil. suavi & filiali: homo constituebatur amicus, & filius DEI adoptivus, hæres gloriæ æternæ, & perficiebatur ratio imaginis DEI: ubertate gratiæ animam DEO subjicientis redundante etiam in vires inferiores, ut rationi & voluntati appetitus sensitivus plenè subordinaretur. Vide plura de hoc in P. Goudin de Grat. *q.* 2. *a.* 3.

179. Quartus Status est Naturæ humanæ per peccatum originale Adami *lapsæ*, ejusque lapsûs intuitu non tantùm omni ornatu gratiæ originalis, donorum, virtutumque supernaturalium, verùm etiam vigore integritatis naturalis, subjectionisque virium inferiorum ad Rationem superiorem spoliatæ, sicque ab ultimo fine tum supernaturali, tum etiam naturali aversæ, ac econtra in bonum creatum seu commutabile inclinatæ seu conversæ. Inde fomes & concupiscentia carnis, variæque miseriæ, ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas & inconstantia in appetitu irascibili, concupiscentia in appetitu concupiscibili, quantum ad refrænationem circa voluptates boni sensibilis. Per peccatum quippe ablata fuit lux supernaturalis discretionis, imò ipsum lumen rationis naturalis passionum & ignorantiæ caligine obfuscatum fuit, & voluntas, amissâ gratiâ sanctificante, qua creatura rationalis cæteroquin in bonum divinum & finem supernaturalem habitualiter erigitur, in bonum sensibile & commodum proprium proclivis remansit.

180. Ex quo tamen non inferas, per lapsum Adami naturales hominum vires respectu boni honesti quoad entitatem suam vel substantiam seu intrinsecè corruptas aut saltem diminutas fuisse sic, ut jam sint prorsus aliæ, quàm essent in statu naturæ puræ: nam quid aliud sunt vires illæ, quàm potentiæ facultates naturales, seu proprietates ad formam hominis naturaliter consequentes? quarum diminutioni spiritualitas & indivisibilitas sine dubio obstat. Tota igitur corruptio, vel diminutio, consistit in extrinseca impedimentorum oppositione, ob quæ vires naturæ lapsæ minùs habiles factæ sunt ad bonum virtutis etiam ordinis naturalis, quàm essent in natura pura. Eleganter hoc D. Th. in 1. 2. *q.* 85. *a.* 3. explicuit, bonum naturæ tripliciter considerando. *Primo consideravit ipsa principia naturæ, & proprietates animæ ex his causatas &c. Secundò, cùm homo à natura habeat inclinationem ad virtutem, ipsa inclinatio ad virtutem, ait, est quoddam bonum naturæ. Tertiò modo potest dici bonum naturæ donum originalis justitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec diminuitur per peccatum.* Tertium verò bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturæ, scil. inclinatio ad virtutem diminuitur per peccatum: per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus; oportet autem, quòd ex hoc, quòd aliquid inclinatur in unum contrarium, imminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde cùm peccatum sit contrarium virtuti ex hoc ipso, quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, *quod est inclinatio ad virtutem*, in quantum nempe producitur habitus inclinans ad oppositum virtutis.

181. Quintus demum status est naturæ post lapsum *reparatæ* per Christum Redemptorem, à quo homo remissionem culpæ obtinuit, & restitutionem gratiæ sanctificantis quoad substantiam cum virtutibus annexis, at sine dono integritatis, excludente fomitem concupiscentiæ, & rebellionem carnis adversùs Spiritum cohibente, vel immunitatem ab ærumnis, morbis, & morte naturæ lapsæ reparante. His prolixè prænotatis & collatis cum iis, quæ in *Tr. de Peccatis* circa peccatum originale præmissa fuerunt, statuitur nostra

182. Conclusio: Status naturæ puræ, spectatâ etiam potentiâ DEI ordinariâ, est possibilis, tametsi defactò nullus hominum in isto statu fuerit conditus. Conclusio pugnat

inprimis contra Lutherum, Calvinum, aliosque sectarios, statum naturæ puræ possibilem esse, absolutè negantes: deinde contra Michaëlem Bacuin, Jansenium, & nonnullos Belgas. Ex parte etiam contra Vincentium Contensonium *Theol. Ment. & Cord. to. 5. Speculat. cap. 1. Speculat.* ubi sequentem assertionem ponit: Status naturæ puræ est quidem de potentia DEI absoluta & extraordinaria possibilis, non tamen conveniens, subindeque nec possibilis de potentia ordinaria.

183. Prob. primò: Statum prædictum esse absolutè possibilem, ex D. Th. in 2. *dist.* 31. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 3. ubi sic loquitur: *Poterat DEUS à principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scil. mortalis & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur.* Non tamen ille defectus in eo rationem culpæ, aut pœnæ habuisset; quia non per voluntatem iste defectus causatus esset. Et in *quodl.* 1. *a.* 8. apertè dicit: *possibile fuit DEO, ut hominem faceret in puris naturalibus.* Consentit etiam Scotus in 2. *dist.* 28. *qu. un.* ibi inquiens, *potuisse aliquem esse in puris naturalibus*, id est, tam sinè gratia, quàm sinè culpa.

184. Confirm. ex D. Augusト. qui *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 20. *n.* 56. (repressurus Manichæos, blasphemè crepantes, duos dari Creatores, unum bonum, alterum, ex eo vituperandum, quòd esset auctor mali, illius scil. quam patimur, ignorantiæ, & difficultatis bene vivendi) inter 4. modos, quibus animæ nostræ à DEO sinè omni vituperio in sanctitatem divinam redundaturò produci potuissent, illum quoque modum refert, si DEUS singulis corporibus singulas animas per creationem infunderet. In qua hypothesi infusio illa contingere posset vel præsuppositò peccatò, vel nullo supposito. Itaque S. Augustinus minimè dubitavit, quin homo in statu naturæ puræ à DEO sine repugnantia produci valeat, quod clariùs indicant ejus sequentia verba: *Si ergo anima talis esse cœpit, non solùm ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solùm quod anima est, quâ naturâ jam omne corpus præcedit; sed etiam, quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.*

Accedit, quòd SS. Pontifices, S. Pius V. Gregor. XIII. & Urbanus VIII. sequentes Michaëlis Baji propositiones censurâ suâ perstrinxerint: Prima: *DEUS non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur:* id est, *destitutum justitia originali*, & *gratia sanctificante;* Secunda: *Humanæ naturæ exaltatio in consortium divinæ naturæ* (scil. per gratiam sanctificantem) *debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.*

185. Prob. secundò Rat. communi sed fundamentali, & quidem, quòd etiam de potentia DEI ordinaria productio hominis in Statu Naturæ puræ non repugnet. Quamdiu DEUS nihil agit contra exigentias & ordinem rerum, tamdiu id, quod facit, censetur intra potentiam DEI ordinariam contentum: Sed hominem in statu naturæ puræ creando, nihil agit contra exigentias & ordinem naturalem rerum. Ergo &c. min. ad oculum patere videtur. Nam primò hominem carere gratia sanctificante, eumque ad ordinem supernaturalem elevante, nequit esse contra exigentiam naturæ rationalis: carentia enim boni indebiti non est contraria exigentiæ naturæ rationalis: alioquin, cur non simili modo diceremus, carentiam unionis hypostaticæ cum naturis singulorum hominum naturæ rationali esse contrariam? quis autem neget, gratiæ carentiam esse carentiam boni indebiti? Quandoquidem gratia & debitum inter se pugnant, cùm illa meram liberalitatem connotet ex parte conferentis, hæc quandam necessitatem, meritum, vel justitiæ obligationem. At *ubi audis gratiam, gratis intellige: Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti.* D. Augustinus in Ps. 144. Et Cyrillus Alexandrin. l. 1. in Joan. cap. 13. *Creatura cum serva sit*, ait, *nutu tantùm & voluntate Patris ad supernaturalia*, scil. non ex debito, sed gratuito DEI beneficio evehitur. Deinde, hominem esse obnoxium motibus sensitivis, quibus ratio resistit, est similiter aliquid ejus naturæ connaturale; ipse enim appetitus sensitivus ex sua natura inclinatur in bonum sensibile ac delectabile, sicuti econtra appetitus rationalis, seu ratione regulatus tendit in bonum honestum: nulla proinde datur exigentia naturalis ad donum integritatis, quo appetitus inferior sit perfectè subjectus superiori. Denique homo ex conditione propriæ naturæ constat qualitatibus contrariis, puta, frigore, & calore, humiditate & siccitate, quas inter perpetua fervet pugna, donec una per excessum alteri prævaleat, eamque superet & sic morbi, ipsaque mors sequantur. Ex quibus patet, ex parte hominis statum naturæ puræ minimè repugnare, & immortalitatem, subjectionemque perfectam appetitûs sensitivi ad rationem non tam à natura humana ùt proprietates connaturales exigi, quàm esse remedia gratuitò ab Auctore naturæ adjicienda, quibus defectus naturales oppositi, videl. mortalitas, & rebellio carnis adversus Spiritum, impediantur, sanentur, tollantur. Patet ulteriùs, neque statum illum repugna-

re

re ex parte DEI utpote qui denegando beneficia prorſus indebita, homini nullam facit injuriam, conſequenter nec quidquam contrarium vel inconveniens ſuæ juſtitiæ & bonitati divinæ.

Multa, difficilia, & ſcitu utilia contra concluſionem noſtram in medium afferri poſſunt. Itaque

186. Arguitur primò: Status Naturæ puræ perfectioni divinæ providentiæ & ſapientiæ derogaret. Ergo veroſimiliùs repugnat, ne DEO aliqua inconvenientia imputetur. A. Prob. Derogaret ſapientiæ & providentiæ divinæ, ſi naturam rationalem, & quidem innocentem in ea diſpoſitione, conditione, ſeu ſtatu conderet, in quo non poſſet conſequi ſuum finem ultimum, & beatitudinem. Natura rationalis in Statu Naturæ puræ ſuum finem, & beatitudinem non poſſet conſequi: Erg. eam in illo ſtatu condere, derogaret divinæ ſapientiæ & providentiæ. Sola min. reſtat probanda. Finis ultimus, & Beatitudo naturæ rationalis conſiſtit in clara & inamiſſibili viſione divinæ eſſentiæ, perſonarum, & attributorum, ùt ſunt in ſe. In Statu Naturæ puræ viſio clara DEI non eſſet conſequibilis; cùm nullum tunc auxilium ſupernaturale conferretur, imò natura humana maneret depreſſa ad ordinem naturalem, & deſtituta elevatione ad ſupernaturalem. Itaque finem ſuum ultimum & beatitudinem conſequi non poſſet.

Reſp. N. A. ad Prob. Conc. maj. neg. min. & ad ejus Prob. dico, claram DEI viſionem eſſe quidem finem ultimum, & Beatitudinem naturæ rationalis defactò, & ſecundùm modernam DEI providentiam, quâ natura rationalis ad finem ſupernaturalem fuit ordinata & elevata gratuitò, attentâ illâ eximiâ charitate, quam DEUS nobis in ſcripturis revelavit, ultro manifeſtaturus gratiæ & gloriæ ſuæ divitias; abſolutè tamen, & ſi DEO aliter placuiſſet, homo condi potuiſſet cum ordinatione ad ſolam beatitudinem naturalem, conſiſtentem in conjunctione cum DEO ut Auctore naturæ, ſcil. abſtractivè cognito per ſpecies tamen clariores, quàm quæ in via habentur. Sed contra

187. Inſtabis primò: Beatitudo non eſt, quæ appetitum non ſatiat, & explet. Illa contemplatio abſtractivè DEI ùt Auctoris naturalis, atque conjunctio cum ipſo ùt fine naturali, appetitum naturæ rationalis non ſatiaret, non expleret: fit enim per ſpecies ſolùm alienas, & non per ſpeciem propriam DEI, cùm tamen, ex doctrina D. Tho. 1. *par. q.* 12. *a.* 3. homo naturaliter appetat viſionem DEI: quò pertinet illud Auguſtini: *Feciſti nos ad te, lib. Confeſſ. cap.* 1. Et: *inquietum eſt cor meum, donec requieſcat in te.* Reſp. N. min. Neque enim in ſtatu puræ naturæ daretur aliqua illuſtratio fidei repræſentans elevationem & deſtinationem hominis ad finem ſupernaturalem, ac viſionem claram DEI: Quare nec daretur appetitus, ſaltem efficax, ad prædictum finem, & viſionem adipiſcendam; juxta illud: ignoti nulla Cupido; ſeu, nihil volitum, quin ſit præcognitum.

188. Inſtabunt ſecundò: Homo naturaliter appetit cognoſcere cauſam primam: ergo etiam naturaliter appetit, DEUM videre, ut hic eſt in ſe. Reſp. ad ant. Hominem naturaliter ſeu ſecundùm appetitum innatum aliter non appetere cognitionem cauſæ primæ, quàm quomodo talis cognitio poſſibilis eſt cum convenientia ad ſtatum cognoſcentis. Jam verò ſtatui naturæ puræ alia cognitio DEI ùt cauſæ primæ nec eſt conveniens nec poſſibilis, quàm abſtractiva per effectus, & ſpecies alienas: Clarè id aſſerit D. Th. 1. *p. q.* 62. *a.* 2. *Naturalis voluntatis inclinatio eſt ad id, quod eſt conveniens ſecundùm naturam; videre autem DEUM per eſſentiam eſt ſupra naturam intellectûs cujuslibet creati: unde nulla creatura rationalis poteſt habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, niſi mota à ſupernaturali agente.* Quòd ſi alicui conſtituto in Statu Naturæ puræ in mentem veniret aliqua cogitatio, ſuſpicio vel dubitatio, an non fortaſſis ſuperſit aliquis modus, quo eſſentia cauſæ primæ clarè & intuitivè videri poſſet, tunc talis aliquo tantùm inefficaci & conditionato deſiderio moveri valeret erga tantum bonum in ſe videndum & amplectendum, hoc vel ſimili actu elicito: vellem DEUM, id eſt, cauſam primam à quo tot præclara & pulcherrima opera condita ſunt, clarè videre, ùt eſt in ſe, ſi hoc poſſibile foret aliquo modo excogitabili. Contra

189. Inſtab. tertiò: Omnes homines deſiderio efficaci appetunt veram beatitudinem: At vera beatitudo eſt viſio divinæ eſſentiæ. Ergo omnes homines deſiderio efficaci viſionem divinæ eſſentiæ appetunt. Reſp. Major. intelligendam eſſe de appetitu veræ beatitudinis pro diverſitate ſtatûs, ſcil. vel naturæ puræ, vel elevationis. In forma Diſt. M. Omnes homines appetunt veram beatitudinem, vel in communi, vel talem in particulari, C. M. determinatè in particulari talem. N. M. Diſt. min. vera Beatitudo eſt viſio divinæ eſſentiæ, vera in particulari, & quidem pro ſtatu elevationis, Conc. min. eſt vera beatitudo in communi, & pro ſtatu naturæ puræ, N. min. & ſub data diſtinct. conſeq. Explicationem dabit S. D. in 4. *diſt.* 49. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 3. ſic reſpondens: *quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur ſecundùm communem rationem, tamen, quòd feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturæ, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinvenit in hoc vel in illo ſummum bonum hominis conſtare: Et ideo quandocunque aliquis beatitudinem appetit, actualiter conjungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis: ex parte appetitûs naturalis ſemper eſt ibi rectitudo: ſed ex parte appetitûs rationalis quandoque eſt ibi rectitudo, quando ſcil. appetitur ibi beatitudo, ubi verè eſt: quandoque autem perverſitas, quando appetitur, ubi verè non eſt. Et ſic in appetitu beatitudinis poteſt aliquis vel mereri adjunctâ gratiâ, vel* deme-

*demereri, secundùm quod appetitus ejus est rectus vel perversus.*

190. Neque urgeas, hominem naturaliter inclinari in beatitudinem in particulari, ut sola natura Duce, DEUM suum tanquam finem ultimum videre cupiat, juxta testimonium D. Augustini *lib.* 8. *de Civit. DEI. cap.* 8. de Platonicis sic scribentis: *Non dixerunt, beatum esse hominem, fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem DEO; non sicut corpore, vel se ipso animus, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus.* Resp. enim, Platonicos absque speciali revelatione mysterium visionis intuitivæ DEI noscere non potuisse: unde de sola abstractiva cognitione intelligi debent, non obstante paritate lucis ad oculum, quâ hoc demum innuere intendebant, quòd quemadmodum lux est objectum primarium oculi, ita quoque in ordine ad acquirendam beatitudinem primarium mentis humanæ objectum sit DEUS, sua luce cætera omnia objecta collustrans, seu nobis manifestans. Quòd verò beatifica visio naturalem sensum & rationem transcendat, Paulus 1. *Cor.* 2. *v.* 9. non obscurè edixit: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.* Si tamen persistas, Platonicos de intuitiva DEI visione locutos esse, dicam, eos ab Hebræis, vel lectione Sacrarum Scripturarum desuper altiorem instructionem accepisse.

191. Arguitur secundò: In Statu Naturæ puræ ne quidem Beatitudo naturalis obtineri posset: Ergo &c. Pr. ut illa beatitudo obtineretur, post separationem animæ à corpore, etiam in Statu Naturæ puræ sicuti modo, deberet dari resurrectio mortuorum, & reunio animæ cum corpore; hoc enim non admisso, beatitudo etiam naturalis nunquam foret completa, quandoquidem nunquam satisfieret naturali inclinationi animæ, quæ ùt forma essentialis cum corpore reuniri perpetuò exigeret: Quod verò resurrectio mortuorum in Statu Naturæ puræ locum non haberet, liquet ex eo, quia est beneficium aliquod supernaturale, idcirco Statui Naturæ puræ tam inconveniens quàm indebitum. Resp. cum Theol. Salisb. *disp.* 1. *a.* 2. *tr. de grat.* quòd etiam pro illo statu probabiliter esset futura resurrectio mortuorum, propter rationem assignatam: Et licèt statui naturæ, si *vitaliter* spectetur, omne beneficium supernaturale sit omnino indebitum; secus tamen dicendum, si status prædictus spectetur *terminativè*, id est, si terminus illius consideretur, qui est beatitudo naturalis, aliter non obtinenda ultimatò, nisi per transmutationem Statûs Naturæ puræ in Statum Naturæ integræ; quod aliter fieri nequit, nisi suffragante resurrectione mortuorum & consequente infusione specierum cognoscibilium, habituum, &c. quæ quidem resurrectio est quid supernaturale ex parte modi, & actionis reunitivæ, excedentis virtutem cujuscunque agentis creati, non tamen quoad substantiam, effectum, & ex parte subjecti.

192. Arguitur tertiò: Natura rationalis in quolibet statu viæ tenetur DEUM diligere. Atqui in Statu Naturæ puræ hæc obligatio cessaret propter impotentiam, & gratiæ supernaturalis carentiam. Ergo &c. Resp. Maj. veram esse de amore proportionato relatè ad statum, ut nempe in statu naturæ elevatæ DEUS mediante supernaturali gratia diligi debeat amore supernaturali, naturali verò in statu naturæ puræ, ad quem naturale auxilium sufficeret. Sub hac distinctione interpretandus est D. Bernardus, quando in *lib. de diligendo DEO* scribit: *Clamat intus innata & non ignota rationi justitia, diligendum esse illum, cujus nos totos esse, & cui totum debere non ignoramus.*

193. Arguitur quartò: DEUS non potest esse auctor concupiscentiæ, tum quia concupiscentia, utpote ad peccatum inclinans est quoddam vitium; tum quia ipsa est à peccato, dicente D. Joanne in *epist.* 1. *c.* 2. *concupiscentiam non esse ex patre, sed ex mundo:* atqui, concessa Statûs Naturæ puræ possibilitate, DEUS per consequentiam fieret Auctor concupiscentiæ. Igitur hæc statûs possibilitas non erit concedenda. Resp. concupiscentiam, si accipiatur præcisè pro potentia appetitiva bonorum sensibilium naturæ convenientium, esse naturalem naturæ humanæ perfectionem, & sub hac ratione DEO ùt Auctori rectè adscribi: Si verò accipiatur pro inclinatione, vel inordinata cupiditate propendente (vel in actu primo, vel in actu secundo) in bonum sensibile ùt rationi contrarium, sicque fomitem peccati, seu potentiam peccandi importat, sub ista ratione defectuositatis moralis DEO adscribi nequit, sed habet se præter intentionem Creatoris, defactò tamen, postquam tota natura humana in Adamo peccavit, concupiscentia hoc posteriori modo spectata oritur ex peccato, DEO in pœnam illius homini subtrahente unà cum justitia originali donum integritatis, quo in Statu Innocentiæ, vel etiam naturæ integræ, carnis rebellio fuisset impedita. Cæterùm, si homo, secundùm aliam divinæ providentiæ ordinationem in Statu Naturæ puræ, atque adeò sine omni peccati nævo & noxa productus fuisset, ex ea quoque hypothesi concupiscentia ùt defectus quidam naturalis homini suæ limitationi & conditioni relicto adhuc convenire potuisset, haud secus, ac mortalitas, licet ista in statu naturæ lapsæ ipsi ex subtractione doni integritatis seu immortalitatis in pœnam peccati conveniat.

194. Urgebis forsan: Si DEUS potest producere concupiscentiam ùt potentiam appetitivam, cur non similiter possit producere habitum vitiosum? Resp. nonnemo quòd DEUS se solo, producendo creaturam rationalem cum habitu vitioso eandem effectivè inclinaret tam ad formale, quàm ad materiale peccati: quia habitus vitiosus ad utrumque inclinat: econtra inordinata concupiscentia inclinat ad solum materiale, non ad

for-

formale: esto enim concupiscentiæ sit annexus defectus naturalis, non tamen continet moralem, nisi per accidens, & ratione subjecti, quando nimirum adjunctum habet voluntatis consensum. Resp. secundò cum Honorato Tournelly *tr. de Grat. Christi p.* 66. habitum vitiosum ex se esse determinatum ad malum, sic, ut nemo eo bene uti valeat: quis enim justè luxuriari possit? At concupiscentia non est ex se determinata ad malum, alioquin ne quidem inter conjugatos bonus ejusdem usus dari posset. Audi D. Augustinum contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 16. n. 33. *Quo malo*, inquit, *propter bonum generationis filiorum, bene utuntur conjugia pudica. Solius autem carnalis voluptatis causâ libidini consentire, peccatum est, quamvis conjugatis secundùm veniam concedatur.* Quapropter (infert Tournelly) mala quidem est concupiscentia, quia cum rationis inclinatione pugnat; sed cùm DEUS eâ in bonum finem uti posset, scil. in exercitium bonorum operum, posset etiam DEUS illam producere. Hac de re quædam dicta sunt in *Tr. de Peccat.*

# APPENDIX

## Exercitii Menstrui Salisburgensis de Merito Justorum.

*Meritum in communi est opus moraliter bonum, cui merces seu prœmium debetur: vel, est opus conferens jus ad prœmium. Missò meritò Civili, quod sibi aliquis labore suo comparat apud homines, nostra speculatio in meritum morale, simul & supernaturale, quo apud DEUM prœmium supernaturale consequimur, defigetur. Famosa est divisio in meritum de* condigno *seu strictè tale, & in meritum* de congruo. *Meritum* de condigno *(juxta explicationem Salmanticensium* Tract. de Merit. disp. 1.) *secundùm prudentùm æstimationem in suo valore habet æqualitatem cum prœmio in* esse prœmii *& formaliter sumpto: quando nimirum vel meritum virtute continet ipsum prœmium: qualiter omnis actus viæ, gratia sanctificante dignificatus, continet gratiam patriæ seu gloriæ: vel quando secundùm arbitrium prudentis meritum tanti æstimatur, quanti & prœmium, illudque ad istud ordinatur ex certo pacto vel promissione remunerantis. Unde Merito de condigno prœmium debetur ex justitia. Meritum* de congruo *dicitur, cui prœmium debetur solùm ex decentia quadam seu congruitate, quæ tamen non præcisè sit fundata in retribuentis misericordia, sed in ipsius bonitate, liberalitate, aut amicitia cum merente, non excludendo aliqualem actûs, qui meritorius dicitur, valorem & proportionem cum prœmio. Congruum siquidem est, ut dum homo, & præsertim DEI amicus, Divinam adimplet voluntatem, aut facit, quod in se est, operando secundùm virtutem, quam habet, DEUS etiam bonam ipsius voluntatem adimpleat, eique recompenset secundùm excellentiam Divinæ Virtutis, etiam supra valorem sui actûs. Ita illi. Exemplum meriti de condigno Magister Gonet* cit. Tr. disp. 2. a. 1. *affert in milite, cui proprium stipendium exhibetur de condigno; de congruo verò datur illi v. g. beneficium nobilitatis. Qualiter autem meritum de congruo latè & impropriè sumpto exponatur, inferiùs in decursu patescet.*

*Suppono præliminariter, ad actum meritorium prœmii supernaturalis de condigno requiri, ut sit viatoris, in statu gratiæ constituti: Liber tam à necessitate, quàm à coactione: moraliter bonus: æqualitatem habeat cum prœmio: fiat aliquo modo in obsequium DEI prœmiantis, nec non ordinantis seu decernentis, & promittentis merenti retribuere prœmium. His præmissis, sit*

# THESIS I.

### *Homo justus potest de condigno aliquid mereri à DEO, etiam ipsam vitæ æternæ Beatitudinem.*

195. PRob. contra Lutherum, & Calvinum, & alios operibus justi propriè dictam rationem Meriti abnegantes. *Matthæi* 5. Merces nostra copiosa est in Cœlis. *Romanor.* 4. ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: Et 2. ad *Tim.* 4. Paulo reposita est corona justitiæ, quam ipsi reddet Dominus Justus Judex. Prætereo alia innumera Scripturæ loca. *Merces* & *corona justitiæ* sonant & significant quid plus, quàm puram gratiam, liberalitatem, aut meritum de congruo solùm, in amicitia fundatum. Ergo condignitatem: id est, coæquationem operum cum prœmio vitæ æternæ: quam condignitatem in ratione valoris moralis operibus justorum tribuit gratia sanctificans, quæ in sua excellentia gloriæ beatificæ non cedit; cum sit radix gloriæ: eaque propter dicatur *fons aquæ salutaris salientis in vitam æternam.* Hoc elucidat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 114. *art.* 3. ad 3. *Gratia Spiritûs Sancti, etsi non sit æqualis gloriæ in actu, est tamen æqualis in virtute, sicut semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem.* Et Concilium Arausicanum II. Can. 18. *debetur*, ait, *merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Perspicua quoque hac in re est S. Concilii Trid. *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 16. authoritas. *Bene operantibus* (inquit) *usque in finem, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna & tanquam gratia Filiis DEI per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda &c.* Refractarios con-

contrarium tenentes Can. 32. anathemate percutit: si nempe quis dixerit, *hominis justificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI gratiam, & JESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.*

196. Dices I. Si fecerimus omnia, *servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus, Luc.* 17. Nec sunt *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, ad Rom.* 8. II. Si gratia sanctificans est semen gloriæ, facitque Filios DEI adoptivos, & hæredes Regni Cœlestis, qua ratione prima gloria homini justificato vi gratiæ jam debita, adhuc sub meritum cadere potest? III. Meritis Christi injuria inferri videtur, si iis non contenti hominum quoque merita requiramus. IV. Prœmium ex. gr. vitæ æternæ operi meritorio deberetur à DEO vel ex justitia commutativa, vel ex distributiva? Non ex commutativa: quandoquidem DEUS *non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur,* ùt loquitur D. Thom. 2. 2. *q.* 114. *art.* 1. *ad* 3. & repugnat, DEUM, cui aliunde actiones nostræ debentur, nexu obligationis creaturæ debitorem constitui. Deficit quoque alteritas jurium DEUM inter & hominem: ex quo capite, & aliis rationibus, Thomistæ, DEUM homini ex rigorosa justitia obligari posse, uno calamo inficiantur. Neque ex justitia *distributiva;* hæc enim non respicit æqualitatem Arithmeticam aut absolutam rei ad rem, sed Geometricam & proportionalem, comparando merita plurium personarum cum prœmio: cùm tamen DEUS perpendat proportionem absolutam inter meritum & prœmium, quemlibet remunerando, quantum ejus opera merentur. Ergo. V. Quod quis meretur de condigno, id eidem denegari, æquitas non sinit: vita æterna justis denegari potest sine læsione æquitatis: Nam *Joan.* 1. *Gratia DEI est vita æterna:* & Psal. 102. *DEUS coronat nos in misericordia & miserationibus:* & alibi legitur: *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* VI. Pervulgatum est, prœmia meritis justorum ultra condignum rependi. At id, quod est ultra condignum, non cadit sub meritum de condigno. Ergo.

197. Ad I. Resp. ex operibus nostris DEO nihil utilitatis adferri: nec sine gratia, ceu principio meriti, quidquam valoris meritorii ipsis inesse: insuper ad valorem illum in actu secundo requiri DEI gratuitam acceptationem: tandem DEO esse debita jure servitoris: non itaque merita quæcunque nos eò extollant, quin nos tanquam servos inutiles despiciamus: Ad II. Resp. primam gloriam ratione gratiæ justo deberi titulô hæreditatis: ratione meriti titulô mercedis & coronæ. Ad III. Resp. vesaniam hæreticorum esse, sub prætextu meritorum Christi otium universale indicere & inducere. Ipse Salvator operarios in vineam conduxit, & laborem refugientibus exprobravit: quid statis hic otiosi? Injuria per nostra meritis Christi inferretur, si hæc sine illis ex sua parte essent insufficientia. In Honorem potiùs Christo cedit, quòd ex abundantia virtutis meritorum suorum nostra derivari velit, admirabili sanè Divinæ dignationis & bonitatis beneficio. Ad IV. Resp. D. Thom. *in* 2. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *In redditione prœmii ad merita magis servatur forma distributiva; cùm ipse* (DEUS) *unicuique secundùm opera sua reddat; quàm commutationis: cùm DEUS à nobis nihil accipiat. Quamvis à Sanctis quandoque inveniatur metaphoricè dictum, quòd bonis operibus Regnum Cœlorum emitur, in quantum DEUS accipit opera nostra, ut acceptans ea.* Attamen DEUS in retributione præmii ita exercet actum justitiæ distributivæ, ut simul observet quandam similitudinem & modum justitiæ commutativæ, interprete eodem Doctore Angelico *in* 4. *Sent. dist.* 46. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. ubi sic habet: „Justitia commutativa, per quam æ-„ qualitas constituitur inter DEUM dantem, „ & creaturam recipientem, DEO compete-„ re non potest secundùm propriam acceptio-„ nem: quia beneficia DEI semper excedunt „ meritum creaturæ: sed tamen servatur et-„ iam quædam proportionis æqualitas inter „ DEUM dantem, & creaturam recipientem; „ in quantum scil. ita se habet ad suam super-„ abundantiam, sicut creatura ad id, quod „ competit ei secundùm suam parvitatem. „ Et sic quidam modus commutativæ justi-„ tiæ invenitur in DEO respectu creaturæ. „ Ad V. Resp. probari solùm, quòd retributioni vitæ æternæ non correspondeant merita nostra cum condignitate simpliciter tali, ad quam necesse foret, ut DEUS vires & gratias ad merendum non contulisset. Cùm verò ista (quemadmodùm & ipsa prædestinatio ad gloriam) à præcisa bonitate & liberalitate Divina promanent, collatio præmii vitæ æternæ ex hac parte opus gratiæ & misericordiæ indigitat: ex altera tamen simul & justitiæ titulus in consortium venit, postquàm DEUS ultroneo pacto de mercede & corona operibus in suum obsequium ritè factis retribuendâ, nobiscum convênit: qua sponsione supposita, procedit illud Apostoli ad Hebr. 6. *Non est injustus DEUS, ut obliviscatur operis nostri:* & S. Leonis *Serm.* 1. *de Jejun. in operibus DEI atque judiciis nihil vacat à veritate justitiæ, nihil à miseratione clementiæ.* Ad VI. Resp. ex illo Luc. 6. *(mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum)* colligi, quòd DEUS ultra gradum gloriæ, charitati merentis in via correspondentem, adhuc alterius gradûs augmentum ex sua infinita liberalitate conferat, quod est idem, ac supra condignum remunerari, non tamen supra condignitatem mereri.

THE-

# THESIS II.

## *Prima gratia habitualis absolutè non potest cadere sub meritum de Condigno.*

198. PRob. opera gratiæ primæ infusionem antecedentia non habent proportionem cum gratia subsequenti: ergo, cùm meritum de condigno de sua ratione intrinseca ejusmodi proportionem requirat, per opera antecedentia nemo potest mereri gratiam primam. Conseq. est legitima. Antec. constat ex ratione thesis præcedentis, in qua æqualitatem valoris in opere meritorio cum vitæ æternæ præmio in gratiam, tanquam radicem gloriæ, refundimus: *imò ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scil. ipsum peccatum.* S. Doct. 1. 2. *q.* 114. *art.* 5. Aliunde etiam implicat contradictionem, ut gratia, considerata in ratione doni gratuiti, assumat naturam mercedis, & præmii operibus antecedentibus debiti: quod liquidò indicant verba Concilii Trid. *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 8. *ubi gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim est gratia, jam non ex operibus, alioquin, ùt Apostolus inquit, gratia non est gratia.* Adde, manifestò repugnare, principium tum physicum tum morale meriti esse effectum meriti, sicque cadere sub meritum: aliàs idem esset causa & effectus in eodem genere causæ. At gratia est principium tum effectivum tum morale meriti, à quo principio actus meritorius accipit suum primum esse in ordine supernaturali, valorem, æqualitatem, & condignitatem cum præmio: Ergo &c.

199. Ex quo similiter probatum manet, gratiam non posse cadere sub meritum respectu actuum illam consequentium: tum quia meritum & præmium se habent ùt causa & effectus: item ùt motus, & terminus motûs: causa verò debet esse prior naturâ saltem suo effectu. Atqui est impossibile, ut gratia prima habitualis præsupponatur actui meritorio, & tamen tanquam effectus sit illo actu posterior: tum quòd etiam in ista hypothesi gratia esset principium meriti; hoc quippe est essentiale merito de condigno, quòd à gratia procedat: & non esset principium meriti: quia meritum tanquam causa moralis DEUM moveret, ut gratiam ex operis condignitate conferat. *Postquàm autem jam aliquis habet gratiam* (sunt verba D. Thomæ *cit. art.* 5.) *non potest gratia jam habita sub merito cadere: quia merces est terminus operis; gratia verò est principium cujuslibet boni operis in nobis. Si vero aliud donum gratuitum aliquis mereatur virtute gratiæ præcedentis, jam non erit prima. Unde manifestum est, quòd nullus potest sibi mereri primam gratiam.*

200. Confir. Apostolus dicit: *Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis:* ex quo D. Augustinus *lib.* 2. *cont. duas Epist. Pelagiani cap.* 7. infert: *Ergo non, quia fidelis esset, sed ex mera liberalitate:* ostensurus tacitè, non posse componi hæc duo, misericordiam exhiberi alicui, seu, gratiam primam conferri, ut operetur, & conferri, quia operatur: igitur nec ista sunt compossibilia, gratiam primam alicui conferri, ut mereatur, & gratiam conferri, quia meretur. Tandem Adversariis, quomodocunque argumenta sua cuspidantibus & crispantibus, negandum est suppositum, meritum de condigno præmii supernaturalis concipi aut dari posse cum exclusione gratiæ: si ergo gratia dicatur cadere posse (de potentia DEI absoluta) sub meritum, sequeretur, gratiam fore partem principalem ipsius meriti, ac simul ipsum præmium, atque adeò causam sui ipsius, tendentiam ad terminum, ac ipsum terminum, esse, movere & agere, antequàm sit, existat, ac movere, & agere possit; quæ omnia larvam entis chymærici præseferunt.

201. Dices I. Actus contritionis à charitate imperatus seu formatus procedit à gratia sanctificante, & tamen ad gratiam disponere potest: ergo etiam gratiam sanctificantem mereri. Resp. neg. conf. & parit. Dispositio solùm consistit in exigentia connaturali formæ, ad quam subjectum fit aptum & dispositum; ideoque efficacia dispositionis non consistit in valore, communicando à forma gratiæ; sicuti econtra actus quà meritorius valorem & condignitatem suam à forma gratiæ emendicat: unde si gratiam effectivè moraliter causaret per valorem à gratia acceptum, gratia efficeret seipsam saltem mediatè, essetque causa & effectus in eodem genere causæ, scil. efficientis. Actus contritionis verò vel charitatis ùt dispositio gratiam præcedit equidem in genere causæ materialis, eam tamen subsequitur cum dependentia in genere causæ formalis & efficientis radicalis.

202. Dices II. Non est major ratio in merendo gratiam primam, quàm in merendo gloriam primam, seu essentialem: at per actum charitatis in ipso instanti justificationis elicitum aliquis meretur primam gloriam: ergo & primam gratiam. Min. est certa ex Conc. Trid. *Sess.* 6. *de Justif. Can.* 2. damnante errorem, negantium, justificatum *bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & gloriæ augmentum &c.* ubi vitam æternam, seu gloriam primam ab augmento gloriæ secernit. Maj. prob. ex eo, quòd gratia & gloria sibi correspondeant: siquidem merito augmenti gloriæ correspondet meritum augmenti gratiæ: ergo similiter merito primæ gloriæ correspondet meritum primæ gratiæ. Aliunde etiam gloria est gratia consummata: nequis ergo mereri primam gloriam, quin & primam gratiam merearis. Resp. neg. Maj. ad prob. dico, in

modo acquirendi, meritum, gratiam & gloriam adæquatè sibi non correspondere. Nam meritum, ut acquiratur, essentialiter præsupponit gratiam primam cum auxilio actuali; gratia verò & gloria, ut acquirantur, meritum præsupponunt solùm connaturaliter: parvuli enim in baptismo sine omni præcedenti merito acquirunt gratiam primam; sique ante usum rationis moriantur, etiam gloriam primam: stat insuper in arbitrio Divino, velitne, pro infusione gratiæ & gloriæ assecutione, in adulto justificando præviam charitatis & contritionis dispositionem exigere (sicut exigit modò, & de via ordinaria) vel sine tali apparatu, & motu proprio voluntatis creatæ, gratiam justificantem alicui immediatè infundere, gloriamque sine ullo merito, & sic ex mera liberalitate conferre. Disparitas ultimatò est, quòd meritum augmenti gloriæ jam supponat gratiam primam ùt principium augmenti gloriæ, & similiter meritum augmenti gratiæ præsupponat gratiam primam ùt principium augmenti quà meritorii: econtra licèt meritum primæ gloriæ præsupponat gratiam primam, tanquam principium talis meriti, non tamen meritum gratiæ primæ, à qua tanquam suo principio essentialiter in suo *fieri* dependere debet, gratiam primam præsupponere valeat, propter repugnantiam superiùs jam ostensam. Cæterùm potest aliquid esse requisitum essentiale ad prœmium, quin habeat rationem prœmii, & sub meritum cadat. Falsum est hoc (ait D. Thom. 3. *p. q.* 2. *a.* 11.) sub meritum cadere omne illud, sine quo prœmium *esse non potest; quædam enim sunt, quæ non solùm requiruntur ad prœmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut Divina bonitas, & ejus gloria, & ipsa hominis natura.*

203. Dices III. Idem potest constituere meritum, ac simul prœmium: ergo etiam idem potest esse principium meriti, & simul ipsum prœmium: consequenter principium meriti potest cadere sub meritum. Ant. ostenditur in augmento gratiæ, quod sub meritum cadere, salva Tridentini Authoritate, in dubium trahi nequit, & traditur eleganter à D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 8. *in C. Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit: motio autem alicujus moventis non solùm se extendit ad ultimum terminum motûs, sed etiam ad totum progressum in motu: terminus autem motûs gratiæ est vita æterna: progressus autem in hoc motu est secundùm augmentum charitatis, vel gratiæ, secundùm illud* Proverb. 4. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit *visus ad perfectum diem, qui est dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni.* Apud Thomistas augmentum gratiæ entitativè nihil est distinctum à primâ gratiâ hic & nunc auctâ: non enim fit per additionem novi & novi gradûs ad primam gratiam, sed per istius majorem radicationem in subjecto, quod est potentia obedientialis animæ rationalis, ex qua gratia, utpote accidens supernaturale, educitur, & in qua recipitur. Eadem itaque gratia constituit meritum, simul & prœmium &c. Resp. dist. ant. idem potest constituere meritum, & simul prœmium, sic, ut saltem ad minimum intercedat distinctio realis moralis, conc. ant. sine omni distinctione tum physica reali, tum morali inter constitutivum meriti & prœmii sic neg. ant. & eodem modo distincto primo consequente, neg. secund. conseq. Ad instantiam de merito augmenti gratiæ reponitur, inter illud augmentum gratiæ tanquam prœmium, & inter gratiam primam constitutivam meriti condigni intermediare distinctionem realem moralem, in quantum existere potest gratia prima sine quovis augmento: atque hæc distinctio sufficit, ut gratia prima habeat se tanquam causa, & constitutivum meriti principale, augmentum verò se habeat ùt effectus & prœmium.

204. Dices IV. Ideo repugnaret principium meriti cadere sub meritum, quia nequit esse post meritum, & sic habere rationem prœmii: sed hanc rationem generatim non esse convincentem, patet speciatim ex merito Patrum Veteris Testamenti: isti enim per actus fidei & spei meruerunt Incarnationem Filii DEI, & per consequens ipsa merita Christi: jam sic: gratia illorum Patrum pendebat ex meritis Christi, ac insuper valorem suum, ad dignificandum merita Patrum, ex ipsis Christi meritis attraxit: manifestum igitur est, quòd Incarnatio & merita Christi fuerint principium meriti Patrum, & tamen ut prœmium cadere potuerint sub meritum dictorum Patrum: itaque habemus exemplum, quo principium meriti potuit esse quid posterius meritò. Resp. hanc litem, an Patres Incarnationem Verbi meruerint, in *Tract. de Incarnat.* ex instituto disceptari. Permissâ pro nunc dependentiâ illâ meriti Patrum antiquorum à meritis Christi, replicatur, gratiam & merita Christi non concurrisse ùt principium per se, & essentiale ad meritum Patrum, neque huic merito tribuisse valorem intrinsecum; unde gratia sanctificans, quâ Patres per actus spei & fidei Incarnationem merebantur, totum valorem intrinsecum tanquam principium per se essentiale, & intrinsecum merito tribuebat: & gratia, ac merita Christi extrinsecè solùm se habebant ad meritum Patrum antiquorum, sicuti etiam modò ad gratiam & merita nostra extrinsecè se tantùm habent. Imò quamvis actus fidei & spei tendentes in Christum ùt venturum & si qui sunt alii, quibus essentialiter repugnabat, ut sequerentur post incarnationem, aliquem influxum ex gratia & meritis Christi extrinsecè participârint, iste non fuit in genere causæ efficientis *meritoriæ* (ex ratione apud Salmantic. *de Merit. disp.* 6. *dub.* 1. *sub num.* 21. assignatâ, quòd meritum sit chimæricum, cui essentialiter repugnat suum prœmium simpliciter antecedere) sed in genere causæ *finalis*, in quantum à DEO ordinabantur ad Christi gloriam, merita verò Patrum in modo causandi assimila-

milabantur causæ efficienti physicæ respectivè ad Incarnationem, & merita Christi tanquam ad prœmium. Eapropter mutua dependentia, quæ prætenditur in linea merendi inter merita Christi & merita antiquorum Patrum non erat in eodem infimo genere causæ.

205. Dices V. Conferat aliquis Princeps arma militi, eo fine, ut illis contra hostem strenuè utatur, partaque victoriâ, eadem in prœmium victoriæ habeat, nunquid tunc prœmium datur ante meritum? Arma nónne sunt principium meriti, & nihilominùs cadunt sub meritum, si non attractivum vel impetrativum, saltem sub meritum compensativum? Resp. hoc meritum, quod vocant compensativum, & prævenitur à collatione prœmii, non uno palmo à ratione meriti propriè sumpti deflectere. Rogo enim, movétne in allato exemplo Principem aliqua condignitas ex parte militis, vel nulla? Si aliqua: quænam? fortè pugna futura, & victoria? utique non: cùm hæc in incerto fluctuent, & sicut pugnæ, ita & victoriæ, sit anceps alea. Aut forsan Principem movent facta præterita? sed tunc sumus extra casum; nam tunc merita prœmium armorum recto ordine præcedunt; nec sunt sub compensativi, sed impetratorii titulo locanda. Porrò, si nulla condignitas militem hic & nunc Principi ad armorum collationem commendet, inanis est gloriatio, stybium & cerussa meriti, præsertim de condigno; medulla & substantia nulla. Ineptè quoque prædicta paritas hic objicitur. Etsi enim transmittamus, meritum se posse extendere ad principium, à quo dependet, quando principium solùm per accidens ad meritum concurrit, ùt in posito exemplo de armis à Principe collatis (quæ sanè non sunt principium per se, & essentiale victoriæ posteà partæ; tum quia miles aliâ instructus panopliâ vincere posset; tum quia valor operis in obtinenda victoria non provenit ab armis, sed à generositate, labore, industria, & dexteritate militis) aliter tamen discurrendum de gratia prima habituali, quæ est principium per se, & essentiale meriti, à quo meritum essentialiter dependet, & in quo valor fundatur: unde ipsi repugnat, ut sit quid posterius merito de condigno; quidquid sit in aliis exemplis, ubi aliquid est principium meriti non essentiale sed per accidens. Notavit hoc D. Th. 1. 2. *q.* 114. *a.* 5. *ad* 3. *Omne bonum opus hominis procedit à prima gratia sicut à principio; non autem procedit à quocunque humano dono. Et ideo non est similis ratio de dono gratiæ, & de dono humano.*

206. Corollarium. Nequit homo per actus contritionis & charitatis sibi gratiam primam mereri de *congruo propriè & strictè* sumpto. Ratio est, quòd meritum *de congruo* prœmii supernaturalis equidem non fundetur in debito justitiæ (quod est proprium merito de condigno) fundetur tamen in jure amicabili, sive in operis & operantis acceptibilitate: ergo homo primam gratiam nequit sibi mereri de *congruo strictè* sumpto. Prob. conseq. Ideo non potest sibi mereri gratiam primam *de condigno* per actus contritionis & charitatis; quia gratia est principium meriti, sic, ut ab illa opus suum valorem, æqualitatem, & condignitatem cum prœmio accipiat: ergo nec de *congruo strictè* sumpto potest quis sibi primam mereri gratiam: quia jus amicabile, & acceptabilitas operis atque operantis similiter à gratia prima provenit.

207. Nec refert, quòd secundùm Thomistas non paucos actus contritionis & charitatis tanquam dispositiones ad gratiam sanctificantem ab eâdem etiam effectivè procedant. Nam isti Auctores reponunt, prædictos actus effectivè à gratia sanctificante procedere, prout ista accipitur in *fieri*, seu in infundi, & gerit vices auxilii actualis, seque tenet ex parte agentis: non verò, prout gratia consideratur in facto esse, ac se tenet ex parte subjecti, id est, animæ rationalis gratiam recipientis, sub qua consideratione gratia habet rationem habitûs & formæ permanentis, dantis esse Divinum participativè, atque animam sanctificantis: in qua posteriori consideratione solùm perfectam hominis cum DEO amicitiam fundat. Sic Gonet cum Ferrariensi, Cajetano, &c. *disp.* 1. *de Justific. artic.* 8. & *de Merito disput.* 2. *artic.* 7. Quòd si congruum impropriè & *largè* sumatur, id est, pro quavis proportione, exigentia formæ, habitudine connaturali, vel connexione cum prœmio, qualis etiam inter dispositionem & formam reperitur, actibus contritionis & charitatis, nec non & aliis, v. gr. fidei, orationis, &c. justificationem in genere causæ materialis, seu dispositivæ gratiæ infusionem antecedentibus, in tali acceptione gratiam primam sub meritum de congruo cadere posse, passim concedunt Theologi.



THE-

# THESIS III.

***Homo justus non potest sibi mereri vel de condigno, vel de congruo reparationem post lapsum in peccatum mortale.***

208. PRob. ex S. D. 1. 2. *q.* 114. *art.* 7. *in C.* cujus contextus est: si homo posset dictam reparationem mereri, tunc vel merito condigni? & hoc non: quia istud meritum dependet à motione gratiæ, quæ interrumpitur per subsequens peccatum, proindeque se non extendit ad beneficia reparationis: vel merito congrui? sed neque hoc: quia intercedit impedimentum peccati: quod, si impedit, ne quis alteri mereatur, multò magis impedit in eo, qui meretur. Elucidatur I. Meritum mortificatum & quoad valorem in Divina acceptatione suspensum, nequit de condigno DEUM exercitè movere ad conferendum reparationis & justificationis beneficium. At meritum justi per peccatum mortale fit mortificatum, & valor ejus in Divina acceptatione fit suspensus, donec scil. remoto peccati obice reviviscat: Ergo meritum justi nequit DEUM exercitè movere ad conferendum reparationis seu justificationis beneficium. Maj. est clara. min. colligitur ex illo *Ezech.* 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur ampliùs.* Accedit, quòd nemo possit sibi de condigno mereri remotionem & remissionem offensæ suæ mortalis. Deinde, vel quis mereretur reparationem per actus, quos in statu peccati elicit, vel quos elicit durante statu gratiæ? non primo modo: quia condignitas meriti constituitur per gratiam habitualem: nec secundò modò: quia sic gratia prima, per reparationem restituenda, caderet sub meritum, contra superiùs præclusa. Absurdum etiam est dicere, hominem semel justum, qui vel unum opus meritorium exercuisset, non posse ampliùs in peccato mori, ac damnari: hoc autem jure diceretur: nam quodcunque opus meritorium, in statu gratiæ exercitum, ad cujuslibet peccati lethalis remissionem se extenderet. Elucidatur II. Ad meritum de *Congruo* strictè accepto requiritur, ut fundetur in jure amicabili; quod haud dubiè rescinditur per peccatum: imò è contrario subjectum merens redditur DEO exosum, inimicum, omnique favore indignum. Unde sic: pugnat cum ratione, aliquem mereri, ut retributionem operis tunc accipiat, quando erit indignus retributione: atqui justus tunc, quando in mortale est prolapsus, erit indignus retributione. Ergo justus non meretur, ut post lapsum in mortale retributionem accipiat.

209. Dices I. contra 1. part. Illud, quod à DEO justè petitur, homo potest mereri: at nihil justiùs à DEO petitur, quàm reparatio, seu restitutio in statum gratiæ, post lapsum. Ergo homo reparationem post lapsum mereri potest. Resp. D. Th. *cit. q.* 114. *a.* 7. *ad* 1. desiderium, quo quis desiderat reparationem post lapsum, justum dici: similiter & orationem, qua tendit ad justitiam; non tamen ita, ut justitiæ innitatur per modum meriti, sed solùm misericordiæ.

210. Dices II. Justus secundùm modernam providentiam de condigno meretur sibi non solùm vitam æternam, sed etiam illius consecutionem. Ergo nihil obstat, quò minùs mereatur suam reparationem post lapsum. Prob. cons. quia nequit consequi vitam æternam, nisi post lapsum reparetur. Adhæc: qui de condigno meretur consecutionem alicujus prœmii, meretur quoque remotionem eorum, quæ prœmii consecutionem retardant, vel impediunt. Nonnulli quos inter refertur Picus Mirandulanus in *Apolog. quæst.* 2. difficultate hujus argumenti oppressi, asseruerunt, neminem vitam æternam absolutè mereri, nisi per actum finalis perseverantiæ, sed solùm sub conditione, si perseveret. Hos tamen, tanquam minùs rationabiliter sentientes refellit D. Th. *in cit. art.* 7. *ad* 3. subjecta ratione: *quia quandoque actus ultimæ gratiæ non est magis meritorius, sed minùs, quàm actus præcedentes, propter ægritudinis oppressionem. Unde dicendum est, quòd quilibet actus charitatis meretur absolutè vitam æternam: sed per peccatum sequens ponitur impedimentum præcedenti merito, ut non sortiatur effectum; sicut etiam causæ naturales deficiunt à suis effectibus propter superveniens impedimentum.*

211. Nec regeras, juxta SS. Trid. Conc. *Sess.* 6. *de Justif.* justificatum mereri *vitam æternam*, & ipsius *consecutionem*, *si tamen in gratia decesserit*: ergo sub conditione perseverantiæ finalis. Nam clausula, *si tamen in gratia decesserit*, non est trahenda ad condignitatem meriti vitæ æternæ, quasi meritum istud, condignitas, & jus ad gloriam essentialiter non esset constitutum & perfectum, nisi cum dependentia à conditione perseverantiæ finalis; sed refertur ad executionem gloriæ, actu non conferendæ, nisi perseverantibus finaliter. In forma ad argum. Resp. conc. ant. neg. cons. ad rat. subjunctas non discepto in eo, quòd gloriæ consecutio præsupponat reparationem post lapsum; sed solùm nego, rectè inferri, quòd meritum justi eò se extendat, ut intuitu meriti præcedentis atque adeò ex *justitia* fiat reparatio. Si ergo fiat, erit pura DEI *misericordia.* Non enim justus merebatur vel meriti perseverantiam in gratiæ motione fundatam, vel ipsius gratiæ, postquàm semel amissa fuerit, restitutionem: neque meruit remotionem impedimentorum, ex parte subjecti merentis se tenentium, qualia sunt lapsus in peccatum, & gratiæ absentia; quamvis meruerit remotio-

nem impedimentorum, quæ se tenent ex parte objecti seu proemii. Paucis: discrimen, cur justus sibi de condigno possit mereri gloriam, tametsi non sit in gratia perseveraturus, non verò reparationem post lapsum, stat in eo, quòd meritum gloriæ non terminetur ad aliquid, ad cujus consecutionem per se & necessariò præsupponatur amissio gratiæ, seu interruptio Divinæ motionis: cùm ista interruptio in eo, qui finaliter non perseverabit, habeat se prorsus per accidens; & gloriæ assecutio per se ac necessariò gratiæ Divinæ amissionem præviam, & motionis Divinæ interruptionem non requirat: econtra reparatio post lapsum illam amissionem, & motionis interruptionem per se, & necessariò præsupponat. Adhæc: meritum gloriæ non terminatur ad illius consecutionem vel collationem, quæ cadat in statum indignitatis, in quem caderet meritum reparationis post lapsum: cùm tamen, saltem secundùm modernam providentiam repugnet, proemium deberi subjecto indigno antecedenter ad proemium.

212. Urges: Meritum de condigno Christi Domini extenditur ad statum indignitatis, quem homo per peccatum mortale incurrit; quia reverà nobis meritus est reparationem post lapsum. Ergo status indignitatis nec in præsenti obstat. Resp. reparationem post lapsum, quam peccatores propter merita Christi consequuntur, spectari posse primò in ordine ad ipsos peccatores: secundò in ordine ad Christum, qui reparationem meruit. Primo modo, id est, relatè ad peccatores, reparatio non habet rationem proemii, sed tantùm rationem doni omnino gratis collati: quod utique etiam indignis conferri potest; secus proemium de condigno debitum; & tamen reparatio, quam sibi justus anticipatò mereretur de condigno, ipsi deberetur titulò proemii. Secundo modo verò, & relatè ad Christum, reparatio, quam in commodum peccatorum promeruit, habet rationem proemii. Serra *de Merit. artic.* 8.

213. Dices III. cont. secund. part. Divus Thomas *lect.* 3. *in cap.* 6. *ad Hebr.* expendendo Apostolum: *non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri*, videtur apertè agnoscere meritum *de congruo*, quo justus reparationem post lapsum mereatur: ait enim, duplex esse meritum: *unum, quod innititur justitiæ; & istud est meritum condigni: aliud, quod soli misericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui. Et de isto dicit quòd justum est, id est, congruum, quòd homo, qui multa bona facit, mereatur. Ista enim misericordia conjuncta est quodammodò justitiæ, plusquàm in illo, qui nunquam fecit. Et isto modo non obliviscitur DEUS operis & dilectionis.* Resp. vel D. Thomam exponendum sibique conciliandum esse, quòd ibi loquatur de merito congrui, latè ac metaphoricè sumpti: vel loquatur de poenitentibus post lapsum, quòd nimirum propter merita præcedentia, licet hactenus per peccatum mortificata, quia denuò reviviscere incipiunt, de congruo veniam mereantur. Sylvius ad 1. 2. *q.* 114. *art.* 7. *ad* 1. verba præcitata Apostoli exponens tam de justis, qui in justitia permanserant, quàm de illis, qui post lapsum ad justitiam redierunt.

214. Dices IV. Josaphat 2. *Paralip.* 19. à DEO reprehenditur: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt me, amicitiâ jungeris: & idcirco iram Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te.* Rex ille proinde per bona opera anteriora sibi saltem de congruo strictè sumpto meruit, ut post lapsum à DEO repararetur. Resp. ex eod. Sylv. loco citato inprimis sensum non esse de merito reparatæ justitiæ post lapsum, sed de evasione punitionis temporalis. Præterea Josaphat, ante exprobrationem prædictam, jam erat reversus ad Dominum: dicitur enim ibid. *quòd præparaverit cor suum, ut requireret Dominum DEUM Patrum suorum.*

215. Dices V. Possum orare utiliter, ut gratia aliquando peccando amissa mihi reparetur: siquidem ita orâsse censetur Propheta Regius Psal. 70. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, consequenter justus *impetrando* potest suam reparationem obtinere: cur non & per anticipationem *merendo?* Resp. latum esse discrimen, inter *impetrare* per orationem, & inter *mereri* etiam de congruo. Beati nobis impetrant plura beneficia, quamvis sint extra statum viæ constituti atque extra statum merendi: Similiter & animæ in flammis piacularibus: reprobi econtra, quamdiu non excidunt à gratia, gloriam merentur, quin eandem reipsa impetrent. Pauper quoque rogando impetrat eleemosynam, non tamen meretur. *Meritum* simpliciter exigit statum gratiæ: innititur juri intrinseco vel justitiæ, vel amicitiæ: convenit actui, prout refertur in obsequium DEI: est commune omnium virtutum actibus: non requirit perseverantiam. At *impetratio* locum habet etiam in existentibus in statu peccati: juxta illud D. Augustini *Tract.* 44. *in Joan. Si peccatores non exaudiret DEUS, frustra publicanus dixisset: Domine propitius esto mihi peccatori:* item innititur purè misericordiæ DEI: & fundatur in sola orationis perseverantia. Unde & D. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. *ad* 2. notavit, quòd peccatoris oratio sit impetratoria (utique contingenter, non infallibiliter) non tamen *meritoria.*

216. Urges. Ratio, cur justi meritum evacuetur, ut post lapsum ad reparationem gratiæ non extendatur, est, quia sit mortificatum: at non minùs vis impetratoria per peccatum, quod justus committit, mortificatur: ergo utrinque militat par ratio. Resp. ex dictis, impetrationem esse compossibilem cum peccato: siquidem non innititur dignitati petentis, sed liberalitati dantis: igitur vis impetrationis per peccatum non redditur mortificata absolutè, sicuti meritum condigni, & congrui strictè sumpti; esto illâ efficaciâ & dignitate majore, quam ex gratiæ con-

conjunctione habebat, careat. Quòd autem impetratio non semper habeat infallibiliter annexam consecutionem rei petitæ, v. gr. reparationis post lapsum, in defectum conditionum requisitarum refunditur, præsertim in defectum perseverantiæ. Quocirca notabilis est eruditio Div. Thomæ *cit.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. in Corp. ubi ait: *Si peccator orando aliquid petit, in quantum peccator, id est, secundùm desiderium peccati, in hoc à DEO non auditur ex misericordia; sed quandoque auditur ad vindictam, dum DEUS permittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata. Orationem verò ex bono desiderio naturæ procedentem DEUS audit, non quasi ex justitia; quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia:* observatis tamen quatuor conditionibus, ut scil. pro se petat necessaria ad salutem, piè, & perseveranter.

217. Dices VI. Potest justus alteri de congruo strictè sumpto mereri reparationem post lapsum: cur non & sibi? Ant. traditur à D. Thom. 1. 2. *quæst.* 114. *a.* 6. ibi: Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia enim homo, in gratia constitutus, implet DEI voluntatem, congruum est, secundùm amicitiæ proportionem, ut DEUS impleat hominis voluntatem in salvatione alterius. Unde & Augustinus *Homil.* 144. in Exodum dicit, nos relevari meritis eorum, qui diligunt DEUM, & ab eo diliguntur. Et alibi: si Stephanus non oràsset, Ecclesia Paulum non haberet. Est autem eadem ratio de reparatione post lapsum, quæ de infusione primæ gratiæ. Neque obstat, quòd purus homo alteri gratiam primam, vel reparationem ejus, non possit mereri de condigno. Nam disparitatem suggerit Div. Thom. *cit. artic.* 6. quòd meritum de condigno habeat suam vim ex motione gratiæ, quæ unicuique à DEO confertur, ut ipse ad vitam æternam perveniat: & ideo meritum de condigno ultra hanc motionem se non extendat. Et in hoc gratia Christi supra nostram excellit, quòd *anima Christi fuerit mota à DEO per gratiam, non solùm ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam & alios in eam adduceret, in quantum est Caput Ecclesiæ, & Auctor salutis humanæ*, secundùm illud ad *Hebr.* 2. qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem salutis &c. Igitur gratia Christi ut Capitis influxum quemdam moralem exercet in nos ut membra ipsi moraliter unita; secus gratia adoptionis, quæ cuilibet est propria, ut quisque sibi, non alteri, vitam æternam de condigno mereatur. Resp. Concesso Antec. cum sua probat. negando conseq. Quia justus, quando alteri vel primam gratiam vel reparationem post lapsum de congruo propriè sumpto meretur, non versatur in statu indignitatis, & abominationis (in quo versatur post lapsum suum in peccatum respectu suæ propriæ reparationis) sed in statu amicitiæ cum DEO; proinde congruum est, ut DEUS illius opera, in statu gratiæ pro altero facta, & oblata, remuneretur & recompenset.

# THESIS IV.

***Neque de Condigno, neque de Congruo justus sibi perseverantiam finalem in bono, sive conjunctionem status gratiæ cum morte mereri potest.***

218. PRob. I. ex S. Trid. Concil. *Sess.* 6. *de Justif. Can.* 13. ubi donum perseverantiæ finalis aliunde haberi posse negatur, *nisi ab illo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere.* Igitur à solo DEO donum hoc specialissimum perseverantiæ finalis proficiscitur: quod veritati non consonaret, si etiam ex nostro merito pendere posset. Et quidem de facto à merito de condigno non pendere, Catholicus consensus habet. Neque ullibi constat de aliquo pacto vel promissione DEI de conferenda perseverantia meritorum intuitu. Deinde, quod quis meretur à DEO, illud consequitur infallibiliter, nisi per peccatum impediatur: at multi faciunt opera meritoria, qui tamen perseverantiam non obtinent. Itaque per bona opera perseverantiam non merentur.

Replicas, saltem de DEI potentia absoluta non esse impossibile meritum perseverantiæ finalis. Sed contrarium

219. Prob. II. ex ratione D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 9. Implicat, principium meriti cadere sub meritum, saltem de condigno sumptum: at, admissô meritô finalis perseverantiæ ùt possibili, principium meriti caderet sub meritum: Prob. min. principium meriti est gratia sanctificans prout determinata per motionem Divinam, hoc est, per auxilium efficax. Atqui admissô meritô perseverantiæ finalis ùt possibili, gratia sanctificans, prout determinata per motionem Divinam, caderet sub meritum: quia fieret objectum meriti: nam quid est aliud illa perseverantia, quàm duratio & conservatio ipsius gratiæ, ut usque ad instans mortis continuetur? Itaque, admissô meritô perseverantiæ finalis ùt possibili, principium meriti caderet sub meritum. Breviter. Petrus ex. gr. hodie justificatur per gratiæ infusionem: crastinâ moritur: perseveravit in statu gratiæ, usque ad instans mortis, adeoque finaliter. Per quid perseveravit? Per eandem entitativè gratiam, quæ hodie ipsi primò infusa fuit. Jam sic: gratia hodie infusa non poterat esse objectum meriti, spectando etiam potentiam DEI absolutam: sed gratia durans cras, in qua perseverat, est gratia hodie infusa: nam conservatio rerum à DEO non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, quæ dat esse,

D. Th.

D. Th. 1. *p. q.* 104. *art.* 4. *ad* 4. nec igitur major est ratio, cur quis gratiæ continuationem & conservationem potiùs, quàm ejus primam productionem, mereri valeat. Ergo gratia durans cras, in qua Petrus perseverat, non poterat esse objectum meriti. Postremò: Perseverantia finalis præter gratiæ sanctificantis continuationem includit & connotat complexionem auxiliorum Divinorum prævenientium, concomitantium, sufficientium, & efficacium, extrinsecorum & intrinsecorum: hæc enim omnia ad gratiæ conservationem conducunt saltem indirectè, impediendo peccata. Atqui prædictam complexionem, præsertim respectu auxiliorum efficacium, nemo potest mereri: quia & ista ad principium meriti pertinent, atque adeò non possunt habere rationem prœmii. Ergo.

220. An verò perseverantia finalis possit esse objectum meriti *de congruo* strictè accepto, pro utraque parte non desunt Patroni. Affirmantes moventur ex eo, quòd existens, & bene operans in statu gratiæ, jure amicitiæ dignus censeatur, ut DEUS ipsum juvet in iis, quæ spectant ad servandam amicitiæ perseverantiam. Negantes considerant, quòd D. Th. *supra cit. art.* 9. simpliciter, & citra distinctionem perseverantiam finalem ab objecto meriti submoveat: cùm tamen alibi ejusmodi distinctionis mentionem faciat: prætereà ipsum donum perseverantiæ ad conservationem seu durationem meriti de congruo strictè tali & consequenter ad ipsum principium meriti pertineat. Illud omnes facilè admittent, quòd justus merito de congruo latè sumpto perseverantiæ donum mereri valeat.

221. Dices I. S. D. *cit. art.* 9. Perseverantiam subjicit impetrationi per orationem. Ergo & merito subesse poterit. Resp. neg. conf. discrimen dedi ex eod. S. D. *num.* 4. Dixique, impetrationem inniti misericordiæ Divinæ, meritum dignitati gratiæ. Probaret hoc argumentum, quòd sicut perseverantia de facto sub impetrationem orantium cadit, ita & sub meritum, contra commune Catholicorum dogma.

222. Dices II. Majus quid videtur esse, posse mereri gratiam consummatam patriæ, quàm gratiæ continuationem respectu viæ: Ast gratiæ consummatæ meritum concedunt omnes cum D. Thoma *loc. cit.* Igitur à fortiori concedendum est meritum gratiæ continuationis respectu viæ. Resp. ex S. D. *loc. cit.* „Illud cadere sub humano merito, „ quod comparatur ad motum liberi arbitrii, „ directi à DEO movente sicut terminus: „ non autem id, quod comparatur ad prædi-„ ctum motum sicut principium. Unde pa-„ tet, quòd perseverantia gloriæ, quæ est, „ terminus prædicti motûs cadat sub merito. „ Perseverantia autem viæ non cadit sub me-„ rito; quia dependet solùm ex motione Di-„ vina, *quæ est principium* omnis meriti. „ Sub nomine principii S. Doct. hic intelligit non tantùm illud, quod ad actum meritorium eliciendum concurrit, sed etiam, quod ad meriti conservationem. Adde pro elucidatione disparitatis, quòd existentia gloriæ non sit necessaria ad primam existentiam meritorum. Similiter ergo nec perseverantia gloriæ (cujus nomine venit gratia consummata patriæ seu gratia, quatenus per gloriam perficitur) requiritur ad perseverantiam meritorum: econtra ad existentiam primam meritorum indispensabiliter requiritur existentia gratiæ: per consequens & perseverantia meritorum necessariò requirit perseverantiam gratiæ.

223. Dices III. Donum confirmationis in gratia, quali decorata fuit Deipara Virgo, habet annexam perseverantiam in bono usque in finem: sed potest quis mereri donum confirmationis: ergo & perseverantiam. Resp. minorem esse sub lite. Eâ tamen dissimulatâ, dico ad Maj. Dono confirmationis non tam annexam esse perseverantiam, quàm hanc ad illud præsupponi, & ad ipsum meritum talis doni, saltem ùt conservandum, usque dum prœmium conferatur: unde cùm donum confirmationis non habeat se ùt principium meriti seu eliciendi, seu conservandi, sed potiùs ad meritum possit comparari ùt terminus, perseverantia verò in gratia saltem sit principium meriti ùt conservandi, & requiratur, ut merens perseveret in statu prœmiabilis, perseverantia nequit esse terminus meriti, seu cadere sub meritum, estò meriti possibilitas permittatur quoad donum confirmationis, ad quod perseverantia præsupponitur. Sic, tametsi gloria præsupponat gratiam, ejusque perseverantiam, ex eo tamen, quòd gloria cadat sub meritum, id æquali jure de prima gratia non dixeris.

# THESIS V.

## *Justus bona temporalia, quatenus ad salutem æternam conducunt, potest de condigno mereri, & de facto meretur.*

224. PRob. I. ex D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *a.* 10. *in C.* ibi: *Si bona temporalia considerentur, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam, secundùm hoc directè & simpliciter cadunt sub merito: sicut & augmentum gratiæ*, & omnia illa, quibus homo *adjuvatur ad perveniendum in æternam beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat DEUS viris justis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis expedit, ad perveniendum ad vitam æternam. Et in tantum sunt simpliciter bona hujusmodi temporalia.* Unde dicitur Psal. 33. Timentes autem Dominum non minuentur omni bono: & alibi: non vidi justum derelictum. Adde illud *Math. 6.* Quærite primùm Regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Item 29. *Omnis, qui reliquerit domos, aut agros &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* quem locum D. Gregorius & alii de promissione bonorum temporalium interpretantur. Ex quibus jam constat de promissione & pacto DEI, quod ad meritum de condigno requiritur. Probat. II. ratione. Qui potest mereri finem de condigno, potest & media quatenus ad illum conducunt: nisi singulare obstet impedimentum. Justus de condigno mereri potest æternam beatitudinem tanquam finem meriti: ergo & media, in quantum ad illam conducunt. Nec dubites, an D. Thomas *loc. cit.* loquatur de merito de condigno, eò quòd hunc terminum non exprimat. Suffecerat enim, S. Doct. dixisse, bona temporalia cadere sub meritum *simpliciter*; hoc namque adverbio meritum strictè tale, seu de condigno significatur. Adhæc, meritum temporalium cum augmento gratiæ comparat: at istud spectat ad meritum de condigno: ergo & illud.

225. Dices I. Bona opera justorum digniora sunt bonis temporalibus: cùm igitur inter meritum & prœmium manifesta intercedat inæqualitas, temporalia ad summum de congruo mereri possumus. Resp. inprimis hoc non esse requisitum meriti de condigno, ut non excedat prœmium; sed vice versa, ne meritum excedatur à prœmio. Sic Christus Dominus merito infiniti valoris nobis gratiam & gloriam promeruit, quarum utraque est quid finitum. Prætereà bona temporalia, prout conducunt ad vitam æternam, quandam supernaturalitatem induunt, & ita eundem ordinem ingrediuntur, ac sub ea ratione causalitatem meriti terminant.

226. Dices II. Sæpe unus justus est pauper, alius dives, & tamen sunt æqualis meriti. Ergo prœmium temporalium justis non confertur infallibiliter: at hoc est contra meritum de condigno. Ergo. Resp. stante merito de condigno bonorum temporalium quà ad salutem deservientium, justis illa subtrahi, vel in minori quantitate concedi, quia sic eorum saluti expedit, & subtractio, vel non concessio ad majus meritum & gloriam conducit. Fidelis (verba sunt D. Prosperi *Sent.* 212.) „supplicat pro ne-„ cessitatibus hujus vitæ, & misericorditer„ auditur, & misericorditer non auditur: „ quid enim infirmo sit utilius, magis novit,„ Medicus, quàm ægrotus.„

227. Dices III. Longitudinem vitæ, estò inter bona temporalia numeretur, quàm plurimi justi non consequuntur, proinde nec de condigno merentur, etiamsi honorent parentes, & scriptum sit, honora patrem & matrem, ut sis longævus super terram. Imò, tametsi longitudo vitæ ad salutem possit esse proficua, ne quidem (salva nostræ doctrinæ connexione) videtur objectum capax esse meriti. Prob. prima vita corporalis seu naturalis cum suî continuatione comparatur primæ vitæ spirituali, seu supernaturali. Si ergo continuatio & perseverantia in vita spirituali seu supernaturali gratiæ non potest cadere sub meritum ex eo, quòd deberet esse principium meriti quoad continuationem, nec poterit continuatio seu perseverantia in vita naturali seu corporali cadere sub meritum; quoniam & longitudo vitæ corporalis quoad continuationem se tenet ex parte principii ad merendum. Resp. objiciendo verba D. Thomæ 2. 2. *q.* 122. *art.* 5. *ad* 4. *Propter ingratitudinem meretur quis beneficium perdere. Beneficium autem vitæ corporalis post DEUM à parentibus habemus. Et ideo ille, qui honorat parentes, quasi beneficio gratus meretur vitæ conservationem. Qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus meretur vitâ privari. Quia tamen præsentia bona vel mala non cadunt sub merito vel demerito, nisi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem* (prout meminerat S. D. *in* 1. 2. *q.* 114. *art.* 10.) *ideo quandoque secundùm occultam rationem Divinorum judiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui, qui sunt pii in parentes, citiùs vitâ privantur; alii verò, qui sunt impii in parentes, diutiùs vivunt.* Ad ulteriora, in objectione congesta, dicendum est, primam vitam supponi ad meritum per modum principii, ideoque non cadere sub meritum: continuationem verò vel longitudinem vitæ nec esse principium meriti, nec conducere ad illud; quandoquidem meritum sine longitudine vitæ potest simpliciter conservari, sicuti conservatur post mortem. Continuatio econtra gratiæ requiritur per se ad perseverantiam seu moralem meritorum conservationem.

228. Dices IV. Dominus DEUS justis Hebræorum bene operantibus spopondit bona

na tantùm temporalia, putà, terram lacte & melle manantem *Exodi* 13. Ergo nec moderno tempore bona temporalia secundùm se considerata à merito censentur exclusa, præsertim à merito *congrui*. Resp. equidem quibusdam placere, quòd justi bona temporalia secundùm se considerata *de congruo* mereantur: aliis tamen, præsertim Thomistis, contrarium verosimilius apparere: primò, quia D. Th. indistinctè tenet, bona vel mala non cadere sub meritum vel demeritum, nisi quatenus ad futuram remunerationem ordinantur: secundò, quia temporalia, præcisivè & solitariè spectata, communia sunt justis & injustis: cùm tamen prœmium, merito justi debitum, specialiter ad ipsum pertineat, atque in ejusdem commodum vergere debeat. Tertiò: quia etiam meritum de congruo est ordinis supernaturalis, & fundatum in charitate: ergo ad bona præcisè temporalia & ordinis naturalis non ordinatur tanquam via & motus ad suum terminum. Quartò: bona temporalia, in quantum substarent merito congrui secundùm se accepta, non essent à merito tanquam effectus prædestinationis à causa meritoria: cùm tamen quidquid justi meritum causat, inter effectus prædestinationis ejusdem justi computetur. Nec juvat ex S. Th. 1. 2. *q.* 114. *art.* 10. objicere, quòd, ibi bona temporalia *secundùm quid sub merito* cadere doceat. Nam S. Doctorem per hoc non intellexisse meritum de congruo, saltem strictè sumpto, patet ex subjecta explicatione: in quantum scilicet homines moventur à DEO ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur, DEO favente: ut sicut vita æterna est simpliciter prœmium operum justitiæ per relationem ad motionem Divinam, ita bona temporalia in se considerata habent rationem mercedis, habito respectu ad motionem Divinam, quâ voluntates hominum moventur ad hæc prosequenda, licet interdum in his non habeant *homines rectam intentionem.* Sub quibus terminis S. Doct. intellexit præcisè consecutionem physicam eorum, ad quæ movet DEUS. Exemplum de Judæis allatum nihil evincit: quandoquidem omnia sub figuris & prophetico more contigêre, sic, ut promissiones ipsis factæ aliquid Divinum & supernaturale significârint, ut in proposito terra melle & lacte fluens, cœlestem beatitudinem. D. August. 4. *cont.* Faust. *cap.* 2.

## THESIS VI.

***Homo in statu peccati mortalis bona temporalia, qualitercunque considerata, nec de condigno, nec de congruo mereri potest.***

229. PRob. durante statu peccati opus moraliter bonum nec fundatur in jure justitiæ (cùm deficiat hic promissio DEI) nec in jure amicitiæ cum ordine ad bona temporalia. Opus autem moraliter de se bonum non sufficit ad meritum seu condigni seu congrui strictè sumpti, si aliæ desint conditiones, quas inter & illa refertur, ut opus meritorium in obsequium prœmiantis, ceu in finem ultimum supernaturalem aliquo modo ordinetur, & à gratia sanctificante dignificetur.

230. Dices I. Sic absterreri peccatores ab exercitio operum bonorum, tanquam ipsis inutili. Resp. peccatores ad orandum, & bene operandum animari posse ex eo, quòd sibi exinde remedia & bona ad salutem conferentia à Divina misericordia *impetrent*, tametsi à justitia remunerationem non *mereantur.* D.Th. 2.2. *q.* 178. *art.* 2. *ad* 1. ibi: *Oratio impetrando non innititur merito, sed Divinæ misericordiæ, quæ etiam ad malos se extendit.* . . . Quando autem dicitur, *quòd oratio non audientis legem est execrabilis, intelligendum est, quantum est ex merito peccatoris.* Cæterùm, cui libuerit, impetrationem meritum secundùm quid & impropriè tale appellare poterit.

231. Dices II. apud D. Thom. *in* 2. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 4. *in C.* frequenter (ut Gregor. dicit) *DEUS in hoc Mundo remunerat eum, qui prœmium futuræ gloriæ non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniatur.* Sic Romanis meritum Zeli justitiæ, amorisque in Patriam dominiô latissimè per Orbem diffusô & concessô repensavit. Imò actus moraliter bonos, malitiâ quâdam mixtos, DEUS remuneratus esse legitur, ùt Exodi 1. ubi obstetricibus Ægyptiacis, quæ masculos Hebræorum, mendacio interveniente, à morte ex generali Pharaonis edicto inferendâ liberârunt, imperiô Divinô habitacula in remunerationis vicem ædificata fuisse perhibetur. Igitur culpa mendacii terrenam recompensationem accipit. Resp. ex dictis, remunerationes hujusmodi non esse propriè *morales*: nam nulla suberat proportio inter subjectum merens, (utpote ob peccatum DEO exosum, omnique pœnâ, nullo autem favore, vel retributione dignum) & inter prœmiantem: unde tales remunerationes non correspondebant alicui merito *Theologicè* accepto, sed merito cuidam *Philosophico*, quod admisit Aristoteles 5. *Ethic.* ponderando præcisè meriti proportionem cum ordine ad prœmium secundùm se, non item proportionem operis inter hominem merentem, & DEUM prœmiantem. Alii has & similes retributiones remunerationes *Physicas* nominant, subintelligendo consecutionem illius rei, seu termini, ad quem peccatores operando tendunt, & ad quem consequendum à DEO moventur. S. Thom. *lib.* 3. *de Regim. Princip. cap.* 4. Hinc patet solutio ad exemplum de Romanis. Ad alterum, de obstetricibus, dico

dico inprimis fortâsse eas mendacium formale non commisisse, credendo, se opus honestum & conservationi generis humani proficuum præstare. Deinde etiam illis applicanda est mox proposita solutio.

232. Dices III. Peccator eliciens actum fidei, præexistente habitu intensiorem, adipiscitur augmentum habitûs: certè non physicè efficiendo illud: ergo merendo, saltem de congruo. Quidnî per bona opera etiam bona temporalia mereatur? Resp. tale augmentum posse cadere sub impetrationem, non item sub meritum peccatoris. Vel dic, augmentum illud fidei ab actu intensiore procedere ùt dispositione physica, non tamen ùt causa meritoria, sed sine respectu ad meritum à DEO efficienter procedere.

## THESIS VII.

***Valde probabile est, ad actus Virtutum supernaturalium & moralium per se infusarum, ut in justo sint vitæ æternæ meritorii, non requiri Imperium vel actuale, vel virtuale charitatis.***

233. PRob. I. Auctoritate S. Trid. Conc. *Sess. 6. de Justif. cap. 16.* ubi *bene operantibus, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna tanquam gratia Filii DEI per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex DEI ipsius promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Nihil hic memoratur de influxu vel imperio charitatis, sed actui virtutis supernaturalis spei suam commeritam gloriam correspondere, simpliciter declaratur, consonante Apostolo Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram*, quæ magnam habet remunerationem: & 1. Cor. 15. *Abundate in omni bono opere, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino:* nec dissonante Doctore Angelico, in 2. 2. *q.* 2. *art.* 9. ubi quæstionem, utrùm actus fidei sit meritorius, affirmativè decidit, ratione subjuncta: quia *est actus intellectûs assentientis veritati Divinæ ex imperio voluntatis, à DEO motæ per gratiam, & sic subjacet libero arbitrio in ordine ad DEUM.*

234. Prob. II. Ratione. Imperium charitatis *formale* dicitur actus ab habitu charitatis elicitus, quo opera virtutum in DEUM ut finem ultimum actualiter & formaliter referuntur (hocque non requiri ad meritum, communissimè tenetur) *Virtuale*, est aliqua virtus, seu impressio ab actu charitatis, vel imperio formali præterito relicta. Jam sic: neque istud virtuale imperium est necessarium. Adhuc enim actus virtutis infusæ v. gr. Religionis, Obedientiæ, Misericordiæ &c. potest fieri in obsequium prœmiantis, & sufficienter in DEUM referri: Nam, ùt subtiliter & fundamentaliter pro more suo discurrit Eminentiss. Aguirre *tract.* 7. *de Natura hominis lapsa, cap.* 31. *sect.* 3. Opera virtutum infusarum, licèt non imperentur expresè, sicque in finem ultimum non dirigantur sub expressione finis ultimi; nihilominùs naturali pondere feruntur in ipsum finem ultimum supernaturalem implicitè sub ratione expressa objecti. Actus enim supernaturales fidei naturali pondere tendunt in finem ultimum implicitè sub expressa ratione objecti summè veracis in revelando; actus spei sub ratione objecti summè fruibilis; actus obedientiæ sub ratione supremi Legislatoris; actus Religionis sub ratione digni summo honore, & cultu &c. quæ rationes implicitè idem sunt ac ratio finis ultimi, licèt non expressè. Sanè DEUS, in quantum sub ratione expressa objecti supernaturalis, v. g. fidei, vel spei, aut etiam virtutum moralium infusarum, attingitur, in operationes humanas supernaturalem bonitatem refundit: cumque istæ dependeant à speciali DEI auxilio ex meritis Christi conferendô, & in gratia habituali (quæ est participatio naturæ Divinæ, & principium habituale, quo opera nostra habitualiter in finem ultimum supernaturalem referuntur, simulque forma, à qua actualiter dignificantur) sicuti etiam in ipsa charitate similiter habituali radicentur, haud dubiè procedunt à DEO ùt Authore supernaturali, continent valorem prœmio essentiali coæqualem, & suâpte naturâ ad DEUM moraliter reflectuntur tanquam in finem ultimum, proindeque satis probabiliter prœmium essentiale vitæ æternæ de condigno merentur.

235. Cæterùm opinionis contrariæ defensoribus onus probandi incumbit, quòd in actibus ex sua natura (modô explicatô) in finem ultimum tendentibus, vel ex ipsa natura meriti relatione distincta per imperium charitatis opus sit; vel saltem ex lege & ordinatione DEI: primum non docebunt: alterum ex Authoritate superiùs convulsum manet.

236. Confirmationis locô sit primô exemplum de justificato mediante & disponente attritione ad absolutionem Sacramentalem. Talis attritio formatur per gratiam infusam pro posteriori naturæ, & redditur meritoria vitæ æternæ: at illa supponitur fuisse pura, & ab omni motivo charitatis benevolæ independens. Ergo in posito exemplo habemus meritum de condigno vitæ æternæ sine omni charitatis imperio. Simile est, si solo interventu attritionis per gratiam in Sacramento acceptam justificatus, posteà in actibus fidei, spei, aliarumque virtutum moralium sistendo in ipsarum honestatibus, & objectis, & sic absque motivo seu imperio charitatis sese exercitet, quis non confidat, tale exercitium fore meritum de condigno prœ-

prœmii vitæ æternæ, psalmista generatim dicente: *tu reddes unicuique secundùm opera ejus.* In Confirmationem deservit secundò paritas deducta ab actibus graviter demeritoriis. Isti enim fini supernaturali opponuntur (ex. gr. adulterium, homicidium voluntarium, furtum) pœnam essentialem causant moraliter, & à DEO peccatores avertunt, estò non fiant ex formali affectu, & expressa intentione DEUM offendendi, ipsi displicendi, & recedendi à fine ultimo.

237. Dices I. Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ad *Gal.* 5. Nec actus patientiæ & fortitudinis est meritorius, nisi aliquis ex charitate procedat. D. Th. 1. 2. *q.* 114. *art.* 4. *ad* 3. Et in 3. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 5. *ad* 5. ait, quòd, licet meritum sit in charitate, sicut in radice, non tamen mereamur sola charitate, sed etiam aliis virtutibus, in quantum actus earum sunt imperati à charitate. II. Juxta eund. S. Doctorem quantitas & diversitas in merendo reducitur ad diversitatem charitatis, prout colligitur ex 1. *p. q.* 95. *art.* 4. *in Corp.* III. Nullum opus nostrum moraliter bonum potest habere vim de condigno vitæ æternæ meritoriam, nisi ordinetur in obsequium DEI prœmiantis tanquam in finem operis, & operantis. At si opera nostra supernaturalia procederent à gratia, & non à charitate, non possent ordinari in obsequium DEI prœmiantis tanquam in finem operis & operantis: consequenter sine charitatis influxu seu imperio non datur opus meritorium vitæ æternæ. Confir. I. Sola charitas est, quà in DEUM tanquam in finem ultimum tendimus: nam per actus virtutum moralium infusarum non tendimus nisi in bonum honestum ordinis supernaturalis, quemadmodùm per actus virtutum moralium acquisitarum non tendimus, nisi in bonum honestum ordinis naturalis. Si igitur actus virtutis infusæ in obsequium prœmiantis tanquam in finem ultimum operis & operantis de se ordinarentur, vagarentur extra proprium specificativum in objectum specificativum ipsius charitatis; quod nisi mediante charitatis imperio impossibile est. Confirm. II. Licèt quis plures exerceat operationes cæteroquin bonas, non meretur apud Petrum aliquod prœmium, si illas propter Petrum non eliciat, nec in ejus utilitatem ordinet. Ergo similiter &c.

238. IV. Actus fidei non imperatus à charitate, estò procederet à gratia, non esset sufficienter proportionatus cum vita æterna: non enim esset medium proximum ad illam. Ergo sine imperio charitatis non esset sufficienter & proximè meritorius. De talibus itaque actibus intelligendus venit D. Thom. dum *q.* 26. *de Verit. art.* 6. ait: *Isti autem non sunt condigni quasi pretium respectu vitæ æternæ, nisi secundùm quod sunt gratia & charitate formati.*

239. V. Actus supernaturales se habent ut electiones mediorum conducentium ad finem ultimum. Ergo intentionem finis præsupponunt. Confir. Actus virtutis infusæ moralis præsupponit judicium prudentiæ infusæ: sed prudentia infusa includit affectum rectum erga DEUM ùt finem supernaturalem; quemadmodùm prudentia acquisita includit affectum rectum erga bonum honestum naturale. Ergo actus virtutis infusæ præsupponit affectum erga ultimum finem supernaturalem. Atqui iste affectus rectus est actus charitatis. Ergo &c.

240. VI. Habitus cæterarum virtutum supernaturalium, ut istæ sint perfectæ, debent in gratia radicari mediante habitu charitatis: ergo etiam actus cæterarum virtutum, ut sint perfecti, debent actui charitatis subordinari: conseq. patet: quia enim habitus sunt propter actus, subordinatio habituum est propter subordinationem actuum.

241. VII. Juxta Apostolum charitas est *vinculum perfectionis:* & ideo (verba sunt D. Thomæ 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. *in Corp.*) *secundùm charitatem specialiter attenditur perfectio vitæ Christianæ, sed secundùm alias virtutes secundùm quid:* quapropter prœmium simpliciter tale & essentiale Patriæ competet soli motioni charitatis tanquam perfectioni essentiali viæ: ac proinde actibus cæterarum virtutum, utpote perfectarum solùm secundùm quid, prœmium duntaxat accidentale & secundùm quid correspondebit. Neque æquum & rationi consonum videtur, ut ancillis sit prœmium idem ac commune cum Regina, qualis est charitas in virtutum choro.

242. VIII. Omne meritum vitæ æternæ simul est meritum augmenti charitatis: atqui hoc augmentum aliter fieri nequit, nisi per actus à charitate vel elicitos, vel saltem imperatos: Ergo sine horum uno non datur meritum vitæ æternæ. Verùm, utut hæc non levis sint momenti, & sententiam oppositam, ùt probabilem commendent, & ideo in praxi bona opera charitatis imperiò in DEUM ùt bonum supernaturale & finem ultimum expressè dirigere saluberrimum atque consultissimum sit, attamen probabilitatem nostræ sententiæ non elidunt. Nam

243. Ad I. & II. Resp. similes textus rectè explicari de radice charitatis, quæ est gratia sanctificans: vel de charitate habituali: quo sensu Apostolum *loc. cit.* locutum esse colligitur ex subjectis verbis: *Charitatem non habuero.* Nec ex eo, quòd fides per actualem dilectionem operari dicatur, à sensu contrario arguere licet, quòd sine charitatis actuali influxu nihil operetur in eo, cui gratia inest per modum naturæ & principii habitualis in ordine supernaturali. Adde, rationem meriti à S. Doctore charitati tribui ùt primæ proprietati gratiæ; item primariò; quia sola charitas sub explicita ratione finis ultimi in se & propter se inspecti in DEUM tendit & aliarum virtutum actibus imperat: per hoc tamen S. Doct. cæteris virtutibus infusis exercitium secundarium meriti minimè abnegat. Ita Angelici verba

explanat Eminentiss. Aguirre *cit. cap.* 31. *num.* 54. subjiciendo, quòd in Sententia memorati S. Doctoris actus imperatus ùt imperatus non afferat distinctum meritum ab imperante, sed constituat idem meritum cum imperante, ita, ut in imperante sit primariò & intrinsecè, in imperato autem secundariò & extrinsecè seu denominativè. Quocum nihilominùs cohærere subdit, quòd actus aliarum virtutum specificativè imperati, vel nullum aliàs præsupponentes charitatis imperium, ratione bonitatis supernaturalis, quam intrinsecè habent, prout dignificati à gratia, per se, verè, ac propriè prœmium essentiale mereantur. Sic etiam (ait) actus charitatis prout efficaciter imperatus ab actu fidei, non habet proprium meritum à merito intrinseco actûs fidei imperantis distinctum, estque solùm secundariò & extrinsecè meritorius: cùm tamen aliàs ratione suæ intrinsecæ bonitatis sit meritum perfectissimum.

244. Ad III. & ejus Confir. I. Resp. ex dictis, equidem opera virtutum infusarum non ordinari in obsequium DEI prœmiantis, & finem ultimum, sub expressa ratione, & formali, seu explicita relatione: ordinari tamen implicitè virtualiter, ac suómet pondere, tum ratione gratiæ, tum ratione proprii objecti. Si enim nullo modo ex sua natura in DEUM ordinarentur, D. Thom. 1. 2. *q.* 65. *art.* 2. non judicâsset, virtutes infusas *simpliciter virtutes* dici debere: *quia bene ordinant hominem ad finem ultimum:* sicut namque procedunt à DEO ùt Auctore seu principio primo supernaturali, ita in eundem ùt finem ultimum supernaturalem connaturali pondere tendunt. Ex quo elucet dispar. ad Confir. II. quia scilicet actiones v. g. Pauli non procedunt à Petro ùt Auctore primo: ideò nec suómet connaturali pondere, implicitè, vel virtualiter in Petri obsequium, vel utilitatem referuntur. Quamvis autem (uti subloquitur Aguirre) virtutes supernaturales non omnes DEUM respiciant ùt objectum directum sicuti respicitur à fide; & aliquæ indirectè solùm, ùt religio, pœnitentia, obedientia; aliæ verò remotè solùm, ùt „temperantia, fortitudo, & aliæ morales in„fusæ; omnes tamen, & ipsarum actus, à „gratia dignificati, immediatè tendunt ad „ultimi finis assecutionem, non solùm phy„sico, seu naturali pondere, sed etiam mo„rali, quamquam indistincto ab ipsa bonita„te morali, & specifica eorundem actuum.

245. Ad illud in Confir. I. adductum, quòd nulla virtus vagari possit extra objectum specificativum, reponit idem Purpuratus Doctor, unam virtutem in alterius virtutis objectum specificativum equidem non posse ferri sub ea ratione formali, sub qua alterius virtutis specificativum est, bene tamen sub diversa. Jam verò DEUS, in quantum est objectum *specificativum* solius charitatis sub ratione finis ultimi, est DEUS prout *in se*, & propter se inspectus. Hoc tamen non obstat, quin DEUS v. g. sub ratione finis ultimi *beantis* & satiantis concupiscentiam creaturæ rationalis, possit esse proprium ac specificativum objectum Spei Theologicæ, qua implicitè nihilominùs DEUS in se bonus attingitur. Quis verò inficias eat, in DEUM, ùt nobis summè bonum, & summum satiativum nostrum, sperare, esse actum laudabilem vitæque æternæ meritorium, canente Psalmista Regio: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

246. Porrò inefficacia totius argumenti convincitur ex retorsione in prœmio accidentali, quod Adversarii actibus virtutum supernaturalium ipsimet citra influxum omneque imperium charitatis concedere non dubitant. Instabo enim: meritum prœmii etiam accidentalis debet ordinari in obsequium DEI prœmiantis, & in finem ultimum supernaturalem. At sine charitatis influxu vel imperio nequit haberi illa ordinatio. Ergo nec meritum prœmii accidentalis. Quomodò evadent, nisi per viam distinctionis primùm à nobis expositæ? Ex his, eadem retorsione repetita,

247. Ad IV. negatur, actum fidei non imperatum à charitate non esse medium proportionatum & proximum ad vitam æternam: dignificatur enim sufficienter & proximè à gratia, & ratione objecti seu honestatis supernaturalis, quæ se ipsa uti est à DEO quà Auctore supernaturali profecta, ita in ipsum ùt finem ultimum virtualiter sine alio medio refertur. Textus oppositus explicandus est de necessitate gratiæ & charitatis habitualis.

248. Ad V. Neg. ant. quòd omnis actus virtutis moralis infusæ sit propriè & strictè electio, quæque formalem finis intentionem præsupponat: nam ex *num.* 51. ipse S. Doct. virtutes infusas vocat virtutes simpliciter, eò quòd hominem bene ordinent ad finem ultimum. Certè virtus moralis infusa terminatur ad objectum habens bonitatem motivam propriam & peculiarem, elicere potens actus circa proprium finem absque dependentia ab alio actu præviè à voluntate elicito, & sine alio præintento. Quòd autem dicatur habitus electivus, denominatio hæc provenit ab exercitio libero actuum, qui ab operante sine determinatione ad unum ex libera intentione finis alicujus particularis eliciuntur. Ad Confir. Resp. actui supernaturali virtutis moralis præsupponi judicium prudentiæ infusæ respectivè ad illam honestatem specialem, quæ ad particularem aliquam virtutem pertinet, & hoc sensu etiam pium & rectum affectum erga DEUM sub tali speciali ratione includit; non verò cum expressione finis ultimi, terminante actum charitatis. Si argumentum objectum stringat, quomodò objicientes salvabunt attritionem Sacramentalem puram? Nonne enim & illa subordinatur prudentiæ infusæ? Et tamen attritio non includit affectum talem, quo attritus, & virtute Sacramenti Pœniten-

nitentiæ per gratiam justificatus, in DEUM sub expressa ratione finis ultimi tendat.

249. Ad VI. Neg. conseq. Nam habitus virtutum infusarum moralium à gratia sanctificante tanquam proprietates à sua essentia connaturali sequela dimanant: actuum econtra exercitium libero arbitrio substat. Itaque voluntas, Divino præventa & adjuta auxilio, pro libitu suo in actibus virtutum sese exercere poterit.

250. Ad VII. Resp. cum Card. Aguirre actibus fidei, spei, obedientiæ, fortitudinis, &c. in sacris paginis non uno loco præmium essentiale vitæ æternæ promitti, in quantum nimirum sunt in gratia & charitate radicati: quare in illis hoc modo consideratis perfectio vitæ Christianæ simpliciter salvatur, estò in actibus charitatis perfectio sit præstantior, utpote per quam velut in radice & fundamento primò & principaliter unimur cum fine ultimo sub ratione talis. Dum verò S. Th. docet, perfectionem vitæ Christianæ secundùm quid attendi in aliis virtutibus, aut loquitur de virtutibus acquisitis justorum, quæ sunt virtutes solùm secundùm quid, per tradita ab ipso in 1. 2. *q.* 65. *art.* 2. Supernaturales verò seu infusæ sunt simpliciter tales: aut S. D. loquitur de virtutibus præcisivè à radicatione in gratia & charitate habituali sumptis, quales sunt virtutes informes fidei & spei in peccatoribus, quæ in illis non nisi secundùm quid nomen virtutis sortiuntur, & radice totius meriti simpliciter carent.

251. Ad VIII. Resp. Card. Aguir. nec charitatem, nec alias virtutes infusas actibus nostris physicè augeri, sed *moraliter* & *meritoriè* duntaxat. Unde sicut per actus unius virtutis infusæ, quæcunque illa sit, in homine justo augentur cæteræ virtutes morales infusæ, ita & charitas. Et quemadmodùm Adversarii ajunt, per actum charitatis intensum crescere virtutes infusas; ita nos dicimus, & pari ratione, per quemlibet actum intensum fidei, spei, ac virtutis moralis infusæ, crescere charitatem in homine justo.

# THESIS VIII.

## *Merita peccatô mortificata per sequentem pœnitentiam & justificationem reviviscunt.*

252. PRob. tum ex S. Conc. Trident. *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 16. *Hac igitur ratione inducti, justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba*: abundate in omni tempore bono &c. tum ex D. Hieronymo ad *Galat.* 3. „Quicunque, ob fidem Christi laboraverit, & posteà lapsus „fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, sic rursus non perdet „ea, si ad antiquum statum restituatur: demum etiam ratione D. Thomæ 3. *p. q.* 89. *art.* 5. ex quo (præmisso illo *Joëlis cap.* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, & reddam vobis annos, quos comedit locusta & bruchus)* sic argumentor: reviviscere merita, est nihil aliud, quàm quòd post peccatum adhuc saltem moraliter alicubi existant, &, ablatô impedimentô, recuperent efficaciam perducendi ad vitam æternam: at post peccatum (quo mortificantur) adhuc moraliter existunt, nempe in Divina acceptatione (quia semper DEUS illa opera, prout facta fuerint, acceptabit; quod constat ex allegatis testimoniis) & ablatô per subsequentem pœnitentiam & justificationem peccatô, ceu impedimentô, ne potuerint subjectum ad vitam æternam perducere, recuperant efficaciam perducendi illud ad vitam æternam. Ergo per subsequentem pœnitentiam ac justificationem reviviscunt.

253. Dices I. Sicut per pœnitentiam subsequentem remittuntur peccata præterita, ita etiam per peccatum sequens mortificantur opera priùs in charitate facta. At peccata dimissa, per pœnitentiam non redeunt. Ergo nec opera, mortificata per peccatum, per charitatem reviviscunt. II. DEUS promisit remunerationem meritorum sub conditione: si merens non ponat obicem peccati: ita colligimus ex illo *Ezech.* 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Itaque conditione, propter peccatum opera meritoria subsequens, deficiente, promissio Divina non ampliùs tenet, vel effectum sortietur. III. Opera in charitate facta merentur gloriam secundùm quantitatem gratiæ vel charitatis. At quandoque per pœnitentiam homo resurgit in minori gratia vel charitate. Ergo non consequitur gloriam secundùm meritum priorum operum. Et ita videtur, quòd opera per peccatum mortificata non reviviscant.

254. Ad I. Resp. D. Th. *cit. art.* 5. opera peccaminosa per pœnitentiam deleri secundùm se, ita, ut DEO sic indulgente, nec macula nec reatus inducatur: econtra opera in charitate facta non aboleri à DEO, utpote in cujus Divina acceptatione remanent: sed impedimentum accipere ex parte hominis operantis, seu peccantis: hoc proin impedimentô per pœnitentiam amotô ex parte hominis operantis, DEUS ex sua parte implet, quod opera merebantur. Adde, quòd opera peccaminosa non maneant in *indignatione* Divina: totum siquidem illorum *esse* à voluntate liberè deficiente pendet. Ad II. Resp. nullibi illam conditionem: *si non po-*

*fuerit*

*fuerit obicem*, reperiri: ſique ſubintelligeretur, explicanda eſſet de obice ſeu impedimento peccati perpetuo. Imò Conc. Trid. *loc. cit.* operibus in DEO factis vitam æternam retribui aſſerit, ſi quis in gratia deceſſerit. Ad III. Reſp. S. D. *cit. art.* 5. quòd reſurgens per pœnitentiam in minori charitate conſequatur quidem prœmium eſſentiale ſecundùm quantitatem charitatis, in qua invenitur; ſit tamen habiturus majus gaudium de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus factis in ſecunda (hocque ad prœmium accidentale pertinere, dicit) & ſic aliquid conſequetur ratione priorum operum, quæ reviviſcunt.

255. Cæterùm D. Th. *cit. q.* 89. *art.* 2. quærit, utrùm homo poſt pœnitentiam in æquali virtute reſurgat? Et concludit: quandoque intenſionem liberi arbitrii in „ motu pœnitentis eſſe proportionatam ma-„ jori gratiæ, quàm erat illa, à qua per pec-„ catum reciderat: quandoque autem æqua-„ li, quandoque verò minori. Et ideo pœ-„ nitens quandoque reſurgit in majori gra-„ tia, quàm priùs habuerat, quandoque au-„ tem in æquali, quandoque etiam in mino-„ ri. Eandem rationem ſubdit eſſe de vir-„ tutibus gratuitis (quæ ex gratia reſtituta „ fluunt, ſicut potentiæ animæ ab anima) „ quòd & illæ reſtituantur proportionaliter „ ad diſpoſitionem, qua peccator reſurgens „ minùs vel magis ad gratiæ reſtitu-„ tionem diſponitur.„ Vid. ibid. *art.* 1.

# Tractatus IX.

## De Gratia Actuali.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De neceſſitate gratiæ ad bonum, & verum naturale.

QUÆSTIO I.

*Utrùm ad cognoſcendum verum naturalis ordinis neceſſaria ſit gratia ſpecialis, vel ſufficiat concurſus DEI ordinarius & generalis?*

QUÆSTIO II.

*Utrùm homo in ſtatu naturæ lapſæ velle & facere poſſit aliquod opus moraliter bonum absque ſpecialis gratiæ adjutorio?*

QUÆSTIO III.

*An homo lapſus ſine auxilio ſpeciali poſſit vincere tentationes leves?*

QUÆSTIO IV.

*An homo lapſus poſſit gravi tentationi reſiſtere ex motivo honeſto, ſine gratia ſeu auxilio DEI ſpeciali?*

QUÆSTIO V.

*An homo lapſus poſſit ſine ſupernaturali auxilio diligere DEUM propter ſe, tanquam auctorem & finem ultimum naturalem?*

QUÆSTIO VI.

*An in natura lapſa detur etiam poteſtas conſequens ad amorem DEI naturalem ſine auxilio ſupernaturali?*

## DISSERTATIO II.

### De neceſſitate Gratiæ ad verum, & bonum ſupernaturale: item de gratia actuali, ſufficiente, & efficaci.

QUÆSTIO VII.

*Utrùm ad omnem cognitionem fidei, ſeu veri ſupernaturalis requiratur ſpecialis gratia, & quidem ordinis ſupernaturalis: & ſimiliter ad operandum aliquod bonum ſupernaturale?*

QUÆSTIO VIII.

*An & quomodo ad perſeverandum finaliter detur gratia ſpecialis?*

QUÆSTIO IX.

*Detúrne defacto gratia actualis verè ſufficiens, ſeparata ab auxilio ſeu gratia efficaci?*

QUÆSTIO X.

*Utrùm omnibus hominibus etiam infidelibus & barbaris, DEUS præparet, seu offerat auxilia necessaria ad salutem?*

QUÆSTIO XI.

*Utrùm de facto omnibus adultis, etiam infidelibus, & excæcatis, dentur aliquo modo auxilia sufficientia ad incboandam, vel obtinendam salutem?*

QUÆSTIO XII.

*Utrùm facienti, quod est in se, solis naturæ viribûs, DEUS infallibiliter det Gratiam?*

QUÆSTIO XIII.

*De Gratia efficaci: An sit & dicatur efficax ex Effectu seu cooperatione liberi arbitrii creati; an verò ex se, & ab intrinseco?*

# PROLOQUIUM.

ACtus Humani, sive eorum bonitas ut maneat intra ordinem honestatis naturalis & convenientiæ cum recta ratione, sive ad altiorem, supernaturalem, seu Divinum assurgant, DEI quodam concursu indigent. Nec solo concursu simultaneo, sed etiam prævio, & prædeterminante ad actus humanos opus esse, paucis ostendimus. Restat nunc dispiciendum, quando Concursus DEI solùm generalis, & denominativè naturalis, ac quando etiam specialis & supernaturalis requiratur per auxilium aliquod transiens causis secundis auspicatus. Cumque de natura Gratiæ sanctificantis seu habitualis nuper in *Tract. VII. de Ecclesia Militante* potiores Quæstiones jam fuerint resolutæ, soli actuali impræsentiarum immorabimur.

# DISSERTATIO PRIMA.
## DE
## *Necessitate Gratiæ ad bonum & verum naturale.*

1. SOlent plerique in fronte hujus Tractatûs possibilitatem Statûs naturæ puræ maximô tractare studiô; verùm nos, cùm prænominatæ Quæstionis utilitas fusiorem calamum non patiatur, illicò ad alia convertimur; paucis in limine advertentes, varias esse gratiæ acceptiones. Primò quidem latissimè sumitur pro quocunque beneficio: quo sensu creatio, conservatio, &c. gratiæ nomine circumferuntur. Secundò pressiùs sumitur pro auxilio naturali, quod naturæ rationali ad actum ordinis naturalis citra illius connaturalem exigentiam confertur. Et de hoc agemus in Dissertatione præsenti. Tertiò propriissimè sumitur pro dono quodam speciali supernaturali, collato ad actum vel effectum, vires & exigentiam naturæ rationalis excedentem. In hac autem posteriori acceptione definitur, quòd sit donum supernaturale, intuitu meritorum Christi creaturæ rationali gratuitò ac Divinitùs concessum, & ad vitam æternam ordinatum. Studiosæ indagini locus erit in Dissertatione secunda. Interim sit

## QUÆSTIO PRIMA.
### *Utrum ad cognoscendum verum naturalis ordinis necessaria sit gratia specialis, vel sufficiat concursus DEI Ordinarius & Generalis?*

2. PRælibandum: Inter hæreticos, qui venenum suorum errorum in materia gratiæ evomuêre, nominatissimos esse Simoniacos, Montanistas, Pelagianos, Cœlestianos, Semipelagianos, Adrumentinos, Prædestinatianos, & Jansenistas: quibus addi possunt Lutherani & Calviniani.

3. Simoniaci, seu Simoniani à Simonia, & Simone Mago, patria Samaritano, præstigiatore, variis hæresibus infecto, vulgò sic dicti eo dementiæ furore insanire cœperunt, ut Spiritûs Sancti gratiam venalem, & spiritualia dona pecuniâ comparari posse, perversè crediderint, & docuerint. Ut enim legitur Actuum Apostol. *cap.* 8. Simon ille, post susceptum à Philippo Diacono Baptismum, videns, quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit Apostolis pecunias, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque manus imposuero, accipiat Spiritum Sanctum. Respondit Princeps Apostolorum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimâsti pecuniâ possideri.* Ex hoc impio Simonis exemplo ad nostra usque tempora traductum est, ut quævis pactio, de dando vel emendo spirituali pro temporali, Simonia appellari consueverit.

4. Montanistæ, à Montano Duce suo sic appellati, sibi, non Apostolis, cum Spiritu Sancto gratiarum plenitudinem infusam esse, spargebant, in alias quàm plures hæreses prolapsi.

5. Pelagiani à suo Antesignano Pelagio nomen suum trahunt. Erat ille natione Britannus, seu Scotus (teste Div. Hieronymo in *Præfation. in* 1. *Lib. Hieremiæ*, ubi de illo his utitur verbis: *Nec recordatur stolidissimus Scotorum pultibus prægravatus &c.* Salmanticenses *tract.* 14. *quæst.* 109. *cap.* 4. *num.* 116) Professione Monachus, non de iis (velut rectè notavit eruditissimus Petrus Annatus in suo *Apparatu Methodico*, *lib.* 7. *art.* 4.) qui cœnobiticam in Monasteriis, vel Eremiticam in Desertis, sed de illis, qui Religiosam vitam in suis ædibus agebant. Ingenium ipsius non vulgare fuit, moresque ad quandam pietatis speciem compositi. Jam Senex Romam profectus est, ibi Ruffino amicitiæ & doctrinæ consortio junctissimus. Urbe verò à Gothis direptâ, cum Cœlestio Discipulo suo in Africam discessit, ac tandem ibi relicto Cœlestio, in Palæstinam venit, ubi tunc virus hujus pestiferi viri apertiùs erupit. Docuit autem, nullum dari peccatum originale, nullamque prorsus DEI gratiam requiri, sed tantam esse liberi nostri arbitrii potestatem, ut homo solis naturæ viribus possit omnia DEI præcepta implere, justificari, & salutem consequi sine gratia. Hoc ipsum falsorum Dogmatum pestiferum toxicum propagârunt Cœlestius infelix sanè Pelagii discipulus, & Julianus Capuæ Episcopus; at non sine vindice Augustino.

6. Adrumentinorum error circa gratiam ortus fuit ex malè intellecta epistola à Div. Augu-

Augustino ad Sixtum exarata, quæ in ordine epistolarum ejus est centesima quinta. Monachi enim illi Africani, ab Adrumeto, ipsorum Cœnobio hoc nomen sortiti, duas in partes scindebantur: una pars persuasa erat, gratiam DEI à D. Augustino ita prædicari, ut tolleret libertatem, & correctionis necessitatem; altera gratiæ efficaciam negabat. Sed utraque pars, meliùs tandem ab Augustino instructa, à suo errore recessit.

7. Semipelagiani, sive Massilienses nomen acceperunt tum à Pelagio, cum quo ex parte in materia de gratia conveniebant, ex parte non; tum etiam à Civitate Gallica Massilia, cujus erant Presbyteri. Recedebant nimirum à Pelagio in eo, quòd, licèt (viso libro D. Augustini de correctione & gratia edito) admiserint, initium salutis nostræ à solis viribus naturæ pendere, tamen reliquum salutis nostræ à naturæ viribus pendere, negârint, & gratiæ DEI adscripserint. Nihilominus Divus Thomas in 2. 2. *qu. 6. artic. 5.* etiam istos communi Pelagianorum titulo compellat. Prædictæ Semipelagianorum doctrinæ addicti erant Vitalis Carthaginensis, Joan. Cassianus, Faustus Regiensis, Vincentius Lirinensis, Gennadius, & Severus Sulpitius, Viri cæteroquin pietate & sapientia præstantes, teste Petro Annato *loc. cit.* Si Honorato Tournelio credamus, Semipelagiani vulgò intelliguntur ii, qui & peccatum originale, & connexam cum eodem infirmitatem, ac insuper gratiæ necessitatem ad omne bonum sive inchoandum, sive exequendum & perficiendum concesserunt, eo solo asserto errantes, quòd initium fidei, & perseverantiam in ea à sola natura esse, defenderint, quamvis Jansenius in suo *lib. sept. & octavo* de hæresi Pelagiana conscriptis, contenderit, Semipelagianorum errorem in eo potissimum substitisse, quòd gratia sit talis genii, ut ipsi humana voluntas vel resistere, vel obtemperare valeat. Tournel. *de Gratia Christi, qu. 3. artic. 4. pag.* 109. Præfata hæresis in Concilio Arausicano II. Anno 429. sub Felice IV. fuit proscripta, & eadem damnatio confirmata à Bonifacio II. Rom. Pontif. Felicis IV. Successore, nec non à Concilio Trid. *Sess. 6. de Justif.* Subdit Tournelius, memoratum Concilium Arausicanum æquali cum cæteris Conciliis apud Catholicos auctoritate pollere.

8. Prædestinati seu Prædestinatiani juxta nuper laudatum Petrum Annatum *loc. cit. pag.* 312. dicebantur illi hæretici Africani, qui ex libris D. Augustini *de Gratia & Prædestinat.* malè intellectis inferebant, *bona opera reprobis nihil prodesse, nec mala nocere prædestinatis:* hos tamen à suo errore resipuisse, mox ùt à D. Augustino librum de *Correct. & Grat.* acceperant, testatur idem Auctor.

9. Janseniani, sive Jansenistæ nuncupantur illi, qui excerptas è libro, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, famosas quinque propositiones, non sine magnis rixis & contentione præsertim inter Belgas & Gallos, propugnare sunt ausi.

10. Prima Jansenii ex quinque illis damnatis sic sonat: Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

11. Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

12. Tertia: Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

13. Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc errant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.

14. Quinta: Semipelagianum est, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

15. Superesset, ut & Lutheri & Calvini errores circa liberum arbitrium, & gratiam malitiosè excogitatos, breviter recenseremus; sed alia opportunior occasio, ad hoc præstandum, in priori *Tr. qu.* 12. aperiebatur. His jam proficuè prælibatis, pro quæstionis principalis resolutione sit

16. Conclusio prima: Homo in statu naturæ lapsæ pollens ingenio aliàs non inepto, vel obtuso, sine gratia speciali, & cum solo concursu DEI generali seu per solam providentiæ ordinariæ motionem potest quaslibet veritates ordinis naturalis speculativas, & pro statu conjunctionis ad corpus proportionatas, divisim cognoscere. Conclus. est in specie contra Vasq. hoc *tr. disp.* 188. *cap.* 2. & 3. & contra P. Vincent. Condenson, de reliquo valde communis inter Theologos. Prob. sub nomine veritatum proportionatarum intelligimus illas, quæ ex primis principiis relucent, quæve ministerio sensuum dependenter à rebus sensibilibus cognosci possunt: & nomine veritatum speculativarum (qualis est v. g. hæc: *Homo est animal rationale)* intelligitur ea, quæ per se non dirigit ad operationem: econtra practica veritas est, quæ dirigit vel movet ad operationem saltem in universali, ùt est ista: *bonum est amplectendum;* vel illa particularior: *miseris succurrendum est:* Atqui ad prædictarum veritatum speculativarum cognitionem non requiritur specialis gratia vel auxilium DEI: nam ùt discurrit Div. Thom. in 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. *Intellectus humanus habet aliquam formam, ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire.* Unde sic: Ad actum connaturalem, & virtuti intellectivæ de se sufficienti proportionatum non requiritur specialis gratiæ auxilium, quo virtus illa, potentia sive actus primus compleatur, sed sufficit motio Concursûs Divini generalis intellectum specie impressa

pressa jam actuatum seu completum in actum secundum reducens, seu præmovens. At cognitio veritatum naturalium divisim sumptarum, & in quarum notitiam per sensibilia pro statu conjunctionis ad corpus deveniri potest, est actus connaturali virtuti intellectivæ de se sufficienti & per speciem impressam actuatæ seu completæ omnino proportionatus. Ergo ad cognitionem veritatum naturalium divisim sumptarum &c. non requiritur specialis gratiæ auxilium; sed sufficit motio Concursûs Divini generalis intellectum specie impressa jam actuatum seu completum ex parte actûs primi in actum secundum reducens, seu præmovens.

17. Confirm. primò: Verum naturale est objectum naturale intellectûs non minùs, quàm coloratum lucidum sit objectum sensûs, puta oculi. Si ergo sensus possit attingere suum objectum sine errore, & sine speciali DEI auxilio, oculus v. g. discernere inter album & nigrum, cur intellectui (cujus lumen per lapsum in peccatum non fuit extinctum, sed solùm quodammodo debilitatum) minus tribuamus?

18. Confirmat. secundò: Inter præcipuas veritates eminet illa de existentia DEI (quæ non solùm speculativa est, sed suo modo etiam practica, propterea, quòd veritatis hujusmodi notitia ad amandum & colendum DEUM movere debeat) juxta text. *Sapient.* 13. *v.* 5. à magnitudine speciei & creaturæ poterit cognoscibiliter Creator horum videri. Et Rom. 1. *Invisibilia ipsius* (putà perfectiones infinitæ DEI) *à Creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita, ut sint inexcusabiles.* Si ergo veritas tam eminens existentiæ DEI citra auxilium DEI speciale ex effectibus in notitiam nostri intellectûs venire, imò à posteriori demonstrari potest secundùm dictata in *Tractat. de DEO Uno;* cur non aliæ & aliæ minoris momenti?

19. Addunt Salmanticenses argumentum ab absurdo: Sequeretur enim ex contraria Sententia, hominem in statu naturæ puræ conditum non posse pervenire in notitiam DEI ùt Auctoris naturalis. Quisquis enim caret auxilio superaddito, naturæque indebito, necessario tamen ad cognitionem DEI ùt Auctoris naturalis, in DEI notitiam nunquam perveniet: At homo in statu naturæ puræ conditus careret omni auxilio superaddito, naturæque cæteroquin indebito; Ergo nunquam in DEI ùt auctoris naturalis notitiam perveniret: haberet igitur ignorantiam invincibilem seu inculpabilem existentiæ veri DEI, nec teneretur lege naturali ad illius cultum, aliâve præcepta naturalia servare; imò nec contra legem naturalem peccaret, creaturis tribuendo Deitatem. Hactenus de veritatibus speculativis; nunc etiam de practicis, quas Gonet hìc *disp.* 1. *a.* 1. in tres Classes distribuit: quatenus nimirum quædam possunt cognosci in universali, v. gr. hæc: *Pauperibus succurrendum est:* furtum fugiendum: aliæ in particulari, v. gr. ista: hìc & nunc *succurrendum est huic pauperi:* vel cum imperio efficaci intellectûs practici, qui dicit, v. gr. *Nunc succurre ipsi.* Primam refert ad Philosophiam moralem, & de ea est eadem ratio, quæ de speculativis: de ultima tractabitur in *seq. quæst.* quare proxima conclusio de veritate practica secundæ Classis intelligenda venit.

20. Conclusio secunda: Homo in statu naturæ lapsæ (seu in mortali peccato existens) potest saltem aliquas veritates naturales practicas cum solo DEI concursu generali cognoscere. Salmantic. Joan. à S. Thom. Theol. Salisb. & alii. Constat primò ex D. Th. in *q.* 18. *de Verit. adult. art.* 7. dicente, quòd homini *connaturalior sit cognitio operabilium, quàm speculabilium.* Constat secundò, tum quòd & practicæ veritates intra objectum proportionatum intellectûs contineantur, tum ex eo, quòd homo viribus & lumine naturæ cognoscat saltem prima principia practica, & veritates magis universales intra lineam moris: ùt sunt sequentes: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: parentes sunt honorandi: pro beneficiis non sunt repensandæ injuriæ:* ex quibus præmissis universalibus, intellectus cæteroquin nulla tentatione, vel passione prævalente turbatus, facilè subsumit & descendit ad casus & veritates in particulari. Porrò ista conclusio ex seq. quæstione magis relucebit.

21. Conclusio tertia: Neque omnes veritates naturales practicæ, neque omnes speculativæ collectim sumptæ, sine speciali DEI auxilio in statu naturæ lapsæ potentiâ morali ab aliquo cognosci possunt. Ita communior. Ratio hujus moralis impotentiæ refunditur in brevitatem hujus vitæ varias miserias, distractiones, necessitates, imperfectum ministerium sensuum, & innumera ferè impedimenta extrinseca, quæ sanè intellectum non sinunt intendere, seque applicare nedum toti collectioni veritatum moralium (quod certum est) verùm etiam speculativarum, juxta illud Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ: Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sed in contrarium varia

22. Opponi possunt. Primò ex Gen. cap. 6. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore:* consequenter homo absque viribus gratiæ ineptus est ad cogitandum aliquid bonum. Apostolus quoque 1. Cor. 3. *Non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.*

23. Secundò: ex Concil. Arausicano *Can.* 22. ubi Patres dicunt, neminem habere *de suo*, nisi *mendacium & peccatum.*

24. Tertiò: ex D. Th. in 2. 2. *q.* 51. *art.* 1. ex Philosopho 10. *Ethic.* referentis, *vitam speculativam esse supra hominem.*

25. Quartò: Fundamentum nostrum videtur minùs tutò in D. Thom. collocari: quando

quando enim *cit. q.* 109. *art.* 1. & in 2. *dist.* 28. docet, non indigere hominem ad quodcunque verum nova illustratione, superaddita illustrationi naturali, sed solo auxilio Divino, ut intellectus moveatur ad suum actum; & quòd intellectus habeat aliquam formam, quæ sit sufficiens ad quædam intelligibilia, S. D. plus asserere non intendit, quàm quòd ad verum naturale attingendum non requiratur auxilium gratiæ vel illustrationis supernaturalis.

26. Quintò: Ipse S. D. *lib.* 4. *cont. gent. cap.* 52. vulnus ignorantiæ, quo debilior factus fuerit intellectus tam practicus, quàm speculativus, inter cæteros peccati originalis effectus & pœnas recenset, dicendo, inter spirituales pœnas potissimam esse debilitatem rationis, ex qua contingit, *quòd homo difficulter perveniat ad veri cognitionem, & de facili labatur in errorem, & appetitus bestiales omninò superare non possit, sed multoties obnubilatur ab eis.* Et nunc experientiâ compertum est, ipsa splendidiora gentilium Philosophorum lumina, viribus suis naturalibus relicta, sæpissimè caligâsse? Certè veritates naturales non nisi pauci, & illi pauci nonnisi post longum tempus, & adhuc post longum tempus, non nisi cum admixtione multorum errorum, assecuti sunt.

27. Sextò (instat Condenson cum Vasquio & aliis, hic *dissert.* 1. *cap.* 1. *specul.* 1.) pro veritatis assecutione, errorumque fuga, Divinum lumen invocamus, pro veritatibus notis gratias agimus, pro occultis oramus: nihil autem apud Augustinum inculcatius, quàm quòd oratio sit gratiæ, si non supernaturalis, saltem naturalis auxilii specialis testificatio: Nam pro concursu generali non oramus, nec illud petimus, quod in nostra potestate est. Non oramus DEUM (verba sunt D. Augustini Epist. 107.) *sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non ipsum facere credimus, quod oramus.*

28. Septimò. Causis voluntariis & quarum naturalis forma non determinatur ad unum actum, sed est defectibilis, & indifferentiam habet ad benè vel malè agendum, non sufficit generalis motio DEI, nec naturalis forma, sed aliud quid exigitur, quo ad unum potiùs determinentur, quàm ad alium agendi modum. Atqui homo agens est causa voluntaria, & forma sive virtus ejus intellectiva est defectibilis, atque indifferens ad assensum veri, vel falsi, adeoque ad benè vel malè agendum. Ergo ad benè agendum seu assensum vero præstandum requirit aliquid speciale determinans, & non sufficit concursus seu motio DEI solùm generalis.

29. Octavò: Argumentum à sensu distributivo in præsenti procedit ad collectivum: benè enim infero: Intellectus potest hanc veritatem intelligere, & potest illam, & sic deinceps: ergo potest omnes collectivè & copulativè intelligere: sicut benè infero: Petrus est rationalis, Paulus est rationalis, &c. ergo tota hominum collectio est rationalis: Igitur non minùs inferre possemus, intellectus cum solo concursu generali potest attingere hanc veritatem, illam, istam, &c. distributivè: ergo & totam collectionem veritatum naturalium.

30. Nonò: Intellectus humanus in statu naturæ lapsæ nequidem divisim suis ex viribus singulas veritates cognoscere valet: alioquin & secreta cordium, Angelorum essentias & perfectiones, quæ pariter ordinem naturalem non exsuperant, naturali sphæræ & virtuti subderentur. Verùm hæc opposita nostris Conclusionibus non officiunt.

31. Ad primum Resp. terminum collectivum *omnis* non semper planè omnes & singulos complecti, sed multos aut majorem hominum partem. Certè in illo *cap.* 8. *Gen.* ubi de diluvio agitur, statim subditur, quòd Noë invenerit gratiam coram Domino, hoc est, favorem & clementiam, & dicitur *vir justus esse, atque perfectus.* Non igitur ita universaliter accipiendum est, quòd omnium mortalium cogitationes sint ad malum intentæ. Ad text. Apostoli dicendum, eum loqui de nostra insufficientia relatè ad cogitandum verum supernaturale, & capienda mysteria fidei Divinæ, nisi supernaturali dono juvemur. Quòdsi text. flectas ad naturalia, exponendus erit de insufficientia nostra sine concursu DEI prævio & concomitante saltem generali.

32. Ad secundum ex Concilio Arausf. desumptum reponitur, pariter hominem, si suo in nihilo, & sine dependentia à Concursu DEI saltem generali consideretur, aliud non posse ex se, quàm deficere, & peccare, utpote ex nihilo productus.

33. Ad tertium Resp. ipse S. Th. in 1. 2. *quæst.* 188. *art.* 8. *ad* 5. speculativam vitam ibi à Philosopho non sumi pro qualibet cognitione veritatis, sed pro statu vitæ contemplativæ, id est, solitariæ; & per hoc, quòd totaliter rebus Divinis homo inhæreat; quod utique est supra hominem, id est, supra cursum ordinarium. Et ideo dicit Philosophus, quòd qui non communicat aliis, aut est bestia, aut DEUS.

34. Ad quart. Resp. non esse verosimile, D. Thomam respondere *loc. cit.* de eo, de quo vix poterat dubitari: quòd autem ad cognoscendum *verum* ordinis naturalis non sit necessaria aliqua motio DEI specialis supernaturalis aliunde satis certum erat. Adde, quòd loquatur de illo auxilio, motione, seu Concursu DEI, qui intellectui cum aliis entibus, à DEO dependentibus, est communis; ait enim: Sic igitur *actio intellectûs, & cujuscunque entis creati, dependet à DEO quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum.* Talis autem concursus est generalis.

35. Ad quintum Resp. ex vulnere peccati originalis intellectum equidem rerum supernaturalium lumine & cognitione fuisse privatum; quoad veritates tamen ordinis natu-

naturalis (in quorum notitiam dependenter à rebus sensibilibus deveniri potest, etsi lumen intellectûs fuerit quodammodò læsum vel debilitatum, ut non tam expeditè & celeriter vel absque erroris formidine in suum objectum, scilicet in cognitionem cujuslibet veri tendere valeat) naturalis virtus non fuit destructa: quemadmodum ergo homo pede aliqualiter læsus, vel oculo, adhuc potest ambulare vel videre coloratum lucidum cum solo concursu DEI generali, licèt non tam expeditè & perfectè; ita & intellectus in statu naturæ lapsæ cum eodem concursu poterit verum proportionatum attingere, licèt non tam expeditè & perfectè, sicuti posset in statu naturæ integræ, vel in statu Innocentiæ. Quantum ad Ethnicos errores, quos in moralibus fovebant, à pravis ipsorum cupiditatibus provenerunt. Porrò in moralibus non prætendimus, æquè omnes veritates divisim cum solo generali concursu attingi, sicuti in speculativis.

36. Nec dicas: Plerasque veritates ordinis naturalis morales, ac speculativas, intra objectum connaturale & proportionatum intellectûs claudi: proinde non fore majorem rationem, cur omnes speculativæ distributivè, seu divisim, attingi valeant, & non similiter omnes morales, seu practicæ. Negat quippe Joan. à S. Thom. hic *disput.* 19. *art.* 2. & alii, æquale vulnus intellectum Practicum & Speculativum accepisse: nam quoad veritates speculativas, ait, ratio non fuit vulnerata in ipso lumine, & in principiis, quibus ad cognoscendum movetur, sed solùm ab extrinseco manet impedita: at in ordine ad veritates practicas vulnerata est etiam in principiis, quia ratio practica non est solùm cognoscens, sed etiam efficiens & movens; unde non solùm habet pro principiis ea, quæ pertinent ad bene intelligendum, sed etiam ea, quæ pertinent ad bene movendum: omnis namque motio voluntatis inchoatur à fine; unde prudentia & ratio practica habent finem voluntatis pro principio. Hinc D. Thom. 1. 2. *quæst.* 65. *artic.* 1. colligit, quòd prudentia respiciat omnes veritates morales, quantum ad intentionem finis; quia est recta ratio agibilium, quæ procedit ex finibus, ad quos inclinabatur per virtutes tanquam ex principiis rectè movendi; cùm ergo per peccatum homo sit aversus ab ultimo fine recto, consequenter vulneratus est & diminutus in ipso principio movendi ad bonum efficaciter; & ideo prudentia vera, & simpliciter talis, quæ scilicet ordinat ad bonum finem totius vitæ, non manet in peccatoribus juxta eundem S. Doct. 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 17. sed quia potest manere aliqua prudentia imperfecta, quæ scil. inclinet ad unum, vel alterum opus rectè faciendum, licèt non dirigat perfectè ad finem totius vitæ & ad rectificationem erga proximum finem, ideo sine speciali gratia etiam à peccatore potest intelligi aliqua veritas practica, & sic non omnes. Hæc memoratus Auctor.

37. Ad sext. Resp. Tournel. argumentum illud inane esse: neque enim petitur à DEO, ut nostrum intellectum ad notitiam earum rerum, quarum respectu facultas naturalis proportionata est, elevet, vel speciali auxilio succollet; sed quia nihil ex nobis vel habemus vel possumus, ideò pro omnibus beneficiis, etiam intra ordinem naturæ acceptis, proque ipsa creatione jure merito gratias DEO agimus, & pro gratuito quovis concursu & auxilio (quia strictè loquendo, DEUS nobis nihil debet) erga nos continuando supplicamus. *Quod DEUS dedit, ut conservet, oremus; quod autem nondum dedit, ut suppleat, oremus.* Ex his quidem probatur, quòd DEI concursus sit equidem beneficium, sed non speciale, & distinctum, à dono creationis: Vid. Jo. à S. Th. hic *art.* 2. *n.* 3. & Reding.

38. Ad sept. neg. Maj. Intellectus noster primariò inclinatur, atque quoad specificationem est determinatus in verum sibi proportionatum: quare, ùt rectè observat Gonet (hic *disp.* 1. *art.* 1. *pag.* 341.) falsitas est contra ipsius inclinationem; sicque aliquando ei debetur auxilium non tantùm sufficiens, verùm etiam efficax ad exercitium alicujus cognitionis circa veritatem, quemadmodùm igni debitus est concursus generalis ad calefaciendum, eò quòd quoad specificationem determinatus sit ad calefaciendum; unde non obstat indifferentia quoad exercitium vel ex parte intellectûs ad cognoscendum hoc vel illud verum, vel ex parte ignis ad hoc vel illud combustibile; illud tamen intercedit discriminis, quòd igni concursus DEI generalis debitus sit in omnibus suis individuis *debito necessitatis*, naturæ verò intellectuali *debito proportionis* in aliquibus individuis, contingenter; sicuti debitum est naturæ intellectuali, habere bonum ingenium, non in omnibus individuis, sed in aliquibus. Planè ex sententia Vasquesii ex capite indifferentiæ intellectûs ad verum & falsum, pro cognitionibus veritatum naturalium concursum DEI specialem deposcentis, sequeretur, quòd intellectus, destitutus auxilio speciali, ad solum falsum valeret, essetque determinatus; consequenter & voluntas ad solum malum valeret, cùm voluntas sequatur ductum intellectûs, nec bonum operari possit, nisi ab intellectu præcognitum: quod sanè tenere nefas foret, propter damnationem sequentis propositionis Bajanæ: *Liberum arbitrium sine gratia & adjutorio DEI non nisi ad peccandum valet.* Vid. Paul. à Concept. hic *disp.* 1. *dub.* 1. *§.* 2. *à n.* 7. fusè loquentem.

39. Ad octav. rectè observat Jo. à S. Th. *loc. cit. art.* 2. *n.* 7. ascensum illum à sensu distributivo ad copulativum seu collectivum esse vitiosum, quia proceditur à potentia restricta ad absolutam. Nostra enim conclusio intellectui concedit solummodò potentiam, cum concursu generali seorsim & divisivè quamlibet veritatem naturalem cognoscendi; Adversarii verò inferunt potentiam copulati-

pulativam, & absolutam, vi cujus plures veritates, imò omnes conjunctim possint cognosci. Hocque etiam aliunde repugnat, tum propter varia impedimenta extrinseca, tum propter defectum specierum; quandoquidem non omnes species intelligibiles mediante sensuum ministerio à rebus sensibilibus simul & semel abstrahi possunt.

40. Ad nonum nihil efficitur. Nam alias veritates connaturaliter, & sine speciali auxilio cognosci posse non concedimus, nisi quarum cognitio vel ex primis principiis deduci, vel ex rebus in sensum cadentibus formari potest: hoc autem secùs se habet quantum ad secreta cordium, futura contingentia, & alia valde abstrusa, atque à sensibus remota.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## *Utrum homo in statu naturæ lapsæ velle & facere possit aliquod opus moraliter bonum absque specialis gratiæ adjutorio?*

41. SUppono, ad opus moraliter bonum intra ordinem honestatis ac motivi naturalis exercendum non requiri, ut operans sit in statu gratiæ sanctificantis; sic, ut quidquid facit peccator, etiam ex objecto honestum, sine gratia sanctificante, sit pro peccato reputandum. Siquidem oppositum dogma Sac. Trid. Concil. *Sess. 6. de Justif. Can. 7. Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, verè esse peccata, anathema sit.* Et *Can. seq.* damnantur docentes, *metum gehennæ esse malum*, qui metus utique peccatores persæpe concutit, & angit. *Non potest*, inquit D. Chrysost. *Homil.* 67. ad Populum, *malus omninò malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni; neque bonus esse omninò bonus, sed nonnulla solet habere peccata.* Quibus accedit ratio, quòd homo in statu peccati mortalis jure naturali & Divino teneatur ad opera aliqua virtutum, ut scil. DEUM colat, indigenti proximo auxilium præstet &c. At opera mala non cadunt sub præceptum: Ergo &c. Hinc damnatam legimus istam Michaëlis Baji propositionem: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

42. Distinguunt autem, speciatim Theol. Salisb. & cum illa Clariss. P. Babenstub. hic *disp. 2. art. 2. §. 1.* opus virtutis in perfectum: sive in opus perfectæ virtutis, & in opus veræ solùm virtutis. Opus perfectæ virtutis appellant, quod ex influxu vel formali vel virtuali dilectionis DEI ex operantis intentione actu vel virtute refertur in finem debitum ultimum, quatenus super omnia appretiativè dilectum: Opus imperfectum, sive veræ solùm virtutis vocant, quod equidem ex proprio fine & objecto rectæ rationi est consonum, atque ab ipso operante refertur quidem in finem debitum (intellige finem proximum) nullâ malâ circumstantiâ vitiatum; attamen ipse operans pro fine efficaciter intento habet creaturam, estque in statu peccati. Sic illi duo antecessores: putem autem, secundùm dicta in sect. præliminari circa tradita de *fine ultimo* in *Tr. de actib. human.* in tali hypothesi, in qua existens in peccato mortali aliquod opus moraliter bonum, v. g. eleemosynæ, facit, creaturam, hoc est bonum commutabile seu commodum & bonum proprium pro fine ultimo habere, inque istud habitualiter efficaciter in omni sua actione inclinatum manere, donec per gratiam justificantem conversus in DEUM ùt finem ultimum supernaturalem se suaque omnia habitualiter saltem referat. His præsuppositis, sit

43. Conclus. Homo in statu naturæ lapsæ seu corruptæ cum solo DEI concursu generali potest velle, & facere aliqua opera virtutis imperfectæ, ordinis naturalis, & non multum ardua. Ita cum D. Th. 2. 2. *q. 63. art. 2. ad 2. & 1. 2. q. 109. art. 2.* Joan. à S. Th. Phil. à SS. Trin. Magister Serra, Salmantic. Gon. Paulus Mezger, Ludovic. Babenstuber: à quibus dissentiunt Vasquez & Condenson, & ante istos Gregorius.

44. Prob. conclus. primò ex auctoritate. *Math. 5. v. 47.* dicit Salvator: *Si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt?* Atqui salutare fratres & proximos nostros ex bono affectu est opus moraliter bonum atque honestum, procedens etiam apud Ethnicos ex viribus naturæ sine speciali auxilio: Ergo &c. Prob. hæc min. hujusmodi actus, v. g. salutare fratres, venerari parentes, & filialem pietatem ipsis exhibere, dehortari à fraudibus, vel mendaciis, honestas virtutum doctrinas suggerere &c. sunt proportionati naturæ rationali, adeoque ejus vires connaturales non excedunt: ait enim D. Augustinus supra laudatus *de spir. & litt. c. 27.* etiam inter infideles quædam naturaliter facta legi, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò recteque laudamus: quæ profectò cum text. Apost. ad *Roman. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, optimè consonant, juncta assertione D. Chrysost. *Homil. 67.* dicentis, DEUM sic *hominem finxisse, ut possit per se eligere virtutem, ac vitium declinare.* Ex quibus concluditur, non ad quælibet opera moraliter bona, spectatâ naturâ etiam ùt corruptâ, specialis concursûs Divini auxilium, quod vires naturales specialiter ex parte actûs primi compleat, augeat, vel perficiat, efflagitari. Quemadmodùm enim creaturæ irrationales ad ea, quæ per facultatem sibi cognatam, & cum natura inditam efficere possunt, alio concursu DEI, quàm generali, & ordinario tum prævio tum concomitante non indigent; ita, servata proportione, di-

ſcurrere oportet de creatura rationis compote circa ea, ad quæ ipſius virtus connaturalis per ſe ſatis potens, fœcunda, & inſtructa eſt.

45. Prob. concl. Secundò eâdem ferè ratione, qua ſupra *n.* 20. utebamur de cognitione veritatum practicarum cum ſolo concurſu generali. Liberum arbitrium non fuit extinctum per peccatum Adæ, ſed ſolùm attenuatum, & debilitatum: Ergo in nobis remanet facultas ad bonum & malum, quamvis non cum eo vigore, qualis foret in ſtatu naturæ innocentis, integræ, vel etiam puræ. Ergo in voluntate non deeſt libertas & facultas tendendi in bonum virtutis ſaltem imperfectæ, & in opus morale non valde arduum, ſed facile. Conſeq. probant Salmantic. hic *pag.* 110. Quia niſi homini ex ſua natura remaneret libertas, & facultas ad aliqua opera bona, ejus arbitrium eſſet planè extinctum atque mortuum, & non præciſè infirmum. Potentia namque, cui pro nullo actu vires inſunt, non tam infirma, quàm extincta & mortua dicenda eſt. Quod enim ſolùm infirmum eſt, illius viribus actus abſolutè non eſt impoſſibilis ſine complemento intrinſecè ſuperaddito, ſed id ſolùm advertitur, quòd ægrè ac difficulter operetur: inſtantia eſt in infirmo quoad ſanitatem phyſicam, utpote, qui inter ſanum & mortuum medius, ſaltem aliqua opera faciliora (præſtantiora etiam hominem ſanum expoſcunt) exercere valet, quibus ſe vivere oſtendit, quamvis debilitatum atque infirmum: hinc quemadmodùm illum, qui nullum prorſus opus vitale per ſe exercere poſſet, mortuis, & non infirmis præciſè accenſeres, ita liberum arbitrium quoque pro velut mortuo, & non tantùm infirmo haberemus, ſi ſuismet viribus ad omne opus moraliter bonum ineptum exiſteret. Neque abs re exemplum de infirmo hic adducitur, ſi ab ipſomet Chriſto hominem lapſum infirmo, vulnerato, & ſemivivo, ſub typo viatoris ab Hieruſalem in Jericho deſcendentis comparati, penſitemus. Auctoritates nonnullas, quas in *Quæſt.* anteriori in ſolutione retulimus, Adverſarii hic quoque obtrudunt: quibus proinde prætermiſſis, pro

46. Fundamento contrario oppoſitæ Sententiæ adducitur primò. Major DEI concurſus neceſſarius videtur ad actum bonum, quàm ad malum: atqui ad actum malum quoad ſubſtantiam ſive entitatem ſuam conſideratum concurſus DEI eſt generalis; igitur ad actum bonum requiritur alius, videlicet ſpecialis.

47. Secundò: Quoties homo, etiam lapſus, deliberatè bonum opus morale vult aut facit, toties deliberationem rationis antecedit quædam cogitatio indeliberata & data in tali tempore atque circumſtantiis, ut non reſpuatur à voluntate, ſine qua non daretur principium bonæ conſultationis & deliberationis: atqui concurſus ad illam primam cogitationem non poteſt non eſſe ſpecialis, & ex gratia Chriſti: neque enim concurſus indebitus poteſt dici generalis: quòd autem iſte ſit indebitus, vel inde infertur, quòd prædicta cogitatio ipſa, utpote bona & ſuo modo ſancta, cenſeatur eſſe indebita; quandoquidem ex lapſu Adami homo debitum carendi omni cogitatione ſancta incurrit. Ergo &c. Hinc

48. Tertiò initium noſtræ juſtificationis eſſet ex nobis: cùm enim intuitu bonorum operum moralium DEUS det gratiam (facienti ſiquidem, quod eſt in ſe, DEUS non denegat gratiam) ſi ex nobis ſine gratia poſſumus facere opera moraliter bona, nos inchoamus noſtram juſtificationem ex propriis viribus; hoc autem Pelagianiſmum olet. Ergo &c.

49. Quartò: Indifferenti quà tali concurſus DEI non eſt magis debitus ad unam partem, quàm ad alteram: ergo determinatio, quæ per concurſum fit ad partem bonam, meritò ſuſpicitur, ùt quid gratuitum, aut adjutorium ſpeciale, adeoque non ſpectat ad providentiam generalem. Subſumo: voluntas humana eſt facultas indifferens: eſt namque ipſum liberum arbitrium determinabile vel ad opus bonum, vel ad malum: Ergo determinatio, qua concurſus DEI voluntatem humanam ad actum bonum excitat ac juxta Thomiſtas præmovet, eſt adjutorium ſpeciale &c.

50. Quintò: DEUS homini lapſo nullam infert injuriam, quando ipſi concurſum, ſeu auxilium efficax denegat ad actum bonum, & cogitationem bonam in eo non excitat: imò ſæpiſſimè tale auxilium denegat: Ergo ſi concurſum ſeu auxilium conferat, gratiam ſpecialem facit. Confir. Ponamus Petrum & Paulum cum æquali virtute ad exercendum opus moraliter bonum, ex. gr. ad honorandos parentes ex debito pietatis: Petrum verò parentes honorare, Paulum nequaquam. Certè Petro aderat auxilium DEI efficax, ipſum ad affectum pietatis prædeterminans; at Paulo deerat. Poſſetne Paulus conqueri, ſibi non abſque aliqua injuria auxilium efficax fuiſſe denegatum? Quis tali querelæ aures præbeat? Ergo fuit indebitum.

51. Sextò: Tametſi homo mediante infuſione Gratiæ ſanctificantis juſtificatus, & à macula peccati depuratus, vi juſtificationis acquirat potentiam ſufficientem ad bonum honeſtum ſupernaturale, & in iſtud inclinetur, ex hoc tamen non infertur, gratiam efficacem, quâ actualiter ad actum aliquem bonum bonitate ſupernaturali determinatur, homini eſſe quid debitum, ſed reverà pro ſpeciali adjutorio habetur. Similiter itaque auxilium efficax, quo ejus potentia juxta naturalem inclinationem ad opus moraliter bonum ordinis naturalis determinatur, nomen adjutorii ſpecialis promeretur.

52. Septimò: Ut actus ſit aliquo modo bonus, debet referri in DEUM ùt finem ultimum

timum saltem naturalem: at sine speciali gratia ejusmodi in finem ultimum relatio in homine lapso fieri nequit. Ergo. Maj. est certa: tenetur quippe creatura tendere ad suum Creatorem. Min. prob. Eatenus actus moraliter bonus referretur in DEUM ùt finem ultimum, quatenus actui tali bono ex objecto suo non adjungeret finem distortum, seu pravum, sed v. gr. dum largitio fit eleemosynæ, voluntas in præcisa misericordiæ honestate sisteret, sicque actus ille sponte sua ex se tenderet in DEUM totius honestatis fontem, & finem, saltem interpretativè. Atqui hæc relatio in finem ultimum ad bonitatem actûs moralis non sufficit: nam ad integram operis honestatem, præter objecti ipsiusque finis proximi honestatem (qualis est v. gr. sublevatio alienæ indigentiæ in eleemosynæ largitione) requiritur, ut operans intendat finem ultimum verum, in quem omnia opera sua formaliter aut virtualiter referre tenetur. Dum ergo (ùt discurrit hic Condenson *Dissert.* 2. *c.* 1. *pag.* 203.) quis honestatem operis amat, per hoc quidem non peccat, cùm rationi consonè agat: quòd verò virtutis honestatem in se reflectat, & in DEUM referre omittat, sine peccato esse non potest. Addit, quòd sine gratiæ adjutorio vix ac ne vix quidem virtutis honestas voluntatem in statu corruptionis primò & per se movere possit potentia consequenti, & in sensu composito: quia (ùt anteà jam latiùs expenderat) occultus suî ipsius amor cordi nostro invisceratus, etiam dum honesta sibi amare videtur, quæ sua sunt, latenter quærit, & mentitur iniquitas sibi, id est, ùt exponit Magnus Gregor. sæpe fit, *ut aliud in intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.* Quare duplici ex causa adjutorium gratiæ necessarium censet, scil. ut & objecti honestas sincerè ametur, & ut in DEUM referatur. Sic ille & plura. Cæterùm ut prolixè addensatis impugnationibus occurramus:

53. Ad primum fundamentum contrarium & syllogismum minùs dialecticum Resp. nego conseq. & suppositum, quòd majoritas concursûs, qui datur ad actum bonum, consistere debeat in ratione auxilii specialis. Nam differentia stat in eo, quòd DEUS in actu bono concurrat non tantùm ad materiale & physicam entitatem actûs, verùm etiam ad formale, hoc est, ad illius bonitatem & perfectionem moralem tanquam auctor utriusque formalitatis; cùm econtra in actu malo non possit esse auctor malitiæ, & sic ad solam entitatem materialiter spectatam concurrere valeat. *DEUS dicitur causa bonarum operationum* (verba sunt Angelici in 2. *sent. dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *non solùm quantùm ad essentiam actûs, sed etiam quantùm ad perfectionem; secundùm quam bonæ dicuntur. Utrumque enim agenti influit, &, ut agat, &, ut benè agat. Sed in malis actionibus, quamvìs sit causa earum quoad essentiam, non tamen est causa quoad defectum: nam quoad rationem defectûs DEUS habet se solùm permissivè.*

54. Parùm absimile argumentum est à statu naturæ puræ: ajunt enim: in dicto statu, homo non posset quodlibet, sed tantùm aliqua bona opera exercere cum concursu ordinario: Ergo quia in statu naturæ lapsæ est longè debilior, vires ei ad nullum opus bonum suppetunt. Resp. Argumentum in nostrum favorem commodè verti. Homo conditus in statu naturæ puræ posset plura opera naturaliter bona facere, cum solo concursu DEI generali; quia vires ad hujusmodi effectus tunc essent proportionatæ & physicè & moraliter, non obstante rebellione hominis inferioris contra superiorem, à qua homo in statu naturæ puræ non foret exemptus: ergo ex eadem ratione in statu naturæ corruptæ potest aliqua minoris momenti, & imperfectæ virtutis opera præstare, eo cum discrimine, quòd in priori statu superanda esset minor difficultas, ob vires quodammodo robustiores, in quantum voluntas nondum fuisset inclinata ad malum per peccatum, in statu verò posteriori, ubi natura fuit quodammodo attenuata, vulnerata, & infirmata per peccatum Adami, difficultas major est: homo enim consideratus in statu naturæ lapsæ distinguitur à se ipso, prout esset in statu naturæ puræ, sicut nudus, & nudatus. Paulus à Concept. hîc *disp.* 1. *dub.* 2. *n.* 19. *in fin. allegans* communem Theologorum.

55. Ad secund. neg. min. quia ùt notat Joan. à S. Th. *cit. a.* 3. *n.* 10. concursus ad virtutem fundatur supra debitum ipsi naturæ hominis: quoad insinuat D. Thom. in 2. *cont. gent. c.* 28. ubi alicui id ex necessitate debitum esse declarat, quod ad ejus perfectionem requiritur, sicuti homini debitum est, *habere manus, vel virtutem; quia sine his perfectus esse non potest.* Neque enim natura per peccatum est totaliter corrupta, *ut scil. toto bono naturæ privetur*, ùt loquitur idem S. D. in *præs. q.* 109. *art.* 2. An non autem natura humana sine ulla honesta cogitatione & operatione imperfectissima foret, si in omni individuo termino primario inclinationis suæ naturalis, qua in bonum honestum fertur & rationi consonum, careret? Quemadmodum ergo (ùt rectè instat Gon. hîc *disput.* 1. *pag.* 448.) pulchritudo corporalis, aut ingenii acumen, etsi omnibus individuis naturæ humanæ non debeatur, & pluribus sine injuria denegetur, non ad specialem gratiam, sed ad providentiam generalem pertinent, quia sunt debita *naturæ in communi*, & alicui saltem individuo; vel quia (ùt alii discurrunt) naturæ humanæ debentur aliquando, seu debito *fallibili & contingenti* (sicque non debito absolutæ necessitatis) ita & cogitatio congrua de bono honesto, quæ est principium bonæ consultationis & deliberationis, licèt non omnibus sit debita, non tamen dici debet gratia specialis. Latè Paul. à Concept. *cit. disp.* 1. *dub.* 2. *à num.* 20.

56. Ad illud, quòd homo ob peccatum originale incurrerit debitum carendi omni bona cogitatione, replicatur, id verum esse, de bona cogitatione conducente ad salutem & justificationem: non verò de omni cogitatione honesta, ad bonum honestum seu rationi consonum excitata: eò quòd hæc cogitatio non sit supra, sed juxta debitum proportionis naturæ humanæ, quamdiu non est extinctum liberum arbitrium. Hinc patet responsio

57. Ad tertium, & simpliciter negatur, opera moraliter bona esse per se initium nostræ justificationis, DEUMque eorum intuitu nobis gratiam justificationis conferre. Asserimus itaque, opera illa (præsertim cùm sint imperfectæ virtutis, & cum statu peccati mortalis compatibilia, in quo operans adhuc manet habitualiter ordinatus in bonum commutabile, & commodum proprium) per se nec prodesse ad remissionem peccati, nec ad impetrandam fidem, nec ullo modo ad gratiam disponere, nec DEO simpliciter placere, nec pertinere ad veram pietatem, & cultum DEI, nec aliud, quàm naturale quoddam, prœmium mereri. Quantùm ad axioma Theologicum, facienti quod est in se, DEUS non denegat gratiam, exponendum est de faciente quod est in se ex viribus supernaturalibus, velut alibi monstrabitur. Philipp. à SS. Trin. *disp.* 1. *dub.* 4. *ad* 3. Vid. ad rem Paul. à Concept. *loc. cit. à num.* 28. ubi latè in hoc procedit: It. Gon. *disp.* 1. *pag.* 451.

58. Ad quartum dist. Maj. Indifferenti quà tali æqualiter ad duo membra opposita, concursus non magis est debitus ad unam, quàm ad alteram partem, conc. Maj. Indifferenti inæqualiter, nego Maj. dist. etiam min. voluntas est indifferens ad bonum & malum, inæqualiter, conc. min. æqualiter, neg. min. & cons. Vel aliter distinguo min. voluntas est indifferens æqualiter ad bonum & malum æqualitate *elicientiæ*, quia pro libitu potest actum bonum vel malum elicere, conc. æqualitate *inclinationis*, & quasi ex sua natura non magis in bonum inclinaret, quàm in malum morale, utpote quod contra naturam potiùs est, sic neg. min. & conseq. Tertiò, ex dictis in *n.* 55. responderi potest, malè inferri: auxilium respectu hujus individui est indebitum: ergo est speciale. Licèt enim in hoc individuo nullum sit debitum *necessitatis*, hoc ipso, quòd operatio creaturæ rationali solùm ex generali Creatoris providentia sit contingenter & cum indifferentia concessa; quia tamen adhuc remanet debitum *proportionis*, non erit supra cursum ordinarium talis naturæ, ferri in bonum sibi proportionatum. Denique nimiùm probat objectum argumentum: quia non tantùm in statu naturæ puræ, sed etiam naturæ integræ, si illud argumentum subsistat, cujuslibet boni honesti operatio, propter voluntatis indifferentiam, & propter beneficium bonæ cogitationis, speciale auxilium exigeret.

59. Ad quintum, & ad exemplum inductum resp. Paulum citra fundamentum alicujus injuriæ conqueri, si sibi, dum Petro fuit datus concursus prævius, fuerit denegatus. Nam concursûs concessio, estò sit beneficium generale, comparata ad naturam; est tamen gratia specialis, & omninò gratuitum auxilium, comparata ad singula individua, & si concursus spectetur ùt dandus semper. Babenst. *loc. cit. num. seq.*

60. Ad sext. Resp. ex eod. ibid. *num.* 20. justificationem, vi cujus ad benè operandum aliquando supernaturaliter debetur auxilium efficax, procedere à gratia speciali: quare & auxilium efficax ad benè operandum pariter specialis gratiæ nomen meretur: At verò beneficium creationis vel conservationis non est gratia specialis; hinc nec auxilium efficax ad benè moraliter quandoque operandum, quod ut quid consequens ad titulum creationis debetur & confertur, gratia specialis appellandum erit.

61. Ad sept. Concess. Maj. neg. min. ad utrumque syllogismum. Certè incumbit onus probandi Adversariis, unde vel ubi demonstrent præceptum illud, quòd homo in omni sua operatione debeat DEUM super omnia expressè diligere, & quòd ad actum virtutis etiam imperfectum non sufficiat expressa ordinatio ad objectum ex se honestum, in quo implicitè contineatur ordinatio ad DEUM, tanquam principium, fontem, & finem omnis honestatis moralis, seu bonitatis. Videant Adversarii, quàm propinqui sint propositionibus damnatis, quarum una tenebat, omnia opera infidelium, vel etiam peccatorum, esse peccata; alia distinctionem inter amorem DEI naturalem & supernaturalem rejiciebat. Tandem actus fidei est bonus etiam in peccatore, & tamen ex intentione operantis in DEUM ùt super omnia dilectum non refertur. Præceptum dilectionis DEI super omnia est affirmativum, adeoque non obligat ad semper, sicuti obligat præceptum negativum: sed obligat certis temporibus, prout suo loco monstrabitur.

62. Ex dictis colligitur, in statu naturæ corruptæ non posse hominem aliquod opus moraliter bonum difficile & arduum facere absque speciali gratia. Tale foret ex. gr. mortem subire ex pietate naturali pro patria. Ratio petitur ex rebellione hominis inferioris superiori obedientiam nimis difficulter præstantis, eumque trahentis & inclinantis in objecta sensibilia præsentia ac sensui proportionata, quæ fortiùs movent, quàm bona honesta absentia, licèt majora. Nec (uti subloquitur Phil. à SS. Trin. hìc *dub.* 4.) malis certò creditis futuris à bono concupiscibili efficaciter deterretur, uti experientiâ constat infidelibus; ergo cùm opus moraliter bonum arduum & difficile sit contra naturalem inclinationem partis inferioris, homo sine gratia illud non potest facere; bene

tamen

tamen in statu naturæ integræ, in quo pars inferior erat totaliter subjecta superiori, & superior despoticè dominabatur, & sic ibi honestum prævaluisset delectabili. Insinuat id D. Thom. 1. 2. *quæst.* 109. *a.* 2. *natura*, inquiens, *humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur: potest quidem etiam in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere &c. non tamen totum bonum sibi connaturale, ita, quòd in nullo deficiat: sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere; non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio Medicinæ.* Satis de hac Quæstione.

# QUÆSTIO TERTIA.

## *An Homo lapsus sine auxilio speciali possit vincere tentationes leves?*

63. IN explicando levitatis & gravitatis objecto Authores non conveniunt. Doctissimi Salmantic. censent, levitatem vel gravitatem tentationis non esse præcipuè ex parte *materiæ* ponderandam, quasi illam pro gravi reputemus, quæ ad malum grave patrandum, vel ad magnum bonum omittendum impellit: illam verò levem, quæ circa levia versatur: certum siquidem est, in materia gravi tentationes leves occurrere posse, ùt si justus ex motivo parùm urgente impellatur *ad odium DEI.* Hinc diversitatem levis & gravis magis ex modo tentandi judicare oportet, illaque tentatio pro levi habenda erit, quæ ex parte intellectûs suggerit seu offert suasionem solùm remissam, motivaque parum urgentia; ex parte verò voluntatis, aut appetitûs, debilem inclinationem: econtra gravis censebitur, quæ vehementer sollicitat, & propter ingentem propensionem affectûs ad objectum, quod proponitur, & propter magna motiva, quæ homini occurrunt ad deserendum bonum rationis, & amplectendum malum illi contrarium.

64. Conclusio. Homo lapsus, seu in statu naturæ corruptæ existens, cum solo concursu DEI ordinario leves tentationes vincere valet ex motivo honesto. Ita Sylv. *ad quæst.* 109. *art.* 8. *pag.* 754. Salmantic. *h. tr. ad cit. qu.* 109. *disp.* 2. *dub.* 2. *à num.* 49. Phil. à SS. Trin. *disput.* 1. *dub.* 5. Paul. à Concept. *dub.* 2. *n.* 32. *p.* 111. Honorat. Tournel. *de gratia Christ. to.* 2. *q.* 4. *art.* 4. *pag.* 111. Dixi: *ex motivo honesto*, propter duos modos superandi tentationes. Primus est, si quis tentationem, qua allicitur ad unum vitium, vincat, consentiendo seu immittendo se in aliud; v. g. si tentatus ad ebrietatem, tentationi illi ex affectu seu motivo avaritiæ resistat: cùm per istum modum unum peccatum vincatur per aliud, clarum est, ad ejusmodi victoriam *formaliter*, atque ex parte *motivi* spectatam, nullo prorsus DEI concursu, etiam generali opus esse; repugnat enim Divinæ Sanctitati, ut ad peccandum adjuvet. Alter modus est, cùm tentationi resistitur, eaque superatur ex sincero DEI amore, vel mentem inhabitantis, vel saltem moventis in ordine ad vitam æternam, qui modus cæteris omnibus præeminet. Ad hunc modum, & victoriam levissimæ etiam tentationis adjutorium speciale Divinæ gratiæ requiri, in confesso est. Et de hoc modo intelligas Div. Aug. *lib. de corrept. & grat. cap.* 2. quando dicit: *sola, quæ per Christum est, gratiâ homines liberantur à malo, & sine ea nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo, & sive amando, sive agendo, faciunt bonum.* Conclusio cont. Vasq. & Contensonium &c.

65. Prob. hac ratione. Secundùm dicta in *præced. quæst.* in statu naturæ corruptæ voluntas humana licèt sit per peccatum attenuata, & infirmata, cum solo concursu generali potest facere quoddam bonum morale facilius, & non arduum; ergo etiam quædam mala evitare, & vincere. Atqui per victoriam vel resistentiam, factam tentationibus levibus, declinatur, evitatur, seu vincitur malum morale scilicet oppositum bono morali, v. gr. si filius leviter tentatus ad inhonorandum parentem ob debitum pietatis & reverentiæ affectum, à tali inhonoratione se cohibeat &c. Ergo cum solo concursu generali aliquas tentationes leves vincere potest, vel saltem illis resistere. Pro stabilimento primæ consequentiæ considerandum est, non requiri plus virium ad vitandum malum *morale*, quàm ad prosequendum bonum oppositum; imò (ùt rectè instat Paulus à Concept. *loc. cit.*) plus requiritur ad prosequendum bonum, quàm ad declinandum à malo: quia plus perfectionis importat prosecutio boni, quàm declinatio à malo, quod indicâsse etiam videtur Psalmista Ps. 33. *diverte à malo, & fac bonum.* Huc facit damnatio illius Propositionis Bajanæ: *Omnes sunt fures & latrones, qui dicunt, tentationi ulli sine gratiæ DEI adjutorio resistere hominem posse.* Hanc Conclusionem Salmanticenses intelligunt simpliciter de tentatione levi quà tali, undecunque sit orta, à dæmone, carne, vel mundo, dummodo etiam illa, quæ fit ex suggestione diaboli, usque ad gradum tentationis gravis non augeatur. Et hoc per se loquendo. Non tamen negant, per accidens aliquando auxilium gratiæ postulari, tunc videlicet, quando quis tentatur ad omittendum talem actum, qui gratiam specialem saltem ordinis naturalis de se exposcit, ùt si quis tentaretur, ne amorem DEI finis naturalis eliciat; & multò magis, si tentatio quempiam pelliceret ad omittendum actum aliquem ordinis supernaturalis: quamquam, uti subnotant Salmanticenses, gratiæ necessitas nequidem in dictis casibus omnino *per se* ratione tentationis subesse intelligatur; non

enim ex illius intensione vel vehementia oritur, sed ratione ipsorum actuum, qui absque gratia aliunde exerceri non possent, estò nulla tentatio urgeret. Sed contra

66. Dices primò: Christus indistinctè monet Math. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*

67. Secundò: pro cujusvis tentationis victoria gratias DEO agere oportet. Oramus autem, & gratias agimus pro gratiis: quod utrumque confirmatur ex Concilii Arausicani Epistolâ Synodica, quæ inter Augustinianas nona est, ubi de Pelagianis loquens, istorum, ait, sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem: *Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter à Domino peti, & fallaciter orari, cùm orando poscuntur, quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur; nec debuisse dicere Dominum JESUM: Vigilate, & orate; sed tantummodò: vigilate, ne intretis in tentationem.*

68. Tertiò: *Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui DEI misericordia prævenitur: Divini muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus.* Atqui, tentatio etiam levis meritò inter humanæ naturæ computatur miserias: Ergo & ab ipsa non liberamur, nisi DEI misericordiâ præveniamur.

69. Quartò: Conciliorum, Pontificum, & Patrum locutionibus generalibus minimè satisfit, si ad solas tentationes graves restringantur: tum, quia universales & luculentas tam gravium auctoritatum Assertiones, pro humanæ rationis arbitratu, novis exceptionibus vel distinctionibus, à Patrum traditione alienis, non licet eludere: tum quia ad vincendam *quamcunque peccati* in tentatione miseriam quotidianis remediis nos indigere docent; levis autem tentatio est quædam miseria; quotidianum etiam remedium non est necessarium, nisi ad quotidianas tentationes, quæ utique quotidie non in omnibus graves sunt. Et quid clarius verbis D. Gregorii, *lib.* 9. *Moral. cap.* 7. asserentis, *quòd homo sibi dimissus cujuslibet tentationis aurâ raptetur;* & in *Expos.* Psal. 3. *Pœnitent.* ait, *quòd omni tentationi sit subditus, quicunque ab eo* (scilicet DEO auxiliante) *fuerit derelictus.* Et D. Ambros. in Psal. 41. *Quis est,* inquit, *tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor existat?* Vid. Condens. *dissert.* 2. *cap.* 1. *Consectar.* 1. *pag.* 228.

70. Quintò: Instante tentatione levi, hoc ipsum æstimandum erit ùt beneficium speciale DEI, quòd eam non permittat esse gravem.

71. Sextò: Posito, quòd vires humanæ ad resistendum uni tentationi levi sufficiant, nulla apparet ratio, cur non pariter omnibus levibus collectivè sumptis resistere valeat; vel cur non similiter tentationi gravi, si possit vincere levem. Sic Vasquez. *disp.* 189. *cap.* 15. *num.* 129.

72. Ad has rationes, vel potius authoritates oppositas generaliter responderi solet, Patres & Doctores sive in Conciliis, sive extra Concilia ideo inter resistentiam quoad tentationes leves, & quoad graves non distinxisse: primò, quia (ùt egregiè discurrit Honor. Tournelius *to.* 2. *de Grat. Christi pag.* 120.) distinctio prædicta tacitè supponebatur: Secundò; quia hæc distinctio nihil conferebat ad causam & victoriam Ecclesiæ adversùs Pelagianos, qui, cùm indistinctè omnium tentationum victoriam humanis viribus tribuerent, refelli meliùs non potuerunt, quàm si illarum victoria indiscriminatim in DEI gratiam refunderetur. Tertiò; quia ex singulari DEI protectione ùt plurimùm contingit, tentationem levem esse. Quartò; quia tametsi homo suis viribus aliquam tentationem levissimam vincere possit; quoniam tamen id rarò contingit, ac brevi remissis seu defatigatis viribus alteri tentationi succumbit, inde meritò, nullo facto discrimine, omnium tentationum victoriam à DEO esse, veteres docuerunt. Hinc ulteriùs dicit, rectè gratiam à DEO postulari cum gratiarum actione; quia cum Divina protectione ùt plurimùm contingit, tentationes leviores esse. Demum P. P. loquuntur quandoque de gravioribus tentationibus, vel de facili victoria levium; maximè verò de victoria conducente ad meritum, & prœmium salutis æternæ; item de gratiis efficacibus.

73. Ad quintum singulariter acceptum Resp. Paul. à Concept. *loc. cit.* non omnes tentationes leves fieri ex speciali protectione DEI; quia aliquæ sunt de se leves, attenta complexione, aliisque causis secundùm se levibus. Prætereà, spectato solo quoque concursu generali, debitum est, ut aliquæ sint leves.

74. Ad sextum mirantur Salmanticenses, quomodo ingenium aliàs acutum Vasquis, non potuerit advertere differentiam inter grave, & leve, inter majus, & minus, inter unum & multa &c. quasi verò ad majora, vel omnia collectivè sumpta non exigatur major virtus, quàm ad minora & pauciora.

75. Cur verò homo lapsus absque speciali gratia nequeat omnes tentationes leves collectivè sumptas superare, Theol. Salisburg. hic *disp.* 2. *art.* 3. pro causa allegat nimiam difficultatem in attendendo ad singulas obligationes & occasiones tentationum, sicut etiam in ipsa continuatione resistentiæ pugnæque, unde vires naturales quodammodo defatigantur & debilitantur. Conferatur cit. Theologia.

# QUÆSTIO QUARTA.

## *An homo lapsus possit gravi tentationi resistere ex motivo honesto, sine gratia seu auxilio DEI speciali?*

76. CONclusio est negativa. Probant illam texx. in objectionibus contra tentationes leves adducti. Quibus adde illud 1. *ad Cor.* 10. Fidelis DEUS, *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere:* & ad *Rom.* 7. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia* (respondebit sibi Apostolus) *per JESUM Christum.* Quò pertinet etiam monitum Christi apud *Matth. c.* 26. Surgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Omitto Patrum testimonia.

77. Ratio fundamentalis à quibusdam, ùt à Paulo à Concept. *loc. cit.* reducitur ad hoc, quòd, ubi concursus DEI est indebitus, ibi adjutorium à DEO collatum sit gratia specialis: at in circumstantia gravis tentationis superandæ ex motivo honesto, concursus DEI ad victoriam videtur esse indebitus: Ergo adjutorium ad victoriam tentationis gravis est gratia specialis. Sola min. probanda est. Concursus ille est ordinarius, ac debitus, quem dispositio & inclinatio subjecti, quod sine concursu agere non valet, exigit: At in circumstantia gravis tentationis dispositio & inclinatio subjecti ad victoriam non est talis, ut concursum DEI exigat. Ergo concursus ille, si quis detur, non est ordinarius ac debitus. Maj. videtur esse indubitata. Min. denuò prob. quia in circumstantia gravis tentationis dispositio & inclinatio hominis in statu naturæ lapsæ graviter tentati, vehementissimè tendit ad malum, hoc est, ad boni delectabilis seu sensibilis fruitionem: nam, quia ratio aliunde infirma, pro tempore gravis tentationis magnoperè obnubilatur, ideò bonum honestum ita leviter, remissè, & tepidè proponit, ut consequenter & voluntas solùm leviter illud appetat, vehementiùs verò bonum delectabile vel sensibile, veluti per experientiam constat: Ergo dispositio & inclinatio concursum potiùs ad actum malum circa bonum delectabile tunc postulat, quàm ad victoriam supra tentationem, vel resistentiam ex motivo honesto. Si ergo contra fortiorem inclinationem DEUS suum adjutorium pro victoria ex motivo & bono honesto reportanda impertiatur, jam non erit concursus ordinarius, atque debitus, sed specialis gratia ac prorsus indebita. Huc profectò quadrat, quod D. Ambrosius habet in *Ps.* 43. sic loquens: *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat?* Cui Div. Augustinus in *Psal.* 89. succinit: *sine DEI adjutorio tentationes hujus vitæ superare non possumus.* Sententia nostra

78. Oppugnari potest primò: Fundamentum impotentiæ ad vincendas tentationes graves maximè & principaliter poneretur in relicta ex peccati lapsu infirmitate morali & attenuatione virium liberi arbitrii humani, quatenus illæ ad facilia tantummodò opera, non item ad valde ardua, inter qualia sunt victoriæ gravium tentationum, sufficere videntur, paritate desumpta ab infirmo corporaliter, qui quidem ex propriis viribus attenuatis motum quemdam hominis sani imperfectum efficere potest; ad motum perfectum tamen efficiendum ab alio specialiter adjuvari debet. Atqui hæc paritas non stringit, propter discrimen satis apertum, consistens in eo, quòd infirmitas corporalis vires hominis sani diminuat per physicam membrorum diminutionem, ex qua inhabilitas ad motum perfectum consequitur; infirmitas verò moralis, orta ex lapsu in peccatum, nihil diminuit physicæ entitatis, sed naturalia manent integra.

79. Resp. primò: Hoc argumentum nimiùm probare: nam si sola entitas physica intellectûs & voluntatis attendi debet, quidnî homo lapsus totam legem naturalem implere possit, & quamcunque gravissimam tentationem? semper enim servat vires entitativè integras, at contra istud absurdum communis Theologorum reclamat. Resp. secundò: Rationem fundamentalem nostram patere ex probatione. Resp. tertiò Godoyus ad *q.* 109. Div. Thomæ *disp.* 43. *§.* 2. *n.* 16. infirmitatem naturalem & moralem consistere in amissione donorum gratuitorum, putà integritatis, & rebellione hominis inferioris contra superiorem, quæ proinde propter hanc infirmitatem tam debilis, tepida, & instabilis est, ut ad resistendum inimico potenti sit impar, nisi à Divino adjutorio specialiter confortetur. Vid. aliam respons. apud *cit.* Godoyum.

80. Oppugnatur secundò: Ubi stat potentia ad utrumlibet, ibi sine speciali gratia adest facultas resistendi peræque, ac consentiendi in tentationis illecebram: sed stat talis potentia ad utrumlibet etiam post lapsum in peccatum: quoniam remanet indifferentia judicii objectiva, qua bonum delectabile, ùtùt tentatum fortiter alliciat, adhuc proponitur & cognoscitur esse quid finitum, & non necessitas. Itaque etiam post lapsum in peccatum stat potentia ad utrumlibet, consequenter & facultas resistendi &c. Hoc quoque argumentum repellitur per instantiam in solutione prioris adductam. Deinde

81. Resp. Maj. veram esse, si potentia ad utrumlibet sit proxima, & integra, ac non debilitata. Prob. dist. manet indifferentia judicii valde tenuis, & subintelligendo judicium

dicium speculativum duntaxat, conc. manet indifferentia judicii practici, quasi intellectus in sensu composito vehementis passionis, seu boni delectabilis fortiter inclinantis, posset sine speciali DEI auxilio per dictamen ultimatum (quod aliàs practicè practicum appellari solet, & juxta dictata in *Tr. de Peccat.* errorem practicum, qui omnem consensum in peccatum necessariò præcedit, in se continet) judicare: hæc voluptas est hic & nunc indecens, & sic omittenda: sic negatur. Vid. Paul. à Concept. *loc. cit. num.* 105.

82. Oppugnatur tertiò: Non resistentia contra insultum gravis tentationis non resistenti imputatur ad culpam: sed, stante nostra conclusione, sic ad culpam imputari non posset: eo ipso, quòd cuilibet censeatur inculpabile id, quod ipsi est inevitabile, aut impossibile, quod idem significat, ac in viribus alicujus non fuisse. Ergo &c. Relictis aliorum Responsionibus, censeo, meliùs admitti in homine lapso quoque potentiam non tantùm physicam & remotam, sed etiam moralem & proximam ad præcepta adimplenda & resistendum tentationibus quibuscunque. *Moralis* autem potentia dicitur, quatenus juxta modum agendi humanum, quamvis cum difficultate, & non sine ingenti conatu, potest ac solet in usum aut functionem prodire, & se exercere saltem semel & iterum: & sic opponitur impotentiæ morali communiter explicatæ, & à Suario aliisque rejectæ.

83. Porrò hæc potestas moralis, sine qua sola physica potestas ad præcepta servanda, & resistendum tentationibus, omninò inutilis foret, & qua sola stante, homini foret impossibile servare præcepta, & resistere tentationibus, habetur per ordinem ad auxilia sufficientia DEI specialia, quæ nec homini lapso desunt, vel saltem, si non semper adsint, habet facultatem implorandi Divinam bonitatem, ut eo tempore, quo implendum est præceptum, vel resistendum tentationi, adjutorium sufficiens conferre dignetur.

84. Ex quo colliges, pro implendis præceptis, & vincendis tentationibus, saltem gravibus, inprimis requiri ex parte actûs primi aliquod DEI auxilium sufficiens, constituens potestatem moralem & proximam: ac præterea aliud auxilium efficax ex parte actûs secundi, quo actus primus jam completus, & proximè expeditus, ad actuale exercitium, v.g. voluntariæ observantiæ præcepti, vel resistentiæ contra tentationem, applicatur, & præmovetur. Et licèt hoc auxilium efficax pro actu secundo sæpissimè non conferatur, tamen semper confertur aliquod auxilium sufficiens, & velut habituale, quoties obligatio præcepti implendi, vel tentationi resistendi instat: *DEUS quippe impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis*, ùt loquitur S. Conc. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 11. *ex D. Aug. lib. de nat. & Grat. c.* 44. qui de duab. animab. *cap.* 12. ulteriùs ait: *summæ iniquitatis & insaniæ est, ut peccati reus quisquam teneatur, qui non fecit, quod facere non potuit. Hoc enim habemus in potestate, quod cùm volumus, possumus. Præceptum verò idem nobiscum agit, ut quod jam est in potestate, faciamus; si nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut, quod præceptum est, faciamus.* Omnes ergo homines, sive justi, sive lapsi, potestatem simpliciter habent ad præcepta implenda, aut resistendum tentationibus, aut saltem facultatem, ad talem potestatem à DEO impetrandam, quarum prior significat sufficientiam proximam, posterior autem remotam, qua prior illa parari possit. Sanè non tantùm Manichæi libertatem remotam homini ad opera præcepta non negârunt, verùm etiam Lutherus; negârunt autem libertatem & potentiam proximam.

85. Nec placet proinde cum Paulo à Concept. & Salmanticens. dicere, hominem lapsum carere potentiâ etiam physicâ ad implendum præcepta, & resistendum tentationi gravi, talemque impotentiam non esse antecedentem sed consequentem, seu ex suppositione peccati liberè commissi relictam. Nam hæc assertio videtur minùs convenire cum sacris paginis. Fatendum, quòd DEUS intuitu peccati præcedentis subsequenter in ejus pœnam posset justè denegare auxilia sufficientia; attamen hac in parte jure suo non est usus: *Neque enim secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis*, *Ps.* 102. *v.* 10. Ut quamdiu viatores sumus, ipsiusque præceptis adstringimur, adsit nobis sufficientia proxima ad ea exequenda, aut saltem sufficientia *remota*, quâ *proximam* impetrare possimus orando ipsum, & obsecrando: *Fidelis quippe est DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*, 1. ad Cor. 10. Et 1. Tim. 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* Et non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Quæ omnia frustra ad nostrum solatium pronuntiarentur, si ratione peccati anterioris hominibus lapsis vel nulla potestas physica, vel sola remota sine *morali* relinqueretur. Textus verò adducti ex Div. Thom. & S. Bonav. intelligendi sunt de denegatione auxilii efficacis ad actum secundum in pœnam peccati præcedentis, non de subtractione auxilii sufficientis ex parte actûs primi, quod ortum ducit ex benignitate & misericordia DEI cedentis juri suo, & donantis homini etiam lapso totum id, quod sufficit ex parte actûs primi proximi & expediti, ad non peccandum & præcepta implenda.

QUÆ-

# QUÆSTIO QUINTA.

## *An Homo lapsus possit sine supernaturali Auxilio diligere DEUM propter se, tanquam auctorem, & finem ultimum naturalem?*

86. PRæmittendum, non quæri hic de dilectione DEI super omnia *simpliciter* tali, & conducente ad finem & salutem supernaturalem: hanc quippe intra vires naturales non contineri, & à gratia supernaturali necessariò dependere, certissimum, & de fide est. Procedit igitur quæstio de amore seu dilectione super omnia intra ordinem naturalem, an homo lapsus habeat potentiam naturalem & independenter ab auxilio supernaturali ejusmodi dilectionis actum saltem utcunque & transeunter eliciendi, v. gr. hunc vel similem affectum amoris *benevoli: Volo DEO in omnibus & super omnia placere.* Incidi in Eminentiss. Cardinalem d'Aguirre, qui in Tomo peculiari *de Natura pura & lapsa,* conscripto, *tract.* 7. *Monolog. cap.* 68. *disp.* 19. *& seq.* præsentem difficultatem solertissimè & satis prolixè pertractat, indagando primitus, an in homine lapso detur potentia saltem *antecedens* ad prædictam dilectionem DEI naturalem; & postea, an etiam sit admittenda potentia seu potestas *consequens?* Porro istius distinctionis membra sic explanat, ut potentiam seu potestatem antecedentem appellet illam, quæ in causa secunda libera exigitur ex parte actûs primi ad actionem sive dilectionem DEI secundùm se consideratam, nulla habita ratione impedimentorum: per potestatem verò consequentem intelligit facultatem in actu primo proximo, vel ad expellendum quælibet impedimenta, vel ad conjungendam cum ipsis actionem sive dilectionem DEI naturalem. Placet hujus viri sapientissimi vestigiis inhærere totamque materiam, apud ipsum latissimè diffusam, in compendio exhibere.

87. Conclusio: Homo lapsus sine auxilio DEI supernaturali habet potestatem physicam antecedentem ad diligendum DEUM propter seipsum ùt auctorem & finem naturalem; sed solùm in transitu, sive affectu volatico, & sine ullo fructu ad salutem & dispositione ad eam vel afferente efficaciter aut diuturnam mandatorum DEI observantiam, aut victoriam tentationum in re, sed tantùm in fallibili aut facilè frustrabili præparatione animi. Card. Aguirre hanc Sententiam communem dicit inter Scholasticos cum D. Thom. *Quodlib.* 1. *art.* 8. & in 3. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. Et in 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 6. Et 1. *part. quæst.* 60. *art.* 5. Et 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 3. in quibus locis S. Doct. quandoque loquitur de homine absolutè, quandoque in statu naturæ puræ considerato, ubivis tamen quantum ad statum & potestatem virium naturalium.

88. Probatio Conclusionis eruitur ex Monol. D. Anselm. *cap.* 67. illis verbis: *Omnino cogitari non potest, rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid tam præcipuum, tamque simile summæ sapientiæ, quàm hoc, quia potest reminisci, & intelligere, & amare id, quod optimum, & maximum est omnium: nihil igitur aliud inditum est creaturæ, quod sic proferat imaginem creatoris.* Deinde subjicit, *quòd rationali creaturæ non sit aliud, esse rationalem, quàm posse discernere justum ab injusto, verum à non vero, bonum à non bono, magis bonum à minùs bono. Hoc autem posse omninò est inutile illi & supervacaneum, nisi id, quod discernit, amet vel reprobet, secundùm veræ discretionis judicium.* Tandem concludit: *Nihil igitur apertius, quàm rationalem creaturam ad hoc factum esse, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum.* In hoc contextu D. Anselmus duo nobis ad rem præsentem proponit, primò *posse*, seu naturalem potentiam ad cognoscendum & amandum id, quod est optimum maximum, scilicet summam essentiam, quæ est summum bonum; quam quidem potentiam ipsi creaturæ, quà rationali, inditam dicit: Secundò indicat, rationalem creaturam factam esse, ut summam essentiam amet, adeoque debitum morale & obligationem amandi illud summum adstruit: atqui obligatio talis non subsistit, nisi supponantur vires sufficientes, proximæ, & propriæ creaturæ rationali, quarum nomine potestas seu potentia saltem antecedens intelligitur: Ergo &c.

89. Confirm. primò: cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non *habentes, ipsi sibi sunt lex: quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, testimonium reddente *illis conscientiâ ipsorum.* At nunquid primum & maximum mandatum in lege est hoc: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo:* igitur gentes, scilicet infideles (quanto magis fideles, etsi in peccato habituali existentes?) naturaliter, id est, ex insito naturæ lumine DEUM ùt auctorem & finem naturæ quandoque diligunt, atque adeo potentiam saltem antecedentem ad dilectionem DEI super omnia naturalem habent.

90. Confirmat. secundò: Homo naturaliter DEUM sibi cognitum cultu aliquo Religionis, qua ejus supremam Majestatem dominiumque protestetur seu profiteatur, honorare cupit: cur non & aliquo actu amoris eundem naturaliter, potentia nimirum saltem antecedenti prosequi possit sub ea ratione, quâ DEUM agnoscit, & colit?

91. Confirmat. tertiò: DEUS est incomparabiliter amabilior *quavis* bonitate objectiva virtutum moralium: si ergo homini lapso naturaliter insit potentia antecedens ad amorem quarumdam honestatum moralium in quibusdam virtutibus saltem facilioribus relucentium, cur non à fortiori insit similis potentia saltem antecedens ad amandum DEUM,

DEUM, ùt summum bonum amore scilicet saltem statui hominis lapsi proportionato?

92. Contra hanc sententiam varia accumulantur. Primum: quòd non videatur possibilis aliqua DEI dilectio, præsertim super omnia, quæ non sit supernaturalis intrinsecè, & vel radicetur in habitu charitatis, vel saltem ab aliquo auxilio supernaturali gerente vices habitûs charitatis infusæ dependeat: unde Michaël Bajus apertè dixit, vanam esse eorum distinctionem, qui sine ulla traditione contendunt, *duplicem esse DEI dilectionem; unam, quâ DEUM tanquàm largitorem beatitudinis futuræ diligimus*, quæ per Spiritum S. *diffunditur in cordibus nostris; alteram verò, quâ DEUM tanquam Creatorem amamus, quæ ortum ducit ex lib. hominis arbitrio.* Quam distinctionem ex eo refellit: siquidem voluntas humana sine auctoris sui participatione non valet, nisi ad cogitanda & desideranda sæcularia & humana, sicut variis testimoniis ostendi putat.

93. Secundum habetur ex Scriptura ùt *Joan.* 4. *Charitas ex DEO est:* & ad *Gal.* 5. *Fructus spiritûs est charitas, gaudium, &c.*

94. Tertium: Qui diligit DEUM (etiam ùt auctorem naturalem) & proximum propter DEUM, verè totam legem naturalem implet: quia plenitudo legis est dilectio: quæ est sententia Pauli ad *Rom.* 13. *Qui diligit, legem implevit.*

95. Quartum: Quod est prorsus donum DEI, id non est in viribus naturalibus secundùm potentiam antecedentem, seu actum primum proximum, at *diligere DEUM prorsus est donum DEI*, ùt sonant formalia Concilii Arausicani II. ipse enim, ait, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus, diligit. Hinc pro quinto allegatur D. Aug. *lib.* 4. *Operis imperfecti* contra Julianum Pelagianum: totum hoc rectè fit, *quando fit propter ipsum*, id est, *quando gratìs amatur ipse, scilicet DEUS: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso.*

96. Ad primum Resp. nulla ratione probari, non esse possibilem (etiam supposito statu elevationis modernæ) duplicem amorem DEI: imò assertio opposita Mich. Baji à Sancto Pio V. & Greg. XII. tanquam error fuit rejecta; sicuti & alia vicina propositio, scil. hæc: *amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elevationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Doctoribus:* Similiter & illa: *omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne probibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum S. in corde diffusâ, DEUS amatur:* quæ omnes propositiones ex Bajo desumptæ fuerunt.

97. Ad reliquas objectiones, quæ omnes in unum recidunt, generatim respondendum est, quòd texx. allati (dilectioni DEI tantam virtutem tribuentes, ùt puta fructum Spiritûs S. impletionem legis, plenitudinem observantiæ mandatorum, ipsamve justificationem, & salutem vitæ æternæ) intelligendi sint de dilectione supernaturali, quæque est talis, *ùt oportet* esse, ex dono & inspiratione Spiritûs S. Item loquuntur (si etiam naturalem DEI dilectionem sine speciali gratia pro impossibili habeant in statu naturæ lapsæ) inprimis de dilectione non merè transeunte, seu volatica, & partem legis tantùm implente, de qua nostra conclusio procedit; deinde intelligi debent de potestate non solùm antecedente, sed etiam de consequente, quæ, ut statim dicetur, requiri auxilium DEI speciale, seu aliàs naturæ corruptæ indebitum, attamen ordinis naturalis, à Divina misericordia liberaliter concedendum. Hæc de potestate antecedente.

# QUÆSTIO SEXTA.

## *An in natura lapsa detur etiam potestas consequens, ad amorem DEI naturalem sine auxilio supernaturali?*

98. Conclusio: In natura seu homine lapso datur etiam potestas consequens independenter ab auxilio aliquo supernaturali ad castam dilectionem DEI, etiam super omnia, ùt auctoris & finis naturalis, scilicet volaticam solùm, & non afferentem in re observantiam mandatorum DEI saltem diuturnam, nec victoriam tentationum, nisi tantùm in affectu & animi præparatione infirma, & sine dispositione ad salutem æternam. Ita Card. Aguirre *cit. tr. de nat. lapsa disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 32. cum citatis ibid. inter quos est Alens. Scot. Marsil. Sotus, Medina, Alvar. Cajetan. &c. qui, cùm indistinctè homini lapso potestatem ad prædictam dilectionem concedant, præter potestatem antecedentem, etiam consequentem tacitè admittunt. Hæc conclusio nihilominus, etsi auxilium supernaturalis ordinis ad prædictum amorem DEI non expetat, aliquod DEI auxilium speciale ordinis naturalis requirit ad potestatem consequentem: cùm enim homo per lapsum in peccatum tali auxilio se indignum reddiderit, absque dubio merum beneficium miserentis DEI est, & indebitum. Insuper hoc auxilium tenet se ex parte actûs primi, estque diversum quid ab illo auxilio efficaci & gratuito, quod quandoque ad actualem operationem amoris datur, quandoque non.

99. Probatur conclus. ad amorem benevolum DEI super omnia ordinis naturalis datur in homine etiam lapso potestas *antecedens*, nullum per se loquendo involvens auxilium ordinis supernaturalis: Ergo illi correspondet quoque potestas consequens ejusdem ordinis, ne illa antecedens sit inutilis ac frustranea. Prob. conf. Ideò potestas antece-

dens

dens non petit auxilium DEI supernaturale, quia tam actio, scilicet amor DEI, quàm terminus, videlicet DEUS ùt auctor & finis naturalis, sunt aliquid contentum intra ordinem naturalem: atqui etiam quoad potestatem consequentem, quæ datur ad auferendum impedimenta, vel saltem ad conjungendam operationem cum peccato, verificatur, quòd tam actio seu amor, quàm objectum seu terminus, formaliter scilicet & in esse motivi consideratus, sint aliquid contentum intra ordinem naturalem: aut certè supponere deberes, in statu naturæ lapsæ amorem DEI super omnia præcisè naturalem implicare, & tunc præceps rueres in propositionem damnatam contra Bajum, nempe hanc: omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: *aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum diffusâ, DEUS amatur:* Hinc admittendus est aliquis amor medius, inter illum mundanum, seu vitiosum & alterum laudabilem, ac supernaturalem, qui amor medius erit ipsissima casta dilectio DEI Auctoris naturæ, viribus ordinis naturalis elicita, & defensa ab illis auctoribus, quos ùt errantes Bajus impugnavit.

100. Confir. primò, ex Div. Th. 3. *dist.* 29. *qu.* 1. *artic.* 3. ubi ad quæstionem, *an DEUS super omnia sit diligendus ex charitate*, in *Corp. articuli*, præmissa distinctione amoris in amorem concupiscentiæ, & benevolentiæ, seu amicitiæ, nec non in naturalem & supernaturalem relatè ad DEUM, ita habet: *Quia ergo bonum nostrum in DEO perfectum est, sicut in causa universali, prima, & perfecta bonorum; ideò bonum in ipso esse, magìs naturaliter complacet, quàm in nobis ipsis: & ideò NB. etiam amore amicitiæ naturaliter DEUS ab homine plus seipso diligitur.*

101. Nec dicas, S. Doctorem in sua summa nihil simile tradere. Contrarium namque ostenditur ex 1. *q.* 60. *art.* 5. ubi conformiter ad priorem textum sic concludit: quia igitur bonum universale est ipse DEUS, & sub hoc bono continentur etiam Angelus, & homo, & omnis creatura (quia omnis creatura naturaliter secundùm id, quod est, DEI est) sequitur, quòd naturali dilectione etiam Angelus & homo plùs & principaliùs diligat DEUM *quàm seipsum.* Et in 1. 2. *q.* 109. *artic.* 3. dicit: *Diligere autem DEUM super omnia est quiddam connaturale homini.* Cui homini? Certè non Platonico, sed quales modo existunt, justi, & peccatores.

102. Confirmatur secundò, & ad captum magis dilucidatur. Impedimenta, quæ obstarent amori naturali DEI ùt authoris & finis naturalis, essent maximè duo: primum aversio hominis lapsi à DEO ùt Auctore & fine supernaturali ipsaque macula peccati seu privatio gratiæ sanctificantis, quæ auferri nequit, nisi per infusionem novæ gratiæ sanantis & sanctificantis: nec non conversio peccatoris in bonum proprium & commutabile: alterum rebellio hominis seu partis inferioris contra superiorem: atqui hæc impedimenta non obstant amori DEI naturali & potestati consequenti per auxilium DEI speciale ordinis naturalis roboratæ, quin saltem actus amoris cum iisdem sit compatibilis: Ergo &c. Min. quoad secund. membr. videtur difficultate carere: tum quia rebellio prætacta etiam in statu naturæ puræ duraret, nec tamen amor DEI ùt Auctoris & finis naturalis cum illa rebellione ùt impedimento incompossibilis foret: tum, quia & in justis durat; tum denique, quia non pro omni tempore rebellio & tentationes insurgunt: aliunde etiam auxilium DEI speciale ex parte hominis lapsi supponimus, saltem mediante oratione à DEO impetrandum. Igitur eadem min. prob. quoad primum membr. Ideò non posset conjungi amor DEI naturalis in homine lapso, cum aversione à fine adhuc perseverante ratione peccati habitualis, & cum conversione in bonum creatum vel proprium peccatoris, quia repugnare videtur, ut voluntas sit simul conversa in DEUM, ac simul aversa à DEO, non minùs, quàm repugnet, ut simul duos fines ultimos disparatè tales habeat. At nulla hic intervenit repugnantia. Ergo &c. Maj. & min. objiciunt PP. Salmanticenses 1. 2. *q.* 109. *disp.* 2. *dub.* 4. *§.* 2. Jam prob. min. Etsi voluntas nequeat esse simpliciter aversa à DEO fine ultimo, & simul simpliciter conversa in DEUM, non tamen apparet ulla repugnantia, cur non possit *simpliciter* & habitualiter esse aversus à DEO ùt fine supernaturali, & tamen possit esse conversus in DEUM *secundùm quid* actualiter & affectivè ùt habet rationem Authoris & finis naturalis: Ergo. Stante potestate consequente roborata aut constituta per auxilium speciale DEI ordinis naturalis, quod vel jam sit actu collatum, vel saltem per orationem impetrari possit, amor DEI naturalis conjungi potest cum impedimento illo dictæ aversionis, & peccati habitualis, conversionisque moraliter adhuc durantis erga bonum creatum: consequenter etiam potestas consequens in solo ordine naturali habetur. Ant. stabilitur primò ex eo, quòd præceptum naturale de diligendo DEO super omnia, etiam stante peccato habituali, seu originali solo, seu personali, seu utriusque conjunctione, homini nunquam debeat esse impletu impossibile. Secundò: quoniam secundum D. Anselmum *num.* 8. *cit.* rationali creaturæ naturaliter datum est, tanquam imagini Creatoris, *ut possit reminisci & intelligere, & amare id, quod optimum & maximum est omnium, & nihil apertius est, quàm rationalem creaturam ad hoc factam esse, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum.* Subsumo: homo etiam in peccato habituali existens, & aversus à DEO ùt auctore & fine supernaturali nihil amittit de esse creaturæ rationalis: quia naturalia etiam in dœmonibus, post lapsum manserunt integra, uti ex D. Dionys. traditum novimus: Ergo etiam in illo statu sicut potest naturaliter intelligere id, quod est optimum &

& maximum omnium, seu summam essentiam, quæ est DEUS, etiam ùt auctor & finis naturalis, ita etiam eandem potest amare, potestate nimirum proxima & consequente: quia Anselmus dicit: *Ut summam essentiam amet super omnia bona.*

103. Annectendum est hactenus dictis, potestatem consequentem, quam etiam homini lapso adesse ostendimus, non solùm esse physicam, quatenus homini ad amorem DEI ùt finis naturalis nihil ex comprincipiis vel conditionibus physicis deest ad actum primum, sed insuper *moralem* (prout potestas moralis opponitur impotentiæ morali simpliciter dictæ) sic, ut spectato modo humano & connaturali possit reduci in actum secundum, licèt fortè raró, & non nisi cum ingenti difficultate, propter infirmitatem & corruptionem naturæ lapsæ, in actum operationis reducatur: sique nonnulli lapsi semel & iterum prædictam dilectionem facilè eliciant, id specialiori tribuendum DEI auxilio, quo id, quod attentis naturæ infirmæ viribus esset valde difficile, homini lapso suave & facile redditur. Card. d'Aguir. plura de hoc *de nat. lapf. disp.* 121. *sect.* 1. per totam. Notans ibid. *n.* 13. per potestatem moralem ultra vires physicas voluntatis antecedentes respectu prænominatæ dilectionis secundùm se spectatæ & consequentes, ad vincendum impedimenta, superaddi ex parte intellectûs notitiam quandam vividam, appretiativam bonitatis voluntatisque DEI, quatenus auctoris naturalis, supra omnia bona utilia aut jucunda, quæ ipsi quoquo modo adversari possunt; & ex parte voluntatis delectationem quandam simplicem, aut propensionem ad placendum ipsi, plusquam sensui, aut carni & sanguini &c.

104. Oppones primò cum Patribus Salmanticens. & aliis, de ratione finis ultimi esse, ut plenè dominetur voluntati, proindeque omnes ipsius affectus tam habituales, quàm actuales sibi subordinatos habeat: at respectu amoris naturalis DEI super omnia DEUS habet rationem finis ultimi, & tamen habitualis affectus hominis in lapsu perseverantis DEO subordinari nequit in sensu composito talis perseverantiæ. Ergo DEUS non habet rationem finis ultimi respectu amoris naturalis eliciendi ab homine lapso in sensu composito perseverantiæ in peccato habituali.

105. Resp. Argumentum pati instantiam in dæmonibus, à DEO ùt fine supernaturali absolutè aversis, simulque conversis in DEUM secundùm quid per dilectionem naturalem: & quidem conversio & aversio sunt actuales, præsertim in sententia communiori, propugnante, dæmones ad amorem DEI esse necessitatos necessitate exercitii: qui tamen innumeris modis DEUM ùt Auctorem & finem supernaturalem continuò offendunt. Deinde prædominatio illa latissima finis ultimi, quam exerceret in omnes affectus voluntatis, accipienda est de fine ultimo simpliciter sumpto, & in omni genere; secus dicendum de fine ultimo intra certum genus, & sphæram determinatam: adhæc: intelligenda est prædicta prædominatio de affectibus, qui subordinationis & relationis capaces sunt, non de aliis, & de omnibus: alioquin affectus, quo homo justus peccat venialiter, pariter in DEUM ùt finem ultimum supernaturalem, in quem justus refertur habitualiter ratione gratiæ sanctificantis, ordinari deberet.

106. Oppon. secundò: Ex damnatione illius propositionis Bajanæ, qua excluditur distinctio duplicis amoris, non infertur, quòd amor DEI efficax ùt authoris naturæ pro hoc statu elevationis possit esse separatus ab amore DEI ùt Auctoris supernaturalis. Ergo damnatio illa ad Sententiæ nostræ stabilimentum ineptè fuit adducta. Prob. antec. Non datur præceptum naturale (pro hoc statu elevationis) amandi DEUM ùt authorem naturæ, separatim à præcepto supernaturali amandi DEUM ùt authorem & finem supernaturalem: Igitur propter hanc connexionem utriusque amoris & unius ad alterum subordinationem, ad omnem dilectionem DEI opus est auxilio supernaturali. Sic Clariss. P. Mezger *loc. cit. num.* 26. respondens Godoyo ad ea, quæ habet *disp.* 42. §. 4. Mezgerum pressè sequitur Babenstuberus *d. art.* 2. *num.* 34.

107. Resp. neg. antec. utrumque. Cujus contrarium ex dictis probatum manet. Dabimus Adversariis, nullum extare præceptum naturale, ut DEUM amore naturali separatim à supernaturali amemus, eo sensu, quasi si velimus, & auxilia supernaturalia suppetant, non liceat amorem naturalem supernaturali motivo elevare vel perficere, quod certissimum est: inficiamur autem, præceptum naturale de diligendo DEO separatim, hoc est, præcisivè ùt Authorem naturalem, omnino vel nullum unquam extitisse, vel abolitum esse, vel demum, quòd omnem amorem DEI in finem supernaturalem referre teneamur. Certè communis habet assertio, quòd præcepta Decalogi, inter quæ eminet præceptum de diligendo DEO, sint naturalia. Et quæso! quid communius in scholis, quàm divisio in præcepta Divina, naturalia, & humana? Deinde si infidelium (imò & fidelium in peccato existentium) opera possunt habere speciem moralem virtutis ex implicita relatione in DEUM ùt Authorem naturæ præcisè, quid obstet, ne sub naturali motivo amore explicito in DEUM ùt est auctor naturæ, referantur?

108. Oppon. tertiò: Tametsi rationes finis naturalis & finis supernaturalis sint disparatæ, seu inconnexæ, nequit tamen conversio in DEUM ùt finem supernaturalem consistere simultaneè cum aversione à DEO ùt fine & auctore naturæ. Ergo nec aversio à DEO ùt fine supernaturali cum conversione in DEUM ùt finem naturalem. Resp. disparit. esse, quòd conversio in DEUM ùt finem

nem supernaturalem dependeat à gratia sanctificante, quæ essentialem habet oppositionem cum quolibet peccato, consequenter etiam cum illo, quod per violationem alicujus præcepti naturalis induceret aversionem à DEO ùt auctore & fine naturali: ideoque rectitudo supernaturalis in gratia habituali fundata claudit in se eminenter rectitudinem voluntatis naturalem erga DEUM ùt finem & auctorem naturalem. At verò rectitudo naturalis non fundatur in gratia sanctificante, sicque non est connexa cum aliqua forma habente essentialem repugnantiam cum quolibet peccato; ideoque tanquam inferior nequit eminenter in se continere rectitudinem supernaturalem: quare cum amore & conversione naturali actuali stare potest aversio habitualis à DEO ùt fine supernaturali.

109. Oppon. quartò: Admissa possibilitate dilectionis naturalis DEI super omnia, posset homo lapsus justificari sine omni gratia: cùm enim non posset habere duos fines simpliciter ultimos, convertendo se efficaci dilectione in DEUM, eò ipsò destrueret aversionem, & conversionem in bonum creatum, quam habet, quamdiu non desistit à peccato commisso.

110. Resp. neg. seq. jam enim frequenter repositum fuit, in casu nostro non finalizare duos fines simpliciter ultimos, vel qui se habeant *contrariè*, sed solùm *disparatè*. Licèt etiam supponas, dari infideles negativè tales, quibus nihil constat ex fide Divina de DEO ùt auctore & fine supernaturali, ut propterea, violando præceptum naturale, à DEO ùt fine solùm naturali averti, consequenter & per amorem naturalem à suo peccato justificari videantur; attamen hoc minimè ex nostra Sententia consectarium vel admittendum est; vel enim infideles nunquam per lavacrum baptismi fuerunt justificati, & sic manent deinceps aversi à DEO ùt fine supernaturali propter maculam peccati originalis nunquam deletam: vel alicui, post fidem habitualem cum justificante gratia baptismali aliquando receptam, fuerunt relapsi in infidelitatem? Et isti quoque posthàc manent à DEO ùt fine supernaturali aversi, quamdiu in statu infidelitatis perseverant.

111. Oppon. quintò difficilem text. ex D. Tho. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3. *in C.* „Homo, ait, in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem DEI, „sicut ad finem: & ita diligebat DEUM „plùsquàm seipsum, & super omnia: sed in „statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit „secundùm appetitum voluntatis rationalis, „quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam DEI. Et ideo dicendum est, quòd „homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus „bonis ad diligendum DEUM naturaliter super omnia, licèt indigeret auxiliò DEI ad „hoc eum moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homò etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.„

112. Resp. ad hunc textum Cajetanus ibidem, quòd diligere DEUM super omnia simpliciter sit diligere DEUM, ùt finem omnium, id est, propter quem homo diligit omnia. Diligere autem super omnia secundùm præsentem statum, est diligere DEUM, ùt finem omnium referibilium in ipsum DEUM. Conveniunt hi duo modi in eo, quòd sint præcepta affirmativa: secundò in hoc, quòd utrique repugnet aliud diligere à DEO ùt ultimum finem cujuscunque actûs. Differunt autem in eo, quòd prim.o modo diligendi DEUM repugnet omne malum culpæ; secundo autem non item. Ad habendum namque actum diligendi DEUM super omnia simpliciter oportet omnia sua habere talia, ut possint in DEUM referri. Si enim aliquid sic diligit, ut non sit referibile in DEUM, jam impedimentum ponitur, ne suorum omnium possit DEUM habere finem; ac per hoc impotentem se reddit ad diligendum DEUM super omnia simpliciter. Et quia malum culpæ, quodcunque illud sit (id est, quantumvis leve) repugnat referibilitati in DEUM ùt finem, ideo omne malum culpæ repugnat observationi hujus præcepti: *Diliges DEUM super omnia simpliciter.* Sed ad habendum actum diligendi DEUM super omnia referibilia in ipsum, non reddit impotentem hominem quodcunque malum culpæ; ùt experientia testatur in habentibus charitatem, qui diligunt DEUM super omnia, & ùt finem beatitudinis; quia gratia perficit naturam; & tamen habent multa mala culpæ, & in voluntate faciendi, putà, dicendo mendacium officiosum, comedendo nimis, & hujusmodi. His præmissis, laudatus Cajetanus finaliter ad propositum nostrum reponit, quòd, licèt homo in statu naturæ corruptæ, quantum est ex sufficientia sua, possit ex puris naturalibus diligere DEUM super omnia referibilia in ipsum, quæ sunt in sua potestate; non tamen possit diligere DEUM super omnia simpliciter: quia non potest non peccare; ac per hoc non potest non ponere impedimentum dilectioni DEI super omnia, sicut potest in statu naturæ integræ, in quo potest præservare se ab omni peccato, & consequenter, quando tempus est, exire in actum diligendi DEUM super omnia simpliciter: quia nihil sui est irreferibile in DEUM. Hactenus Cajetanus. Igitur dilectio DEI super omnia simpliciter talis excludit omnia qualitercunque deviantia à DEO, sive non ordinata in gloriam & obsequium ipsius, tam actualiter, quàm habitualiter: hocque fieri potest in statu *naturæ integræ*, in quo daretur vigor perfectus naturæ rationalis, ita, ut homo tunc indigeret solo *Auxilio DEI moventis*, scilicet potentiam reducentis in actum secundum. At in natura corrupta peccati habitualis macula, quæ tunc adest, prorsus est irreferibilis in DEUM,

estque homo in necessitate tunc constitutus morali saltem *& vaga* committendi aliquod peccatum: consequenter, ut tunc DEUM super omnia simpliciter diligat, opus est gratia *sanante*, seu habituali sanctificante, ut scilicet homo sanetur à macula &c. Videat Aguirre *de nat. lapſ. tract.* 7. *c.* 120. *sect.* 4. *à num.* 51.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *DE* *Necessitate Gratiæ ad verum & bonum supernaturale: Item de Gratia Actuali sufficiente, & efficaci.*

113. POstquam prolixè satis gratiæ actualis necessitatem ad verum & bonum naturale discussimus, rectus etiam ordo exigit, ut de ejusdem necessitate ad verum & bonum supernaturale tractemus. Cùm autem summa quasi divisione in sufficientem & efficacem distribuatur, horum quoque membrorum examen in præsenti Dissertatione instituere conabimur. Sit jam

## QUÆSTIO SEPTIMA.

### *Utrùm ad omnem cognitionem fidei, seu veri supernaturalis requiratur specialis Gratia, & quidem Ordinis supernaturalis: Et similitér ad operandum aliquod bonum supernaturale?*

114. VErum aliquod aut est supernaturale ex parte objecti, seu ipsius rei entitativè consideratæ; aut solùm ex parte medii, & motivi, dum objectum seu res cognitioni substans est quid præcisè naturale: aut est quid supernaturale tam ex parte objecti ipsiusque rei, sive mysterii totum naturæ ordinem excedentis, quàm ex parte motivi, putà, dum cognoscitur, & aliquid enunciatur quatenus divinitus revelatum. Exemplum primi est in dæmonibus, & hæreticis, qui mysteria fidei v. g. in Sacra Scriptura revelata cognoscunt, iisque assentiuntur cognitione, & medio seu motivo naturali duntaxat, sive, ùt explicat Theol. Salisb. quia, supposita semel revelatione, & promulgatione mysteriorum supernaturalium, ex naturali dictamine judicant, potiùs hoc ipsis esse credendum, quàm aliud. Unde mysteria illa respectu ipsorum *in esse* objecti non sunt supernaturalia, sed entitativè tantùm: quare de his non procedit quæstio: exemplum secundi habes in variis rebus historicis, naturalibus, quibuscunque in Sacra Scriptura contentis, quibus Catholici assentimur propter infallibilem authoritatem DEI revelantis, ùt quòd Cain occiderit Abelem, David prostraverit Goliathum &c. Exemplum tertii apparet in cognoscentibus & fide Divina crescentibus mysteria supernaturalia, ùt revelata, ex. gr. mysterium Summæ Trinitatis, Incarnationis, &c. Juxta hæc duo posteriora exempla quæstio nostra instituitur.

115. Conclusio prima: ad quamlibet cognitionem veri supernaturalis, sive sit tale ex parte motivi tantùm, sive etiam ex parte objecti, requiritur auxilium gratiæ supernaturalis: similiter ad omne opus supernaturale. Est doctrina fidei. Probat. utraque pars ex Concil. Arausicano II. *Can.* 2. ubi sic definitur: si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem vitæ æternæ pertinet, cogitare, ùt expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi se consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs S. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem DEI in Evangelio dicentis: sine me nihil potestis facere: & illud Apostoli: *Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.*

116. Ratio fundamentalis est, quòd veritates supernaturales, & mysteria fidei ab intellectu sibi relicto nec possint investigari, vel attingi in seipsis: aliàs essent notæ per se: nec per aliud: vel enim investigatio & cognitio haberetur per aliud, quod esset quid à priori & per modum causæ; vel per aliud à posteriori, quod haberet rationem effectûs? Nihil horum dici valet: Nam utrumque medium esset quid ordinis naturalis, adeoque ineptum, inconnexum & improportionatum cum vero supernaturali: Igitur, cùm verum supernatùrale nec possit cognosci in principiis naturalibus, nec in aliquo medio ordinis supernaturalis, opus est gratia speciali revelationis, & illustrationis supernaturalis interiùs factæ.

117. Conclus. secunda: Similiter ad quodlibet opus bonum supernaturale requiritur auxilium supernaturale gratiæ per Christum. Est iterum de fide contra Pelagianos & patet ex *cit.* Concil. Arausicano. Omissis aliis Auctoritatibus, auscultemus S. Trid. Conc. *Sess.* 6. *de Justif. Can.* 2. *Si quis dixerit, ad hoc solùm Divinam gratiam per Christum JESUM dari, ut faciliùs homo juste vivere, ac vitam æternam*

*nam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit, anathema sit.* Et *Can. seq. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Cæterùm conclusio utraque est intelligenda & extendenda etiam ad hominem justum, seu in statu gratiæ sanctificantis existentem, quòd & ipse, etiamsi possideat habitus supernaturalium virtutum infusos, habentes se instar potentiarum in ordine supernaturali ad agendum, sic, ut dent posse *simpliciter*, indigeat aliquo auxilio supernaturali ad cognoscendum verum, vel operandum bonum aliquod supernaturale. Didac. Alvar. in *summa de auxiliis cap.* 24. cum communi contra quosdam Theologos contrarios. Colligitur ex illo Christi Domini Joan. 15. *sine me nihil potestis:* allocutio erat ad Apostolos, qui sine dubio justi fuerunt: dicitque David in persona justorum Ps. 26. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Confirmatur ex Cœlestino Papa *epist. ad Episcop. Galliar. c.* 8. ubi docet, justos instinctu DEI bona opera facere: ideò utique ait, quia præoperatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium: quotquot enim spiritu DEI aguntur, hi filii DEI sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Et in Conc. Trid. *cit. Sess. 6. de Justif. c.* 16. docetur, quòd ipse Christus JESUS, tanquam caput ad membra, & tanquam *vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto DEO grata, & meritoria esse possunt.* Eleganter etiam Div. Augustinus *lib. de nat. & grat. c.* 26. *Sicut oculus,* inquit, *corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere: sanat ergo DEUS non solùm, ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus.* Quæ in contrarium difficultatem movere videntur præcipuè quoad primam conclusionem:

118. Fundantur primò in natura objecti nostri intellectûs, quod in suo ambitu comprehendit omne verum, consequenter & supernaturale, ac fidei mysteria. Secundò, quòd etiam veritates supernaturales sint contentæ intra specificativum intellectûs humani: non enim hoc specificativum intellectûs in ratione *veri* est angustius, quàm in ratione entis: atqui in ratione entis abstrahit à creato, & increato, naturali, & supernaturali: igitur etiam in ratione veri pariter sic datur abstractio. Tertiò: in natura objecti. Nam si mysterium fidei sumatur in ratione *objecti*, debet dari proportio inter potentiam intellectivam in esse potentiæ & inter rem ab illa intelligibilem, sumptam reduplicativè in esse objecti. Atqui potentia intellectiva est ordinis naturalis in esse potentiæ: ergo etiam res attingibilis ab illa, si sumatur in esse objecti, est quid ordinis naturalis.

119. Ad primum Resp. Salmantic. hic *qu.* 109. *disp.* 3. *dub.* 1. *n.* 7. Veritates supernaturales esse equidem intra objectum nostri intellectûs quantum ad proportionem *commensurationis essentialis*, ut mediante elevatione ab illo attingi possint; at non quantum ad proportionem *efficacitatis* proximæ; hæc enim proportio requirit superadditam revelationem, & auxilium supernaturale.

120. Ad secundum Resp. iidem, quòd intellectus, ùt est proprietas accidentalis suum objectum, scilicet animam perficiens, sit quid merè naturale: consideratus tamen relativè ad suum objectum, & sub formalitate potentiæ, neque sit virtus naturalis, neque supernaturalis: sic enim illius specificativum est ens præscindens à naturali & supernaturali, juxta mentem Div. Th. in 1. *q.* 79. *artic.* 7. dicentis: *intellectus respicit suum objectum secundùm communem rationem entis, eò quòd intellectus possibilis est, quod est omnia fieri: unde secundùm nullam differentiam entis diversificatur differentia intellectûs possibilis.* Nihilominus communiter dici solet potentia naturalis tum propter suam rationem entitativam, quæ naturalis est, tum propter ejus objectum proportionatum, quod debet esse similiter aliquid naturale. Hinc patet solutio

121. Ad tertium: nam primò (ùt dictum est) intellectus in esse *potentiæ* præscindit à ratione virtutis naturalis & supernaturalis: & similiter ejus objectum specificativum est ens ab utraque hac ratione præscindens. Secundò dico, quòd debeat dari proportio inter potentiam intellectivam *in esse* potentiæ, & inter rem intelligibilem in esse objecti, proportio, inquam, saltem *essentialis*, & in actu signato, quatenus illa potentia suum objectum specificativum essentialiter respicit; non autem proportio connaturalis secundùm commensurationem virtutis seu *efficacitatis* proximæ: hæc quippe efficacitas proxima, si objectum sit supernaturale, superadditur potentiæ connaturali per vires gratiæ supernaturalis.

122. Contra id, quod dictum fuerat de homine justificato, quòd etiam ipsi opus sit auxilio supernaturali, ut verum supernaturale cognoscat, vel bonum operetur:

123. Opponi potest: vel auxilium supernaturale, quo opus haberet homo justificatus, esset speciale, & indebitum, vel generale, & debitum: neutrum rectè dicitur: non quòd sit speciale: nam (ùt instat Eximius P. Alphons. Wenzl hic *part.* 8. *n.* 127.) quando concursus ad agendum alicui subjecto connaturaliter debetur, tunc non habet rationem gratiæ specialis: sed naturæ per donum gratiæ sanctificantis elevatæ concursus ad benè operandum in eodem ordine connaturaliter debetur: ergo non habet rationem specialis gratiæ: minor prob. ex eo, quòd, suppo-

ſuppoſitô beneficiô elevationis, naturæ rationali quà ſic elevatæ actus ſupernaturales ſint maximè connaturales atque proportionati; per conſequens concurſus cauſæ primæ ad illos cenſeatur eſſe debitus: gratia enim ſanctificans ùt eſt principium radicale operandi in ordine ſupernaturali, & habitus infuſi habentes ſe ùt principia formalia, pro actu proportionato & connaturali non poſſunt exigere actum ordinis naturalis: itaque exigunt actum ordinis ſupernaturalis. Confirmatur à pari: Homo non tantùm in ſtatu naturæ puræ, ſed etiam lapſæ absque ſpeciali auxilio exercere valet aliquod opus moraliter bonum intra ordinem naturæ; & hoc ideò, quia per creationem habet naturam ſufficienter inclinatam, ac proportionatam ad actum moraliter bonum intra ordinem naturæ: atqui etiam in ſtatu naturæ elevatæ habet gratiam ſanctificantem, & virtutes infuſas gratiæ connexas, quibus per modum actûs primi ſufficienter inclinatur & proportionatur ad actum ſeu operationem honeſtam intra ordinem ſupernaturalem: Ergo etiam talem operationem ſine ſpeciali auxilio & beneficio indebito, & ſic cum ſolo concurſu generali exercere valet.

Auxilium econtra, de quo controvertitur, eſſe ſpeciale, non tantùm eſt conformius Scripturæ, & Conciliis, veluti conſtat ex dictis in *num.* 117. ſed inſuper ex eo, quia gratia, quæ datur ex ſpeciali beneficio incarnationis & redemptionis, atque adeò per Chriſtum, inconvenienter dicitur communis vel generalis: at auxilium, quod ad operationem ſupernaturalem confertur etiam juſtis, exiſtentibus in gratia ſanctificante & habente annexos habitus infuſos, reverà confertur ex ſpeciali beneficio incarnationis & redemptionis, conſequenter per Chriſtum: Ergo dici debet auxilium ſpeciale etiam in homine juſto &c. Addo, quòd auxilium non detur habitui alicui vel gratiæ habituali, ſed habenti, ſcilicet ſubjecto, ſeu perſonæ exiſtenti in gratia habituali, & habitibus infuſis exornatæ, ut per auxilium excitetur ad operandum tanquam per formam ſupernaturalem: reſpectu autem perſonæ ſuppoſiti, ſeu ſubjecti, auxilium præfatum eſt totaliter indebitum, ac donum ſimpliciter gratuitum, licèt ſecundùm quid forſan poſſit dici debitum & ordinarium, ſi compararetur præciſè ad habitum ſupernaturalem infuſum tanquam ad principium formale quo agendi in ordine ſupernaturali vel etiam ad gratiam ſanctificantem tanquam principium *radicale quo.* Nam, ut rectè inſtat Joan. à S. Thoma hìc *disput.* 21. *art.* 1. *num.* 11. eſſe debitum vel indebitum magis judicandum eſt ex parte principii *quod*, ſeu perſonæ; quia perſona eſt id, cui donatur; habitus verò ſolùm eſt id, ratione cujus donatur: ſicut è converſo, quando perſona eſt Divina, ùt in Chriſto, licèt gratia fiat humanitati, non tamen dicitur fieri perſonæ. Eſt autem diverſa ratio in formis naturalibus (per quod ſatisfit paritati pro priori aſſertione aſſumptæ) quia concurſus connaturalis formæ eſt etiam debitus & connaturalis agenti, quia forma eſt propria illius, & in quantum naturalis, non datur titulo redemptionis, ſed generali concurſu DEI Creatoris donatur. Relege *num.* 76. latè Godoyus hìc *diſp.* &c. contra Lorcam explicationi adverſæ patrocinatur. Vid. etiam P. Mezger hic *diſp.* 3. *art.* 2. ubi allegat Concilium Milevitanum *Can.* 3. his verbis: *Quicunque dixerit, gratiam DEI, in qua juſtificamur, per Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem valere, quæ jam commiſſa ſint, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Hic tamen textus facilè conciliatur cum explicatione Sententiæ poſterioris, quam nos amplectimur: intereà fatetur P. Mezger, hanc litem magis eſſe de nomine quàm de re; hinc miror, quòd Godoyus (& P. Wenzl) tantum laboris inſumpſerint, ut quæſtionem longam formarent.

## QUÆSTIO OCTAVA.

### *An, & quomodo ad perſeverandum finaliter detur Gratia ſpecialis?*

125. PErſeverantia, ut docet Div. Thom. 2. 2. *quæſt.* 177. *art.* 4. dupliciter accipitur: *uno modo pro ipſo habitu perſeverantiæ, ſecundùm quod eſt virtus* (ſcilicet inclinans ad continuationem operis boni non obſtante quavis tentatione) *& boc modo indiget dono babitualis gratiæ, ſicut & cæteræ virtutes infuſæ: Alio modo poteſt accipi pro actu perſeverantiæ durante usque ad mortem: Et ſecundùm hoc indiget non tantùm gratia habituali; ſed etiam gratuito DEI auxilio, conſervantis hominem in bono usque ad finem vitæ.* Ex hoc ſtatuitur

126. Concluſio: Donum perſeverantiæ finalis involvit beneficium DEI ſpecialiſſimum, ſeu auxilium extraordinarium, vi cujus doni mors infallibiliter actu conjungitur cum ſtatu gratiæ. Concluſio conſtat primò ex S. Thoma mox allegato. Cui adde argumentum ex 3. *cont. gent. cap.* 155. Illud, *quod naturâ ſuâ eſt variabile*, ad hoc, quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis. Sed liberum arbitrium etiam exiſtentis in gratia habituali, adhuc manet variabile & flexibile à bono in malum: Ergo ad hoc, quòd figatur in bono, & perſeveret in illo, usque ad finem, indiget ſpeciali DEI auxilio. Conſtat ſecundò ex Concil. Arauſicano II. & Tridentino: In illo dicitur Can. 10. *Adjutorium DEI etiam in renatis & ſanctis ſemper eſſe implorandum, ut ad finem bonum pervenire poſſint, vel in opere bono perdurare:* in iſto *Seſſ.* 6. *Can.* 22. *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio DEI in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe*, anathema ſit. Et

*Can. 16. magnum* appellat *perseverantiæ donum:* de quo locutus est Salvator. *Joan.* 17. orans: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mibi.* Constat tertiò ratione: quia donum, quod datur ex speciali DEI providentia ad obtinendum effectum prædestinationis, & quo prædestinati maximè discernuntur à reprobis & homo in fine vitæ redditur ad peccandum impotens, ita ut ejus voluntas tunc figatur & immobilitetur in bono, est beneficium omnino speciale, & auxilium extraordinarium. At donum perseverantiæ est hujusmodi. Ergo &c. Cur verò hoc donum detur uni, & non alteri ex speciali providentia, omnes fateri debent, in hoc singulariter judicia DEI esse inscrutabilia: Ex duobus piis (inquit D. August. *de dono persever. cap.* 8.) *cur huic detur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia DEI. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.*

127. Difficultas restat, in quo ergo specialissimum & maximum donum perseverantiæ finalis consistat? Resp. primò Salmanticenses *disp.* 3. *n.* 242. attentis omnibûs rectum doni perseverantiæ consistere in gratia sanctificante, ùt infusa ex efficaci intentione DEI, ut persistat usque ad mortem: nam ita accepta reddit hominem impotentem ad peccandum, & gratia fit inamissibilis: quia DEUS efficaciter vult, ut non amittatur, & sic etiam propter illam DEI efficacem intentionem homo infallibiliter perseverat, & consequitur gloriam. Unde, inquiunt, eadem gratia habitualis, seu sanctificans (de qua in *Tractat. de Eccles. Milit.*) secundùm se accepta, perseverantia non est, sed prout substat prædictæ intentioni, censetur esse principale in dono perseverantiæ, & hominem perseverantem reddit, etsi non excludat alia subsidia intrinseca vel extrinseca, per quæ DEUS decrevit, ut hujusmodi gratia usque ad mortem continuaretur: quæ proinde ad complementum perseverantiæ, prout DEUS decrevit, spectare possunt. Eodem modo loquitur Exim. P. Alph. Wenzl. *de grat. qu.* 10. *n.* 136. Clariss. P. Babenstub. eod. *tr. disp.* 3. *art.* 3. *n.* 8. cum P. Mezger tenet, donum perseverantiæ consistere in actuali conjunctione statûs gratiæ cum morte divinitùs ordinata & imperata ex efficaci intentione dandi gloriam: & quoad esse hoc formale dictæ conjunctionis gratiam perseverantiæ in omnibus esse ejusdem rationis, subnotat: materialiter verò importantur Divina beneficia, per quæ illa conjunctio contingit, quæ diversa sunt in diversis subjectis &c. Joannes à S. Th. *h. tr. disp.* 21. *a.* 2. *n.* 90. *& seq.* primò advertit, donum perseverantiæ esse quid distinctum ab auxilio sufficienti: secundò, quòd pertineat ad hanc vitam, licèt consummatio ejus extrinseca sit ipsa adeptio gloriæ: sicut ultimæ partes motûs continui consummantur in termino motûs extrinsecè. Tertiò dicit, auxilium speciale hujus perseverantiæ non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere, putà, providentiam DEI extrinsecam, quâ præordinatur mors alicui, quando est in gratia & non aliter, & removentur tentationes, & impedimenta gloriæ consequendæ, quod totum ad auxilium extrinsecum pertinet. Præterea, si necessarium sit operari & resistere tentationibus insurgentibus, præstò est auxilium efficax intrinsecum ad talem resistentiam vel operationem exercendam: sique diutiùs perseverare quis debeat, datur continuatio auxiliorum, nec permittitur interruptio gratiæ, vel operum bonorum. Hæc explicatio præ cæteris placet, etsi nec priores improbare ausim. Vid. Tournelium *de grat. Christ. tom.* 2. *pag.* 142. *& pag. præc.* ubi duplicem distinguit perseverantiam, unam activam, alteram passivam. In contrarium

128. Argui potest primò, ad virtutem infusam perseverantiæ spectare, ut aliquis in bono constanter perseveret cum concursu DEI ordinario; quænam enim alia magis propria operatio illius habitus sit, quàm perseverare? Ergo aliud donum superadditum superfluit. Secundò: si attendatur propositio damnata contra Bajum, nempe hæc: *Liberum arbitrium sine DEI adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, illius contradictoria erit admittenda, & ita liberum arbitrium sine DEI adjutorio valet ad quid aliud, quàm ad peccandum: ergo valebit abstinere à peccando, & ad perseverandum usque in finem saltem in homine justo. Tertiò, DEUS justificatum non deserit, nisi priùs ab ipso deseratur. D. Aug. *lib. de nat. & grat. cap.* 26. *n.* 29. *Cùm DEUS impium*, inquit, *ad perfectam sanitatem perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper justeque vivatur:* Concordat S. Trid. Conc. *Sess.* 6. *de Justif. c.* 11. at, admisso, pro perseverantia finali opus esse speciali gratiâ, quam DEUS huic misericorditer concedit, alteri denegat, ille, cui hæc gratia denegatur, priùs esset desertus à DEO, quàm ipse DEUM desereret. Ergo perseverantia in gratia speciali consistere non videtur. Quartò: Homo in gratia constitutus habituali habet non tantùm auxilia sufficientia, quibûs munitus potest quascunque tentationes superare, peccata quoque vitare, & consequenter in bono usque in finem perseverare, sed etiam intuitu gratiæ illius sanctificantis aliqua auxilia efficacia consequitur. Quintò: gratia sanctificans, est quædam participatio analogica Divinæ naturæ, constituens hominem justum filium adoptivum DEI, & hæredem Regni cœlestis, ad quod acquirendum tribuit jus. Ergo justus speciali auxilio non indiget. Sextò: quandoque post infusionem gratiæ occurrit tantùm aliqua tentatio levis vincenda, vel præceptum tale, quod facilè, & sine specialis auxilii necessitate, impleri potest. Septimò: quàm frequenter contigit, ut quis statim post acceptam justificationis gratiam fuerit sensibus destitutus, ipsoque usu rationis, vel in uno vel altero in-

stanti sequenti fuerit mortuus? Eccur hic expetamus specialia auxilia ad perseverantiam finalem, & effectum providentiæ specialis. Octavò: Juxta D. August. *lib. de don. perseverant. cap. 9.* etiam respectu parvulorum, susceptô baptismô, decedentium datur aliquod donum perseverantiæ. Certè horum respectu, cùm usum rationis ante mortem non habuerint, nullus potest esse finis cujuscunque auxilii, quo illorum voluntas immobilitetur in bono. Ergo perseverantia finalis non videtur esse donum speciale, vel beneficium extraordinarium, prout à nobis explicatur.

129. Ad primum communis nostrorum est responsio, virtuti perseverantiæ correspondere operationem, quæ sit permanentia in bono solùm *affectiva*, & secundùm dispositionem seu præparationem animi; non item correspondere operationem *executivam*, tametsi DEUS intuitu illius virtutis auxilia actualia quandoque largiatur.

130. Ad secundum patet ex anterioribus dictis, liberum arbitrium cum solo concursu generali posse tentationibus levibus divisivè sumptis resistere, vel etiam hinc inde aliquod bonum opus faciliùs exercere, & sic haudquaquam in omni actione necessariò peccare: atque in isto sensu repulsam justè tulit propositio Bajana, quæ liberum arbitrium ad solum malum *valere* seu potens esse, prætendebat. Quòd autem liberum arbitrium hominis sive in peccato, sive in gratia sanctificante constituti, sine specialibus auxiliis aliis, inter tot tamque graves naturæ infirmæ, & in qua ruptum adhuc manet frœnum concupiscentiæ, possit vel diu, vel quod longè plus est, finaliter in bono perseverare, aut non peccare, nemini Catholicorum asserere licet.

131. Ad tertium neg. min. homo enim, cum haberet auxilia sufficientia ad non peccandum, & ad perseverandum, propria voluntate deficiendo, & peccando, DEUM priùs deserit per peccatum mortale ponendo ultimam dispositionem ad expulsionem gratiæ sanctificantis, & aliquid incompatibile cum ea; & tum demum à DEO, quia gratia sanctificans cum peccato gravi stare nequit, subtrahente, hoc est, suspendente concursum illius conservativum, deseritur. Imò etiam, quoad denegationem auxilii efficacis, quô datô, homo, dum instat tempus mortis, in gratia sanctificante perseveraret, homo per quandam negligentiam vel teporem in cultu DEI, cura salutis, & oratione DEUM priùs deserere intelligitur, quàm à DEO deseri. Videat. Tournel. *loc. cit. pag.* 147. *object.* 4. Eadem Responsio applicatur ad quartum.

132. Ad quintum dico, jus ad gloriam à viatore justo non possideri inamissibiliter, sed sicut gratia sanctificans, quia subest libero arbitrio valde mobili, ita & jus ad gloriam modo amissibili tantùm possidetur. Cæterùm hoc, & priora argumenta per excessum probarent, omnibus justis speciale & maximum illud donum perseverantiæ finalis competere.

133. Ad sextum Resp. perseverantiæ donum esse quid distinctum ab auxiliis datis pro potentia adimplendi præcepta sive levia sive gravia, esseque hoc ipsum ex speciali DEI providentia seu prædestinatione efficaci, quòd existenti in gratia sanctificante mors tunc accidat, dum instat præceptum solùm facile ex efficaci DEI voluntate intendentis illius morientis finalem perseverantiam, & è vita tollatur, antequàm majori periculo, amittendæ gratiæ propter instantia graviora præcepta, & exurgentes tentationes vehementiores, exponatur. Vid. Salmantic. *cit. disp.* 3. *dub.* 11. *sub num.* 247.

134. Ad septimum similis quadrat solutio: auxilio quippe Divinæ ordinationis, & protectionis, extrinseco adscribitur, quòd mors ita acceleretur, ut cum gratia sanctificante conjungatur. Tristissima sanè extant exempla, complures diu in gratia, virtute, & spe sanctitatis vixisse, usque ad finem tamen non perseverâsse, qui, si fuissent speciali DEI providentia ad gloriam electi, citiùs, & dum adhuc erant in statu gratiæ, donum finalis perseverantiæ accepisse dicerentur. Vid. Tournel. *loc. cit. pag.* 146. Unde illud Sapientiæ 4. v. 11. *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. . . propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Hinc

135. Ad octavum reponitur, sine dubio etiam respectu parvulorum, qui post receptam baptismi gratiam ante rationis usum vitam hanc finiunt, conjunctionem mortis cum gratia esse donum & beneficium singulare perseverantiæ finalis in bono statu, perseverantiæ nomine saltem *passivam* intelligendo. Nam etiam de parvulis istis textus ille, *raptus est &c.* explicandus venit, utpote quorum maturus raptus ex hac in alteram vitam periculum lubricæ ætatis eos evadere facit. Audi August. *lib. de don. persev. c.* 17. *n.* 41. *Videte*, ait, à veritate quàm alienum sit, *negare donum DEI esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ. Cùm vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem. Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis DEI est, quòd etiam Parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis, datur hæc gratia:* scilicet perseverantiæ finalis *passivæ*, quæ est unio gratiæ habitualis cum morte, cum connotatione externæ saltem protectionis Divinæ: quia gratia *interna* alicujus illustrationis, vel inspirationis ad continuatum exercitium in actibus virtutum, quæ continuatio facta in statu gratiæ dicitur perseverantia *activa*, nonnisi in adultis aliquamdiu post justificationem viventibus utilis esse potest.

136. Corollarium primum. Tam Angelis in sua via, quàm protoparentibus in statu Innocentiæ, ad perseverandum speciale auxilium fuisse necessarium. De Angelis id subindicat Div. August. *lib.* 12. *de Civit. cap.* 9. dicendo, quòd Angeli boni, reliquis mala volun-

voluntate cadentibus, ampliùs adjuti ad eam beatitudinis *plenitudinem pervenerint*, *unde se nunquam casuros certissimi fierent.* De statu innocentiæ D. Thom. hîc *quæst.* 109. *art.* 10. *ad* 3. ex eod. August. adducit, hominem in primo statu accepisse donum, per quod perseverare posset, non autem accepisse, ut perseveraret. Ex quo colliges, perseverantiæ finalis auxilia dari ad actu perseverare, & non ad solum posse perseverare, ad quod non desunt auxilia sufficientia.

137. Corollarium secundum. Gratia finalis perseverantiæ à gratia Confirmationis differt in eo, quòd habentes privilegium Confirmationis perfectum in tota vita sua nunquam peccent saltem mortaliter, nec peccare possint potentiâ proximâ: prædestinati verò simpliciter, & quibus paratum & conferendum est donum perseverantiæ finalis, possint peccare tempore vitæ, etiam mortaliter, plurimique actu peccent; ac solummodo peccare non possint, dum instat finis vitæ: tunc enim mors infallibiliter cum gratia sanctificante conjungi debet.

# QUÆSTIO NONA.

## *Utrùm defacto gratia actualis verè sufficiens, separata ab auxilio seu gratia efficaci.*

138. PLures hîc occurrunt gratiæ divisiones; quas omnes, quò succinctius fieri poterit, referemus. Itaque

139. Prima & celebrior divisio gratiæ actualis est in sufficientem, & efficacem. *Sufficiens* gratia, quæ & auxilium *sine quo non* dici solet, est illa, quæ datur ad *posse*: actualis verò efficax, quæ & auxilium *quo* dici solet, datur ad *actu operari*, estque ipsa prædeterminatio physica secundùm Thomistas, juxta inferiùs dicenda.

140. Altera est in gratiam operantem, & cooperantem. Hæc membra non eodem modo ab omnibus explicantur. Juxta aliquos gratia *Operans* dicitur eo respectu, quòd DEUS per eam moveat seu applicet potentiam aliquam animæ nostræ ad inceptionem boni operis: *cooperans* illo sensu, quòd DEUS potentiam jam applicatam & coagentem ad consummationem operis adjuvet: *qui enim cœpit in nobis opus bonum*, *ipse perficit*, ad Philipp. 2. Et, ùt loquitur Arausican. Conc. *Quoties bona agimus*, *DEUS in nobis*, *atque nobiscum*, *ut operemur*, *operatur*. Adde Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 2. *Operatio alicujus effectûs non attribuitur mobili*, *sed moventi.* In illo ergo effectu, *in quo mens nostra est mota*, *& non movens*, *solus autem DEUS movens*, *operatio DEO attribuitur: & secundùm hoc est gratia operans: in illo autem effectu*, *in quo mens nostra movet & movetur*, *operatio non solùm DEO attribuitur*, *sed etiam animæ; & secundùm hoc dicitur gratia cooperans.*

141. Adnotat autem Theol. Salisb. hîc *disput.* 4. *artic.* 2. *num.* 21. eandem in recto gratiam, quatenus consideratur ùt applicata potentiæ animæ ad operandum, denominari *operantem*, *cooperantem* verò, quatenus cum operatione continuata & ipsa continuatur, & cooperatur; ut propterea ordinaria distinctio unius ab altera censeatur esse solùm rationis ratiocinatæ, & cum respectu ad diversa connotata, quamvis gratia operans, si spectetur prout interdum terminatur ad actum indeliberatum, possit esse realiter distincta à gratia cooperante: quia hæc non datur ad actum indeliberatum, sed tantummodo ad deliberatum, qui actus quandoque sunt realiter distincti: consequenter & auxilia ipsa, quæ, juxta naturam motûs, distinguuntur secundùm distinctionem actuum, ad quos ordinantur.

142. Tertia divisio est in gratiam prævenientem, concomitantem, & subsequentem. Præveniens simpliciter talis ùt notat Theol. Salisb. *loc. cit. n.* 22. coincidit identicè cum *operante*, antecedit omnem operationem nostram, conducentem ad vitam æternam: concomitans dicitur ex eo, quod simul cum potentia liberi arbitrii in operationem influat: nec videtur mihi differre à gratia cooperante: subsequens vocatur ex hoc, quòd gratiam, vel operationem anteriorem subsequatur. Præter fundamentum quod in Scriptura habemus de hac triplici denominatione, eandem expressit S. Trident. Concilium *Sess.* 6. *Can.* 3. *& cap.* 16. ibi: *ipse Christus JESUS tanquam caput in membra*, *& tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit. Quæ virtus bona eorum opera antecedit semper*, *& comitatur*, *& subsequitur*, *& sine qua nullo pacto DEO grata & meritoria esse possunt.*

143. Quarta divisio in excitantem, & adjuvantem. Ut tamen notat Theol. Salisb. gratia præveniens non differt à gratia operante; nec adjuvans à cooperante. Quibus præmissis, sequitur

144. Conclusio nostra: Datur defacto auxilium *sine quo non*, sive actualis gratia verè sufficiens, separata à gratia seu auxilio efficaci. Conclusio est præcipuè contra Jansenistas, qui equidem pro statu naturæ innocentis & integræ auxilium sufficiens *sine quo non* admittunt, secus pro statu naturæ lapsæ. Sed contra hos Novatores

145. Prob. Conclus. fundamentaliter. Tam textus, gratiam sufficientem indicantes, quàm ratio, loquuntur & probant indistinctè inter unum statum & alterum necessitatem gratiæ, sive auxilii *sine quo non*: Ergo etiam defacto in statu naturæ lapsæ datur *gratia* verè sufficiens separata à gratia *efficaci.* Antec. prob. Textus probant, conferri tales gratias, quibus de facto potest resisti: ergo defacto datur multoties auxilium merè sufficiens, & quod non sit verè & propriè efficax, sed inefficax. Ant. constat ex illo

illo *Actor.* 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis:* quem textum non de sola resistentia, quæ exterius fit Spiritui Sancto per Prophetas adhortanti, verùm etiam interiùs per gratiam vocanti, tradit D. Thom. 1. ad Thessal. c. 5. *lect.* 5. dicendo: *Aliquis dicitur extinguere spiritum in se, vel in alio, cùm aliquis aliquid boni ex fervore Spiritûs Sancti vult facere; vel etiam, cùm aliquis bonus motus in ipso surgit, & ipse impedit.* Actor. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis: Gratia autem, quæ exsuscitat bonum motum, interior est.* Et *Quodl.* 2. *q.* 4. *art.* 6. sic habet: *Si Christus visibilia miracula non fecisset, adhuc remanebant alii modi, attrahendi ad finem, quibus homines acquiescere tenerentur: Tenebantur enim homines credere auctoritati legis & Prophetarum: Tenebantur etiam interiori vocationi non resistere* sicut Isaias de se dicit *cap.* 50. *Dominus DEUS aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: Retrorsum non abii &c.* Huc etiam spectat, quod in Proverbiis dicitur: Vocavi, & renuisti &c. Et in Concil. Trid. *Sess.* 6. *de Justificat. Can.* 4. definitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à DEO motum & excitatum, neque posse dissentire, si velit, anathema sit.* Itaque non omnis gratia, quâ movetur liberum arbitrium, est efficax, aut victrix, ut illi tanquam insuperabiliter influenti resisti vel dissentiri nequeat.

146. Quæ omnia roborantur ex damnatione propositionum, quarum una est: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur:* hanc damnant Innoc. X. & Alex. VII. Altera: *quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit:* Istam proscribit Clem. XI. in *Constit. Unigenitus.* Similiter illam: *Nullæ sunt tenebræ carnis, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit omnipotenti.* Alias copiosas auctoritates prætermitto.

147. Rationum præcipua est, quòd sit admittenda facultas sufficiens etiam in statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, seu potestas completa, proxima, & consequens ad implenda præcepta supernaturalia: contrarium quippe damnationi SS. Pontificum Innocentii X. & Alex. VII. subjacet: *aliqua DEI præcepta* (sonat propositio damnata contra Jansenium) *hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* Accedit, quòd DEUS voluntate antecedente velit omnes homines salvos fieri, & quidem adultis gloriam conferri non præcisè titulo hæreditatis, sed mercedis, coronæ, seu prœmii, supponentis merita quoad decretum executivum; & econtra pœnam æternæ damnationis inferat iis, qui propriâ culpâ eam meruerunt, liberè transgrediendo præcepta, & negligendo media salutis: quæ omnia corruerent, si non concederet auxilia competentia & sufficientia ad salutem, velut in sequentibus constabit. Quòd verò auxilium ad præcepta supernaturalia implenda, & actus virtutum supernaturalium exercendos non sit semper efficax, & ad actum secundum perfectum non semper determinet, quando instat obligatio præceptum implendi, tentationibus resistendi, & opus supernaturale exercendi, ex. gr. actum fidei, contritionis, charitatis, &c. ab experientia certissimum est. Ergo non minùs certum erit, multoties adesse sola auxilia sufficientia, & inefficacia in statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ; quemadmodum econtra innegabile est, in statu naturæ innocentis & integræ, præter auxilia sufficientia DEUM primis parentibus contulisse etiam quandoque auxilia efficacia, cùm haud dubiè in Paradiso per aliquod intervallum absque lapsu in bono steterint, & tentationi, qua ad vescendum de ligno vitæ impetebantur, restiterint, non utique cum solo auxilio, sine quo non, seu merè sufficienti, sed quo & efficaci. Contra gratiam sufficientem, quæ detur in statu naturæ lapsæ, & reparatæ

148. Insurges primò, opponendo gravissimam Auctoritatem D. Augustini *lib. de Corrept. cap.* 12. sic differentis: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt: aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit: aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Primò itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse non deserere ipsum bonum, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum DEI prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Ex quibus verbis perspicuum est, ab Augustino, exclusâ omni merè sufficienti gratiâ, solam efficacem, & adjutorium *quo* pro hoc statu naturæ lapsæ adstrui.

149. Resp. D. Augustinum discrimen utriusque gratiæ in eo statuere, quòd gratia Adamo in statu innocentiæ collata ad perseverandum in illo statu, non fuerit efficax, sed merè sufficiens, sic, ut perseverare posset, si vellet, non verò ut actu perseveraret: gratia verò, quæ in statu naturæ lapsæ prædestinatis, & per merita Christi salvandis confertur ad perseverandum finaliter in bono, sit efficax, ita, ut infallibiliter det in bono finaliter actu perseverare, & liberum arbitrium ad cooperandum indeclinabiliter determinet. Latissimè Aguirre *de stat. nat. pur. & lapsæ, tr.* 7. *disput.* 32. *sect.* 7. Jansenio & Calvino, testimonio Augustini temerè & erroneè obtrudentibus, satisfacit, verumque sensum ejusdem S. Doctoris ex cæteris doctrinis velut ad oculum ostendit.

150. Secundò: Concil. Trid. *Sess.* 6. *de Justif.* c. 11. dicit: *DEUS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.* Ergo supponit, nobis aliquando posse, & vires ad agendum, deficere, sive deesse. Resp. Tournel. *pag.* 304. Concilii mentem esse, aliquando justos equidem immediatè & proximè non posse præceptum servare, sic tamen, ut posse ipsis competat *mediatè,*

*diatè*, in quantum potest impetrari uberius auxilium, fidelis quippe DEUS est, qui non patietur nos tentari ultra id, quod possumus, ad *Cor.* 10. Et notandum est, in *cit.* Conc. Trid. illa verba poni: jubendo monet (DEUS) facere, quod possis, & petere, quod non possis; & adjuvat, ut possis.

151. Insurges tertiò: *Joan.* 6. Salvator asserit: *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum:* ex quo infertur, illo auxilio dari *posse*, quo quis trahitur ad Christum: atqui hoc, quo quis sic trahitur, est efficax: Igitur & auxilium sufficiens, quo nos dicimus ly *posse* nobis advenire, non est merè sufficiens, sed simul efficax. Resp. solùm probari, quòd potentia roborata per auxilium sufficiens ut in actum secundum reducatur, indigeat tractione Divina superaddita per auxilium efficax. Aliter non sunt intelligendi Salmanticenses, quando replicant (*disp.* 6. *dub.* 1. *num.* 24.) auxilium *sufficiens* se solo præstare potestatem antecedentem, & in sensu diviso, quæ est potentia simpliciter: per auxilium verò *efficax* præstari potestatem consequentem, & in sensu composito, quæ est potentia secundùm quid, quatenus facit potentiam actui infallibiliter conjunctam: & in hoc sensu explicanda sunt testimonia S. Augustini, aut aliorum, quæ in speciem nobis contrariari videntur.

152. Insurges quartò: si nulla detur gratia actualis, quæ non sit conjuncta cum suo actu, effectu, seu operatione, nulla datur merè sufficiens; sed quælibet est simul efficax: priùs est verùm. Ergo & posteriùs. Min. prob. Gratia, quæ à te vocatur sufficiens, est motio virtuosa à DEO procedens: at omnis motio hujusmodi est efficax: quia infallibiliter conjungitur cum actu. Ergo &c. Confir. ex Divo August. qui (*serm.* 43.) dicit: *Agis, si ageris; & benè agis, si in bono agaris.* Resp. neg. min. cum Salmantic. *cit. disp.* 6. *num.* 25. & Paul. à Concept. Compendiatore *de grat. disp. dub.* 1. *n* 10. ubi (rejecta alia communi responsione) reponunt, duplicem ab Augustino interiorem discerni gratiam, unam efficacem, quam vocat *congruam*, seu *secundùm propositum*; aliam sufficientem, quam vocat *non congruam, & non secundùm propositum*. Prior habet connexionem infallibilem cum actu, sic ut ex absentia gratiæ etiam inferatur negatio actûs: quòd verò posterior non habeat ejusmodi infallibilem connexionem cum actu, vel ipsi Adversarii Jansenistæ fatentur, dum aliquam sufficientem Adamo concessam fuisse fatentur, quacum in bono perseverare potuit, non tamen actu perseveraverit, resistendo tentationi. Adde ex aliis, cuilibet gratiæ sufficienti correspondere aliquem motum, vel actum imperfectum, v. g. indeliberatum, vel etiam deliberatum, v. gr. alicujus piæ cogitationis, aut affectionis, non tamen ullam actu conjungi cum actu perfecto, & principaliter intento, v. g. fidei perfectæ, contritionis sinceræ. Cæteras objectiones in sequentibus refellam.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *Utrùm omnibus hominibus, etiam Infidelibus & Barbaris, DEUS præparet, seu offerat auxilia necessaria ad salutem?*

153. VErbum *dare*, si strictè accipiatur, denotat, aliquid alicui exercitè & reipsa conferri: unde importat realem receptionem, verbum econtra *præparare*, seu *offerre* salvatur in hoc, quòd benefactor, quantum est ex sua parte, beneficium offerat seu præparet, sive actu ab alio recipiatur, sive non: sic Princeps omnibus nomen militiæ daturis præparat seu offert arma, quæ tamen reapse illis non conferuntur, nisi qui ad Campum Martium se accingunt. Datur proinde quandoque aliquid in præparando & offerendo, quin tamen actu tradatur, & recipiatur.

154. Præterea notabis, auxilium ad salutem sufficiens subdividi in *remotè* sufficiens, & sufficiens *proximè*. Remotè sufficiens, dat sufficientiam solùm remotam, ac mediatam, quâ quis velut à longè ad salutem disponitur, divinitùs accipiendo vires proportionatas solùm ad actus quosdam imperfectiores: *proximè* sufficiens communicat immediatè & proximè vires proportionatas, & adæquatas ad actum aliquem ulteriorem & perfectum, v. g. fidei, charitatis, contritionis perfectæ, quo via ad justitiam & salutem paratur. Ex alibi dictatis, secundùm Card. Aguir. potentia seu auxilium remotè sufficiens etiam dicitur, quatenus dependenter ab illo DEUM orare possumus, ut nobis dare dignetur potentiam seu sufficientiam proximam ad actum v. gr. præcepti implendum. His prænotatis, statuitur

155. Conclusio: DEUS quantum in ipso est, omnibus hominibus præparat seu offert auxilia aliqua sufficientia ad salutem. Est pene omnium Theologorum communis, teste Card. Aguirre *cit. tract.* 7. *disp.* 26. *sect.* 2. *n.* 17. contra Jansenium & ipsius asseclas.

156. Prob. fundamentali ratione. Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est: ne ergo mors Christi sit prorsus inutilis, infructuosa, & imaginaria respectu multorum hominum, quibus scilicet ex ejus meritis nulla prorsus subsidia consequendæ salutis nec actu darentur, nec ex parte DEI præparata seu oblata destinarentur, per necessarium consequens infertur, omnibus hominibus, etiam infidelibus, & barbaris aliqua consequendæ salutis auxilia sufficientia parata & oblata esse. Antec. est de fide certum, & frequentissimis S. Scripturæ testimoniis roboratum, v. gr. Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

lum. Et 2. Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* Hinc justissimè illam Jansenii propositionem *(Semipelagianum est, dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse)* damnavit tanquam *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*: *& intellectam eo sensu, ut Christus duntaxat pro salute prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam*, *contumeliosam*, *Divinæ pietati derogantem*, *& hæreticam*, proscripsit. Accedit illud 1. *Tim.* 2. ubi secundùm Apostolum, *DEUS vult omnes homines salvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire. Unus enim DEUS*, *unus & Mediator DEI & hominum*, *homo Christus JESUS: qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Huc applicanda denuò sunt complura antehac, præsertim in proximè antecedenti quæstione præmissa.

157. Opponunt Jansenistæ primò: secundùm *Epist.* 102. D. Augustini non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus: at reprobi omnes pereunt: ergo pro reprobis Christus non est mortuus: Ergo nec ex meritis Christi aliqua auxilia sufficientia pro reprobatis præparata. Secundò: ex eod. Ecclesiæ Doct. opponunt ejus verba ex *tr.* 48. in Joan. sequentis tenoris: *Quomodo istis dixit: non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos. Non ad vitam æternam sui sanguinis pretiò comparatos.* Instant ergo Jansenistæ, reprobos non esse oves Christi: utpote qui ùt bonus Pastor tantùm pro ovibus animam suam posuit. Tertiò: Cui nullo modo prodest mors Christi, pro illo non est mortuus: sed reprobis mors Christi nullatenus profuit: quin imò fuit illis in ruinam, ùt dixit Simeon Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam*, *& in resurrectionem multorum in Israël:* Ergo Christus pro reprobis non est mortuus, sed pro electis seu primogenitis, ùt dicit Quesnellus *Proposit.* 32. Quartò: esto pretium passionis, & mortis Christi sit valoris infiniti, & ex se pro omnibus hominibus sufficiat, attamen non pro omnibus à Christo oblatum fuit: si enim pro omnibus oblatum fuit, omnibus in reipsa aliquam utilitatem spiritualem attulit, vel affert: atqui hoc aliter se habere patet primò in tot parvulis, qui vel in utero materno, vel in infantia mortui sunt, absque baptismo, aliòve remedio in lege naturæ, & Mosayca, ad delendum peccatum originale instituto: patet secundò, in tot adultis inter barbaros natis, & educatis, quibus vera fides, & salutis doctrina nunquam fuit prædicata nec ante nec post Evangelium, adeoque ipsis quoque deerat applicatio remediorum. Ex quo infertur, neque DEUM intuitu meritorum Christi omnibus omnino hominibus, præsidia, remedia, seu auxilia sufficientia parâsse vel obtulisse. Confir. quia Christus sua merita pro dæmonibus non obtulit, DEUS ipsis post lapsum etiam nulla consequenda salutis media paravit. Ergo à simili, pro quibus hominibus Christus Passionem & mortem suam non obtulit, pro illis nec DEUS media seu auxilia ad salutem necessaria præparavit.

158. Ad hæc argumenta enervanda unica ferè distinctio in promptu habenda est, scilicet inter voluntatem DEI & Christi antecedentem, generalem, communem, seu conditionatam, & inter voluntatem consequentem, specialem, ac absolutam. DEUS voluntate sua antecedente, generali, seu conditionata filium suum pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, mori voluit, & passione ac morte omnibus auxilia seu media ad salutem necessaria ac sufficientia promereri, eaque DEUS, quantum est de se præparavit & obtulit omnibus. Vocatur hæc voluntas à Theologis compluribus *antecedens*, ab aliis *conditionata*, in quantum ejusmodi auxilia applicabuntur hominibus, si per eos non steterit vel (ùt loquitur Div. Augustinus *lib. de Catechizandis rudibus*) *si sibi ipsi non sint inimici*, *& non resistant misericordiæ Creatoris sui:* aut causæ secundæ tum liberæ, tum naturales actualem collationem non impediverint. Voluntate verò speciali (quæ & consequens dicitur) circa electos etiam auxilia efficacia decernit, sic, ut ista voluntas sit efficaciter præparatrix ac collatrix illorum præsidiorum, seu mediorum, quibûs aliqui præ aliis reipsâ ad æternam salutem perducantur.

159. Quod ultimo loco objectum est de parvulis, & de adultis barbaris, quibus non fuit prædicatum Evangelium, & ignota manserunt mysteria fidei ad salutem necessaria tum ante tum post Christi adventum, audiendus est Card. Aguir. *tr.* 7. *de nat. lapsa. disp.* 126. *sect.* 6. *n.* 56. ubi ait, etiam illis parvulis paratum & oblatum fuisse à DEO remedium peccati originalis, juxta varia tempora legis naturalis scriptæ, & Evangelicæ, quo si uterentur parentes, ùt poterant, & debebant, infantes fuissent salutem assecuti: Ita enim statutum est voluntate generali, & antecedenti, quia DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, teste Apostolo. Similiter omni tempore, etiam ante adventum Christi, paravit & obtulit DEUS omnibus adultis media & remedia, quibûs possent, si vellent, imò & quibûs velle possent rectè agere in ordine ad salutem, quantumvis barbari essent: multò autem magis post Passionem Christi, qui præcepit Apostolis & Discipulis suis, ut prædicarent Evangelium *omni Creaturæ*. Verùm cum hac voluntate generali, & antecedente DEI cohæret, ut propter impedimenta naturalia abortûs, aut vitium parentum, aut negligentiam quorundam (quorum nihil DEUS tenetur impedire) aliquot infantes mortui fuerint omni tempore sine remedio dato ad delendum originale peccatum. Similiter ob impedimenta naturalia aut moralia hominum impiorum, quæ DEUS justè permittere potest, & solet, defuit aliquibus omni tempore, & deest prædicatio doctrinæ salutaris. Unde solùm sequitur, DEUM non velle eorum æternam salutem voluntate consequen-

ſequente, peculiari & omnino abſoluta, ſed ſolùm illa antecedente, generali, aut conditionata, *ſi per eos non ſteterit.* Itaque Chriſtus merita ſua Patri ſuo obtulit oblatione generali, ac voluntate antecedente, ſeu conditionata, pro omnibus prorſus hominibus; idque non fruſtra: quoniam DEUS illorum intuitu paravit, & obtulit remedia illa omnibus. Non tamen merita illa obtulit pro omnibus communiter voluntate conſequenti, ſpeciali, & prorſus abſoluta, ſed pro iis tantùm, quibus in re allatura erant fructum ſpiritualem, & juxta menſuram illius. Vid. in *cit.* Card. in *d. diſp.* 126. *n.* 20. 22. 23. 24. 25. ubi de Oratione Chriſti pro omnibus &c. item *num.* 53. Deinde *n.* 57. usque ad *num.* 64. *ſect.* 6. ubi afferuntur objectiones, quæ in *quæſt. ſeq.* opportunè à nobis proponentur. Sed contra præmiſſa adhuc

160. Inſtabis: Plerumque feſtinantibûs parentibûs, & paratis Miniſtrîs, ut Baptiſmus parvulo detur, DEO tamen nolente, non datur; *qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* S. Aug. *l. de don. perſev. cap.* 12. *num.* 3. igitur DEUS ejusmodi parvulo de applicatiône remedii ſalutis ſufficienter proſpexiſſe non videtur: quia nolente DEO non poteſt applicari baptiſmus. Reſp. cum Honorat. Tournel. *Tractat.* 2. *de Grat. Chriſt. pag.* 369. ex dictis, DEUM voluntate antecedente etiam parvulis hujusmodi intendere applicationem baptiſmi, ſub conditione nimirum niſi illis vel negligentia parentum, vel curſus aliarum cauſarum ſecundarum, impedimento fuerint: cumque DEUS reſpectu non electorum impedimenta ſimilia nolit præcavere vel removere, ſignum eſt, quòd talibus, ita voluntate quidem generali, antecedente, & conditionata velit applicari baptiſmum, ut tamen voluntate conſequente, in quantum permittit vel parentum negligentiam, vel curſum cauſarum ſecundarum, quæ mortem infantûm exigunt, non impedit, nolit eos ad baptiſmum venire. Sed fortiùs

161. Urgebis: ex inſtitutione talis curſûs cauſarum ſecundarum, ex quo DEUS prævidit, parvulos priùs eſſe è vita deceſſuros, quàm ullâ humanâ induſtriâ poſſit illis baptiſmus conferri, reverà non cenſetur tale remedium ipſis præparâſſe: Hoc modo enim curſum cauſarum inſtituendo & prævidendo hoc ipſo parvulis non vult baptiſmum applicari: unde contra nos militat illa S. Proſperi reprehenſio: inſanum omnino & contra rationem eſt dicere, *voluntatem DEI ex voluntate DEI non fieri.* Reſp. quòd argumento vis ineſſet, ſi DEUS directâ & ſpeciali voluntate curſum naturæ eo fine inſtituiſſet, ut propter exigentiam illius parvuli ante receptum baptiſmum moriantur: quod nos non dicimus, ſed hoc ſolùm, quòd DEUS ùt proviſor generalis eum naturæ curſum inſtituerit & ſic inſtitutum non mutet, etſi videat, quòd baptiſmus & ſalus multorum infantium impediatur. Proviſor generalis (inquit D. Thom. 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad* 2.) permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem, ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in *bonum alterius, vel etiam totius univerſi.*

# QUÆSTIO UNDECIMA.

***Utrum de facto omnibus adultis, etiam infidelibus, & excæcatis, dentur aliquo modo auxilia ſufficientia ad inchoandam, vel obtinendam ſalutem?***

162. IN quæſt. anteriori concluſum fuit, DEUM non tantùm adultis, verùm etiam parvulis (& idem intelligi debet quoad homines perpetuò amentes) præparare & offerre media ad æternam ſalutem neceſſaria, & quidem intuitu meritorum Chriſti; in præſenti ſpeciatim diſquirimus de adultis, an omnibus actu conferantur auxilia ſufficientia aliquo modo ad inchoandam, ſubindeque obtinendam ſalutem?

163. Concluſio eſt affirmativa, & ferè communis contra Calviniſtas, & Janſeniſtas: non deſunt tamen Thomiſtæ & Jeſuitæ, qui quoad gentiles & barbaros contrariam nobis concluſionem ſtatuunt, è quorum numero eſt Lesdesma *q. un. de auxil. art.* 16. *dicto* 4. Godoy *tractat.* 8. *de prædeſt. diſp.* 73. *ſ.* 4. Gonet *diſp.* 5. *de reprobat.* Vaſq. 1. *p. diſp.* 96. & 97. Probatur autem ex præmiſſis noſtris principiis: primò: ſi omnes adulti, infideles quoque, vel aliàs in malitia obdurati ſeu excæcati poſſint per auxilia ſaltem remotè ſufficientia, tentationes ſuperare, & præcepta DEI ſervare, nemini adultorum deſunt auxilia aliquo modo ſufficientia ad inchoandam, & obtinendam ſalutem, adeoque de factò conferuntur adultis, & non merè præparantur, ſeu offeruntur. Atqui res ita ſe habet: alioquin multi neceſſariò peccarent, violando præcepta ſibi obſervatu impoſſibilia, & ſuccumbendo tentationibus, ad quarum reſiſtentiam nullæ vires ſuppeterent. Ergo vera eſt concluſio: ſeq. Maj. inde patet, quòd ipſa obſervantia præceptorum, & repulſio tentationum ſit via regia ad ſalutem.

164. Confirm. primò: ſi DEUS vult omnes homines ſalvos fieri, & ad veritatis cognitionem venire, ſecundùm proportionem voluntatis, & finis à ſe voliti per neceſſariam connexionem, debet etiam media aliqua ad talem voluntatem adimplendam, finemque conſequendum, non ſolùm decernere, ſed etiam actu conferre, eo ſcilicet caſu, quô non adimpletio Divinæ voluntatis, & non conſecutio finis hominibus adultis ad cul-

culpam & pœnam imputatur. Atqui DEUS habet illam voluntatem generalem, & non adimpletio illius voluntatis, ac non consecutio finis hominibus adultis ad culpam & pœnam imputatur. Ergo DEUS per necessariam connexionem ad illam voluntatem adimplendam, & finem consequendum, debet actu conferre aliqua media: quicunque enim prudenter intendit finem, illum non vult sine mediorum applicatione. Quod confirmatur secundò ex 2. *Petri* 3. *vers.* 9. ubi dicitur: *patienter agit propter vos* (DEUS) *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et ex illo Isaiæ cap. 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Vineæ, id est, Synagogæ hujus Prophetæ tempore ex transfugis ad Idolorum cultores, & plurimis nequissimis Judæis constitutæ. Adde Conc. Senonense *Can.* 15. *in decr. fid.* dicente: *gratiam semper esse in promptu, & ne momentum quidem præterire, in quo DEUS non stet ad ostium.* Conclusioni statutæ

165. Obstat primò, quòd in actibus Apostol. *cap.* 13. dicatur, DEUM in generationibus præteritis dimisisse gentes ingredi vias suas, & despexisse tempora illa, quæ tempora ignorantiæ appellantur. Ergo infidelibus, quorum nomine gentes veniunt, non fuerunt collata lumina & auxilia sufficientia, quibus ad fidem veri DEI, & salutem æternam pervenire possent.

166. Secundò, illud *Math. cap.* 11. secundùm quod Tyrii & Sidonii pœnitentiam egissent, si Christus apud illos miracula fecisset, quæ apud Judæos singulariter in Corozain & Betsaida fecit: ista miracula meritò inter auxilia sufficientia numerantur, & tamen illis carebant Tyrii & Sydonii. Ergo.

167. Tertiò: Paulo Spiritus Sanctus inhibebat, ne verbum Domini loquatur in Asia *Actorum* 16. voluntas ergo Divina illis Asiæ gentilibus non videtur auxilia sufficientia contulisse, quorum fructui prædicatio Verbi Divini fuisset maximè utilis. Hinc ex simili fundamento obstat

168. Quartò: quòd infidelibus deficiant auxilia sufficientia ad consequendam fidem & salutem, quibus nemo unquam Evangelium prædicavit: ait enim Apostolus ad Rom. 10. *Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante &c.* At quot millibus hominum non fuit prædicatum Evangelium? Illis ergo defactò defuerunt auxilia sufficientia ad fidem & salutem. Obstat

169. Quintò: quòd ex nostra sententia tollatur omnis infidelitas *negativa:* & tamen communis Theologorum cum D. Th. in 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. plurimos gentilium infidelitate negativa laborare contendit. Pr. seq. Infideles negativè tales sunt, qui inculpabili modo ignorant mysteria fidei ad salutem necessaria: privativè tales sunt, quorum ignorantia culpâ non vacat. Jam sic: Si omnibus gentilibus adultis dentur auxilia sufficientia ad credendum, quòd DEUS existat, & sit remunerator, tunc vel omnes utuntur auxiliô sibi datô, assentiuntur huic mysterio, vel aliqui tali auxilio neglecto assensum fidei omittunt. Si primum fiat, incipiunt esse fideles: si secundum: ex propria culpa non credunt, adeoque sunt infideles privativè tales. Ad hæc obstacula removenda

170. Resp. ad primum. DEUM *Actor.* 14. *v.* 15. eatenus dici gentiles dimisisse ingredi vias suas, in quantum ante Christi adventum nullos illis dedit Patriarchas, nullos Prophetas, nullamque legem scriptam, unde per prædicationem, & exempla ad actiones virtutum incitarentur: neque auxilia interioris gratiæ, quæ gentilibus contulit, æqualis perfectionis erant cum illis, quæ populo Israëlitico in veteri lege distribuit, & multò minùs cum his, quæ in lege nova fidelibus conferuntur. Attamen cum hoc stat, gentiles non omnibûs auxiliîs, saltem remotè sufficientibûs, destitutos fuisse, ex quorum usu poterant remotè inchoare salutem, & majora alia impetrare. Sic Card. Aguir. *tr.* 7. *de nat. hom. lapſ. disp.* 128. *sect.* 1. *n.* 51. in confirmationem adducens illud Apost. ad *Rom.* 1. ubi barbari seu gentiles ùt *inexcusabiles judicantur, quia cum DEUM cognovissent, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt;* supposuit itaque, auxilium gentilibus non defuisse, ut DEUM glorificarent, & per gratiarum actionem sibi in ordine ad salutem propitiarent.

171. Ad secundum Resp. in illo *Math. cap.* 11. *à vers.* 20. JESUM exprobrare Civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quòd non egissent pœnitentiam: dicebat ergo: *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Per quod Salvator equidem Corozaitis & Betsaidis ob oculos ponit eorum obstinaciam, & excæcationem, atque in memoriam revocat multitudinem gratiarum, præsertim extrinsecarum, quatenus tot visis miraculis, potuissent se faciliùs convertere, quàm Tyrii & Sydonii, qui talia miracula non viderunt, non tamen Tyrios & Sidonios, quòd se non converterint, ab omni culpa absolvit: subdit enim: *Verum tamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Judicii, quàm vobis: remissius erit,* inquit, quia Tyrii & Sidonii pro loco, & tempore opportuno non erant destituti necessariis auxiliîs, quibûs potuissent se convertere, non tamen illorum respectu fuit tantus auxiliorum affluxus, qualis fuerat in Corozain & Betsaida.

172. Ad tertium Resp. Apostolum alio tempore in Asia fidem prædicâsse, plurimosque convertisse, licèt circa illud tempus, de quo fit mentio *Actor. c.* 16. prohiberetur ibi prædicare. Ideò autem prohibebatur tunc prædicare in Asia, quia DEUS voluit, ut in Macedonia Verbum DEI promulgaret.

173.

173. Ad quartum Resp. verum esse, sine prædicatione Evangelii infideles non consequi auxilia proximè sufficientia ad fidem explicitam in Christum, sine qua defactò nemo salvatur in Novo Testamento, consequi tamen auxilia remotè sufficientia ad hanc fidem explicitam & salutem pro loco & tempore opportuno. Nam juxta Apostolum *loc. cit.* vocantur *inexcusabiles, si in DEUM, cujus virtus & Divinitas in* creatura hujus mundi tam evidenter relucet, non credant, *quia est, & quòd inquirentibus eum remunerator sit.* Cæterùm ut hujusmodi assensus sit initium fidei, justificationis, & salutis, debet esse supernaturalis, consequenter ab aliquo auxilio supernaturali pendere, ideoque non præcisè lumini ac rationi naturali inniti. Scriptura quoque, PP. & Concilia, quando fidem vocant initium seu radicem omnis justificationis, non semper fidem strictè accipiunt, & pro assensu ad credibilia ex motivo Divinæ revelationis, quo sensu fides tanquam dispositio propinqua ad justificationem disponit & concurrit: Sed quandoque fidem largiùs sumunt, ac pro quavis illuminatione supernaturali disponente saltem remotè ad fidem perfectam, ad quam illuminationem, & fidem sic imperfectam imperfectiora auxilia antecedenter conferuntur, & sufficiunt. Indicavit hoc S. Trid. Concil. *Sess. 6. de Justif. cap. 6.* quando ait: *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Div. gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM, credentes vera esse, quia divinitùs revelata & promissa sunt.*

174. Hæcque distinctio actûs fidei strictè & largè sumpti ampliùs liquet ex eo, quòd in quocunque ordine actus deliberatus necessariò supponat aliquem actum indeliberatum ejusdem ordinis; quandoquidem homo non est proximè potens ad agendum ex consilio, & deliberatè, nisi priùs constituatur à DEO in aliquo actu indeliberato, qui licet physicè & elicitivè sit ab homine, non tamen est ab homine liberè & moraliter, sed solùm à DEO, qui tunc (velut notatum fuit *num.* 140. agit nobiscum sine nobis, id est, liberè volentibus. Card. Aguirre *tract. 7. de nat. lapsf. disp.* 128. *à num.* 62. supponendo, ex doctrina D. Thomæ verosimiliter omnes homines, dum ad usum rationis perveniunt, sufficientem illustrationem supernaturalem à DEO accipere, ut existentiam DEI tanquam Auctoris & finis supernaturalis cognoscere valeant. Vel igitur sic divinitùs illustrati, & gratiâ datâ ad quærendum & diligendum DEUM sicut oportet, præventi, actum fidei, & charitatis eliciunt: vel non? Si non: eorum infidelitas statim est culpabilis, ideoque non purè negativa, sed aliquo modo privativa: si eliciant: statim fiunt fideles, & justi: si verò deinceps ab ista fide deficiant, pariter incipiunt esse infideles privativè tales, non minùs, ac illi Christiani, qui à fide semel recepta apostatârunt.

175. Dixi, quòd si actum fidei, post talem illustrationem supernaturalem non eliciant, tunc eorum infidelitas sit aliquo modo privativa: quia, ùt loquitur Aguirre, ex omissione illius assensûs fidei, qui dependenter ab auxilio supernaturali elici potuisset, & debuisset circa existentiam DEI ùt Auctoris & finis supernaturalis, contrahitur solùm labes seu macula aliqua *habitualiter* permanens infidelitatis *privativæ* cujusdam inchoatæ & imperfectæ, cum proportione scilicet ad fidem illam tenuem, quam v. g. pueri gentiles statim habuissent, si DEO existenti, & prævenienti assensum præbuissent. Interim de hac infidelitate privativa tanquam opposita infidelitati negativæ S. Thomas in 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. loqui non videtur, ubi hanc ponit conclusionem: Infidelitas negativè sumpta magis pœna est, quàm culpa; at infidelitas contrariè accepta, quâ quis fidei repugnat, vel ipsam contemnit, peccatum est.

176. Censet itaque Card. Aguirre, superesse alium sensum, in quo infidelitas *negativa*, quæ gentilibus quibusdam inexistere asseritur, intelligenda sit. Primariò autem ad mentem Div. Thomæ infidelitatem negativam & innoxiam constituit in inculpabili, seu invincibili ignorantia mysteriorum fidei eorum omnium, quæ gentilibus nunquam prædicata fuerunt, seu nec exteriùs nec interiùs manifestata, nec etiam quoad obligationem inquirendi illa. Colligitur ex illo Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* nimirum infidelitatis erga ipsum Christum. Præter hanc adhuc aliam admittit infidelitatem negativam, seu innoxiam, *actualem* circa ipsam existentiam DEI prout Auctoris & finis supernaturalis, quam pueri gentiles circa tempus acquisiti usûs rationis credere omiserunt. Quamvis enim, ait, habitualis macula infidelitatis illius privativæ (quam solùm inchoatam & imperfectam Auctor appellavit) tunc contracta in iis permaneat moraliter instar aliorum peccatorum in pueritia commissorum, fieri tamen potest, & communiter solet, ut nullum vestigium, nulla prorsus recordatio maneat vel illius veritatis objectivæ, quæ semel in tenera ætate repræsentata iis fuit ad credendum, vel obligationis ad eam inquirendam. Quapropter jam subeunt oblivionem *naturalem* sive incogitantiam insuperabilem ejus veritatis: quæ proinde dici potest *infidelitas negativa.*

177. Si laudato purpurato Doctori opponas, hanc ipsam oblivionem seu incogitantiam ortum ducere ex illo primo peccato assensûs fidei secundùm Divinam illustrationem non præstiti, proindeque infidelitatem, quâ gentiles per decursum vitæ laborant, fore culpabilem, atque adeò *privativam:* Reponit ille, plus non inferri, quàm ejusmodi oblivionem seu incogitantiam esse culpabilem in sua causa, non tamen in seipsa: quia, ut in se ipsa culpabilis diceretur, debuisset initio præcedere *advertentia* aliqua obligationis futuræ ad credendum in decursu vitæ eandem veritatem, vel periculi non credendi de cætero.

tero. Supponitur autem, in ætate adeò tenera non præcessisse ejusmodi advertentiam, sicuti & nullum ejus vestigium, aut recordationem manere posteà. Concludit ergo, quòd infidelitas talis actualis circa illam veritatem non sit culpabilis in seipsa, sed ad summum in causa, consequenter in se non est moralis aut privativa, sed veluti naturalis, & purè negativa. Hæc de infidelibus.

178. De obduratis & excæcatis peccatoribus subjicit, nec illis denegari auxilia remotè sufficientia, quibûs possint, quamvis valde difficulter, & inferendo sibi vim solitò majorem, desiderare, & quærere salutem suam: Addit autem quòd illorum gratia, quâ pulsantur, sit parcior & rarior: dicitque de illis D. August. in Psal. 6. *Dedit eos in reprobum sensum: nam ea est cœcitas mentis, in quam quisquis datus fuerit, ab interiori DEI luce excluditur, sed non penitus, dum in hac vita est:* Et in *lib. 2. de Serm. Domini in Monte. cap. 15.* ait, *nullam animam esse, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus corde non loquatur DEUS.* Hæc Doctor Hipponensis.

# QUÆSTIO DUODECIMA.

## *Utrum facienti, quod est in se, solis naturæ viribûs, DEUS infallibiliter det Gratiam?*

179. AFfirmativam tenent primò Semipelagiani, usurpantes pro axiomate, quòd labori & obedientiæ humanæ DEUS gratiam adjuvantem subjungat, primaque gratia auxilians, seu gratia vocationis, hominibus conferatur propter naturalem conatum liberi arbitrii salutem animæ desiderantis. Tenet secundò Ludov. Molina in sua *Concordia quæst. 14. artic. 13. disp. 10.* ita loquens: Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóve est ad conandum totum id, quod ex se potest, tam circa ea, quæ fides habet, addiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac justificationem, tunc dicit, à DEO conferri gratiam prævenientem, auxiliáve, quibus id faciat, ùt oportet ad salutem: non quidem, quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; sed quoniam id nobis Christus obtinuit ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quàm Pater æternus statuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, unaque rationi maximè consentaneum fuit, ut quoties ex viribus nostris naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ &c. ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manus liberi arbitrii nostra posita esset salus, per nosque ipsos staret, quòd ad DEUM non convertamur. Quare sicut DEUS semper præstò est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præstò illi est per auxilium gratiæ sufficiens, ut quoties ex viribus suis naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quæ ad justificationem spectant, illud exequatur, prout ad *salutem oportet &c.* Hæc Molina.

180. Videtur tertiò tam Semipelagianorum, quàm Molinistarum assertioni favere ipsa Sac. Scriptura Zachar. 1. ubi DEUS dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* & Lucæ 11. *Petite & dabitur vobis: pulsate & aperietur vobis.* Ecce! si nos faciamus prius, quod est in nobis, DEUS ex sua parte non deest.

181. Quartò: Ipse Div. August. *lib. 19. de Civit. cap. 13.* dicendo: DEUS dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ: & quæcunque huic paci tuendæ vel recuperandæ necessaria sunt, sicut lux ista visibilis, aura spirabilis, aquæ potabiles, &c. eo pacto æquissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis rectè usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, atque convenientem gloriam, & honorem in vita æterna. His verbis D. August. Pactum à Molina prætensum clarè defendit.

182. Quintò: Molinisticæ doctrinæ haud difformia tradit Div. Thom. *q. 14. de verit. artic. 11. ad 1.* dicens: quòd perveniens ad usum rationis, si sequatur ductum rationis in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd DEUS revelaret illi ea, quæ sunt necessaria ad credendum.

183. Sextò: Rationes conglobatæ esse possunt, tum, quòd DEUS argueretur tanquam acceptor personarum, si nulla respiceret merita ordinis naturalis, & tamen uni præ altero auxilia supernaturalia conferret: tum, quia ex principiis contrariis sequeretur, hominem etiam benè moraliter viventem, faciendo scil. quantum facere potest, inculpabiliter gratiâ carere, & necessariò damnari: tum denique, quia nos ipsi docemus, cum auxilio remotè sufficiente, hominem exercendo bona opera moralia, v. gr. eleemosynas dispensando, auxilium proximè sufficiens impetrare ad fidem plenam & salutem. His tamen non obstantibus,

184. Conclusio negativè statuenda est, ac dicendum, quòd facienti, quod est in se per solas naturæ vires, & secluso auxilio supernaturali, DEUS infallibiliter non conferat seu non deneget gratiam. Sic Thomistæ.

185. Prob. Conclus. inprimis ex Conc. Arausican. II. *Can. 6.* ubi ille, qui humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium: nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: quid habes, quod non accepisti? Concilium (à quo Pelagianismus condemnabatur) per humanam humilitatem & obedientiam aliud non intelligebat, nisi actiones moraliter bonas ordinis naturalis, & per verbum *subjungit*, sequelam gratiæ superna-

pernaturalis: consequenter errorem damnat eorum, qui actionibus moraliter bonis ordinis naturalis, quales esse possunt actus humilitatis ex motivo honestatis cujusdam naturalis eliciti, sequelam infallibilem gratiæ sive adjutorii Divini connexam seu subjunctam esse asseverant.

186. Prob. secundò: speciatim contra Lud. Molinam ex eo, quòd ipsi incumbat onus probandi, ubinam in Sacra Scriptura, vel Conciliis, vel SS. Patribus talis pacti, quale ipse inter Christum & Patrem æternum initum fuisse asserit de infallibiliter conferenda gratia supernaturali facientibus quod est in se, viribûs naturæ, ubinam, inquam, aliquod satis clarum & solidum fundamentum extet: quòd si nullum ostendi possit, non solùm præfato Auctori objiciemus, quòd in iis, quæ à sola libera DEI voluntate dependent, sine Scripturæ testimoniis nihil securè innotescere possit, sed quòd insuper in præsenti, si ex congruentiis vel effectibus aliquid statuendum sit, potiùs oppositum præsumendum foret, in quantum non est prudenter credibile, DEUM sub pacto promittere collationem infallibilem donorum supernaturalium pro operibus tam improportionatis, qualia sunt illa viribûs naturæ exercita.

187. Confirm. primò per experientiam contrariam, quâ constat, multos etiam ex gentilibus benè moraliter operatos fuisse, proptereà tamen gratiam supernaturalem non accepisse; accepisse econtra multos, qui malè vixerunt. Confir. secundò: Vel gratia supernaturalis datur intuitu operis naturalis ita, ut hoc saltem esset conditio, super qua fundaretur pactum: vel non datur ejus intuitu? Si primum, opus illud naturale esset initium justificationis: & daretur ex parte nostra causa primi effectûs prædestinationis, videlicet opus naturale, quod saltem se haberet ùt conditio, super qua fundaretur pactum de danda gratia: contra illud Apostoli ad *Rom.* 9. Cùm nihil boni aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Jacob dilexi: Esau autem odio habui: & Moysi dixit: *Miserebor, cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.* Si secundum dicat Molina: certè opus moraliter bonum haberet se planè per accidens; neque foret ibi pactum propriè, sed promissio sub conditione disparata, ac proinde nulla prorsus esset proportio inter opus naturale, & inter gratiam, ac justificationem, ùt rectè instat Joan. à S. Th. hîc *disp.* 24. *a.* 2. *n.* 2. Nec igitur foret ratio, cur DEUS ratione talis operis gratiam dare vellet potiùs benè operanti, & facienti, quod est in se, quàm (ùt loquitur Clariss. P. Babenst. hîc *disp.* 5. *art.* 1. *§.* 4. *sub num.* 33.) Solem intuenti, barbam fricanti, sternutanti, oscitanti.

188. Confirm. tertiò: argumento Joan. à S. Thoma hoc *tr. disp.* 22. *art.* 1. *n.* 9. sic instantis: Vel pacti ratione à Molina excogitati daretur gratia propter quodlibet opus bonum ordinis naturalis: vel propter omnia collectivè spectata: vel propter aliqua? Primum dicit, refragari omni sanæ doctrinæ; aliàs peccator, vel semel largiendo eleemosynam, infallibiliter acciperet gratiam supernaturalem, & justificaretur. Secundum censet impossibile; cùm supponat impletionem omnium præceptorum, sine gratia supernaturali haud possibilem esse. Tertium quoque non subsistit: restat enim, quænam & quot opera gratiam præcedere debeant? Deinde, si unum opus præ alio, vel plura præ paucioribus gratiam infallibiliter connexam habeant, jam est in ipsis operibus aliquid, quod DEUM moveret. Concludimus ergo finaliter, quòd DEUS facienti, quod est in se, ex viribus gratiæ ulteriores gratias non deneget, sed infallibiliter conferat. Quando verò viribus naturæ benè operantibus gratiam confert, id non fit infallibiliter, vel ex aliquo pacto, sed ex pura DEI misericordia & bonitate. Ex his patet, quid

189. Respondendum sit ad primum & secundum. Nam aliunde constat, Semipelagianismum esse ab Ecclesia damnatum: sententiam verò Molinæ equidem non esse damnatam, nimis tamen deferre viribus humanis, & prædestinationem nostram non in gratuita DEI vocatione, sed in manu cujuslibet reponere, ut prædestinatus à non prædestinato discerneretur per hoc, quod ille faciat, aut conetur facere, quod est in se; iste verò non faciat aut conetur.

190. Ad tertium ex Scriptura desumptum, nec non ad quartum, ex Div. Augustino, & ad quintum ex S. Th. allatum, Resp. utrumque S. Doctorem loqui, subintellectô auxiliô Divinæ gratiæ; Augustinum quidem de usu bono temporalium, Thomam verò de sequela ad ductum rationis, & præparatione ad fidem. Audi Augustinum *lib. de correct. & grat. c.* 1. quis autem, ait, confugit ad gratiam, nisi cùm *a Domino gressus hominis diriguntur, ut viam ejus velit?* Per hoc & desiderare auxilium gratiæ initium gratiæ est, de quo ait ille: *Et dixi, nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ excelsi. Psal.* 37. D. Thomam quoque alienum à mente Molinæ esse, constat ex *Exposit. Epist. ad Roman. cap.* 10. *lect.* 3. ubi hoc ipsum, ait, quod aliqui faciunt, quod est in se, convertendo se scilicet ad DEUM, ex DEO est movente corda ipsorum juxta illud *Thren.* 5. Converte nos Domine ad te, & convertemur. Et in *quæst.* 112. *art.* 2. *hac part.* sic habet: quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio DEI moventis animam ad bonum. Nihil sanè vel Augustino vel Thomæ incidit de aliquo pacto, super operibus naturalibus qualitercunque fundato.

191. Ad sextum Resp. inprimis vitium justitiæ oppositum, quod dicitur acceptio personarum, locum non habere, nisi in iis rebus, quæ ex justitia debentur: gratias verò supernaturales ex justitia non deberi vel ipsum nomen gratiæ in fronte gerit. Neque tamen (verba sunt Doct. Angel. 1. *p. quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 3.)

*ad 3.) propter hoc est iniquitas apud DEUM, si inæqualia non inæqualibus præparat: hoc enim esset contra justitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare, cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio justitiæ. Et hoc est, quod dicit Paterfamilias* Math. 20. *Tolle, quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo facere?*

192. Quantum ad id, quod additur de necessaria plurimorum, qui quod in se est faciunt, damnatione, item de eorundem inculpabili gratiæ carentia, abundè ex dictis liquet, neminem à DEO ita deseri, ut non quilibet accipiat aliqua auxilia ad salutem necessaria, vel sufficientia, haud equidem propter bona opera moralia, vel ex pacto illorum intuitu inter Christum & Patrem æternum inito debita, sed ex pura bonitate, libertate & miseratione Divina, qui nos omnes, utpote quos ad statum Ordinis supernaturalis sua gratuita ordinatione vocavit, vult salvos fieri, voluntate saltem antecedente, communi, & conditionata.

193. Ad ultimum dico, illam impetrationem ulteriorum auxiliorum, quâ quis à remotè sufficientibus ad proximè sufficientia pervenit, pariter à gratia supernaturali pendere, atque ex talibus operibus saltem de congruo novas & majores gratias actuales, ac denique ipsam sanctificantem à DEO conferri. Denique illud maximè notandum est, quòd dispositio & forma debeant esse in eodem ordine. Quamquam autem aliqui ex Doctoribus Catholicis dicant, opera naturalia facienti quod est in se, non esse dispositiones positivas ad gratiam, sed *quasi negativas*, in quantum exinde removentur impedimenta gratiæ, scil. peccata: attamen & hæc ipsa peccatorum per bona opera diuturnior obstaculorum remotio similiter sine speciali DEI supernat. adjutorio haberi nequit.

## QUÆSTIO ULTIMA.

### *De Gratia efficaci: An sit & dicatur efficax ex Effectu seu cooperatione Liberi arbitrii creati; an verò ex se, & ab intrinseco?*

194. MOlina supra citatus in *Concordia* Olyssipone circa annum 1588. edita, *q.* 23. *art.* 3. *disp.* 38. docet, quòd divisio gratiæ in auxilium efficax & inefficax ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur; cùm tamen, nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti. Illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cùm tamen potuerit converti; alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem. Hinc ulteriùs asserit, auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria Viatoribus conferuntur, quòd efficacia vel inefficacia ad conversionem sint, pendere à libero consensu, & cooperatione arbitrii nostri cum illo; atque adeò in libera nostra potestate esse, vel illa efficacia reddere consentiendo, & cooperando cum ipsis ad actus, quibûs ad justificationem disponimur; vel inefficacia reddere, continendo consensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum. Hæc Molina *loc. cit.* In Indice verò rerum notabilium, verb. *auxilium*, sequentia reperiuntur: Auxilia gratiæ adulto præstita quòd efficacia sint, habent dependenter à libero influxu arbitrii ejus, cui præstantur. Quæ doctrina eò collimat, quòd liberum nostrum arbitrium ex sua innata libertate cooperans illud auxilium, quod prout à DEO provenit, est merè sufficiens, efficax reddat; ut adeò sufficientia & efficacia auxilii non ex parte sui, seu auxiliorum sit consideranda, sed ex parte creatæ voluntatis cooperantis vel non cooperantis, suam differentiam & denominationem desumat. Istam Molinæ sententiam inter alias ejusdem assertiones PP. Ordinis Prædicatorum ad Clementem VIII. detulerunt. Cæterùm altefatus Pontifex, cùm in materia de auxiliis ultimam vellet jam proferre sententiam, statuit, ut quælibet reprobarentur, vel approbarentur, attenta mente D. Augustini: & in Congregatione instituta anno 1602. 20. Martii, controversias moventibus dixit: *Cedite Patribus, cedite veritati. Ita inquirendæ & indagandæ veritati operam navate, ut à vero sensu scripturarum, & à defœcata S. Augustini doctrina, quam & Ecclesiæ doctrinam esse, nemo vestrûm ignorat, nullius invidiæ & livoris fœcibus impediamini.* His præmissis, & suppositis iis, quæ tam in Tract. de DEO circa scientiam DEI ùt causam rerum, cognitionem futurorum contingentium, decretorum efficaciam, & prædestinationem gratuitam, quàm etiam in Tract. de Actib. human. circa prædeterminationem Physicam ad singulos actus necessariam, fusè tradimus, statuitur sequens

195. Conclusio: Gratia est, & dicitur efficax, non ab effectu, & cooperatione nostri liberi arbitrii, sed ex natura sua & ab intrinseco: unde antecedenter ad effectum habet prædicatum, per quod à gratia sufficienti & inefficaci differat. Ita Thomistæ, specialim Salmanticens. *tract.* 14. *de Grat. disput.* 7. *dub.* 1. *num.* 2. Theol. Salisburg. Babenstuber, Wenzl, Tournel. contra Molinistas, & Recentiores.

196. Prob. Concl. primò: Talis est, & dici debet gratia efficax, qualis est Augustiniana: atqui gratia efficax Augustiniana non est vel dicitur efficax ab effectu, nec à cooperatione liberi nostri arbitrii, sed ex natura sua & ab intrinseco, ita, ut ex prædicato sibi proprio à gratia sufficienti & inefficaci differat.

ferat. Ergo &c. Major. inculcat Clem. VIII. *num.* 194. hortando, ut ſequamur defœcatam D. Auguſtini doctrinam, utpote quæ ſit doctrina ipſius Eccleſiæ. Sed in quo libro, ais, S. Auguſtinus præſentem materiam tractat? Reſp. tractari ab eo præcipuè in *lib. de Correct. & Gratia, cap.* 11. *& ſeqq.* ex quo loco Theologi diviſionem gratiæ in ſufficientem & efficacem hauriunt. Teſtatur hoc ipſe S. Auguſtinus *lib. de dono perſeverantiæ*, quando ibi ſcribit: *In illo libro, cui Titulus de corrept. & grat. qui ſufficere non potuit omnibus dilectoribus noſtris, puto, me ita poſuiſſe donum DEI eſſe etiam perſeverare usque in finem, ut hoc anteà, ſi me non fallit oblivio, tam expreſsè atque evidenter vel nusquam, vel pene nunquam ſcripſerim.* Quibus prænotatis

197. Minor prob. facilè. Nam D. Auguſtinus *loc. cit.* expreſſè diſtinguit auxilium ſufficiens, quod vocat *ſine quo non*, ab auxilio efficaci, quod vocat auxilium *quo*, diſcrimen poſterioris ab illo priori minimè refundendo in effectum, & cooperationem vel non cooperationem noſtri liberi arbitrii, ſed in ipſam naturam auxilii, quatenus efficax eſt potentius ſufficienti, veluti liquet ex ſubjuncta explicatione: Tale quippe erat (inquit Auguſtinus) adjutorium (Adami) quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: Secunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit, ut velit. Ulteriùs imaginem gratiæ ſufficientis expreſſurus ſubjicit: nec illa quidem (Adamo communicata) parva gratia erat, quâ demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii; quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium deſereret, ſi vellet. Hæc autem (videlicet gratia efficax, quæ datur prædeſtinatis in Chriſto) tantò major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique, non poſſe ſine illo vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi efficiatur, ut velit. Ita D. Auguſt. *loc. cit. cap.* 11. Et *cap. ſeq.* ſubjicit, Sanctis in Regnum DEI per gratiam DEI prædeſtinatis, *tale perſeverantiæ donum dari, ut perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verùm etiam, ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* In *eod. cap.* 12. *de Correct. &c.* leges etiam ſequentia: Si in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio DEI, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec DEUS in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet; & ideò perſeverare non poſſent; quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent: ſubventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter Divinâ gratiâ ageretur, & ideò quamvis infirma, non deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur. Et *cap.* 14. ſic habet: DEO volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatē.

198. Ex quibus teſtimoniis evidenter apparet, quàm multis paraſangis diſtet gratia efficax Molinæ à gratia Auguſtiniana. Nam ſecundùm Molinam gratia efficax poteſt eſſe minor aliâ non efficaci, poteſt dici efficax ab effectu, & cum quolibet auxilio divinitùs dato poteſt conjungi diſſenſus & reſiſtentia ex parte voluntatis creatæ; neque ullum confertur, quod faciat, ut faciamus, vel ut velimus, ut actu perſeveremus: ſed potiùs ab eo, quod nos facimus, denominatur efficax, ita, ut antecedenter ad cooperationem liberi arbitrii inter auxilium, quod poſteà fit efficax, nulla detur infallibilis connexio cum operatione determinata, v. gr. converſionis in DEUM &c. Ex oppoſito ſecundùm D. Auguſtinum auxilium efficax majus eſt donum, quàm inefficax: facit, ut indeclinabiliter velimus, agamus, perſeveremus, adeoque importat connexionem infallibilem cum operatione, quod ſanè reipſa dicit, gratiam efficacem eſſe ex natura ſua, & ab intrinſeco, minimè eſſe indifferentem, ſubjectamque noſtro libero arbitrio, ut pro hujus libera electione, cooperatione, & determinatione ſuam indifferentiam amittat, & ex inefficaci, & veluti infirma, reddatur efficax, & robuſta. Concludimus ergo, à Moliniſtis gratiam efficacem adſtrui, & nobis velut obtrudi, ab Auguſtiniana ùt plurimùm diverſa, atque aliena, cum tamen Clemens VIII. Auguſtini doctrinam pro Eccleſiæ doctrina commendet.

199. Prob. Concluſ. ex deſtructione ſuppoſiti adverſi, ſeu Moliniſtici, quod eſt ſcientia Media, ſeu conditionata DEI, per quam Adverſarii dicunt DEUM cooperationem liberi arbitrii cum gratia ùt futuram in certis circumſtantiis videre, ſeu præſcire. Ad illam pro præſenti materia gratiæ efficacis, accommodandam, & explicandam. Thomas Mlodzianowski Jeſuita Polonus *Prælection. Theol. to.* 2. *tr.* 4. *diſp.* 5. *q.* 3. *Punct. difficult.* 1. præmittit, duplicem à ſuis poni ſcientiam conditionatam, id eſt, mediam: quandam directam, & quandam reflexam. Directa eſt, quæ reſpicit ſimpliciter futuritionem conditionatam à ſuis cauſis neceſſariò requiſitis conditionatè dandis: reflexa eſt, quæ reſpicit futuritionem conditionatam non utcunque, ſed prout pendentem ab aliquibus cauſis conditionatis, præſupponentibus ipſam futuritionem conditionatam. Prioris exemplum eſt: ſi tali vocatione vocaretur, conſentiret: poſterioris: ſi præſuppoſito conſenſu prædefinirem illius conſenſum, non impediret voluntas, ne fieret prædefinitio, fieretque conſenſus. Sic ille: aſſerens, hanc diviſionem in ipſorum principiis teneri, eò quòd, & ipſi prædefinitiones actuum bonorum admittant, adeoque illas prædefinitiones conditionatè poſitas objici ſcientiæ conditionatæ DEI. Sed contra eſt primò, quòd iſta ſcientia conditionata reflexa

flexa sit planè nugatoria, & imperceptibilis: quid enim est hoc, si præsupposito consensu Petri consensum Petri prædefinirem, voluntas seu consensus Petri non impediret, ne fieret prædefinitio: quomodò consensus humanus, qui Divinæ prædefinitioni præsupponitur, potest DEO objici ùt à Divino decreto prædefinibilis, aut prædefiniendus? Certè, quod ante decretum jam prævidetur futurum esse, per decretum prædefiniri, aut prædecerni nequit. Secundò, qualiacunque conditionum intricata systemata isti RR. ad infirmandam intrinsecam gratiæ efficaciam sibi & nobis fingant, semper difficultas redit ad hoc punctum, utrùm DEUS videat, Petrum positum in his circumstantiis ideò esse in conversionem consensurum, quia ipsum Divina gratia movebit, determinabit, applicabit, vel ideò; quia consensus gratiam movebit, determinabit, applicabit? Si primum respondeant: gratia est ab intrinseco efficax, prædeterminans, & victrix: si secundum: initium conversionis erit à consensu & determinatione humana, quâ gratia Divina de se indifferens redditur efficax, utpote activa, & cooperans: Hoc modo enim liberum arbitrium erit primum movens, primumque determinans, gratia verò habebit se ùt aliquid motum & determinatum: unde locus erit illi principio, quòd movens sit naturâ & causalitate prius illo, quod movetur. Tertiò: Si DEUS in signo antecedente decretum suum præscivit, quòd Judas positus in illis circumstantiis, in quibus post traditionem proditoriam Christi erat constitutus, gratiam sibi oblatam, vel etiam actu collatam tanquam hic & nunc suæ dispositioni, aut complexioni minùs *congruam* sit neglecturus, eaque ad se convertendum non usurus, Petrus econtra in illis circumstantiis, in quibus post negationem Christi erat positus, gratiâ sit usurus, quæso! Quid scientia media DEI contribuit, ut gratia ex parte Petri fieret efficax ex indifferenti, sufficienti, & inefficaci, non autem fieret efficax ex parte Judæ? Adversarii nihil assignabunt, tum quia scientia media non est practica seu factiva, quasi efficiat aliquid ex parte objecti, sed hoc supponit v. g. futuritionem conversionis, vel non futuritionem, ùt volunt Adversarii. Quare etiam infallibilem connexionem gratiæ v. g. cum consensu in conversionem præsupponit. Igitur, cùm gratia sufficiens supponatur utrimque æqualiter determinabilis, ut potiùs in Petro, quàm in Juda ad conversionem operetur, causis naturalibus, seu idoneæ hic & nunc complexionis, dispositionis, & indolis, quæ sit in illis circumstantiis in Petro, in Juda non sit, adscribi debet, quod salva fide dici nequit. Hoc demum Molinisticæ doctrinæ sequaces animadverterunt, ut tandem magna ex parte, variis excogitatis effugiis, intricatisque explicationibus, à Molinæ systemate recessisse videantur. In testem voco præallegatum P. Thomam Jesuitam Polonum, qui in compendium redegit controversias exortas in hac materia de gratia efficaci inter Dominicanos, & Jesuitas, diuque coram Clement. VIII. agitatas. Utque appareat, quousque PP. societatis consultationi, & disputationi adhibiti sententiam suam ampliaverint, vel restrinxerint, breviter aliqua sunt extrahenda & adnotanda. Circa finem Sæculi decimi quinti, & initium decimi sexti Cardinalis Madrucius, Deputatus Pontificius, petiit à Jesuitis, ut ad sequentia puncta à Dominicanis contra eos proposita responderent.

200. Primum erat, utrùm ante bonum usum liberi arbitrii, quem ex innata libertate homo habiturus est, ut disponatur ad justificationem, aut ad vitam æternam perveniat, ponenda sit in DEO prædestinatio, & præscientia. Resp. PP. Soc. quòd sit ponenda in DEO præscientia, & prædestinatio ante bonum usum liberi arbitrii, quem etsi principaliter & potissimùm ex gratia homo habiturus est, tamen, etsi quo modo liberè concurrit (quod negari non potest) certum est minùs præcipuè ex innata libertate operari, ut disponatur ad libertatem, aut ad vitam æternam perveniat.

201. Secundum: An si ponatur talis prædestinatio, & præscientia, nulla homini libertas arbitrii relinquatur in actionibus, quibûs ad justificationem disponitur, aut ad vitam æternam pervenit? Responderunt PP. Jesuitæ: si ponatur talis præscientia vel prædestinatio, homini libertatem arbitrii ad prædictas actiones relinqui, nec de hoc dubitari posse.

202. Tertium: Utrùm Div. prædefinitio & prædestinatio sit causa efficiens mediantibûs Divinæ gratiæ auxiliis efficacibûs de se, & ùt sunt à DEO, actuum humanorum, qui ad justificationem sunt necessarii.

203. Quartum: Utrùm aliqua auxilia gratiæ sint de se efficacia ad efficiendum, quòd liberum arbitrium consentiat; an verò ab ipso arbitrio, pro sola sua & innata libertate, hujusmodi auxilia efficacia vel inefficacia reddantur. Responderunt iidem, aliqua auxilia gratiæ esse prædicto modo de se efficacia ad efficiendum, ut liberum arbitrium consentiat; & quamvis à libero arbitrio pro sua sola innata libertate interdum inefficacia reddantur, tamen ex se solis, & sine aliquo respectu ad liberum arbitrium efficacia non sunt, sed potissimùm à DEO, & ex se, minùs verò præcipuè ex respectu ad liberum arbitrium, quem gratia ùt voluntati congrua comprehendit.

204. Quintum: Utrùm Divina prædestinatio sit diminuta in effectibus seu mediis necessariis ad justificationem & salutem. Responderunt, non esse diminutam, sed perfectissimam.

205. Sextum: Utrùm prædestinatio se efficaciter extendat, tanquam ad effectum, ad bonum illum usum liberi arbitrii, quem homo prædestinatus habet, dum auxiliis prævenientis gratiæ se applicat liberè, illis bene utendo. Resp. quòd sine dubio se extendat.

206. Septimum: An potius talis usus sit duntaxat præscitus à DEO, non autem prædesti-

destinatus, aut prædefinitus. Responderunt, non modò esse præscitum sed etiam prædestinatum.

207. Octavum: Utrùm talis bonus usus præscitus sit ratio prædestinationis? Responderunt, quod talis usus præscitus non sit ratio prædestinationis. Sic PP. Societatis ad quæsita PP. Dominicanorum responderunt.

208. Quin imò PP. Societatis (fatente & referente hoc iterum supra allegato Jesuita Polono) subsequentes Conclusiones, quod eas ipsi defendant, disertè professi sunt: videlicet dari auxilium prævenientis gratiæ efficax, per quod DEUS facit, ut homo piè operetur: hoc donum esse peculiare DEI, distinctum à sufficienti: Esse intrinsecum intellectui & voluntati, consistens in utriusque excitatione, in illuminatione intellectus, & motione voluntatis: esse supernaturale, & immissum à DEO: non solùm se tenere ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ: esse motionem realem, quæ antecedat applicationem voluntatis ad actum determinatum: esse effectricem bonæ voluntatis, ac proinde ab eadem voluntate realiter distinctam: positô auxiliô efficaci, hominem infallibiliter converti. His auditis, responderunt Dominicani nihil sibi cum PP. Societat. superesse disputationis: sique hæc concessa fuissent ab Hispanis Jesuitis & Molina, non fuisse movendam ullam controversiam.

209. Opponitur primò: illud 2.Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te:* item: *Hortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis*, ad Cor. 6. Resp. in primo textu sub nomine gratiæ intelligi, non auxiliatricem, sed gratiam gratis datam, ut illa à Timotheo unà cum talentis à DEO acceptis pro communi Ecclesiæ utilitate applicetur: In secundo verò intelligi gratiam habitualem, seu sanctificantem, ut mediantibus operibus bonis ejus augmentum procuretur.

210. Opponitur secundò: Illa gratia non est absolutè intrinsecè & ex se efficax, cujus efficaciam DEUS cognoscit per scientiam mediam. Atqui efficaciam gratiæ cognoscit per scientiam mediam. Ergo gratia non est absolutè & ab intrinseco efficax. Min. colligitur ex S. D. 1. *d.* 46. *q.* 1. *art.* 1. dicente: *Voluntas DEI præsupponit præscientiam operum:* & Div. Aug. *lib. de Prædestin. SS. c.* 10. ubi ait: *Prædestinatio sine præscientia esse non potest: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Ergo &c.

211. Resp. neg. min. ad authoritates breviter dico prædestinationem, ùt sumitur pro actu imperii, imperantis efficaciter applicationem mediorum, supponere præscientiam, hujus nomine intelligendo scientiam visionis, & practicam, & absolutam futuritionis, utpote quæ includit efficacem intentionem finis, mediorumque ad salutem conducentium electionem; non verò scientiam speculativam, mediam, seu conditionatam futuritionis mediorum, & salutis, per quam usus liberi arbitrii creati, voluntatisque inclinatio, dispositio, attemperatio, &c. prævié exploretur.

212. Opponitur tertiò: Gratiæ ab intrinseco efficaci voluntas non potest resistere; talis enim operatur insuperabiliter, & indeclinabiliter; at hoc pugnat cum Concil. Senon. decreto 15. ubi sic habet: *Nec denique tale sit hujusmodi trahentis auxilium, cui resisti non possit:* imò secundùm Trid. Conc. *cit. Sess.* 6. *cap.* 5. anathema est, *qui dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum nihil cooperari DEO excitanti, atque vocanti: neque posse dissentire, si velit. Concord.* D. Thom. *quodlib.* 1. *q.* 4. *art.* 7. *ad* 2. respondens: *DEUS sic movet mentem humanam ad bonum, quòd potest huic motioni resistere.* Denique Innocent. X. proscripsit sequentem Jansenii propositionem tanquam hæreticam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur:* idem fecerunt Alex. VII. & Clem. XI.

213. Confirm. primò: Si posset voluntas gratiæ efficaci resistere, tunc eo modo posset resistentiam cum gratia componere, seu conjungere, quo modo subditus illam potest conjungere cum præcepto superioris. Atqui hoc dici nequit; quia gratia Thomistica communiter asseritur consistere in prædeterminatione physica, voluntatem infallibiliter determinante, & faciente ex nolentibus volentes.

214. Confirm. secundò: Si, stante nostra sententia, posset satisfieri Conciliis, & SS. Pontificibus, forsan superesset hæc evasio, quòd solùm loquantur de gratia sufficiente, ùt separabili ab efficaci quod in idem recidit, aut, de excitante, ùt separabili ad adjuvante: at per hoc non satisfit: nam quòd Concilium Trid. saltem *loc. cit.* loquatur de gratia efficaci, seu adjuvante, constat ex scopo illius, qui erat damnare hæresin Calvinianam, impiè spargentem, quòd gratia efficax libertatem non relinquat. Contra quem errorem Concilium declarat, justificationis exordium in adultis à DEI per Christum JESUM præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata à DEO aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur; ita, ut tangente DEO cor hominis per Spiritûs S. illuminationem, neque homo ipse omninò nihil agat, inspirationem illam recipiens, quippe NB. qui illam & abjicere potest &c. Cæterùm error Calvini erat, *esse aliquod auxilium necessitans, cui voluntas non possit dissentire:* quem, cùm Concilium damnaverit, censetur hanc contradictoriam definivisse: *nullum est auxilium necessitans, cui voluntas non possit dissentire.*

215. Ad hoc argum. duplex quadrat responsio: prima, Concilia & auctoritates in speciem contrarias, quibus voluntati creatæ potestas gratiæ resistendi, dissentiendi, vel eam abjiciendi conceditur, exponit de gratia excitante, & sufficienti: unde negat, gratiam efficacem subintelligi. Maximè sic exponendum est Conc. Trid. quòd loquatur de inspiratione

ratione & illuminatione, quatenus ab homine *abjici* poteſt; inſpiratio enim & illuminatio ad gratiam excitantem, & ſufficientem ſpectant: Latè de hoc Paul. à Concept. *tr.* 13. *de grat. diſp.* 3. *à num.* 79. & communiter alii Thomiſtæ.

216. Altera reſponſio eſt, quòd gratiæ efficaci poſſit reſiſti (ſeu quòd poſſit abjici, aut fruſtrari) in ſenſu diviſo, quatenus voluntas, ſtante prædeterminatione ad amorem, adhuc ſervat potentiam ad non ponendum amorem, vel ad ponendum odium: non verò in ſenſu compoſito, quaſi poſſent duo actus oppoſiti ſimul & ſemel conjungi, aut eſſe diſſenſus vel amoris, cum non eſſe: nam prædeterminatio à DEO procedens accommodatur naturis cauſarum ſecundarum, & in cauſis liberis indifferentiam judicii minimè tollit. Et poteſt retorqueri contra Adverſarios, nam etiam cùm gratia, quæ juxta ipſos, dependenter à ſcientia media, per cooperationem voluntatis creatæ, fit efficax in ratione concurſûs ſimultanei ad actum ſupernaturalem aſſenſûs fidei v. g. nequit conjungi diſſenſus, vel omiſſio talis actûs in ſenſu compoſito; alioqui duo maxima ſequerentur abſurda, nempe, quòd duo oppoſita poſſent reſpectu ejusdem ſimul ſtare, & ſcientia Divina falſificari. Vid. Clariſſ. P. Babenſtub. in *Diſſert. Theol.* cont. Queſnell. & Janſeniſtas §. 11. P. Wenzl de *grat. à pag.* 130.

217. Pro coronide hujus materiæ duo corollaria ſubnecto: Primum eſt, quòd quidam mali interpretes divulgare non ſint veriti, reipſa Thomiſtas in explicatione gratiæ cum Queſnello & Janſeniſtis ſentire: & ideò eorundem doctrinam de gratia ab intrinſeco efficaci à Clem. XI. anno 1713. 6. Idus Septemb. cum Queſnelli propoſitionibus pariter damnatam fuiſſe. Verùm ipſe Clem. XI. hujus calumniæ certior factus, contra ejusmodi temerarios calumniatores in litteris Apoſtol. quæ incipiunt, *Paſtoralis Officii*, ex inſtituto proteſtatur, & declarat ſequenti modo: Præterea, ut peſſimæ cauſæ ſplendidum patrocinium concilient, præfatæque Conſtitutioni (videlicet quæ incipit *Unigenitus*) majorem undecunque invidiam faciant, ſe ab ea ſuſcipienda retardari affirmant, eò quòd ſuſpicentur, per illam damnari ſententias atque doctrinas, quas inſignes Scholæ Cathol. absque ulla cenſura hactenus tenuerunt, ac tradiderunt: cùm tamen, niſi ab antiquis ſemitis, Sanctorumque Patrum veſtigiis, imò & ab earundem Scholarum inſtituto, quod verbis profitentur, reipſa receſſiſſent, probè reminiſci deberent, quòd illarum Principes, quorum nomina pertinaciæ ſuæ temerè prætendunt, quemadmodùm & cæteri illuſtriores Eccleſiæ Scriptores, ſuum ſemper eſſe duxerunt, ut ab Apoſt. Sede diſcerent. . . . Nec ignorare deberent, ſententias illas ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus à nobis damnatis confundunt, palam & liberè in Scholis Catholicis, etiam poſt editam à nobis memoratam Conſtitutionem ſub oculis noſtris doceri atque defendi, illasque proptereà minimè per eam fuiſſe proſcriptas &c.

218. Præcipuè autem Bened. XIII. in litteris, quæ incip. *Demiſſæ preces &c.* ad Profeſſores Ordinis Prædicatorum datis reclamat contra illos, qui per Bullam *Unigenitus* à Clem. XI. promulgatam doctrinæ Auguſtinianæ & Angelicæ notam inuri, calumniari audent. Inter alia circa medium ſic loquitur: *Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris, de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeterminatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum*, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis Sanctis Doctoribus Auguſtin. & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo DEI, Summorumque Pontificum, & Conciliorum Decretis, & Patrum dictis, conſonas eſſe, ſchola veſtra commendabili ſtudio gloriatur. Cùm igitur bonis & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata nullis prorſus ante dictæ Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; ne quis impoſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat, ſub Canonicis pœnis ſtrictè inhibemus. Pergite porrò Doctoris veſtri opera ſole clariora, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit, inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam Chriſtianæ doctrinæ regulam Sacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæq; diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare &c.

219. His auctoritatibus præmitti potuiſſent litteræ ab Alex. VII. in forma Brevis publicatæ Romæ anno 1663. 13. Jul. in favorem & tutamen gratiæ ab intrinſeco efficacis, quas exhibet Reverendiſſ. & Ampliſſ. DD. Gregor. Plaichshirn Abbas Tegernſeenſis, in *Theſibus Theolog.* quibus Titulus, *Gratia S. Auguſt.* in fine.

220. Corollarium ſecundum. Primum auxilium gratiæ actualis, quod tribuit primum poſſe ad actus ſupernaturales, nec conſiſtit in ipſis actibus vitalibus intellectûs & voluntatis: quia potentiæ illæ naturales pro priori naturæ debent eſſe ſupernaturaliter elevatæ atque proportionatæ, antequàm actus illos vitales & ſupernaturales eliciant: Nec conſiſtit in actibus vitalibus prædictis, prout dependentibus præciſè à Decreto DEI, ex ratione primùm adducta: quia videlicet decretum extrinſecum potentias animæ nequit intrinſecè conſtituere in ratione principii ſeu potentiæ vitalis ad agendum ſupernaturaliter: cùm nec ipſas potentias naturales, ad proximè agendum intra ordinem naturalem, intrinſecè conſtituere, vel ſupplere valeat. Sed auxilium actuale primum & internum juxta Thomiſtas non ignobiles, præſertim Saliſburgenſes, conſiſtit probabiliùs in aliqua motione creata, viali, virtuoſa, & intermedia inter actum ſeu decretum DEI prædefinitivum, & inter operationes potentiarum animæ, hasque pro priori naturæ phyſicè elevat, & fluenter ad operationem certam determinat.

* * *

# Tractatus X.

## De
## Libero Arbitrio
## Et
## Actibus Humanis.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De fine Actûs Humani, id est Voluntarii & Liberi.

QUÆSTIO I.

*An omnes actus humani sint propter finem?*

QUÆSTIO II.

*An & quomodo quælibet actio humana sit propter finem ultimum: & quinam sit finis ultimus mortaliter peccantis?*

QUÆSTIO III.

*Quis sit finis ultimus justi venialiter peccantis?*

QUÆSTIO IV.

*Possitne homo simul plures fines ultimos habere?*

## DISSERTATIO II.

### De Voluntario.

QUÆSTIO V.

*Quid & quotuplex sit voluntarium?*

QUÆSTIO VI.

*Quomodo vis & metus tollant vel minuant voluntarium?*

QUÆSTIO VII.

*An metus reverentialis, quem solent habere liberi erga Parentes, uxor erga maritum, subditus erga Principem, vel alium Superiorem, habendus sit pro gravi seu cadente in virum constantem?*

QUÆSTIO VIII.

*Valeátne juramentum, quod ille præstitit, cui metus injustè fuit incussus?*

QUÆSTIO IX.

*An valeat votum simplex metu gravi & injustè extortum?*

QUÆSTIO X.

*An & quomodo concupiscentia augeat vel minuat voluntarium?*

QUÆSTIO XI.

*An & quomodo ignorantia minuat voluntarium, & causet involuntarium?*

DIS-

# DISSERTATIO III.

## De voluntario ùt libero: ſive de libertate actuum humanorum.

### QUÆSTIO XII.

*De exiſtentia liberi arbitrii.*

### QUÆSTIO XIII.

*Utrùm tam indifferentia contrarietatis, quàm contradictionis ſit eſſentiale requiſitum libertatis?*

### QUÆSTIO XIV.

*Utrùm ad actum humanum perfectè liberum ita ſit neceſſaria prædeterminatio phyſica, ut tamen ejus libertati nihil officiat?*

### QUÆSTIO XV.

*Poſsitne dari omiſſio voluntaria, & libera absque omni actu voluntatis?*

### QUÆSTIO XVI.

*Unde actus moralis ſpeciem bonitatis vel malitiæ accipiat?*

### QUÆSTIO XVII.

*Poſsitne dari actus humanus in individuo indifferens, qui nec ſit bonus, nec malus?*

## PROLOQUIUM.

CUm Sectarii etiam noſtri temporis tam circa Humanum arbitrium, quàm circa Divinum adjutorium, in avia & devia declinent, perutile fore cenſui, materiam præſentem ita Scholaſticè & fundamentaliter pertractare, ut tamen, ubi occaſio ſe obtulerit, errores Novatorum detegerem. Agam autem præliminariter de fine: deinde de Voluntario: demum de libero, non quòd iſta in Actu Humano ſimultaneè non concurrant, ſed quòd ordinis ac methodi ratio id exigat. Solent equidem Theologi huic Tractatui inſerere, aut in fronte ſtatim explicationem Beatitudinis finalis præmittere; mihi tamen videtur magis commodum, ſi Beatitudinis ſupernaturalis ſpeculatio à rebus moralibus ac practicis ſejungatur, & Tractatui de DEO (ubi de viſione beatifica, & objecto beatifico diſſeritur) connectatur; quamquam non ignorem, D. Thomam in Summa alium ordinem ſervâſſe. Spiritûs Sancti gratia illuminet ſenſus & corda noſtra.

# DISSERTATIO PRIMA.

## DE
## *Fine Actûs Humani, id est, voluntarii & liberi.*

UNam alterámve quæstionem, ab aliis morosiùs hic in limine tractari solitam, libenter pertranseo, atque ad utiliora festino, præmonendo, plenam istius Tractatûs notitiam ab aliis tractatibus, præsertim de Peccatis & Conscientia dependere.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *An omnes actus Humani sint propter finem?*

1. BOnum, in cujus virtute causa finalis suam motionem exercet, in eo consistit, quòd sit aliquid appetibile, Philosopho 1. *Eth.* dicente, bonum esse, quod omnia appetunt. Quidquid ergo est appetibile, vel appetitur, rationem boni habeat, oportet, vel scilicet realis boni, vel apparentis, seu apprehensi vel honesti, vel utilis, vel delectabilis. In DEO ratio boni finísque universalis ac infiniti residet, à quo participatur, quidquid in creatis rationem veram boni in se complectitur. Pro notione de diversa finis acceptione ac divisione

2. Supponitur primò, finem *cujus gratiâ*, seu *finem qui* esse ac dici, quod propter se appetitur, ac intenditur. Subjectum verò, in cujus utilitatem bonum appetitur, vel finis intenditur, dicitur *finis cui*. Ex qua duplici finis ratione finis totalis integratur. Nec enim *finis qui* movet seu finalizat nisi cum ordine ad aliquod subjectum, vel personam aliquam certam. Exemplum vulgare habes in medicina; hæc pro *fine qui* respicit sanitatem, utpote propter quam est instituta, intenditur, conquiritur, & applicatur: pro *fine cui* verò hominem vel in sanitate conservandum, vel sanitati restituendum. Aliqui actum illum, quo quis finem intentum consequitur vel apprehendit, appellant *finem quo*: quæ appellatio quadrat visioni beatorum: nam visio est ille actus, quo in linea assecutionis de DEO, fine supernaturali summóque bono, possessionem capiunt, seu ipsum primò assequuntur, & formaliter beatificantur, ùt docent Thomistæ. Divisio præexplicata non est generis in suas species, sed totius actualis in partes.

3. Quòd si petas divisionem finis tanquam alicujus potentialis seu generis in suas species, vel *analogi* in sua *analogata*, alius est *proximus*, in quem appetitus immediatè tendit: dici etiam solet finis *intrinsecus*, aut *finis operis*: ùt sanitas respectu medicinæ applicandæ: alius *remotus*, *extrinsecus*, vel ipsius *operantis*, ad quem nimirum actio aliqua ex operantis intentione, & sic per se, ab intrinseco, aut immediatè non ordinatur: ùt si quis per medicinam sanari cupiat, ut DEO meliùs servire queat. Finem intrinsecum seu proximum Theologi vocant objectum actûs. Finem remotum & extrinsecum simpliciter finem nominant. Finis *operantis* in morali actuum humanorum specificatione maximè attenditur. Finis ulteriùs dividitur in *ultimum*, & non ultimum. Ultimus *simpliciter* talis est, ad quem omnia ordinantur, ipse verò non refertur ad ulteriorem: *secundùm quid* talis, quando in certo genere tantùm omnia ad illum referuntur. Finis non ultimus est, qui quidem ratione sui appetitur, ulteriori tamen fini subordinatur. Neque perpetuum ac universale est, quòd finis ultimus sit semper finis remotus; quandoque enim idem objectum est simul finis proximus ac simul ultimus, uti contingit in actu charitatis, quæ ùt virtus Theologica tendit in DEUM quà summum bonum ùt finem proximum, & simul ùt finem ultimum, ùt est in se, & in quo ultimatò quiescit. Hinc divisio finis in ultimum & non ultimum non debet confundi cum divisione finis in proximum & remotum: nec finis remotus cum ultimo: non enim omnis remotus est id, in quo ultimato sistitur, sed multi fines remoti tanquam intermedii ad alium ultimum referuntur.

4. Supponitur secundò: Actus illos, qui homini & brutis communes sunt propter commune principium sentiendi, ùt sunt comedere, dormire, progredi &c. non dici *humanos*, sed actus hominis tantùm: illos verò, qui conveniunt homini per appropriationem & secundùm gradum specificum, prout nempe in eo datur principium ratiocinandi, ac deliberatè agendi, vocari *humanos*. Hujusmodi actus sunt iterum in duplici differentia: quidam enim sunt actus humani *quoad substantiam* duntaxat, uti ex. gr. videre, flere, admi-

admirari, motus primò primi, voluntatis omnem deliberationem prævenientes: nonnulli sunt actus humani & *quoad modum* tantùm, uti actus comedendi, bibendi, cum deliberatione rationis exerciti: alii sunt actus humani tam quoad *substantiam*, quàm *quoad modum*, quatenùs ab homine non solùm quoad gradum specificum procedunt, verùm etiam cum sufficienti cognitione finis & judicii indifferentiâ, ad exercitium libertatis seu dominium actûs requisitâ: cujusmodi sunt prænominati actus homini quà rationali convenientes, putà risus, fletus, cogitationes intellectûs, actúsque voluntatis, cum prævia seu formali, seu virtuali & interpretativa deliberatione eliciti, imperati vel continuati. Ad præsentis Tractatûs propositum non serviunt actus, qui sunt & dicuntur *hominis* præcisè; sed soli *humani*, sive sint humani quoad *modum* & *substantiam* simul, sive quoad *modum* duntaxat: major siquidem hîc habetur attentio ad modum operandi moralem, & ad rationem honestatis, vel inhonestatis, virtutis & vitii, meriti ac demeriti, laudis & vituperii quàm ad substantiam actûs, ejúsque naturam physicorealem. His suppositis sit nostra

5. Conclusio: Omnes actus humani à voluntate humana eliciti vel imperati sunt propriè propter finem. Conclusio loquitur de fine operantis, non de fine operis: item de actibus viæ, præscindendo ab actibus in Patria. S. Thom. 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. sed contra respondens: *Omnia, quæ sunt in aliquo genere, derivantur à principio illius generis, sed finis est principium in operabilibus. Ergo homini convenit, omnia agere propter finem,* quoties nempe agit deliberatè, & ùt creatura rationalis. Ulteriùs ex D. Thom. Conclus. sic firmatur: Actiones, quæ procedunt à potentia se ipsam movente, cujus objectum est bonum & finis, sunt propriè propter finem: nam actio causatur à sua potentia secundùm rationem sui objecti. Atqui omnes actiones humanæ procedunt à potentia, scil. à voluntate, vel elicitivè, vel imperativè prout se ipsam movente, cujus objectum est bonum & finis: Ergo omnes actiones quà humanæ sunt propriè propter finem. Sed in contrarium cum Vasquez

6. Argui potest primò. Transeat, quòd actus voluntatis versantes circa media, ùt *consensus*, *electio*, & *usus*, fiant propter finem, quia media eliguntur & applicantur propter consecutionem finis; aliud tamen statuendum videtur circa actus, quibus voluntas fertur directè in finem, quales sunt simplex volitio, amor, & intentio finis: nam id dicitur fieri propter finem, quod fit ex amore finis: atqui prædicti actus non fiunt, præsertim simplex volitio, ex amore finis: ergo non fiunt propter finem: min. prob. Si primus amor, seu prima volitio finis procedit ex amore finis, necessariò præsupponit alium amorem priorem, nempe à quo ordinatur in finem: atqui absurdum est dicere, primo amori vel volitioni tendenti in finem præsupponi alium priorem; quia hôc ipsô primus amor non esset primus. Ergo primus amor non sit vel non procedit ex amore finis. Confirm. *Esse propter* dicit quandam ordinationem: Et sic se habet finis *in appetibilibus, sicut se habet principium in intelligibilibus.* S. Th. 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 2. *in Corp.* Consequenter volitio comparata ad finem habet se sicut assensus comparatus ad principium: cùm igitur assensus in principium non feratur propter principium, sed potiùs propter principium feratur in objectum conclusionis, ideò nec volitio finis esse poterit propter finem, sed tantùm volitio mediorum erit propter finem.

7. Resp. secundùm Div. Thom. omnem actum humanum esse propter finem: ergo non minùs *intentio*, amor efficax, & simplex volitio (cùm & isti sub illo genere contineantur) fiunt propter finem, quàm alii, qui versantur circa media. Ad Prob. dist. Maj. id fieri dicitur propter finem, quod fit ex amore finis vel transitivè vel intransitivè, conc. Maj. quod solùm fit transitivè ex amore finis, sic neg. Maj. prædicti actus, præsertim, amor simplex finis &c. non fiunt ex amore finis sumpto transitivè, conc. min. non fiunt ex amore finis sumpto intransitivè, neg. min. & conseq. eadem distinctio servit ad satisfaciendum probationi subjunctæ: nam in illa tantùm hypothesi prima volitio deberet præsupponere alium amorem priorem, quando non per se ipsam & intransitivè ordinaretur in finem. Explicatur. Transitivè prima & simplex volitio ex. gr. fieret ex amore finis, si voluntas deberet transire ab aliquo actu amoris prævio & formali, à quo prima ac simplex volitio ordinaretur in finem: quia verò hoc nec est necesse, nec fortè possibile, hinc ille actus intransitivè, ac sine alio actu distincto voluntatis ab ipsa bonitate finis per actum intellectûs apprehensa, seipso immediatè trahitur & movetur in finem. Sic etiam existentia intransitivè se ipsam existentem facit; & actio causæ efficientis intransitivè & sine transitu ab alia actione, seipsam producere dicitur *ut quo*: quare non similiter actus volitionis, vel intentionis seipsum in finem ordinare possit? Et sicut intellectus principiis assentiri potest propter veritatem in ipsis cognitam, sive propter immediatam ac necessariam terminorum connexionem; ita sine omni inconvenientia potest voluntas velle aut amare finem propter ejus bonitatem priùs objectivè cognitam, & ut sic allicientem ad sui amorem. Per quod patet Responsio ad Confirmat. Vid. Gonet. Paul. à Concept. & Suar. *h. tr. disp.* 2. *sect.* 1.

8. Arguitur secundò. Actus delectationis & quietis, sive fruitio finis jam acquisiti & possessi est actus humanus, nec tamen fit propriè propter finem: Ergo Conclus. universaliter non subsistit. Prob. ant. Finis in genere suo exercet suam causalitatem, prout est in intentione: atqui respectu delectationis,

nis, quietis, & fruitionis, finis non est amplius in intentione, sed jam in executione, cùm sit jam actu possessus, nec jam habeat ampliùs rationem causæ, sed effectûs: Ergo isti actus propriè non sunt propter finem. Ita Magister Gonet *disp.* 1. *de ult. fin. art.* 3. *§.* 2. Resp. neg. antec. Ad cujus probat. transmiss. Maj. potest negari min. quod finis actu jam possessus nullo modo ampliùs sit in intentione: quid enim est finis in intentione, nisi bonitas aliqua ut in intellectu secundùm esse objectivum existens, & voluntatem alliciens? At, non obstante, quòd in executione jam sit possessus, adhuc manet illius bonitatis existentia objectiva, voluntatémque immutat, ac movet appetitum ad continuandam delectationem: Ergo &c. Insinuant hoc verba S. Doctoris in 1. 2. *qu.* 31. *art.* 1. *ad* 2. in hunc modum: Licèt in eo, qui jam consecutus est bonum, in quo delectatur, cesset motus executionis, quo tendit in finem; non tamen cessat *motus appetitivæ* partis, quæ sicut priùs desiderabat non habitum, ita posteà delectatur in habito. Licèt enim delectatio sit quies quædam appetitûs, considerată præsentiâ boni delectantis, quod appetitui satisfacit; tamen adhuc remanet immutatio appetitûs ab appetibili.

9. Arguitur tertiò: Actiones potentiarum externarum, v. g. locutio, comestio, ambulatio &c. tametsi sint actus humani, non censentur fieri propter finem: nam eatenus possent fieri propter finem propriè, quatenus subsunt imperio, motioni, & ordinationi voluntatis, & inde solent appellari actus imperati: atqui ex hoc capite non fiunt propriè propter finem: esto enim etiam actiones brutorum à DEO dirigantur in finem, ideò tamen non fiunt propriè propter finem: ergo similiter in actibus imperatis illa ordinatio voluntatis non sufficit, ut actus potentiarum exteriorum hominis propter finem fieri, atque adeò effectus causæ finalis esse censeantur.

10. Resp. Actus illos imperatos fieri propter finem propriè & denominativè: quia in illo supposito, scil. homine, cujus sunt actiones, datur revera principium liberum nempe voluntas, cujus ordinationi subordinantur; & hinc agens *ut quod*, quod est homo, potest prædictas actiones exercere vel ob hunc, vel alium finem, puta, vel propter aliquod bonum præcisè delectabile, vel propter honestum, aut utile: In brutis econtra nullum est principium liberum intrinsecum. Licèt ergò actiones eorum à DEO ùt Auctore naturæ in finem dirigantur, ex hoc tamen supposita brutorum animalium propriè & formaliter propter finem agere non censentur. Explicatur ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 2. *in C.* ubi considerandum relinquit, quòd aliquid sua actione vel motu tendat in finem dupliciter: uno modo, sicut seipsum ad finem movens, ùt homo: alio modo, sicut ab alio motum ad finem: sicut sagitta tendit ad determinatum finem, ex quo movetur à sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo, quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem: quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis & rationis. Illa verò, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem quasi ab alio mota; non autem à se ipsis; cùm non cognoscant rationem finis: & ideò nihil in finem ordinare possunt, sed solùm in finem ab alio ordinantur: nam tota irrationalis natura comparatur ad DEUM sicut instrumentum ad agens principale. Et ideò proprium est naturæ rationalis, ut tendat in *finem* quasi se agens, vel ducens ad finem: Natura verò irrationalis quasi ab alio acta vel ducta, tendit sive in finem apprehensum, ut bruta; sive in finem non apprehensum, sicut ea, quæ omnino cognitione carent. Hæc de natura & divisione finis.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## *An & quomodo quælibet Actio Humana sit propter finem ultimum: Et quinam sit finis ultimus mortaliter peccantis?*

11. PRænotandum: quòd ex doctrina cujusdam celeberrimi Doctoris homo possit aliquid velle propter Beatitudinem tum negativè, in quantum de ea non cogitat, nec vult vel intendit ipsam, quando aliquid agit: tum etiam contrariè, quatenus potest aliquid advertenter velle *positivè* contra Beatitudinem. Cajetanus, Serra, & alii docent, hominem, quoties deliberatè agit, agere propter ultimum finem saltem abstractivè, & in communi sumptum. Quadrupliciter autem potest tendi in finem: Primò *actualiter* seu *formaliter*, id est, si quis expresśè finem ultimum intendat. Secundò *habitualiter*, in quantum ex actu præterito non revocato remanet habitualis dispositio ad finem ultimum: sive, ut explicat Philip. à SS. Trinitat. hìc *disp.* 3. *dub.* 6. quando finis actu non influit in actum, sed tamen adest subjecto talis dispositio habitualis, ut ratione illius omnes affectus subjecti sint dominio illius finis: tali modo dicitur peccator habitualiter conversus in bonum creatum. Tertiò *virtualiter* aliquis dicitur tendere in finem ultimum ex eo, quòd actualis volitio relicta maneat in aliqua virtute, effectu, seu medio: v. gr. si Petrus (quod exemplum est de fine ultimo secundùm quid tali) intendens proficisci Augustam varia præparatoria faciat, vestes, pecunias, equos &c. comparet, virtus prioris intentionis ipsum ad hujusmodi media determinat, esto actu semper de termino illo non cogitet.

gitet. Gonet hic *disp.* 1. *art.* 7. Quartum modum assignans, scilicet tendendi in finem *interpretativè*, dum operamur circa aliquod objectum, quod ex sua natura, ac citra intentionem operantis, ordinatur ad finem: cujusmodi exemplum affert de eo, qui ex motivo supernaturali exercendi opus misericordiæ, alicui largitur eleemosynam: tunc enim, ait, licèt largitor eleemosynæ non cogitet de DEO vel Beatitudine, *interpretativè* propter DEUM, ac Beatitudinem operari censetur, eò quòd ipsum bonum supernaturale honestum, quod fuerat intentum, ex natura sua referatur in DEUM, & tanquam medium, quo in DEUM tendimus: huncque modum operandi propter finem à nonnullis vocari virtualem ex parte objecti sive operis, subdit; priorem verò appellari virtualem ex parte operantis. Eundem modum *interpretativè* agendi propter finem virtualem appellat Phil. à SS. Trin. *loc. cit.*

12. Conclusio prima: Quidquid homo vult humano more, vult saltem interpretativè, seu virtualiter propter finem ultimum formalem seu in communi sumptum. Prob. Finis ultimus formalis seu in communi sumptus est bonum, beatitudo seu felicitas *ut sic*, prout abstrahit à rebus & finibus in particulari, in quibus determinatè, scil. aut verè aut fictè ratio finis ultimi consistere, vel ab aliquo constitui, potest: Finis ultimus verò *materialis* est illa res, vel bonum, in quo in particulari ratio ultimi finis determinatè consistit aut verè, aut ab aliquò fictè constituitur. Jam verò, quoties homo vult humano more, toties (saltem interpretativè aut virtualiter) vult felicitatem, Beatitudinem, & bonum in communi: Ergo quidquid homo vult humano more, vult saltem interpretativè aut virtualiter propter finem ultimum formalem, seu in communi sumptum. Min. dilucidatur primò ex Aristot. *Eth.* 1. *cap.* 7. Seneca *de Vit. Beata.* Cicerone *lib.* 1. *&* 2. *de finibus*, qui asseverant, hominem, quidquid appetit, appetere propter felicitatem: & speciatim S. Severinus Boëtius ex Aniciorum Stemate SS. Patriarchæ nostro Benedicto sanguine junctus *lib.* 3. *de Consol. Philos. pros.* 2. omnis mortalium cura, inquit, *quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad eundem tamen beatitudinis finem nititur pervenire.* Secundò ex D. August. *Tract. de Epicureis & Stoicis cap.* 3. ubi dicit: *Qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret: Pone aliquem furem; quære ab illo, quare furtum facit?* Ut habeat, inquit, quod non habebam. *Quare vis habere, quod non habebas? Quia miserum est, non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere: sed in eo imprudens est & errat, quia de malo vult beatus fieri.* Tertiò ex D. Thom. hic *quæst.* 1. *art.* 7. insinuante, in appetitu ultimi finis omnes convenire quantum ad rationem ultimi finis; non verò quantùm *ad id, in quo ista ratio invenitur.* Et *quæst.* 9. *art.* 6. *ad* 3. ait, quòd *DEUS voluntatem moveat sicut Motor universalis ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & quòd sine hac universali motione homo non possit aliquid velle.* Quartò ratione. Tametsi homo non semper recogitet de ultimo fine, illumque expressè intendat, sed aliquod bonum particulare in re determinata v. gr. in consequendis divitiis, vel honoribus &c. eatenus tamen movetur ab ultimo fine universali virtualiter, quatenus illud bonum particulare est pars vel participatio summi boni & perfecti satiativi sumpti in communi. Ergo in isto sensu omnis actio humana seu deliberata virtualiter vel interpretativè tendit in finem ultimum in communi: omnis enim inchoatio ex sua natura ordinatur ad consummationem. Omnes, inquit Leonard. Less. *Tract. de Summo Bono*, *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. non solùm beatitudinem appetunt, sed etiam in omni re tam mala quàm bona appetunt. Omnes enim, cùm aliquid appetunt, particulam aliquam integri boni, quo appetitus satietur, appetunt, sibique appetendo & conquirendo sensim congeriem illorum bonorum struunt, qua imaginantur, se beatos fore. Cujus etiam signum est, quòd nemo in hac vita suas appetitiones sistat, sed semper ad alia & alia extendat, & obtenta augeri exoptet. Unde qui congessit divitias: quærit honores; quibus obtentis, quærit voluptates, & omnium molestiarum vacuitatem. Deinde in singulis eorum appetit crescere, & confirmari: hac enim bonorum congerie sibi beatus videtur.

13. Conclusio secunda: finis *cui* simpliciter ultimus peccatoris est ipse peccator: & finis *qui*, vel simpliciter ultimus sive *cujus gratiâ*, est peccatoris bonum seu commodum proprium. Unde si finis ultimus sumatur in concreto, ipse peccator ùt affectus vel afficiendus tali bono, est finis suarum actionum. Prob. prima Pars tum Auctoritate S. Augustini *lib.* 14. *de Civit. DEI cap.* 28. dicentis, *quòd sicut amor DEI usque ad contemptum sui ædificat Civitatem DEI; sic amor suî usque ad contemptum DEI ædificat civitatem Babylonis.* Eodem modo igitur peccator proportionaliter habet rationem finis ultimi respectu actionum suarum, quo modo DEUS habet rationem finis ultimi actualiter vel habitualiter quoad actiones Justi, scil. in gratia Divina constituti. Atqui DEUS quoad actiones Justi habet rationem finis *cui* ultimi vel actualiter formaliter, vel virtualiter, vel habitualiter, intenti (abstrahendo nunc à fine cujus gratiâ) illud namque subjectum habetur pro fine cui ultimo, cujus respectu aliquis ultimatò vult, quæcunque vult: Ergo & peccator, cùm, quæcunque vult, amat vel intendit, velit intuitu suiipsius, id est, in commodum proprium, & ut perfectivum suæ naturæ, rationem finis *cui* simpliciter ultimi habere censetur: tum Auctoritate Div. Thomæ 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. pronuntiantis, *quòd inordinatus amor suî sit causa omnis peccati;* Et 2. *d.* 24. *qu.* 2. *art.* 1. sic ait: *Finis ultimus*

*ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia quærit:* Et *qu.* 8. *de Mal. art.* 1. *ad* 19. dicit: *Amare est velle bonum alicui: in hoc ergo, quòd homo appetit sibi quæcunque bona, videtur amare seipsum; & ideo amor suiipsius non ponitur seorsum vel radix peccati, vel etiam vitium capitale: quia omnes radices & capita vitiorum includunt inordinatum sui amorem.* Aristoteles quoque 9. *Ethic. cap.* 8. *pravus*, inquit, *sui gratiâ cuncta agit, & tantò magis, quantò pravior est.*

14. Pars secunda adversatur Suario hic *disput.* 3. *num.* 11. & Vasquio *disp.* 5. *cap.* 1. aliisque, ipsum objectum illicitum particulare peccati lethalis pro fine ultimo cujus gratiâ & totali assignantibus. Prob. autem, cum simultanea refutatione istius Sententiæ, ex sequenti fundamento. Objecto illicito, quod appetit peccator actualiter vel habitualiter ex. gr. voluptati carnali, nequit competere ratio finis simpliciter *ultimi cujus gratia*, vel *finis qui* sumpti in particulari nisi peccator, quamdiu perseverat in statu peccati mortalis, & sine retractatione prioris voluntatis actualis, omnes actiones suas saltem *habitualiter* in illud objectum illicitum & particulare (idem est, si plura, vel omnia illicita, à peccatore inordinatè fuisse amata supponas) ultimatò sic referat, ut in tali objecto illicito finaliter quiescat, ipsumque non ulteriùs referatur. Atqui non omnes peccatoris actiones in prædictum objectum illicitum ultimatò referri, constat luculenter ex actionibus moraliter bonis, ex gr. ex largitione eleemosynæ, jejunio, auditione Sacri, aliisque honestis operibus, durante statu peccati mortalis exercitis: quis enim dicat, ejusmodi opera ultimatò intendi ac referri ad objectum illicitum peccati mortalis anteà actualiter perpetrati v. gr. intra speciem aliquam luxuriæ? Constat insuper, peccantem ex. gr. luxuriando ultimatò intendere inclinationi, quam habet ad commodum satiativum seu bonum proprium ceu ad perfectivum naturæ suæ, satisfacere, genioque suo liberè indulgere: ut adeò ipsa voluptas, & quæcunque in bono quocunque creato seu commutabili inordinatè intenta actio, vel habita delectatio in peccatoris bonum proprium tanquam in finem ultimum adæquatum (existimatum scil. & apprehensum duntaxat) ultimatò referatur: Ergo peccator non in objecto illicito, sed in bono proprio finem simpliciter ultimum *qui* seu *cujus gratiâ* constituit vel actualiter vel habitualiter.

15. Claudo & confirmo hæc verbis D. Thom. *quæst.* 8. *de mal. a.* 1. *ad* 1. sic loquentis: *Sicut in virtutibus consideratur duplex finis, scilicet finis ultimus & communis, qui est felicitas, & finis proprius, qui est bonum proprium uniuscujusque virtutis: ita etiam in vitiis accipi possunt fines proprii vitiorum, secundùm quod sumuntur vitia capitalia: potest etiam accipi finis communis & ultimus, qui est proprium bonum; ad hoc enim ordinantur omnes fines capitalium vitiorum.* Igitur ex mente S. Doctoris perspicuè relucet, objecta illicita, circa quæ appetitus inordinatus peccatoris occupatur, habere rationem finis proximi & rationem finis ultimi inadæquati, seu secundùm quid *cujus gratiâ* duntaxat, quemadmodum & objecta honesta virtutum, circa quæ occupatur appetitus rectus, habent rationem finis proximi & inadæquati; non tamen habere rationem *finis ultimi simpliciter;* sed virtutum finem simpliciter ultimum esse bonum Divinum, utpote in cujus universalem honestatem omnes honestates actionum singularium saltem habitualiter ultimatò referuntur, bonum verò proprium & creatum ex opposito esse finem ultimum omnium actionum inhonestarum particularium.

16. Conclusio tertia: Finis simpliciter ultimus, materialis adæquatus *cujus gratiâ* peccatoris videtur probabiliùs consistere in bono ejus proprio prout se extendente ad omnia bona tam honesta, quàm delectabilia, tam naturalia, quàm supernaturalia, connotando tamen privationem gratiæ & charitatis, sive privationem debitæ subordinationis ad finem ultimum supernaturalem: unde non consistit præcisè in bono creato inordinato. Ita Philip. à SS. Trinit. Salmanticens. Paul. *à Concept b. tract.* & Magist. Gonet *tract. de peccatis*, quos hic sequitur Exim. P. Alphons. Wenzl. contra Joan. à S. Thom. Gibbon, & alios, quibuscum Clariss. P. Paul. Mezger sentit, docentibus, bonum proprium finale peccatoris esse præcisè bonum creatum inordinatum.

17. Prob. Conclus. In eo consistit finis cujus gratiâ simpliciter ultimus, materialis, & adæquatus mortaliter peccantis, quod perficit naturam ejus cum adæquatione totius inclinationis naturalis, ita, ut tale bonum non ordinetur ulterius, ad ipsum tamen omnia ordinentur. Atqui tale perfectivum ejus non est solum bonum proprium inordinatum, sed bonum proprium in ea latitudine, prout se extendit ad omnia bona prædicta, id est, tam delectabilia quàm honesta, tam naturalia, quàm supernaturalia, imò etiam ad ipsum bonum Divinum, sub prædicta tamen privatione gratiæ & charitatis &c. Ergo vera est Conclusio. Maj. patet ex definitione finis ultimi. Min. prob. Peccator, stante suo peccato habituali, quod remanet ex actuali anteà commisso v. gr. in materia venerea, potest exercere varia opera naturaliter moraliter bona, ex. gr. justitiæ, temperantiæ, misericordiæ, religionis &c. imò dependenter ab auxiliis supernaturalibus, potest elicere actum supernaturalem spei, aut fidei &c. quin actus isti boni vel *actualiter*, vel *virtualiter*, vel *habitualiter* referantur in bonum suum proprium ùt inordinatum: nam si prædicti aliive similes honesti actus saltem habitualiter (quòd actualiter & virtualiter non referantur illuc, ipsi fatentur Adversarii) ordinarentur in bonum proprium quà inordinatum, bonum inordinatum

tum, quà tale habitualiter operantem moveret ad prænominatos actus bonos, ita quidem, ut, quamdiu durat status ille peccati habitualis, bonum inordinatum foret unicum ultimatum satiativum peccatoris: quod sanè eò minùs concedendum videtur, quò certius est apud Theologos, constitutum in statu peccati lethalis posse vel ex horrore quodam turpitudinis naturalis, aut ex timore *serviliter servili* ex. gr. pœnæ infernalis (quo tamen actu non justificaretur) respuere objectum peccati commissi v. gr. in re venerea, hócque modo mutare animum cum proposito tale objectum sive bonum inordinatum inordinato suo appetitu nullatenus posthac iterum prosequendi: quo semel supposito, non apparet ulla ratio, quòd ejusmodi peccator omnes & quoscunque actus etiam ex motivo & objecto moraliter bonos, in bonum proprium inordinatum habitualiter ordinet; quin imò, si bonum proprium ùt inordinatum præcisè *finaliter* & *radicaliter* in omnibus actibus peccatoris aliqualiter intenderetur, difficilè explicatu foret, quomodo non omnes actus ejus forent formaliter mali &c. ergò, cùm nihilominùs ordinentur in bonum proprium peccatoris tanquam finem simpliciter ultimum, bonum proprium prout abstrahit ab honesto & inordinato, seu bonum proprium ut sic, quod includit quodcunque bonum naturæ quodammodo perfectivum, ultimatò finalizat.

18. Urgetur hoc Argum. primò: Ultimus finis adæquatus ita, saltem *habitualiter*, respicitur ab operante, ut voluntas nolit unquam actu contrario se ab illo avertere: atqui à bono inordinato peccator toties se avertit, quoties illud expressè ex motivo honesto respuit. Ergo bonum inordinatum præcisè non est finis ultimus & adæquatus peccatoris.

19. Urgetur secundò: Bonum proprium in tanta latitudine habet rationem finis ultimi, quantæ amplitudinis est inclinatio peccatoris ùt radicata in ejus natura: atqui hæc inclinatio est tam ampla, ut feratur non solùm in bona delectabilia inhonesta, quæ ordinantur ad bonum proprium inordinatum peccatoris, & satiant partem sensitivam, verùm etiam in bona honesta, ordinis tam naturalis quàm Divini, quantum perficiunt appetitum rationalem, & ex se ordinantur in bonum rationis, sive in bonum conveniens homini quà rationali: Ergo bonum proprium secundùm latitudinem, comprehendentem aggregatum omnium bonorum, finis ultimi rationem habet respectu hominis existentis in statu mortalis peccati.

20. Urgetur tertio: Voluntas erga finem ultimum simpliciter talem ita disposita & comparata est, ut constanter velit relinquere, quidquid illi fini vel bono fruendo repugnat: Peccatoris voluntas non est sic comparata per ordinem ad bonum proprium inordinatum præcisè sumptum velut ex dictis patet: sæpe enim non vult omnes actus honestos circa bonum honestum relinquere. Ergo bonum proprium inordinatum præcisè non est finis ultimus peccatoris.

21. Urgetur quartò: Quando homo justus, id est, in statu gratiæ Divinæ constitutus, opus moraliter bonum exercet, illa bonitas refertur vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter in DEUM ùt *verùm* finem ultimum, quia durante statu gratiæ tota inclinatio hominis justi vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter radicatur in naturâ Divinâ per gratiam physicè & moraliter participatâ: Ergo ex opposito, quando homo peccator, durante statu peccati mortalis, privativè caret naturâ Divinâ per gratiam Divinam aliàs participabili, nullum bonum opus ejusdem ex propria directione ampliùs ordinatur in DEUM ùt Summum bonum & finem ultimum, sed in bonum proprium ipsius peccantis duntaxat, & in hoc bono proprio denique omnis actio moralis sistit: quia tunc tota inclinatio radicatur in propria natura peccantis ùt perfectibili tam secundùm partem sensitivam, quàm secundùm rationalem; atque adeò in bono proprio quiescit non præcisè ùt inordinato, sed etiam ùt includit delectabile, honestum, naturale, & supernaturale.

22. Oppones primò contra 1. Conclus. Si homo, quoties agit modo humano, agit propter finem ultimum *in communi* spectatum, nullus dabitur actus humanus otiosus: Prob. seq. quia sic omnis actus humanus ordinatur ad finem debitum, & honestum, nempe ad finem seu bonum in communi. Cùm ergo actus otiosus sit ille, qui caret ejusmodi relatione in finem debitum & honestum, nullus otiosus exerceri poterit. Resp. neg. seq. ad prob. dico cum Paul. à Concept. hìc *disp.* 1. *num.* 133. finem in communi præscindere ab honesto & inhonesto, atque adeò, cum se habeat indifferenter, ut modò applicetur ad finem particularem honestum, modò ad inhonestum, ex fine in communi non est desumenda aliqua *moralitas* actûs humani, sed ex fine proximo, seu objecto immediatè specificativo, quà nimirum vel honesto & licito, vel prohibito atque illicito. Theol. Salisb. hìc in fin. *disp.* 2. subdit, ex mente SS. Patrum piam utilitatem, vel justam necessitatem requiri, ne actus habeatur pro otioso; si proin ex defectu hujusmodi causæ ad nullum finem honestum seu convenientem proximum referatur, actus otiosus appellari consuevit, déque eo tanquam malo coram æterni Judicis tribunali reddenda est ratio, prout Christus dixit in Evangelio.

23. Oppon. secundò cont. reliquas Conclusiones. Si bonum particulare, sive ordinatum sive inordinatum quod operans ex parte finis seu objecti *proximi* amat vel intendit, ideò referatur in finem seu bonum formale *in communi* saltem virtualiter vel interpreta-

pretativè, quia hujus boni est quædam pars, participatio vel inchoatio, pariter dicere licebit, etiam bonum creatum à peccante inordinatè intentum seu amatum eodem modo referri in DEUM scil. ut imperfectum ad perfectum, & inchoatio ad consummationem: cùm similiter sit quædam participatio bonitatis Divinæ: cùm autem hoc posterius sit absurdissimum, nec illud prius placere poterit. Resp. Theol. Salisb. dando disparit. quòd bonum creatum quatenùs inordinatè amatum, substet malitiæ *morali*, ac proinde, cùm Divinæ bonitati potiùs opponatur, quàm quòd ab ea participetur, non sit aliquid ab operante referibile in bonitatem Divinam ceu in finem ultimum: econtra bonum creatum, ùt substat malitiæ *morali*, ideò servat suum ordinem ad bonum & beatitudinem *in communi:* quia non alia ratione à peccatore appetitur, nisi ut satiet & expleat appetitum, quæ appetitûs expletio est ipsa hominis beatitudo, & finis ultimus in communi. Sic Mezg. hìc *disp. 2. art. 4.* Fortassis hic Clariss. Auctor hoc intendit dicere, quòd bonum in communi sive finis ultimus formalis & in abstracto sumptus, includat æquè bonum apparens, falsum, & inordinatum, quàm verum & ordinatum: quia perinde est, num falsò & existimativè tantùm, an verè satiet: unde æquè aliqualiter intenditur in actione ordinata tanquam in ipsum referibili, quàm in actione mala: Econtra bonum Divinum est bonum determinatum, includens solummodo bonum verum & ab omni inordinatione distantissimum: ergo bonum creatum inordinatè volitum seu amatum, ut substat malitiæ morali & appetitui inordinato peccantis, in DEUM ab operante referri nequit.

24. Opponitur tertiò: Actus mali peccatoris, non minùs quàm boni, important entitatem physicam: similiter quodcunque bonum creatum, etiamsi substet malitiæ morali: Ergo tam actus malus, quàm bonum inordinatè amatum dependent à DEO ùt causâ primâ: atqui, quidquid in genere causæ efficientis dependet à DEO, in genere causæ finalis refertur in DEUM: Ergo tam actus malus, quàm objectum seu bonum creatum inordinatè volitum, concupitum, seu per fruitionem possessum, in DEUM ùt finem ultimum ordinantur. Ex quo denique inferetur, respectu actûs mali & objecti inordinati dari duos fines ultimos, unum, quem dicimus bonum proprium peccantis, alterum verò esse DEUM.

25. Resp. Paul. Compendiator Salmanticensium *disp.* 1. hìc *n.* 137. quòd ille sit tantùm finis ultimus alicujus, quem operans intendit ex directione propria. Jam autem actus boni & jam mali secundùm illam formalitatem, quæ à DEO causatur, scil. secundùm rationem entitativam & physicam, ex directione DEI ordinantur ad ipsum DEUM; ex directione tamen peccatoris ordinantur in ipsius peccatoris bonum proprium: in quo sanè nihil obstat, quin ejusdem actûs respectu DEUS sit finis ultimus ex sua directione & intentione Divina, & peccator simul ex sua directione & intensione humana. Eodem modo loquendum esse censet circa ipsam directionem propriam ipsius peccatoris, prout ea correspondet tum DEO ut causæ primæ tum peccatori se ad illam moventi.

26. Oppon. quartò: Peccans in illo objecto illicito, quod inordinatè appetit, rationem finis ultimi, quam quantum ad affectum à DEO tollit, moraliter & interpretativè constituit, non minùs, ac ille, qui committens peccatum idololatriæ aliquod idolum v. g. statuam Jovis adorat, illuc tanquam in DEUM suum & finem ultimum se & omnia sua ordinat. Ergo peccatoris finis ultimus consistit in ipsis objectis cujuscunque peccati lethalis. Horum confirmatio trahitur ex D. Th. *qu.* 28. *a.* 2. *de verit.* ita docente: *Quicunque in re temporali finem sibi constituit* (quod facit omnis mortaliter peccans) *ex hoc ipso quantum ad affectum suum præponit Creaturam Creatori, diligens plus creaturam quàm Creatorem: finis enim est, quod maximè diligitur.* Et hoc sæpe exprimitur in scriptura: dicitur enim *Deut.* 32. *Dereliquit DEUM factorem suum, & recessit à DEO salutari suo.*

27. Resp. neg. ant. vel dist. gratis Ant. Peccator in illo objecto illicito, quod inordinatè appetit, interpretativè constituit, rationem finis ultimi rationem scil. finis ultimi materialis; inadæquati & secundùm quid, quin ultimatò in illo sistat, conc. ant. rationem finis ultimi formalis adæquati ac simpliciter talis, & ut ultimatò ibi sistat, sic neg. antec. & conseq. sub ead. distinctione. Ad id, quod fuit intertextum de adoratione idoli, resp. quòd etiam cultus latriæ, seu Divinus, quem idololatra v. gr. Jovi exhibet, ultimatò propter bonum proprium ipsius idololatriæ intendatur, in quantum vel aliquod bonum obtinere sperat, si idolum colat, vel aliquid amittere timet, si idolum spernat; vel demum in quantum, postpositô & derelictô verô DEO, ex suo arbitrio vivere, geniòque proprio liberiùs vel lasciviùs indulgere desiderat. Igitur omnia hujusmodi objecta particularia vitiorum, quæ quis inordinatè appetit, in bono proprio tanquam in fine ultimo adæquato ultimatò sistuntur, & coadunantur. Et hoc modo intelligendus venit textus è D. Thoma relatus.

28. Oppon. quintò: Illud est ultimus finis simpliciter peccatoris, quod est radix & *initium omnis peccati:* Ita namque expressè concludit D. Thomas in 1. 2. *qu.* 84. *a.* 2. hisce verbis: *Quoniam inordinatè se homo ad temporalia convertens, semper singularem quandam perfectionem & excellentiam tanquam finem* (qui licèt ultimus in executione, primus tamen

tamen est in intentione) *desiderat*, *rectè ex hac parte superbia*, *quæ inordinatus est propriæ excellentiæ appetitus*, *initium omnis peccati ponitur.* Atqui superbia nequit dici initium & radix omnis peccati, nisi bonum inordinatum peccatoris proprium pro ultimo fine admittatur. Ergo finis ultimus peccatoris consistit præcisè in bono proprio inordinato. Prob. min. Velle bonum, quod præscindit ab inordinato ut sic non sapit superbiam, consequenter non est initium peccati: Atqui, stando, sententiæ nostræ contrariæ, peccator sibi vellet bonum præscindens ab inordinato. Ergo velle bonum proprium in nostra sententia non sapit superbiam; consequenter superbia, juxta nos, non esset radix & initium omnis peccati. Resp. Neg. min. Cujus probationem nonnemo sic distinguit: Velle bonum præscindens ab ordinato, non est initium & causa propria peccati, conc. maj. non est initium & causa remota, neg. maj. & eodem modo distinctâ min. neg. conf. addendo, amorem inordinatum sui ipsius & boni inordinati, scil. particularis objecti illiciti, provenire ex eo, quòd peccator se & proprium bonum simpliciter amet. Resp. secundò: aliter dist. prob. velle bonum, quod præscindit ab inordinato, non sapit aliquam superbiam vel initium peccati, quando non supponit privationem subordinationis in finem ultimum supernaturalem quà debitum, & habitualem aversionem ab illo ex transgressione prævia relictam, & adhuc habitualiter voluntariam, conc. maj. si hoc totum præsupponatur, non sapit aliquam superbiam, vel initium peccati, sic neg. maj. & sic dist. min. neg. conf. quia bonum proprium ita finalizat, ut prædictam privationem subordinationis debitæ in finem ultimum supernaturalem & aversionem ab illo adhuc habitualiter voluntariam supponat: & hoc pacto peccator propriam excellentiam satiativum, & perfectivum naturæ suæ adhuc in omnibus actibus habitualiter saltem bono Divino & increato quodammodo secundùm affectum suum anteponere, & sic ultimum finem in bono proprio adæquatè sumpto constituere censetur.

29. Oppon. Sextò: Sæpe peccator amat amore *amicitiæ* hominem sibi familiarem: atqui amor amicitiæ non tendit in bonum proprium amantis, sed in bonum amici amati; sicuti econtra amor *concupiscentiæ* non tendit in bonum amati, sed in bonum proprium amantis. Ergo peccator per amorem amicitiæ, quo prosequitur hominem sibi familiarem, non tendit in bonum proprium: Ergo peccator non est *finis* cui omnium actionum suarum; nec bonum ejus proprium est *finis cujus gratia.* Resp. Quòd loquendo de amicitia politica, & quæ non fundatur in charitate vera, & amore DEI, amicus alium suum amicum ultimatò diligat propter seipsum: ideò enim amicus alium politicè diligit, quia est aliquid ipsius diligentis juxta illud: *amicus est alter ego:* Aristot. & D. Th. *9. Eth. c. 5.* Unde amicus amatus censetur esse *finis cui proximus* duntaxat, sicut & bonum amicitiæ erga ipsum exercitæ habet rationem finis *cujus gratia* proximi: mediatè verò amicus amans habet rationem *finis cui* ultimi, uti & bonum ejus proprium rationem *finis cujus gratia* ultimi: Igitur *amicabilia ad alios ex his*, *quæ sunt ad seipsum*, *profecta esse videntur*, ùt dicit Arist. *cit. loc. cap.* 4. loquendo verò de amicitia charitatis erga DEUM, ea, ùt ex supra dictis colligi potest, fundatur in natura Divina per Divinam gratiam participatâ; adeóque talis amor amicitiæ non reflectitur ultimatò in propriam naturam amantis, sed in DEUM & bonum Divinum tanquam finem *cui* & *cujus gratia* ultimatò ordinatur. Paulus à Concept. hic *dub. 6. disp. 1. à num. 116.* ex quo pro solvendis pluribus objectionibus

30. Subnotatur primò: quòd actus virtuosi, quos exercet peccator, ita procedant proximè ex motivo & amore ipsarum virtutum, ut tamen radicaliter procedant ex amore ipsius operantis, quin exinde sequatur, actus illos esse peccaminosos: ad hoc namque, ut amor proprius sit malus, pravus seu inordinatus, debet objecto amato esse adjuncta circumstantia prava: de se quippe philautia, id est, amor sui proprius, est indifferens ad bonum & malum; fit ergo sollummodò malus, quatenus aliunde habet adjunctum quid vitiosum v. gr. superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. si enim philautia, seu proprius amor esset ùt sic pravus, Angeli in primo instanti suæ creationis, in quo quilibet seipsum intensissimè amavit, actu peccâssent.

31. Subnotatur secundò: quòd actus spei Theologicæ informis, seu non formatæ per charitatem, quem elicit peccator, pro *fine cui* ideo possit respicere ipsum sperantem, quia non est perfecta charitas: nam perfecta non quærit, quæ sua sunt, sed quæ DEI sunt; & ideo talis actus spei procedit ex amore concupiscentiæ: nam ille, qui sperat, *aliquid sibi obtinere intendit;* & licèt spes, & omnis motus appetitivus ex amore *aliquo proveniat*, *quo scil. aliquis amat bonum exspectatum: tamen non omnis spes provenit à charitate, sed solùm motus spei formatæ, qua scil. aliquis sperat bonum à DEO ùt amico*, ùt loquitur Divus Thomas in *2. 2. qu. 17. a. 8. in C. & ad 2.* cum quod adhuc stat, quòd spes sit virtus Theologica; quia sufficit, objectum *quo* & *quod* esse DEUM immediatè. Nil ergo impedit, quò minùs ipse peccator sperans sit *finis cui* respectu actûs spei informis. Ulteriùs de actibus spei & fidei Theologicæ ùt elicitis à peccatore.

32. Subnotatur tertio: quòd in tantum *virtualiter* dicantur ordinari in ejus bonum proprium ùt in finem ultimum particularem, in quantum à nobis illud bonum proprium peccatoris assignatur ùt præscindens à bono creato & increato, & bonum proprium peccatoris ordinatur tanquam *pars;* licèt de cætero

tero bonum increatum nequeat ordinari ad creatum tanquam *ad finem cujus gratia.* Præterea actus boni utique ex natura sua & ratione sui non ordinantur ultimatò in proprium bonum peccatoris, sed velut per accidens, quatenus in subjecto operante præexistentem privationem gratiæ, charitatis, ac debitæ subordinationis in DEUM ceu finem ultimum connotant; alii verò actus mali, prædictam privationem quantum est ex parte ipsorum, de novo inducunt.

# QUÆSTIO TERTIA.

## *Quis sit finis ultimus justi venialiter peccantis?*

33. CONveniunt omnes, quòd peccatum veniale sit offensa DEI secundùm quid tantùm, compatibilis cum gratia sanctificante & charitate in homine justo, licèt fervorem charitatis quodammodo diminuat; adeóque in justo non tollit ordinem habitualem suorum actuum humanorum, quo minùs saltem habitu in DEUM, ùt hic est in semetipso, referantur, tanquam in finem simpliciter ultimum. Videndum modò, quis sit finis ultimus ipsius peccati venialis, an nimirum ipsum objectum illicitum seu inordinatum: an bonum proprium inordinatum peccantis: an verò ipse DEUS?

34. Conclusio prima: Objectum inordinatum peccati venialis, dum homo justus venialiter peccat, non est finis ultimus nequidem *negativè.* Ita expressè D. Thom. 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. ubi inquit: *Ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ùt fruens, quia non constituit in eo finem, sed ùt utens.* Et *quæst. seq.* 89. *art.* 1. subdit, *quòd in peccato mortali anima per animam contingat rem temporalem quasi finem; & per hoc totaliter impediatur influxus splendoris gratiæ, qui provenit in eos, qui DEO adhærent ùt ultimo fini per charitatem,* sed *in peccato veniali peccantem non adhærere bono creaturæ tanquam fini ultimo.* Hinc sequitur

35. Conclusio secunda: Nec bonum proprium peccantis venialiter est ipsius finis ultimus *simpliciter*: sed solus DEUS, ùt est in seipso, est finis ultimus ejusdem simpliciter tam *positivè* quàm *negativè.* S. Doct. in textu primùm citato, ubi negat, quòd peccans venialiter bono creaturæ adhæreat tanquam fini ultimo: atqui sub nomine creaturæ generaliter accepto venit etiam bonum proprium creaturæ. Ergo &c. Ratio utriusque Conclusionis est, quòd finis ultimus simpliciter nec positivè, nec negativè in eo possit consistere, in quo appetitus ultimatò non firmatur seu satiatur: consistat econtra in eo, in quo appetitus ultimatò firmatur, & satiatur: atqui appetitus peccantis venialiter in bono proprio suo ultimatò non firmatur nec satiatur, sed in solo DEO, utpote in quem justus, ratione Divinæ gratiæ eum DEO subjicientis, se & omnia sua ordinat saltem *habitualiter*, uti ex dictis in priori *quæst.* constat. Ergo vera est Conclusio secundùm utramque partem. Quod totum roboratur denuo auctoritate Div. Thomæ ex *quæst.* 7. *de Mal. art.* 1. ubi sic argumentatur: *Omne peccatum consistit in aliquo inordinato amore creaturæ: sed quicunque amat, aut amat ùt utens, aut ùt fruens: Qui autem amat creaturam ùt utens, non peccat; quia refert eam ad finem beatitudinis, quod est uti,* ut B. August. dicit in 1. *de doct. Christ. Si autem amat creaturam ùt fruens eâ, peccat mortaliter; quia constituit finem ultimum in creatura: Ergo amans creaturam vel non peccat, vel peccat mortaliter.* Ad hoc Argum. sibi objectum Resp. S. D. *ad* 4. *quòd ille, qui peccat venialiter, non fruatur creatura, sed utatur eâ. Refert enim eam habitu in DEUM, licèt non actu. Nec in hoc contra præceptum facit: quia non tenetur semper actu referre in DEUM.* Vid. etiam *art.* 11. *loc. cit.*

36. Conclusio tertia: Peccatum veniale *actualiter* non refertur in DEUM tanquam ad finem: sed *habitualiter* duntaxat. Secunda pars constat ex dictis: Primæ partis, Paulo à Concept. teste hic *dub.* 7. assertio pugnat contra Joan. à S. Thom. Serram, & quosdam alios. Ratio est, quòd peccati venialis relatio actualis in DEUM exerceretur per imperium charitatis actuale: sed hoc dici nequit; alioqui in peccato veniali contineretur aliqua bonitas moralis actu referibilis in DEUM, tanquam Summum & Eminentissimum bonum: item DEUS in genere causæ efficientis præmoveret & concurreret non minùs ad *formale* peccati venialis, quàm ad ejus *materiale;* neque enim in genere causæ finalis, seu finis ultimi habet latiorem, & actualiorem influxum in actus creaturarum, quàm in genere causæ efficientis, & in esse primi ac universalissimi principii: demum in ordinationem illam actualem peccati venialis DEUS ùt finis ultimus refunderet actualem quandam honestatem moralem pertinentem ad virtutem Charitatis Theologicæ; consequenter & ratio meriti peccato veniali tribueretur: quæ omnia quàm sint absurda, quis non advertat? Ergo &c.

37. Conclusio quarta: Peccatum veniale *actualiter*, scil. aut *formaliter*, aut *virtualiter* refertur in bonum proprium ipsius peccantis ceu in finem ultimum actualem *negativè*, & secundùm quid talem. Ratio est, quòd quilibet actus humanus seu deliberatus debeat actualiter terminari ad aliquem finem, ultra quem non transeat actualiter: neque enim in finibus datur processus in infinitum: at non est assignabilis alius finis in præsenti, quàm bonum proprium peccantis venialiter: Itaque hoc bonum proprium est

est peccati venialis finis ultimus actualis saltem *negativè*. Dixi notanter, negativè, & *secundùm quid*: propterea, quia si bonum proprium posset dici finis positivè ac simpliciter ultimus, non restaret modus, quo peccatum veniale in finem aliquem ultimum superiorem referretur: atqui ultra prædictum modum relationis actualis, restat modus referendi illud *habitualiter* in DEUM, propter gratiam & charitatem habitualem, quam peccatum veniale non destruit in homine justo venialiter peccante: Ergo &c.

38. Sed contra I. Conclus. instabis primò. Peccans venialiter non amat objectum inordinatum *propter DEUM*: ergo illud objectum amat propter ejus bonitatem creatam. Ergo in objecto illicito amato consistit finis ultimus. Resp. conc. antec. dist. conf. Ergo illud objectum amat propter ejus bonitatem creatam, adinstar finis *proximi*, conc. conseq. adinstar finis *ultimi*, neg. conseq. Contra

39. Instabis secundò cum Suar. hic *disp.* 3. *sect.* 4. Vasqu. & aliis Recentioribus, peccans venialiter fruitur illa re creata, circa quam peccat: atqui fruitio, cùm dicat quietem, versatur circa finem ultimum, saltem *negativè* talem: Ergo res creata, circa quam peccatur *venialiter*, est finis ultimus saltem negativè. Maj. probari solet ex D. August. qui *lib.* 83. *quæst.* 30. dicit, omnem humanam perversitatem in eo consistere, quòd homo velit uti fruendis, atque utendis frui: uti fruendis, nempe DEO, & frui utendis, nempe creaturis: atqui nec peccatum veniale immune est ab omni perversitate: Ergo homo peccans venialiter vult uti fruendis, DEO nempe, & utendo frui nempe aliqua re creata, quam inordinatè appetit. Resp. neg. Maj. Ad tex. D. August. responderi solet, eum non loqui de quacunque perversitate, malum culpæ levis quoque includente, sed de illa, quæ est mortaliter gravis, ac per destructionem gratiæ pervertit ordinem debitum ad DEUM, ut verum nostrum finem ultimum, dum scil. peccantes mortaliter media assumunt ùt finem, delectando inordinatè in rebus creatis, & finem ùt media, Divina scil. & supernaturalia quoque ordinando ad fruitionem creaturarum, boníque proprii satiativum adæquatum. Adde ex D. Thom. *quæst.* 7. *de mal. a.* 1. *ad* 3. dicente, quòd finis habeat rationem termini: non autem id, quod est ad finem, scil. media: Veniale autem non convertitur ad bonum commutabile (id est, ad temporale, seu creatum) *ùt ad finem*; & ideò non convertitur ad bonum commutabile, ut ad alium terminum à DEO, ut propter hoc sit necessarium, peccantem à DEO averti. Et statim ibi ad quartum subdit, quòd ille, qui peccat venialiter, non *fruatur creaturâ, sed utatur eâ. Refert enim eam habitu in DEUM*, licèt non actu &c. Contra reliquas Conclusiones

40. Instabis tertiò. Si peccans venialiter solùm utatur creaturis, & non fruatur, tunc ex hypothesi peccaret; & simul non peccaret: prob. hoc memb. quia uti creaturis nihil continet deordinationis: nec usus ille aliqua lege vetatur, sed potiùs permittitur juxta illud Psalmi: Omnia *subjecisti sub pedibus ejus &c.* Igitur peccans venialiter, rebus creatis non præcisè utitur, sed fruitur: fruendo autem finem in illis constituit. Ergo &c. Resp. usum accipi vel pro licito & bono; vel pro inordinato, & illicito: peccans venialiter, cùm quodammodo rebus creatis abutatur, utitur illis usu inordinato quadantenus, ac illicito. Primo modo, quo usus strictè sumitur, peccans venialiter non utitur creaturis, sed secundo modo, sumendo usum pro abusu. Unde, ùt notat Philipp. à SS. Trinit. hic *disp.* 3. *dub.* 5. quando D. August. dicit, quòd omnis, qui amat aliquid, aut amet utens, aut fruens, ibi usum & fruitionem largè accipiat: usum pro omni amore relato vel directè vel indirectè; fruitionem pro amore non relato. Contra

41. Instab. quarto: D. August. in *lib. de Vit. Christiana cap.* 3. dicit: *Si eis, quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur;* Itaque duplicem fruitionem distinguit, unam, qua retardamur solùm à bonis Divinis, quibus nos frui oportet; & hæc fruitio concernit peccatum veniale; aliam, qua à Summo bono, seu rebus Divinis, omnino deflectimus; & ista fruitio rerum temporalium reperitur in mortaliter peccante: Ergo, cùm omnis fruitio sit respectu finis ultimi, in peccato veniali quoque justus peccans creaturam pro fine saltem negativè ultimo habet. Resp. laudatus Philippus, S. Augustinum *loc. cit.* distinguere equidem duplicem fruitionem largè sumptam; sed loqui de peccato mortali quoad utramque, eo tamen discrimine, quòd *electi*, ad gloriam, etiamsi peccent aliquando mortaliter, & sic peccando à fine suo ultimo avertantur, æquè *ac reprobi*, à summo bono non in perpetuum deflectantur, sed hactenus duntaxat ab eo retardentur, donec per veram pœnitentiam ad gratiam sanctificantem, priùs amissam, restituantur; econtra autem *reprobi*, quia in finali impœnitentia decedunt, à summo bono in æternum maneant aversi.

42. Instabis quintò: Vel peccans (ex.gr. per leve mendacium) venialiter, amat objectum peccati venialis propter DEUM; vel propter se ipsum? Si propter DEUM amet illud, dicetur peccare propter DEUM: quid absurdius! Si propter se ipsum: ergo peccator ipse habet rationem finis ultimi, saltem negativè, id est, quatenus peccatum veniale in ulteriorem finem non ampliùs ordinaretur. Resp. S. Th. 2. 2. *q.* 24. *a.* 10. *ad* 1. *id, quod amatur in peccato veniali, propter DEUM amari habitu.* Nec vera est hæc argumentatio: Peccans venialiter objectum amat propter DEUM: ergo amando objectum pec-

cat *propter DEUM:* Nam antec. admiſſo de amore habituali, negatur conſequentia: quia, ùt loquitur ſupra *cit.* Philippus, nullo modo concedendum eſt, quòd juſtus venialiter peccans peccet propter *DEUM etiam habitualiter:* verificaretur enim, quòd DEUS in genere cauſæ finalis moraliter influeret in actum ſeu affectum peccaminoſum; quod repugnat: ſi verò ſolùm dicamus, quòd peccator objectum inordinatum amet propter DEUM *habitualiter*, hoc denique volumus, quòd actus venialiter peccaminoſi, eorumque objecta, circa quæ verſantur, non quidem *directè*, *immediate*, vel *poſitivè*, ſed *indirectè*, *mediatè*, ac velut *negativè* tantùm propter DEUM amentur, ſicque habitualiter in DEUM referantur ex eo, quia ſubordinantur ac ſubjiciuntur poteſtati charitatis habitualis, operantem habitualiter in DEUM ordinantis; ita quidem, ut charitas ejuſmodi peccata venialia poſſet impedire, ne fierent, & defactò impediret, ſi fini charitatis adverſarentur, & ſubjectionem ordinemque operantis ad DEUM tollerent: quia gratia, & charitas habitualis ſubjectum operans ita diſponit, afficitque, ut ſubjectum illud etiam ab omni veniali abſtineret, ſi vel per unum illorum ordo, quo ſaltem habitualiter in finem ultimum Divinum refertur ſeu inclinatur, deſtruendus foret: quod patet ex evitatione peccati mortalis, utpote à quo ideo abſtinet, quia prædictum ordinem tollit.

43. Eapropter potes etiam cum Philippo à SS. Trin. aſſerere, quòd peccata venialia cadant *permiſſivè* ſub dominium charitatis, quatenus unientis juſtum cum DEO ultimo fine *habitualiter* ſaltem; hincque *indirectè* & *mediatè* in DEUM ordinentur: *indirectè* quidem, quia ex propria ratione, & *poſitivè* in DEUM non ſunt referibilia, ſed tantùm ùt permiſſivè ſubdita charitati, quæ *directè* & *immediatè* DEUM attingit: *mediatè* verò & ſecundariò, quia non immediatè & primariò appetuntur propter DEUM, ſed tantùm appetuntur immediatè & primariò (actualiter ſcil.) propter bonum proprium ipſius operantis; quod quia per charitatem eſt habitualiter debitè ordinatum ad DEUM finem ultimum, inde eſt, quòd & actus venialiter defectuoſi mediatè quoque ad DEUM ordinentur ùt ad ultimum finem, qui immediatè ordinantur ad bonum proprium operantis, ſic debitè ordinatum per charitatem ad DEUM finem ultimum: cùm enim bonum Divinum ſit ſupremi ordinis, tota perfectio boni proprii, quod eſt ordinis naturalis ac inferioris, eminentiſſimo modo continetur in illo ſupremo: conſequenter bonum Divinum eminentiori quoque modo ſatiat appetitum, quàm bonum proprium Juſti venialiter peccantis.

## QUÆSTIO QUARTA.

### *Poſsitne homo ſimul plures fines ultimos habere?*

44. PRæſuppoſitâ ex anterioribus ultimi finis diviſione, hîc ſpecialiter in memoriam revoco, quòd, ſecundùm colligenda ex dictis, finis ultimus ſumptus in communi pro *formali*, & in *abſtracto*, ſit unicus tantùm; adeoque extra dubium verſatur, plures fines ultimos ſub hac ratione à voluntate ſimul intendi non poſſe: quæſtio ergo procedit de finibus ultimis pluribus ſumptis in *concreto*, in particulari, ſeu prout contractis ad certas res vel ſubjecta, quemadmodum ſub hac poſteriori conſideratione finem ultimum ſubintelleximus, quando de fine ultimo peccantis mortaliter, & juſti peccantis ſolùm venialiter, diſſeruimus. Cumque finis ultimus in particulari, loquendo de vero, ſive in quo ſecundùm rei veritatem ratio finis ultimi ſimpliciter & adæquatè, & cum perfecto ſatiativo reperitur, ſit ſolus DEUS, uti fides docet; hîc loci ſimiliter non controvertitur de appetitu ſimultaneo multiplicis finis ultimi veri: ſed vel de uno Vero & altero ficto ſeu apparente; vel de duobus fictis duntaxat & apparentibus in particulari, ùt ſi Petrum ſimul & ſemel tanquam fines ſimpliciter ultimos appetere ſupponas DEUM, ſimul & mammonam, hoc eſt divitias: aut divitias, ſimul & voluptates carnales: quæritur itaque an hoc ſit poſſibile?

45. Concluſio: nequit idem homo formaliter ſimul appetere duos fines ultimos ſimpliciter, ſeu totales, & adæquatos. Pr. Ratione communi, ſed fundamentali, quàm affert Sanct. D. hîc *q.* 1. *art.* 5. Illud (inquit) in quo quieſcit aliquis ſicut in ultimo fine, hominis affectui dominatur: quia ex eo totius vitæ ſuæ regulas accipit: unde de guloſis dicitur *Phil.* 3. *Quorum DEUS venter eſt: quia ſcil. conſtituunt ultimum finem in delitiis ventris:* ſed ſicut dicitur *Math.* 7. *nemo poteſt duobus dominis ſervire, ad ſe invicem ſcil. non ordinatis: ergo impoſſibile eſt, eſſe plures fines ultimos unius hominis ad invicem non ordinatos.* Dilucidatur per æquivalentes & coincidentes rationes. Finis ultimus *ſimpliciter* talis, dum voluntati per intellectum formaliter proponitur, debet proponi ùt bonum perfectum, plenum, & completum appetitûs ſatiativum, in quo nimirum contineatur tota ratio appetibilitatis: ſi ergo ex. gr. divitiæ alicui jam fuerint propoſitæ ùt tale bonum, nequit ex altera parte proponi aliud conſimile bonum cum eadem completa perfectione, v. gr. honores temporales. Conſ. prob. quia ſequeretur, quòd primus ultimus finis A. proponeretur ùt perfectus, completus, & adæquatus, ex hypotheſi: & ſimul non ſic proponeretur; quod prob. nam ſi ex altera parte finis B. alterum bonum, ex. gr. honores,

res: cum eâdem perfectionis plenitudine proponeretur tanquam aliquid diversum à bono divitiarum, jam proponeretur simul, aliquid deesse fini A. scil. bonum illud diversum, quod inest fini B. Vicissim finis B. esset perfectus, adæquatus, & totalis, & simul non esset: quia in eo deficeret tota bonitas, quæ inest fini A. Ergo manifesta reluceret contradictio in hujusmodi finium propositione. Si itaque duplex finis totalis *simpliciter* ultimus voluntati proponi nequeat, implicat contradictionem, ut duo simul formaliter ab ea appetantur. Confir. primò: Ad finem ultimum totalem referri debet, quidquid est in genere appetibilium: sed hoc ipso, quòd proponerentur duo totales inter se diversi, & cum mutua exclusione unius ab alio, ad neutrum referretur, quidquid est in genere appetibilium? Ergo neuter esset totalis. Confir. secundò: homo nequit esse habitualiter conversus ad duos fines ultimos totales: Ergo nec actualiter. Ant prob. ex natura finis simpliciter ultimi, qui exigit omnia ita sibi subordinari, ut ipse nulli alteri possit subordinari; ac voluntas maneat sic disposita, animusque præparatus habitualiter, ut omnes affectus, actiones, vel omissiones in talem finem *habitualiter* ultimum sit relatura. Conseq. tenet à paritate rationis: Sicut enim de ratione finis ultimi habitualis est, ut habitu, pondere, promptitudine, & inclinatione voluntatis sic dispositæ omnia in illum finem referantur, & subordinentur; ita ad rationem finis simpliciter ultimi actualis pertinet, ut omnes affectus, actiones, & omissiones, eidem actualiter subordinentur. Conclusioni nostræ fortassis

46. Obstat primò: quòd secundùm D. Augustinum *lib.* 19. *de Civit. DEI; quidam ultimum finem hominis posuerint in quatuor: nempe in voluptate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute: Hæc autem sint plura:* Ergo plures fines ultimi saltem negativè tales possunt simul esse respectu ejusdem. Secundò: Voluntas per hoc, quòd nunc constituat finem ultimum in aliqua re determinata, v. gr. in divitiis, non amittit suam facultatem liberam: Ergo quia anteà potuit finem ultimum constituere v. gr. in voluptate, aut in alia re, poterit & modò, dum finem ultimum in divitiis actu constituit, alterum finem ultimum in voluptate simul constituere. Tertiò: Qui per amorem omnia refert in DEUM unum, habet unum finem ultimum: Ergo qui cum Ethnicis & paganis amat & colit plures Deos, constituit sibi plures fines ultimos. Quartò: D. Thom. hîc *qu.* 12. *art.* 3. in C. dicit expresse, quòd homo possit simul plura intendere non solùm, quando plura sunt ad se invicem ordinata, sed etiam quando aliqua non sunt ad se invicem ordinata; idque patere ex hoc, ait, quòd homo unum alteri præeligat: quia melius est altero &c. Ergo secundùm D. Thom. nulla est repugnantia, quo minùs plures fines ultimi simul intendi possint. Quintò: Juxta Aristot. in *lib. Ethic.* de ratione cujuscunque virtutis moralis est, quòd tendat in bonum propriæ honestatis sine ulteriori subordinatione ad alium finem: cùm ergo simul possint actus plurium virtutum exerceri, simul poterunt intendi fines ultimi plures.

47. Resp. ad primum ex S. Th. hîc *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 1. quòd omnia illa plura bona in ratione unius boni perfecti, ex ipsis constituti, rationem finis ultimi habuerint. Ad secundum resp. idem S. D. non esse in potestate nostræ voluntatis, ut faciat opposita esse simul; quod contingeret, si tenderet in plura disparata, sicut in ultimos fines. Ad tertium resp. Theol. Salisburg. quòd Ethnici in cultu falsorum Deorum, à quibus diversa bona particularia sperabant, aut petebant, denique suam commoditatem propriam pro ultimo fine habuerint; aut certè omnes Deos simul pro uno fine. Ad quartum Resp. ex illo textu non evinci, dari posse plures fines ultimos simul respectu ejusdem hominis: nam S. D. *loc. cit.* non loquitur de fine ultimo; sed quæstio, quam ibi versat, est hæc, *utrùm aliquis possit simul duo intendere;* quod dum admittit, tantummodo concursum plurium finium proximorum, & intermediorum concedit. Et dato, quòd concedat pluralitatem finium, qui inter se non sint connexi; supponit nihilominus, quòd subordinentur uni tertio, qui sit ultimus. Ad quintum: Eadem redit solutio: licèt enim plures honestates morales per unum vel plures actus possint intendi; attamen ultimatò semper respicitur unus finis saltem *habitualiter* ultimus, scil. ab homine justo DEUS, propter principium gratiæ & charitatis; in alio verò Ethnico, aut Christiano peccatore, propria felicitas, seu bonum proprium. Aliæ objectiones, quæ formari possunt circa peccantes mortaliter, vel venialiter, ex præcedentibus quæstionibus solutiones competentes recipiunt.

Duo hîc occasionaliter adhuc quæri possunt: Primum. An dentur fines intermedii, qui verè exerceant causalitatem finis? Secundum. Utrùm objectum formaliter & adæquatè specificativum voluntatis sit sola bonitas finis; Et qua ratione etiam media ad objectum voluntatis pertineant?

48. Ad primum. Resp. affirmativè. Ad hoc capiendum adverte primò. Id generatim dici intermedium, quod se tenet inter duo extrema: loquendo autem speciatim de fine intermedio, dicitur ille, qui habet respectum ad aliquid ulterius, scilicet ad finem ulteriorem vel omninò ultimum; ac etiam respectum ad aliquid anterius, nimirum ad medium: adeoque respectu finis ulterioris nequit importare rationem finis, sed *medii* potiùs; unde solummodò respectu sui medii anterioris rationem finis sortiri potest. Adverte secundò. Quædam intermedia ita esse comparata, ut per se primò sufficientem honestatem, & delectabilitatem contineant, ob

ob quam inprimis ſunt propter ſe appetibilia; deinde etiam utilia ſunt ad alium finem ulteriorem; exempla obvia ſunt in virtutibus moralibus, quarum ſingulæ ob propriam honeſtatem appetibiles ſunt, & tamen una utiliter ordinatur ad alteram, ut v. gr. humilitas ad pœnitentiam, hæc ad bonum religionis &c. Alia ſaltem in hominum æſtimatione intermedia omni carent bonitate abſoluta, verè *propter ſe* appetibili, ſolaque reſpectivâ utilitate gaudent, quatenus conducere poſſunt ad conſecutionem alterius boni ſeu finis appetibilis, aut ſaltem nullam propriam honeſtatem vel delectabilitatem exprimunt: qualia ſunt e. g. confectio potiunculæ medicinalis, extenuatio humorum, vel purgatio: iſta enim, abſtrahendo ab omni propria honeſtate vel delectabilitate, fieri ſolent, quatenus præcisè aſſumuntur tanquam media conducentia pro ſanitate conſervanda vel reparanda.

49. De intermediis primi generis, quòd reverà exerceant aliquam finis cauſalitatem, conſtat vel ex eo, quòd coincidant cum finibus proximis ſeu immediatis, de quibus hactenus nobis frequens mentio erat, quando de fine ultimo locuti ſumus. Hujusmodi fines intermedios, proximos, ſeu non ultimos, poſt Ariſtotelem 1. *Eth. c.* 7. tanquam genuinos fuiſſe agnitos à D. Thoma, liquet ex variis ejusdem teſtimoniis. E pluribus ſufficiat unum adduxiſſe ex 1. 2. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 3. ubi, idem actus, ait, *ſecundùm quod ſemel egreditur ab agente, non ordinatur; niſi ad unum finem proximum, à quo habet ſpeciem; ſed poteſt ordinari ad poſſibiles fines remotos, quorum unus ſit finis alterius.* Et *q.* 12. *a.* 2. ſic habet: *eſt enim intentio non ſolùm finis ultimi, ſed etiam finis medii.*

50. De intermediis ſecundi generis quidam acriter decertant, quòd non habeant rationem finis, finis nomine ſtrictè ſumpto. Affirmantes afferunt text. Ariſtot. in 5. *Metaph. cap.* 2. & D. Thomæ interpretationem in his verbis comprehenſam: *non ſolùm autem ultimum, propter quod efficiens operatur, dicitur finis præcedentium; ſed etiam omnia intermedia, quæ ſunt inter primum agens, & ultimum finem, dicuntur finis reſpectu præcedentium. Sicut intra medicinam, quæ eſt primum agens in hoc ordine, & ſanitatem, quæ eſt ultimus finis* (nimirum ſecundùm quid, ac in certo genere) *ſunt iſta media, ſcil. attenuatio, quæ eſt propinquiſſima ſanitati in his, quæ ſuperabundant in humoribus, & purgatio, per quam acquiritur attenuatio, & pharmatia, ſive medicina laxativa, & inſtrumenta, quibus pharmaca præparantur. Hujusmodi etiam omnia ſunt propter finem, & tamen unus eorum eſt finis alterius: nam attenuatio eſt purgationis, & purgatio pharmatiæ.* Hæc, S. D. Vix ergo aliquid intermedium aſſignare eſt, ad quod non alia res vel actio ordinetur: ſi ergo omne id habeat rationem finis, cujus gratiâ aliquid fit, omnia intermedia quandam finis rationem participant. Sic ex. gr. ad confectionem potiunculæ medicinalis fit collectio herbarum, & tanquam medium ad finem intermedium ordinatur, & ſic de aliis. Satis de his: ex quibus ſoluta manet & illa quæſtio, utrùm media habeant ſibi bonitatem intrinſecam & propriam. Habent namque bonitatem intrinſecam ſaltem reſpectivam, prout continent aliquam proportionem, & utilitatem ſpecialem ad finem.

51. Ad ſecundùm Reſp. Theol. Salisb. quòd objectum voluntatis formaliter & adæquatè ſpecificativum ſit ſola bonitas finis: media verò ùt talia ſint objectum materiale per ſe. Nam id ſolùm cenſetur eſſe objectum formale adæquatè ſpecificativum voluntatis, quod hæc immediatè, & per ſe primariò attingit: attingit autem dicto modo ſolam bonitatem finis, media verò ſecundariò & cum reſpectu ad finem: Ergo ſola bonitas finis eſt objectum adæquatè & formaliter ſpecificativum voluntatis; media igitur ſunt objectum *materiale*, non per accidens, ſed per ſe tale: quia attinguntur ſecundùm rationem propriam bonitatis intrinſecæ, proportionatæ, ſeu reſpectivæ. Plura circa hæc & ſimilia, quæ nos ſtrictim tranſimus, ſuppeditabunt alii paſſim, ùt Theol. Salisb. Gonett &c.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *De Voluntario.*

Divus Thom. poſtquàm in 1. 2. usque ad *q.* 5. incluſivè finem & beatitudinem, ad quam actibus noſtris humanis nos tendere oportet, explicuit, rationem genericam actûs humani, ſcilicèt voluntarium, in *quæſt.* 6. *art.* 1. examinare pergit: in ſubjectis verò articulis agit de modis, quibus voluntarium diminuitur, ac de violento. Sunt, qui quibusdam quæſtionibus ad Animaſticam potiùs, quàm ad Theologiam pertinentibus immorantur: nos utiliora, & quæ ad moralitatem actuum humanorum ſpectant, colligemus. Sequitur definitio & & diviſio voluntarii.

QUÆ-

# QUÆSTIO QUINTA.

## *Quid & quotuplex sit voluntarium?*

52. Conclusio prima: Illud est voluntarium, quod fit vel dependet à principio intrinseco cum cognitione finis. Sic communis. Violentum econtra, ex quo causatur involuntarium, definitur esse id, quod provenit à principio extrinseco, nullam vim conferente passo, sed resistente. Utraque definitio traditur quoad rem ipsam ab Aristotele 3. *Ethic. c.* 1. Pro istorum declaratione adverte primò, voluntario ac spontaneo contradictoriè opponi non voluntarium ac non spontaneum; involuntarium verò ac invitum voluntario opponi contrariè. Adde, quòd omne involuntarium sit non voluntarium; at vice versa, non omne non voluntarium est involuntarium: siquidem ex contradictorio non infertur contrarium, benè tamen ex contrario potest inferri contradictorium: nam rectè dices: *Hoc est nigrum*, ergo *hoc est non album*: malè autem: *hoc est non album*; *ergo est nigrum*. Ut actus aliquis tibi sit strictè involuntarius, & invitus agere dicaris, requiritur, ut vis quædam tibi inferatur, cui voluntas resistat: ut verò actus sit non voluntarius, sufficere potest etiam sola ignorantia. Ex. gr. indubitanter id, quod sclopo trajecisti, pro fera habebas: sed erat homo: homicidium, quod præter voluntatem & intentionem tuam acciderat, fuit tibi non voluntarium magis, quàm involuntarium. Adverte secundò, necessarium & violentum seu coactum sæpe quidem usurpari promiscuè, revera tamen differre. Nam *necessarium* dicitur per oppositionem ad contingentiam, indifferentiam, & libertatem: proinde illius agentis operatio est necessaria, quod agit cum determinatione ad unum, & absque facultate ad oppositum, neque requiritur, ut talis operatio procedat à principio extrinseco; veluti hoc constat in brutis, quorum operationes sunt necessariæ, ac cum determinatione ad unum, & tamen eorum principium est agentibus quid intrinsecum: unde licèt violentum quoque illud subjectum, cujus membris vis infertur, seu, quod coactionem patitur, ad unum necessitet, veluti si alicui genua coram Idolo violenter curventur, in eo tamen singulare discrimen notatur, quòd vis, violentia, seu coactio semper proveniat à principio extrinseco, renitente passo. Adverte tertiò, voluntarium contra distingui à *naturali*: esto enim etiam actus naturales (ùt sunt nutritio, & omnes motus animæ vegetativæ, imò & ipsi primi actus intellectûs omne voluntatis imperium prævenientes, item motus gravium & levium &c.) à principio intrinseco procedant, hæc tamen processio non est conjuncta cum cognitione finis vel perfecta vel imperfecta, cum tamen ad actum voluntarium essentialiter requiratur, ut sit motus aliquis procedens non solùm à principio intrinseco in genere causæ efficientis, verùm etiam ut à causa finali quodammodo moveatur.

53. Conclusio secunda. Voluntarium variè dividitur tum propter diversum modum cognoscendi ex parte intellectûs, tum ob diversum modum procedendi ex parte voluntatis. Propter diversum modum cognoscendi voluntarium dividitur primò in *perfectum*, & in *imperfectum*: perfectum denominatur ex perfecta cognitione finis, ac proportionis eorum, quæ ordinantur ad finem, scil. mediorum: imperfectum ex imperfecta cognitione finis, quando solùm res, quæ est finis, cognoscitur, non item ratio finis, ac proportio eorum, quæ ad finem ordinantur: voluntarium prius in solas creaturas, quæ sunt rationis compotes, cadit; pòsterius etiam in bruta. S. D. hìc *q.* 6. *art.* 2. Et Arist. 3. *Eth. cap.* 1. ubi ait: *voluntario quidem & pueri & omnia animalia communicant; electione autem non.* Secundò. Dividitur in voluntarium *liberum*, & *necessarium*: illud substat judicio indifferenti; hoc determinationi ad unum. Tametsi autem illud voluntarium necessarium, quod sejunctum est à perfecta cognitione finis sit minùs perfectum, quàm voluntarium liberum; nihilominùs voluntarium necessarium aliud, quod in perfectione cognitionis èminet, & quale Thomistæ defendunt in amore beatifico conjunctо cum clara visione DEI, voluntario quà libero quoad perfectionem non cedit: tantùm enim abest, ut amor, in via liber, sit perfectior amore in patria necessario, ut potiùs amor patriæ tam ratione perfectioris cognitionis, qua Beatus adæquationem summi boni intuitivè videt, quàm ratione vehementioris inclinationis, qua voluntas ejus tanquam principium intrinsecum in bonum illud Divinum movetur, amori in via præcellere videatur. Tertiò. Ex parte modi procedendi ipsius voluntatis, voluntarium dividitur in *directum*, & in *indirectum*. *Directum* dicitur, quando voluntas aliquid vult directè, positivo scilicet influxu, ùt si quis ex proposito alterum occidat: *indirectum* dupliciter accidere potest: primo modo pro voluntario in causa, si quis actionem ponat, ex qua prævidet alium effectum subsecuturum esse: v. gr. Petrus ab experientia edoctus, se blasphemare solere in ebrietate, studiosè se inebriat, posteà blasphemat: secundo modo, quando quis id, quod potest ac tenetur impedire, non impedit: nam tunc effectus eidem imputatur *moraliter* tanquam *indirectè* ac interpretativè volitus: ut si navarchus in periculo naufragii in dirigenda navi debitam operam non impendat, & naufragium sequatur. Unde talis contra justitiam peccat, esto naufragium dire-

*directè*, & per influxum positivum non intendat, non causet. Ex quo colliges divisionem voluntarii in *physicum* & *morale*; illud sic dicitur, quia physicè à voluntate; istud, quia solùm morali æstimatione ac imputativè à voluntate nostra procedit. Item quartò. Voluntarium dividitur in *expressum* & *tacitum* sive *præsumptum*. *Expressum* consistit in verbis aut aliis signis idoneis: *Tacitum* conjicitur ac præsumitur ex aliquo facto, vel non facto. Sic ex tacito voluntario non minùs atque ex indirecto Superiores subditorum peccata approbare censentur, si ea, dum possunt, non corrigant. Jura quoque persæpe tacitum voluntarium consensúmve præsumunt. Exemplum cape ex *l. filiu.familias* 16. *ff. de SCto Macedon.* ubi pater, ratione taciti & à jure præsumpti consensûs debitum, à suo filiofamiliàs absente contractum, solvere tenetur, quando epistolâ desuper certior factus contractum mutui protestando non statim improbat. Quintò. Præter voluntarium *formale* seu *expressum*, dicitur aliud *virtuale*, quod nempe, postquàm actus formalis transiit, in aliqua virtute, medio, effectu, seu actione permanet, uti in Sacramentorum administratione talem virtualem intentionem pro sufficienti habemus: aliud dicitur *habituale*, scil. illud, quod antea erat in actu, modò autem, quia non fuit retractatum, in habituali inclinatione persistere censetur: hoc in passiva Sacramentorum receptione sufficere potest. Sic valet Baptismus dormienti collatus, qui ante somnum baptizari voluit, & voluntatem non retractavit. Contra definitionem voluntarii

54. Argui potest primò: quòd etiam intellectio, omnem motum voluntatis præcedens, à principio intrinseco procedat cum cognitione finis. Sed talis intellectio non est voluntaria: Ergo quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis, non est eo ipso aliquid voluntarium. Secundò: quòd amor, quo Angelus seipsum & DEUM diligit, procedat à principio intrinseco voluntatis Angelicæ, cum cognitione, quin sit voluntarius, cùm sit naturalis. Tertiò: actus charitatis est voluntarius: atqui hic actus procedit à principio extrinseco, scil. ab habitu charitatis extrinsecè communicato: Ergo aliquod voluntarium est à principio extrinseco.

55. Resp. ad primum: loquendo de actu cognitionis præveniente omne voluntatis imperium, talem nullo modo participare rationem voluntarii: nec ad rationem voluntarii sufficit, quòd à principio intrinseco, scil. intellectivo procedat, & quòd finem cognoscat: sed ad actum voluntarium necesse est, ut à cognitione tanquam à causa dependeat, adeóque ut ex cognitione, quæ procedere debet, procedat. Ad secundum dico, amorem illum in Angelo esse naturalem, prout hoc contradistinguitur à libero & supernaturali, non tamen, quasi opponatur voluntario; cùm inclinatio voluntatis Angelicæ ex prævia apprehensione bonitatis objectivæ sequatur. Ad tertium Resp. pro verificanda ratione voluntarii sufficere, quòd actus charitatis Theologicæ saltem remotè à voluntate, & adhuc remotiùs ab anima procedat, nihil obstante, quòd ab habitu charitatis infusæ tanquam virtute proxima & totali producatur.

56. Quæres: utrùm divisio voluntarii in *liberum* & *necessarium* sit generis in suas *species*, vel tantùm subjecti in sua accidentia? Resp. esse divisionem subjecti in sua accidentia. Ratio est, quòd actus amoris in via cum actu amoris in patria specie conveniat, etiam in esse *voluntarii*: nam conveniunt specie essentiali; cur non similiter in esse voluntarii, cùm ratio voluntarii actui voluntatis, qui ex sua essentia à principio extrinseco procedere petit, sit omnino essentialis. Confir. Illi actus, qui sub eadem ratione formali ac motiva in idem objectum tendunt, non differunt specie: sed amor in via, regulatus per cognitionem fidei obscuram, & amor in patria regulatus per lumen gloriæ & visionem claram summi boni, vel DEI, ùt est summum bonum in se, tendunt in DEUM ùt objectum suum sub eadem ratione formali &c. Ergo loquendo de voluntario cum perfecta cognitione, ùt est in Beatis, divisio hìc est subjecti in sua accidentia.

## QUÆSTIO SEXTA.

### *Quomodo vis & metus tollant vel minuant Voluntarium?*

57. CONclusio prima. Vis seu violentia simpliciter talis in eo, cui infertur, tollit voluntarium simpliciter. S. Th. hic *q.* 6. *art.* 5. Et ratio ejus est, quòd violentia directè opponatur voluntario sicuti etiam directè opponitur naturali: utrique enim commune est, quòd sit à principio intrinseco, cùm econtra violentum procedat à principio extrinseco: quemadmodum igitur violentia in rebus cognitione destitutus facit aliquid contra earum naturam, ita in creaturis cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem, adeóque causat involuntarium simpliciter.

58. Conclusio secunda: Voluntati tantùm quoad actus imperatos potest violentia inferri: secus quoad actus purè elicitos. S. D. *loc. cit. art.* 4. & alibi, uti videre est textus plures apud Gonet. Prob. utraque pars ibid. à S. D. in *Corp.* præsupponendo, duplicem esse voluntatis actum: unus est immediatè ab ipsa elicitus, *scil. ipsum velle*: alius est à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ùt ambulare

&

& loqui, qui à voluntate imperantur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus à voluntate imperatos, voluntas violentiam pati potest, quatenùs per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium voluntatis exsequantur: sed quantùm ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest ei violentia inferri: & hujus est ratio: quia actus voluntatis nihil est aliud, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente: sicut appetitus naturalis est quædam inclinatio ab interiori principio, sed sine cognitione: quod autem est coactum vel violentum, est ab exteriori principio: unde contra rationem ipsius actûs voluntatis est, quòd sit coactus vel violentus, sicut etiam est contra rationem naturalis inclinationis vel motûs lapidis, quod feratur sursum: *potest enim lapis per violentiam ferri sursum: sed quòd iste motus violentus sit, ex ejus inclinatione esse non potest, similiter etiam potest homo per violentiam trahi: sed hoc, quod fit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ.*

59. Dices primò contra primam conclus. si violentia tollat voluntarium simpliciter, ex. gr. puella, cujus pudicitiæ vis infertur, non peccabit, sive aggressori resistat, sive non, dummodò sit invita: omne enim peccatum debet esse voluntarium: atqui omnes DD. conveniunt in hoc, quòd puella, si non resistat exteriùs, tunc peccet. Ergo violentia simpliciter talis non tollit omne voluntarium. Resp. Neg. Maj. nam si puella omnino non resistat, vel remissiùs, quàm potest ac debet, inprimis ejusmodi violentia nequit dici simpliciter talis: deinde, ad peccatum sufficit voluntarium morale, indirectum, & interpretativum, licèt absit voluntarium formale, directum, vel physicum: actus autem stupri puellæ illati, & non resistenti, cùm tunc non faciat quantum potest ac debet, imputatur quasi indirectè & interpretativè volitus seu tacitè approbatus. Ergo licèt puella eo casu sit aliquo modo invita, tamen peccat, & actus ille poterit dici involuntarius secundùm quid, sed voluntarius simpliciter. Gonet hic *disp.* 1. *art.* 4. Similiter violentum, quod in primordio erat simpliciter tale, transibit iuterpretativè in voluntarium, si puella, durante actu, vires impendere desinat, quibus impensis actum cœptum abbreviare potuisset. Sed quid si renitendo flagitium intentatum nec impediri nec abbreviari possit, possit tamen clamando? Distinguere solent: clamare tenebitur, si sibi ex clamore nullum aliud damnum aut periculum grave v. gr. honoris, vitæ &c. immineat: si verò tale quid immineat; tunc refert, an probabiliter timeat, se denique in actum turpem consensuram fore, vel nullum ejusmodi consentiendi periculum timeat: casu posteriori, imminente sibi gravi damno, non tenetur clamare; quia præceptum de custodienda integritate est affirmativum, & idcirco obligat quidem semper, sed non ad semper: & universim præcepta affirmativa, seu alicujus actionis præceptiva, ordinariò non obligant cum periculo famæ vel vitæ, nec omnem possibilem diligentiam vel resistentiam requirunt. Casu priori tenetur, etiam cum vitæ aut famæ suæ dispendio per clamorem se defendere: quia *præceptum negativum* de non consentiendo in actum turpem obligat semper & ad semper: & hinc, ùt Gonet vult, si aliqua clamando non possit resistere, possit verò resistere tentando aggressorem occidere, etiam occisionem tentare tenetur, quod ultimum mihi videtur non satis credibile. Subdit deinde citatus Auctor, quòd secundùm Curiel prædicto textui semper consulendum sit, ut ad præcavendum peccatum, in casu simili semper totis viribus, omnibúsque modis resistant, quia, practicè rem considerando, raro abest periculum non consentiendi in ejusmodi delectationes.

60. Dices secundò: Contra secundam conclus. Actus imperati à voluntate æquè procedunt ùt voluntarii, uti sic procedunt actus eliciti: sed in actibus elicitis nequit concurrere violentia simpliciter talis, alioquin voluntarium & violentum non opponerentur: Ergo tam parum actibus imperatis potest inferri violentia, quàm parum actibus elicitis. Resp. Dist. Maj. Actus imperati à voluntate procedunt æquè ùt voluntarii, actus defactò & actu *imperati*, scil. sine injecto potentiis impedimento conc. Maj. sed de his nostra conclusio non loquitur: actus qui per se solùm possent ac deberent esse imperati à voluntate, defactò autem per vim illatam in membris seu potentiis exterioribus contra imperium & motionem voluntatis impediuntur, isti procedunt æquè ùt voluntarii ac actus eliciti sic neg. Maj. Et ad min. conc. Actus defactò à voluntate imperatos procedere ùt voluntarios; nego autem hoc procedere de actibus imperatis, qui vel fiunt contra voluntatis imperium & motionem per vim extrinsecam membris & potentiis exterioribus injectam, vel, ne fiant secundùm voluntatis imperium, impediuntur.

61. Dices tertiò cum Valentia & Vasq. hoc tract. DEUS saltem voluntati quoad actus elicitos violentiam inferre potest, sicuti & aliis creaturis universim. Ergo voluntas absolutè potest pati violentiam. Adhuc conclusio secunda adæquatè non subsistit. Ant. generaliter videtur tradi à D. Th. præcipuè in *qu.* 6. *de Potentia a.* 1. *ad* 1. & *de Verit. qu.* 13. *art.* 1. speciatim in primo loco S. D. indistinctè docet, quòd DEI potentia, cùm sit superior naturâ quàvis, non limitetur secundùm potentiam naturæ, & sic nihil prohibeat ipsum, quin aliquid contra cursum naturæ operetur: Ergo & contra naturam nostræ voluntatis operari valet: ergo & violentiam inferre. Resp. Neg.

Neg. ant. & ad Prob. neg. ejúsque suppositum, quòd DEUS operando contra cursum naturæ creaturis violentiam inferat: esto enim eo casu creaturæ inferatur aliqua violentia secundùm quid, & spectata ejus inclinatione in bonum particulare, non tamen aliqua infertur simpliciter spectata inclinatione cujuslibet creaturæ, quam habet ad bonum universale, & ad obediendum DEO Conditori suo. Propterea dicitur Sap. 16. *Ignis ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est; creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversùs injustos; & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Et Divus Augustinus *lib. 26. cont. Faust. cap. 3. DEUS*, inquit, *Creator & Conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit:* id enim erit unicuique *naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis numerus & ordo naturæ* &c. Quocum consonat apertè ipse D. Th. proximè locis supra citatis: ait enim in *cit. qu. 6. de Pot. art. 1. ad 1.* (ut satisfaciat Glossæ, quæ in *epist. ad Rom. c. 11.* dicit, quòd DEUS omnium naturarum Conditor nihil contra naturam faciat) quòd DEUS contra naturam particularem aliqua faciat, non tamen *contra naturam universalissimam, quæ consideratur ex ordine DEI ad omnes creaturas.* In *1. p. q. 105. art. 6. ad 1.* nos instruit, dupliciter contingere, *quòd DEUS in rebus naturalibus præter naturam inditam agat: uno modo per actionem agentis, qui inclinationem naturalem non dedit; sicut cùm homo movet corpus grave sursum, quod non habet ab eo, ut moveatur deorsum; & hoc est contra naturam. Alio modo per actionem illius agentis, à quo dependet actio naturalis: & hoc non est contra naturam, ùt patet in influxu & refluxu maris, qui non est contra naturam, quamvis sit præter motum naturalem aquæ, quæ movetur deorsum: est enim ex impressione Cœlestis corporis, à quo dependet naturalis inclinatio inferiorum corporum. Cùm igitur naturæ ordo sit à DEO rebus inditus, si quid præter hunc ordinem faciat, non est contra naturam.* Confer etiam, quæ scribit *3. contra Gent. c. 100.* Si proinde DEUS, propriè loquendo, nulli prorsus creaturæ ullam possit inferre violentiam, hoc maximè concedendum est, quantum ad voluntates: cùm nemo invitus possit velle aliquid, quia non potest nolens velle, ùt loquitur D. Ansel. *1. de lib. arb. c. 6.* Neque tunc voluntati DEUS inferret violentiam, si Beato ad amorem concursum suum denegaret: quia voluntas ùt causa inferior non inclinat in suos actus, nisi cum subordinatione ad voluntatem causæ superioris tanquam liberi & volitivi primi atque universalissimi.

62. Conclusio tertia. Quando objectum secundùm se est malum, solumque ad evitandum majus malum eligitur, actiones illæ, quæ fiunt ex metu etiam gravi, seu cadente in virum aliàs cordatum & constantem, sunt voluntariæ *simpliciter*, & involuntariæ *secundùm quid:* unde in hoc sensu sunt actiones mixtæ ex voluntario & involuntario. Ubi prælibandum est, metum à Div. Tho. in *1. 2. q. 41. art. 1.* describi, quòd sit passio animi, qua refugimus malum *futurum*, cui resisti non potest. Per ly *futurum* discernitur metus à tristitia, quæ animum turbat propter malum præsens. Aliter metum definit JCtus in *l. 1. ff. de eo quod met. caus.* videlicet, quòd sit instantis periculi vel futuri causâ mentis trepidatio. Accipitur autem hoc loco metus non pro eo, qui ad actionem vel passionem seu tolerantiam aliquam se solùm habet concomitanter & per accidens, quo casu aliquis dicitur agere non ex metu, sed cum metu, uti e. g. quando vir perfectus observat legem DEI, quem timet offendere, ita tamen, ut magis & principaliter ad legis observantiam ex amore DEI, quàm ex timore impellatur: sed intelligitur hic metus concurrens causaliter, ut nisi malum grave metueretur, aliquis hoc aut illud non ageret, vel non pateretur. Actionis ex metu gestæ exemplum vulgare est in jactu mercium propter periculum imminentis naufragii; sed quia hoc exemplum parum servit ad propositum nostrum, cùm iste metus naufragii ab aliqua causa inanimata necessaria, nempe à tempestate & sic haud injustè, sed naturaliter incutiatur, alia exempla, in quibus à causis liberis putà, ab hominibus v. gr. ad ineunda pacta, contractus & varia negotia metus injustè incutitur, meliùs ad propositum deserviunt; vel si ex. gr. latroni nos invadenti, & spolianti, ex metu gravis vulnerationis, percussionis, vitæve amittendæ, res nostras, v. g. vestes, pecunias &c. sine resistentia tradimus aut relinquimus, sive ab eo aufferri toleramus. His prænotatis,

63. Prob. Conclusio à D. Thom. hic *q. 6. art. 6.* ex Philosopho in *3. Eth.* & ex Gregor. Nysseno hisce verbis: *Quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario & involuntario: id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur: sed si quis rectè consideret, magis sunt hujusmodi voluntaria, quàm involuntaria: sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundùm quid: unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundùm quod est in actu: secundùm quod autem est in apprehensione, non est simpliciter, sed secundùm quid: hoc autem, quod per metum agitur, secundùm hoc est in actu, secundùm quod fit: cùm enim actus in singularibus sint, singulare autem, in quantum hujusmodi, fit hic & nunc, secundùm hoc id, quod fit, est in actu, secundùm quod hic est & nunc, & sub aliis conditionibus individualibus, prout scil.* (e. g. projectio mercium) *in hoc casu est impedimentum majoris mali &c. unde simpliciter voluntarium est &c. Sed si accipiatur id, quod per metum fit, ùt extra hunc casum* (vel circumstantias præsentes) *existens, & prout sic repugnat voluntati, hoc non est nisi secundùm rationem tantùm; & ideò est involuntarium secundùm quid, id est, prout consideratur extra hunc statum existens.* Breviter: Secundùm S. D. ea, quæ præcisè ex metu fiunt, sunt juxta inclinationem efficacem voluntatis, in quantum hic & nunc eliguntur ut media evadendi malum

jam

jam imminens; sunt verò contra inclinationem, eoque respectu involuntaria, in quantum apprehenduntur secundùm se, & ut aliquid disconveniens extra præsentes circumstantias: nemo enim, nisi metus mortis instaret, vellet projicere merces in mare, vel latroni pecunias tradere &c. Sed

64. In contrarium militat primò: Quòd metus, qui dici solet violentia secundùm quid, non minùs repugnet voluntati, quàm vis seu violentia simpliciter talis, differentia in eo solùm versante, quòd violentia malum inferat de præsenti, metus verò sit respectu mali futuri: atqui violentia voluntarium tollit simpliciter. Ergo & metus. Resp. ex S. Thom. *cit. q. 6. art. 6. ad* 1. discrimen in eo superesse, quòd in illud, quod per vim agitur, voluntas prorsus non consentiat; id verò, quod per metum agitur, fiat voluntarium propter repellendum malum imminens: *Sufficit nempe ad voluntarium, quòd sit propter aliud voluntarium.*

65. Militat secundò: Quòd voluntarium liberum, & involuntarium non liberum importent conditiones contrarias: ergo repugnant in eodem actu. Resp. nullam repugnantiam esse in eo, quòd aliquid sit voluntarium simpliciter ac simul involuntarium secundùm quid, licèt ista in eodem actu opponerentur, si unum esset simpliciter voluntarium, & alterum involuntarium simpliciter. Observandum nempe, rationem voluntarii in casu metûs gravis provenire ex inclinatione voluntatis simpliciter tali, & efficaci, rationem verò involuntarii ex inclinatione alia contraria inefficaci, quæ est tantum secundùm quid. Hinc duo concurrunt motiva, unum retardans & repugnans, nimirum jactura alicujus rei seu boni comparativè minoris: alterum inclinans ad actum, ut effugiatur malum majus, & jactura boni excellentioris, quale est conservatio membrorum, vitæ, famæ &c. Deinde, ùt diximus ex S. D. voluntarium simpliciter cadit super actu præsentibus circumstantiis vestito, involuntarium super actu, ùt à præsentibus circumstantiis denudato. Vides ergo diversa objecta, quorum respectu diversæ inclinationes compossibiles redduntur.

66. Militat tertiò: Si metu gesta sunt simpliciter voluntaria, latro, cui viator, ut mortem sibi intentatam evitet, tradit vel cedit suas pecunias, exinde dominium acquireret: nam, spectato saltem jure naturali, ad dominium acquirendum sufficit voluntaria cessio, seu traditio ex parte unius, & acceptatio ex parte alterius: atqui hoc societati, tranquillitati, & felicitati humanæ Reipublicæ graviter adversatur: an non enim rapacibus, & rerum alienarum cupidis hominibus daretur ansa, alios spoliandi, & dominia ac lucra ex delictis suis acquirendi? Resp. Neg. seq. ut enim viator ex. gr. mortem evadat, sufficit ejus consensus in translationem pecuniæ materialiter sumptam, id est, prout præcisè consistit in actione exteriori physica, quin ejusdem voluntas consentiat in translationem, ùt est formaliter operativa dominii. Et ideo, spectato etiam solo jure naturali, latro utpote rei alienæ, ac malæ fidei detentor, ad restitutionem singulis quasi momentis tenetur. Gregorius Sayrus Benedictinus Anglus in *sua Clavi Regia lib. 2. c. 2.* cum Soto *lib. 8. de Justit. q. 1. art. 7.*

67. Jure positivo considerato, dominia rerum solis & nudis traditionibus, in alios non transeunt: nam aliud docet textus in *l. 31. ff. de A. R. D.* ibi: *nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut alia justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.* Titulo igitur à juribus approbato opus est; ex cujus defectu nec vi pacti ad contractum mutui de solvendis usuris adjecti, pecuniæ, quas debitor creditori solvit, in accipientis dominium transeunt; ubi enim nec adest aliquis titulus aut damni emergentis, aut lucri cessantis, aut moræ, aut periculi de amittenda sorte, jura exactionem usurarum ùt justam nullibi approbant, præsertim Canonica; imò SS. Canones eas omnino detestantur velut utriusque testamenti paginæ repugnantes in *cap. 4. de usuris.* juncto *cap. 6. de jurejur.* & *cap. 10. cum seq. caus. 14. q. 4.* Sed adhuc contra

68. Instabis, quòd latro, cum pecunia metu extorta negotiationem instituens, sibi fructificet, non autem viatori: cumque quælibet res suo domino fructificet, ideo latro illius pecuniæ dominus effectus fuisse censeatur. Hujus asserti probatio eruitur ex *l. qui vas. 48. §. fin. ff. de furt.* ubi, cùm fur rem furtivam vendidisset, eique nummos pretii dominus rei per vim extorsit, iste dominus (tametsi ex re sua illi nummi fuerint comparati) furtum nummorum, quos furi extorsit, fecisse dicitur, additurque, ipsum etiam actione vi bonorum raptorum teneri. Hocque ampliùs confirmatur ex negotiatione, quam creditor usurarius ex pecunia usuraria, injustè emuncta, instituit: constat namque ex *l. 6. Cod. de R. V.* & *l. 8. Cod. si quis alteri* &c. rem ex aliena v. g. furtiva vel usuraria pecunia comparatam, e. g. frumentum, non ad debitorem mutuatarium, qui eam coactus solvit, spectare, sed ad ipsum creditorem ex mutuo usuras sine justo titulo exigentem. Resp. ex hoc non inferri, quòd latro, fur, vel etiam creditor usurarius, pecuniæ injustè extortæ vel exactæ fuerit factus dominus, cùm harum respectu titulo dominii translativo careat. Ideo autem latro, fur vel creditor, usurarius, fit dominus lucri ex pecunia aliena comparati, quia lucrum non habetur pro fructo pecuniæ, sed pro fructu negotiationis seu industriæ; quandoquidem pecunia, dum negotiationi & commercio non adhibetur, est res sterilis, indeque Aristoteles rectè dixit, quòd nummus non pariat nummum. Hucque faciunt verba finalia *cit. loc. qui vas.* Quod

ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemine dubium est: nummus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus. In §. verò antecedenti præmittitur, quòd equi ex furtivis nati, statim ad bonæ fidei emptorem pertineant: idque merito, quia in fructu numerantur; partus verò ancillæ furtivæ in fructu non numeretur: Sed adhuc in contrarium

69. Militat quartò: Quòd transgressores legis positivæ tum Civilis tum Canonicæ excusentur à culpa, si aliquid omnibus præscriptum ex metu gravis mali imminentis non observent, v. g. non jejunent, die festivo Missam non audiant &c. supponitur ergo, quòd talis non observantia, à qua per metum absterrentur, ipsis non sit voluntaria. Resp. Conc. ant. neg. conf. & suppositum, quòd leges humanæ positivæ, quæ feruntur circa materiam de se indifferentem (id est, talem, quæ intrinsecè non est prohibita, quia mala, vel intrinsecè præcepta, quia bona) in casu gravis incommodi, damni, vel periculi obligent; cùm conditioni humanæ debeant esse accommodatæ, atque adeò non nimis arduæ: per accidens tamen quandoque ratione scandali, vel contemptûs etiam in gravi periculo obligationem suam exerunt, ùt si tyrannus in gravem despectum Religionis Orthodoxæ cum comminatione gravis mali v. gr. auditionem Sacri prohiberet; tunc enim bonum superius Religionis bono privato omnino præponderaret.

70. Quid autem respondendum, quando instat observatio legis Divinæ purè positivæ, anne ista saltem in metu gravis damni aut periculi obligat? Resp. Remotô scandalô, vel contemptu Religionis, vel periculô salutis, constitutos in metu gravi ab observantia legali eximi & excusari. Exemplum præbet *lib.* 1. *Reg.* 21. ubi David in necessitate famis, ne periret cum sociis, Panes propositionis, laicis leg. Div. positiva prohibitos, comedit. *Mathæi* quoque 12. Christus excusat Apostolos, qui in Sabbatho ex eadem necessitate spicas evellebant. Econtra, quia Machabæi præviderunt, quòd comestio carnis porcinæ à Tyranno ipsis in contemptum Religionis Judaicæ præciperetur, premente licèt gravi egestate, ipsiusque mortis periculo, ab observantia legis Divinæ se minimè excusatos judicabant. Dixi, *quando instat observatio legis purè Divinæ*, quæ nimirum est ita liberè lata in materia de se indifferenti (uti erant leges veteris Testamenti *cæremoniales* & *judiciales*) ut nullam habeat annexam legem naturalem, qualem in se continent præcepta Decalogi tanquam moralia, & ideo præcepta Divino-naturalia sive Moralia appellantur: sed de his plura in *Tract. de legibus.* Sed contra

71. Militat quintò: Communicatio cum excommunicato prohibetur sola lege humana positiva, & nihilominùs metus quicunque ab istius legis Canonicæ observantia neminem liberat, quin commercium cum excommunicato prohibitum maneat per *cap. Sacris* 5. *de his, quæ vi* &c. textus ita sonat: *Distinguimus autem, utrùm is, qui communicat excommunicatis invitus, sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus: in primo casu, talem non credimus excommunicatione teneri, cùm magis pati quàm agere convincatur. In secundo licèt metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Igitur ex sententia summi Pontificis ille, qui metu inductus, cum excommunicato communicat, mortaliter peccat, & simul excommunicationem minorem incurrit, & tamen illa communicatio sola lege humana est prohibita. Ergo prædicta non subsistunt. Resp. Neg. Ant. Textus allatus vel solùmmodo commercium cum excommunicato in crimine, etiam in casu metûs gravis, prohibet, vel loquitur de casu, ubi commercium in contemtum censuræ, & potestatis Ecclesiasticæ vergeret.

72. Militat sextò: contra conclus. Si gesta ex metu sint saltem secundùm quid involuntaria, propter voluntatis inefficacem quemdam renisum, dolor metu gehennæ de peccatis elicitus non esset actus bonus, honestus, ac laudabilis, adeoque inutilis foret ad attritionem supernaturalem: sed hoc repugnat Concilio Tridentino *Sess.* 6. *Can.* 8. Ergo &c. Seq. Maj. prob. exinde, quòd sic dolens solùm pro circumstantia metûs, quem malum gehennæ hic & nunc incutit, pœniteat, pœnitentiam haud acturus, nisi malum illud oculis mentis suæ obversaretur. Infertur ergo, cum hoc involuntario secundùm quid affectum ad peccata commissa adhuc dum durare. Resp. Neg. seq. Maj. cum prob. sua. Neque enim in omni metu concurrit involuntarium secundùm quid; sed secundùm clausulam nostræ conclusioni appositam in illis duntaxat casibus, in quibus illud, quod ex metu fit, de se nullam continet rationem boni, à qua voluntas ad actionem ponendam vel omittendam moveatur; sed sola evasio mali est, quod movet, uti accidit in projectione mercium in mare, ut naufragium evitetur. Quando verò voluntas movetur ab eo, quod rationem boni per se habet, adeoque finis ejus non est præcisè evasio mali, tunc potest abesse omne involuntarium. Taliter censetur moveri ex motivo boni, & honestate pœnitentiæ, qui metu gehennæ excitatus, peccata contra DEUM commissa detestatur, vel mandata DEI observat. Constat enim ex *Tract. de pœn.* attritionis dolorem ex metu gehennæ conceptum posse honestum & supernaturalem esse, si cum respectu ad DEUM offensum denuo placandum eliciatur, & timor non sit serviliter servilis, qualis esset, si pœnitens nollet pœnitere, nisi pœnas gehennæ formidaret: nam actus ex hoc timore elicitus affectum ad peccata minimè excluderet, sicuti nec omne involuntarium; eò quòd voluntatem sola pœnæ evasio ad pœnitentiam move-

moveret; & ideo actus hujusmodi omni honestate supernaturali careret. De alio proinde dolore loquitur Trid. Concilium, cui equidem metus pœnæ æternæ occasionem vel initium dederit, non autem tanquam unicum & solum motivum in eundem influxerit.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

*An metus reverentialis, quem solent habere liberi erga parentes, uxor erga maritum, subditus erga Principem, vel alium Superiorem, habendus sit pro gravi, seu cadente in virum constantem?*

73. RAtio dubitandi & simul inclinandi in affirmativam videtur fundari in paritate inter libertum & Patronum: nam in *l.* 1. §. 5. *ff. quar. rer. act. non dat.* Patrono in manumissione servi nihil imponere licet, quo notabiliter *oneretur* manumissi libertas; quia alioquin libertus illud onus non adimplendo esset in periculo offendendi Patronum, ac simul in metu, *ne quodvis sustineat, Patrono præcipiente:* quæ verba, *ne quodvis sustineat*, non possunt non etiam intelligi de gravi malo & damno, quod libertus timere deberet ex offensione Patroni, cui ad singularem reverentiam obstrictus est. Cùm ergo quoad reliquas personas suprà recensitas non sit minus obligationis vinculum ad exhibendam reverentiam, facilè aliquid agunt, aut omittunt ex reverentia erga parentes, maritos, Principes, Superiores &c. quod non omitterent, agerent, promitterent, cederent &c. nisi ex imaginatione gravis offensæ gravisque subsecuturi mali illuc adigerentur. Nihilominùs sit

74. Conclusio: metum reverentialem regulariter & per se non esse habendum pro gravi, & qui cadat in virum constantem. Facit huc textus in *cap. 7. qui clerici vel vovent.* cum sequenti casu. Mulier quædam nobilis ad nubendum auctoritate Regia, cùm tunc nubere non vellet, ex consilio alieno demum votum castitatis in manibus cujusdam fratris S. Augustini emisit, ea tamen conditione, ut in domo propria cum omni substantia remaneret, non ut retineret dominium in particulari, sed usum saltem à superiori potestate dependentem, veluti hoc ita exponunt Interpretes. Postquàm per biennium in habitu Religioso perseverâsset, reclamavit, eò quòd invita votum emisisset, non tam metu Regis, quàm parentum, dimissoque habitu matrimonium publicè contraxit. Pont. Innocent. III. desuper consultus hoc tenore respondit: *Nos igitur attendentes, quòd in emissione voti, quod præcessit, nulla vel modica coactio adfuisset, quam patientia & perseverantia sequentis temporis penitus profugavit, & quod sequens conjunctio potiùs iniqua fuit, & violenter extorta: mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, præfatam mulierem ad malè dimissum Religionis habitum reassumendum, & servandum, quod vovit, monere & inducere procuretis, & si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam coërcere.* In isto casu mulier illa nobilis provocando ad metum, haud alium intellexit, quàm reverentialem: & quia voti solennis emissio ex metu gravi facta ipso jure est nulla, perspicuè infertur, quòd ille metus reverentialis à S. Pontifice ùt levis consideratus fuerit. Conferantur etiam textus in *cap. puellæ* 8. *caus.* 20. *q.* 1. & *cap. ex litteris* 13. *de despons. Impub.*

75. Ad textum, & paritatem, in Ratione dubitandi objectum resp. ibi periculum esse non de qualicunque & modico reverentiali metu, sed de *nimia* reverentia, & immodica & conjuncta cum alterius mali minis vel existimatione, si libertus contra onus libertati concessæ impositum, & prætensum exceptione se tueri non posset, & patronum actorem submovere. Zoës. ad *Rubr. ff. quod metus caus.* & cum eo P. Wiestn. *eod. tit. n.* 10. qui posterior eo solùm casu metum reverentialem ùt gravem, & ideo contractûs sic initi rescissioni locum esse admittit, quando accedunt importunæ & repetitæ preces, mala tractatio, asperitas vultûs, vel indignatio magna, vel horum rationabilis existimatio: secus, quando à personis, cui singularis reverentia debetur, nihil simile imminet, aut concurrit. Videndum modò de juramento ex metu.

# QUÆSTIO OCTAVA.

*Valeátne juramentum, quod ille præstitit, cui metus injustè fuit incussus.*

76. QUòd tale juramentum sit omni vigore destitutum, suadet primò Regula Juris, quæ habet, quòd juramentum, contra bonos mores præstitum sit nullum *cap. in malis. caus.* 22. *q.* 4. *cap.* 58 *de R. J. in* 6. & ibi Peckius. Atqui juramentum metu injustè incusso extortum bonos mores offendit. Ergo non valet. Suadetur secundò. Vis seu metus & dolus, frequenter in Jure nostro æquiparantur, per *cap. cùm contingat* 28. *de Jurejur. cap. quamvis* 2. *de Pact. in* 6. *cap. licet.* 2. *d. tit. de Jurejur. in* 6. Atqui juramentum ex dolo præstitum non sustinetur. Suar. *to.* 2. *de Relig. lib.* 1. *c.* 11. Igitur nec juramentum metu injustè extortum sustinebitur. Suadetur tertiò ex casu in *cap.*

*ad audientiam* 4. *de his, quæ vi metúsve &c.* decisso: ubi quidam certam Ecclesiam canonicè adeptus, & post pacificam possessionem per juramentum metu extortum à Rege resignare coactus fuerat *in manibus eorum, ad quos pertinebat.* S. Pontifex autem desuper sic rescripsit: *Quia verò, quæ vi metúsve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis: mandamus, quatenus, si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, præfatam ei Ecclesiam restitui faciatis.* Censuit itaque Pontifex, juramentum non valuisse. Suadetur quartò ex *cap. verùm* 15. *de Jurejur.* ubi dicitur, quòd transgressores juramenti metu extorti *ob hoc non sint tanquam pro mortali crimine puniendi.* Ergo ex istiusmodi juramentis nulla oritur obligatio; ergo nec eorum valor supponi potest. Sed his non obstantibus,

77. Conclusio statuitur, quòd juramentum metu injustè extortum valeat, & servandum sit, donec ab Ecclesia relaxetur. Ita Fachineus *lib.* 8. *contr. cap.* 102. Bronchorst. *Miscell. cent.* 1. *assert.* 59. Basilius de *Matr. lib.* 17. *cap.* 8. Castro Palao *to.* 3. *Oper. Mor. tr.* 14. *disp.* 2. *Punct.* 2. & plures alii Doctores, quos citat & sequitur Eman. Gonzalez in *Commentar.* ad *cap. si verò* 8. *de Jurejur.* Probatque hanc resolutionem variis textibus, speciatim ex *cap. auctoritatem caus.* 15. *q.* 6. *cap. ad aures. de his, quæ vi &c.* in quorum posteriori Clem. III. respondet, Plebanum, qui ob terrorem laicorum Ecclesiæ suæ renuntiaverat, Regimini illius denuò præficiendum esse, nisi renuntiatio illa *juramento vel fide interposita fuerit confirmata.* Textus irrefragabilis accedit *ex cit. c. Si verò* 8. *de Jurejur.* ubi Alex. III. super juramento ex metu gravissimo præstito, an servandum sit, quæsitus, tale responsum dedit: *Non est tutum, quemquam contra juramentum suum venire, nisi tale fuerit juramentum, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ: nec nos cuilibet ex nostra responsione volumus dare materiam contra juramentum suum venire* (seu veniendi) *ne auctores perjurii esse videamur. Unde aliquando in Romana Ecclesia à pluribus & à prædecessoribus nostris factum esse recolitur, quòd Clerici, qui coacti Ecclesiæ ministerium abjuraverunt, ex juramento absolutionis beneficium meruerunt; & ad coërcendam improbitatem eorum, qui Ecclesiasticos viros ad præstandum illud juramentum impulerant, permissi sunt in eadem Ecclesia ministrare.* Concordat etiam D. Th. in 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. ad 3. & *q.* 98. *art.* 3. *ad* 1. Quòd autem juramentum metu gravi extortum non solùm Jure naturali propter concursum consensûs simpliciter voluntarii, licèt secundùm quid diminuti, sed etiam de Jure Divino subsistat, probat idem Gonzal. *loc. cit. n.* 4. ex Ezech. *cap.* 18. *v.* 12. ubi Dominus DEUS Zedeciæ Judæorum Regi gravia & extrema cominatus est, idque propter fidem Babyloniis violatam, etsi injustè extortam. Et rectè: duplex siquidem obligatio ex juramento nascitur, una ex promissione, altera ex religione erga DEUM, quem jurans in testem & vindicem vocat. Nec obstant rationes suprà objectæ. Nam

78. Ad primam Rationem ex Regula illa Juris depromptam Resp. eam loqui de juramento pugnante contra bonos mores naturales, id est, de illo, quod propter præjudicium tertii, vel boni publici, adeoque sine peccato aut mortali aut veniali impleri nequit: nos autem supponimus tale objectum & obligationem ex juramento extorto oriundam, quæ sine omni peccato & dispendio animæ servari vel impleri valet, ùt si quis metu gravi adactus juret, & promittat, se velle suum Beneficium resignare, uti casus est in *cap. ad aures* 3. *de his, quæ vi &c.* Nemo enim dicet, resignationem beneficii, in manus legitimi Superioris factam, esse peccato obnoxiam, utut resignans metu gravi ad hoc compellatur.

79. Ad secundam dub. Rat. Dist. Maj. metus & dolus æquiparantur quoad firmitatem contractûs, quatenus, sive vi sive dolo in contractum incidente ineatur, manet rescindibilis, conc. quantum ad valorem, & obligationem, sic neg. Maj. conc. min. Dist. cons. Ergo nec juramentum metu injustè extortum sustinebitur, si illa æquiparatio utroque modo procederet, conc. cons. si tantùm sub uno modo procedat, neg. cons. Dolus aliquando dat causam contractui ita, ut si contrahens & contractum firmans ea, quæ circumventor memoraverat, falsa esse scivisset, nunquam consensisset, vel jurâsset: adeoque consensus & juramentum in contractu bonæ fidei præstatur sub conditione, si ea, quæ alter asseruit, vera essent; unde veritatis conditione deficiente, & ipse promissionis juramentique consensus ac efficacia deficit. Aliter res se habet in metu: nam in metu & angustiis existens, cùm omnia sufficienter perspecta habeat, non præstat consensum conditionatè, si asserta vera sint &c. sed potiùs, suadente præsenti utilitate ad se liberandum à malo præcognito, denique consensum suum accommodat, licèt cum aliquo voluntario secundùm quid diminuto.

80. Ad tert. dub. Rat. ex *cap. ad audientiam* &c. Resp. Gonzal. verba illa *non obstante juramento*, accipienda esse de juramento jam relaxato, ita, ut ante factam relaxationem jurata illa & extorta beneficii renuntiatio valuerit, post relaxationem verò beneficium repetere licuerit.

81. Ad quart. dubit. Rat. ex *cap. verùm* 15. *de Jurejur.* idem Auctor cum Barbosa, per illa verba: *ob hoc non sunt tanquam pro mortali culpa puniendi*, transgressores ibi non declarari ab omni peccato lethali innocuos, sed excusari solùm à severitate pœnæ, qua alii perjuri, qui juramentum sine gravi metu deposuerunt, coërceri solent.

QUÆ-

# QUÆSTIO NONA.

## *An valeat votum simplex metu gravi & injustè extortum?*

82. CErtum est, quòd spectato jure positivo Ecclesiastico, Professio Religiosa, adeóque vota solemnia ex gravi metu injustè extorta nullius sint roboris. Text. sat clarus in *cap.* 1. *de his, quæ vis metúsve* &c. ubi mulier, quæ ex metu mortis professionem religiosam emiserat, poterat liberè monasterium deserere, & viro nubere. Addo, quòd saltem spectato eodem Jure Ecclesiastico & positivo, matrimonium metu gravi injustè extortum pariter omni valore vacuum existat, *cap. cùm locum. cap. veniens. de Sponsal. & Matrim.* Quòd si metus fuisset solùm levis aut reverentialis, v. gr. propter respectum aliquem ad parentes habitum, uti duo præfati actus, nec Jure naturali, nec Jure positivo irriti forent, sed subsisterent: naturali quidem jure subsisterent, propter voluntarium sufficiens, cui metus reverentialis ceu levis, adeóque spernendus, parum detraheret; Jure etiam positivo illi actus valerent, per text. in *cap. ult. qui clerici vel voventes* &c. ubi Abbas Panorm. *num.* 7. aliud & contra valorem pronunciandum foret, si propter circumstantias certas ille metus reverentialis & levis in gravem degeneraret. Cur verò Jus positivum tam Professionem Religiosam, quàm etiam matrimonium ex metu gravi injustè extortum, tanquam actus invalidos declarârit, haud dubiè statûs utriusque arduitas & perpetuitas causa motiva erat, ut hac ratione plena libertas profitentibus, vel contrahentibus relinqueretur, quidquid sit de illa controversia, utrùm, spectato solo Jure naturali, præfati actus robur acciperent nec ne. His utiliter prænotatis, sit

83. Conclus. prima. Votum simplex v. gr. servandæ castitatis ex metu gravi injustè incusso emissum, spectato Jure naturali valet. Ratio patet ex principiis ordinariis, quæ docent, per metum gravem non auferri voluntarium simpliciter, sed relinqui. Ergo ita vovens se DEO obligare poterit, quemadmodum sese obligare potest homini per juramentum gravi metu injustè extortum, aut per quemlibet contractum.

84. Conclus. secunda. Probabilius est, spectato quoque Jure positivo Ecclesiastico, vota simplicia prædicta valere. Laym. in *Theol. Mor. lib.* 3. *de Just. Tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 3. cum Suar. *lib.* 1. *de voto. cap.* 8. qui posterior in *seq. cap.* 9. *n.* 10. votum simplex Religionis ingrediendæ excipit, illúdque ipso jure, si ex metu gravi injustè illato processerit, irritum esse tradit quandoquidem, ùt diximus, & ipsa Professio Religiosa ex tali metu emissa, irrita est, per consequens & votum simplex ingrediendæ Religionis, per argumentum, quod accessorium naturam sui principalis sequi congruat. *cap.* 42. *de R. J. in* 6. De reliquis verò votis simplicibus, quòd subsistant, etiam de Jure positivo, probatur tum ratione negativa, eò quòd nullus textus ea infirmans ostendi queat, tum à paritate sumpta à juramento metu injustè extorto: ideo namque valet juramentum, quia versatur honor Divini Numinis in testem assumpti: & quia, ùt supponitur, materia juramenti ejusque observantia ex se est honesta: Ergo etiam valebit votum, quia ejus observantia æquè spectat ad reverentiam Divini Numinis, & est in materia honesta, v. gr. in materia castitatis, peregrinationis &c.

85. Dices primò cum Soto *lib.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. & contrariæ sententiæ fautoribus, quòd promissio non valeat, quam non acceptat ille, cui aliquid promittitur: sed DEUS, cui per votum metu extortum fit promissio v. gr. servandæ perpetuæ castitatis, tale votum non acceptat: vix enim Dominus DEUS coacta Sacrificia rata & grata habebit: Ergo vota illa simplicia non valent. Resp. Negando minor. rationem dedimus in conclusione: deinde firma retorsio Adversariis opponitur ex juramento, quod valet, non obstante metu injustè incusso. Igitur & vota simplicia valebunt.

86. Dices secundo, vires & conditionem humanam excedere, si quis ratione voti, etsi metu injustè extorti, adigatur v. g. ad servandam perpetuam castitatem. Resp. iterum retorquendo in juramento injustè extorto de servanda castitate. Deinde sic per injuriam & metum ad vovendum compulsus æquissimam habet causam, petendi dispensationem in voto sic emisso; superior quoque non minùs æquam habet, ut dispenset; quod cùm facilè obtineatur, vires & conditio humana non nimiùm gravari censentur: similiter absolutio à juramento injustè extorto facilè impetrabitur.

87. Dices tertiò; Sponsalia metu gravi injustè illato inita ipso jure saltem positivo sunt nulla: Ergo etiam vota simplicia. Antec. docetur apud Sanch. *de Matrim. lib.* 4. *disp.* 19. Henriquez *lib.* 11. *c.* 9. Laym. *d. tr.* 4. *cap.* 6. *n.* 3. Consequentia videtur procedere à fortiori: quia durior est conditio illius, qui voto simplici v. g. ad servandam castitatem devincitur, quàm qui ad contrahendum matrimonium: nam virginitas & castitas sapit aliquid supra naturam, contrahere verò matrimonium est juxta ordinem & inclinationem naturæ.

88. Resp. Ant. esse controversum inter Doctores: cùm enim textus clarus vix afferri valeat, qui talia sponsalia ipso jure irrita declaret, quamvis aliqui allegari possint, qui-

quibus illa rescissioni obnoxia fiunt, nonnulli Authores hujusmodi sponsalia de jure subsistere autumant. Sed meritò tenendum est cum Sanch. Laym. & aliis, qui nullitatem illorum sponsalium equidem nullo textu claro directè probari fatentur, probari tamen indirectè: quemadmodum enim ex eo, quòd Professio Religiosa ex metu gravi sit cassata directè, per indirectum infertur nullitas voti simplicis de ingredienda Religione metu gravi emissi, quia votum illud simplex tenderet ad actum Professionis (saltem si metus eò usque perduret) invalidum ac injustum; ita pariter sponsalia metu inita per indirectum censentur cassata, quia tenderent ad Matrimonium (utpote cui metus gravis injustè à causa libera incussus impedimentum dirimens opponit) ùt ad aliquem actum invalidum injustúmque ac directè cassatum, supposito saltem, quòd metus eò usque perseveraret.

89. Quòdsi sermo esset de sponsalibus solo metu reverentiali (putà, quia v.g. Caja ob naturalem verecundiam patri, tutori &c. Titium pro sponso offerenti contradicere non erat ausa) adeóque cum involuntario secundùm quid tali inter aliquos celebratis, contractus equidem validus erit, pars tamen metum hujusmodi passa resilire poterit. Laym. *d. cap.* 6. *n.* 4. cum Sylvest. Sanch. & aliis. Similiter discurrit Laym. ibid. de precibus importunis, & magnam molestiam ac involuntarium secundùm quid causantibus, quòd nempe ratione illarum locus sit rescissioni contractûs vel alterius actûs. Cujus doctrinæ exempla pro praxi notatu digna subjicit.

90. Exemplum primum ponit de eo, qui importunitate precum, involuntarium secundùm quid efficiente, testatorem moribundum ad relinquendum quoddam legatum, vel portionem hæreditariam tandem inflexit: tunc enim talis institutio, vel donatio cassari poterit. Molina tamen apud eund. Laym. rectè advertit, plerumque accidere, ut ejusmodi testator, utut precum importunitate vel etiam metu reverentiæ victus, aliquem instituat, vel alicui legatum relinquat, nihilominùs suam dispositionem validam esse velit; & tali casu institutum equidem peccare contra charitatem & justitiam, cùm testatori molestiam violentiámque quandam inferat, rem tamen sibi relictam secundùm defuncti voluntatem accipere & retinere posse, donec testamentum per Judicis sententiam rescindatur. Et licèt hanc Molinæ doctrinam Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. cap.* 9. refutet, id tamen immeritò fieri, censet Layman, ac ostendit in aliis donationibus: licèt enim in illis generatim magna libertas animæ requiratur, si tamen donans, importunitate precum ad donandum permotus, nihilominùs rei donatæ dominium in accipientem transferri velit, donatarius ante sententiam Judicis restituere non obligatur.

91. Secundum exemplum designat in eo, qui precum importunitate, involuntarium mixtum, hoc est secundùm quid efficiente, alterum ad ludendum pertraxit: tunc enim sic permotus nihil solvere tenetur, secundùm S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Covar. *Reg. peccatum. part.* 2. *§.* 4. *num.* 7. &c. An verò in dicto casu ille, qui alterum sic importunè ad lusum permovit, lucrum actu obtentum ante sententiam Judicis restituere teneatur, quæris? Negat Molina *to.* 2. *disp.* 516. cum Sanchez: affirmat Layman *loc. cit.* cum Lessio *lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 2. ex ratione, quòd is, qui alteri per injuriam damni causa injusta exstitit, damnum illud absolutè resarcire teneatur: sed in relato casu res ita se habet. Ergo &c.

92. Tertium exemplum suggerit in Religioso Prælatum suum diuturna precum importunitate, querelis, vel murmurationibus solicitante, & rem aliquam sic ab eo impetrante: quando enim in concedente talis importunitas difficulter repelli potest, Religiosus non est tutus in conscientia à paupertatis violatione: cùm illa concessio Prælati, importunitate victi, non tam sit licentia quàm quædam violentia: secus dicendum, si Prælatus ab illa molestia se facilè liberare potuisset. Satis de violento & metu.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *An, & quomodo Concupiscentia augeat, vel minuat Voluntarium?*

93. Concupiscentia hoc loco nihil aliud denotat, quàm passionem, seu motum appetitûs sensitivi circa bonum delectabile: & dividitur hic appetitus in concupiscibilem, & irascibilem. Pars *concupiscibilis* versatur circa bonum simpliciter, ejúsque actus sunt amor, desiderium, gaudium: Pars *irascibilis* circa bonum arduum, & sub se habet actus spei, audaciæ, & iræ. Et quia tam timor quàm tristitia sunt circa malum, ideo sub neutra parte appetitus sensitivi, seu concupiscentiæ comprehenduntur. Porrò concupiscentia à D. Th. hîc *q.* 24. *art.* 3. *ad* 1. alia vocatur *antecedens* ex eo nempe, quòd actum voluntatis antecedat, & sit ejus causa: potest enim, ante omnem rationis deliberationem, voluntatisque consensum ex sola apprehensione objecti delectabilis aut odibilis, excitari in appetitu sensitivo motus seu passio, & postea voluntas in illud inclinari: alia *consequens*, quæ est passio seu actus appetitus sensitivi præsupponens voluntatis consensum, imperiúmque. De hac concupiscentia *consequente*, cùm sit actus quidem imperatus ab ipsa voluntate, nulla hîc militat difficultas, utrùm

causet

causet aliquod involuntarium; sed de illa antecedente duntaxat.

94. Conclusio prima: Voluntarium imperfectum ratione concupiscentiæ antecedentis nullo modo minuitur, sed potiùs augetur. Est contra Agestum, qui in suis *Moralib. cap.* 3. prætendit, quòd actus voluntatis ad concupiscentiæ motum consequens aliquo modo involuntarius reddatur. Prob. Nomine voluntarii imperfecti supra intelleximus illud, quod à principio cognoscitivo ab intrinseco procedit, sed solùm cum imperfecta cognitione finis, citra cognitionem circumstantiarum, proportionis mediorum &c. Atqui dictum voluntarium propter antecedentem motum concupiscentiæ in appetitu sensitivo excitatum non minuitur, cùm voluntatis inclinatio & conatus non tam retardetur, quàm magis incitetur in objectum concupitum; ubi enim semel excitata est concupiscentia, ibi voluntas ad prosecutionem objecti magna cum vehementia allicitur, uti experientia docet. Ergo Ratio voluntarii fit in actu intensior, adeóque augetur.

95. Conclusio secunda: Voluntarium perfectum, id est, prout substat libertati, seu indifferentiæ judicii, aliquando minuitur: quandóque omnino tollitur per concupiscentiam antecedentem. Ratio est, quòd voluntarium quà liberum, ut maneat in suo statu perfecto, requirat perfectam cognitionem finis scil. cum consideratione circumstantiarum, & proportionis mediorum. Jam verò hæc consideratio propter concupiscentiæ vehementiam persæpe præpeditur, indéque non relinquitur ampliùs in intellectu tantisper obscurato perfecta cognitionis indifferentia ad judicandum, an objectum potiùs sit prosequendum, an respuendum, aut vicissim; imò quandoque ex passionis ardore ac vehementia intellectus tantoperè turbatur, ut homo in amentiam incidat, & ad circumstantias, mediorúmque proportionem penitus non attendens more brutorum operetur: Ergo ratione concupiscentiæ voluntarium perfectum aliquando minuitur, aliquando prorsus tollitur, manente solo voluntario imperfecto brutis quoque communi. Hinc advertit D. Thomas hic *q.* 77. *art.* 6. & 7. quòd passio, quando tollit totaliter voluntarium, privando usu rationis, a peccato omnino excuset; nisi illa privatio fuerit voluntaria vel in se, vel in sua causa: si verò non totaliter privet usu rationis, tunc non omnino à peccato excuset: quia in posteriori casu adhuc relinquitur sufficiens voluntarium: nam, ùt loquitur D. Th. *d. a.* 7. *in Corp.* tunc *ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne suum consequatur effectum.* Conclusioni nostræ

96. Opponi potest primò paritas à metu, quo instante semper datur involuntarium secundùm quid: ergo etiam, exurgente concupiscentia. Paritas tenet in eo, quòd utraque hæc passio concurrat extrinsecè ad actum voluntatis, & potiùs per modum occasionis, quàm per modum causæ effectivæ propriè. Secundò: ad voluntarium requiritur cognitio: atqui concupiscentia semper corrumpit cognitionem, Aristotele in 6. *Ethic.* dicente, quòd delectatio, sive concupiscentia delectationis, corrumpat æstimationem prudentiæ. Ergo concupiscentia, sive sit antecedens, sive consequens semper corrumpit cognitionem, sicque semper causat involuntarium. Tertiò: ubi datur tristitia ex remorsu conscientiæ, ibi quoque minuitur voluntarium. Atqui in operante ex vehementi concupiscentia plerumque datur tristitia ex remorsu concupiscentiæ: Ergo plerumque aliquod involuntarium.

97. Ad prim. disparit. ipse reddit D. Th. hic *q.* 6. *art.* 7. dicendo, quòd timor sit de malo, concupiscentia verò bonum respiciat; & malum secundùm se contrarietur voluntati, bonum econtra voluntati sit consonum; hincque pateat, cur magis timor, quàm concupiscentia involuntarium causet. Ad secundum Resp. quòd quidem propter vehementiam concupiscentiæ possit minui voluntarium quà perfectum, velut ipsi in conclusione secunda fatemur, indéque etiam peccatum minuatur; minimè verò corrumpatur vel minuatur cognitio, quæ requiritur ad voluntarium *ut sic.* Ad tertium Resp. inprimis ex solo conscientiæ remorsu voluntarium non minui: & datô, quòd minuatur, id respectu concupiscentiæ erit per accidens, si aliquod involuntarium ratione tristitiæ ex remorsu oriundæ admisceatur. Vid. S. Th. *dict. art.* 7. *ad* 2. Progredior ad ignorantiam.

# QUÆSTIO UNDECIMA.

## *An, & quomodo ignorantia minuat voluntarium, & causet involuntarium?*

98. De ignorantia, quomodo sit causa peccati, agit D. Th. 1. 2. *q.* 76. unde ejus fusior explicatio spectat ad *Tractat.* de Peccatis, & partim ad *Tractat. de Conscientia.* In præsenti quæstione ignorantia, quat. potest voluntarium minuere, spectabitur. Sit ergo

99. Conclusio prima: Ignorantia invincibilis *antecedens*, causat involuntarium simpliciter, & sic excusat ab omni culpa & pœna. *Invincibilis* dicitur, vel quia nulla prorsus cogitatio aut dubitatio de re aliqua animum pulsavit: vel quia, omni etiam secundùm prudentûm æstimationem sufficienter adhibitâ diligentiâ, veritas explorari non potuit. Item *antecedens* vocatur, quia præcedit actum voluntatis, éstque causa operis facti, non utique per influxum positivum, sed (ùt loquun-

quuntur) per modum removentis prohibens, in quantum, si loco ignorantiæ præcessisset vera rei notitia seu scientia, actus humanus vel omnino intermissus fuisset, aut aliter factus. Ratio conclusionis facilè patet: nam ut quid sit absolutè voluntarium seu volitum directè vel indirectè debet esse præcognitum, sed, ubi aliquid fuit gestum cum ignorantia antecedente, illud, quod gestum fuit, non erat præcognitum: ex. gr. ut occisio Petri sit tibi voluntaria, debuit tibi, post sufficientem inquisitionem, notum fuisse, quòd animal, in quod jaculatus es, sit homo, cùm tamen illud indubitanter pro fera habueris: & simile est, si ex. gr. post interrogatos viros probos, firmiter credebas, hodie non esse diem jejunii; tunc enim transgressio legis de servando jejunio, quod reverà hodie erat, non est tibi voluntaria, sicque carnibûs vescendo à culpa & pœna immunis es: noluisses siquidem comedere carnes, & contra præceptum agere, si diem jejunii, & præcepti existentiam compertam habuisses. Quòd autem ignorantia excuset, audi D. Augustinum *lib. 3. de lib. arbit. c. 19. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quando negligis quærere, quod ignoras.* Hinc & illa inter damnatas ab Alex. VII. propositiones numeratur: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc, in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

100. Conclusio secunda: Ignorantia, quæ dicitur *concomitans*, non solùm non causat voluntarium, sed nec involuntarium *privativè* aut *contrariè* facit; quamvis actum faciat involuntarium *negativè* seu *contradictoriè*, hoc est, non voluntarium. Prob. & explicatur ab eodem S. Doct. Ignorantia concomitans est de eo, quod agitur, & nihilominus si sciretur, adhuc ageretur: sicut in exemplo, cùm aliquis vellet occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans se occidere cervum: & talis ignorantia non facit involuntarium: quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium; cùm non possit esse voluntarium, quod ignoratum est. Quòd autem talis ignorantia non faciat voluntarium, patet ex eo, quia tollit cognitionem: nescivit enim, qui occidit, inimicum adesse.

101. Conclusio tertia: Ignorantia *consequens* non causat involuntarium *simpliciter*, sed potiùs relinquit actum voluntarium simpliciter; facit tamen involuntarium secundùm quid. Prob. & explicatur: Ignorantia *consequens* (quæ aliàs etiam dicitur *vincibilis*, & *culpabilis*) est voluntaria, seu volita vel *directè*, ex. gr. si quis studiosè aliquid velit ignorare, & ideo nolit omnino in obligationem vel legem, utrùm aliqua existat, indagare, sicque nolit intelligere, ut benè ageret: & hæc appellatur Ignorantia consequens *affectata*, quia consequitur ad actum voluntatis, malitiosè nolentis ullo modo inquirere: vel *indirectè* solùm est voluntaria, & appellatur ignorantia *crassa*, quando saltem aliquam in indagando, & deponenda ignorantia diligentiam adhibuit, at insufficientem: aut *supina*, si prorsus nullam adhibere curavit, & propterea ignoravit illud, quod scire debuerat. Jam sic: quod est voluntarium aut directè, aut saltem indirectè, illud adhuc manet simpliciter voluntarium: atqui hoc modo voluntarius est actus, qui fit cum ignorantia consequente: Ergo cum hac ignorantia stat voluntarium simpliciter: hoc tamen cum discrimine, ut id, quod fit cum ignorantia *affectata*, seu *directè* volita, sit magis & intensius voluntarium, quàm id, quod fit cum ignorantia *indirectè* volita; ac iterum inter volitum cum ignorantia *supina*, & volitum cum *crassa* solùm, detur magis & minus voluntarium, & ideo cum ista proportione augeatur malitia peccati, vel minuatur, in quantum effectus ex ignorantia minùs vel magis voluntaria est minùs vel magis voluntarius, & voluntati diversimodè imputabilis, uti exemplum afferri potest v. gr. in aliquo violante jejunium, qui præcepti ignorantiam studiosè *affectavit*, in alio, qui nullam in inquirendo diligentiam adhibuit; ac demum in tertio, qui quidem aliquam, sed insufficientem.

102. Quòd verò cum ignorantia consequente, tum *supina*, tum *crassa* aliquod involuntarium *secundùm quid* concurrat, patet exinde, quia ignorantia ista excludit cognitionem seu considerationem alicujus circumstantiæ, tenentis se ex parte actûs, quam si quis scivisset, actum fortè non posuisset: ergo actûs positio est quodammodo contra inclinationem voluntatis saltem virtualem. Hócque involuntarium secundùm quid colligitur etiam ex eo, quod ille, qui cum tali ignorantia operatus est, posteà in tristitiam prolabatur: *Ea autem, quæ per inscitiam aguntur, is, quem facti pœnitet, invitus egisse dicitur.*

103. Majus dubium relinquitur, quomodo ignorantia *affectata* aliquod involuntarium secundùm quid involvat? Verùm illa ratio, quòd etiam ista ignorantia motum voluntatis ad aliquid agendum præcedat, qui motus fortè non sequeretur, si scientia adfuisset, etiam hic suam vim obtinet. Nec obest, quòd voluntas, antequàm in actum egrederetur, ignorantiam objecti vel circumstantiæ alicujus expresè affectârit, & ex consequenti, ac velut *virtualiter* id, quod ad talem ignorantiam sequebatur, ùt putà, transgressionem præcepti, læsionem proximi &c. Nam, hoc non obstante, voluntas non voluit expresè id, quod ad ignorantiam directè volitam consecutum fuit, sed fortè, si ignorantiæ locò actualis cognitio adfuisset, actum, vel transgressionem omisisset. Illud proinde, quod factum fuit ex tali ignorantia, erat aliquo modo contra inclinationem voluntatis, quæ, quantum est in se, operari petit ex cognitione perfecta.

104. Op-

104. Oppon. primò contra primam concl. Illa ignorantia non causat involuntarium simpliciter, qua stante actus tam elicitus, quàm imperatus procedit à principio intrinseco cum prævia cognitione. Atqui actus ex.gr. explosionis alicujus sclopeti, vel comestionis, stante ignorantia antecedente procedit ab intrinseco cum cognitione prævia: nunquid enim sic agens cognoscit, quod facit? Ergo Ignorantia antecedens non causat involuntarium simpliciter. Resp. cum communi, ejusmodi actus non esse involuntarios, si actus vel objectum sumatur materialiter solùm, & secundùm substantiam duntaxat, vel inadæquatè: esse autem quid involuntarium, si sumatur formaliter, adæquatè, comparativè ad circumstantias, & in quantum actus consideratur moraliter, atque in ratione culpabilis vel inculpabilis. Verum est, quòd explodens sclopetum, voluntariè intenderit occidere animal, quod putabat esse feram, & licitè occidi; falsum, quòd voluerit occidere animal hoc, nempe rationale, quod non cognovit, & licitè non occiditur. Pariter comestionem carnium is, qui ignorantiâ antecedente seu invincibili laborabat, voluit ùt cognitam, ita tamen, ut cognitio ad comestionem fuerit terminata tanquam ad aliquid separatum à præcepto, & licitam, quam tamen absolutè noluisset ut conjunctam cum circumstantia præcepti, & sic illicitam.

105. Oppon. secundò: Hinc ergo sequeretur, objectum illud tantum esse voluntarium, quod cognoscitur, involuntarium, quod ignoratur: atqui hoc posterius dictum non subsistit: ut enim aliquid sit involuntarium, illud, quod agitur, debet esse contra inclinationem voluntatis: jam autem quod omnino ignoratur, ut est e. g. præsentia & occisio hominis, vel existentia & transgressio de servando jejunio, nequit esse contra inclinationem voluntatis, cùm ad tale quid nequeat dari aliqua voluntatis inclinatio, juxta illud: nihil volitum, nisi sit cognitum. Ergo id, quod ignoratur, non est involuntarium, sed nec voluntarium, nec involuntarium. Resp. conc. Maj. neg. min. & dico, inclinationem contrariam duplicem esse: una est formalis, & expressa; altera *virtualis* & implicita: hoc posteriori modo inest voluntati contraria inclinatio ad non occidendum hominem, quem ignoranter occidit, vel non violandum præceptum jejunii, quod similiter ignoranter violavit, materiali scil. transgressione, non formali: ideò enim, ne simile quid contingeret, diligentiam moraliter debitam ac possibilem in inquirendo adhibuit; aut si fortè nulla ea de re cogitatio animum subiit, saltem voluntas in ea dispositione efficaci fuit, ut, si rerum circumstantiæ notæ fuissent, actum ponere absolutè noluisset.

106. Oppon. tert. contra secundam conclus. Omne involuntarium in homine libero, & subjecto apto, est aliqua carentia voluntarii privativa: atqui carentia privativa in casu ignorantiæ se concomitanter habentis non est quid non voluntarium negativè: Ergo non rectè concludimus, in casu ignorantiæ concomitanter se habentis dari involuntarium negativè, sive non voluntarium. Resp. neg. suppos. Maj. quòd homo respectu objecti, cujus nullam habet cognitionem, hic & nunc sit subjectum proximè liberum & aptum: unde nec carentia voluntarii poterit tunc esse *privativa*, cùm, uti supponitur, stante ignorantia invincibili seu antecedente, nec possit nec teneatur habere notitiam objecti vel circumstantiæ actûs, quam ignorat. Non igitur illud involuntarium dicetur privativum, nec contrariè, sed negativè tale, id est, non voluntarium.

107. Instas primò: Ignorantia concomitans si non sit causa actûs, quomodo causabit non voluntarium. Resp. inprimis dictam ignorantiam non esse causam actûs quoad substantiam, sed quoad id tantùm, quod ibi est non voluntarium: deinde, quemadmodùm ignorantia *antecedens*, non est causa involuntarii *positivè*, seu per influxum causativum, sed tantùm per modum *removentis prohibens*, seu quatenus scientiam, quâ præsente actus non fieret, sed impediretur à voluntate, excludit; ita nec ignorantia *concomitans* causat non voluntarium positivè, sed pariter per modum removentis prohibens, quatenus actus, ex. gr. occisio inimici, fieret voluntariè, si scientia de inimici præsentia haberetur; cùm igitur illius scientiæ oppositum, scil. ignorantia, actum comitetur, & tamen actus non sit factus contra voluntatis inclinationem, haud ineptè dicetur in aliquo respectu non voluntarius.

108. Instas secundò: Supposito, quòd Petrus trajiciens feram sit ita in animo dispositus, ut si loco feræ ibi sciret esse suum inimicum, hunc vellet occidere, tunc adest voluntarium habituale ad occidendum inimicum. Ergo reverà talis occisio, licèt præsentia inimici non fuerit cognita, habendo est pro voluntaria. Ex quo ulteriùs infertur, quòd Petrus illa actione, quâ inimicum non cognitum occidit, graviter peccarit; maximè si Petrus antehàc inimicum suum necare secum firmiter decreverit, eámque voluntatem non revocaverit. Resp. dissimulato antec. neg. conseq. partim, quia nostra conclusio, quando negat, cum ignorantia concomitante concurrere voluntarium, non loquitur de voluntario habituali, & quod sit merè in potentia, sed de actuali: partim, quia, licèt in facta hypothesi occisio inimici Petro fuerit habitualiter voluntaria generaliter, non tamen erat voluntaria habitualiter quoad illum actum in individuo: ut enim occisio inimici respectu illius actûs in individuo esset voluntaria, debuisset anteà præcurrere intentio, inimicum in illa particulari occasione interficiendi: hæc autem intentio, uti supponimus, non præcedebat; nam in casu ignorantiæ concomitantis requi-

ritur præmiſſio diligentiæ ſufficientis in inquirendo: aliàs, ſi hoc non fiat, ignorantia erit volita, culpabilis, & *conſequens*. Quapropter Petrus, per ſe loquendo, per illam occiſionem inimici tunc non cogniti, & ad necem inferendam non quæſiti, nec graviter nec leviter peccavit peccato homicidii.

109. Dixi *per ſe loquendo*: Peccâſſet enim *per accidens*, ſi, poſteà ſubſequente ratihabitione, visô inimicô exanimi, actionem ſuam approbâſſet; idem dixero, ſi ex pravo affectu actu optâſſet, ut locô feræ adeſſet ſuus inimicus, illa occaſione occidendus.

110. Inſtas tertiò: Nos ſupponimus, quòd Petrus, ſi ſciret inimicum illo loco latere, vellet ipſum occidere; ergo in Petro eſt conditionata volitio homicidii. Reſp. diſt. conſ. Ergo eſt in Petro volitio conditionata actualis & quoad hanc individualem actionem, ac cum ſcientia nego: habitualis tantùm inclinatio & generalis, & ſine ſcientia, conc. conſ. Non enim in alia hypotheſi modò loquimnr. Quòd verò ex ſimili *habituali* inclinatione conditionata voluntatis actu non peccetur, non ſolùm tradit expreſsè Gonettus hic *diſp.* 1. *art.* 7. verùm etiam Laym. *h. tr. cap.* 4. *n.* 8. ibi monens, DEUM homini non imputare peccata, quæ committeret, ſi hoc vel illud in mentem ei veniret; ſed Div. gratiæ adſcribendum eſſe, quòd hoc vel illud in mentem actu non veniat: Petro autem in noſtra occaſione individuali, uti ſupponimus, in mentem vel animum non venit, quòd inimicum occidere velit.

Oppon. quart. contra tert. concluſ. Ex eo ignorantia antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, quòd per eam removeatur ſciehtia ſeu cognitio de objecto ſaltem quoad aliquid, vel quantum ad circumſtantias: ergo ſimiliter ignorantia conſequens cauſat involuntarium, quia per eam non minùs ab agente removetur ſcientia ſeu cognitio prædicta. Reſp. neg. conſeq. & parit. nam ignorantia conſequens eſt vincibilis, culpabilis, & *directè* vel *indirectè*, ac ſaltem *interpretativè* volita & voluntaria, proinde etiam effectus ex non adhibita diligentia, & non inquiſita rei veritate ſecutus erit voluntarius. Secus id eſſe cum ignorantia invincibili antecedente, ex dictis conſtat. Plura, quæ hic de ignorantia in medium utiliter adduci poſſent, præſertim quomodo à pœna excuſet, ad Tractatus de Peccatis & de Legibus differimus, in quorum poſteriori & illa quæſtio, utrùm detur invincibilis ignorantia Juris naturalis, opportuniùs, quàm hic, tractabitur.

# DISSERTATIO TERTIA.

## *De voluntario ùt Libero: ſive de Libertate actuum humanorum.*

111. EX Eccleſiæ Catholicæ deſertoribus de libero arbitrio vel potiùs *de ſervo arbitrio* ſcripſêre Jo. Wicleff. & Lutherus, nec non Bucerus *lib. de Concord.* Phil. Melancht. in *locis tit. de cauſa peccati*, Illyricus cum ſociis Centuriatoribus, *centur.* 2. 3. & 4. & *ſeqq. c.* 4. Brentius in *Apologia pro Confeſſ. Wittemberg.* Calvin. *l.* 2. *Inſtit. cap.* 2. in *Antidoto Con. Trid.* & Kemnitius in *Exam. Seſſ.* 6. *Con. Trid.* &c. Ex orthodoxis noſtris poſt Origenem, Baſilium, Joan. Chryſoſtomum, alioſque Græcos Patres, inter Latinos præcellit S. Auguſtin. & Proſper ad Ruffinum: Boëtius Severinus in 5. *lib. de conſolatione Philoſophiæ*, S. Anſelmus in *lib. de Concord. gratiæ* & *lib. arbitrii:* & in *Dialogo de lib. arbitrio.* S. Bernardus in *lib. de gratia & lib. arbitrio.* Ex recentioribus celebris eſt Albertus Pighius contra Calvinum: Alphonſus à Caſtro *lib.* 9. *adverſùs hæreſes:* Andreas Vega *lib.* 2. *in Con. Trid.* ac plures alii. Nec prætermittendus eſt Petrus Lombardus *lib.* 2. *ſentent. diſt.* 24. & *ſeq.* quem ſequuntur Theologi Scholaſtici.

112. Quantum ad denominationem liberi arbitrii, aliqui cenſuerunt, illud propriè dici de actu rationis ſive de judicio, quatenus nempe ratio liberè judicat de actu voluntatis. Meliùs loqui videntur Bellarmino *lib.* 3. *de gratia & lib. arbit. c.* 2. qui per actum liberi arbitrii actum ſolius voluntatis ſignificari docent cum S. Thom. 1. *part. q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. & SS. Patribus, quos inter D. Auguſtinus *lib. de gratia & libero arbitrio revelavit nobis*, ait, *DEUS per ſcripturas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.* Et S. Proſper *lib.* 1. *de vocatione gentium*, *cap.* 3. dicit: judicium voluntatis depravatum eſt, non ablatum. Nec nomen arbitrii ineptè voluntati accommodatur, etſi arbitrari & judicare ad intellectum pertineat: nam (ùt loquitur Bellar. *cit. cap.* 2.) electio voluntatis eſt quaſi ſententia quædam, & judicium ultimum ipſius voluntatis: unde etiam vulgò dicimus, in meo arbitrio eſt hoc facere, hoc eſt, in mea electione & poteſtate. Potiùs autem arbitrii nomen hic in uſum venit, quàm judicii: eò quòd arbitri ſint liberiores, & ſententiam ferant non ſecundùm leges, ſed ſecundùm æquum & bonum: Judices econtra legibus adſtringantur. Juxta Bellarminum

113. Definitio ex D. Thom. collecta poteſt eſſe hæc: liberum arbitrium eſt libera poteſtas ex his, quæ ad finem aliquem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum

& idem

& idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi, intelligenti naturæ ad magnam DEI gloriam attributa. Ex quo colliges, liberum arbitrium esse potentiam, non habitum vel actum, & quidem indeterminatam, qualis est sola voluntas rationalis. Item, quòd liberum arbitrium sub suo proprio munere circa media versetur, ita, ut electio sit proprius actus liberi arbitrii, & quasi conclusio consultationis, quæ utique circa media, non circa finem occupatur. Et quemadmodum eadem potentia intelligendi, ut respicit prima principia, dicitur *intellectus*, *ratio* verò, prout respicit conclusiones: sic eadem appetendi potentia rationalis, prout respicit finem, dicitur voluntas, ùt respicit media, dicitur liberum arbitrium.

# QUÆSTIO DUODECIMA.

## *De existentia Liberi Arbitrii.*

114. NEgârunt liberi arbitrii existentiam, virtutem, & influxum Heraclitus apud Plutarchum *de placitis Philosophorum lib.* 1. *cap.* 27. nec non Esseni apud Josephum *lib.* 13. *antiquitat. cap.* 9. Simon Magus apud Clement. Romanum *lib.* 3. *Recog.* qui nihil voluntatis libertati, sed fato omnia & necessitati tribuebant. Manichæi damnant naturam hominum, liberum arbitrium negant, adjutorium DEI tollunt, fatumque adstruunt. Chrysost. *Homil.* 45. in Joan. Priscillianistæ Manichæorum simii, fatalibus stellis homines colligatos dixerunt. Augustin. *hæres.* 70. Leo Primus *epist.* 93. *caq.* 11. Mahumetani tenent, quòd quidquid fecerit homo, sive bonum, sive malum, præscriptum & prædestinatum sit illi à DEO, antequam nascatur. Leo Imperator epistola ad Orcoarum Saracenorum Regem. Wicleff. 2. *Trialog. cap.* 13. DEUS, ait, necessitat creaturas singulas activas, ad quemlibet actum suum, & sic sunt aliqui prædestinati, hoc est, post laborem ordinati ad gloriam, & aliqui præsciti post hanc vitam miseram ad pœnam perpetuam &c.

115. Quid hic Lutherus? Liberum arbitrium (ait in *assertionibus artic.* 36.) post peccatum res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter &c. Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia (ùt Wicleffi articulus Constantiæ damnatus docet) de necessitate absoluta eveniunt, quod & Poëta voluit, quando dixit:

- - *certa stant omnia lege.*

In *Libro*, quem vocat *Operationes in Psalmos*, in *Psal.* 5. sic asserit: Error est, liberum arbitrium habere activitatem in bono opere quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, sperare, diligere jam diximus, motus, raptus, ductus verbi DEI, & quædam continuata purgatio & renovatio mentis & sensûs de die in diem in agnitionem DEI, licèt non semper æquè intensa sit illa passio, tamen semper est passio. Ecce (inquit Hier. 18.) sicut lutum in manu figuli, ita vos, Domus Israël in manu mea. Quid, obsecro, activitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit; Nónne mera passio ibi cernitur? *De servo arbitrio* ita loquitur: DEUS cùm tales nos sciverit futuros, talesque nunc faciat, moveat, gubernet, quid potest fingi; quæso, quod in nobis liberum sit aliter atque aliter fieri, quàm ille præsciverit, aut nunc agat? Pugnat ergo ex diametro præscientia & omnipotentia DEI cum libero nostro arbitrio. Notanda quoque sunt illa verba: sequitur, nos necessariò operari. . . Necessariò verò dico, non coactè, necessitate immutabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo cùm vacat spiritu DEI, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; sed sponte & libenti voluntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, quòd voluntas sese mutare & vertere aliò non possit. Rursus ex altera parte, si DEUS in nobis operatur, mutata & blandè assibilata per spiritum DEI voluntas, iterum merâ lubentiâ & pronitate, ac sponte suâ vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potiùs est, ut sic dicam, noluntas.

116. Quid Melanchton? Nugatorium est commentum (inquit ad *cap.* 8. *ad Romanos in editione* 1.) liberum arbitrium; eò tantùm fertur, quorsum impellitur. Et in *editione* 2. dicit: Non est rerum contingentia, sed necessitas quædam juxta destinationem DEI.

117. Quid Calvinus; Sed erunt (ùt sonant ejus verba *l.* 2. *Institut. cap.* 3. §. 7.) qui concedent, voluntatem à bono suopte ingenio aversam sola Domini virtute converti, sic tamen, ut præparata suas deinde in agendo partes habeat &c. sed hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ prævenienti pedissequâ voluntate obsequatur. §. 11. Ac voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est, ac creditum, ut nostræ posteà sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo.

118. Conclusio Catholica firmiter tenet, hominem, etiam post lapsum, liberum arbitrium servare; atque ad benè vel malè agendum nullâ Divinâ vel fatalî necessitate cogi. Sacræ litteræ clarè id docent, ùt *Gen.* 4. 6. ubi Dominus ad Cain dixit: *Quare iratus es, & concidit facies tua? Nónne si benè egeris recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, & tu domi-*

*dominaberis illius. Num.* 30. 14. In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat. *Deuter.* 30. 19. *Ecclesiast.* 15. 14. *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Eccles.* 31. 10. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus &c.* Ad Cor. 7. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Confirmant & consentiunt Patres Græci, & Latini. Ex. gr. Dionys. Areopagita *de Cœlesti Hierarch. cap.* 9. Neque enim coactam habemus vitam, neque liberi arbitrii gratia, divinitus data mortalibus, providentiæ Divinæ luce & splendore obtunditur.

119. Justinus Martyr *Oratione ad Gentiles.* Quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio DEUS creavit, justo judicio pro delictis suis supplicium igne sempiterno reportabunt. Illa quippe ortæ cujusque rei natura est, ut virtutis & vitii sit capax: neque quicquam eorum, quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alteroversùm se convertendi obtineret &c. Stoici si fato dicent omnia fieri, quæ fiunt, aut nihil esse DEUM, aut rebus plerisque mutandis & alterandis, & in eadem, unde orta sunt, semper dissolvendis, corruptionique tantùm subjectarum notitiam habere, & DEUM ipsum, quà per partes, quà per universum in pravitate seu ærumna versari: aut neque vitium neque virtutem esse dicere videbuntur: quod certè præter sanam notionem, rationem, & mentem est.

120. Ambrosius *lib.* 1. *de Jacob & vita beata cap.* 1. Non servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitrâ, sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat, rationem secuta. In *Ps.* 118. *octonario* 11. (*quot sunt dies servi tui*) Dominus JESUS veniens in hunc Mundum per Virginis partum, subjecit animæ nostræ omnes contrarias potestates, ut fide tua, verbo tuo, conversatione tua, & operibus conterantur. Si ergo non conteris adversarium tuum, tua culpa est, qui permissâ non uteris potestate. In nobis est igitur, ut aut subjiciatur adversarius, aut resultet. *Epist.* 34. An fortè verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia, per quæ propitiatur DEUS, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante spiritu DEI juvatur arbitrium, non aufertur: & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis Medici curata revalescat, & gaudeat, se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam.

121. Augustinus *de Civitate DEI lib.* 5. *cap.* 10. nullo modo cogimur, aut retentâ præscientiâ DEI tollere voluntatis arbitrium, aut retentô voluntatis arbitriô DEUM (quod nefas est) negare præscium futurorum, sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & efficaciter confitemur. . . Neque ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præscivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum præscivit; qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.

122. *De Spiritu & littera cap.* 30. Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit. Sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi liberô arbitriô. Sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, quâ lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur: quia gratia sanat voluntatem, quâ liberè diligatur justitia.

123. In 1. *Joan.* 4. *capite.* Vide, quomodò non abstulit liberum arbitrium, & diceret, *castificet seipsum.* Quis castificat, nisi DEUS? Sed DEUS te nolentem non castificat. Ergo quod adjungis voluntatem tuam DEO aliquid volenti, ideo & tibi aliquid tributum est, ut dicas, sicut Psalmist: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Si DEUS adjutor tuus est, aliquid agis certè. Nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?

124. *Contra Faustum Manichæum disputat.* 2. ego dico, peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur? hinc esse & præmium, quia propria voluntate rectè facimus; aut si pœnam meretur, qui peccat invitus, debet & præmium mereri, qui bene facit invitus.

125. Mirum & intolerabile cui non videatur, dum aliquid pertinaciter negari audiat, quod lumine rationis, & propriâ cujuslibet experientiâ evidens est, ut est liberum arbitrium in actionibus saltem civilibus & externis. Si enim omnia ex fatali quadam necessitate fierent, ad quid in Republica instituuntur publica consilia, conduntur leges, statuuntur pœnæ, & præmia distribuuntur? Cur in exercitu ad prælium subeundum Ducum facundiâ, promissis, tubis & tympanis accenduntur animi? Ad quid opus esset in negotiis humanis deliberatione, prudentiâ, industriâ, & consultatione

de

de mediis five apud opifices, five apud mercatores, five apud agricolas? Illi ipfi, qui ex libero arbitrio fervum vinculatum faciunt, & libertatem voluntati negando auferunt, hortantur fuos ad actiones honeftas, utiles, honorificas: refractarios & delinquentes vindicta coërcent, pœnaque præftitutâ à malo cohibere ftudent: folliciti funt in periculis, cauti in rebus dubiis; ac læfi, feu injuriâ affecti, de reparatione & fatisfactione confequenda media conquirunt. An poffunt irafci illis, à quibus, non liberè agentibus, fed neceffitate impulfis, injuriam acceperunt? Adhæc: ubi eft non tantùm cognitio finis, fed etiam confultatio mediorum, horumque collatio cum illo, ac fubfequens electio, feu unius præ altero optio, approbatio, & applicatio, ibi utique admittenda eft in agendo, vel non agendo aliqua indifferentia, adeoque dominium actûs, utpote liberum arbitrium. Atqui in homine fanæ mentis etiam poft lapfum Adami, ftante præfcientia & concurfu DEI, prædicta omnia ita fe habent. Ergo &c.

126. Licèt autem omnes veri orthodoxi in admiffione liberi arbitrii, feu facultatis liberè agendi, vel non agendi quoad fubftantiam confpirent, in modo tamen (quem hactenus Ecclefia non definivit) multùm difcordant, qualiter nempe libertas caufæ fecundæ cum decretis Divinis efficacibus, & influxu caufæ primæ concilietur. Nos paulò inferiùs doctrinam Thomifticam amplectemur.

# QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

## *Utrùm tam indifferentia contrarietatis, quàm contradictionis fit effentiale requifitum libertatis?*

127. INdifferentia aliqua objectiva pro falvanda libertate admittenda eft, in quantum, antequàm voluntas in actum liberum exit, intellectus objectum ita proponit fub ratione boni, ut tamen non proponatur tanquam omnino perfectum, fummum, feu plenè fatiativum, feu quod voluntas non poffit non amplecti. Debet prætereà potentia indifferens, feu libera, aliquo modo effe *activa*, videlicet ad modum liberi fecundi, ac effentialiter à libero primo dependentis, ut poffit agere vel non agere, quæ indifferentia exercitii feu contradictionis dici folet: fpecificationis, feu contrarietatis verò dicitur, quando infuper datur indifferentia, aut ad actus oppofitos, ùt funt amor & odium, aut ad objecta contraria, ùt funt honeftum & turpe: aut ad diverfa fpecificè feu difparata, ùt funt datio eleemofynæ, & auditio Sacri: quæ pofterior indifferentia reduci poteft ad indifferentiam quoad fpecificationem: unde fola indifferentia *paffiva*, vi cujus datur mera capacitas ad recipiendos actus, non fufficit, veluti expreffè errorem contrarium damnavit S. Conc. Trid. *feff. 6. Can. 4.* his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum nihil cooperari, affentiendo DEO excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juftificationis gratiam fe difponat ac præparet, neque poffe diffentire, fi velit, fed veluti inanimè quoddam nihil omnino agere, mereque fe paffivè habere, anathema fit.* Itaque eadem voluntas eft fimul entitas feu potentia activa, & fimul paffiva, habito diverfo refpectu: in quantum fcil. actus liberos vitales producit, & productos recipit.

128. Præter illam fuprà adductam liberi arbitrii definitionem duæ aliæ libertatis definitiones apud noftros Theologos celebres funt: una, quæ maximè Recentioribus placet, dicentibus liberum principium effe, *quod, pofitis omnibus requifitis ad agendum, poteft agere vel non agere:* alia Thomiftis magis familiaris, definientibus liberum arbitrium, quòd fit facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet: vel, ut alii explicatiùs loquuntur, quòd fit dominium fui actûs ad oppofita. Si defenfores primæ definitionis aliud non vellent, quàm quòd ad facultatem liberam requiratur poteftas feu potentia agendi & non agendi, & quòd hæc fit compoffibilis cum complexo requifitorum, quæ conftituunt actum primum, certè cum pofterioribus unanimiter fentirent: quia verò illi priores cum *non effe actionis* abfolutè omnia requifita debere componi poffe, adeoque etiam ipfum requifitum ex parte actûs fecundi neceffarium (quod Thomiftæ prædeterminationem phyficam appellant) prætendere non verentur, non eft mirum, quòd Partes inter fe tam graviter collifæ in unam fententiam conciliari nequeant. His præmiffis, fit noftra

129. Conclufio: Ad falvandam libertatem actûs humani non fufficit fola fpontaneitas, hoc eft, immunitas à coactione; verùm requiritur etiam immunitas à neceffitate: quæ immunitas feu libertas effentialiter confiftit in indifferentia contradictionis, feu potentia ad agendum, vel non agendum; adeoque indifferentia contrarietatis non eft de effentia libertatis. Prima pars eft communis, præfertim Thomiftarum; utraque verò pugnat contra Guillermum Gibiufum, qui fecundùm relata à Gonetto hic *difp. 2. art. 3. §. 1.* in *lib. de libert. DEI & creaturæ à cap. 3.* oftendere conatur, libertatem fitam effe in amplitudine & eminentia naturæ intellectualis fupra corporeas, præfcindendo ab indifferentia, citans pro fe plures anti-

antiquos, & recentiores Theologos: est insuper contra Jansenium, qui *lib. 6. de Gratia Christi* docet, libertatem simpliciter dictam essentialiter nihil importare, nisi immunitatem *à coactione* cum luce ac directione rationis: hácque explicationis formulâ haud difficulter gratiam efficacem cum libertate conciliaret, nisi ea conciliatio falso supposito niteretur.

130. Prob. conclus. quoad secundam & tertiam partem. Est de fide, ad actus meritorios & demeritorios aliquam indifferentiam requiri, ita ut spontaneitas seu sola immunitas à coactione, id est, violentiâ à causa seu agente extrinseco illatâ, non sufficiat; nam ùt loquitur Ecclesiasticus in Cantico *cap. 31. Beatus ille judicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit;* & percurrenti Sac. scripturam passim obvium est, quòd liberum in utramvis *partem hominis arbitrium asseveret.* Ipse D. Thomas eam sententiam, quæ solam immunitatem à violentia in voluntate ponit, háncque ex necessitate ad aliquid eligendum moveri adstruit, verbis expresßis *qu. 6. de Mal. art. un.* jam suo tempore tanquam hæreticam rejecit, eò quòd non videatur esse *meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit: aliàs* (pergit) *tolleretur deliberatio, & laus, & vituperium, præceptum & punitio, circa quæ moralis Philosophia consistit.* Hoc jam posito, indifferentia aliqua ùt essentialis statuenda est: At hæc est illa indifferentia contradictionis: Ergo vera est conclus. Min. probat. Indifferentia contrarietatis non est de essentia libertatis, sed solùm ùt accidens quoddam ad statum Viatorum pertinet: ergo ex duabus indifferentiis sola illa contradictionis pro essentiali habenda est. Probat. Ant. ex Divo Tho. in 2. *dist. 25. qu. 1. art. 1. ad 2.* ubi tradit, ad rationem liberi arbitrii non pertinere, *ut indeterminatè se habeat ad bonum vel ad malum; quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cùm bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quem apprehendit ùt bonum, cùm non sit voluntas aut electio nisi boni, aut apparentis boni: & ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest: quia imperfectum esse non potest.* Igitur S. D. apertè negat, indifferentiam ad bonum vel ad malum ad perfectionem libertatis spectare: Ergo nec spectat ad essentiam libertatis. Deinde mox subsequentibus verbis S. D. ut, libertatis essentiam in indifferentia contradictionis consistere, subindicet. *Sed hoc*, ait, *ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit. Et hoc DEO convenit: Bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.* Ecce! In DEO est perfectissima libertas, & tamen DEO repugnat indifferentia ad bonum malum. Est insuper in Angelis, & cæteris Beatis cum respectu ad bona creata, & particularia major libertas, quàm in nobis viatoribus; item erat perfectior libertas in B. Virgine, aliisque Sanctis, specialis gratiæ privilegiô in bono ita confirmatis, ut non potuerint declinare ad malum, erat, inquam, longè perfectior libertas, quàm si nobiscum, qui in bono confirmati non sumus, peccare, & ita indifferentiam contrarietatis in exercitium, declinando in malum, redigere potuissent: illa siquidem libertas perfectior esse censetur, quæ imagini perfectionis Divinæ propior & conformior est tanquam principiatum suo principio, & tanquam ectypon suo prototypo: Atqui imago libertatis Divinæ solam contradictionis indifferentiam (scil. merè activam, & modo eminentissimo) in se continet ac repræsentat, huicque imagini propior & conformior est, quæ habetur cum exclusione indifferentiæ ad bonum & malum, ad deficiendum à fine, & ad peccandum: Ergo libertas prædicta Beatorum, eorúmque, qui specialiter in via fuerunt confirmati in gratia, in perfectione longè præcellit libertati nostræ, pro hoc statu viæ tantùm cum potentia peccandi, quæ ex indifferentia contrarietatis ad bonum & malum oritur, conjunctæ. Sanè, si libertas contrarietatis liberum arbitrium perficeret, & potentia ad peccandum, blasphemi, sacrilegi, adulteri, latrones &c. Christo, Matri DEI, & omnibus Beatis in Cœlo, in perfectione libertatis (quæ in DEO est perfectio simpliciter simplex, & melior ipsa, quàm non ipsa) antecellerent: quod si admittas, nescio, utrùm absurdè magis, quàm impiè loquaris. Maneat ergo, quòd sola indifferentia contradictionis sit de libertatis essentia: solâ enim illâ positâ, jam adest perfecta libertas; illâ solâ ablatâ, ablata est libertas, & succedit necessitas, sive determinatio v. gr. ad agere: illud namque, quô solô, ùt constitutivô intrinsecô positô, ponitur essentia, censetur esse essentiale, & quô solô ablatô, aufertur essentia: Jam verò positâ vel ablatâ indifferentiâ contrarietatis ad bonum & malum, non ponitur hoc ipso, aut tollitur libertas, velut patet maximè in Christo, & in Beatis, uti prætactum est.

131. Oppon. primò: *Illud nos habere in potestate dicimur, quod, cùm volumus, facimus:* atqui, quoties abest coactio, facimus, cùm volumus. Ergo, quoties abest coactio, actionem in potestate habemus: quando autem actionem in potestate nostra habemus, agimus liberè: Ergo non est opus aliquâ indifferentiâ contradictionis, sed sufficit immunitas à coactione. Maj. est S. Augustini. *l. 2. de lib. arb. cap. 3.* min. est certa. Resp. explicando tex. D. Augustini, cùm volumus ita, ut possimus non velle, tunc concedo, actionem in potestate nostra haberi: secus, si non possimus non velle. Quòd enim D. Augustinus in isto sensu loquatur, patet ex plurimis aliis ejus textibus, singulariter ex illo, quem leges in *lib. de spiritu & litera, cap. 31.* ibi: *hoc quisque in potestate habet, quod si vult, facit; si non vult, non facit.*

132. Op-

132. Oppon. ſecundò alium locum D. Auguſtini ex *cap.* 30. *Enchirid.* in quo perfectam arbitrii noſtri libertatem pro ſtatu naturæ lapſæ negare videtur, dicendo: *libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum. Sicut enim, qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare, cùm occiderit: ita, cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium.* Cùm autem Magnus hic Eccleſiæ Doctor interitum liberi arbitrii negare non poſſit, negatâ indifferentiâ, ſaltem immunitatem à coactione ùt ſufficientem, tacitè affirmat. Reſp. neg. conſeq. & ad penetrandam mentem D. Auguſtini ſcire oportet ex mellifluo Bernardo *lib. de grat. & lib. arbit.* quod triplex poſſit diſcerni libertas: *à peccato, à miſeria, & à neceſſitate. Hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturæ: in primam reſtauramur à gratia: media nobis reſervatur in patria.* Divus Auguſtinus *loc. cit.* minimè negat, poſt lapſum in homine ſtetiſſe libertatem naturæ, hoc eſt, naturalem facultatem cum indifferentia & diſcretione judicii agendi vel non agendi, quæ eſt libertas à neceſſitate: ſed ibi hoc dicere intendit, quòd homo lapſus præter libertatem, quæ eſt à miſeria, etiam libertatem gratiæ amiſerit, in quantum eam amittendo factus eſt ſervus peccati, & captivus diabolo. Hinc contra duas epiſt. Pelagian. *cap.* 2. ſcribit: *libertas quidem periit per peccatum, ſed illa, quæ in Paradyſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.*

133. Oppon. tertio: Poſitâ ſolâ indifferentiâ contradictionis, nondum eſt poſita vel conſtituta tota libertas: ergo in hac indifferentia non conſiſtit tota eſſentia libertatis. Antec. prob. Ubi genus poteſt contrahi ad duas ſpecies, per hoc, quod ſit contractum per unam differentiam ad unam ſpeciem, necdum eſt poſita tota eſſentia, donec contrahatur per aliam differentiam, etiam ad alteram ſpeciem; veluti patet in animali: hujus enim tota perfectio nondum cenſetur poſita, ſi per rugibile ſit contractum ad ſpeciem leonis, & non ſimiliter per alias differentias contractum ſit ad alias ſpecies. Atqui libertas genericè ſpectata poteſt contrahi ad duas ſpecies, unam contradictionis, alteram contrarietatis; in has quippe ſpecies dividitur libertas: ergo poſita contractione libertatis ad unam ſpeciem, ſcil. contradictionis, nondum cenſetur poſita tota eſſentia libertatis, ſed tunc primum, ſi etiam ſupponatur contracta ad alteram ſpeciem, quæ eſt indifferentia, ſeu ipſa libertas contrarietatis.

134. Reſp. primò Paul. à Concept. hic *diſp.* 2. *dub.* 2. *n.* 20. Negando, libertatem dividi in duas ſpecies aſſignatas: quia, ait, ad veram diviſionem requiritur, quòd diviſum non ſit ipſum membrum dividens, & membrum dividens addat aliquid ſupra diviſum: hoc autem non ita accidit in diviſione libertatis: quia in libertate contradictionis continetur adæquatè eſſentia libertatis. Libertas verò contrarietatis tantùm eſt multiplicatio libertatis contradictionis, in quantum voluntas indifferens ad amorem & odium eſt indifferens *ad eſſe* amoris & *non eſſe* amoris; ad *eſſe* odii & *non eſſe* odii; & per quamlibet indifferentiam contradictionis ſalvatur adæquatum & perfectum dominium utriusque extremi contradictionis, in quo tota eſſentia libertatis conſiſtit, nam (ùt ſupra diſcurrit *n.* 13.) perfectum dominium ſolùm conſiſtit in eo, quòd voluntas poſſit diſponere pro libitu ſuo de actu; atqui non diſponit de illo pro ſuo libitu, prout poteſt ponere amorem & odium, ſed præcisè, prout poteſt ponere amorem, & carentiam amoris: & ita ſi per poſſibile vel impoſſibile voluntas ponens odium, non poſſet ponere carentiam amoris, neutiquam diceretur, quòd diſponeret pro libitu ſuo de amore. Hæc ille.

135. Reſp. ſecundò. Quidquid ſit de libertate *contrarietatis*, quæ detur v. gr. ad amorem vel odium alicujus objecti creati, ubi odium non habet rationem mali *moralis* ſeu peccati, ſaltem illa contrarietas vel indifferentia, quæ datur ad bonum & malum *moraliter* ſibi contraria, conſiſtens in potentia peccandi, non poteſt eſſe ſpecies ſeu membrum dividens libertatis in ſua eſſentia ſpectatæ, tametſi indifferentiæ & libertati contradictionis tanquam ſpecies diverſa adjungatur cum reſpectu ad ſtatum viatorum, in quibus locum habet potentia peccandi, vel etiam ad ſtatum damnatorum: Nam S. Th. *q.* 22. *de Verit. art.* 6. docet expreſsè, quòd *velle malum* nec *ſit libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit aliquod ſignum libertatis.* Textus eſt notabilis, & hinc ex fonte citandus. *Cùm voluntas dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet, libertas voluntatis in tribus conſideratur: ſcil. quantum ad actum, in quantum poteſt velle & non velle; & quantum ad objectum, in quantum poteſt velle hoc vel illud, & ejus oppoſitum; & quantum ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum vel malum.* Sed quantum ad primum horum *ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujuslibet objecti.* Secundum *verò horum eſt reſpectu quorundam objectorum, ſcilicet reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundùm quemlibet ſtatum naturæ.* Tertium *verò non eſt reſpectu omnium objectorum, ſed quorundam, eorum ſcil. quæ ſunt ad finem, nec reſpectu cujuslibet ſtatûs naturæ, ſeu illius tantùm, in quo natura deficere poteſt: nam, ubi non eſt defectus in apprehendendo & conferendo, non poteſt eſſe voluntas mali, in his, quæ ſunt ad finem, ſicut patet in brutis. Et pro tanto dicitur, quòd velle malum nec eſt libertas, nec pars libertatis: quamvis ſit aliquod ſignum libertatis.*

136. Cum his correſpondet alius præclarus textus ejusdem Angel. D. 1. *p. q.* 62. *a.* 8. *ad* 3. *Liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea, quæ ſunt ad finem, ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones. Manifeſtum eſt autem, quòd ad virtutem intellectûs pertineat, ut in diverſas con-*

*clusiones procedere possit secundùm principia data: sed quòd in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quòd liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: sed quòd eligat divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis; unde major libertas arbitrii est in Angelis, quia peccare non possunt, quàm in nobis, qui peccare possumus.* Sed contra

137. Oppon. quartò: Ex relato textu probari nimium; quia ibi dicitur, quòd peccare pertineat ad *defectum libertatis:* Ergo, in quantum pro hoc statu viæ datur potentia peccandi, sic daretur defectus libertatis: igitur necessariò peccabimus, quod repugnat cum fide. Resp. Neg. illatum: aliud siquidem est carentia libertatis, aliud defectuosa libertas, sicuti non est idem, carere potentiâ eundi, & habere potentiam eundi debilem, seu defectuosam, ob quam aliquis facilè cadit. Libertas igitur ad malum quà talis nequit non esse defectuosa, supponens vertibilitatem nostræ voluntatis, quat. pro hoc viæ statu caret principio confirmante nos in bono, & constanter nos ordinante seu determinante ad nostrum finem: alioquin si prædicta libertas quà talis importaret aliquid de perfectione, non foret ratio, cur DEUS, dum nos ad malum determinamus, nos non similiter aut prævié determinaret ad defectum moralem, aut simultaneè saltem nobiscum concurreret.

138. Oppon. quintò: Concilia ex Scriptura referunt, quòd DEUS hominem *reliquerit in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum*, ut, ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam; nec abs re beatus ille judicetur, qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit &c. Censent ergo, quòd indifferentia contrarietatis ad bonum & malum per se spectent ad libertatem ùt pars & extensio illius. Resp. neg. conf. tum quia id apertè negat D. Thom. *loc.* mox *cit.* dicens, quòd illa indifferentia ad bonum & malum sit signum seu indicium nostræ libertatis; tum quia si esset pars aut extensio libertatis, ea, quæ est in Angelis, & in ipso DEO, non foret major, quàm sit nostra, sed diminuta esset: tum denique, quòd non prædicetur aliquis beatus, quia potest facere mala, sed quia à malo se cohibet & retrahit, & sic se cohibendo sibi comparat merita ad consequendam beatitudinem.

139. Ex dictis colligitur, libertatem *radicalem*, quæ in indifferenti judicio, & propositione objecti consistit, in intellectu esse, *formalem* verò quantum ad actum primum esse in sola voluntate, tanquam dominâ actuum suorum.

140. Restaret discutienda quæstio, an libertas in actu secundo sit intrinseca actui libero elicito, vel solùm extrinseca per denominationem extrinsecam cum ordine ad principium liberum, scilicet ad voluntatem, à qua egreditur? Resp. breviter cum Theol. Salisb. quòd in recto sit intrinseca actui libero, & ab eodem realiter indistincta, sic tamen, ut in obliquo connotetur judicii indifferentia, seu propositio objecti indifferens ab intellectu facta, quæ si adsit, actui tribuit denominationem *liberi:* si verò absit, tribuit denominationem *necessarii:* quemadmodùm, juxta multos Theologos, idem actus dilectionis in Christo denominabatur liber, quat. erat actus viatoris, *ac* regulatus per lumen scientiæ infusæ: & simul necessarius, ut erat actus comprehensoris, regulatus per lumen gloriæ. Dixi: actus elicitus: nam actus à voluntate in potentiis exterioribus imperati in se non sunt intrinsecè liberi, sed solùm per dependentiam & denominationem extrinsecam à voluntate.

## QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

### *Utrùm ad actum humanum perfectè liberum ita sit necessaria Prædeterminatio Physica, ut tamen ejus libertati nihil officiat?*

141. SUppono communem inter Salisburgenses Prædeterminationis physicæ definitionem, quòd nempe sit physica & realis motio à solo DEO procedens, causæ creatæ transeunter impressa, & prioritate naturæ præcedens ipsius operationem, per quam causa creata efficaciter excitatur & applicatur ad operationem conformiter suæ naturæ eliciendam.

142. Conclusio prima: ad omnem actum humanum liberum Prædeterminatio physica est essentiale requisitum. Auctoritates, quibus hæc conclusio fulcitur, sunt sanè pondere graves, & numero prævalentes sententiæ oppositæ. Sic Apostolus ad Philipp. 2. *DEUS*, inquit, *est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, conformiter ad illud, quod habetur Ezechiel. 36. v. 27. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Concilium Arausicanum *Can.* 9. definit: *Quoties bona agimus, DEUS in nobis & nobiscum, ut operemur, operatur.* Idem sensisse PP. Trid. Concilii, ex infra dicendis patebit. Unus saltem locus ex Div. Augustino, scil. *ex lib. de grat. & lib. arbit.* producendus. Certum est, ait, *nos facere, cùm facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*, qui dixit: *faciam, ut in justificationibus meis ambuletis.*

143. Ex innumeris testimoniis D. Thomæ excerpo tria tantùm: primum extat in 1. 2.

1. 2. *qu.* 109. *art.* 1. ubi docet, quòd actio cujuscunque agentis creati dependeat à DEO quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam (cujus nomine virtutem operandi subaudit) alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum. Alterum reperies in *q.* 3. *de pot. art.* 7. *in Corp.* ubi præmotionem, seu prædeterminationem physicam re ipsa indicat, quia ibi influxus DEI vocatur applicatio virtutis ad actionem, & comparatur actioni, qua homo applicat acumen cultelli ad incidendum movendô ipsum. Tertium huic secundo consonat 1. *p. q.* 105. *art.* 5. ibi: *DEUS movet res ad operandum quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, sicut artifex applicat securim ad scindendum.* Cumulus hic textuum quid aliud in rei veritate significat, quàm actiones voluntatis nostræ à prævia DEI moventis determinatione universim dependere? Sed à tali prævia determinatione dependere, non est quid aliud, quàm à prædeterminatione physica dependere. Ergo actiones voluntatis nostræ universim, sive liberæ, sive indeterminatæ, à prædeterminatione physica dependent.

144. Rationum, quibus conclusio firmatur, quasdam dictavi Auditoribus meis in *Tr. de DEO Uno*, ubi de decretorum Divinorum efficacia intrinseca egi: item de cognitione futurorum conditionatorum, & de scientia DEI, ùt causâ rerum, nec non de prædestinatione. Alia fundamenta Thomistica, præsertim contra concursûs simultanei sufficientiam, quâ RR. tum textus sibi adversantes, tum essentialem dependentiam actionum creatarum omnino salvari, persuadere nituntur, in mea physica expressa adduxi; hic unicam tantùm, quæ è re nostra in præsenti est, expensurus.

145. Argumentor sic: Principium intrinsecè indifferens ad agere vel non agere; item ad agere per amorem vel per odium, in hac vel illa specie mortalitatis, circa hoc vel circa aliud objectum; item ob hunc vel alium finem; aut per electionem hujus medii præ alio &c. tale inquam, principium indiget principio aliquo determinante, quô movente exeat potiùs in actum, quàm ut maneat suspensum; aut in hunc actum potiùs quàm in alium. Atqui voluntas creata est principium hoc modo indifferens. Ergo indiget aliquo determinante &c. Subsumo: Principium illud sic determinans est DEUS per suum influxum & motionem præviam, adeóque per prædeterminationem physicam &c. Ergo cùm principium intrinsecè indifferens sit illud, à quo eliciuntur actus humani liberi, ad omnem talem actum opus erit prædeterminatione.

146. Prob. inprimis Maj. ex Div. Thoma 3. *cont. gent. cap.* 2. ubi sic loquitur: *Quod indifferenter se habet ad multa, non magìs unum operatur, quàm aliud; unde à contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid, per quod ad unum determinetur.* Cujus rationem idem S. D. dedit 2. *phys. lect.* 8. Quia id, *quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia; potentia autem non est principium agendi, sed solùm actûs. Unde ex eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad unum.* Deinde ùt rectè discurrit Gonet hic *disp.* 6. *§.* 8. indifferens & determinatum videntur inter se opponi, & se habere ùt frigidum & calidum; adeóque sicut à frigido ùt tali non potest calor procedere, ita nec ab indifferenti, ùt indifferens est, potest actus exire.

147. Min. probaremus, nisi per eam ipse conceptus libertatis, sive liberi arbitrii explicaretur, de ratione cujus est, quòd sit domina sui actûs, adeò, ut positis omnibus requisitis ex parte actûs primi, adhuc sit indifferens, ut possit agere vel non agere; aut hoc vel illo modo agere. Conseq. negari non valet. Sed in contrarium

148. Oppon. prim. Esto voluntas sit indifferens & in potentia ad suos actus: negari tamen non potest, eam propter eminentiam suæ virtutis libertatem, ac perfectionem dominii, quo pollet in suos actus, esse virtualiter in actu; Ergo non habet opus aliqua extrinseca determinatione, qua in actum reducatur, sed potest se ipsam determinare atque in actum reducere. Ita Exim. Suar. *lib.* 3. *de Auxil. c.* 42. & 43. apud Gonet *d. disp.* 6. *art.* 2. *§.* 8. Verùm contra est primò, quòd Suar. hic manifestè contradicat auctoritatibus supra adductis, quæ omnes clamant, DEUM facere, ut operemur, DEUM nos applicare. Quibus addo textum ex *q.* 3. *de Pot. artic.* 7. *DEUS est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi,* & in quantum *applicat actioni*; & ex *q.* 22. *de Verit. artic.* 8. *Actio voluntatis non tantùm est à voluntate ùt immediatè agente, sed à DEO ùt primo agente, qui vehementiùs imprimit.* Atqui juxta Suar. voluntas se ipsam applicaret actioni: nec actio voluntatis foret à DEO ùt primo agente; sed à sola eminentia virtutis creatæ, ùt dicit. Contra est secundò: quòd nequeat explicari, quid sit illud *esse virtualiter in actu?* Admittit ille, voluntatem esse indifferentem & in potentia ad suos actus: cùmque voluntas contingenter agat, quomodo jam virtualiter est magis in uno actu, v. g. amoris, quàm in altero v. g. odii?

149. Opponent secundò: Agens præditum perfecta virtute ad producendum effectum, non indiget actuali influxu alterius causæ ipsum determinantis: atqui tale agens est nostra voluntas. Ergo &c. Sed contra est, quòd major sit vera de solo agente alteri causæ essentialiter non subordinato, quale est solus DEUS. Hinc sic insto: non tantùm virtus agendi voluntati creatæ competens in esse entis & virtutis activæ in actu primo est quid creatum participatumque, adeoque essentialiter DEO ùt Enti primo & causæ universalissimæ subordinata, ac ab eo dependens; verùm etiam actualis determinatio, quá

qua voluntas in actu secundo ad actum amoris v. g. seipsam *formaliter* determinat, ipsaque actionis *egressio*, tanquam similiter aliquid creatum tam in esse *entis*, quàm in ratione actionis seu actûs secundi subordinatur DEO essentialiter, atque à DEO dependet. Atqui si actualis formalis voluntatis determinatio á DEO ùt causa prima dependet, illa determinatio necessariò à DEO procedit actualiter causaliter ratione influxûs Divini sibi ùt enti & actioni indispensabiliter necessarii. Ergo non obstante virtutis perfectione, ipsa actualis determinatio voluntatis creatæ, qua se ipsam formaliter determinat, ipsaque actûs egressio actualiter causaliter à DEO dependet. Sed

150. Opponent tertio: Ad præfatam dependentiam & subordinationem non requiri concursum DEI prævium, sed sufficere simultaneum. Sed contra est primò, vel concursus simultaneus DEI est indifferens v. g. ad actum amoris & odii, vel habet se ut determinans ad unum: Si est indifferens, ùt volunt RR. quomodo à concursu ùt à causa indifferenti effectus determinatus procedet? Si verò voluntatem creatam determinet ad unum actum potiùs quàm ad alterum, non est concursus merè simultaneus, sed omnino prævius; quia causat determinationem voluntatis: causa autem saltem prioritate naturæ seu causalitatis præcedit effectum. Secundò: Concursus simultaneus in explicatione RR. est indifferens ad utrumlibet actum oppositum, & ab ipsa voluntate creata determinatur, ut sit concursus potiùs ad amorem, quàm ad odium: Ergo concursus ille subordinatur potiùs voluntati creatæ, quàm quòd voluntas cum suo actu concursui Divino subordinetur, & vi illius essentialiter à DEO dependeat. Tertiò: Concursus ille simultaneus, qui actionem creatam faceret dependere à DEO, deberet esse in se vera causalitas & actio: atqui non est vera actio & causalitas DEI: nam ad veram actionem & causalitatem requiritur, ut actio seu causalitas & terminus, qui per eam fit, inter se realiter distinguantur: nequit enim dari realis dependentia unius ab alio, nisi unum realiter distinguatur ab altero; alioquin aliquid posset realiter dependere à seipso: at concursus DEI simultaneus non est distinctus realiter à termino illo; qui per ipsum fit, scil. ab actione libera voluntatis creatæ, sed, ùt Adversarii volunt, est ipsa actio libera prout dependens à DEO: Ergo concursus simultaneus non habet se ùt vera actio & causalitas respectu actionis creatæ liberæ, per quam talis actio dependeret à DEO.

151. Neque replices, secundùm Philosophos actionem liberam produci per se ipsam, hoc est per actionem à se realiter indistinctam: Nam hoc jaculum retundit Clariss. P. Lud. Babenstuber in *Vindiciis Prædeterm. Phys. part.* 2. *n.* 129. Mens Philosophorum haud est, quòd actus liber per se ipsum, sive per actionem sibi identicam propriè producatur tanquam terminus sive effectus *qui* agentis: sed solùm impropriè tanquam effectus *quo*, & ipsa *ratio* efficiendi, agendi, producendi. Nos autem, quando ex communi Philosophorum principio asserimus, quòd causa quà causa prioritate naturæ suum effectum præcedere debeat, loquimur de effectu *qui* & propriè dicto cujuslibet causæ, qualis est actu liber voluntatis creatæ ùt procedens à DEO; quis enim negare audeat, actum liberum verè & propriè à DEO produci & tanquam effectum *qui?* Nequit ergo actus liber creaturæ respectu DEI se habere tanquam *ratio* formalis agendi ipsi DEO, cùm ista ratio agendi sit actio adæquatè increata.

152. Conclusio secunda: Prædeterminatio Physica nullo modo tollit libertatem in actu humano, sed magis libertatem actualem causat. Prob. primò auctoritate Div. Thomæ 1. *Perich. lect.* 14. dicentis: quòd *DEUS profundat totum ens, & omnes ejus differentias, ita, ut ex ipsa voluntate Divina originentur necessitas & contingentia in rebus.* Nomine autem contingentiæ etiam comprehenditur libertas. Deinde 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 3. sic docet: *Est DEUS igitur causa prima movens & naturales causas & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.* Et *q.* 3. *de Mal. art.* 2. *ad* 4. ait: *Cùm aliquid movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quòd seipsum moveat; & sic non repugnat libertati, quòd DEUS est causa actûs liberi.*

153. Prob. secundò Ratione. Quicunque ita agit, ut judicare queat, se potuisse non agere, vel ponere actum oppositum, agit salva libertate. At quicunque præmovetur ad agendum per prædeterminationem physicam, valet prædicto modo judicare: Ergo quicunque per prædeterminationem physicam præmovetur ad agendum, agit salva libertate. Maj. videtur certa: quia ùt RR. tenent, tunc salva manet libertas, quando in aliquo, positis jam omnibus ad agendum requisitis, datur dictamen indifferens, quòd habeat dominium actûs sui, ut possit agere vel non agere. Min. prob. ex eo, quòd quis à DEO physicè præmoveatur ad agendum, non mutatur indifferentia judicii: quia si hæc mutaretur, deberet necessariò mutari propositio objecti, & objectum amoris ex. gr. sic proponi, quòd contineat plenitudinem boni: hoc tamen ante actuale exercitium amoris proponebatur ut bonum non plenum, ac tale, quòd possit amari, vel non amari, imò etiam ratione suæ imperfectionis odiô haberi. Atqui cum hac propositione objecti, præmotus physicè à DEO, potest judicare, se potuisse non agere, vel ponere actum oppositum, aut alium specie diversum. Ergo vera est minor. Argumentum stat in eo, quòd, quamdiu intellectus

objectum

objectum proponit indifferenter, & tali judiciô regulat ſeu dirigit voluntatem, tamdiu voluntas liberè feratur in objectum. Quod clarè docet S. Th. 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *in C.* ibi: *quia judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum, pro tanto neceſſe eſt, ut homo ſit liberi arbitrii.* Roborantur & dilucidantur prædicta. Vel homo rationis objectum, ab intellectu indifferenter propoſitum, per voluntatem compos ad amorem à DEO prædeterminatam neceſſariò appeteret ſeu amaret, vel non neceſſariò? Si non neceſſariò; ergo liberè; alioquin daretur actus voluntatis in individuo medius qui nec eſſet liber, nec neceſſarius. Si neceſſariò, ſic arguo: ſi homo tale objectum ſive bonum creatum appeteret vel amaret neceſſariò, ejus voluntas ferretur in aliquid incognitum, quod certè contra ſanam philoſophiam pugnat, utpote in qua nihil frequentius, quàm objectum voluntatis eſſe bonum ùt cognitum ab intellectu: nec voluntatem aliter ferri in objectum, quàm prout repræſentatur: & ideo, in objectum, dum repræſentatur indifferenter, non poſſe ferri niſi indifferenter: & dum repræſentatur determinatè, non poſſe in illud ferri niſi determinatè ſeu neceſſariò. Prob. ſeq. Voluntas ferretur in objectum tanquam neceſſitata & determinata ab ejus neceſſitate objectiva, quæ tamen per intellectum non fuiſſet propoſita, ſed oppoſita indeterminatio & ratio objectivæ indifferentiæ. Atqui hoc eſt, voluntatem phyſicè prædeterminatam ferri in objectum incognitum: Ergo voluntas, ſi objectum creatum appeteret vel amaret neceſſariò, phyſicè prædeterminata ferretur in objectum incognitum.

154. Urgeo primò: Ubi relinquitur potentia proximè expedita ad oppoſitum, ibi non tollitur libertas: Atqui in voluntate prædeterminata ad actum v. g. amoris, relinquitur potentia ad oppoſitum, proximè expedita. Ergo non tollitur libertas. Maj. eſt ipſorum Adverſariorum. Min. prob. Cum concurſu ſimultaneo ad unum actum relinquitur potentia proximè expedita ad oppoſitum: Ergo etiam cum concurſu DEI prævio prioritate naturæ. Prob. conſ. Ideo cum concurſu ſimultaneo relinquitur dicta potentia proximè expedita, quia non ſolùm manet indifferentia judicii; ſed etiam actus oppoſitus v. g. odii, vel omiſſio amoris, manet poſſibilis, non quidem quaſi vel actus oppoſitus, vel omiſſio ex. gr. amoris cum actu amoris in ſenſu *compoſito* eſſet conjungibilis (cùm hoc ipſi Adverſarii ùt quid impoſſibile cenſeant) ſed in ſenſu *diviſo*, in quantum remanet potentia (ſtante actu amoris) ut poſt actum amoris immediatè poni poſſit actus oppoſitus, vel amoris omiſſio continuari. Atqui hoc totum verificatur cum concurſu DEI prævio: nec enim iſte concurſus tollit judicii indifferentiam, nec reddit actum oppoſitum, vel omiſſionem, pro ſenſu diviſo impoſſibilem &c. Ergo æquè cum prævio, ac cum ſimultaneo relinquitur potentia ad oppoſitum proximè expedita.

155. Urgeo ſecundò: Nequit ab ullo in dubium vocari, quòd DEUS noſtram voluntatem poſſit liberè ex parte ſui movere ſeu applicare v. gr. ad amorem: ſi jam actu nos præmoveat, ex parte DEI præmotio ad amorem eſt libera, quia actus oppoſitus manet adhuc poſſibilis, & inde ex parte DEI datur potentia ad oppoſitum: Ergo pariter noſtra voluntas præmota à DEO liberè ſe determinat ad actum v. g. amoris, quia actus oppoſitus adhuc manet poſſibilis, indeque remanet potentia ad actum oppoſitum.

156. Urgeo tertiò: Cum concurſu ſimultaneo non deſtruitur libertas exercita, actualis & negativa, licèt tunc tollatur libertas potentialis ſeu privativa: quia eſto tollatur ſuſpenſio omnis exercitii liberi, tamen defacto voluntas eſt poſita in actuali exercitio reſpectu unius extremi. At ſimile eſt, admiſſo concurſu prædeterminante ſeu prævio. Ergo etiam iſto admiſſo, non tollitur libertas exercita, actualis ſeu negativa.

157. Diſparitatem fortè dabunt Adverſarii in eo, quòd voluntas creata cum concurſu DEI ſimultaneo adhuc ſeipſam determinet, ita, ut non antecedenter ab alio determinetur: ſuppoſitô autem concurſu DEI prævió, ſe non ita determinet, ut non ab alio antecedenter determinetur. In hujus confirmationem farraginem textuum ex D. Thoma advehunt: & inter alios unum ex 2. *diſt.* 25. *q. un. art.* 1. *in C.* ubi S. D. notat, *libertatem non reperiri in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis, ſed à quibusdam aliis cauſis prioribus.*

158. Verùm, ut hæc objectamenta ſuperentur, non eſt neceſſe clavum Herculi extorquere, vel fulmen Jovi eripere. Nam primò S. D. ab actionibus liberis minimè excludit determinationem, quæ procedat à cauſa prima, à qua agens liberum accepit ipſam facultatem, ſibi ipſi determinandi actionem ſuam; ſed determinationem, quæ proveniat à cauſis ejusdem ordinis, ſcil. à creatis, à quibus minimè accipitur ipſa facultas determinandi ſibi actionem, cum indifferentia judicii & potentia proximè expedita ad oppoſitum. Secundò: Nónne, juxta vos Adverſarios, concurſus DEI indifferenter oblatus determinatur ad certam actionem creatam? Et tamen, non obſtante hac determinatione, DEUS adhuc ſe liberè determinat ad actualiter concurrendum. Ergo nec oberit determinatio concursûs prævii, quo DEUS voluntatem creatam ad liberè agendum applicat, quò minùs voluntas creata ſe ipſam determinet; tantò magis, quò abſurdiùs dicitur, concurſum DEI, vel ipſum DEUM ratione concursûs per creaturam determinandi ſubordinari agenti creato, quàm determinationem creatæ voluntatis ſubordinari præviæ determinationi concursûs Divini prædeterminantis. Tertiò: Quid eſt, volun-

voluntatem seipsam determinare ad actionem liberam ex. gr. amoris, nisi quòd seipsam tanquam principium vitale moveat ab intrinseco cum indifferentia judicii & cognitione finis perfecta, atque circumstantiarum? Atqui voluntas potest se hoc modo movere liberè, etsi moveatur etiam ab alio, scil. DEO: quod apertè dicit Div. Thom. 1. *p. q.* 105. *art.* 4. *ad* 3. *per hoc, quòd* (voluntas creata) *movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur à se:* Et *quæst.* 3. *de Mal. art.* 2. *ad* 4. sic docet: *Cùm liberum arbitrium movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum, quòd seipsum movet.* Ergo pariter voluntas creata potest se liberè determinare, tametsi determinetur ab alio, scil. à DEO, à quo hoc ipsum habet, quod seipsam moveat: nam *DEUS operatur in unoquoque secundùm ejus proprietatem*, ut habet in 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 3. & *qu.* 23. *de Verit. art.* 5. & alibi. Affer discrimen, si potes (sic Adversarios alloquitur P. Babenstuber in *Vindiciis Præter. phys. part.* 1. *n.* 82.) inter *moveri* ad agendum, & *determinari* ad agendum, & doce, cur illud non impediat voluntatem, ne moveat seipsam, impediat verò istud, ne determinet seipsam. Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo, si nodum hunc solveris. Hæc utut Thomistis solidè probata videantur, simul & retorta permulta in concursu simultaneo; attamen Molinistæ variis arietibus ipsos ulteriùs oppugnare non cessant.

159. Oppugnant primò: Si Thomistæ omnem libertatis vim in indifferentia judicii ponant, hæretici, præsertim Calvinistæ, in modo loquendi duntaxat quoad punctum libertatis discrepant: cùm enim experientiâ convincantur, se quàm plurimos actus cum indifferentia judicii elicere, reipsa illud, quod ùt principale ad actus liberos Thomistæ requirunt, admittere videntur, & sic verbótenus tantùm liberum arbitrium ad necessitatis angustias redigere. Resp. Hæreticos illos reipsa longè à Thomistis aberrare ac dissentire, cùm non concedant, quòd in voluntate nostra quatenus infallibiliter & efficaciter ad unum actum prædeterminatâ, adhuc relinquatur potentia proximè expedita ad oppositum, quidquid sit, an in ista hypothesi indifferentiam judicii in prædeterminato admittant vel agnoscant, nec ne. Posito autem, quòd Judicii indifferentiam se prudenter inficiari non posse, profiteantur, nunquid tunc crassi erroris meritò incusantur, quòd, stante illa, potentiam ad oppositum proximè expeditam tolli, & voluntatem per motionem causæ primæ necessitari ad unum, defendere non vereantur, non attendentes, à Divina Providentia cuncta attingi *fortiter*, & simul disponi *suaviter*. Sapientiùs hoc perpendit Angelicus Doctor *cit. q.* 23. *de Verit. art.* 5. dicendo: *Voluntas Divina est agens fortissimum: unde oportet, ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat id, quod DEUS vult fieri: quod est, quasi assimilari secundùm speciem, sed ut fiat eo modo, quo DEUS illud vult fieri, id est, necessariò vel contingenter, citò vel tardè.*

160. Oppug. secundò: Estò Petrus in vinculis sedens judicio indifferenti judicet, se jam hìc & nunc ad sessionem determinatum posse ambulare, vel non ambulare, nemo tamen ex hoc judicio indifferenti inferet, Petrum posse liberè ambulare, vel non ambulare. Ergo etiam, estò Petrus prædeterminatus ad actionem e. g. amoris judicet, se posse amare, vel non amare, attamen ex hoc perperàm infertur, se hìc & nunc posse liberè amare, vel non amare. Resp. primò ex hac prorsus inepta paritate sequi, quòd sicut Petrus ligatus vinculis ad sessionem in loco determinato caret libertate seu immunitate à coactione, quia potentiæ externæ locomotivæ vis insuperabilis infertur; ita similiter in prædeterminato à DEO ad unum, nequidem remaneat libertas sive immunitas à coactione. Resp. secundò: Negando pariter & suppositum, quod Petrus, videns se vinculatum pedibus, prudenter judicare possit, potentiam ad ambulandum hìc & nunc esse proximè expeditam vel actum ambulationis posse hic & nunc proponi ùt eligibilem: cùm ablatio vinculorum ad habendum actum primum proximum ambulationis manifestò requiratur; nec vinculatio, procedens à causa coactiva creata, à tali causa proveniat, quæ & ipsam facultatem seu potentiam ambulandi conferat, & ad actualem ambulationem applicet. Longè aliter se habere prædeterminationem physicam, ùt hæc provenit à causa prima, ex dictis abunde constat.

161. Oppugnant tertiò: Voluntas prædeterminata ad actualem amorem, ut servaret potentiam proximè expeditam ad oppositum actum odii, in sensu composito deberet esse instructa principali requisito ad odium: At tunc non est sic instructa: hoc námque requisitum juxta nos est prædeterminatio physica, quæ, stante præmotione ad amorem, voluntati conferri nequit, eámvè applicare. Ergo &c. Resp. sufficere, quòd voluntas tunc sit instructa quovis requisito necessario ex parte actûs primi: prædeterminatio ad odium non ad actum primum, sed ad actum secundum pertinet, id est, ad actu agere, & actuale odium. Igitur prædeterminatio est ipsa *causalis* reductio potentiæ in actu primo proximè jam completæ, ut exeat in actum secundum ita, ut inter actum primum, & actum secundum *formalem* (qui est ipsa volitio, aut nolitio à voluntate elicita) intermediet prædeterminatio physica tanquam actus secundus *causalis*, quo nimirum ùt complemento voluntas constituitur in esse principii actualis; in esse verò agentis *formaliter* constituitur per suam actionem formaliter egredientem.

162. Op-

162. Oppugnant quartò : Implicat potentia proximè expedita ad agendum in voluntate creata sine physica prædeterminatione, hoc ipso, quòd dicamus, liberum secundum non posse agere sine essentiali dependentia à libero essentialiter primo. Ergo prædeterminationis necessitas respicit actum primum. Resp. primò : ùt paulò antè, quòd nimirum implicet potentia proximè expedita ad agendum sine prædeterminatione physica, ùt reducente potentiam de actu primo ad secundum; non autem ùt constituente ipsum actum primum. Resp. secundò: dist. ant. implicat potentia ad agendum proximè expedita sine respectu ad liberum primum, & connotatione prædeterminationis Divinæ, ùt requisitæ ad actum secundum conc. cum tali connotatione, neg. ant. & cons. Deinde retorqueo : etiam implicat, voluntatem creatam agere sine concursu simultaneo; & tamen hic non constituit potentiam proximè expeditam.

163. Oppugnant quintò: Voluntas nequit ponere actum, cujus impedimentum auferre nequit. Atqui non potest auferre impedimentum actûs oppositi scilicet præmotionem, quâ semel determinata est ad unum actum: nam illud impedimentum non potest auferre, quod non est in voluntatis potestate: atqui præmotio data jam ad unum actum non est in potestate voluntatis. Ergo præmotionem præsentem non potest auferre ùt impedimentum actûs oppositi. Resp. disting. Maj. non potest ponere actum ad modum liberi primi, independentis, & impedibilis, conc. Maj. ad modum liberi secundi, dependentis essentialiter in exercitio actûs, & impedibilis, neg. Maj. & ad reliqua dico, libertatem illam tam illimitatam, vi cujus posset etiam sibi dare præmotionem, vel eam removere, in creatura esse non tantùm inconvenientem, sed cum ejus essentiali dependentia tam quoad *esse*, quàm quoad vivere, moveri, seu agere, omninò repugnantem; sequeretur enim, DEUM posse vel abdicare vel diminuere suum sibi essentialiter supremum dominium, & primatum in esse causæ primæ.

164. Oppugnant sextò: In SS. Conc. Trid. *sess.* 6. *Can.* 4. rejicitur hæc propositio: *Liberum arbitrium DEO excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit.* Ergo potest dissentire, si velit. Atqui DEO excitanti & vocanti voluntatem ad consensum mediante prædeterminatione physica liberum arbitrium nequit dissentire. Ergo prædeterminatio physica tollit liberum arbitrium. Resp. dist. cons. ergo liberum arbitrium potest dissentire, quando excitatio & vocatio non est efficax, conc. si est efficax neg. vel subdist. tunc adhuc potest dissentire secundùm sensum *divisum*, conc. secundùm sensum *compositum*, neg. cons. & conseq. & eodem respondendum est *de posse resistere.* Responsio facilè colligitur ex dictis. Fatemur nempe, quòd liberum arbitrium à DEO efficaciter excitatum & determinatum ad consensum non possit impedire, ne consensus infallibiliter cum præmotione conjungatur : unde nequit dissensum componere neç cum prædeterminatione data ad consensum, nec cum ipso consensu. Retinet nihilominus indifferentiam judicii, ac potentiam proximè completam, vi cujus consensum, in quantum dependet præcisè à libero arbitrio creato, poterat vel ponere, vel omittere, vel omnino dissensum oppositum circa idem objectum elicere.

165. Oppugnant septimo: Maximè ambiguum est, utrùm Div. Thomas prædeterminationem physicam reverà admiserit. Unde est dubiæ auctoritatis; præsertim, quòd nomen istud in libris S. Doctoris sit incognitum. Resp. primò: Hoc nomen patere ex 3. *cont. Gent. capit.* 9. ubi S. D. locum Damasceni jam in 1. *p. q.* 23. *artic.* 1. *ad* 1. adductum rememorat his verbis : *Id, quod docet Damascenus, quòd ea, quæ sunt in nobis, DEUS prænoscit, sed non prædeterminat, exponendum est, ut intelligatur, ea, quæ sunt in nobis Divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Item *quodl.* 12. *art.* 4. approbat illum loquendi modum, quòd *à providentia DEI omnia sint prædeterminata*, nomen *fati* non respuens, si sub eo Divina providentia intelligatur.

166. Resp. secundò : Viros præclaros ex celeberrima Soc. JESU ultro fassos fuisse, D. Thomam præmotionem physicam docuisse. Hos inter recensetur Bellarminus *lib.* 4. *de lib. arbit. c.* 11. ubi de voluntate nostra ait : si potest ipsa se determinare, cur non possit etiam DEUS eam determinare? Et *cap.* 16. sic loquitur : altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione Divina, & fortasse, probabilior, est, juxta sententiam S. Thomæ, qui docet, cooperationem Divinam ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solùm eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat & applicet ad opus &c. quæ sententia videtur valde consentanea tum Scripturæ, quæ dicit, nos in DEO esse, vivere, & moveri. Tum etiam rationi & ordini, quem habet causa prima cum secundis. Ex eadem celeberrima Societate Eminentiss. Card. Pallavic. *disp.* 6. *de actib. hum. q.* 2. *art.* 12. *ad quæstion.* An motio DEI fieri possit per solum decretum extrinsecum, an necessariò fiat per aliquid intrinsecum receptum in ipsa causa creata. Resp. hoc secundum affirmare ferè omnes Thomistas; primum verò communiter alios RR. Sed ego (subdit) Thomistarum puto veram, cui S. Th. & Aristoteles manifestè adhærent. Vid. Gon. hic *disp.* 5. *artic.* 2. §. 5. ubi

ubi & Cardin. Tollet. & Pererium cum Azorio, nec non ipsum collegium Conimbricense in responsionis nostræ præsidium allegat.

167. Huc etiam insigniter facit libellus Romæ in lucem editus anno 1586. sub hoc titulo: *Ratio atque institutio studiorum, per sex Patres ad id jussu R. P. Generalis Deputatos, conscripta:* in quo libello regula ordine quinta Professoribus Theologiæ in Societate sic præscribit: *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ùt cavetur 4. parte Constitutionum cap. 14. nostri sequantur, paucis exceptis.* Quæ verò sint illa pauca excepta, mox ibi declaratur: nostri itaque non cogantur defendere, *secundas causas esse propriè & univocè instrumenta DEI; & cùm operantur, DEUM in illas primùm influere, aut eas movere.* Supponebant itaque Patres nomine totius Ordinis deputati, Prædeterminationem physicam esse quiddam exceptum à regula de servanda aliàs doctrina D. Thomæ. Hæc ex Gonetto *loc. cit.* & *Vindiciis* P. Ludov. Babenst. *part. 2. n. 16.* qui ulterius in posteà *editis Vindiciis Vindicis prædeterminationum physicarum §. 2. n. 19.* hoc argumentum ex ratione studiorum desumptum contra quemdam suum Antagonistam masculè propugnat, Magnus Prædeterminationis physicæ defensor.

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

### *Possitne dari omissio voluntaria & libera absque omni actu voluntatis?*

168. Certum est, quòd omnem omissionem actûs voluntariam ac liberam actus quidam ex parte intellectûs præcedere debeat: cùm ignorantia invincibilis seu antecedens ex. gr. alicujus præcepti voluntarium tollat, ac sine prævia apprehensione objecti voluntas in actu primo ad aliquid agendum vel liberè non agendum, non censeatur adæquatè constituta. Porrò ratione actûs concurrentis ex parte voluntatis omissio potest primò esse directè, ac per se voluntaria sive volita, si quis *positivè* & *directè* actu quodam interiori in omissionem feratur, instante & proposito præcepto, dicendo secum, ex. gr. *volo amittere Sacrum:* aut *nolo audire Sacrum.* Secundò: potest omissio, ratione actûs concurrentis, esse voluntaria *indirectè* ac velut per accidens, & *interpretativè*, quando voluntariè ponitur talis actus, qui cum positione actûs præcepti est incompossibilis, v. gr. si quis tempore, quo deberet audire Sacrum, voluntariè se somno tradat: certè tunc omissio sacri, licet Petrus positive non dixerit: volo omittere Sacrum: est voluntaria *indirectè* & in causa; qui enim vult antecedens, vult etiam consequens cum illo necessariò connexum. Quæritur modò, utrùm sit possibilis aliqua omissio voluntaria ac libera tam pura, ad quam nullus actus voluntatis concurrat, qui sit saltem causa vel occasio illius.

169. Sententiam negativam tuentur ex Thomistis Capreol. Bannez, Cajetanus, Zumel, Joan. à S. Thoma, Gonet & alii contra Scotistas, plerosque RR. & non paucos Thomistas.

170. Rationes negativam amplectentium sunt præcipuè sequentes.

171. Prima sumitur ex authorit. D. Th. in 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. dicentis: *si verò in peccato omissionis intelligantur causæ, vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse.* Et *qu.* 2. *de Mal. art.* 1. ait: *sic ergo per se loquendo, potest esse aliquod peccatum, ad quod non requiritur aliquis actus, qui sit de essentia peccati; & in hoc veritatem habet secunda opinio. Si autem consideretur id, quod requiritur ad peccatum, ùt causa peccati, si oportet, quòd ad quodlibet peccatum, etiam omissionis, aliquis actus requiritur.* Ac paulò inferiùs, *ad hoc ergo*, ait, *quòd omissio sit peccatum, requiritur, quòd causetur ab aliquo actu voluntario.*

172. Secunda: Pura omissio libera debet esse voluntaria: ergo debet egredi à voluntate: nam quid aliud est voluntarium, nisi quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis? At sine actu positivo non datur processio vel egressio à voluntate: ergo pura omissio nequit esse voluntaria sine omni motu seu actu positivo. Confir. Exercitium voluntarium simulque liberum non potest intelligi, quin sit ab influxu voluntatis: ergo requiritur aliquid positivum: Conseq. prob. quia influxus & determinatio voluntatis aliter fieri nequit, nisi dependenter à suo objecto specificativo & motivo, quod est bonum coincidens cum fine. Hinc deducitur

173. Ratio tertia: Exercitium præcisè secundarium consequens, atque indirectum, nequit esse sine exercitio primario, principali, & directo. At omissio libera est exercitium voluntatis solùm secundarium atque indirectum; ergo nequit dari sine primario & directo. Subsumo: Exercitium voluntatis directum principale & primarium non potest non esse actus positivus: ergo omissio

omissio libera tanquam exercitium secundarium consequens & indirectum non potest dari sine omni actu positivo. Min. in qua sola stat difficultas, prob. Exercitium, habens rationem fugæ ab objecto est secundarium: Tale est omissio libera: Ergo secundarium. Major constat: quia dum quis aliquem actum liberè omittit, vel aliquod objectum, quòd hic & nunc posset prosequi, non prosequitur, utique ab illo fugit quodammodo, recedit, & abstinet. Min. prob. Illud exercitium est merè secundarium indirectum, & consequens, quod indispensabiliter quadam naturæ prioritate præsupponit aliud exercitium antecedens, quod sit ratio prædicti exercitii: atqui exercitium habens rationem fugæ dicto modo indispensabiliter aliud exercitium antecedens præsupponit: Ergo exercitium fugæ est merè secundarium &c. Min. denuò prob. Exercitium habens rationem fugæ non intelligitur à voluntate egredi nisi voluntas moveatur ob repræsentationem alicujus boni per intellectum apprehensi: & ratio est, quòd voluntas nunquam se determinet ex motivo *mali*, quia malum non est ejus objectum, sed solum bonum. Atqui, si hoc verum est, exercitium habens rationem fugæ præsupponit aliud exercitium antecedens ac positivum: ideo enim voluntas ab actu vel objecto liberam omissionem terminante abstinet, quia ostenditur in ea abstinentia aliqua ratio boni. Ergo Exercitium habens rationem fugæ indispensabiliter præsupponit exercitium antecedens positivum.

174. Illustratur: nequit dari exercitium voluntatis, nisi voluntas versetur circa suum objectum specificativum: objectum istud est bonum: Ergo nequit dari exercitium voluntatis, quin voluntas versetur circa bonum: sed hoc ipso, quòd voluntas versetur circa bonum, & ab eo specificetur, datur exercitium positivum, prævium, & prosecutivum, antequàm fiat exercitium fugæ, & omissivum: nunquid enim de ratione boni est, voluntatem objectivè movendo attrahere? Ergo semper datur exercitium positivum, prævium & prosecutivum, quando datur omissivum.

175. Ratio quarta: Omissio libera est omissio deliberata: vel ergo tunc voluntas movetur ad omittendum ab aliqua ratione motiva determinata: vel à nulla? Si ab aliqua moveatur, habemus intentum: nequit enim moveri absque actu: si à nulla? Omissio erit casualis, & præter intentionem, non libera.

176. Ratio quinta: Exercitium etiam omissivum, hoc ipso quòd sit liberum, ac saltem interpretativè voluntarium, æquivalet actui humano positivo. Ergo sicuti non potest dari actus humanus formalis positivus, quin sit propter finem, ita nec poterit dari omissio libera, ùt æquivalens actui humano positivo *formali*, quin & illa propter finem aliquem fiat.

177. Ratio septima: omittens liberè aliquam actionem, quam, præcepto urgente, tenetur ponere, positionem actûs apprehendit ùt molestam, & consequenter actûs omissionem apprehendit sibi ùt hic & nunc commodam: Sicuti ergo ex apprehensione molestiæ, tanquam malæ, saltem interpretativè ab actu & objecto se retrahit, abstinet, & quasi fugit, ita à commoditate & bonitate, quam in omissione & libertatis exercitio negativo apprehendit, in ipsam omissionem inclinatur, ab eáque allicitur & objectivè movetur. Alias rationes expendit ex Salmanticensib. Paul. à Concept. *h. tract. disp.* 1. *dub.* 4. & ego aliquas adduco in mea Philosophia impressa *de Anima disp.* 2.

178. Ex fundamentis Sententiæ affirmativæ, propugnantis puram omissionem liberam primum sic proponitur: Principium voluntarium liberum ad agendum, vel non agendum, sicut potest ponere actum, ita potest illum ex opposito omittere. Sed agendo ponit entitatem positivam actûs: ergo non agendo potest omittere omnem actum.

179. Secundum in hoc consistit: libertas contradictionis (in qua nos totam essentiam libertatis sitam esse suprà *quæst.* 13. docuimus) quòd actus à potentia proximè expedita, quantum est ex parte istius, possit vel elici, vel liberè suspendi: at suspensio actûs libera non requirit actum; sed præcisè ut voluntas non agat: Ergo libertas contradictionis salvatur sine omni actu.

180. Tertium proponit Godoyus *tom.* 3. *quæst.* 71. *de Peccat. tract.* 3. *disp.* 21. *§.* 4. in hunc modum: Potest dari omissio amoris peccaminosa sine actu voluntatis, qui sit causa vel occasio illius: ergo ruit prima Sententia, constanter prætendens, semper cum omissione concurrere quemdam actum voluntatis, qui sit causa vel occasio omissionis. Ant. prob. Stante advertentia ad obligationem eliciendi amoris, potest DEUS negare præmotionem ad omnem actum, quo amor posset impediri, & concedere efficacem præmotionem ad actum, quo intellectus applicetur ad considerationem præcepti, amorem præcipientis. Atqui illo casu daretur potentia proxima ad actum amoris adimplentis præceptum, & consequenter tunc omissio amoris interpretativè exerceretur sine omni actu voluntatis concurrente vel per modum causæ, vel per modum occasionis, forétque peccaminosa. Ergo verum est ant.

181. Verum dubites, an hæc fundamenta pari robore cum rationibus primæ ſententiæ decertent. Nam prima duo plus non evincunt, quàm ipſum exercitium omiſſivum tanquam ſecundarium in ſe nihil involvere de aliquo actu vel motu phyſico, uti ſtatim dicemus.

182. Nec obſtat tertium fundamentum: nam in allato caſu, quo DEUS ſuſpenderet omnem concurſum ad actum concomitantem per modum cauſæ, vel occaſionis, in voluntate deeſſet propria determinatio; conſequenter omiſſio non haberet rationem *egreſſionis:* ſed, ùt rectè explicant Salmanticenſ. potiùs modo miraculoſo & omnino ab extrinſeco foret ſuſpenſa ab omni exercitio libero. Quare, cùm nemo contra præceptum poſitivum peccet, niſi ex determinatione propria actûs omiſſio ſequatur, in poſita hypotheſi omiſſio illa nec eſſet voluntaria, nec libera; unde nec imputabilis ad culpam. Nec refert, quòd voluntas illa habuerit potentiam ad agere, ſive ad actum dilectionis, propter auxilia ſufficientia: eſtò enim hoc permittamus, tamen exinde non infertur imputabilitas omiſſionis, quæ ratione intervenientis miraculi deſtituta erat actuali & propria voluntatis determinatione. Qua in re per retorſionem ſic inſtamus contra Thomiſtas AA. Si DEUS vel humanitati Chriſti, vel Beatis, negaret præmotionem phyſicam ad præceptum, quod illis imponeret, implendum, quæro, an omiſſio actûs illis eſſet actualiter voluntaria & libera, vel non? Si ſecundum reponant; idem reſpondemus in noſtro caſu: ſi primum: Chriſtus & Beati, quos defendimus ab intrinſeco impeccabiles, tunc per omiſſionem imputabilem actu peccarent. His conſideratis, quamvis olim aliter ſenſerim, modò

183. Concludo, poſſibilem eſſe puram omiſſionem liberam, quæ in ipſo omiſſionis exercitio negativo nullum involvat actum: involvat tamen ſemper aliquem actum conjunctum, qui vel ſit cauſa vel occaſio omiſſionis. Partem primam firmant fundamenta ſecundæ ſententiæ: & partem ſecundam rationes primæ ſententiæ perſuadere videntur.

# QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

## *Unde Actus moralis ſpeciem Bonitatis vel malitiæ accipiat?*

184. Concluſio prima: Actus humanus, ſive moralis ſpeciem primam ac eſſentialem accipit ab objecto convenienti vel diſconvenienti. S. Thom. 1.2. *quæſt.* 18. *art.* 2. ſic concludens: Sicut prima rei naturalis bonitas eſt ex forma, quæ dat ſpeciem rei; ita prima bonitas moralis eſt ex objecto convenienti: & ſimili modo de malitia morali cenſendum eſt. Hinc de malè agentibus dicitur Oſeæ 9. facti ſunt abominabiles, ſicut ea, *quæ dilexerunt.* Ratio igitur communiter datur, quòd objectum in eſſe moris conſideratum habeat ſe per modum formæ, actuantis & determinantis; item per modum termini: Ergo quemadmodum in phyſicis compoſitis forma dat ſpeciem; ita & in moralibus ſpeciem tribuet id, quod habet rationem formæ moralis.

185. Quantum ad circumſtantias, conſtat ex *tract. de Pœnit.* quòd aliæ ſpeciem actûs varient, ùt ſi fornicatio contingat in loco ſacro: aliæ ſpeciem ſolùm augeant, vel diminuant.

186. Concluſio ſecunda: Finis quoque operantis, & extrinſecus poteſt ſpeciem bonitatis vel malitiæ in actum refundere. Dixi finis operantis: quia finis operis, & intrinſecus non eſt diverſus ab ipſo objecto. Ita demum cum S. Thom. *loc. cit. art.* 6. & 7. ubi *in Corp.* ita loquitur: ſic igitur, quando objectum non eſt per ſe ordinatum ad finem, differentia ſpecifica, quæ eſt ex objecto, non eſt per ſe determinativa ejus, quod eſt ex fine; nec è converſo: unde una iſtarum ſpecierum non eſt ſub alia; ſed tunc actus moralis eſt ſub duabus ſpeciebus quaſi diſparatis. Unde dicimus, quòd ille, qui furatur ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu &c. Cæterùm (ùt pulchre explicat Clariſſ. P. Babenſtuber meus quondam in Theologia Profeſſor p. m.) ſeptem modi ſunt, quibus actio referri ſolet ad finem extrinſecum. Primus eſt, actum ex objecto bonum referre ad finem bonum. Secundus, actum ex objecto bonum referre ad finem malum. Tertius, actum ex objecto bonum referre ad finem indifferentem. Quartus, actum ex objecto indifferentem referre ad finem bonum. Quintus, actum ex objecto indifferentem referre ad finem malum. Sextus, actum ex objecto malum referre ad finem bonum. Septimus, actum ex objecto malum referre ad finem malum. Ex

187. Primo modo actus novam ſpeciem bonitatis ex fine ſuperaddito recipit, ùt ſi actum miſericordiæ, dum das pauperi eleemoſynam, ordines ad ſatisfaciendum pro peccatis. Secundo modo finis malus extrin-

trinsecus ratione circumstantiæ transit in rationem objecti, actumque, qui ex objecto & fine intrinseco foret bonus, reddit simpliciter malum: ùt si eleemosynam dispendas ob vanam gloriam. Tertio modo actus secundùm speciem evadit indifferens: ùt si jejunes, præcisè ut sumptibus parcas. Quarto modo finis denuo non retinet rationem circumstantiæ, sed *in esse moris* induit rationem objecti, tribuitque actui primam, unicam, & essentialem speciem bonitatis moralis, ùt si iter instituas voti implendi causâ, proficiscendo facis actum Religionis. Quinto modo finis similiter transit in naturam objecti, & confert primam, unicam, essentialémque speciem malitiæ in genere *moris*, veluti patet in itinere, quod fornicandi, furandi, aut occidendi causâ suscipitur. Sexto modo finis in actum nihil bonitatis refundit, sed relinquit eum simpliciter malum. Et ideo si fureris, ut eleemosynam exinde largiaris, actus furti tam internus quàm externus malus est, & contra justitiam simpliciter, nihilque de honestate misericordiæ participat, quamvis ex conjunctione hujus finis actus furti non sit tam malus, sicuti esset sine præfixo fine exercendi actum misericordiæ. Et ratio petitur ex discrimine inter bonum & malum morale: nam bonum ex integra causa; malum ex quolibet defectu, uti dicit D. Dionys. *cap.* 4. *de Divin. Nomin.* id est, ut actio sit bona, objectum, finem, & omnes circumstantias bonas esse oportet. Septimo modo finis actioni novam superaddit malitiam, eamque vel numero vel specie distinctam à malitia, quam habet actus ex objecto. Sic qui Cajo furatur instrumenta ad furandum apta, eo fine, ut illis utatur ad aliquid aufferendum Titio, duo peccata contra justitiam committit, at solo numero distincta: qui autem furatur ex. gr. fornicationis causâ, duo peccata specie distincta committit, unum contra justitiam, ex objecto & fine intrinseco; alterum contra castitatem ex fine extrinseco & per accidens superaddito.

188. Dices primò: Objectum actûs interni est plerumque actus externus: sic objectum furti interni est exterior contrectatio rei alienæ: fornicationis internæ est ipse actus copulæ cum persona soluta &c. atqui externus nequit specificare internum; cùm ipsemet ab interno totam moralitatem & specificationem desumat, juxta illud: quidquid agant homines, intentio judicat omnes. Resp. actum internum per ordinem intrinsecum, quem habet ad actum externum tanquam ad suum objectum, ùt hoc substat Regulis morum, accipere speciem objectivam boni vel mali; & vicissim actui externo communicare speciem formalem boni vel mali: & quidem internus recipit speciem ab externo, prout hic est in intentione; & actus externus, prout est positus in executione, speciem ab interno participat.

189. Dices secundò: Si honestas objectiva, quæ est in actu externo, ceu in objecto, ùt substante regulis morum, in actum internum refundatur, tunc quæritur, an talis honestas, v. g. bonitas misericordiæ, quæ est in actu eleemosynæ, debeat directè intendi, nec ne? Quidquid dicatur, erit contra. Si enim dicatur, id requiri, ut actus sit bonus & honestus, cur non similiter debet malitia directè intendi, ut actus speciem certæ malitiæ contrahat? Si autem contrarium respondeatur, contradicitur primò Div. Augustino in Psal. 31. asserenti: *Bonum opus intentio facit: non valde attendas, quid homo facit, sed quid, cùm facit, respiciat:* contradicit secundò D. Thomæ, qui in 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 7. *ad* 3. sic inquit: *Ad hoc, quòd sit voluntas bona, requiritur, quòd sit bona sub ratione boni,* id est, *quòd velit bonum, & propter bonum.* Et sanè huc quadrat illud axioma: sicut se habet simpliciter ad simpliciter ita se habet magis ad magis. Si ergo de ratione actûs prosecutivi simpliciter sit, quòd voluntas eum eliciens debeat moveri à bono simpliciter: quidni & de ratione actûs prosecutivi alicujus bonitatis in specie erit, ut voluntas eum eliciens ab illa virtutis, v. gr. misericordiæ, specifica bonitate moveatur in specie?

190. Resp. probabilius esse, quòd ad hoc, ut bonitas objectiva moraliter refundatur in actum, non sufficiat, si actus solùm habitualiter referatur in finem honestum, seu objectum proximum, sed requiritur, ut vel formaliter & directè, vel virtualiter saltem illa bonitas seu honestas ametur, seu intendatur. Ita Theologia tum Salmanticens. tum Salisburgensis cum D. Th. in 2. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. & *dist.* 40. *q.* 1. *art.* 5. Item 3. *cont. gent.* 138.

# QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

## *Possitne dari Actus Humanus in individuo indifferens, qui nec sit bonus, nec malus?*

191. SUpponimus, dari actus humanus ordinis naturalis, qui comparati ad suum objectum specificativum nec sunt in aliqua specie boni, & virtutis, nec in aliqua specie mali, aut vitii, ùt levare festucam, ambulare &c. isti actus proinde quoad speciem indifferentes censentur. Econtra impossibile est, dari aliquem actum ordinis supernaturalis, qui secundùm speciem, & ex objecto, sit indifferens: nam de ratione actûs cujuscunque supernaturalis est, quòd exigat procedere vel ab aliqua virtute supernaturali, vel saltem ab auxilio aliquo supernaturali, quodque ordinetur vel ad salutem propriam operantis, vel ad alienam, & ex parte objecti aliquid, quòd sit ordinis Divini, participet. Controvertitur hìc modo, an dari possit per se actus humanus, qui consideratus, ùt existens à parte rei secundùm omnes circumstantias, adhuc maneat indifferens, ut nec bonus sit, nec malus;

192. Conclusio cum Thomistis est negativa contra Scotistas, sequentes suum subtilem Doctorem in 2. *dist.* 41. & contra multos Recentiores. Prob. ex discursu & ratione D. Th. hìc *qu.* 18. *art.* 9. oportet (inquit) quòd quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, *per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cùm enim rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis: unde habet rationem boni.* Necesse est autem, *quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum.* Si autem non procedit à ratione deliberativa, sed ex quadam imaginatione, sicut cùm aliquis fricat barbam vel movet manum aut lapidem, talis actus non est, propriè loquendo, moralis, vel humanus, cùm hoc habeat actus à ratione, & sic erit indifferens, *quasi extra genus moralium actuum existens.* Hucusque S. D. qui hoc eleganti discursu conclusionem nostram præclarissimè explicat, firmatque in illo se fundans principio, quòd homo agens deliberatè, & ùt homo, debeat agere rationabiliter, sive ex ratione recta id est secundùm inclinationem primariam, ùt rationalis est, sed ratio recta (subsumit Card. Cajet. in Glossa ad *cit. text.* S. Thomæ) dictat, quòd homo agere debeat propter finem debitum; adeoque honestas & perfectio finis debiti *debetur* cuilibet actioni humanæ seu deliberatæ; si ergo prædicta ordinatio actionis in finem debitum omittatur, actio caret honestate & perfectione finis debiti, consequenter laborat defectu contrario & imperfectione morali: Ergo etsi ex objecto actio foret indifferens, sit tamen moraliter mala ex defectu circumstantiæ ordinationis in debitum finem creaturæ rationalis.

193. Confirmatur. Actio quæ non refertur in finem debitum nequit non esse otiosa: sed actio quæcunque otiosa est formaliter mala: ergo omnis actio, quæ non refertur in finem debitum, est formaliter mala. Prob. Maj. Actio non dicitur otiosa ex eo, quòd habeat finem malum, aut circumstantiam malam: ergo dicitur otiosa ex eo, quod non respiciat debitum finem.

194. Respondent ad hoc argumentum Scotistæ, verbum otiosum illud propriè censeri, quod omni prorsus caret utilitate; adeoque otiosum non esse, quod ad aliquod, etsi modicum, naturæ levamen deservit. Verùm

195. Contra est: quòd conformiter huic explicationi vix dabilis sit actus otiosus; quis enim otio suo colorem non quærat excipiendo: protuli verba hæc ex bono libertatis, ex bono commoditatis &c. Dein: sive ejusmodi actus dicant otiosos sive non (de nomine litigare non intendimus) adhuc tamen mali erunt, quod probo: actus humanus sistens purè in bono delectabili & sensibili est moraliter malus; tales sunt actus prædicti: ergo sunt moraliter mali. Prob. Major. modus agendi proprius creaturæ rationalis quà talis est tendere in bonum honestum: ergo actus, qui bonum delectabile puré respicit, est moraliter malus. Certè comedere & bibere, opus conjugii exercere ob solam voluptatem, sunt actus peccaminosi, non alio ex capite, quàm, quia purè respiciunt bonum delectabile.

196. Insurges primò: Omnis natura specifica petit conservari in aliquo individuo. Atqui, inquit Scotista, etiam secundum Thomistas datur actus indifferens secundùm speciem, qualis est v. g. deambulatio. Ergo etiam in individuo dabitur, in quo conservetur. Resp. dist. Maj. Omnis natura specifica petit conservari in individuo, si species habeat suum esse formale tam pro statu reali quàm pro statu rationis, conced. Maj. Si species detur solùm pro statu præcisionis, & ùt substat considerationi intellectûs, neg. Maj. Atqui etiam secundùm Thomistas datur actus indifferens secundùm speciem,

ciem, ita ut illa ſpecies indifferentiæ admittatur pro ſolo ſtatu præciſionis, & ùt actus per conſiderationem noſtri intellectûs comparatur ad objectum de ſe indifferens, conc. min. ita, ut ſimul admittatur illa ſpecies in actu pro ſtatu reali, nego min. & conſ. Certè homo, v. gr. Petrus in hac individuali natura conſideratus nihil involvit de albedine, nigredine, vel alio colore; ânne autem in rerum natura talis invenitur, qui nec ſit albus, nec niger?

197. Sed contra inſtabis: Actus deambulationis etiam ùt in ſtatu exiſtentiæ realis poſitus, eſt ſecundùm ſpeciem indifferens: ejus quippe objectum, ſcilicet exercitatio corporalis per potentiam locomotivam nec prohibetur ab aliquo præcepto, nec præcipitur, ſed permittitur: ergo natura ſpecifica indifferentiæ ad bonum & malum dabitur etiam pro ſtatu reali: & ſic non datur pro ſolo ſtatu præciſionis, & conſiderationis intellectualis. Robur addit S. Hieron. *Epiſt. 89.* ad Auguſt. ſic loquens: ***Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare*** &c. ſive enim ***feceris ſive non, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.***

198. Reſp. Diſt. ant. Actus deambulationis etiam ùt in ſtatu reali poſitus eſt indifferens, reſpectu proprii objecti, & finis intrinſeci, tranſ. ant. reſpectu ſubjecti agentis, & finis intrinſeci, ſic nego antec. & conſeq. Et ſub eadem diſtinctione explicatur auctoritas S. Hieronymi.

199. Inſurges ſecundò, objiciendo, nos nulla obſtringi lege, nulloque præcepto, ut omnia noſtra opera reſpectu objecti indifferentia in finem honeſtum ordinemus: Ergo non ordinando in talem finem non peccamus per actum in individuo ſpectatum. Confirmatur ex eo, quòd ejusmodi obligatio legalis fragilem hominum conditionem omnino excedere videatur, nec agnita fuerit à viris doctis piisque ſat multis, quos inter eminet D. Bonaventura.

200. Reſp. neg. ant. Corneio ***hoc tr. diſp. 6. dub. ult.*** ait, Præceptum agendi ob finem honeſtum eſſe præceptum naturale, & reduci ad primum præceptum Decalogi, quo obligamur Dominum DEUM diligere ex toto corde &c. Sicut enim vi illius præcepti DEUM diligere tenemur ſuper omnia, ita quoque tenemur eum pro noſtro fine ultimo habere, conſequenter illuc omnes actiones noſtras dirigere ſaltem mediatè; idque fit, dum eas in finem debitum, honeſtumque ordinamus, & hac ordinatione naturæ noſtræ rationali conformiter operando voluntatem conditoris noſtri explemus. Conſentiunt in hoc Salisburgenſes Doctores ut Petſchacher, Mezger, Babenſtuber, Lendlmayr &c. & Salmanticenſ. ***h. tit. d. 6. art. 10. num. 36.*** Videatur Div. Thom. 2. 2. ***quæſt. 44. art. 5.*** Alii dicunt, non eſſe neceſſarium præceptum ſpeciale, ſed eſſe & ſufficere præceptum generale, contentum in omnibus præceptis Decalogi, ad eum modum, quo aliqui Theologi docent, præceptum diligendi proximum non eſſe diſtinctum à præceptis ſecundæ Tabulæ, ſed impleri, aut violari, quoties implentur vel violantur ſeptem præcepta concernentia proximum. Ad Confirmationem negatur, præceptum iſtud eſſe ultra conditionem humanam: quod enim convenit homini ùt rationali & ùt elevato ſupra naturam brutorum, nequit dici ejus naturam excedere. Et quæro ex Adverſariis, ſitne præceptum diligendi DEUM ex toto corde ſupra conditionem humanam? Dicent, planè non: replico: ergo nec ſuperat iſtam conditionem, præceptum omnia etiam indifferentia opera ordinandi in DEUM. Imò Sententiam noſtram duram non eſſe, patet primò exinde, quòd hanc obligationem actus noſtros referendi ad finem debitum, & mediatè ſaltem in DEUM, ad ſolos actus deliberatè exercitos reſtringamus. Secundò, quòd ſingula opera non requirant ſingulas intentiones, & ordinationes in DEUM; ſed ſufficiat intentio generalis de mane concepta, & interdiu per aliquot cogitationes & repetitam cordis in DEUM elevationem renovata. Neque Apoſtolus quidpiam intolerabile nobis ſeu conſuluit ſeu præcepit, quando dixit 1. Cor. 10. ***Sive manducatis ſive bibitis, omnia in gloriam DEI facite,*** id eſt intentione, vel actuali, vel virtuali, aut ſaltem habituali.

201. Inſurges tertiò: nullum præceptum violo, quando feſtucam à terra levare omitto; ergo pariter nullum transgredior, quando feſtucam levo, & nullum finem honeſtum intendo. Reſp. Ant. eſſe dubium: ſunt enim non pauci, qui omiſſionem purè liberam à peccato non excuſant. Sed tranſmiſ. ant. nego conſeq. Nam licèt feſtucam levare non tenearis; ſuppoſito tamen, quòd eam deliberatè leves, actionem otioſam vitare obligaris, adeoque ex fine bono & convenienti agere. Certè, ſi non bibas, non peccas: ex ſuppoſito tamen, quòd bibas, debes potationis actum ad finem honeſtum referre; non enim edere vel bibere licet ob ſolam voluptatem, uti conſtat ex propoſitione damnata. Plures & ſexcentæ inſtantiæ dari poſſent, quæ prædictum argumentum confutant.

202. Inſurges quartò: levare vel non levare feſtucam nequit eſſe materia voti; idem eſto de aliis hujusmodi actibus: & hoc ideò, quia iſta ſunt actus purè indifferentes. Ergo. Reſpond. levare feſtucam, vel non levare, ùt ſunt actus materialiter ſpectati, nequeunt eſſe materia voti, conc. levare vel non levare feſtucam ex fine honeſto, bono, & cum relatione ad DEUM neque-

nequeunt esse materia seu objectum voti, sic nego, pernego: argumentum peccat ob excessum, quia probaret, quòd opera indifferentia non possent per bonam intentionem ad meritum & honestatem ordinari atque elevari.

203. Ad reliqua confutanda, nota primò, ideò fortè in praxi se fideles non accusare in Confessionali de actibus suis indifferentibus, vel quia includuntur in intentione generali & oblatione universali suorum operum omnium: vel quia erant omnino indeliberati. Secundò, non minùs in opere otioso, quàm in pecuniæ prodigalitate, deesse finem rationabilem. Tertiò, actus, qui ob solam commoditatem naturæ fieri solent, si ad salutem & ad rectam corporis humani dispositionem, aliúmve honestum finem fuerint aliquo modo necessarii, in eisque debitus modus & mensura servetur, verè sunt honesti, sicut alii, quibus saluti corporis providemus: &, velut censent Salmanticenses, pertinent vel ad aliquam partem temperantiæ, seu speciem modestiæ, vel ad amorem naturalem, quem homo habet circa seipsum, & proprium corpus. Sique quæras, an ejusmodi actus sint materia congrua voti? Respondent negativè: saltem ùt plurimùm ac regulariter: quia votum est de re meliori; & sæpè, quàmvis exercere illos actus sit bonum, melius est, mortificationis gratiâ ab illis abstinere. Si verò prædicti actus ad nullum finem honestum necessarii aut utiles sint, erunt determinatè mali, utpote superflui & otiosi; eruntque proin sufficiens materia confessionis, si constet de illorum deliberatione, & otiositate; non minùs, quàm verba otiosa, de quibus omnes timorati se accusant. Quia tamen similes actus ùt plurimùm sine deliberatione ex sola imaginatione fiunt, nec facilè erit in praxi discernere, quando justa necessitate, & debito modo careant, regulariter sunt materia dubia; & ideò prudens Sacerdos raró debet his solùm absolutionem impendere, sed monere pœnitentem, ut de aliis, licèt jam confessis, quæ certò scit fuisse peccata, se accuset. Et hæc de actibus humanis DEO ùt Regulæ Primæ, & fini ultimo ad suam gloriam hominibus verò ad æternam salutem relata sunto. Nonnullas Quæstiones, huc Servientes, ad Tractatum de Peccatis differo: ubi in specie illam fusè deducam: An idem actus moraliter possit esse bonus ac simul malus.

# Tractatus XI.

## De
## Malo Pessimo,
### id est,
## Peccato in Genere
## & in Specie.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De Natura & Divisione Peccati.

QUÆSTIO I.

*Utrùm peccatum convenienter definiatur, quòd sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam?*

QUÆSTIO II.

*Utrùm omne peccatum sit ideo malum, quia est lege prohibitum?*

QUÆSTIO III.

*In quo consistat formaliter peccatum actuale Commissionis? An in aliquo positivo, an verò in privativo?*

QUÆSTIO IV.

*Positne dari peccatum purè philosophicum, & quod non sit offensa DEI?*

QUÆSTIO V.

*An omne opus incompossibile cum observantia præcepti affirmativi reddatur vitiosum ex malitia omissionis?*

QUÆSTIO VI.

*An omissio externa actûs præcepti fiat in se mala, si remotio causæ peccaminosæ pro tempore legis, ad actum obligantis, non ampliùs sit in nostra potestate?*

QUÆSTIO VII.

*Utrùm peccata convenienter dividantur in carnalia, & spiritualia: item in peccata in DEUM, in se ipsum, & in proximum?*

## DISSERTATIO II.

### De Distinctione specifica, & Numerica Peccatorum.

QUÆSTIO VIII.

*Unde colligatur distinctio peccatorum specifica?*
*Notabilia practica, cum ordine ad Confessionale.*

QUÆSTIO IX.

*Unde desumatur distinctio moralis peccatorum merè numerica?*

QUÆSTIO X.

*An ex pluribus peccatis venialibus possit consurgere unum mortale?*

QUÆSTIO XI.

*An omnia peccata sint connexa?*

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

*Utrùm omnia peccata sint æqualia?*

QUÆSTIO XIII.

*Utrùm idem numerò actus humanus possit simul esse bonus ac simul malus?*

# DISSERTATIO III.

## De Subjecto Peccatorum.

QUÆSTIO XIV.

*Utrùm præter voluntatem detur aliud subjectum peccati formalis?*
*Nonnulla quæsita de sensualitate, concupiscentia, & motione voluntatis ac intellectûs.*

QUÆSTIO XV.

*An motus sensualitatis sine ulla dependentia à voluntate possint esse saltem venialiter peccaminosi?*

QUÆSTIO XVI.

*Qualis requiratur advertentia, ut motus appetitûs, vel delectatio morosa sit peccatum mortale?*

QUÆSTIO XVII.

*Utrùm consensus perfectus in delectationem veneream extra statum Matrimonii semper sit peccatum mortale?*

QUÆSTIO XVIII.

*Quid censendum sit, an ergò in genere luxuriæ nulla detur parvitas materiæ, id est, actus solùm venialiter malus?*

QUÆSTIO XIX.

*Nonnulla quæsita residua circa materiam & species luxuriæ.*
*Constit. Greg. Papæ XV. contra solicitantes in Confessionibus.*
*Dubia reflexa supra Bullam.*

QUÆSTIO XX.

*De peccatis Capitalibus: quid? & quot sint?*

# DISSERTATIO IV.

## De Causis Peccati Actualis: & Constitutivo Habitualis.

QUÆSTIO XXI.

*An, & quomodò DEUS sit causa excæcationis, & indurationis in peccato?*

QUÆSTIO XXII.

*An Diabolus sit homini directè causa peccati?*

QUÆSTIO XXIII.

*Utrùm omne peccatum debeat præcedere aliquis error in intellectu?*
*De peccato habituali personali.*

QUÆSTIO XXIV.

*In quo consistat peccatum habituale personale?*
*Occurritur Argumentis adversis.*
*De Peccato originali.*

QUÆSTIO XXV.

*An detur peccatum originale habituale?*

QUÆSTIO XXVI.
*In quo eſſentia peccati originalis conſiſtat?*

QUÆSTIO XXVII.
*An DEIpara Virgo MARIA contraxerit debitum proximum peccati originalis?*

QUÆSTIO XXVIII.
*An peccatum originale poſſit conſiſtere cum ſolo veniali?*

QUÆSTIO XXIX.
*Quale fuerit primum peccatum Angelorum lapſorum?*

QUÆSTIO XXX.
*De Effectu peccati: Utrùm peccatum mortale ab intrinſeco reatum pœnæ æternæ inducat?*
*Nonnulla quæſita ex D. Thoma circa pœnam Damnatorum.*

QUÆSTIO ULTIMA.
*An, & quomodo purgatorium contra Heterodoxos probari valeat?*

# PROLOQUIUM.

DIvus Thomas, poſtquàm in 1. 2. usque ad quæſt. 22. tractationem de Actibus Humanis pertexuit, diſceptare pergit de Paſſionibus, Habitibus, ac Virtutibus: tandem à quæſt. 71. de Vitiis & Peccatis diſſerere incipit, & in quæſt. 89. deſinit. Ego Tractatum de Libero Arbitrio & Actibus humanis velut in genere præmiſi: ad cujus materiæ integritatem poſtulatur proximè diſſertatio de Actibus moraliter malis, quam proinde, auſpice DEO ter Opt. Maximo ad prælum, & fortè ad Academicum prælium promovere contendi. Primam conſiderationem peccatum actuale ſeu Perſonale, quod propria cujuslibet voluntate commiſſum inficit perſonam, ſibi vendicabit; ultimam originale, aliena Protoparentis noſtri voluntate, quod naturam inficit, in nos transfuſum.

Notat laudatus Angelicus Doctor *q. 24. de Veritat. art. 12. in C.* ratione fomitis, ex peccato originali in nobis Adæ poſteris relicti, Hæreticos quosdam neceſſitatem peccandi adſtruxiſſe. Et quidam, ait, æſtimantes naturam mentis humanæ ad modum corporalium naturarum, opinati ſunt, omne illud, in quod videbant mentis humanæ inclinationem eſſe, hominem ex neceſſitate operari, & ex hoc in contrarios errores inciderunt. Habet enim mens humana duas contrarias inclinationes: unam quidem in bonum ex inſtinctu rationis, quam conſiderans Jovinianus dixit, hominem non poſſe peccare. Alia inclinatio ineſt humanæ menti ex inferioribus viribus (& præcipuè ſecundùm quod ſunt ex originali peccato corruptæ) qua ſcil. inclinatur mens ad ea eligenda, quæ ſunt ſecundùm carnalem ſenſum delectabilia. Et hanc inclinationem conſiderantes Manichæi dixerunt, quòd homo neceſſariò peccet, &c. Hactenus Divus Thomas. Quos autem Hæretici in errores ratione negati liberi arbitrii prolapſi fuerint, in mox citato meo Tractatu quæſt 12. latiùs demonſtravi.

# DISSERTATIO PRIMA.
## DE
## *Natura & Divisione Peccati.*

SOlent complures Theologi in vestibulo hujus Tractatûs unam alterámve quæstionem de contrarietate vitii cum virtute præmittere: cùm autem nobis occasio nondum opportuna adfuerit, differendi de Virtutibus, & Actibus bonis, & aliunde operam nostram aliis materiis elucidandis utiliùs locari existimemus, ejusmodi quæstiones consultò dissimulare voluimus: attamen pro superficiali notitia:

Advertendum primò: vitium, presè acceptum, à peccato in eo differre, quòd per vitium denotetur habitus pravus seu vitiosus; per peccatum verò ipse actus vitiosus: adeoque vitium habet se ut causa ad actum peccati tanquam ad effectum. Advertendum secundò, contraria juxta Aristot. 6. *Metaph. c.* 6. esse opposita, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto insunt, à quo se mutuò expellunt. Hæc contrariorum definitio vitio & virtuti convenit, sive considerentur in genere qualitatis physicæ, sive in genere moris, scil. honesti aut inhonesti seu boni aut mali: quia etiam in hoc posteriori genere distantia est maxima: neque virtus cum suo vitio opposito in gradu intenso in eodem subjecto consistere valet: alioqui idem homo posset esse temperans ac simul intemperans.

Nec dictis obstat, quòd avaritia & prodigalitas magis distent inter se, quàm ab illis distet liberalitas, hæcque virtus inter prædicta vitia tanquam inter duo extrema medium locum teneat. Nam estò virtus moralis ex. gr. liberalitas, materialiter seu ex parte materiæ spectata (quatenus nempe excessum & defectum tum in dando, tum in retinendo impedit) in medio posita dicatur: formaliter tamen, ac prout in bonum rationi consonum tendit, considerata, maximè distat tam à prodigalitate, quàm ab avaritia, quarum neutra in bonum rationi consonum tendit, sed utraque in bonum rationi dissonum; & hinc ambo vitia simul sumpta unum extremum adæquatum, liberalitati ceu alteri extremo oppositum constituunt.

Si quis ulteriùs urgeat, inter bonum, & malum, quod est carentia boni, oppositionem privativam intercedere: respondetur, quòd equidem *malum*, in abstracto consideratum, importet carentiam boni privativam, secus, quando consideratur in concreto, qualiter à nobis sumitur in habitu vitioso opposito cum habitu virtutis. Advertendum tertiò: aliud esse, vitia directè recedentia à motivo virtutis acquisitæ, directè & formaliter opponi seu contrariari virtutibus acquisitis; aliud, vitia à motivo supernaturali recedentia virtutibus supernaturalibus seu infusis contrarietate propriè dicta & directè opponi: prius facilè conceditur: alterum verò inter Theologos controvertitur. Si consulatur S. Thomas in 4. *dist.* 14. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 4. licèt inter vitium vel peccatum & virtutem infusam directam oppositionem non admittat, indirectam tamen non negat: sic ait: Virtus infusa & acquisita non sunt,, ejusdem speciei: unde cùm habitus ex fre-,, quentia operum peccati generatus virtuti,, acquisitæ contrarius sit, non contrariatur,, directè virtuti infusæ, quæ habet opposi-,, tionem cum peccato ex parte illa, quâ est,, offensa DEI, unde non oportet, quòd sta-,, tim, virtutibus infusis restitutis, habitus,, vitiorum tollantur, quamvis impediantur,, & diminuantur.,, Alium textum affert Godoyus ex D. Th. ex qu. 1. a. 10. ad 16. *de Virtutib.* in *communi* hujus tenoris: dicen-,, dum, quòd licèt per actum unum simpli-,, cem non corrumpatur habitus acquisitus,,, tamen actus contritionis habet hoc, quòd,, corrumpat habitum vitii generatum, ex,, virtute gratiæ; unde in eo, qui habuit ha-,, bitum intemperantiæ, cùm conteritur, non,, remanet cum virtute temperantiæ infusæ,, habitus intemperantiæ in ratione habitûs,,, sed in via corruptionis quasi dispositio quæ-,, dam; dispositio autem non contrariatur,, habitui perfecto.,, Godoyum sequitur Theol. Salisb. *h. tr. disp.* 15. *a.* 1. §. 1. adnotans, contrarietatem directam attendi penes ordinem ad unum idemque objectum formale: jam verò virtus moralis acquisita seu naturalis pro objecto formali motivo respicit honestatem ex lege & ratione naturali derivatam; virtus infusa per se seu supernaturalis honestatem derivatam ex lege supernaturali, atque per lumen fidei regulatam respicit: vitium proinde solùm cum virtute acquisita à cujus motivo directè recedit, contrariè, strictè, & directè opponitur; cum virtute verò per se infusa, à cujus motivo indirectè tantùm recedit, indirectè tantùm

oppositionem contrariam exercet. Confer citatam Theologiam in dicto §. 1. & §. sequenti, ubi, quòd vitium tam ùt directè oppositum virtutibus acquisitis, quàm ùt in-directè oppositum virtutibus infusis, contra naturam hominis, quà homo est, pugnet, concludit & probat. His præmissis, sit

# QUÆSTIO PRIMA.

## *Utrùm Peccatum convenienter definiatur, quòd sit dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam?*

1. Conclusio est affirmativa S. Th. hic in 1.2. q.71. a. 6. in C. dicens, *actum humanum malum esse ex eo, quòd careat debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit.* Regula autem voluntatis humanæ est duplex: *una propinqua & homogenea, scil. ipsa humana ratio: alia verò est regula prima, scil. lex æterna, quæ est quasi ratio DEI.* Et ideò Augustinus in definitione peccati *posuit duo: unum, quod pertinet ad substantiam actûs humani, quod est quasi materiale in peccato, cùm dixit:* dictum, vel factum, vel concupitum: *aliud, quod pertinet* ad rationem mali, quod est quasi *formale in peccato*, cùm dixit, *contra legem æternam.* Ita S. D. cum D. Augustino, quorum uterque sentit, quòd prima ratio peccati constitutiva non importet formaliter disconvenientiam cum natura rationali, sed dissonantiam cum lege æterna, quæ in mente Divina existit. Contra præfatam definitionem

2. Oppones primò. Qui omittit ex. gr. Sacrum die festo, peccat, nec tamen illud peccatum est dictum, factum, vel concupitum: cùm ista omnia importent actum positivum, & quidem ex nostro Tract. de Actib. Human. probabilissimè possibilis sit pura omissio libera, ita, ut sine omni actu omissionis, intrinsecè constitutivo, præceptum affirmativum de audiendo Sacro violari possit. Ergo definitio peccati non est accurata, quia convenit soli peccato commissionis, non item omissionis. Resp. Neg. Cons. nam peccatum omissionis, sive possibilis sit pura sive non, comprehenditur sub definitione ex eo, quòd affirmatio & negatio reducantur ad idem genus, sicut in Divinis genitum & ingenitum ad relationem, ut D. August. dicit 5. de Trin. Et ideò pro eodem accipiendum, dictum & non dictum, factum & non factum. Deinde omissiones liberæ & puræ, quantum ad peccatum sunt imputabiles, in morali æstimatione ac prudentûm interpretatione pro actibus positivis reputantur.

3. Oppon. secundò: Peccatum Philosophicum est verum peccatum, estò non sit contra legem DEI æternam: Ergo &c. Ant. prob. ex eo, quod peccatum Philosophicum consistat in disconvenientia actûs humani ad naturam rationalem: imò & D. Thomas peccatum Philosophicum agnoscere censetur, quando in cit. q. 71. a. 6. ad 5. dicit, peccatum à Philosopho morali considerari, secundùm quod contrariatur rationi. Resp. N. Ant. maximè propter propositionem damnatam ab Alex. VIII. infra qu. 4. referendam, ubi de peccato Philosophico ex instituto tractabitur. Neque D. Thomas loc. cit. aliquod peccatum merè Philosophicum admisit, sed tantummodò objicientibus, peccatum esse actum malum, quia est contra rationem, & non quia est contra legem æternam, respondit, quòd peccatum à Theologis præcipuè consideretur, secundùm quod est offensa contra DEUM; à Philosopho autem morali, secundùm quod contrariatur rationi: Et ideò, addit, Augustinum rectè definiisse, peccatum esse contra legem æternam, quamvis etiam sit contra rationem; præsertim, cùm per *legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem humanam, sicut in iis, quæ sunt fidei.* Ex his colliges, solum peccatum Theologicè & pro offensa DEI sumptum, esse verum & strictè peccatum, quamvis Sbogar in *Theol. radic. tr. de peccatis. c. 1. n. 10.* dicat, peccatum in communi varias sortiri divisiones, & aliud esse Theologicum, aliud Philosophicum, aliud Mechanicum, aliud Grammaticale.

4. Oppon. tertiò: difficile explicatu est, quomodo eadem & indivisibilis lex æterna possit esse prima & essentialis regula tam omnis rectitudinis seu bonitatis, quàm irrectitudinis & malitiæ moralis: nam nomine illius legis æternæ oporteret intelligere scientiam visionis: at hoc dici nequit: cùm enim scientia visionis sit practica, & causa rerum, irrectitudines verò moralium inhonestatum in ea contineri, vel ab eadem causari non possint, lex æterna ceu prima & essentialis regula ac mensura tam omnis rectitudinis quàm irrectitudinis moralis in scientia Visionis illegitimè constituitur. Resp. fatendo, hoc mysterium non esse facilè explicatu.

5. Quidam profundus Theologus istud arcanum elucidaturus, notat, Legem DEI æternam esse duplicem: nam secundùm unam rationem consistit in scientia simplicis intelligentiæ, quâ DEUS omnes actiones morales possibiles intelligit, & ad Suæ Sanctitatis honestatisque increatæ imitabilitatem comparat: sic enim quas videt esse inconvenientes creaturæ quà in DEUM suum finem ultimum reducibili, expressione affirmativa tanquam certæ virtutis rectitudine privatas atque adeò ad prædictum finem inutiles re-

pro-

probat. Secundùm alteram rationem lex æterna pertinet ad ſcientiam viſionis, quæ decretum DEI importat præfiniens, hujus vel illius debiti moralis intelligibilem expreſſionem ſeu manifeſtationem eſſe mentibus creatis ingerendam. Ex illo igitur decreto præfinitivo in ſcientia viſionis oritur vis effectrix debiti moralis in ordine ad regulandas creaturæ rationalis actiones vel omiſſiones; nec non ad deſignandas virtutum moralium honeſtates, & contrariorum vitiorum diſconvenientias. Cæterùm hoc modo deſcripta lex æterna in mente Divina formabatur virtualiter ab æterno: primò, quatenus in illa menſura quædam activa & regula hactenus ſolùm in actu primo obligativa ac directiva conſtituebatur per intelligibilem debiti moralis expreſſionem. Quare, ut in actu ſecundo creaturas rationales dirigeret, & ad morales actiones omiſſionésve obſtringeret, neceſſe erat, ut ſcientia viſionis in mentibus creatis intelligibilem regulæ in DEO virtualiter formatæ expreſſionem efficeret, ſicque illuceſceret.

6. Oppon. poteſt quartò, quòd definitio noſtra peccato veniali non congruat: Negat ſiquidem D. Thomas, veniale eſſe contra legem DEI æternam. Verum Reſp. communiter haud negari à S. D. peccatum veniale eſſe contra legem æternam in aliquo, ſed tantùm velle, quòd non ſit receſſus perfectus à lege æterna, ſicut eſt mortale: quoniam non tollit habituale principium, ſcil. gratiam ſanctificantem, & charitatem, quâ homo, ſtante peccato veniali, adhuc habitualiter in DEUM ùt finem ultimum manet relatus: qua de re fusè dictum eſt in tract. *de Lib. Arbit. & Actib. Humanis &c.*

7. Subnota, ex D. Th. 1. 2. q. 72. a. 7. in C. & 2. diſt. 42. 2. q. 1. & 3. p. q. 90. a. 3. ad 1. peccatum cordis, oris & operis non dividi tanquam diverſas ſpecies completas: nam conſummatio peccati eſt in opere; unde peccatum operis habet ſpeciem completam; ſed prima ejus inchoatio eſt quaſi fundatio in corde: ſecundus autem illius gradus eſt in ore, ſecundùm quod homo prorumpit facilè ad manifeſtandum conceptum cordis. Tertius autem gradus jam eſt in conſummatione operis. Quare hæc tria differunt ſecundùm diverſos gradus peccati, ita, ut pertineant ad unam ſpeciem peccati completam; cùm ab eodem motivo procedant. Iracundus enim ex hoc, quòd vindictam appetat, primo quidem perturbatur in corde: ſecundò in verba contumelioſa prorumpit: tertiò verò usque ad facta injurioſa procedit. Atque idem patet in luxuria.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *Utrùm omne peccatum ſit ideo malum, quia eſt lege prohibitum?*

8. RAtio ſententiam negativam ſuadens prima eſt, quòd quædam actiones, ùt mendacium, odium DEI, pollutio voluntaria, ingratitudo &c. ſint malæ per ordinem ad rationem naturalem, atque ex natura ſua, tametſi nulla lex alia, eas prohibens, extare fingatur. Ex quo argumento non nemo poſſibilitatem peccati Philoſophici concedere videtur. Secunda: In illo priori ſigno, in quo DEUS per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ab æterno repræſentavit naturam ſeu eſſentiam ex. gr. odii, quo creatura poteſt in ipſum ferri, jam cognovit, quòd ſit aliquid ſuæ Divinæ Bonitati oppoſitum, & rationi naturali diſſonum: Ergo etiam cognovit, odium, præſcindendo etiam à lege æterna ipſum prohibente, ſuam propriam involvere malitiam. Tertia: Si mendacium, odium DEI, & alia hujusmodi ſint mala, quia lege prohibita, non minùs, DEO in lege ſua diſpenſante, poſſunt reddi licita atque impunibilia, quàm dum legislator humanus, interpoſita diſpenſatione, actus quosdam malos, quia prohibitos, facit licitos, ùt ſunt carnium comeſtiones in Quadrageſima, labores rurales, vel mechanici in die feſtivo: atqui omnes docent, mendacium, odium, blaſphemiam, & hujusmodi alia ab intrinſeco moraliter mala, nulla diſpenſatione poſſe fieri licita: ergo aliunde cenſentur eſſe mala, & non præcisè quia ſunt lege æterna prohibita. Verùm ſtatuenda eſt contraria

9. Concluſio, quòd omne peccatum ſit ideo malum, quia lege aliqua eſt prohibitum. Sic communis Thomiſtarum. Probat. Concluſio primò ex præmiſſa definitione peccati, quod debet eſſe dictum, factum &c. contra legem æternam: ergo & peccatum, quod eſt aliquid ab intrinſeco malum. Probat. ſecundò ex eo, quòd moralitas actûs deſumatur ex tendentia libera in objectum ùt ſubſtans regulis morum, quarum prima ac univerſaliſſima eſt ipſa ratio Divinæ Sapientiæ, ſeu lex æterna, quatenus noſtrorum actuum in ſuos fines directiva; altera verò ratio naturalis creatæ menti inexiſtens, quæ non aliter, quàm in virtute legis æternæ ac regulæ primæ vim regulativam continet, quemadmodum nec poteſtas legislativa humana aliter, quàm per participationem poteſtatis legislativæ Divinæ, virtutem imperandi vel obligandi complectitur, juxta illud in parabolis Salomonis: *per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Et illud Apoſtoli: *non eſt poteſtas, niſi à DEO.* Probat. tertiò: quia aliàs de facto dari poſſent gravia peccata merè Philoſophica, quæ nullam injuriam vel offenſam DEI, nec averſionem à DEO involverent. Prob. quartò & principaliter ex

ex Sacris paginis, speciatim ex Psal. 118. ubi *prævaricantes* reputantur *omnes peccatores terræ*: atqui ubi non datur lex, nec datur prævaricatio, juxta Apost. *ad Rom.* 4. 15. Ergo omnes peccatores prævaricando seu peccando agunt contra legem. Demum hæc omnia confirmationem recipiunt per instantiam in artefactis, quorum defectus per comparationem ad regulas dimetitur, & taxamus.

10. Ad primam rat. contrar. sicut & ad secundam communis redditur solutio, quòd actus intrinsecè mali, si concipiantur cum præcisione ab omni lege, naturali, Divina & æterna, non sint mali *completè*, *perfectè*, & *formaliter*; sed *incompletè*, & quasi *fundamentaliter* duntaxat, in quantum, ùt oppositi cum Divinis perfectionibus, & incapaces omnis rectitudinis, honestatis, atque relationis in DEUM ùt finem ultimum, à lege æterna perpetuam prohibitionem merentur atque exigunt, per ordinem ad quam *completè* ac *formaliter* mali esse intelliguntur. Hinc ad tertiam Rat. N. seq. Major. & paritas instituta cum dispensatione, quâ interpositâ, actus sola lege humana prohibiti cessant esse mali: cùm enim lex humana sit omnino liberè lata, & quidem circa actus vel omissiones de se ab intrinseco non inhonestas, ac cum Divinis perfectionibus minimè oppositas versetur, lex verò naturalis, & æterna sit necessaria, in quantum super actus vel omissiones ab intrinseco inhonestas cadit, mirum non est, cur possibilis sit dispensatio in lege humana, impossibilis verò in lege æterna, sicque malitia intrinseca auferri nequeat.

11. Instas: furtum ex. gr. tametsi lege æterna ùt malum intrinsecum prohibeatur, atque ex sua essentia perfectioni Divinæ justitiæ repugnet, nihilominùs erat objectum dispensationis Divinæ, vigore cujus populus Israëliticus vasa Ægyptiis auferebat: Ergo disparitas data non subsistit. Resp. Non omnia intrinsecè mala esse ejusdem generis, si cum potestate dispensativa DEI comparentur. Quædam enim simpliciter, quoad substantiam, ac independenter quoad certam circumstantiam sunt mala, utpote absolutè opposita, difformia & præjudicantia Divinis attributis, ùt mendacium primæ veritati, odium summæ bonitati, blasphemia summæ sanctitati Divinæ &c. quæ actiones nullam recipere possunt dispensationem nec directam, & formalem, nec indirectam & materialem. Alia autem mala sunt intrinsecè cum dependentia à certa circumstantia, ùt contrectatio rei alienæ, quæ tamdiu lege æterna ac naturali manet prohibita ac intrinsecè illicita, quamdiu DEUS, ùt supremus rerum omnium Dominus, dominium vel proprietatem ab altero non tollit, eámque rem non facit communem, aut certis personis ad illam contrectandam licentiam non concedit, quàm populo Israëlitico in terram sanctam migraturo in res & vasa Ægyptiorum concessit. Hâc licentiâ semel concessâ, quæ non erat propriè dicta, formalis, ac directa, sed solùm materialis ac indirecta dispensatio, contrectatio prædictarum rerum furtum esse desiit.

12. Pro praxi hic notandum venit ex Laymann. *tr. de peccat. cap.* 6. nos sine legis violatione & licitè delectari posse per simplicem affectionem circa res seu objecta, quæ ab intrinseco nullam involvunt turpitudinem, sive malitiam, quæque sola lege positiva (hoc est, latâ liberâ & expressâ voluntate alicujus legislatoris in materia de se indifferenti) directè prohibentur; aut voluntaria voti emissi abdicatione. Ut ecce! sola lege Ecclesiastica die Sabbati directè prohibetur comestio carnium, & indirectè ac velut per consequentiam à lege æterna. Si quis jam de carnium comestione die Sabbati delectetur, ùt hæc est præcisa à legis positivæ prohibitione, non peccat contra præceptum jejunii: quia tunc voluntas fertur in objectum licitum, ac de se indifferens. Eapropter similiter non peccares, si conditione adjecta interiùs, aut etiam exteriùs diceres, vellem hodie carnes comedere, *si* non esset dies prohibitus. Quin imò, etiam illo casu peccatum non incurritur, si aliquid sit prohibitum lege naturali, & per adjectam conditionem prohibitio atque inhonestas tollatur v. g. dicendo: Si Judex competens essem, hunc malefactorem pro merito suo capitis damnarem: aut sic: vellem Petro hoc vel illud aufferre, si DEUS mihi potestatem daret. Nihilominùs consultum minimè est, similibus fatuis cogitationibus, aut verbis, locum dare. Plura hac de re dicemus, quando de delectatione morosa tractabimus.

## QUÆSTIO TERTIA.

### *In quo consistat formaliter Peccatum actuale Commissionis? An in aliquo positivo, an verò in privativo?*

13. SUpponimus, peccatum seu malum morale esse quoddam concretum, & in peccato commissionis (quo violatur præceptum negativum, v. g. hoc, *non furtum facies*, *non mæchaberis*, quemadmodum per peccatum omissionis contravenitur præcepto affirmativo, v. g. huic: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c. Memento, ut diem Sabbati sanctifices &c.*) pro materiali, substrato, aut subjecto importare ipsam actûs physicam entitatem, v. gr. actum furti tum internum tum externum: pro formali

mali verò & forma abstracta importari ipsam malitiam moralem actûs legi contrariantis; & de hac controverti, an sit aliquid positivum morale præsuppositum privationi rectitudinis inde resultanti, num verò sit mera privatio: Sententiæ oppositæ etiam ab ipsis Thomistis defenduntur: Interim nonnulli sunt, qui formale peccati in relatione rationis ultimatò consistere contendunt.

14. Pro sententia formale & essentiale peccati in ente positivo statuente, pugnant in speciem gravia argumenta. Primum ex variis textibus D. Thomæ conficitur. Primus desumitur ex 1. 2. q. 18. art. 5. ubi ad secundum dicit, *quòd malum importet privationem non absolutam, sed consequentem talem potentiam. Dicitur enim malus actus secundùm suam speciem, non ex eo, quòd nullum habeat objectum, sed quia habet objectum non conveniens rationi, sicut tollere aliena.* Unde in quantum objectum est *aliquid positivè, potest constituere speciem mali actûs.* Secundus ex *q. 2. de Malo, art. 5. ad* 3. in quo ait, bonum & malum *opponi contrariè, & non secundùm privationem, & habitum. Malum enim ponit aliquid, in quantum consequitur quemdam ordinem, modum, vel speciem.* Tertius ex ead. q. 2. a. 11. ad 13. ubi *peccatum non est privatio pura, sicut tenebra, sed est aliquid positivè.* In quibus & compluribus aliis locis *malo*, præter privationem boni, & rectitudinis debitæ inesse actui, aliquid aliud attribuitur, per quod constituitur species mali; & notanter inter malum & bonum adducitur oppositio contraria, quam & nos in advertendis ante primam quæstionem adstruximus, quæque inter duo extrema positiva versetur, necesse est.

15. Secundum Argumentum cum seqq. Rationi præcipuè innititur. Sic arguunt: Nondum intellecta privatione rectitudinis inesse debitæ in peccato commissionis, jam concipitur pro priori aliqua tendentia positiva in objectum regulis morum dissonum quà tale: atqui ista tendentia in illo priori est mala *moraliter*: Ergo in priori ad privationem in peccato commissionis intelligitur tendentia positiva mala moraliter; ergo in illo priori reverà datur aliqua malitia non privativa, sed contraria ac positiva. Maj. non solùm constat ex eo, quòd omnis actio, prout recipit suam specificationem ab objecto, dicat tendentiam positivam ad illud: Verùm etiam roboratur ex D. Th. 2. 2. quæst. 10. a. 5. ad 1. sic loquitur: *Formalis ratio alicujus peccati potest accipi dupliciter: uno modo secundùm intentionem peccantis: & secundùm boc id, ad quod convertitur peccans, est formale objectum peccati:* Consequenter ex mente S. Doct. peccatum commissionis suam specificationem recipit per ordinem ad objectum dissonum Regulis morum, quà dissonum est. Min. prima etiam prob. Tendentiæ nomine, quâ voluntas fertur in objectum regulis morum dissonum, non venit aliqua conversio physica: Ergo intelligitur moralis: non bona: ergo mala.

16. Tertium. Non in omni actu peccaminoso potest assignari privatio rectitudinis: Ergo &c. Prob. antec. Privatio rectitudinis supponit debitum simul & aptitudinem ad formam oppositam rectitudinis & honestatis: at hoc debitum & aptitudo non datur in omni actu peccaminoso: In exemplum assumamus odium DEI: Forma opposita odii est rectitudo sive honestas amoris Divini: hæc planè actui odii nec debetur, nec eidem inesse potest: alioqui posset quis eodem actu DEUM amare & simul odisse: consequenter illa carentia rectitudinis vel honestatis, quæ reperitur in amore DEI, non habet propriè rationem privationis.

17. Quartum: & simul confirmatio prioris. Odium DEI priùs concipitur ut quid malum moraliter per oppositionem ad præceptum negativum, hoc nempe, *DEUM odio non habeas*, quàm per oppositionem ad præceptum conditionale affirmativum, charitatis, scil. istud, aut non opereris in materia charitatis, aut, si vis actum voluntatis circa DEUM exercere, DEUM diligas, aut Divino amori nihil contrarium agere studeas. Et ratio est, quòd priùs concipiatur directa ac immediata oppositio, quàm mediata ac indirecta: oppositio autem odii DEI cum præcepto negativo est directa ac immediata, mediata verò cum præcepto affirmativo diligendi DEUM: atqui odium DEI Præcepto negativo opponitur ratione alicujus positivi: Ergo in odio DEI malitia positiva priùs intelligitur quàm privativa. Min. prob. Odium DEI præcepto negativo opponitur per id, quod illo præcepto prohibetur: atqui id, quod prohibetur, est ipse actus positivus odii: Ergo odium DEI præcepto negativo opponitur ratione alicujus positivi.

18. Quintum. Bonum & malum moralia reduplicativè talia contrariè opponuntur. Cùm ergo contraria propriè talia sint inter extrema positiva maximè inter se distantia, tam in malo moraliter tali, quàm in bono invenitur utrimque aliqua forma positiva. Prob. antec. tum ex Arist. qui in *Postprædicament. cap. de Opposit.* asserit, eodem modo bonum & malum, studiosum & vitiosum, justitiam & injustitiam opponi, sicut opponuntur album & nigrum, dulce & amarum &c. tum ex D. Th. *q. 1. de Mal. art.* 1. *ad* 4. docente, ideo in moralibus magis quàm in naturalibus *malum contrarium bono dici, quia moralia ex voluntate dependent: voluntatis autem objectum est bonum & malum: omnis autem actus denominatur & speciem recipit ab objecto: sic ergo actus voluntatis, in quantum fertur in malum, recipit rationem & nomen mali: & hoc malum contrariatur propriè bono: Et hæc contrarietas ex actibus in habitus transit, in quantum habitus & actus similantur.*

19. Sextum. Ponamus duas volitiones, unam, qua quis seriò die prohibito vult comedere carnes; aliam, qua vult comedere carnes die non prohibito: hic profectò inter prædictas duas volitiones, si secundùm entitates reales & rationem physicam spectentur, nulla intercedit contrarietas; & tamen prima volitio est formaliter mala, altera formaliter bona, dummodo comestio carnium in die non prohibito in finem honestum dirigatur: quid jam restat assignabile, ut verificetur actuum illorum contrarietas, nisi illa duo extrema in genere moris reduplicativè & præcisivè spectata, videlicet ipsum bonum & malum.

20. Urgetur: Volitio bona & honesta comedendi carnes die non prohibito non solùm *positivè* tendit in delectabilitatem physicam objecti, sed etiam in eandem ùt rationi consonam: & econtra altera volitio comedendi carnes die prohibito non tantùm tendit in delectabilitatem physicam objecti, putà comestionis, verùm etiam ùt dissonam rationi; adeóque fines earum non tantùm physicè, sed etiam *moraliter* seu in ratione honesti ac inhonesti sibi contrariantur: Ergo vana & præclusa est invasio, quando sententia formale peccati in privativo constituens, totam contrarietatem in substratis entitatibus, & actibus in genere physico spectatis, absolvere allaborat.

21. Septimum. Sicut se habet error ad intellectum, sic se habet actus peccaminosus ad voluntatem: quemadmodum enim error est malum, & quidem potissimùm, intellectûs, importans non solùm privationem veritatis, sed quid veritati positivè contrarium; ita peccatum est malum, & quidem maximum voluntatis, & non solùm privatio boni, sed etiam potissimùm aliquod contrarium bonitati morali ac rectitudini. Atqui error dicit ordinem positivum ad suum objectum, éstque aliquid positivum tam formaliter quàm materialiter. Ergo similiter actus peccaminosus ordinem positivum ad objectum dicet, eritque aliquid in se positivum tam formaliter, quàm materialiter. Vid. noster P. Antonius Perez in *Certaminib. Scholasticis certam.* 8. Verùm hæc argumenta formale positivum peccati nobis non persuadent. Sit ergo

22. Conclusio prima: Formale constitutivum actûs peccaminosi, id est, malitia moralis in abstracto sumpta, in se nihil est positivum, sed aliquid privativum. Prob. primò: ex S. Athanasio in *Oratione contra gentes* sic loquente: *Ea autem sunt, quæ bona sunt: ea verò non sunt, quæ mala sunt. Porrò ea esse dico, quæ bona sunt, quatenus eorum exemplaria sunt in DEO, qui verè est. Ea verò non esse dico, quæ mala sunt, quatenus cùm nihil sint, solis hominum commentis conficta sunt.* Igitur peccatum formaliter consideratum nihil est: sique esset aliquid, scil. positivum, haberet suam exemplar in DEO; consequenter in classe bonorum ponendum foret. Secundò ex D. nostro Anselmo, olim Cantuariensi Archi-Episcopo. Is in *Dialogo de Casu Diaboli cap.* 9. 10. & 11. per extensum demonstrat, malum *morale nihil* esse, sed meram privationem. Excipe verba ex *c.* 9. Justitiam *dicimus bonum, quo fiunt boni*, id est, *justi, & Angeli, & homines: injustitiam verò ipsum malum esse, quod nihil aliud dicimus, quàm boni privationem, quod malos, & malam voluntatem facit: & ideo eandem injustitiam non aliud esse asserimus, quàm privationem justitiæ &c.* Et *cap.* 10. discipulo, quomodo malum videatur esse aliquid, interroganti respondet: *Puto, quia non es ita insanus, ut dicas, nibil esse aliquid, cùm tamen non possis negare, nibil esse nomen.* Deinde *cap.* 11. sic loquitur: *multa quidem dicuntur secundùm formam, quæ non sunt secundùm rem &c. Ita quoque cæcitas dicitur aliquid secundùm formam loquendi, cùm non sit aliquid secundùm rem: Sicut enim de aliquo dicimus, quia visum habet & visus est in eo; ita dicimus, quia habet cæcitatem, & cæcitas est in eo: cùm hoc non sit aliquid, sed potius non aliquid, & habere non sit habere aliquid, imo carere eo, quod est aliquid &c. Hoc ergo malum est nibil, significans aliquid, & quod significat, est aliquid, non secundùm rem, sed secundùm loquendi formam &c. Nibil enim non aliud significat, quàm non aliquid, aut absentiam eorum, quæ sunt aliquid: Et malum non aliud, quàm non bonum, aut absentia boni, ubi debet & expedit esse bonum &c.*

23. Omittimus alias PP. authoritates, ut D. Dionysii *cap.* 4. *de Divin. Nominib.* Nazianzeni *orat.* 14. Augustini in *Enchirid. cap.* 11. & aliorum, apud quos nihil frequentius, quàm peccatum esse privationem boni, infirmitatem, desertionem, aversionem, recessum, defectum, alienationem, tenebras, nihil &c. Sicut enim injustitia non est aliud, quàm absentia debito justitiæ; ita malum non est aliud, quám absentia debiti boni. Nulla autem essentia (quamvis mala dicatur) est nihil, nec malum esse, est illi esse aliquid.

24. Ex pluribus testimoniis D. Thomæ è re nostra maximè est illud in 1. 2. *quæst.* 71. *in art.* 6. *in C.* ubi *peccatum nibil est aliud, quàm actus bumanus malus. Quòd autem aliquis actus sit bumanus, babet ex hoc, quòd sit voluntarius . . . . babet autem actus bumanus, quòd sit malus, ex eo, quòd careat debita commensuratione.* Hic S. Doct. innuit, quòd carentia debitæ commensurationis quoad actum moraliter malum ita se habeat, sicuti ratio voluntarii ad actum, ut sit humanus. At ratio voluntarii actum humanum constituit formaliter: igitur & carentia debitæ commensurationis constituit formaliter actum moraliter malum: quare privatio non se habet solùm ex consequenti, & per modum resultantis ex actu quà positivè malo in signo antecedenti.

25. Neque dicas, peccatum definiri posse, & sic non carere essentia, cùm definitio naturam rei, hoc est, essentiam explicet. Nam Resp. In nostra definitione peccatum non definiri secundùm malitiam, & pri-

privationem rectitudinis debitæ in abstracto sumptam, sed ut in concreto acceptum, prout est dictum, factum, vel solùm concupitum scilicet contra rationem & legem: sic autem ex parte actûs saltem importari aliquam essentiam positivam, nemo diffitetur: quòd, si malitiam peccati abstractivè sumptam spectare ac definire lubeat, nulla reperitur vera ac positiva essentia, sed solùm abusiva, & negativa, nec major, quàm in cæcitate, quæ oculo, & in tenebris, quæ aëri inesse à nostro intellectu ad modum formæ, vel accidentis concipiuntur. Hinc rectè Augustinus *l.* 11. *de Civit. cap.* 9. *mali*, ait, *nulla natura est*, sed amissio *boni nomen mali accepit.*

26. Secundò: In quocunque signo reali vel rationis concipiatur deliberata ac formalis tendentia in objectum lege prohibitum, semper & necessariò est difformis legi: sed esse difforme legi, dicit carentiam seu privationem conformitatis & rectitudinis cum lege & honestate per legislatorem & legem intenta. Ergo in quocunque signo concipiatur deliberata ac formalis tendentia in objectum lege prohibitum, semper ac necessariò dicit carentiam conformitatis seu privationem rectitudinis cum lege: Ergo etiam privationem rectitudinis, à Legislatore & lege intentæ.

27. Tertiò: Thomistæ nobis contrarii concedunt, id, per quod peccatum constituitur in ratione mali simpliciter, non esse aliquid positivum, sed puram privationem: Ergo etiam est quid purè privativum in ratione moralis determinata. Ut antec. ritè percipiatur, notandum est, juxta Paulum à Conceptione hìc *disp.* 2. *num.* 36. duplex à suis asseclis distingui malum: unum absolutè ac simpliciter tale: alterum est præcisè tale respectu alicujus. Primi generis malum, ait, nihil entitatis includit: malum verò posterioris generis ita est quid malum respectu alicujus naturæ, ut tamen in se sit aliquod ens & bonum transcendentale. Sic in aqua calefacta adest calor unà cum privatione frigiditatis: hæc privatio, utpote in se nihil, ac nulli bona, dicitur malum *simpliciter*: econtra calor, cùm in se sit ens, ac bonus, est malus non simpliciter, sed respectivè solùm, & secundùm quid, id est, respectu aquæ, cui physicè est dissonus. A malo physico paritatem ad malum morale ducunt, ajuntque malitiam positivam esse malum alicujus, & non esse malum absolutè: & nolunt confundi malum, quod est simpliciter tale præcisè in linea morali, cum malo morali, quod est tale simpliciter in omni linea: sed notari cupiunt, malum morale aliud esse præcisè in linea morali; aliud non solùm in linea morali, sed etiam in linea physica, quatenus in se nec pro explicito nec pro implicito aliquam rationem entis dicit: utrumque tamen hoc malum fatentur esse malum simpliciter, si ly malum referatur ad lineam moralem: quia utrumque pugnat cum bono universali. At in ratione mali præcisè, malum morale, quod in privatione consistit, est magis malum, inquiunt; in cujus comparatione malum illud, quod secundùm suum expressum seu explicitum est aliquid positivum (scilicet in ratione tendentiæ positivæ in objectum malum seu prohibitum) & pro implicito dicit entitatem, in ratione *mali* rectè appellatur malum *secundùm quid*; quamvis hoc malum positivum in alia consideratione sit majus malum, quàm sit malum subsequens privativum, si nimirum linea moralis præcisè attendatur; quandoquidem à tali positiva tendentia morali malum ipsius privationis resultantis dimanat. Hæc & plura *cit.* Auctor *à num.* 69. prosequitur usque ad *num.* 71. At non leviter

28. Impugnatur sequenti modo: Ex confessione adversa malum positivum, in quo constituunt formale peccati, in linea morali simpliciter est malum, quia pugnat cum bono universali, nec quoad lineam moralem datur differentia inter id, quod malum positivum vocant, & inter id, quod privationem puram nominant, sed differentia stat in hoc duntaxat, quòd malum *morale positivum* ratione lineæ, & entitatis physicæ, quam de implicito importari in illo positivo dicunt, rationem entis includat, malum verò privationis ne quidem de implicito rationem entis importet. Modò sic: si malitia positiva in linea morali simpliciter opponitur bono morali universali, & privatio ex ea resultans similiter, tunc id, quod dicunt malum positivum, erit malitia formaliter simul positiva, & simul formaliter privativa, ac econtra malitia privativa erit simul positiva: sed hoc repugnat: cùm privativum excludat omne positivum in illo genere, in quo est privativum, ac vicissim: Ergo minùs bene asserunt, dari malitiam unam positivam, quæ sit per se primò & essentialiter constitutiva peccati, & aliam privativam ex positiva tendentia morali resultantem. Seq. Maj. ostenditur. Quando tota diversitatis ratio inter malum positivum & malum privativum concernit lineam physicam, & perfecta convenientia adhuc stat intra lineam purè moralem: tunc in linea morali præcisa sibi mutuò communicant sua prædicata, consequenter malum positivum erit malum privativum, & vicissim privativum erit positivum: atqui tota differentia, fatentibus Adversariis, inter malum positivum & privativum concernit lineam physicam, & perfecta convenientia cæteroquin stat intra lineam moralem: Ergo &c.

29. Denique ex ista divisione mali, ejusque explicatione, Adversarii convincuntur, solum substratum sive subjectum malitiæ in actu peccaminoso esse aliquid positivum, quod nostra Sententia defendat. Prob. seq. malitia positiva in tantum adstruitur in actu peccaminoso, in quantum in eo de

*de implicito* importatur ratio entis: atqui hoc implicitum nihil est aliud, quàm substratum seu subjectum in concreto physico-morali actûs peccaminosi seu mali: Ergo Adversarii convincuntur, solum substratum malitiæ esse aliquid positivum. Subsumo: illud substratum est extra lineam moralem mali seu inhonesti, quæ simpliciter opponitur bono morali & lineæ honestatis: Ergo intra lineam moralem mali non datur quid positivum per modum formæ moralis, peccatum formaliter ac per se primò constituentis.

30. Quartò: *Omnis actio, in quantum habet de esse, in tantum habet de bonitate: in quantum verò ei aliquid deficit de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate, & sic dicitur mala &c.* S. Thom. 1. 2. *q.* 18. *art.* 1. *in C.* Si ergo careat omni bonitate in aliqua linea, nullum habet esse in illa linea: atqui actus inordinatus, contra legem prohibentem elicitus, in linea morali caret omni bonitate, uti constat ex supra allata Adversariorum mali distinctione & explicatione. Ergo in dicta linea nullum habet esse.

31. Quintò: Quòd actus humanus sit, habet ex eo, quia est voluntarius: quòd verò sit malus, habet ex eo, quòd careat debita commensuratione, ùt loquitur in terminis D. Thom. *eâd. p. qu.* 71. *art.* 6. ubi explicat definitionem peccati, quòd nimirum sit actus aliquis contra legem: at defectus contra legem, & defectus commensurationis ad eam, de implicito non dicit entitatem, nisi in genere physico per modum substrati: Ergo &c.

32. Sextò: Si peccatum secundùm esse morale est quid positivum, & non merus defectus, DEUS ùt causa prima ad illud formale præmovet, quod nemo ex orthodoxis admittit. Prob. sequela: DEUS ad omne *esse* participatum & limitatum physicè præmovet, secundùm Thomistas, &, secundùm alios saltem physicè concurrit: Atqui omne positivum (distinctum ab ente increato) est esse participatum & limitatum: Ergo ad omne positivum physicè præmovet, vel saltem simultaneè concurrit: consequenter etiam ad positivum peccati, quod utique non poterit dici quid imparticipatum.

33. Unde non satisfaciunt Adversarii distinguendo, peccatum esse aliquid participatum ac prævië vel simultaneè dependens à DEO, si spectetur in ratione entis & actûs; non verò, si spectetur in ratione deformitatis. Nam

34. Instamus primò: Secundùm Adversarios deformitas in tendentia seu conversione ad objectum prohibitum est aliquid positivum: ergo etiam sub illa ratione continetur sub sphæra Divinæ causalitatis: prob. conseq. Deformitas positiva est ipsa tendentia realis actûs in objectum regulis morum & rationi dissonum: atqui realis tendentia actûs sub sphæra Divina causalitatis continetur: ergo & deformitas positiva.

35. Instamus secundo: Illa deformitas positiva vel est à voluntate creata, ùt agente positivè & *efficienter*, vel solùm ùt agente *deficienter*: neutrum rectè respondent: non primum: quia contrariatur S. Thomæ *quæst.* 3. *de mal. art.* 1. *in C.* ubi sic loquitur: *Peccatum communiter dictum, secundùm quod in rebus naturalibus & artificialibus invenitur, ex eo provenit, quòd aliquis in agendo non attingit finem, propter quem agit; quod contingit ex defectu principii activi: sicut si Grammaticus non rectè scribat, contingit ex defectu artis, si tamen rectè scribere intendit: Et quòd natura peccet in formatione animalis, sicut contingit in partibus monstrosis, contingit ex defectu activæ virtutis in semine: peccatum verò secundùm quod propriè in moralibus dicitur, habet rationem culpæ, & provenit ex eo, quòd voluntas deficit à debito fine, per hoc, quòd in finem indebitum tendit.* Igitur secundùm S. Doctorem omne peccatum respicit suum principium ùt deficienter agens; ac præcipuè peccatum, quod est propriè tale & in moralibus: consequenter moralis deformitas non est à voluntate creata, ùt principio efficienter agente. Secundum si respondeatur, inferemus; ergo deformitas non procedit ùt quid positivum à voluntate ùt principio in ordine morali deficienter agente, sed ùt merus defectus, & carentia boni honesti; ne plus effectui adscribatur, quàm fuerit in causa.

36. Adde, quæ S. Doct. *ead. q.* 3. *de mal. art.* 2. *in C.* tradit, inquiens: *Quidquid est de motu in claudicatione, est ex virtute motiva animalis: sed quidquid est ibi de defectu, non est à virtute motiva, sed à tibia, secundùm quod deficit ab oportunitate mobilitatis à virtute motiva.* Sic ergo dicendum, quòd cùm DEUS sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quòd etiam ipsa seipsa *movent, sicut quæ habent* liberum arbitrium; quæ si fuerint in debita dispositione & ordine debito ad recipiendam motionem, qua moventur à DEO, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in DEUM, sicut in causam. *Si autem deficiant à debito ordine, sequitur actio inordinata, quæ est actio peccati:* & sic id, quod *est ibi de actione, reducetur in DEUM, sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione vel deformitate, non habet DEUM causam, sed solum liberum arbitrium.* Ita S. Doctor. Ex his

37. Instamus tertiò: S. Doct. in recitato textu instituit comparationem mali & defectûs in moralibus cum malo & defectu tam in naturalibus quàm artificialibus: ergo inprimis sicut omnis positiva ratio in naturalibus & artificialibus ab agente procedit efficienter, & non deficienter se habente, ac ideo in DEUM ùt Motorem primum refunditur, ita quoque in Moralibus: & ulteriùs: quia Motu progressivo intellecto, & non intellecta curvitate, non concipitur formalis claudicatio: nec, intellecta sola colorum dispositione, ante con-

considerationem defectûs à regulis artis, concipitur imago defectuosa: neque intellecta inordinatione humorum in corpore animalis, intelligitur infirmitas, rectè infertur, malum naturale, & artificiale formaliter consistere in privatione debitæ rectitudinis: ergo pariter, quia solâ intellectâ tendentiâ positivâ in bonum delectabile, & non conceptâ inordinatione, seu defectu rectæ ordinationis, nondum intelligitur malum morale, seu ratio peccati, formale peccati in prædicta tendentia nequit consistere.

38. Instamus quartò: Vel est una positivitas entis physici, & deformitatis moralis, vel est duplex? si una tantùm: ergo DEUS suo influxu attingens positivitatem entis physici, per necessariam sequelam deberet etiam attingere positivitatem deformitatis moralis: si verò sit duplex positiva ratio, una entis, altera deformitatis seu malitiæ, sequeretur, quòd positivum malitiæ esset realiter distinctum à positivo actûs & entis physici: Ergo falsum esset Adversariorum assertum, quòd deformitas positiva sit ab entitate actûs realiter, imò & virtualiter indistincta, atque ens secundùm implicitum involvat.

39. Conclusio secunda. Ratio formalis constitutiva peccati commissionis consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse actui. Ratio est, quòd penes idem sumenda sit ratio bonitatis moralis, & ratio malitiæ moralis: atqui bonitas moralis sumitur penes ipsum actum, cui inest tota debita perfectio honestatis: Ergo & malitia sumenda est in actu, quia caret perfectione sibi debita. Vid. S. Thom. *qu.* 18. hic &c. Ut jam Argumentis primæ Sententiæ satisfiat.

40. Resp. ad primum Argumentum, tribus textibus obarmatum, nihil ex illis erui, quàm quòd malum sit quid positivum, & bono contrarium: quodque ex malo ùt aliquo positivo species peccati desumatur & dignoscatur. Si actio inordinata, seu tendentia defectuosa sumatur in concreto, ex parte actûs interni coalescit ex physica entitate operationis à voluntate physicè egredientis, simulque ex dissonantia seu difformitate illius, quam habet oppositivè ad legem & honestatem ab ea intentam: hæc autem difformitas, licèt per modum formæ dehonestantis operationem physicam afficere, determinare, ac specificare à nostro intellectu concipiatur, in se tamen est mera privatio, seu carentia privativa conformitatis cum ratione & lege, carentia, inquam, seu privatio, non physica, quia non privat formâ aliquâ physicâ, sed moralis: cùm honestas, rectitudo, sive bonitas, quæ actui inesse deberet, sit aliquid positivum morale. Similiter objectum, quod plerumque consistit in actu externo legibus prohibito, qualis est ex. gr. ablatio rei alienæ, occisio injusta, actiones voluptuosæ in re venerea &c. in concreto sumi potest, id est, pro entitate physica, conjunctâ inhonestati & inordinationi morali seu prout rationi, legibus, ac regulis morum difformi. In qua consideratione tam actum internum, quàm externum, qui est objectum specificativum interni, aliquid positivum esse, ratione videlicet entitatis physicæ, nemo unquam in dubium vocabit: secus discurrendum, ubi inordinatio, malitia deformitas &c. tum objecti tum actûs moralis præcisivè & in abstracto spectantur: tunc enim mera privatio bonitatis moralis exprimitur. Istam esse mentem & sensum D. Thomæ, testimonia à nobis congesta clarè demonstrant. Quibus addenda, quæ habet *quæst. unic. de Virtut. in commun. art. 2. ad 5.* ibi: *Malum non constituit speciem ratione privationis, sed ratione ejus, quod privationi substernitur.* Et in *2. Sent. dist. 34. a. 2. ad 3.* sic dicit: *Malum per se vel abstractè sumptum non est differentia specifica; sed malum per accidens, vel concretè sumptum.*

41. Ad secundum Resp. negando Maj. cujus falsitas constat ex nostra probatione *num.* 25. in oppositum allatâ. Neque tendentia positiva in objectum recipit specificationem ab objecto malo, nisi quatenus tam illa, quàm istud, accipitur in concreto, importante entitatem physicam cum ipsa deformitate, ac oppositione ad regulas morum.

42. Ad tertium neg. ant. ad cujus prob. neg min. ad prob. ulter. dist. min. rectitudo sive honestas amoris actui odii DEI nec debetur, nec eidem inesse potest, spectata actûs ultima ratione, conc. min. spectata ratione generica actûs humani, neg. min. & conseq. Nam hoc præceptum negativum, *DEUM odio non habeas*, includit præceptum affirmativum conditionale, quo, ex supposito, quòd intra materiam charitatis circa DEUM operari vis, rectè ac bene operari juberis. Exemplum do in actione sacrificii, quæ semper debet esse religiosa: etsi enim Sacerdos quotidie celebrare non teneatur; ex hypothesi tamen, quòd celebrare velit, debet piè, religiosè, ac decenter celebrare: itaque ex generica ratione actûs humani in odio datur aptitudo, & debitum saltem conditionatum ad moralem honestatem amoris; & ideo hujus carentia dicit privationem rectitudinis debitæ inesse actui. Sic & talpæ privatio visûs est mala, cùm saltem ratione gradûs generici animalis aptitudinem & debitum quoddam ad visum retinere videatur; non enim omnino caret oculis, etsi clausos & oblæsos habeat. Similiter, licèt animali prout jam determinato per rationale repugnet, ut contrahatur per irrationale; non tamen repugnat hoc, si animal secundùm gradum genericum ùt præcisum consideretur.

43. Ad quartum transmissa Maj. neg. min. si nomine positivi intelligatur malitia in abstracto: ad Prob. dico odium DEI præcepto negativo opponi per id, quod illo præcepto prohibetur, ita tamen, ut cum præcepto negativo connectatur præceptum affirmativum conditionale charitatis, vi cu-

jus præcepti carentia amoris, qui actui odii quà genericè spectato inesse debuisset, redditur privativa. Imò tota ultima probatio plus non evincit, quàm per actum positivum odii ùt privatum debita rectitudine, præceptum negativum violari, quod est ipsissima nostra doctrina. Cæterùm hujusmodi argumenta nimiùm probant: ex illis enim infertur, quod privatio debitæ rectitudinis ne quidem ex consequenti resultare possit: & tamen hanc resultantiam ab Adversariis constanter in nos regeri, in confesso est.

44. Ad quint. Resp. bonum, & malum morale ùt reduplicativè talia, sibi equidem opponi contrariè, sed nonnisi inadæquata contrarietate, si præcisivè ab omni subjecto, substrato, & materiali, sicque tanquam formæ abstractæ concipiantur; adæquata autem contrarietate sibi opponi, prout sunt à parte rei, & conjunctim cum subjecto, substrato, materiali, aut actu physico, qui bonus vel malus subjectivè & per modum totius accidentalis scil. physico-moralis denominatur. Ex quibus cætera objectioni innexa facilè dissolvuntur.

45. Ad sext. dico, ibi nihil contra nos effici, sed solùm antiquam crambem recoqui: quid enim sunt duæ illæ volitiones, quàm duo actus physico-morales; unus malus, ex tendentia privativè mala, utpote difformi cum lege, contra cujus prohibitionem carnis comestio appetitur: alter bonus, ob honestatem in comestione carnium die non prohibito intentam.

46. Ad id, per quod urgetur argumentum prætactum, nego, quòd voluntas, cupiens die prohibito comedere carnes, feratur in illam comestionem quatenus rationi dissonam: quomodò enim illam dissonantiam, ab intellectu cognitam ac propositam, ùt malam affectivè amabit? Malum ineptè dicitur objectum prosecutionis, sed fugæ tantùm: aliàs malum confunderetur cum bono: quia omne appetibile aliquid bonum est. Quid magis pervulgatum illo Divi Dionysii axiomate? quòd nemo intendens malum quà tale operetur. Quare peccans semper à bono quodam utili vel delectabili ad actum peccati movetur; ac similiter ad omissionem actûs præcepti. Vid. Perez noster in *cit. Certam. octav. n. 36.*

47. Ad ult. inprimis negat cit. Perez loc. cit. paritatem inter errorem respectu intellectûs & inter actum peccati respectu voluntatis: quia omnes actus erroris reipsa intellectui sunt adversi. Falsum enim est omne malum intellectûs, utpote qui pro suo objecto adæquato verum sub ratione veri spectat: actus verò peccati non sunt omne malum respectu voluntatis, sed solùm partiale, & particulare scilicet malum *inhonestum*: quia constat, peccata plerumque esse nimiùm delectabilia, aut saltem aliquantulum utilia: constat insuper, bonum utile ac delectabile non esse malum voluntatis, sed bonum potiùs. Et ideo, quæ voluntas appetit sub ratione utilis & delectabilis, non possunt dici mala absolutè voluntati; sed mala secundùm quid, quatenus scilicet deviant à potiori seu præstantiori bono, nimirùm ab honesto. Sic ille. Resp. præctereà, errorem esse falsitatem: hanc autem veritati opponi negativè vel privativè, si falsitas accipiatur in abstracto; contrariè verò, si falsum & verum in concreto sumantur: Quid enim est falsitas judicii & propositionis formalis, quàm difformitas actûs cum objecto?

48. Additio argumentorum. Urgent primò: Ideo actus est privatus debita rectitudine, quia tendit in objectum malum seu difforme Regulis morum: Ergo talis tendentia est velut causa, ac fundamentum privationis. Resp. dist. antec. quia tendit in objectum malum &c. tendentia jam involvente privationem debitæ conformitatis, Conc. tendentia præscindente à tali privatione, neg. anteced. & conseq. Nota, quòd ly *ideo* hic non importet consequentiam *causalitatis, sed illationis solùm:* sicut in hac argumentatione: ideo equus est animal, quia est brutum. Et retorquetur in ista: ideo actus est moraliter bonus, quia est consonus legi & rationi; ubi non dices, quòd conformitas cum lege & recta ratione tanquam causa emanet bonitatem moralem.

49. Urgent secundò: Debet adstrui fundamentum privationis. Resp. esse voluntatem, ùt principium defectivum, ac debita directione rationis practicæ destitutum: ait enim S. D. 1. 2. q. 75. a. 1. *Provenit defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate.*

50. Urgent tertiò: *Fundamentum aversionis est conversio in peccato.* Vid. S. D. in 2. *sent. dist.* 35. *q.* 1. *a.* 2. Ac iterum *q.* 2. *de malo a.* 7. ubi inordinata *conversio ad bonum commutabile est causa aversionis.* Resp. dist. conversio ùt *inordinata* est quodammodo causa aversionis, conc. ùt præscindens ab inordinatione, sic nego. Hoc ad 1. text. Ad 2. dico, aversionem à DEO ùt ultimo fine, & conversionem in bonum creatum utique inter se distingui: nam in conversione ad varia objecta peccata differunt, in aversione verò à fine ultimo conveniunt. Licèt ergo secundùm S. D. conversio sit causa aversionis ab ultimo fine, non tamen ullibi dixit, quòd sit causa privationis.

51. Urgent quartò: Privatio debet egredi à voluntate per modum actualis exercitii, alioqui non foret voluntaria: nónne enim omne voluntarium habet egressum aut immediatum, aut mediatum à voluntate? Cùm igitur nequeat egredi ratione sui & per exercitium positivum, debet egredi tantùm indirectè, in quantum occasionatur ex ipso exercitio positivo; quatenus dum tale exercitium positivum, ob repugnantiam cum aliqua perfectione, ejusmodi perfectionis, seu honestatis virtuosæ privationem post se infert. Ergo admittendum est fundamentum priva-

privationis. Resp. quòd privatio se habeat hic per modum essentialis complementi, actum in esse morali specifico ultimatè constituentis: quæ privatio, licèt ratione sui & directè nequeat egredi à voluntate; egreditur tamen ratione actûs positivi, non habentis se per modum causæ, sed per modum substrati directè egredientis à principio intrinseco debita directione destitutô. Hinc actus humanus, debita commensuratione privatus, causam aliam non habet, quàm principium defectivum. Aliud est in egressu indirecto *omissionis*, seu privationis, quæ exigit actum per modum causæ, vi cujus egrediatur; nec actum directè egredientem à principio intrinseco per modum essentialis complementi constituit,

52. Colliges ex præmissis, etiam potentiam peccandi formaliter sumptam non in positivo, sed in privativo consistere, seu in defectu virtutis. Ratio est, tum, quòd talem oporteat esse potentiam, qualis est ejus objectum specificativum & adæquatum: atqui actualis malitia ceu actus, & objectum potentiæ peccandi consistit in privativo: itaque & potentia peccandi formaliter sumpta: tum, quòd potentia peccandi, seu deficienti libero arbitrio conveniat, in quantum est ex nihil; ex nihilo autem nequeat oriri aliquid, quod reverà sit potentia realis, & aliquid positivum: siquidem omne esse positivum & reale ex eo habetur, quòd participet ab *esse*, non ex eo, quòd deficiat ab *esse*. Indicat id D. Th. 2. *dist.* 37. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. ubi peccatum referens in voluntatem creatam sicut in causam, subdit: *& quamvis voluntas sit creata ab eo, in quantum est quoddam ens, non tamen quantum ad hoc, quòd defectum ex ipsa incidere potest: est enim possibilis ad defectum ex hoc, quòd ex nihilo est.*

53. Nec reponas, potentiam peccandi nil aliud esse, quam flexibilitatem ad malum, quæ sicuti proximè est in voluntate ùt principio *quo*, ita remotè radicatur in substantia tanquam principio *quod*: proinde non habet suam originem ex nihilo, nisi remotissimè. Resp. enim, per flexibilitatem aliud intelligi non posse, quàm defectibilitatem; alioquin si esset quid positivum, esset á DEO, qui consequenter creâsset duo principia effectiva, unum bonorum, alterum malorum actuum, qui fuit error detestabilis Manichæorum.

# QUÆSTIO QUARTA.

## *Possitne dari peccatum purè Philosophicum, & quod non sit offensa DEI?*

54. NOva quædam sententia de peccato purè Philosophico sæculis retroactis nunquam audita, Anno 1686. Mense Junii in lucem infeliciter emersit, ac in Thesibus Divione sequenti tenore explicata atque defensa fuit: „ Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus „disconveniens naturæ rationali & rectæ ra„tioni: Theologicum verò & mortale est „transgressio libera legis Divinæ: Philoso„phicum, quantumvis grave, in illo, qui „DEUM ignorat, vel de DEO actu non co„gitat, est grave peccatum; sed non est of„fensa DEI; neque mortale dissolvens ami„citiam DEI, neque æternâ pœnâ dignum. „

55. Conclusio prima. Omne peccatum, saltem mortale, est essentialiter aliqua affectiva vel interpretativa offensa DEI. Ratio est, quòd DEUM contemnere quà Legislatorem, se ab illo ùt fine ultimo summoque bono avertere, finemque in delectatione & satiativo creato constituere, sit saltem affectivam aut interpretativam injuriam in DEUM, qui effectivè nocumentum pati nequit, committere. At hoc fit in quolibet peccato lethifero: prout ostensum fuit in *Tract. de Libero Arbitrio circa actus humanos.* Ergo conclusio est vera. Quò facit doctrina Divi Thomæ Aquinatis. *Quicunque rem, ait: aliquam digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit; & tantò amplius, quanto res est dignior* (quod intelligendum de proportione Geometrica, non de Arithmetica) *Quicunque autem in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso, quantum ad affectum suum, præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quàm Creatorem: finis enim est, qui maximè diligitur.* Dixi: *affectiva vel interpretativa offensa*: non admittendo aliquam offensam passivam, sed solam activam, atque moraliter extrinsecè, & quidem potissimùm ex prudentûm judicio ad DEUM ùt ad objectum terminatam, minimè verò, quasi in DEO ùt subjecto moraliter intrinsecè receptam. Defendo enim in *Tract. de Incarnat.* peccatum mortale non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ.

56. Conclusio secunda: Nullo modo est recipienda sententia, quæ possibilitatem peccati purè Philosophici adstruit. In primis enim Alexand. VIII. eam novitatem tanquam scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam proscripsit Anno 1690. 24. Augusti. Deinde Thesis proscripta in parte prima supponit, in homine sanæ mentis posse dari ignorantiam DEI. Jam sic: vel peccans laboraret ignorantiâ DEI inculpatâ, ac, post sufficientem industriam adhibitam, prorsus invincibili: vel laboraret vincibili, seu tali, quam posset deponere, si in DEI notitiam venire conaretur? Primum pugnat contra illud Job. 36. *omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul:* & Ps. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI &c.* Item Apostolum ad Rom. 1. ubi dicit: *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* Et contra D. Augustin. Tract. 106. in Joan. ubi ad illa verba

Christi (Joan. 17. v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus) non illud*, ait, *nomen tuum*, *quo vocaris DEUS*, *sed illud*, *quo vocaris Pater meus*, *quod nomen manifestari sine ipsius Filii manifestatione non posset. Nam quòd DEUS dicitur universæ creaturæ*, *etiam omnibus gentibus*, *antequàm in Christum crederent*, *non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ Divinitatis*, *ut creaturæ rationali jam ratione utenti*, *non omnino ac penitus possit abscondi.* Aliunde pernota est D. Thomæ Doctrina, quòd homo in primo instanti usûs rationis (cum tractu quodam morali, & non mathematicè sumpto) de suo fine deliberare, atque in illum sese convertere teneatur; proindeque ne ad impossibile obstringatur, aliquam de DEO illo fine suo illustrationem accipiat. Adhæc: DEUS voluntate generali & antecedente vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Ergo saltem omnibus adultis dat auxilia saltem remotè sufficientia ad salutem consequendam: de quo dedi plura in *Tract. de Grat. Actuali q.* 11. Præter eà & illa sententia ex *Tr. de DEO Uno* est satis pervulgata, quòd hæc propositio, *DEUS est*, nota *quoad se*, ex discursu ab entibus creatis perfacilè formato, possit reddi nota etiam *quoad nos.* Si ex contemplatione imaginis illico occurrit memoria pictoris, quantò magis Mundi fabrica videntibus ingeret cognitionem Opificis?

57. Demus etiam gratis, existentiam DEI ab aliquo ad breve tempus ignorari, illumque peccando graviter contra dictamen rectæ rationis, & cum remorsu conscientiæ agere: adhuc non committet peccatum purè Philosophicum seu morale (ùt vocant) sed Theologicum, id est, quod habeat rationem offensæ, & sit simul contra legem DEI æternam. Expressit hoc D. Th. 1. 2. *quæst.* 71. *a.* 2. *ad* 4. sic discurrens: „Quidquid est contra rationem artificiati, est etiam contra „naturam artis, quâ artificiatum producitur. „Lex autem æterna comparatur ad ordinem „rationis humanæ sicut ars ad artificiatum. „Unde ejusdem rationis est, quòd vitium & „peccatum sit contra ordinem rationis humanæ, & quòd sit contra legem æternam.„ Unde Augustinus dicit *in* 3. *de lib. arb. Quòd à DEO habent omnes naturæ*, *quòd naturæ sunt*, & *in tantum sunt vitiosæ*, *in quantum ab ejus*, *quâ factæ sunt*, *arte discedunt.* Ex quo textu jam deplumata prostat idea peccati Philosophici.

58. Secundum, quòd nimirum ignorantia DEI sit vincibilis, si asseratur, profectò dubitans, an detur DEUS & Legislator, & ponens actum rectæ rationi graviter repugnantem, proximo se periculo exponit, ne fortè DEUM, in cujus existentiam inquirere neglexit, offendat, legem ejus transgrediendo: ita enim se gerit, ut velit illam actionem turpem ponere, sive aliquem, qui sit Summus Gubernator ac Legislator, offendat, sive non. Contra tales scriptum est *Ps.* 78. *v.* 6. effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt: Et ad Ephes. 4. *v.* 18. de gentibus dicit: *Tenebris obscuratum habentes intellectum*, *alienati à vita DEI per ignorantiam*, *quæ est in illis. Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.*

Sanè, si ignorantia DEI committentem peccatum grave Philosophicum à pœna æterna excusaret, uti prætenditur ab ejus defensore, cum tali peccato extremam vitæ periodum claudens per Christi sententiam, in universali judicio pronunciandam, nec cum ovibus destinaretur ad Cœlum, nec cum hœdis in gehennam detrudi posset: quorsum ergo mitteretur? Nónne duo tantum agmina, unum benedictorum, alterum maledictorum, erunt congreganda?

59. Nec evades, replicando, peccantem cum ignorantia DEI propter peccatum originale damnandum fore. Nam insto: ob peccatum originale jam remissum neminem damnandum fore: atqui ei, qui peccatum grave purè Philosophicum committeret, originale jam posset esse remissum. Exemplum obvium esto, quòd Barbari ex quadam ditione Christiana per subitam irruptionem complures infantes baptismi lavacro regeneratos abducant: & isti vel inculpatè vel culpatè DEI veri notitiâ carentes, post obtentum rationis usum, in criminibus gravibus rationi maximè adversis se volutent. His certè remissum erat originale. Morientibus itaque in tali statu locus tertius assignari deberet. Quantum absurdum! quantum paradoxum in fide? Imò soli peccato *originali*, quia voluntate aliena contractum *fuit* & sine sensuum nostrorum oblectatione, alia pœna non correspondet, quàm pœna damni consistens in perpetua privatione Visionis Beatificæ; pœna verò sensûs, & v. gr. ignis nequaquam.

60. Insto magis: hujusmodi baptizati, in statu peccati mortalis Philosophici decedentes, sequela inevitabili ex præmissa Thesi cum justis Cœlum introirent. Quisquis enim in amicitia cum DEO servata, quæ non nisi in gratia sanctificante & Divina radicari valet, ex hoc mundo migrat, Cœlorum portas cum Rege gloriæ introibit: at prænominati, non obstante peccato gravi Philosophico, in amicitia cum DEO servata ex hoc mundo migrarent: ait enim Thesista: *Philosophicum*, *quantumvis grave*, *in illo*, *qui DEUM ignorat*, *vel de DEO actu non cogitat*, *est grave peccatum*, *sed non est offensa DEI*, *neque peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI*, *neque æternâ pœnâ dignum.* Ergo Cœlorum portas cum Rege gloriæ introibunt. Major propositio pro fundamento habet, quòd gratia sanctificans in Sacramento Baptismi cuilibet (ubi non est obex, qualis in infantibus dari nequit) infallibiliter conferatur: gratia autem sit semen gloriæ, cum annexo jure ad illam tanquam ad hæreditatem, quo titulo parvuli, post Baptismum ante rationis usum decedentes, illam capiunt.

61. Ex

61. Ex admissione peccati purè Philosophici etiam illud monstrosum absurdum proserperet, quòd Barbari, & Athei absque lege viventes, melioris conditionis essent, quàm ii, qui DEUM nôrunt vel credunt: nam illorum crimina, quantumvis enormia, nunquam pœnam ignis æterni mererentur; istorum econtra illô suppliciô plecterentur. Quocirca audiatur autem D. Paulus *Rom. 2. v. 12. quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur:* id est (velut exponit D. Thomas ibi Lect. 1.) „quidam in futuro judicio peribunt, sed non „judicabuntur, id est, impii, qui sunt sine „fide & lege DEI . . . . Joan. 3. v. 18. *qui* „*non credit, jam judicatus est.* Alii verò, qui, „lege DEI & fide suscepta, peccant, ita peribunt, quòd etiam judicabuntur, quasi quadam disceptatione cum eis factâ . . . sicut „& Rex, ùt Gregorius dicit, hostes condemnat absque audientia, cives autem cum „diligenti audientia.

62. Ex dictis longè magis reprobata manet altera Thesis pars, qua ille, qui, dum actu peccat, de DEO actu non cogitat, prætenditur peccatum merè Philosophicum committere, morale quidem, sed nec Theologicum, nec mortale, nec dissolvens amicitiam cum DEO. Si enim hæc assertio ad probabilitatis gradum assurgeret, & hujus sæculi voluptuosis amatoribus innotesceret, majori adhuc licentia in gravissima peccata proruerent, qui rarò de DEO cogitant, dum peccant: sanè isti suis concupiscentiis excæcati nec peccati turpitudine (quæ pro merè Philosophica haberetur) nec ullo gehennæ incurrendæ terrore à peccandi libidine deinceps cohiberi possent. Quàm absurda esset hæc argumentatio? iste vel ille contra legem humanam nuper peccavit, sed tunc nec de Lege nec de Legislatore humano cogitavit, quamvis & de Legislatore & de lege lata, quam non ignoravit, cogitare potuerit & debuerit: ergo pœnam legis violatoribus præfixam non incurrit. Annè magis toleranda erit similis argumentandi forma, si de transgressore Legis cujuscunque Divinæ proferatur, ut talis illo prætextu, quia tunc de Legislatore Divino actu non cogitavit, de eo tamen cogitare potuerit & debuerit? Nemo Theologorum, imò nec aliorum prudentûm, à peccato Theologico & reatu pœnæ æternæ exculpabit Seniores illos, qui in Susannæ concupiscentiam *exarserunt*, & (ùt legitur Dan. 13.) *everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent Cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

63. Quid hac in re Doctor Angelicus sentiat, perspicuè mentem ejus exponunt verba in 1. 2. q. 74. a. 7. ad 2. *Ex hoc ipso,* ait, *quòd ratio superior non dirigit actus humanos secundùm legem Divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cùm enim cogitat de lege DEI, actu eam contemnit; cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam.* Huc pertinent & illi textus ex Psalmis: *Non est DEUS in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Et: *Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.*

# QUÆSTIO QUINTA.

## *De Peccato Omissionis: Utrùm omne opus incompossibile cum observantia præcepti affirmativi reddatur vitiosum ex malitia Omissionis?*

64. NOtandum primò: Malitiam peccati omissionis à fortiori esse aliquid privativum, si in peccato commissionis eam in positivo consistere repugnet. Quemadmodum autem in peccato commissionis privationi malitiosæ ipsum actum physicum pro quasi subjecto immediato assignavimus, ita econtra pro peccato omissionis internæ, & puræ non aliquem actum, sed ipsam potentiam volitivam pro quasi subjecto immediato privationis malitiosæ, seu malitiæ privativæ determinamus. Cùm enim pura omissio in se sit merum non agere, sive actûs, qui præcepto affirmativo injungitur, pura suspensio, quo pacto actum pro quasi subjecto malitiæ privativæ substernere poterimus? Dicemus igitur, voluntatem tunc carere actu debito, humano, physico, & moraliter bono, quo tempore urgentis præcepti affirmativi, carere non debuisset.

65. Notandum secundò: Omissionem tum interiorem tum exteriorem actûs præcepti plerumque habere conjunctum actum vel opus externum, quod quandóque sit causa vel occasio omissionis, séque habeat antecedenter; quandóque solùm concomitanter, materialiter, & per accidens.

66. Conclusio prima: Actus (vel opus) qui est vel causa vel occasio omittendi actum præceptum, semper redditur vitiosus, ac malus à malitia omissionis, quamvis actus ille de se sit bonus, aut quoad speciem indifferens. Probat. Concl. & exemplo illustratur. Petrus die festivo ea de causa Sacrum audire omittit, ne domi avocetur à studio. Peccat peccato omissionis contra præceptum affirmativum, quo in diebus festivis Sacri auditio præcipitur. Opus studii ex malitia omissionis Sacri vitiatur, & fit malum: Nam opus, in quo vel formaliter & directè, vel virtualiter, indirectè aut interpretativè intendit quis omittere actum præceptum, fit & est vitiosum, malum, illicitum: atqui Petrus volens domi studere tempore Sacri, aliquo ex dictis modis intendic

dit omittere actum præceptum, eò ipsò, quòd assumat aliquod opus incompossibile hic & nunc cum auditione Sacri: Ergo actus, sive opus studii, redditur vitiosus, malus & illicitus ex omissione. Confir. præceptum affirmativum, quo præcipitur auditio Sacri, implicitè & virtualiter est simul negativum, prohibens omne opus hic & nunc incompossibile cum impletione præcepti & positione actûs: Legislator enim qui vult finem, indirectè, implicitè ac virtualiter vult media, & remotionem impedimentorum: atqui studium domesticum in posito casu habet se ùt opus incompossibile cum impletione præcepti affirmativi &c. & computatur inter impedimenta: Ergo &c.

67. Conclusio secunda. Actus vel opus, concomitanter ad omissionem actûs præcepti se habens, non redditur vitiosus & malus à malitia omissionis. Prob. conclusio, ac denuo dilucidatur exemplo. Nomine operis concomitanter se habentis intelligitur tale, quod nullo modo omissionem causat, éstque in se vel aliquid indifferens, ùt est v. gr. exercitium musicum, aut de se aliquid honestum, v. gr. vacare studio Theologico, alios docere, orare &c. De his & similibus procedit quæstio, an malitiam ex omissione actûs præcepti contrahant, supposito, quòd quis absque illorum intuitu, influxu, & motivo, actum v. g. auditionem sacri omittere aliunde secum decreverit. Et resolvimus, quòd non: quia, semel statuto, quòd sacrum omittere velis, melius est tunc orare, legere, docere, studere &c. quàm tempus illud otio transigere; ac prætereà præceptum negativum affirmativo eatenus tantùm includitur, ne ponantur actiones, quæ sint causa, vel occasio, unde impediatur præcepti impletio, & sequatur actus debiti omissio. At, ubi opus, sive sit compossibile, sive sit incompossibile, concomitanter solùm se habet, modo explicato, nullatenus ponuntur actiones, quæ præcepti impletionem impediant, quásque sequatur actus debiti omissio: Ergo &c.

68. Oppones contra primam Conclus. Opus, quo potest impleri votum, non est malum tametsi sit causa vel occasio, ut actus præceptus omittatur: atqui per studium, tempore, quo sacrum omittitur, potest impleri votum. Ergo studium, quod quis facit tempore, quo sacrum omittit, non est malum. Maj. patet: min. prob. quia potest aliquis vovere, quòd singulis diebus v. g. per mensem horâ decimâ matutinâ velit studio vacare; si ergo horâ decimâ alicujus diei festivi esset ultima Missa, & talis votô obstrictus propter studium domi maneret, nunquid studendo votum suum impleret? Resp. primò dist. Maj. non est malum per se, & in materia propria, conc. Maj. non est malum ex accidenti, in quantum voti impletio est causa violandi præceptum Legislatoris, neg. Maj. dissimulatâ min. dist. conf. Ergo studium tempore &c. non est malum per se vel ratione sui conc. conseq. prout est causa violandi præceptum &c. sic neg. conseq. Resp. secundò neg. min. nam votum, cùm procedat à voluntate privata voventis, nequit sese extendere ad tempus, quo auctoritate publica legislatoris per præceptum affirmativum de audiendo sacro, ùt implicitè involvens præceptum negativum, prohibetur omne opus incompossibile cum impletione præcepti affirmativi. Hoc libenter dabimus, voto obstrictum ad studendum horâ decimâ matutinâ, ad studium fore obligatum, si aliunde & ex alio fine sacrum illâ horâ omittere decreverit: nam eo casu voti observantia non præjudicat Præcepto Ecclesiæ.

69. Oppones secundò: Estò intentio sit causa vel occasio malæ electionis, ipsa tamen non redditur mala ex mala electione: S. Doct. in 2. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4. Ergo nec ex eo, quòd aliquod opus conjunctum, vel actus, sit causa vel occasio peccati omissionis, malitia in illud derivatur. Resp. ant. non esse ex omni parte verum. Videndum, utrùm intentio ex objecto bona sit causa electionis malæ, vel tantùm *occasio:* si sit *causa*, talis intentio est mala: ut si quis intendat eleemosynam dare, & ad hujus intentionis executionem pro medio eligat rem furto auferendam. Quòd si intentio ex objecto bona, sit solùm *occasio* malæ electionis, ipsa propterea non redditur *mala:* ut in dato exemplo: intendisti eleemosynam dare ex tuo, non ex alieno: posteà primùm aufers pecuniam alteri, ut in pauperem distribuas: certè intentio prior in se tunc non sit mala, sed sola electio medii: & ratio posterioris membri à Phil. à SS. Trinit. *hoc tract. disp.* 7. *dub.* 2. assignatur ista, quòd ejusmodi intentio non sit ita conjuncta cum illa mala electione, ut sit incompossibilis cum bona electione, sicut actus, qui est occasio peccati omissionis, est incompossibilis cum bono omisso: & ideo hic actus est virtualis volitio peccati omissionis, non autem bona intentio est virtualis volitio malæ electionis. Similem disparitatem reponit, quando objicitur, quòd actus ex objecto bonus quandóque sit occasio superbiæ, ex. gr. si quis post datam eleemosynam incidat in vanam gloriam, actus prior eleemosynæ non vitiatur: Respondet enim, actum bonum, qui est *occasio* superbiæ, non ita esse conjunctum cum superbia, ut sine illa stare nequeat; imò potest stare cum humilitate; econtra actus, qui est causa vel occasio peccati omissionis, ita est conjunctus cum illo peccato, ut peccatum omissionis necessariò sequatur, nec talis actus sit compossibilis cum exercitio rei præceptæ.

70. Oppones tertiò: contra eand. Conclus. Leges prohibent actus determinatos: atqui actus, qui possunt esse causa vel occasio peccati omissionis, non sunt determinati, sed sunt varii, innumeri, ac indeterminati: Ergo Legibûs non prohibentur. Resp. transeat, quòd actus, qui à legibus formaliter ac directè prohibentur, sint determinati, attamen illi, qui solùm indirectè & virtualiter prohibentur,

bentur, possunt esse varii, innumeri, & indeterminati. Phil. à SS. Trin. *loc. cit.*

71. Oppon. quartò: contra eand. Conclus. Actus, qui est causa vel occasio peccati omissionis, vel haberet diversam malitiam vel eandem & communem cum omissione peccaminosa actûs præcepti. Neutrum rectè dicitur. Ergo nullam habet. Prob. min. si habet diversam, & aliam specie: omittens v. gr. auditionem sacri præceptam tenebitur causam omissionis coram Confessario exprimere: atqui hoc est contra praxin: sufficit enim dicere: ego voluntariè in die festo nullum audivi sacrum, abstrahendo, an id contigerit propter studium, somnum, ambulationem, vel lusum de se non prohibitum. Si actus conjunctus eandem cum peccato omissionis habere malitiam dicatur, contra sic instatur: Actus ex. gr. studii litterarii, propter quod fit omissio sacri, opponitur virtuti *studiositatis:* ad hanc quippe spectat, quemcunque affectum inordinatum, ne in studendo interveniat, coërcere & cohibere: Peccatum econtra omissionis opponitur præcepto & virtuti religionis.

72. Resp. Studium in casu supposito destitui rectitudine studiositatis nequaquam ex directa oppositione cum virtute studiositatis, sed solùm ex indirecta oppositione cum virtute Religionis, cujus intuitu quasi per accidens, & non ratione sui, tempore, pro quo sacrum audiendum est, vitiatur.

73. Oppon. quintò: Peccatum commissionis differt à peccato omissionis; studium est peccatum commissionis: Ergo differt à peccato omissionis: Ergo habet propriam malitiam. Resp. studium in nostra hypothesi dici posse commissionem, si commissio *physicè* & *materialiter* accipiatur præcisè; secus, si *formaliter* & *moraliter*, & prout est causa peccati omissionis, seu quatenus præceptum negativum, prohibens actum studii tempore sacri, totum suum vigorem virtutémque ex præcepto affirmativo religionis derivat. Hac enim de causa studium *formaliter* & *moraliter*, sive ùt substans regulis morum acceptum, præcepto affirmativo opponitur, unicumque numero & specie peccatum cum omissione causat & constituit. Hinc ad hoc, ut actus peccatum commissionis *formaliter* & *moraliter* esse censeatur, non sufficit, quòd præcepto negativo tantùm *implicitè*, *indirectè* ac *virtualiter* prohibeatur, præsertim, quia tunc solum motivum præcepti affirmativi, ejusque impletio, ac honestas per se consideratur.

74. Oppon. sextò: contra secundam Conclus. Ubi deficit circumstantia actui humano debita, ibi est culpabilis ac malus: at, licèt firmiter decreveris horâ decimâ ex. gr. non egredi domo, ad sacrum audiendum, ac postmodùm studeas, actui humano, scilicet studio, deficit circumstantia debita, putà, temporis, quod tunc tanquam incompetens studio illicitè consecratur. Ergo, non obstante firmo decreto prævio de non audiendo sacro, actus quicunque concomitanter se habens ad peccatum omissionis, dummodo saltem cum observantia præcepti affirmativi sit incompossibilis, redditur malus & culpabilis. Hoc argumentum tribuitur Capreolo in 2. *disp.* 35. *quæst. un. art.* 3. *ad* 2. Item Durando, & Valentiæ. Resp. neg. min. tum quia actus studii ratione suî non est malus, nec ratione peccati omissionis, utpote in quam nullo modo influit; unde ne quidem indirectè præceptô affirmativô prohibetur; & ideo ad summum *materialiter solùm seu physicè* præcepti adimpletionem impedit, non verò *formaliter* ac *moraliter*, cùm nec *formaliter*, nec *virtualiter*, nec interpretativè actus ille sit volitus sub ratione causæ vel impedimenti; non antecedenter, sed velut consequenter se habens ad omissionem sacri jam præviè sine intuitu studii decretam.

75. Instabis primò. Etsi studium domesticum, aliáve similis occupatio, non moveat ad omissionem sacri, est tamen ex sua propria ratione impeditivum actûs à virtute Religionis præcepti, pro eo tempore, quo hoc præceptum obligat; adeóque est aliquid incompossibile: ergo prædicto præcepto prohibetur, sique exerceatur, tale exercitium vitiatur. Resp. neg. conseq. quia, ùt primùm explicuimus, studium in nostris circumstantiis tantùm materialiter & physicè est quid impeditivum & incompossibile cum observantia præcepti, non item *formaliter* & *moraliter*.

76. Instab. secundò. Petrus, voto simplici castitatis ligatus, firmatus, firmiter decrevit, quòd nolit deinceps votum servare; contrahit posteà Matrimonium: nunquid hoc actu contra votum peccat? Ergo aliquando actus cum omissione per accidens conjunctus, est malus, & peccatum: non enim aliter, quàm per accidens celebratio Matrimonii cum violatione voti conjungi censetur. Resp. neg. parit. & suppositum, quòd Matrimonii contractus in proposito casu respectu transgressionis voti sit actus solummodò per accidens conjunctus. Ut alia discrimina prætereamus, vovens simpliciter castitatem perpetuam, dubio procul vovet saltem implicitè, quòd velit abstinere à Matrimonio, quo inito, cum alteri parti exigenti debeat reddere debitum conjugale, quamvis non possit licitè vicissim debitum illud exigere, manifesto periculo se obnoxium facit, violandi votum: ut nihil dicamus, quòd contrahendo matrimonium ponatur causa violandi votum &c.

# QUÆSTIO SEXTA.

## *An omissio externa actûs præcepti fiat in se mala, si remotio causæ peccaminosæ pro tempore legis, ad actum obligantis, non ampliùs sit in nostra Potestate?*

77. PRæmoneo, istam controversiam esse oppidò celebrem, & speculativo practicam: pro cujus elucidatione ponitur sequens casus. Petrus certo die festo prævidens, ex. gr. circa horam decimam instare præceptum audiendi sacrum, ex proposito se inebriat, vel ad dormiendum accommodat. Horâ decimâ, quâ ultimum celebratur sacrum, adhuc ebrius est, aut dormit & ita ad præcepti externam impletionem se impotentem facit. Sequitur ergo exterior omissio sacri. Controvertunt Doctores utrum etiam ipsa omissio externa sacri fiat in se mala, & peccatum formaliter, sitque propterea in confessione exprimenda; an verò sola voluntaria positio causæ, ex qua secuta fuit exterior sacri omissio, sit peccaminosa, ac necessariò coram Confessario exprimenda?

78. Certum est in hac quæstione, quòd peccatum omissionis externæ incipiat esse atque imputari jam illo tempore, quo quis illam primò vult aut *formaliter* in seipsa, aut *virtualiter* in sua causa seu occasione: quia volitio alicujus mali moralis pro omni temporis instanti est moraliter mala. Certum est insuper, omissionem externam actûs præcepti non imputari ad culpam & pœnam, si quis malam voluntatem, antequàm tempus præceptum affirmativum implendi instaret, seriò retractaverit, estò impletio præcepti per positionem actûs externi non ampliùs in ejus potestate steterit. Afferri solet exemplum de Clerico, qui navigans per mare heri suum breviarium laceravit, vel in aquas projecit: si enim seriâ ductus pœnitentiâ coram DEO factum suum detestetur, hodierna pensi Canonici omissio externa uti & sequentibûs diebûs, ex impotentia & defectu Breviarii continuata, ipsi non ampliùs imputabitur ad culpam & pœnam; ita, ut respectu dierum subsequentium juxta Theologos etiam à restitutione fructuum beneficialium excusetur. Quandoquidem, influxu morali malæ voluntatis cessante, ipsa quoque omissio externa definit esse voluntaria & ad culpam pœnámque imputabilis. Hìs præcognitìs,

79. Conclusio nostra cum prima Sententia, inter Thomistas receptissimâ, affirmat, exteriorem actûs præcepti omissionem esse peccatum in se & ad culpam pœnámque imputari, non tantùm dum est primò volita, sed etiam eo tempore, quo reipsa esset ponendus actus, & fit ejus omissio externa. Hanc Sententiam Thomistæ

80. Probant primò: ex 2. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 3. ubi S. Doct. meminit, quosdam tenere, quòd tunc incipiat peccatum omissionis, quando aliquis *se applicat ad actum illicitum & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur* ex. gr. *cùm aliquis de sero se inebriavit, & non potest surgere ad matutinas, ùt debet. Dicunt quidam* (subdit S. Doctor) *quòd tunc incipit peccatum omissionis. Sed hoc non videtur verum: quia, dato, quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi: tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* S. Doct. in hoc discursu loquitur de omissione externa, ac in se spectata, quòd nimirum in se tunc primò moralem exîstentiam (utique non propriè dictam, sed abusivam) habere incipiat, & imputari ad culpam, quando tempus operandi seu actum præceptum ponendi instat. Igitur omissio externa est aliquid formaliter, ac in se malum, quamvis causam aliquam præcedentem præsupponat. Item in 1. 2. *quæst.* 76. *artic.* 2. *ad* 3. respondet, quòd sicut in peccato transgressionis (hoc est commissionis) peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in „actu volito, qui est imperatus à voluntate: ita in peccato omissionis non solùm actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria; & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum." Hinc

81. Probant secundò: Peccatum commissionis suum initium sumit statim à prima ejus volitione, sive illud formaliter & directè sit volitum, sive solùm indirectè, virtualiter & in sua causa; & tamen eo tempore, quo actus commissionis exterioris ponitur, peccatum intrinsecè completur, nec sufficit, quòd causa illius antecedenter jam fuerit peccaminosè posita. Ex. gr. aliquis ante somnum intendit turpibus objectis, aut tactibûs impuris oblectatur, ex quibus effectus nocturnæ pollutionis facilè prævidetur; talis causam pollutionis ante somnum ponendo, haud dubiè saltem indirectè ac virtualiter illum effectum turpem voluit, sicque inchoativè peccavit, & nihilominus pollutio, in somno realiter secuta, est in se formaliter mala, & complementum primæ volitionis terminatæ ad positionem causæ peccati: simile exemplum habetur in eo, qui se deliberatè inebriat, non obstante, quòd homicidium in ebrietate à se committendum prævideat: nunquid homicidium, realiter patratum, estò in ebrietate perfecta sit sopitus usus rationis, & adsit impotentia abstinendi ab homicidio, est in se formaliter malum & complementum primæ volitionis, qua aliquis homicidium in ebrietate tan-

tanquam in sua causa voluit, & jam inchoativè patravit? Ergo pari modo omissio externa actûs præcepti, quæ tempore instantis præcepti moraliter existit, erit in se formaliter mala, & complementum primæ volitionis, quâ causa omissionis, v. g. inebriatio fuit volita, & sic etiam indirectè ipsa exterior omissio v. g. sacri certo tempore audiendi. Consequentia fundatur in paritate peccati commissionis & omissionis: & confirmatur ex eo, quòd ideo commissio sive transgressio exterior sit formaliter in se peccaminosa, quia sufficit, quòd sit voluntaria in causa, quamvis eo tempore, quó fit à peccante & causam ponente, nequeat amplius impediri: atqui pariformiter omissio exterior actûs præcepti est voluntaria in causa; Ergo &c.

82. Probant tertiò. Omissio exterior habet se ùt objectum respectu actûs, quo se studiosè inebrians, vel somno tradens, vult omittere horas Canonicas, vel auditionem sacri præcepti: Ergo, cùm actus volitionis sit malus, malitia ex objecto debet in ipsum refundi: quomodo autem malitiam refundat, si in se nullam habeat?

83. Probant quartò. Si omissio exterior ex. gr. Missæ, Breviarii &c. sit solùm instar effectûs peccati, in se autem non sit peccatum, licitè quis eam posset appetere: At hoc magnum foret paradoxum inter Theologos: Ergo &c. sequel. Major patet ab exemplo mulieris, quæ postquam ex adulterio concepit, licitè desiderat, ut partum feliciter enitatur: quia partûs editio non est peccatum, sed velut effectus peccati, scilicet adulterii. At omissio exterior esset merus effectus peccati præcedentis, in se verò non haberet rationem peccati: Ergo &c.

84. Probant quintò. Illud, ratione cujus infligitur aut saltem infligi valet pœna, vel censura, non potest non esse quid malum, & ad culpam imputari: atqui non præcisè propter actum internum, quo aliquis vult omissionem, sed præcipuè ratione exterioris omissionis infligitur pœna, vel censura: Clericus enim, qui decrevit omittere horas Canonicas pro uno die, solùm tunc ad restitutionem aliqualem fructuum condemnatur & obligatur, quando reverà omissio exterior secuta fuit; laicus verò, qui contumaciter nollet amplius audire sacrum, vel annuam Confessionem Communionémve observare, censurâ excommunicationis ad actus hujusmodi præcepto affirmativo conformes compelli posset: ubi certum est, solummodò propter omissiones exteriores, & non propter volitiones internas in ejusmodi refractarios animadverti: neque enim leges humanæ actus internos puniunt, vel Legislatores de illis judicant. Pro

85. Sententia contraria Doctores propugnantes, omissionem rei præceptæ tunc solùm esse formaliter malam & imputari ad culpam, quando ponitur causa omissionis:

86. Opponunt primò. Ratio peccati, & ratio *liberi* non possunt separari. Ergo omissio actûs debiti non est mala & ad culpam imputabilis, nisi pro tempore, quo ponitur causa omissionis. Ant. est certum, Conseq. prob. Omissio rei præceptæ, quæ non est in potestate omittentis, quando sequitur, non habet aliam libertatem, quàm in causa, quando causa ex prævisione omissionis fuit applicata, & poterat non applicari: Ergo pro tunc solùm, quando causa cum tali prævisione fuit applicata, omissio censetur esse mala, & ad culpam imputari. Resp. Transmiss. ant. neg. conseq. ad cujus prob. dist. ant. omissio rei præceptæ &c. non habet aliam libertatem, quàm in causa, ita tamen ut sit diversitas in modo habendi illam, conced. ant. ut nulla sit diversitas in modo habendi libertatem, sic neg. ant. & conseq. libertas, quæ volitioni causæ, ex qua prævidetur secutura omissio, inest immediatè, ipsi omissioni communicatur mediatè: ergo est alius modus habendi libertatem in omissione, quàm in volitione causæ. Sed contra

87. Opponunt secundò: Non alio modo in omissione exterior invenitur ratio peccati, quàm quomodo in eadem invenitur ratio voluntarii & ratio liberi: At ratio voluntarii & liberi in omissione exteriore actûs præcepti invenitur tantùm, ùt hæc est voluntaria in *causa*, non ùt est voluntaria *in se*: ergo & ratio peccati in omissione exteriore actûs præcepti invenitur tantùm, ùt est in *causa sua*, & non prout ista est *in se*. Resp. Major. jure negari posse: quia, ut aliqua commissio vel omissio actûs sit peccatum *in se*, sufficit voluntarium indirectum & mediatum, æquè ac directum & immediatum; éstque notissima divisio voluntarii, quod est formaliter & directè tale, & quod est tale solùm *in causa*, adeoque & *virtuale*: non autem ipsum peccatum dividi consuevit in peccatum *directum* & *indirectum*. Quare non videtur esse legitima argumentatio: *Omissio exterior actûs præcepti, est solùm voluntaria indirectè, mediatè & virtualiter, scilicet, quia ejus causa fuit directè volita: ergo ipsa quoque omissio exterior est solùm peccaminosa indirectè, mediatè, virtualiter, ac tantùm in causa.* Hoc luculenter demonstrant illa verba ex 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. *ad* 3. supra citata: *in peccato omissionis non solùm actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria.*

88. Urgent, exterior omissio est mala in causa tantùm: ergo non est mala in se: alioquin non diceretur communiter, aliqua esse mala in suis causis, aliqua in se ipsis. Resp. neg. antec. ad rat. adjectam, dico omnia peccata esse mala in se ipsis, cum eo tamen discrimine, quòd illa mala, quæ in seipsis immediatè & formaliter sunt volita, dum fiunt, potiori titulo, usuque frequentiori dicantur mala in seipsis, quàm quæ mediatè solum & in suis causis sunt volita. Conf. Phil. à SS. Trin. hic *de peccat. in commun. disp.* 7. *dub.* 5.

89. Opponunt tertiò: In ſomno vel ebrietate deficit indifferentia judicii, & advertentia ad legem prohibentem: Ergo etiam deficit potentia liberè omittendi actum præceptum: at ubi deeſt potentia liberè omittendi, ibi omiſſio non imputatur ad culpam: conſequenter nec in ſomno vel ebrietate. Reſp. diſt. conſeq. Ergo deficit potentia liberè omittendi actum, potentia *conſequens*, Conc. potentia *antecedens*, neg. conſeq. Ille, qui ſe inebriat, vel ſomno tradit, jam prævidet, quòd conſentiendo, vel ponendo tales cauſas, facultatem, præceptum liberè implendi, hoc eſt, omiſſionem liberè evitandi, ſibi adimat, quam poſuiſſet ſervare, ſi cauſas prædictas non potuiſſet. Hoc autem eſt habere potentiam antecedentem, & non habere conſequentem.

90. Oppon. quartò: Nónne omiſſio actûs vel rei præceptæ poteſt incurri, poſtquàm aliquis de cauſæ poſitione pœnitentiam egit, & voluntatem priorem retractavit? In iſto caſu exterior omiſſio non erit mala in ſe, ſed præcisè in ſua cauſa. Ant. patet in clerico, qui vel in navigatione marina, vel in locis deſertis breviarium projiciendo, ſe ipſum ad futuras recitationes impotentem fecit: ſi enim eum poſtmodum facti ſui pœniteat, ſubſequentes Horarum Canonicarum omiſſiones deinceps non imputantur ad culpam. Reſp. quòd in allato argumento & exemplo, voluntas nec mediatè nec immediatè ampliùs in omiſſionem exteriorem influat: adeoque omnis influxus moralis, etiam habitualis, ceſſat. Illa itaque omiſſio actûs præcepti erit purè *materialis*, non *formalis*, *moralis*, vel *in ſe* ad culpam imputabilis.

91. Opponunt quintò: Tota ratio voluntarii reſpectu omiſſionis, vel effectûs, abſolvitur in cauſæ poſitione; nec poteſt intelligi per malitiam infici, niſi pro illo tunc, quando fuit liberè volita in poſitione cauſæ. Ergo omiſſio ſemper eodem modo eſt imputabilis vel non imputabilis ad culpam, ſive quis de poſitione, cauſæ doleat, ſive non: nequit ſiquidem dolor ſubſequens facere, ut cauſa omiſſionis voluntaria non præceſſerit. Reſp. ad hoc Argum. quod movet Morando, neg. antec. Neque enim omiſſio vel effectus ideo cenſentur habere rationem voluntarii, quaſi tota ratio voluntarii abſolvatur in cauſa, ſed (ùt explicat Theol. Salisb. *diſp.* 18. *art.* 2. *n. pen.*) quia omiſſioni, vel effectui, ratio liberi & voluntarii convenit *per denominationem extrinſecam* à cauſa in effectum derivatam, ita, ut in omiſſione vel effectu terminetur, ac conſummetur voluntarium. Unde etiam peccatum omiſſionis *inchoativè* quidem eſt in cauſa *conſummativè* verò in ipſa omiſſione externa. Ad hoc autem, ut voluntarium conſummativè ſit in omiſſione externa, neceſſe eſt, ut voluntas non fuerit mutata, aut retractata, ſicque ejus influxus ſaltem habitualiter perſeveret. Adnoto etiam verba Philippi ſuprà laudati: ut commiſſio vel omiſſio actûs dicatur voluntaria in ſeipſa, ſufficit, quòd priùs fuerit aliquo modo liberè volita, & quòd non fuerit retractata voluntas; & quamvis per ſolam diſtractionem cenſeatur aliquando retractata, & multò magis per ſomnum, non ita tamen eſt, quando perſeverat aliquis effectus primæ illius voluntatis, uti contingit in præſenti: nam ſomnus aut ebrietas in exercitio eſt effectus illius voluntatis, quâ fuit volita omiſſio. Idem dicendum de eo, qui iter arripit ad occidendum inimicum: quamvis enim dormiat, & ſæpe diſtrahatur in via, non tamen recenſetur retractata voluntas occidendi inimicum.

92. Opponunt ſextò tres inſtantias. Prima de merito, ad quod libertas indirecta & in cauſa tantùm omnino inſufficiens eſt: Secunda objicitur in voto: Tertia in Sacramentorum confectione. Ponamus enim caſum, quòd aliquis prævideret, ſe in ſomno verba votum exprimentia, aut formam Sacramentalem v. g. conſecrationis prolaturum eſſe, ac deinde ſtudio ſe ſomno tradat: certè nec votum, nec Sacramentum ſubſiſtet.

93. Ad primam inſtantiam de merito, non immeritò dubitatur, an non ille opus meritorium, licet ſolùm in cauſa voluntarium, exerceret, qui fortè ex revelatione prævidens, quòd in ſomno DEUM ſit laudaturus, modò ad dormiendum ſe applicaret, cum intentione laudes illas DEO ad honorem & beneplacitum ſuum Divinum offerendi. Vide apud Gonett hic *diſp.* 3. *pag.* 140. exemplum Davidis lapide ſternentis Philiſtæum: & Martyrii, quod prævideretur in ſomno futurum. Quidquid autem de hoc ſit, communis reſponſio circumfertur, plus requiri ad merendum, quàm ad demerendum & peccandum, juxta illud: *bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu* apud S. Th. hic *q.* 71. *a.* 5. *ad* 1. Et quidem, uti tradi ſolet *de Actib. Human.* bonitas, ſeu honeſtas, ut refundatur in actum voluntatis, eúmque ad rationem meriti valeret, debet directè intendi, conſequenter requirit voluntarium directum: inhoneſtas verò & malitia non poſſunt directè intendi, cùm non poſſint eſſe objectum *motivum* voluntatis, ſed ſolùm *terminativum*; per conſequens inhoneſtas poteſt eſſe ſolùm terminativè voluntaria, putà dupliciter, ſcilicet, dum quis vel directè & poſitivè facit, quod non debet, vel ſe habet omiſſivè, id eſt, non facit, quod facere deberet, quod eſt voluntarium indirectum, & voluntatem indirectè terminat.

94. Ad ſecundam inſtantiam vel poſſet accommodari prima reſponſio facta ad inſtantiam de merito; vel dici, quòd votum, non minùs ac ſtipulatio, ex ſua eſſentia ſit promiſſio formalis, & actualiter deliberata, de bono meliori, DEO facta; unde ad votum inſufficiens eſt voluntarium ſolùm indirectum, ſeu in cauſa, quod tamen ad peccatum in omnium Sententia ſufficit.

95. Ad

95. Ad tertiam Instant. Resp. quòd formæ Sacramentales cum materia debeant habere simultatem moraliter sufficientem, ipsáque Sacramenta certis subjectis cum debita circumspectione, intentione, attentione, certitudine de valore, & præcautione tum irreverentiæ, tum periculi de non committendo sacrilegio &c. administranda sint; ideóque ipsorum dignitas ac Divina institutio exigit, ut formæ humano more, adeóque cum actuali rationis usu, qui tempore somni, ebrietatis, amentiæ, furoris &c. ligatur, proferantur. Ergo &c.

96. Ex dictis pro praxi colligitur, æquè necessarium esse, ut pœnitens in sacro Tribunali omissionem actûs, ex voluntario *indirecto* & *in causa*, tempore instantis obligationis subsecutam, exprimat, quàm ut se accuset de actu externo subsecuto in peccato commissionis, ex. gr. de pollutione, quam ex causis in vigilia præambulis & culpabiliter positis, posteà in somno expertus est.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## *Utrùm Peccata convenienter dividantur in carnalia, & spiritualia: item in peccata in DEUM, in seipsum, & in proximum?*

97. HAs divisiones D. Thomas ex instituto examinat in 1. 2. *quæst.* 72. quas & nos methodi atque ordinis gratiâ breviter considerabimus. Sit igitur

Conclusio prima: Peccata convenienter dividuntur in carnalia & spiritualia. Prob. primò ex Apost. 2. *ad Corinth.* 7. ubi hortatur, ut *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs:* Secundò ex D. Gregor. *lib.* 32. *Moral.* dicente, quòd septem capitalium vitiorum quinque sint spiritualia, & duo carnalia. Tertiò ex D. Thoma *loc. cit. art.* 2. *in C.* ubi duplicem distinguit delectationem: *una vocatur animalis, quæ consummatur in sola apprehensione alicujus rei ad votum habitæ: & hæc etiam potest dici spiritualis: sicut cùm aliquis delectatur in laude humana, vel in aliquo hujusmodi.* Alia verò delectatio est *corporalis*, sive *naturalis*, quæ in ipso tactu corporali perficitur; quæ potest etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa peccata, quæ perficiuntur in delectatione spirituali, vocantur peccata spiritualia: illa verò, quæ perficiuntur in delectatione carnali, vocantur peccata carnalia; sicut gula, quæ perficitur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ perficitur in delectatione venereorum. Hæc S. D.

98. Conclusio secunda: Etiam altera divisio peccati est omnino conveniens. Prob. primò ex S. Isidoro, qui *in lib. de Summo Bono*, peccata distinguens, dicit, hominem peccare in se, in DEUM, & proximum. Secundò ex ratione & dilucidatione S. Thomæ *cit. q.* 72. *art.* 4. ubi primitùs observat, peccatum esse actum inordinatum; ordinem autem in homine triplicem. Unus est secundùm comparationem ad regulam rationis, prout scilicet omnes actiones & passiones nostræ debent secundùm regulam rationis commensurari. Alius autem ordo est per comparationem ad regulam Divinæ legis, per quam homo in omnibus dirigi debet. Et si quidem homo naturaliter esset animal solitarium, hic duplex ordo sufficeret: sed quia homo est naturaliter animal politicum & sociale, ideo necesse est, quòd sit tertius ordo, quo homo ordinetur ad alios homines, quibus convivere debet. Horum autem ordinum primus continet secundum, & excedit ipsum: quæcunque enim continentur sub ordine rationis, continentur sub ordine ipsius DEI. Sed quædam continentur sub ordine ipsius DEI, quæ excedunt rationem humanam, sicut ea, quæ sunt fidei, & quæ debentur soli DEO. Unde, qui in talibus peccat, dicitur in DEUM peccare, sicut hæreticus, & sacrilegus, & blasphemus. Similiter etiam secundus ordo includit tertium, & excedit ipsum: Quia in omnibus, in quibus ordinamur ad proximum, oportet nos dirigi secundùm regulam rationis: sed in quibusdam dirigimur secundùm rationem quantum ad nos tantùm, non autem quantum ad proximum. Et quando in his peccatur, dicitur homo peccare in seipsum, sicut patet de guloso, luxurioso, & prodigo. Quando verò peccat homo in his, quibûs ad proximum ordinatur, dicitur peccare in proximum, sicut patet de fure, & homicida. Sunt autem diversa, quibûs homo ordinatur ad DEUM, ad proximum, & ad se ipsum: unde hæc distinctio peccatorum est propriè secundùm diversas peccatorum species: nam & virtutes, quibus peccata opponuntur secundùm hanc differentiam, specie distinguuntur: manifestum est enim, quòd virtutibûs Theologicis homo ordinetur ad DEUM: temperantiâ verò & fortitudine ad seipsum, justitiâ autem ad proximum. Hactenus S. Doct.

99. Dices primò contra primam Concl. Quicunque peccat, secundùm carnem ambulat, juxta illud *Rom.* 8. si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Atqui vivere & ambulare secundùm carnem videtur pertinere ad rationem peccati carnalis. Ergo omnia peccata sunt carnalia. Resp. ex S. D. *art.* 2. *ad* 1. eatenus omnia peccata rectè dici carnalia, quatenus caro potest sumi pro homine; vel quia omnis rationis humanæ defectus ex sensu carnali aliquo modo initium habet: non verò in illo sensu, quasi omnia peccata in voluptate carnis perficiantur.

100. Di-

100. Dices secundò contra secundam Concl. Quod est commune omni peccato, non debet poni quasi pars in divisione peccati. At commune est omni peccato, quòd sit contra DEUM, cùm definiatur esse aliquid contra legem DEI. Ergo peccatum in DEUM non est ponendum in divisione peccati. Resp. ex S. Thom. ibidem *art.* 4. *ad* 1. peccare in DEUM esse equidem aliquid commune cuilibet peccato, in quantum ordo, qui est ad DEUM, includit omnem humanum ordinem; attamen, quantum ad id, in quo ordo DEI excedit alios duos ordines, sic peccatum in DEUM ùt quid speciale reputari.

101. Dices tertiò contra eandem Concl. secundam. Bona divisio exigit membra opposita: nam quicunque peccat in proximum, peccat in se ipsum, & in DEUM. Ergo &c. Resp. neg. min. Nam in divisione illorum, quorum unum includitur in altero, distinctio non intelligitur fieri secundùm id, secundùm quod unum continetur in altero; sed secundùm id, secundùm quod excedit alterum, veluti patet in divisione numerorum & figurarum. Non enim triangulus dividitur secundùm quadratum, secundùm quod continetur in eo, sed secundùm quod exceditur ab eo: Et similiter dicendum est de ternario & quaternario.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## DE *Distinctione specifica, & Numerica Peccatorum.*

Recolenda hic sunt plura, quæ in Tractatu de Actibus Humanis de illorum fine, libertate, moralitate &c. præfati sumus.

## QUÆSTIO OCTAVA.

### *Unde colligatur Distinctio Peccatorum specifica?*

102. Quando dicimus, actus humanos voluntatis nostræ specificari à suis objectis, objecta non sumuntur, ùt sunt in se & in re præcisè, sed ùt existunt in cognitione practica, quâ illorum bonitas & honestas, vel malitia & inhonestas adeóque & præceptio, concessio, permissio, aut prohibitio cum habitudine ad principia moralia practica, & regulas morum, quæ in legibus, & rationis dictamine consistunt, proponuntur.

103. Conclusio prima: Distinctio differentialis, essentialis, & specifica peccatorum colligitur ex objectis intra genus moris notabiliter diversis. Ita quoad rem communiter Thomistæ, quibuscum sentit etiam Suar. *de Actib. Hum. disp.* 7. *Sect.* 7. *à n.* 6. ubi sic habet: Dicendum primò, actum malum, si consideretur, ùt est volitio quædam, & species entis positiva, specificari ab objecto formali, & ex proximo motivo, seu ratione volendi, quæ semper est ratio boni, sub qua objectum appetitur. Colligitur conclusio ex D. Thoma secundùm ea, quæ habet *in* 1. 2. *q.* 18. *a.* 2. *&* 5. *& q.* 72. *a.* 2. Et *in* 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. *ad* 1. & *in* 2. *dist.* 42. *q.* 2. *a.* 1. Ulteriùs rectè docet Suarez, actum malum, ùt malus est, sumere malitiam & speciem ex objecto, quatenus difforme est & disconveniens naturæ rationali, potestque objectum esse hoc modo volitum per talem actum directè vel indirectè &c. Ideo enim velle furari malum est formaliter, quia furari est malum objectivè: Ergo formalis malitia talis voluntatis oritur ex materia objectiva talis objecti &c. Ultimò dicit, etiam verum esse, quòd actus malus in specie mali & peccati proximè constituatur per privationem; & privatio immediatè & proximè rationem suam sumat ex positivo, scilicet bono, quo privat. Quod firmat D. Th. *cit. q.* 72. *a.* 1. *ad* 2. respondens, peccatum non esse privationem puram, sed actum privatum debito ordine: & ideo magis sumere speciem ab objecto, quàm à bonitate opposita, quâ privat.

104. Ratio fundamentalis desumitur in primis ex illo principio: quòd objectum ad actum humanum, seu moralem in specificando extrinsecè ita se habeat, sicut se habet forma naturalis ad compositum in specificando intrinsecè: quemadmodùm itaque illa specificatio, quam forma naturalis composito tribuit intrinsecè, assignatur pro prima & essentiali specie intrinseca; sic & objectum actui morali extrinsecè tribuit primam, ac essentialem speciem. Deinde secundùm D. Th. *in cit. q.* 72. *a.* 1. *sed contra:* peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem DEI: at dicta, vel facta, vel concupita distinguuntur secundùm diversa objecta: quia actus per objecta distinguuntur, ùt observat S. D. *ead. part. q.* 18. *a.* 2. *& q.* 54. *a.* 2. *Ergo etiam peccata secundùm objecta specie distinguuntur.* Atqui ad peccatorum completam & formalem diversitatem non sufficit sola diversitas *objectiva* intra genus physicum, v.g. quòd furtum sit tendentia ablativa rei alienæ temporalis, homicidium sit actio ablativa vitæ &c. quia ùt sic objecta dictorum actuum non-

nondum sunt intra genus moris, honesti vel inhonesti, boni vel mali, liciti vel illiciti, justi vel injusti &c. sed ut sint specificativa & distinctiva intra lineam moralem, debent considerari, prout substant rationi & legi, seu regulis morum, virtutúmque, hísque vel per bonitatem, honestatem & rectitudinem objectivam cum diversitate notabili conformantur vel per malitiam, & difformitatem, contrariantur. Ergo vera est conclusio, quòd prima, essentialis, seu specifica peccatorum distinctio ex objectis intra genus moris notabiliter diversis colligatur. Ex his sequitur

105. Conclusio secunda: Distinctio peccatorum & multiplicatio specifica colligitur etiam ex violatione diversorum præceptorum, diversitate se tenente ex parte rei præceptæ & motivi formalis. Ratio est, quòd ex prædicta præceptorum diversitate colligantur actuum difformitates moraliter ac notabiliter diversæ, & oppositæ honestatibus seu motivis diversarum virtutum. Ergo colligitur etiam distinctio & multiplicatio peccatorum specifica. Exemplum do in eodem physico actu, quo quis in loco sacro intendit rem carnalem habere cum uxore aliena: triplicis namque tunc præcepti triplex violatur prohibitio, & contrahitur opposita inhonestas. Violatur primò honestas præcepti simplicis castitatis de servanda continentia: Secundò honestas præcepti justitiæ, de non usurpando jure soli Marito in suam Uxorem quæsito: Tertiò violatur & honestas præcepti Religionis, de non inhonorando loco sacro, rebus Divinis consecrato.

106. Conclusio tertia: Etiam ex fine speciali operantis extrinseco (qui distinctus est à fine intrinseco operis, coincidente cum ratione objecti) desumitur nova specifica malitia actûs peccaminosi. Ratio conclusionis est obvia. Quoties enim multiplicatur malitia, & invehitur nova difformitas seu oppositio cum diversa lege, & diverso distinctæ virtutis motivo, toties datur nova specifica malitia actûs peccaminosi; atqui hoc fit, accedente speciali fine extrinseco: ùt si fureris eo fine, ut possis luxuriari, helluari, fastuosè vivere &c. nónne tunc malitiæ ablationis & damnificationis injustæ, quæ habetur ex fine intrinseco & objecto furti, éstque velut species primaria, & essentialis, aliqua alia ex fine operantis extrinseco advenit? Ergo &c.

107. Idem est, si cum aliis dicas, ex circumstantia finis extrinseci & voluntariè ab operante intenti etiam multiplicari, dignoscíque peccatorum specificas malitias. Ita sentit non tantùm Suarez *loc. cit.* verùm & ipsa Theologia Salisburg. Scholastica, non quidem expressim hic in *Tract. de Peccat.* ubi pro specificativo peccatorum solam objecti diversitatem attendit, bene verò distinctim in *tr. de actib. Hum. disp. 9. art. 2. &c.* in quo postquam dixerat, actum humanum *aliquo modo* suam speciem accipere à fine, statim subdit, illam speciem pro diversitate actuum aliquando esse essentialem, aliquando accidentalem. Nam actus internus (pergit) vel est merè elicitus circa finem, éstque ipsa finis intentio, vel ex prævia intentione imperatus, ùt electio mediorum ad consequendum finem: si est merè elicitus, tunc à fine operantis speciem essentialem accipit: cùm iste actus pro immediato & specificativo suo objecto respiciat ipsum finem operantis: Si verò sit imperatus, tunc est distinguendum: vel enim sumitur *reduplicativè*, quatenus nimirum imperatur; & tunc speciem essentialem accipit à fine operantis, quem ùt sic per se primò respicit: vel sumitur *specificativè;* tunc ab objecto proximo tanquam fine operis sumit speciem essentialem, à fine verò accidentalem.

108. Quem discursum utriusque asserti probat quantum ad primum membrum ex *q. 1. de Virtutib. a. 10. ad 10.* ubi D. Th. hunc in modum sibi objicit: „Nullus habitus moralis consequitur speciem ex hoc, quòd ab aliquo habitu movetur. Contingit enim, unum habitum moveri vel imperari à diversis secundùm speciem, sicut habitus intemperantiæ movetur ab habitu avaritiæ, cùm quis movetur, ut furetur: ab habitu autem crudelitatis, cùm quis mæchatur, ut occidat. Et econverso diversi habitus secundùm speciem ab eodem habitu imperantur, putà, cùm unus mæchatur, ut furetur, alter verò occidit, ut furetur:„ Ad hoc respond. idem S. D. *Actus alicujus habitûs, prout imperatur ab illo habitu, accipit speciem moralem, formaliter loquendo de ipso actu: unde cùm quis fornicatur, ut furetur, actus iste, licet materialiter sit intemperantiæ, tamen formaliter est avaritiæ:* Alterum membrum probatur ex *1. 2. q. 18. a. 2. in C.* sequentibus verbis: *Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei; ita & prima bonitas actûs moralis attenditur ex objecto convenienti.* Idem subjicit laudata Theologia proportionaliter dicendum esse de malitia: additâ ulteriori ratione, quòd ea, quæ in actu se habent variabiliter, sint contingentia: sed bonitas & malitia ex fine operantis habent se variabiliter in actu: nam furtum v. gr. semper habet speciem injustitiæ; quòd autem habeat malitiam fornicationis, est ipsi per accidens. Ergo &c. Universim quoque, quantum ad circumstantias per modum regulæ, tradit, quòd illæ distinctam novámque bonitatem, vel malitiam specificam tribuant, quæ novam conformitatem vel difformitatem cum Regulis morum afferunt. Cæteræ igitur bonitatem vel malitiam tantummodo augent vel intendunt.

109. Conclusio quarta: Sicut peccata commissionis à suis objectis speciem accipiunt directè & immediatè; ita & peccata omissionis ex objectis suam speciem indirectè & mediatè accipere intelliguntur. Ratio est, quòd peccata omissionis consistant in recessu ab objectis, in quæ voluntas per actus posi-

positivos, ut præcepta affirmativa quoad certas & specificas virtutum honestates impleret, tendere debuisset: ergo peccata omissionis mediantibûs actibûs positivîs, quorum sunt omissiones & privationes, in tali vel tali malitiæ & inhonestatis specie constituuntur: ergo mediatè & indirectè solùm ab objectis specificantur, & quatenus affirmatio & negatio, id est, factum & non factum, dictum & non dictum, concupitum & non concupitum, ad idem genus vel speciem modo scilicet opposito reducuntur.

110. Oppones primò. Malum, cùm sit privatio, distinguitur specie secundùm diversas species oppositorum. Ergo peccata magis distinguuntur secundùm oppositas virtutes quàm secundùm objecta. Resp. peccatorum diversitatem specificam utique dignosci etiam ex virtutibus specificè diversis, quibus opponuntur, non tamen magis, quàm ex objectis, veluti id observat D. Thom. hic *quæst.* 72. *art.* 1. *ad* 2. ubi postquàm negavit, peccatum esse puram privationem, subjecit, peccata magis distingui secundùm objecta actuum, quàm secundùm opposita; quamvis etiam, si distinguantur secundùm oppositas virtutes, in idem rediret: virtutes enim distinguuntur secundùm diversa objecta.

111. Oppon. secundò. Si peccata differrent specie per ordinem ad diversa specificè objecta, non posset idem specie peccatum circa diversa objecta versari: at idem peccatum potest circa diversa objecta versari, uti patet in peccato superbiæ, quod versatur circa res tam spirituales, quàm corporales: & in avaritia, quæ pariter in diversa rerum genera tendit. Ergo peccata non differunt per ordinem ad objecta. Resp. posse idem specie peccatum habere plura objecta materialiter diversa, dummodo omnia sub una formali ratione objecti, à qua species peccati recipitur, respiciantur, ùt loquitur D. Th. *cit. loc. ad* 3. Et hoc modo superbia circa diversas res *excellentiam quærit; avaritia verò abundantiam eorum, quæ usui humano accommodantur.* Ecce! unitatem objecti specificativi & motivi in actibus superbiæ, scilicet propriam excellentiam, quam solam superbus in variis rebus intendit, & avarus, cui nunquam satis, abundantiam.

112. Oppon. tertiò. Peccatorum diversitas arguitur ex diversis privationibus rectitudinum, & malitiis: non igitur ex objectis, vel ex tendentia positiva in objecta. Prob. antec. specificare spectat ad formam: privationes rectitudinum seu malitiæ habent se ùt formæ in peccatis. Ergo peccata specificare spectat ad privationes &c. Confirm. Unus actus peccati ab altero specificè differt non secundùm id, quod est materiale, sed quod est formale: At formale in diversis malitiis privativis consistit. Ergo unus actus specificè differt ab altero per diversas malitias privativas.

113. Resp. ad argum. diversitatem peccatorum non argui ex solis malitiis privativis in abstracto, sed ex actibus malis in concreto, prout in hæc vel illa objecta rationi, virtutibus, & regulis morum difformia tendunt. Ad Prob. dist. Maj. specificare spectat ad formam, si forma sit sub genere actûs, cui species tribui debet, conc. si non sit sub genere actûs, neg. Maj. Privationes rectitudinum sive malitiæ habent se ùt formæ in peccatis, ita, ut sub genere actûs humani non contineantur, conc. min. ut illæ formæ sint sub genere actûs humani, sic neg. min. & neg. conseq. Ad Confirm. dico, unum actum peccati ab altero differre nec secundùm solum materiale actûs positivi seu tendentiæ physicæ terminatæ ad objectum, nec secundùm solum formale malitiæ privativæ in abstracto; sed ex utroque simul & concretivè sumpto, magis tamen principaliter ratione actûs & tendentiæ positivæ, quàm ratione privationum seu malitiarum.

114. Nec dicas iterum, speciem uniuscujusque desumendam esse ex formali. Nam si species non sit aliquid positivum adæquatè in concreto, tunc illud, quod se habet ùt formale & tamen non est quid positivum, nec participat rationem actûs, nequit esse ratio specificativa quasi principalis, & quæ intendatur per se ab agente, sed solùm ùt complementum, & ùt quid per accidens intentum: privationes autem rectitudinum, seu malitiæ in abstracto sumptæ, non sunt quid positivum, nec sub genere actûs humani vel aliquid per se intentum. Audiamus S. Thom. in 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. *ad* 1. ubi ait, quòd formalis ratio peccati possit accipi dupliciter: *uno modo secundùm intentionem peccantis; & secundùm hoc id, ad quod convertitur peccans, est formale objectum peccati. Et ex hoc diversificatur ejus species. Alio modo secundùm rationem mali: & sic illud bonum, à quo receditur, est formale objectum peccati: sed ex hac parte peccatum non habet speciem, imò est privatio speciei &c.*

115. Hujus rei claram explicationem *hoc tract. in præf. quæst.* reliquit p. m. Reverendissimus Abbas Lendlmayr, olim in nostra Facultate Theologica Professor dignissimus, dicendo, speciem uniuscujusque rei desumi equidem ex aliquo formali, non tamen ex quocunque; sed ex positivo, quod per se pertineat ad genus, de cujus speciebus agitur, & quod est secundùm intentionem operantis. Jam verò peccata commissionis (de quibus in præsenti) pertinent ad actum humanum tanquam species sub isto genere. Quidquid igitur per se pertinet ad actum humanum, illud propriè constituit speciem peccati: atqui tendentia positiva in hoc vel illud objectum prohibitum dictô modô per se pertinet ad actum humanum, & ad intentionem operantis: ergo magis principaliter ex illa desumitur ratio specifica, quàm ex malitiis & privationibus &c.

116. Nec

116. Nec dicas denuo, privationes habere ſe principaliter, eò quòd peccatum ultimò compleant, & in ratione mali conſtituant. Nam eſto, quòd privationes ſub hoc reſpectu rationem principalis habere admittatur, hoc tamen ad ſpeciei conſtitutionem non ſufficit: ad hanc enim requiritur principalitas inter ea, quæ ſunt apta conſtituere ſpeciem propriè dictam, cujusmodi ſunt poſitiva inter ea, quæ per ſe ad genus, de cujus ſpeciebus agitur, pertinent.

117. Confirmat hoc prælaudatus Anteceſſor exemplo Cœnæ, quæ formaliter & ultimatò dicit *tempus*; & nihilominùs in ſua ſpecie non conſtituitur per tempus: quemadmodùm ergo Cœna, licèt ultimatò conſtituatur per tempus, quia eſt ſub genere *actionis*, non conſtituitur in ſua ſpecie per tempus, utpote quod nihil importat de actione, ſed per differentiam pertinentem ad genus actionis; ita proportionaliter peccatum, licèt ultimatò conſtituatur per malitiam, principaliter ſpecificari poterit per actionem, tendentiam, & differentiam poſitivam; quatenus, dum de illius ſpecie agimus, ad genus actionis humanæ pertinere intelligitur. Et hinc ſi in aliquibus ſpecies ſumatur ex eo, quod importatur ultimò, id inde provenire ſubdit, quòd illa, de quorum ſpecie agitur, ùt ſignificantur tali conceptu & nomine, juxta communem concipiendi modum non pertineant ad aliquod genus, ad quod formale illud habeat ſe per accidens: vel, quia aliunde conſtat, ſermonem inſtitui de ſpeciebus, prout ſumi poſſunt ex parte ejus, quod ultimò importatur.

118. Oppon. quartò. Ex dictis fundamentalis ratio, cur actus peccaminoſi per tendentias ſuas poſitivas in objecta ſpecificentur, & non æquè principaliter ex malitiis, foret hæc, quòd actus poſitivi ſint per ſe intenti, *inordinatio* verò & malitia ſit tantùm per accidens intenta: at nónne dantur peccata *ex malitia*, ùt condiſtincta à peccatis, quæ ex infirmitate vel ignorantia contingunt? Proinde in illis quoque malitia erit per ſe intenta: Ergo ratio prætacta univerſaliter in omni peccato non procedit. Reſp. Rationem illam ſat firmo ſubſiſtere talo. Quod interponitur de peccato ex malitia commiſſo, non probat, ejusmodi peccata ſpeciem ſuam principaliter ex malitia ſumere, ſed idipſum etiam reſpectu actûs peccaminoſi, utpote ſpeciem ſuam ex objecto per ſe accipientis, ſe habet per accidens, nec aliter ſe habet reſpectu operantis: imò in tali caſu inordinatio non movet voluntatem ſub ſua reduplicatione, & ùt quid malum, ſed ùt bonum quoddam ſtudioſè apprehenſum. Sic etiam, qui malè agunt, quandóque lucem fugiunt, & tenebras quærunt, certè non ùt tales ſunt: cùm in ſe ſint nihil, & merum privativum lucis; ſed ùt apprehenduntur tanquam aliquid bonum vel accommodum ad patranda occulta ſcelera.

119. Oppones quintò. Tanta eſt connexio converſionis ad bonum commutabile, quod eſt objectum peccati, & averſionis à bono incommutabili in qua conſiſtit inordinatio, ut illa nequeat eſſe intenta per ſe ſine iſta. Igitur ex ratione converſionis in objectum per ſe intentæ non magis ſpecificabitur peccatum, quàm ex averſione. Reſp. Philip. à SS. Trin. hic *diſp.* 8. *dub.* 1. *ad* 2. Equidem peccati inordinationem per ſe primò attendi penes averſionem à bono incommutabili; ſecundariò tamen etiam attendi penes converſionem ejus indebitam ad bonum commutabile: imò, ex hac converſione, tanquam radice, infertur illa averſio: unde, quia converſio eſt per ſe intenta, ſequitur, quòd averſio ſit ſolùm per accidens intenta; non igitur per ſe primò, ſaltem ordinariè: cùm ſit mala. Sic ille.

120. Oppones ſextò. Fieri poteſt, quòd quis clàm aufferat rem ſacram, dolens, quòd ſit ſacra. Item poteſt committi furtum alicujus rei ad oſtentandam ingenii ſubtilitatem. In neutro caſu objectum per ſe intenditur. Ergo ex tendentia per ſe tali in objecta non poteſt haberi regula ſpecificativa peccatorum. Reſp. idem Auctor, in primo caſu furtum rei ſacræ adhuc per ſe intendi, & ſimpliciter, quamvis voluntarium ob dicti doloris concurſum aliqualiter diminuatur. Ad ſecundum reſpondet, quòd ſimiliter is, qui oſtendendi ingenii gratiâ aliquid furatur, ſtante intentione furandi, abſolutè & ſimpliciter furetur: quamvis minùs velit objectum furti, quàm alterum illum finem oſtendendæ ſubtilitatis.

121. Oppon. ſeptimò. Contra ſecundam Concluſ. Diverſitas peccatorum juxta nos cognoſcitur etiam ex diverſitate præceptorum, poſitô, quòd hæc ſint diverſa ex parte rei præceptæ: Ergo non minùs cognoſcitur, quando diverſitas ſe tenet ex parte præcipientium ſive legislatorum. Prob. conſeq. ſtante diverſitate ex parte rei præceptæ, ſtat diverſitas ex parte motivi, & ideo oritur ſpecifica peccatorum diverſitas, & multiplicitas. Ergo etiam, ſtante & ſuppoſita diverſitate ex parte legislatorum cum diverſo motivo ac modo præcipiendi, oritur ſpecifica peccatorum diverſitas & multiplicitas: nam, datô illô diverſô modô & motivô præcipiendi, non ampliùs ſufficit reſpondere, quòd diverſitas legislatorum ſit ſolùm materialis. Prob. ſuppoſit. conſequent. Lex Divina, lex naturalis, & lex humana, à quibus ex. gr. prohibetur fornicatio, reſpiciunt ſuos legislatores ùt cauſas ſuperiores & inferiores, ac inſuper iſti legislatores procedunt ex motivo magis & minùs univerſali: Ergo verum eſt, quòd ex parte Legislatorum detur diverſum motivum. Ex quo contra torrentem Theologorum inferretur, fornicationem ſimplicem eſſe ſpecificè ac moraliter triforme peccatum. Reſp. conc. ant. ant. neg. conſeq. unà cum ſuppoſ. ſecundi conſeq. Ad cujus prob. nego, illum modum

dum minùs vel magis universalem (quem, in quo consistat, Philipp. à SS. Trinitat. Auctor objecti argumenti, non explicat) aliquid facere ad multiplicationem specificam: quia tres adductæ leges in ratione Regulæ conveniunt, unumque finem, & virtutem, putà continentiæ seu castitatis, respiciunt: haud igitur eo sensu motivum penes Legislatores potest dici diversum, in quo sensu ad specificam multiplicitatem communiter requiritur.

122. Nec refert, si insistas: tres perfectæ leges feruntur ob diversos fines: finis siquidem legis naturalis est rectificatio voluntatis ad finem naturalem: legis Divinæ ad finem supernaturalem; & finis humanæ legis est rectificatio ad finem politicum humanæ societatis. Consequenter etiam ex parte Legislatorum idem objectum præcipientium vel prohibentium dantur diversa motiva, quæ speciem ejusdem actus multiplicant. Nam Resp. ad antec. fines illos esse mere extrinsecos, & solius prohibentis vel præcipientis Legislatoris: cùm tamen ad specificationem actûs attendi debeat finis intrinsecus & proximus ex parte rei præceptæ, vel prohibitæ, in quam actus tendit. Deinde, ut jam dictum est, finis principalis certæ virtutis, ceu intrinsecus, à quovis Legislatore intenditur, v. g. conservatio boni proximi in prohibitione furti.

123. Oppones octavò. Actus voluntatis speciem sumit ab eo, quod voluntas intendit per se: sed voluntas malum formaliter tale per se non intendit, dum peccat v. g. fornicationi consentiendo. Ergo à malitia, quæ est in objecto prohibito seu malo, actus voluntatis speciem intra genus morale non accipit. Respondet Corneio *hoc tract. disput. 5. num.* 1. duo esse distinguenda in objecto peccati, sicuti in objectis scientiarum, nempe rationem *quæ* attingitur à peccante, & *rationem sub qua* attingitur ab eodem: v. g. in objecto furti, ipsa entitas furti est illa ratio, quæ attingitur, & *in qua* malitia formalis fundatur: *ratio verò sub qua* est ipsa malitia objectiva, sub qua voluntas tendit in actum furti. Sic ille: mox respondet in forma, distinguendo Maj. actus voluntatis specificatur ab eo, quod per se intenditur in objecto, si id intelligatur de ratione *quæ*, concedit: si intelligatur de ratione *sub qua* negat: quia hæc ratio objectiva malitiæ *sub qua*, ad hoc, ut actus in esse *mali* specificetur, per se intendi non debet: sicut, ait, nec ratio *sub qua* scientiarum, scilicet abstractio ab hac vel illa materia, necessariò attingi seu sciri debet, & nihilominùs scientiæ ab illa adjuncta ratione *quæ* specificantur: Igitur nec malitia, quæ est *ratio sub qua* in specificativo peccatorum præscindi debet à voluntate, sed sufficit, quòd intendatur realis entitas objecti, quæ malitiam fundat, & quatenus illam fundat. Hactenus Corneio *loc. cit.* Et quando quis urget, quòd ad habendum actum scientificum, aliquis debeat tendere in objectum scibile sub ratione scibilis tanquam sub ratione *sub qua*: replicat, opus haud esse ad actum scientificum, ut cognoscatur scibilitas, in qua consistit ratio *sub qua* illius, sed hoc solum requiri, ut cognoscatur ratio *quæ*, seu illa, in qua scibilitas fundatur &c. sed omissa hac obscura subtilitate & subtili obscuritate faciliùs ex dictis.

124. Resp. Sic distinguendo min. voluntas malum formaliter tale per se non intendit in abstracto, conc. min. non intendit malum per se, si malum sumatur in concreto, neg. min. ergo à malitia, quæ est in objecto v. g. fornicatione, prohibito non specificatur actus voluntatis dist. conf. non specificatur à malitia illa sumpta in abstracto, conc. conf. sumpta illa in concreto, neg. conseq. Hinc dic breviter distinguendo similem objectiunculam: privationes distinguuntur penes formas oppositas, & non ab objecto: privationes sumptæ in abstracto, conc. sumptæ in concreto, & cum actibus, sic nego. Item eodem modo distingue, si dicant: conversio ad objectum pertinet *tantum* ad materiale, econtra rectitudinis privatio ad formale: conversio nimirum præcisivè & seorsim sumpta, conced. concretivè sumpta, sic nego ly *tantùm*.

125. Oppon. nonò. Si peccata distinctionem ex objectis accipiunt, id universim dici posset de omnibus, adeóque etiam de peccatis, quæ admittuntur per omissiones, v. g. si quis omittat sacrum die festivo, jejunium die veneris &c. Sed hoc non rectè verificatur in peccatis omissionum. Ergo non omnia peccata dictô modô distinctionem suam & specificationem accipiunt. Min. prob. facilè, quia ubi non est tendentia in objectum sed mera actûs suspensio ibi nec potest specificatio esse ab objecto: sed in peccatis omissionum nulla est tendentia in objectum: ille siquidem, qui sacrum die festivo omittit, nullum ponit actum, quo tendat in cultum DEI per præsentiam ad sacrificium Missæ, sed (suppositô, quòd non repugnet pura omissa libera cum exclusione omnis actûs) omnem actum suspendit.

126. Resp. conc. Maj. neg. min. ad prob. min. possum distinguere: ubi nulla est tendentia in objectum sed mera actûs suspensio, *negativa*: ibi nec potest esse specificatio ab objecto, conc. ubi nulla est tendentia, sed mera actûs suspensio *privativa*, ibi nulla est specificatio subdist. ibi nulla est specificatio directè & immediatè, conc. ibi nulla est specificatio etiam mediata & indirecta, sic nego Maj. dist. min. in peccatis omissionum est mera actûs suspensio, *privativa*, conc. min. *negativa* tantùm, neg. min. disting. conf. Ergo peccata omissionum non specificantur ab objectis immediatè & directè, conc. conseq. non specificantur mediatè & indirectè neg. conseq. Explicatur: suspensio actûs quandóque est licita, ita, ut ratione

ne illius voluntati nullus defectus moralis imputetur, v. gr. die non feriato, non teneris velle audire sacrum, quia nullum tunc instat præceptum, quod ad ponendum actum auditionis sacri obliget: illa igitur suspensio erit *negativa*, & sine omni malitia & deformitate, quæ adversetur præcepto, & virtuti religionis: quandóque verò suspensio actûs est *privativa*, ita, ut voluntati defectus moralis, peccatum, & malitia imputetur, ùt putà, si auditionem sacri suspendas seu omittas, dum illam teneris non omittere, scilicet die feriato, sive tunc cogites positivè & mente, vel ore quoque dicas, *nolo hodie audire sacrum* (quo casu datur actus positivus nôlitionis) sive cognoscens quidem obligationem audiendi sacrum, illo tempore, quo sacrum audire poteras, studiô aliquid aliud & cum auditione sacri incompossibile agas, reipsa sacrum & omittas, quibus in circumstantiis illa omissio neglectus, seu suspensio actus ab aliquibus habetur pro omissione pura. Atque hæc omissio, seu suspensio actûs (sive fiat per puram omissionem liberam sive interveniente actu nolitionis) sumit speciem suam ab objecto non directè, sed velut indirectè, quatenus privatio accipit speciem à forma opposita: quemadmodum enim in actu, quo die feriato vis audire, aut reverà audis sacrum, datur moralis forma honestatis intra speciem religionis, ita ex opposito, in omissione & suspensione hujusmodi actûs secundùm moralem æstimationem datur carentia illius formæ moralis seu honestatis intra speciem, & virtutem religionis, quæ debuisset actui præcepto inesse, quod est idem, ac indirectè ab objecto specificari. Revide *num.* 100. & Confer in *Tract. meo de Act. Hum. quæst.* 16.

## NOTABILIA PRACTICA.

### *Cum Ordine ad Confessionale.*

127. PRimum: Dignitas personæ peccantis non mutat speciem peccati, dummodò absit scandalum, sed illud aggravat solùm. Lugo *de Pœnit. disput.* 6. *Sect.* 4. Secundum: Virgo, quæ admittendo suî deflorationem parentibus gravem inde mœstitiam vel damnum in bonis sive fortunæ, sive honoris infert, cùm agat contra pietatem eis debitam, hoc in confessione exprimere tenetur. Lugo ibid. Tertium: Sponsa de futuro, si cum alio fornicetur, non tantùm peccat contra castitatem, sed etiam contra justitiam violando jus ad rem sui sponsi, ideóque statum sponsalitium pariter exprimere tenetur. Sanch. contra Pontium. Quartum: ex communiori sententia apud Lugonem, conjugatus, qui cum alia conjugata opus carnale exercuit, non satisfacit dicendo: commisi adulterium: sed statum utriusque personæ exprimere debet: quia duplex specifica malitia est, dum conjux violat jus sui proprii conjugis, & simul procurat violationem juris, quod competit marito alieno, cujus cum conjuge concubuit: & similis expressio est necessaria, quando sacris initiatus, aut religiosus cum moniali carnaliter peccat: non enim sufficiet dicere, habui copulam sacrilegam, sed addere oportet, id accidisse cum persona voto pariter obstrictâ. Quintum: Si quis alteri ex odio imprecatus est grave malum, tunc secundùm sententiam Valentiæ speciem mali exprimere non est necesse, nisi imprecans simul intentionem efficacem habeat, illud reverà inferendi: quia, nisi adsit prædicta intentio, cujuscunque mali imprecatio continet malitiam repugnantem charitati duntaxat: quòd si verò efficax illius mali inferendi intentio accedat, vel omnino actualis illatio sequatur, expressione mali specifici opus erit, quippe quod tunc juri alterius adversatur, & speciem infimam quamdam intra lineam justitiæ contrahit, secundùm quod sive intentivè sive executivè proximus læditur in bonis vel honoris, vel corporis, vel fortunæ. Sextum: Ex doctrina Cajetani in 2. 2. *q.* 72. *a.* 1. peccatum in contumeliis est unius speciei, adeóque non est necessariò exprimenda qualitas, e. g. an alterum vocaveris adulterum, an furem. Definitur autem *loc. cit.* à S. D. contumelia, quòd sit *dehonoratio alicujus*, propriéque sumpta in verbis consistat; quia tamen etiam per facta significari potest aliquid dehonorans, ideo juxta S. D. per extensionem nominis contumelia non solùm dictis sed & factis infertur. Jam verò verba Cajetani ratione differentiæ specificæ sic habent: Procul dubio, ait, „ contumelia, „ unius est speciei specialissimæ ex unita- „ te honoris, contra quem tendit, spe- „ cificam unitatem habens, sicut detractio „ ex unitate formæ. Hujus autem signum „ manifestum est, quòd idem defectus culpæ „ spectet ad detractionem & contumeliam. „ Potest enim quis & detrahendo, & contu- „ meliando defectum adulterii, furti, & cæ- „ tera, dicere. Habent ergo se omnes defe- „ ctus, qui dicuntur ad hæc vitia, non ùt „ materia, circa quam formaliter versantur, „ sed materialiter. Et propterea non vari „ ant species, sed secundùm diversitatem fi- „ nium, ad quos ordinantur, putà dehono- „ rationis vel infamiæ, ad diversas species „ moralium vitiorum reducuntur & uniun- „ tur &c. Omnes siquidem defectus, qua- „ tenus honorem lædunt, unius sunt ratio- „ nis, & ad contumeliam spectant: quate- „ nus famam minuunt, aut auferunt, alterius „ sunt rationis, & ad detractionem perti- „ nent. Est tamen in utrisque cum unitate „ speciei diversitas graduum secundùm ma- „ gis & minùs, dum unus defectus magis „ inho- „

„inhonorat, aut infamat, quàm alter &c. Hucusque Card. Cajetanus.

128. Septimum notabile: Secundum Castropal. *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 2. peccatum jactantiæ quoque, quod aliquis comittit quærendo laudem ex peccato, est unius speciei, nisi eam comitetur insuper gaudium, & complacentia de peccato. Quòd si jactantia non sit de ipso peccato, sed v. g. de viribus, dexteritate &c. excusatur à peccato apud Card. de Lugo: ubi tamen ex jactantia secutum fuit grave scandalum vel alterius dehonoratio, absque dubio istæ circumstantiæ in Confessionali reticeri nequeunt.

129. Octavum: Quamquam omnes blasphemiæ, quibus impetitur ipse Dominus DEUS, in malitia specifica conveniant, exceptâ blasphemiâ involvente aliquod verbum hæreticum: nihilominùs (secundùm Card. de Lugo contra Cajetanum) non solùm blasphemia commissa in aliquem Sanctum specie differt à blasphemia commissa in DEUM (quia in ista violatur cultus latriæ, in illa cultus Duliæ intra materiam Religionis) sed insuper diversitas specifica inducitur, si blasphemia comittatur contra Deiparam Virginem MARIAM, utpote cui debetur longe excellentior cultus (hyperdulia dictus) quàm reliquis Sanctis.

130. Nonum: paganismus, Judaismus, & hæresis specie inter se differunt. Hæreses autem omnes, in quocunque errore versentur, cùm semper eidem fidei & auctoritati Divinæ contrarientur, spectant ad unam infimam speciem secundùm Reginald. *in Prax. for. Pœnit. lib.* 6. *cap.* 4. Per accidens tamen, scilicet propter diversa peccata in diversis sectis contra virtutem Religionis committi solita status hæreseos vel sectæ, in confessionali exprimis debet. Lugo.

131. Decimum: Sicut odium contra Parentes conceptum, sic & omnis gravis eorum læsio continet gravem specificam malitiam, Pietati oppositam: ac nomine Parentum veniunt omnes nostri Majores per lineam rectam ascendentes, putà pater, avus, proavus, mater, avia, proavia, &c. secus ubi læduntur ascendentes in linea collaterali, v. g. patruus, matertera.

132. Undecimum: Ex circumstantia loci non omnia peccata in loco sacro, oratorio publico, Ecclesia vel cœmeterio &c. commissa malitiam sacrilegii contrahunt, sed illa, quæ vel ex Jure Ecclesiastico, vel ratione specialis irreverentiæ, quam loco sacro inferre censentur, specialem indecentiam, reatúmque annexum habent, cujusmodi sunt voluntaria humani seminis, aut injuriosa sanguinis effusio, fornicatio, injusta occisio (de quibus si publicè constet, locus sacer polluitur, & Episcopali reconciliatione indiget) item comœdiæ lascivæ, tactus valde impudici, nec non mercatus publici &c. Lugo. Sed nec furtum in loco sacro v. g. in Ecclesia commissum induit semper malitiam sacrilegii, sed tunc solùm, quando vel ipsa res ablata est sacra, vel alium respectum ad Ecclesiam habet, v. g. quia ibidem custodiæ & securitatis causa fuit deposita. *Can. quisquis inventus. caus.* 17. *q.* 4. quamvis Suar. aliter loquatur *lib.* 3. *de Relig. cap.* 5. Ex qua ratione, quia nimirùm specialis irreverentia vel injuria Ecclesiæ non infertur, sacrilegium non committit, qui diviti ibidem crumenam aureis turgidam abscindit, & furatur juxta Card. de Lugo.

133. Duodecimum: Ex opinione quorumdam Theologorum ratione *temporis* sacri seu festivi, in quo peccatur, quædam circumstantia peccati speciem mutans contrahitur, adeóque in confessione est specialiter exprimenda? communior tamen apud Dianam id negat: nihilominùs speciem mutari isti quoque concedunt, quoties specialis ratione temporis sacri in actum redundat indecentia propter singularem sanctitatem temporis, ùt si in die Pentecostes spectacula ludicra, & ludi publici valde dissoluti, veluti quandóque v. g. in Bacchanalibus fieri amat, exhibeantur.

# QUÆSTIO NONA.

## *Unde desumatur distinctio moralis peccatorum merè numerica?*

134. HÆc quoque materia non minùs intricata est, quàm illa prior de unitate vel distinctione specifica, ac similiter à variis loquendi modis, & prudentûm judiciô dependet.

Conclusio prima: In illis peccatis merè internis, quæ totaliter in animo consummantur, & pro objecto non habent aliquem actum externum, qualia sunt odium DEI, voluntarius error, sive hæresis circa articulum quemdam fidei &c. toties fit multiplicatio numerica, quoties actus internus renovatur, seu repetitur. Navarr. in *Man. cap.* 6. *n.* 16. & cum eo Tannerus *h. tr. disp.* 4. *q.* 2. *Dub.* 4. citans Cajetan. *to.* 1. *opusc.* 31. *resp.* 15. Vasquez, Graffium &c. ratio per se patet: quia toties peccatur, quoties ponitur novus actus consummatus.

135. Conclusio secunda: Peccata quoque, quæ committuntur per consensum internum, & delectationem circa opus illicitum externum, toties numero multiplicantur, quoties nova delectatio vel consensus ponitur, si delectatio vel consensus posterior nullam à priori dependentiam habeat. Quamvis cæteroquin notabilis temporis mora pon intercesserit. Ita denuò Tanner. *loc. cit.* assertionem explicando per exemplum de eo, qui delectatur morosè de fœmina visa, aut etiam in opus carnale consentit, si copia esset, (quæ delectatio dicitur operosa) paulò post, cùm copia desit, mutat proposi-

tum:

tum: ac demùm eâdem vel aliâ simili personâ conspectâ, iterùm morosè seu deliberatè cum sufficienti advertentia rationis delectatur, aut in opus turpe consentit: hic certè duplex numerò peccatum committit: quia nec physica nec moralis apparet connexio, ex qua unitas colligi queat. Unde rectè dicit Clariss. P. Babenst. in *Theol. Mor. hìc disp.* 3. *art.* 3. *n.* 7. toties esse plura numerò peccata tam interna, quàm externa, quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur: cùm tunc moralis unitas necessariò destruatur, ac per consequens peccata multiplicentur. Vid. Navarr. in *Manu. d. cap.* 6. *n.* 16.

136. Conclusio tertia: Quantum attinet ad obligationem explicandi numerum in confessionali, peccata, quæ in externa operatione perficiuntur, v. g. homicidium, fornicatio &c. non censentur multiplicari per repetitionem propositi circa idem objectum, quamdiu efficacitas primi propositi in aliquo affectu libero perdurat. Ita in terminis Laym. *hìc cap.* 3. cum Cajetan. *to.* 1. *tr.* 31. *resp.* 15. Azor. & Suar. item Tanner. *loc. cit. n.* 59. cum Valent. Vasq. & Navar. *d. cap.* 6. *n.* 6. ubi hic posterior subdit, quòd tali in casu voluntas non censeatur iterari, donec opere exteriori perficiatur, aut interrumpatur. Exemplum esto in eo, qui manè surgens proponit furari, & dum ad locum furti committendi tendit, propositum malum aliquoties renovat: Quoad confessionale hic non est necesse exprimere numerum actuum talis propositi, ùt notat Laym. *loc. cit.* quia (licet coram DEO actus liberè repetiti sint plura peccata, uti in prima assertione dictum est cum Tannero &c.) comparati ad unum opus finale, ad cujus executionem omnes tendunt, faciunt moraliter unum peccatum: Simile exemplum affert Navarrus in eo, qui de mane surgens hominem occidere intendit, & ex hoc fine intento arma præparat, domo egreditur, per unum & alterum milliare proficiscitur ad locum: omnes isti & plures hujusmodi actus interiores & exteriores, qui sunt veluti quædam via ad unicum peccatum homicidii perpetrandum, unicum tantùm constituunt peccatum, etiamsi (ait Navar. *d. n.* 16.) „illi „actus fuerint interrupti: nam licet in ge„nere entis considerati, singulatim sint mul„tæ & variæ res; tamen considerati tanquam „via & partes ipsius peccati, quibûs totum „peccatum est consummandum, non am„pliùs, quàm unum peccatum efficiunt, si„cut lapides, columnæ, ligna, reliquáque „materia unius domûs multa sunt secundum „se sumpta: cæterùm omnia simul conside„rata tanquam partes unius domûs, non am„pliùs, quàm unicam domum conficiunt.„ Sic Navar. sic & Laym. *loc. cit.* Dixi: quantum attinet ad obligationem explicandi numerum in confessionali: nam coram DEO tot numericè fiunt peccata, quot actus ex fine vel objecto illiciti eliciuntur, aut imperantur.

137. Conclusio quarta ex Navar. *loc. cit. n.* 17. Non solum plures actus exteriores, tendentes in unum peccatum principale, etsi in genere entis diversi sint, censentur tunc unum constituere peccatum in genere *moris* respectu sacri tribunalis, & expressionis in illo ratione numeri faciendæ, quando unus actus est via ad alium, sed etiam, quando quis uno impetu fertur in plures, vel omnes subsequentes. Probat id primò *per text. in cap. cum pro causa* 27. *de Sentent. Excom.* ubi cùm quidam Archidiaconus *in Succentorem Clericum in communi dormitorio manus violentas temerè injecerat*, ac prætereà *verberando eum traxerat per claustrum*, supponitur, quòd tantùm unam excommunicationem incurrerit, consequenter & unâ solùm absolutione indiguerit, quia moraliter & in hominum æstimatione reputabatur ibi una tantùm verberatio, quæ ex una causa, unóque impetu contigerit, quamvis physicè loquendo plures verberationes, & violentiæ commissæ sibi invicem successerint: igitur omnes illæ percussiones in *genere moris*, ùt unum peccatum quoad forum Pœnitentiale computatæ fuerunt, unáque habebat se ùt via in aliam, vel ùt consequens: alioquin tot debuissent incurri excommunicationes, quot potuissent numerari ictus, & repetitæ manuum injectiones. Sic etiam, qui bis vel ter appellat in eadem causa, semel tantùm appellâsse censetur; & qui bis vel ter eandem rem in testamento vel codicillis legavit, semel duntaxat legâsse videtur. *cap. Lotharius. verb. appellavit. caus.* 31. *q.* 2. *l. cùm quæstio. Cod. de Legat.* Concordat Tannerus *de Peccat. disp.* 4. *q.* 2. *dub.* 2. *n.* 55. ubi censet, etiam illum, qui quasi uno impetu & ordine eandem rem juramento falsò sæpius confirmat, quoad forum pœnitentiale unius tantùm peccati reum esse; idem dicit de proferente plures calumnias in eundem hominem uno animi impetu.

138. Secus verò, & plura numero peccata committi asserendum est, quando idem actus circa diversa objecta multiplicatur: idcirco si uno ictu vel tribus ictibus tres Clericos percutias, erunt tria sacrilegia, & contrahes tres excommunicationes: tria committis perjuria, si uno temporis tractu circa tres diversas res falsò jures; similiter triplex numero peccatum erit, uno tempore & impetu tres diversas calumnias in eundem hominem congerere, aut unam in tres homines. Tanner. *loc. cit.*

139. Conclusio quinta: Sicut actus præcedentes ordinati ad actum principalem peccati non augent numerum, quatenus necessariò in confessionali exprimendum, ita nec eum augent actus ad principalem vel accessorii, vel statim & plerumque consequentes. Ita denuò Navar. *d. cap.* 6. *n.* 17. quia etiam isti actus respectu operis principalis quamdam moralem unitatem habere censentur vel tanquam dispositiones, aut partes, vel tanquam communiter concomitantia, vel tanquam complementa.

140. Con-

140. Confirmat Navar. hanc assertionem ex usu Ecclesiæ Christianæ, quo constat, eos, qui se accusant de homicidio, non solere exprimere, quoties voluntas occidendi, aut alii actus præambuli inordinati, fuerit renovata, aut quoties subsequenter complacentiam desuper habuerit verbis vel factis; proinde satisfacit confitendo actum principalem. Pari modo actus impudici, v. g. oscula, colloquia, aspectus &c. libidinosum fornicationis actum immediatè præcedentes, concomitantes, vel mox subsequentes secundùm eundem Navar. & alios DD. non sunt necessariò explicandi in sacramentali confessione, sed solus actus principalis, scilicet fornicatio: quantum enim ad formandum judicium confessarii, dictandam pœnitentiam, ac præscribendam medicinam, status pœnitentis ei sufficienter constat ex confessione actûs illius principalis, utpote non ignoranti, plures ejusmodi inordinatos actus præire, concurrere, aut mox subsequi solere. Notat autem P. Mezger, tactus impudicos, qui antecedenter ad fornicationem exercentur absque intentione fornicandi, etsi postea fornicatio sequatur, distinctam induere peccati malitiam videlicet mollitiei imperfectæ: quia actus illi, præcisa illa ordinatione, non habebant se ùt partes vel dispositiones ad fornicationem tanquam ad actum principalem. Cæterùm coram DEO nihilominùs tot erunt numerica peccata & quidem mortifera, quot actus turpes numerari possunt, v. g. quot oscula libidinosa, quot repetiti tactus, complacentiæ &c. Eapropter & contritio aut formaliter, aut saltem virtualiter ad omnes prædictos actus accessorios extendi debet. Propositum quoque ad omnes illos actus terminari debet, dubio caret. Porrò si actus multiplicati quicunque ad unum principalem quasi de sua natura non ordinentur, sed ad diversos fines depravatos, ùt si volens patrare homicidium in itinere, quod propereà conficit, v. g. furetur, fornicetur, pejeret &c. species singulas & numerum eorum in confessione exprimi debere, idem Navarrus *loc. cit.* rectè subnotavit.

141. Conclusio sexta: Probabiliùs eidem physico actui tot censentur inesse malitiæ moraliter numericè distinctæ, & peccata, quot sunt objecta ejusdem inter se nullam connexionem aut subordinationem involventia. Mezger in *Theol. Salisb. hìc disp.* 10. *art.* 2. §. 1. La Croix ad Busenb. *lib.* 5. *art.* 3. *n.* 149. cum Vasq. Castrop. Haun. Dian. Tanner. contra Suar. Bonac. & alios. Assertio eruitur ex dictis, & elucidatur novis exemplis. Uno ictu tres innocentes mactas: una constructione duobus de fama detrahis: una contrectatione tribus aliquid notabile furaris: objecta hìc & jura, quæ tu violas, nullam prorsus inter se habent connexionem. Sicut itaque, quando uno actu in tria objecta moraliter specificè diversa illicitè per voluntatem tendis, tres v. gr. specie diversæ malitiæ in eundem actum refunduntur, & idcirco cum sufficienti expressione circumstantias, illam speciem multiplicantes, confiteri teneris, ita non minùs in nostra conclusione non satisfacis, simpliciter dicendo, *occidi*, *detraxi*, *furatus sum* sed dicendum est, *occidi tres*, *detraxi tribus*, *furatus sum duobus* notabilem summam: quia tres malitiæ ex tribus objectis numericè completis & diversis in eundem physicum actum redundant.

142. Nec dicas, satisfacere Petrum in sacro tribunali se accusando: *notabilem & gravem materiam abstuli*, etsi res ablatæ fuerint diversæ rationis, v. g. esculenta, panni, vestes, pecuniæ, adeóque objecta non dicant connexionem: Nam hæc paritas comparata ad nostra exempla omnino claudicat: quandoquidem, spectato usu & commercio hominum, in quibusdam rebus datur capacitas, ut ad unum quiddam ordinentur, qualiter se habent, v. g. pecunia, esculenta, panni, vestes ad eundem hominem spectantes, cum referantur ad necessaria vitæ, victûs, sustentationis &c. adeóque ad unumquemdam finem felicitatis temporalium bonorum, ita, ut eam augeant, vel minuant, unáque res recipiat compensationem & commutari possit pro alia, ùt cibus, potus, pannus pro pecunia &c. Jam plures hujusmodi res, licet physicè, materialiter, ac in se spectatæ sint omnino diversæ rationis, moraliter tamen quasi unum objectum majus constituere censentur, prout ad eundem possessorem spectant, & uni juri adæquato subordinantur, cujus læsio gravior vel levior est secundùm proportionem rerum ablatarum, quin proptereà uno actu in plures tendente peccata numericè multiplicentur.

143. Econtra aliæ res altioris ordinis, ùt sunt fama, & vita plurium hominum, vel etiam res temporales spectantes ad diversa jura adæquata plurium dominorum, minimè de sua natura, capacitate, usu vel commercio humano ad unum finem referuntur, aut objectum quoddam majus constituunt; cùm igitur moralem unitatem non recipiant, sed eorum violatio supra distincta & completa diversorum jura cadat, tot committuntur peccata numerica, quot hominum etiam unico verbo vel ictu læditur fama, vel vita, vel etiam bona inferioris ordinis: hinc & illorum expressio necessaria est in confessionali. La Croix ad Busenb. hic *n.* 151. ex Dicastillo & Haunoldo: ubi notanter contra Vasq. memorat, eum, qui uno actu furatur tres ducatos, spectantes ad tres homines, tria peccata committere numericè distincta: quia tria distincta jura violat, attentô, quòd equidem unum objectum moraliter integrent, unúmque finem opulentiæ, sustentationis &c. respiciant, quando ad eundem spectant; secus verò, quando ad diversos. Hisce pauló longiùs quæstionem valde difficilem illustrare placuit.

144. Alii breviùs concludunt, scil. toties peccata tum interna tum externa multiplicari,

cari, quoties moraliter multiplicatur voluntatis interruptio. Vid. Clariſſ. P. Babenſt. *Theol. Mor. b. tract. d. 3. art. 3.* Interrumpitur verò voluntas, ſi quis priorem voluntatem vel per pœnitentiam retractet, vel aliàs deliberatè deſerat. Hinc ad moralem interruptionem & multiplicationem non ſufficit indeliberata animi ad aliud objectum diverſio, ſi quis ſine notabili intervallo ad priorem delectationem redeat; adeóque nec quævis phyſica interruptio ſufficit: ex. gr. prandium moraliter non fit interruptum, ſi intercedat lectio novellarum, vel brevis litterarum expeditio: nec Breviarii recitatio per quandam celerem interlocutionem &c.

145. Oppon. primò. Ex dictis nondum ſufficienter conſtat, quot peccata committat, qui in peccato mortali conſtitutus ſucceſſivè viginti pœnitentes Sacramentaliter abſolvit. Nec conſtat ſecundò, quot committat Sacerdos in peccato mortali vel decem v. gr. hoſtias conſecrans, vel totidem communicantibus diſpenſans. Nec tertiò, quot committat ille, qui eodem temporis tractu integram Bibliothecam auffert, aut integrum gregem ovium abigit. Nec quartò conſtat, quot peccata comittat, qui uno actu eidem Principi diverſa dominia, vel Principatus eripere intendit. Nec quintò, quot committat is, qui uno actu ſtatuit carnibus veſci per totam Quadrageſimam, vel Breviarium omittere toto illo tempore.

146. Reſp. ad primum, eſſe graves Auctores, ut v. gr. Reding, Lendlmayr &c. qui Sacerdotem in allato caſu, etſi coram DEO plura peccata committat, in ordine ad Confeſſionem Sacramentalem unius tantùm peccati reum cenſeant; præplacet tamen mihi Sententia tenentium cum P. Mezger hic *diſp. 19. artic. 2. §. 3.* tot à Sacerdote committi Sacrilegia, quot in ſtatu peccati lethalis pœnitentes ſucceſſivè abſolvit: quia nulla prorſus hic datur connexio vel ſubordinatio, ob quam moralis unio objectorum coaleſcat; ſed potiùs ſingulæ ſingulorum pœnitentium confeſſiones, & deſuper datæ abſolutiones, actus completos & integros Sacramenti Pœnitentiæ conſtituunt. Si replices, unitatem moralem omnium abſolutionum conſtitui ex unitate intentionis, finis, loci, ſitûs, & temporis; ea non immeritò tanquam inſufficiens rejicitur: quandoquidem ex parte objecti exinde nulla reſultat connexio & coordinatio; alioquin (ut rectè infert P. Mezger) qui ſucceſſivè plures uno temporis tractu, & loco exiſtentes injuſtè truncaret, aut taliter cum pluribus carnaliter peccaret, aut in Nativitate Domini tria ſacra in ſtatu peccati mortalis celebraret, pariter unicum peccatum reſpectivè ad Confeſſionem Sacramentalem committeret, quod tamen admitti nequit.

147. Ad ſecundum Reſp. idem Clariſſ. P. Mezger *loc. cit.* ideò Sacerdotem in dicto caſu non incidere in plura peccata, quia omnes hoſtiæ ad conſecrandum deſtinatæ & præſentes conſtituunt tunc unam materiam conſecrabilem, ac demonſtrabilem per unicum pronomen *Hoc.* Et licet conficiantur plura Sacramenta in *facto eſſe*, videntur tamen quodammodo unum Sacramentum eſſe *in fieri*, quatenus ſubſtant uni eidémque actioni conſecrativæ, cujus unitas à temporis & ſignificationis unitate deſumitur.

148. Quod concernit diſpenſationem S. Euchariſtiæ, memoratus Doctor eam aſſimilari ait ciborum diſtributioni in convivio: quod unum moraliter eſſe cenſetur & tamdiu durare, quamdiu ceremoniæ convivales non finiuntur, ſive adſint multi convivæ, ſive pauci: Et hac ratione iterum propter moralem unitatem ex parte objecti habemus ſufficiens fundamentum aſſerendi, quoad confeſſionale unum tantùm incurri peccatum. Quia tamen in hoc utroque caſu res difficultate non caret, melius & conſultius fuerit, ſi Sacerdos numerum pœnitentium vel communicantium ſaltem præter propter, & per vocabula circa circiter expreſſerit, ſi determinatum neſciat.

149. Ad tert. Reſp. idem Mezger, item Babenſtuber cum Bonac. & Sporer, unum ſolum mortale ibi committi, quia ſinguli libri, & ſingula ovium capita tanquam partes referuntur ad unum totum. Idem eſtò, ſi quis comburat integram domum, vel magnam ſylvam.

150. Ad quart. Reſp. la Croix *loc. cit. num. 160.* ibi fore plura peccata: quia (verba ejus ſunt) licèt omnia videantur ſpectare ad bona fortunæ, tamen non videntur unum objectum conſtituere, cùm ſint jura, obligationes, & modi valde diverſi gubernandi ſingulas communitates, & jus, obligatio vel modus gubernandi unam, non poſſit augere jus, obligationem vel modum gubernandi alteram, neque etiam invicem commutari.

151. Ad quint. Reſp. idem la Croix *ibid. num. 164.* ſic ſtatuentem reum eſſe tot peccatorum, quot ſunt dies quadrageſimæ: nam jejunia ſingula, uti & officia canonica ſingula, ſingulos concernunt dies, iiſque affiguntur tanquam obligationes diurnales ſine ordinatione unius jejunii, vel officii Canonici ad aliud. Hæc de Diſtinctione Peccatorum.

# QUÆSTIO DECIMA.

## *An ex pluribus Peccatis Venialibus possit consurgere unum mortale?*

152. PRæmitto primò: Peccatum mortale variis modis à veniali discrepare. Nam inprimis peccatum mortale voluntatem deordinat à DEO ùt ultimo fine: & sic habet rationem *aversionis* à bono incommutabili, quod quis poterat habere, & respectu cujus se impotentem facit: habet itidem rationem *conversionis* in bonum commutabile seu creatum; hæc tamen conversio, & illa aversio secundum rem idem sunt. Num verò in peccato mortali nostro modo concipiendi aversio sit prior conversione, videndus est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 1. *ad* 1. & *Quodlib.* 6. *quæst.* 9. *art.* 16. *in Corp.* ubi utitur sequenti distinctione: in peccatis, in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, sicut in luxuria, avaritia & similibus, conversio naturaliter prior est, quàm aversio, quæ non est principaliter intenta, sed præter intentionem ex inordinata conversione consequitur. In peccatis verò, in quibus directè intenditur aversio à DEO, qualia sunt infidelitas, desperatio, & alia Virtutibus Theologicis opposita, prior est aversio ab incommutabili bono, & posteà est conversio ad bonum commutabile; veluti patet in illis, qui ex desperatione se tradunt impudicitiæ, uti dicitur ad *Ephes.* 4. Ex parte conversionis peccatis virtutes opponuntur; & sic diversîs virtutibûs peccata diversa expelluntur, sicut diversæ ignorantiæ diversîs scientiîs. Ex parte autem *aversionis* omnia peccata per unum remittuntur, quod est gratia, cui peccatum ex parte aversionis opponitur. Proinde omnia peccata ex parte aversionis unum vulnus inferunt; & sic per unum donum gratiæ sanantur. At ex parte conversionis diversa inferunt vulnera, quæ sanantur per diversas virtutes, & per diversos Sacramentorum effectus. Hinc peccata secundùm conversionem ab invicem distinguuntur; sed in aversione sunt connexa, in quantum homo per quodlibet peccatum mortale à bono incommutabili avertitur. Sic D. Thom. *de Ver. quæst.* 27. *art.* 5. *ad* 8.

153. Porrò in peccato veniali nulla fit aversio à DEO; quandoquidem conversio, quæ fit in creaturam, non fit in illam tanquam in finem & terminum, qui sit alius & diversus à DEO, sicque à DEO peccantem venialiter avertat: quia ex Tractatu meo *de Lib. Arbitr.* & *de Actu Human. quæst.* 3. peccans venialiter non fruitur creaturâ, sed utitur eâ, refértque ipsam in DEUM *habitu non actu*, ex eo præcipuè, quòd in homine justo propter gratiam sanctificantem, detur principium quoddam habituale relationis in DEUM ùt summum bonum, & finem ultimum. Hæc de prima differentia. Ex qua oritur altera, quòd peccatum mortale habeat rationem offensæ simpliciter, sive hæc accipiatur ex parte hominis peccantis, in quantum peccando DEUM offendit; sive ex parte DEI, secundùm quod peccatori fit offensus juxta illud Psalm. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Quicunque enim rem aliquam indigniorem digniori postponit, injuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res est dignior. Proinde quilibet peccator, cùm in re temporali finem suum constituat, ac denique suum bonum proprium bono Divino ac fini universalissimo præferat, creaturam Creatori præponit, diligens plùs creaturam, quàm Creatorem: finis namque est, quod maximè diligitur. Ipse etiam DEUS peccatori dicitur offensus, vel eum odio habere, non quidem tali, quod opponitur amori, quo diligit omnia: sic enim *nihil odit eorum, quæ fecit*, Sap. 11. Sed odio, quod opponitur amori, quo diligit Sanctos, bona æterna eis præparando.

154. Econtra, veniale peccatum, cùm per illud homo non avertatur à DEO, ideo in eo non invenitur perfecta ratio offensæ, sed secundùm quid duntaxat: Et, ut reliquas potiores differentias breviter perstringamus: Mortale est *contra legem*, veniale *præter legem*; etsi enim in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ est *plenitudo legis*, Rom. 13. Consequenter per veniale nec tollitur gratia sanctificans, nec inducitur in animam vera macula, nec mors spiritualis, nec reatus pœnæ æternæ, sicuti ista mala ex peccato mortali scaturiunt. Nihilominùs veniale peccatum fervorem charitatis diminuit; quia istius actum retardat, in quantum homo nimis inhæret bono creato, licèt non *contra* DEUM: & veniale potest esse causa, ut à principio minor charitas infundatur, in quantum impedit actum liberi arbitrii, quo homo ad gratiam suscipiendam disponitur. Et per hunc etiam modum potest impedire, ne charitas habita crescat, impediendo scilicet actum meritorium, quo quis charitatis augmentum meretur. S. Thom. *de mal. quæst.* 7. *art.* 2. *in C.* & in 2. 2. *quæst.* 24. *artic.* 10. *in C. qui de Mal. quæst.* 7. *artic.* 2. *ad* 17. observat, dupliciter sumi posse fervorem: uno modo, secundùm quod importat intensionem inclinationis amantis in amatum: & talis fervor est essentialis charitati, & per peccatum veniale non diminuitur: alio modo dicitur fervor charitatis, secundùm quod redundat in motu dilectionis etiam in inferiores vires, ut quodammodo non solum cor, sed etiam caro exultet in DEUM: & iste fervor per peccatum veniale diminuitur absque diminutione charitatis.

155. Præ-

155. Præmitto secundò: Utrumque peccatum vel esse tale ex genere suo, vel ex accidenti. Peccatum mortale ex genere suo dicitur tale ex suo proprio objecto, graviter prohibito, specialiter quando actus humanus directè adversatur charitati DEI vel sanctitati, uti odium DEI, blasphemia &c. vel graviter repugnat charitati proximi, ùt homicidium, aut justitiæ ùt furtum &c. vel ipsi peccanti, ùt ebrietas. Ex accidenti mortale fit, quando actus est vel ex objecto indifferens, vel leviter prohibitus, attamen ex circumstantia finis extrinsecè intenti, vel ratione contemptûs aut scandali malitiam gravem contrahit: e. g. ambulas, vel jocosa verba profers, ut certam personam ad turpia excites. Peccatum mortale ex genere suo duobûs præcipuè modîs potest fieri veniale: primò ratione semiplenæ advertentiæ seu imperfectæ deliberationis. Exemplum habemus in libidinosa delectatione, quæ quidem ex genere suo, & gravitate objecti est peccatum mortale, in quantum tamen præcedit plenam advertentiam rationis, est peccatum solùm veniale; imò prorsus nullum peccatum est, quando & quamdiu eam ratio nullo modo advertit, uti ex alibi dictis constat, & ex infra dicendis ampliùs constabit. Secundò ex *parvitate materiæ:* nam furtum, etsi ex genere suo sit mortale, fit veniale peccatum, ubi quis materiam levem aufert, & jus alienum leviter lædit.

156. Conclusio prima: Venialia quantumcunque multiplicata non constituunt unum peccatum mortale, si materia venialium non coalescat. Ita Communis. Videtur esse mens S. Thomæ in 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *sed contra*, ubi sic loquitur: *Ea, quæ differunt in infinitum, non transmutantur in invicem: sed peccatum mortale & veniale differunt in infinitum; ergo veniale non potest fieri mortale.* Et ratio declarativa communiter assignatur, quòd venialia, quantumvis syncategorematicè in infinitum multiplicata, semper maneant in inferiori ordine si comparentur ad peccatum mortale, utpote in ordine simpliciter altiori constitutum. Quemadmodùm ergo accidentia quantumcunque multiplicata nunquam possunt assurgere ad lineam substantiæ, nec bruta ad lineam seu speciem animalis rationalis, quia sunt ordinis inferioris; ita nec venialia, quorum materia non coalescit, possunt ascendere ad superiorem illum ordinem peccati mortalis, de ratione cujus est esse offensam simpliciter, hominem à DEO avertere, privare gratiâ sanctificante, & visione beatificâ reddere mancipium diaboli, addicere pœnæ æternæ &c.

157. Conclusio secunda: Toties plura peccata venialia collectivè spectata, & moraliter non interrupta, efficiunt unum peccatum mortale, quoties eorum materia *moraliter* non interrupta coalescit in gravem, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Exemplum siquidem præbent furta minuta, per quæ aliquis ad summam gravem successivè pervenire intendit. Nam qui intendit per actus seorsim venialiter malos damnum grave, peccat mortaliter. Atqui ille, qui eidem domino vult auferre, aut reverà aufert successivè plures materias seu res modicas, per actus seorsim venialiter malos, reverà intendit damnum grave inferre, quia successivè integratur summa gravis; Ergo talis per frequentatos actus, licèt venialiter malos (si singulatim spectentur) peccat mortaliter, quatenus illæ materiæ collectivè spectatæ integrant unam summam gravem. Sed contra

158. Oppones primò, ideo committeretur demum peccatum mortale per furta minuta, quia talis fur sub mortali deberet totam illam notabilem materiam suo domino in natura vel in æquivalenti saltem restituere: sed illa obligatio gravis potest subsistere, quin per furta levia successiva tandem ultimatò peccatum mortale incurratur, ùt docet Navarr. in *Man. cap.* 17. *num.* 139. ubi absolutè negat, ex pluribus venialibus in aliquo casu posse fieri unum mortale. Ergo nostra Conclusio non est admittenda. Resp. tenendo Sententiam Sayri supra *cit. cap.* 14. *num.* 20. (contra opinionem Navarri) in ultimo furto, quo quis pertingit ad materiam gravem seu notabilem, committi peccatum mortale, quatenus illud ultimum furtum continuatur præcedentibus furtis & materiis levibus, & damnum grave complet seu constituit, ita, ut tota materia singulorum furtorum tunc una gravis reputetur. Et quia furtum quis facit non solùm auferendo rem alienam, sed etiam retinendo vel usurpando, peccatum mortale continuatur toto illo tempore, quo durat retentio & non datur causa à restitutione excusans. Neque hoc Sayrus *loc. cit.* limitat in casu, quo quis diversis dominis furando successivè ad materiam gravem pertingit; nam æquè tunc in ultimo furto, materiam gravem respectivè ad præcedentia complente, graviter peccari, & furem sub mortali, ut singulis suum restituat, obstrictum esse contendit. Meritò etiam hic ab opinione Navarri recedimus; si enim, ùt ipse docet, fur hujusmodi sub mortali restituere tenetur, certè mortale peccatum erit materiam ablatam retinere: ergo etiam peccatum mortale erit, per acceptionem ultimi furti materiam gravem, & damnum grave complere. Sed quid si plures sint, qui alicui damnum grave simul scienter inferunt? Omnes reos esse peccati mortalis, subdit Sayrus, etsi singuli parvam quantitatem acceperint, quia omnes simul sunt causa adæquata damni gravis per suum concursum.

159. Oppon. secundò; non est objectum furti ultimi, in quod fur non tendit. Sed fur non tendit in materiam furtorum antecedentium in ultimo furto. Ergo materia furtorum antecedentium nullo modo est

est objectum. Resp. dist. min. non tendit in materiam furtorum antecedentium &c. *formaliter*, transf. non tendit *virtualiter* & *interpretativè* (cùm prævideat, ex damnis prioribus nunc demum compleri aliquam materiam & damnum notabile) sic neg. min. & conseq.

160. Oppon. tertio: Ex ista Sententia sequeretur, quòd Petrus, qui singulis annis per tempus tricennale eidem Domino surriperet unum grossum, in ultimo anno demum accipiendo trigesimum grossum mortaliter peccaret, utpote qui tunc materiam notabilem integraret: sed hoc est perabsurdum, & contra communem Doctorum sensum: Ergo ex complemento damni gravis non rectè infertur commissio gravis peccati.

161. Resp. neg. seq. Maj. quia furta illa in morali æstimatione nec damnum grave inferunt, nec moralem conjunctionem habent tum ob ingens temporis intervallum inter unum & alterum furtum leve: tum ob defectum intentionis, de uno anno in alterum non extensæ, seu continuatæ, uti supponimus.

162. Oppon. quartò. Qui per integrum annum singulis diebùs ex horis Canonicis dimidium Psalmum omittit, in fine anni mortaliter non peccat, & multò minùs tempore aliquo medio, estò omissiones collectim spectatæ unam materiam gravem omissionis constituant, & plurima peccata venialia sibi invicem succedant. Ergo idem dicendum de furtis &c. Sed nec ille tandem in fine quadragesimæ mortaliter peccat, qui singulis diebùs de mane parvam buccellam comedit, tametsi illæ materiæ de se parvæ tandem unam gravem conficiant.

163. Resp. Non esse bonam paritatem: quia in his duobus casibus materiæ parvæ moraliter non uniuntur vel continuantur inter se, cùm spectent ad diversa tempora sub præceptum determinate cadentia, & obligationem singulis diebùs finientia. Aliter res se habet in furtis, utpote per quæ Domino pluribùs actibùs materias leves subtrahentibùs notabile damnum inferri potest. Igitur gnaviter attendendum est, non solùm ad moralem interruptionem actuum, sed etiam ad materiarum naturam, ac præcipuè, utrùm patiantur inter se aliquam continuationem, quam plures etiam extra materiam justitiæ recipiunt. Ut ecce! Petrus in Vigilia alicujus Apostoli ante & post prandium sæpius modicum quid de cibo sumit. Dicendum est, quòd tandem ad aliquam materiam perveniat, quæ cum respectu ad præcedentes materias, quantitatem gravem & peccatum mortale intra speciem intemperantiæ constituit, ùt tenet Sayrus *in Clavi Reg. lib. 2. cap.* 14. aliud exemplum subjungens de eo, qui ex voto quotidie parvam eleemosynam erogare obstrictus, erogationem multis diebùs intermittit; tandem enim & iste ad aliquam omissionem perveniet, quæ materiam voti gravem constituit, & in qua cum ordine ad præcedentes omissiones mortaliter consummatur.

164. Pari modo peccas mortaliter (in istorum Actorum sententia, qui hanc assertionem nobiscum sustinent) si eodem die festivo, absque causa legitimè excusante, sæpiùs opus servile exerceas: item, si ex eodem officio canonico ejusdem diei aliquoties unum Psalmum omittas. Sed, quando scimus v. g. materias furtorum in unam non coalescere, vel plures inter se continuari, ad effectum evitandi peccatum mortale? Resp. continuationem moralem materiarum levium non dari, vel quando intercedit nimis magnum intervallum, vel quando fur imponendo ultimam manum, quâ reverà grave damnum completur, nullo modo furtorum præcedentium ampliùs recordatur: idem statue, si fur serium animum habeat restituendi damna priora, aut actu jam restituerit: tunc enim equidem sub mortali ad compensandum illud damnum grave obstringitur, non tamen illo furto materiæ levis, quo reipsa damnum notabile completur, peccatum lethale committit, cessante nimirum morali iniquæ voluntatis continuatione.

165. Oppon. quintò: Ex multis pœnis finitis, quæ peccatis venialibus correspondent, nequit fieri pœna infinita, peccato tali respondens: ergo etiam ex multis venialibus collectivè sumptis non potest fieri unum mortale, non obstante, quòd ultimum veniale comparetur ad præcedentia, & materiam gravem compleat. Resp. dist. antec. Ex multis pœnis finitis, prout respondent peccatis venialibus distributivè sumptis vel cum interruptione, non potest fieri pœna infinita respondens peccato mortali, conc. antec. prout pœnæ respondent peccatis venialibus collectivè & cum materiarum morali continuatione, non potest fieri pœna infinita respondens peccato mortali, neg. antec. & conseq. Itaque, licèt cuilibet veniali seorsim accepto non debeatur nisi pœna finita, omnibus tamen collectivè & completivè cum ultimo (in quo damnum redditur grave, adeóque & peccatum mortale perficitur) sumptis respondet pœna infinita æternæ damnationis, omnésque effectus peccato mortali peculiares. Deinde nego suppositum, peccato mortali respondere pœnam simpliciter, & actu infinitam, licèt concedam esse *extensivè* & ratione durationis interminabilis syncategorematicè infinitam. Si pœnam damni, quæ in privatione visionis beatificæ consistit, spectes, certum est, quòd talis privatio sit finita, cùm & ipsa visio beatifica ceu forma opposita, subjectivè & entitativè finita sit, licet ad objectum infinitum terminetur. Pœnam sensûs quoque, cùm mediante quadam qualitate dolorifera spiritûs damnatos cruciet, finitam esse physicè, vel inde patet, quòd infinitum creatum in intensione physica absolutè repugnet. Intereà, cùm mali-

malitia peccati mortalis ſit finita, pœna infinita illi correſpondens non foret proportionata. Eſto etiam, quòd ſecundùm multos DD. ratio offenſæ ſit infinita ſimpliciter, reponit tamen *Theolog. Salisb. h. tr. diſp.* 24. *a.* 3. *ſub num.* 4. quòd offenſæ non reſpondeat pœna, ſed ſatisfactio, & ideo ſatisfactio, ut eſſet condigna, debuerit eſſe infinita, ſcilicet per actiones theandricas ſive DEI viriles.

166. De illo actu *volo committere omnia venialia, & ſola mortalia vitare*, concertant Moraliſtæ, an ſit mortaliter peccaminoſus? Verius eſt, ſpeculativè loquendo, hic non peccari mortaliter: nam extra caſum, quo ratione connexionis poteſt fieri materia gravis, ſucceſſiva actualis commiſſio venialium etiam ſyncategorematicè in infinitum, non facit unum mortale; ergo nec voluntas omnia venialia committendi. Nihilominùs, quia etiam unum veniale dicitur eſſe diſpoſitio ad mortale, adinſtar accidentis ad formam ſubſtantialem, ſecundùm DD. cum D. Th. hic *q.* 88. *art.* 3. *ad primum.* Voluntas illa generalis committendi omnia venialia ſine dubio eſt magna diſpoſitio ad mortale, & in praxi ſæpe conjungitur peccato mortali. La Croix *lib.* 5. *n.* 285. *cum ibi citatis.* ubi rectè adnotat, quandóque reſpectu certæ perſonæ unum, vel plura venialia eſſe cauſam periculi proximi incidendi in peccatum mortale; & ideo, talis perſona, hoc ipſo, quòd vellet illud veniale, vel collectionem plurium committere, peccaret mortaliter.

167. Quæres, an fur teneatur ad reſtitutionem totius ſummæ? Negant Sanch. Sporer, Viva &c. cum Lug. Meliùs affirmat P. Babenſtub. *tr.* 7. *Theol. Mor. diſp. p.* 5. *a.* 5. propter propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. numero trigeſimam octavam, nempe hanc: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis:* hæc propoſitio igitur falſa eſt: ergo ejus contradictoria: *Tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta &c.* erit vera: Cùm ergo teneatur reſtituere, quod per parva ablatum, tenetur ad aliquid plus, quàm tantùm ad ultimum parvum furtum, quo priora ad materiam gravem elevabantur, in reſtituendo.

Rurſus (inſtat ille clariſſimus meus quondam in Sac. Theologia Profeſſor) fur non tenetur ſub mortali reſtituere, quod abſtulit per unicum parvum furtum, ſed quod abſtulit per parva, adeóque plura furta, ſi ſumma ablata ſit magna, & notabilis. Atqui id, quod abſtulit per ultimum furtulum, abſtulit per unicum parvum furtum. Ergo non tenetur ad id reſtituendum ſub mortali. Ad quid ergo reſtituendum tenebitur ſub mortali, niſi ad totam ſummam gravem, quæ ex parte per ultimum furtulum ablatâ, & cæteris per priora ablatis, coaluit?

168. Nec inconcuſsè ſtat fundamentum oppoſitum, quando Doctores contrarii obtendunt, poſt ultimum furtum ſublatum, & reſtitutum, notabilem quantitatem rei alienæ à fure non ampliùs retineri: nam contraponitur, quòd præceptum de reſtitutione tanquam explicitè ſeu principaliter affirmativum (de quo ſcripſi infrà in *Tr. de Reſtitut. q.* 1.) obliget ad reſtituendum damnum grave, quod alteri illatum fuit; adeóque non præcisè obſtringet ad non retinendam rem alienam notabilem. Atqui damnum grave in præſenti conſiſtit in tota ſumma, ex omnibus modicis furtulorum materiis moraliter coalitâ. Ergo tota ſumma ſeu quantitas reſtitui debet. Confirmat hanc Sententiam Magnific. P. Benedictus Petſchacher *Tract. de Reſtit. quæſt.* 6. *p.* 531. ex præceptis affirmativis impoſitis de recitando Breviario, vel audienda Miſſa, quibus non ſatisfit, ſi recitetur pars de Breviario, vel audiatur pars Miſſæ. Unde ſicut in iſtis parvitas materiæ deſumenda eſt ex proportione ad materiam, ita, ut aliquis à gravi obligatione non liberetur recitando tres partes breviarii, aut duas partes audiendo de Miſſa; ſic & in præſenti non liberatur à gravi obligatione reſtituendo tres partes v. g. aurei ſucceſſivè ablati, & retinendo quartam. Limitat autem Petſchach. ſuam concluſionem, dicendo, debere reſtitui totum, ſaltem *moraliter:* ſi enim, ait, non reſtituatur pars, quæ reſpectu debiti eſt levis, non erit, niſi leve, illam retinere. Verùm, an hæc clauſula ſit recipienda, diſceptare non lubet.

169. Alia notamina utilia ſubjicit: e. g. primò: faciliùs committi mortale, ſi quis ſimul magnam auferat quantitatem, quàm ſi ſucceſſivè; eò quòd Dominus in tali ſimultanea acceptione magis invitùs cenſeatur. Et licet nonnulli exiſtiment, requiri in furtis ſucceſſivis quantitatem dimidiò majorem, id tamen judicandum erit vel ex temporis intervallo, vel ex advertentia ipſius furantis, vel ex damno illato, vel ex prudentûm arbitrio.

170. Secundò: ex communi Doctorum, majorem quantitatem, ut furtum ab uxore, liberis, vel famulis domeſticis commiſſum fiat mortaliter grave, requiri: quia quoad tales perſonas dominus eſt rationabiliter minùs invitus: non tamen æqualiter: nam minùs eſt invitus rationabiliter, ſi uxor, vel liberi aliquid clàm ſurripiant, quàm ſi alii propinqui: & minùs, ſi propinqui, quàm famuli: item minùs eſt invitus, ſi famulus ſibi charior aliquid uſurpet vel contrectet, quàm minùs charus, attamen etiam circa prænominatas perſonas, quando furta peccatum leve excedant, nulla regula uniformis ac certa tradi valet, ſed itidem confugiendum ad judicium prudentûm cum perpenſione circumſtantiarum, & reflexione ad divitias, liberalitatem vel parcitatem Domino aſſuetam: item ad modum & finem accipientium, ac qualitatem rerum: ſiquidem minùs communiter inviti ſunt Domini, ſi ſa-

si famuli aut famulæ ex. gr. panem, vinum, cerevisiam, aliáve esculenta & poculenta subtrahant, quàm si pecunias, vestes, & similia: siqùe talia in proprios usus accipiant, quám si aliis extraneis dispendant.

171. Tertiò: secundùm tradita à Lessio, & de Lugo apud laudatum Petschach. *p.* 534. uxor nequidem venialiter peccat, consequenter nec ullo modo furtum committit, faciendo donationes & eleemosynas ex bonis dotalibus vel utrique conjugi communibus, si id fiat secundùm consuetudinem aliarum fœminarum suæ conditionis: quia ista facere posse spectat ad congruam sustentationem uxoris, quam ei maritus debet. Adde, quòd uxor non sit serva, sed socia etiam administrationis, licèt constituta sub viri potestate, unde nec peccat aliqua expendendo pro aversione damni sive spiritualis sive temporalis à marito, aut in res necessarias familiæ &c.

172. Quòd prætereà is, qui pluribus Dominis modicum quid furari intendit, peccet mortaliter, & post ablationes realiter factas ad restitutionem obstrictus maneat, de communi Doctorum calculo testatur Theologia Moralis Salisburg. *cit. tr. de J. & J. disp.* 5. *n.* 24. cumTheol. Scholastica *ibid. tr.* 12. *disp.* 40. *art.* 2. *n.* 5. Nequit enim intentio, alienis Dominis gravem quantitatem auferendi, non esse graviter peccaminosa. Accedit, quòd non solùm Domini particulares sint maximè inviti (licèt singuli forsan parvum damnum passi sint) sed etiam respublica, quæ exinde grave patitur incommodum; nam respublica ex tali summa, quæ ex pluribus defraudationibus minutis in magnam coaluit, aliquid notabile efficere posset, v. g. salarium, vel simile aliquid. Sique tales acceptiones parvæ tantùm leviter forent prohibitæ, aperiretur via furtis, fraudibus, nec non falsificationibus ponderum, mensurarum, mercium &c. ac consequenter fides & securitas in contractibus & commerciis tollerentur. Quo respicit illud *Prov.* 11. *Statera dolosa abominatio est apud DEUM:* & *Deut.* 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus &c. abominatur enim DEUS eum, qui facit hoc.* De malè ablatis, & qualiter sint restituenda, scripsi in *Tr. de Piis Causis q.* 4. *& seq.* Et de furtorum materia gravi *Tract. de J. & J. q.* 13. Et *in lib. V. Decretal. tit.* 18.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

### *An omnia peccata sint connexa?*

173. Conclusio statuitur negativè, ejúsque sensus est, peccata, præsertim mortalia, non ita inter se connexa esse, ut unica malitia omnium aliorum malitias post se trahat. Prob. primò ab eodem D. Th. *in* 2. *q.* 72. *a.* 1. ex eo, quòd peccata sint sibi sæpe contraria, ùt notat Aristot. 2. *Eth. c.* 8. est autem impossibile, ut contraria sint inter se necessariò connexa. Certè, qui laborat vitiô avaritiæ, non erit subjectus vitio prodigalitatis: alioquin esset simul tenax in retinendo, & simul profusus in elargiendo. Ergo non omnia peccata sunt sibi connexa. Secundò ex diversa natura vitii & virtutis. Nam virtutes ideo sunt connexæ, quia unum intendunt, videlicet sequi regulam rationis; econtra intentio peccantis non intendit unum, cùm non intendat recessum à ratione, sed bonum delectabile, quod est diversum & quandóque contrarium; & ab hoc speciem sortitur. Igitur vitia non sunt necessariò connexa; alioquin & ipsorum objecta, à quibus speciem accipiunt, ùt eleganter explicatur *in* 2. 2. *q.* 72. *a.* 1. connexa esse oporteret.

174. Dices primò: Peccatum secundùm D. Ambrosium *lib. de Paradis. cap.* 8. est transgressio Legis Divinæ & cœlestium inobedientia mandatorum: ergo, quicunque peccat in uno, subjicitur omnibus peccatis conformiter scilicet ad illud *Jacob. cap.* 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Resp. ex D. Th. *cit. q.* 73. *a.* 1. *ad* 1. textum Jacobi, cui inniti videtur textus Ambrosii, non loqui de peccato ex parte conversionis, in qua consideratione peccata distinguuntur; sed loquitur de peccato ex parte aversionis, in quantum scilicet homo peccando recedit à legis mandato. Cúmque omnia legis (Divinæ scilicet) mandata sint ab uno & eodem, ideo idem DEUS contemnitur in omnibus peccatis. Et in hoc sensu dicit Jacobus, quòd offendens in uno factus sit omnium reus: quia scilicet uno etiam peccato incurrit reatum ex hoc, quòd DEUM contemnat, ex cujus contemptu omnium peccatorum reatus provenit. Adde ad mentem S. D. quòd unicum peccatum mortale peccantem æquè à DEO ùt summo Bono finéque ultimo avertat, gratiáque & charitate, à qua cuncta pendent, quæque est finis totius legis importantis collectionem omnium præceptorum, privet, & damnationis æternæ reum faciat, ac si omnia peccata incurrisset.

175. Dices secundò: Inter ea datur connexio, quorum unum non potest tolli sine altero: At unum peccatum mortale nequit tolli absque altero: alioqui posset peccator justificari, deletò unô peccatô, & altero remanente, adeóque esse justus simul & injustus, gratus simul & exosus DEO: Ergo &c. Resp. dist. Maj. Inter ea datur connexio, quorum unum nequit tolli sine altero, datur connexio vel *secundùm quid*, vel *simpliciter*, Conc. semper *simpliciter*, nego Maj. & conced. min. Ad conf. dico, inter mortalia peccata dari connexionem aliquam similitudinariam & secundùm quid talem, scilicet in remittendo & absolvendo, in quantum stante

ſtante averſione à DEO, quæ durat ratione unius etiam peccati per pœnitentiam & gratiæ infuſionem nondum expiati, non habet locum juſtificatio à quolibet alio: non verò in contrahendo & ligando, quaſi malitiæ omnes inter ſe ita eſſent concatenatæ, ut unâ contractâ, reliquæ quoque eò ipsò contraherentur.

176. Dices tertiò: Rationem S. Thomæ non ſatis convincere: ſupponit enim, virtutes inter ſe connecti, eò quòd unum intendant, videlicet ſequi regulam rationis. Contrarium autem potiùs oſtenditur tum ex eo, quòd homo in actibus alicujus poſſit exercitari, quin exerceatur in actibus alterius virtutis: tum ex everſione ſuppoſiti: nam virtutes morales ideo forent connexæ, quia connecterentur in prudentia: hoc autem ad virtutum connexionem ſufficere haud videtur: poteſt ſiquidem aliquis eſſe prudens circa agibilia, quæ pertinent ad unam virtutem, absque eo, quòd ſit prudens in his, quæ ad aliam pertinent: quemadmodùm poteſt quiſpiam artem habere circa aliqua factibilia, absque hoc, quòd artem habeat circa alia: Prudentia autem eſt recta ratio agibilium. Igitur non eſt neceſſe, virtutes morales connecti ex eo, quòd unum intendant, & regulam rationis ſequantur.

177. Huic argumento ſatisfacit D. Th. *in* 1. 2. *q.* 65. *a.* 1. *in C.* dicendo, virtutem moralem (loquimur autem de connexione virtutum moralium ordinis naturalis actibûs noſtrîs acquiſitarum, & non de ſupernaturalibus, quæ ſimul cum gratia & charitate infunduntur) ſumi poſſe vel pro perfecta, vel pro imperfecta. Imperfecta ex. gr. virtus temperantiæ, fortitudinis &c. nihil eſt aliud, quàm aliqua inclinatio in nobis exiſtens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum; ſive talis inclinatio ſit in nobis à natura ſive ex aſſuetudine. Et hoc modo accipiendo virtutes morales non ſunt connexæ: videmus enim, aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua conſuetudine eſſe promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non eſt promptus ad opera Caſtitatis. Perfecta autem virtus moralis eſt habitus inclinans in bonum opus bene agendum. Et ſic accipiendo virtutes morales dicendum eſt, eas connexas eſſe.

178. Cujus ulteriorem elucidationem exhibet D. Gregor. Magn. *lib.* 22. *Moral. cap.* 1. ibi: „Quisquis virtute aliqua pollere di-„ citur, tunc veraciter pollet, cùm vitiis ex„ aliqua parte non ſubjacet; nam ſi ex alio vi-„ tiis ſubditur nec hoc eſt ſolidum, ubi ſtare„ putabatur. Unaquæque enim virtus tan-„ tò minor eſt, quantò deſunt cæteræ: nam„ ſæpe quosdam pudicos quidem vidiſſe nos„ contigit, ſed non humiles: quosdam ve-„ rò quaſi humiles, ſed non miſericordes;„ quosdam quaſi miſericordes, ſed nequa-„ quam juſtos; quosdam verò quaſi juſtos,„ ſed in ſe potiùs, quàm in Domino confi-„ dentes.„ Et certum eſt, quòd nec caſtitas in ejus corde vera eſt, cui humilitas deeſt: „quippe quia ſuperbia ſe intrinſecùs cor-„ rumpente, fornicatur, ſi ſemetipſum dili-„ gens à Divino recedit amore. Nec hu-„ militas vera eſt, cui miſericordia juncta„ non eſt: nec debet humilitas dici, quæ ad„ compaſſionem fraternæ miſeriæ neſcit in-„ clinari. Nec miſericordia vera eſt, quæ„ à rectitudine juſtitiæ exiſtit aliena; quia„ quæ poteſt per injuſtitiam pollui, neſcit,„ procul dubio ſibi ipſi miſereri. Nec juſti-„ tia vera eſt, quæ fiduciam ſuam non in con-„ ditore omnium, ſed in ſe fortaſſe, aut in„ rebus conditis ponit: quia dum à Creato-„ re ſpem ſubtrahit, ipſi ſibi principalis ju-„ ſtitiæ ordinem pervertit. Una itaque vir-„ tus ſine aliis aut omnino nulla eſt, aut im-„ perfecta. Ut enim, ſicut quibusdam vi-„ ſum eſt, de primis quatuor virtutibus lo-„ quar; prudentia, temperantia, fortitudo,„ atque juſtitia, tantò perfectæ ſunt ſingulæ,„ quantò viciſſim ſibimet conjunctæ. Dis-„ junctæ autem perfectæ eſſe nequaquam„ poſſunt: quia nec prudentia vera eſt, quæ„ juſta, temperans, & fortis non eſt, nec„ fortitudo integra, quæ prudens, tempe-„ rans, & juſta non eſt; nec vera juſtitia,„ quæ prudens, fortis, & temperans non eſt.„ Hæc Gregorius non minùs eleganter quàm magiſtraliter, nempe pro more ſuo, eminens in Moralibus Doctor.

# QUÆSTIO DUODECIMA.

## *Utrùm omnia peccata ſint æqualia?*

179. Concluſio eſt negativa contra errorem Stoicorum. D. Th. *in* 1. 2. *q.* 73. *a.* 2. Et *de mal. q.* 2. *a.* 9. Et communis. Conſtat primò ex Scriptura *Joan.* 19. *Qui me tradidit tibi* (ajebat Innocens Salvator ad iniquum Pilatum) *majus peccatum habet.* Secundò ex eo, quòd libido ſit cauſa peccati ſecundùm D. Auguſt. *lib. de lib. arbit. c.* 3. ſed non omnis libido eſt æqualis. Ergo nec omnia peccata ſunt æqualia. Tertiò ex ratione, quòd per unum peccatum recedatur magis à ratione, & ab excellentiori virtutis cujusdam honeſtate, quàm per aliud; & quòd privatio hìc ſuſcipiat magis & minùs, quatenus per unum peccatum non fit receſſus à tota rectitudine, quæ poteſt eſſe debita in eſſe actui: datur enim in actu humano, ſaltem ùt genericè ſpectatô, debitum aliquod conditionatum, ut, quoties ſe ad novam materiam extendit, eidem honeſtas virtutis talis materiæ potiùs inſit, quàm privatio & malitia oppoſita.

180. Subtiliter hoc illuſtrant Salmantic. *h. tr. diſp.* 9. *dub.* 1. *num.* 16. ſic diſcurrendo: ſicut

ficut actus, qui solùm versatur circa materiam justitiæ, & in hac materia est inordinatus, non habet aliam malitiam præter malitiam injustitiæ; ita carentia rectitudinis, quam habet, non est propriè privatio, nisi respectu rectitudinis justitiæ: respectu verò rectitudinis aliarum virtutum, quamvis eam non habeat, non est propriè *privatio*, sed *nuda carentia*, ùt omnes concedunt; non alia ratione, nisi quia, dum actus non egreditur materiam justitiæ, non debetur ei rectitudo alterius virtutis: si autem prædictus actus extendat se ad materiam religionis (putâ, quia pertinet ad res sacras) si in hac materia fuerit etiam inordinatus, & habuerit malitiam irreligiositatis, eò ipsò ratione materiæ debetur ei jam talis rectitudo: atque hoc modo, proportione servata, quot fuerint materiæ virtutum, ad quas prædictus actus se extenderit, tot poterit habere privationes rectitudinis talium virtutum, quas sanè non haberet, si prædictas materias non attingeret; non quia haberet formam oppositam seu rectitudinem; sed quia non haberet *debitum habendi talem formam;* & ideo, quamvis illâ careret, hæc carentia non esset propriè privatio, sed negatio: Ergo universaliter verum erit, quòd sicut actus peccaminosus semper potest ad plures materias vel circumstantias extendi; ita semper possit crescere secundùm debitum habendi ex illis plus minus rectitudinis, atque adeò etiam in talis rectitudinis privatione incrementum capere. Per hanc illustrationem satisfit non tantùm Stoicis, sed & aliorum quorundam Crisi, speciatim Gabrielis Vasquez hic *disp.* 99. *cap.* 1. rationi D. Thomæ, privationes in moralibus magis & minùs suscipere docentis, suo calculo minimè applaudentium. Cæterùm, licèt nostra Sententia inter Catholicos sit receptissima, non tamen est à gravi impugnatione æquè tuta.

181. Impugnatur enim primò sic. Peccata virtutibus opponuntur: at virtutes omnes sunt æquales, juxta illud Apoc. 21. *Latera civitatis sunt æqualia:* Ergo & omnia peccata sunt paria.

182. Secundo. Pœnæ correspondent culpæ: atqui omnium peccatorum erit una pœna in inferno secundùm illud Isa. 24. *Congregabuntur in Congregatione unius fascis, & claudentur in carcere:* Ergo etiam omnium peccatorum eadem censetur esse gravitas.

183. Tertiò. Magnitudinem peccati ostendit magnitudo remedii, quatenus nempe oportuit illud morte Christi redimi: Si ergo idem remedium fuerit adhibitum contra omnia peccata, omnia erunt pariter magna.

184. Quartò. Peccatum consistit in aversione à summo & incommutabili bono, & conversione in bonum commutabile. Hujusmodi autem aversio, aut conversio, non recipit magis & minùs. Ergo &c.

185. Quintò. Unum infinitum non potest esse majus altero. Peccatum mortale est infinitum, quia est contra bonum infinitum, quod est DEUS; unde & pœnam infinitam meretur. Ergo unum mortale non est majus altero.

186. Sextò. Genus æqualiter participatur à suis speciebus. Peccatum est genus omnium peccatorum: Ergo omnia peccata sunt æqualia, & æqualiter peccat, quicunque peccat.

187. Septimò. Ideo privatio in actibus peccaminosis posset suscipere magis & minùs, quia esset privatio *in fieri*, seu in corrumpi & non totalis, non autem esset privatio *in facto esse*, seu *totalis*, ùt sonat Doctorum distinctio. Atqui prædicta privatio est totalis & in *facto* seu *corrupto esse*: nam illa privatio dicitur esse in *fieri* seu *non totalis*, quæ non tollit vel corrumpit totam formam, sed relinquit aliquid in subjecto, cujus exemplum affert D. Thom. in 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *in Corp.* in ægritudine, quæ quidem privat (id est privando tollit) debitam commensurationem humorum, ita tamen, ut aliquid ejus remaneat, alioquin non remaneret animal vivum; & simile exemplum esse, ait, in turpitudine, quæ plùs minùsve recedit â debita membrorum commensuratione. Econtra illa privatio dicitur in *corrupto* seu in *facto esse* ac *totalis*, *pura*, *& simplex*, quæ in suo subjecto nihil prorsus relinquit de forma opposita, sed totaliter eam expellit, ita, ut non suscipiat magis & minùs: cujus exemplum D. Th. *loc. cit.* monstrat in morte, quæ est privatio vitæ: *Non enim minùs mortuus est aliquis, inquit, primo die mortis, & tertio vel quarto, quàm post annum, quando cadaver jam fuerit resolutum. Et similiter non est magis tenebrosa domus, si lucerna sit operta pluribus velaminibus, quàm si sit operta uno solo velamine totum lumen intercludente &c.* Subsumo: Privatio afficiens actum peccaminosum, formam oppositam, putà, rectitudinem, seu bonitatem moralem totaliter tollit; alioquin si aliquid rectitudinis vel bonitatis relinqueret, actus foret simul bonus & simul malus. Ergo privatio afficiens actum peccaminosum, est privatio in facto, & in corrupto esse, adeóque totalis.

188. Ad prim. Resp. virtutes omnes esse æquales non quantitate, sed proportione (cùm secundùm Apostolum major sit charitas) in quantum unaquæque æqualiter se habet ad suum actum; sicut si quis diceret, omnes digitos manûs esse æquales, scilicet proportione, non quantitate. Peccata autem nec sunt proportione paria; quia non dependent ex una causa, sicuti virtutes, quæ dependent omnes ex prudentia vel charitate, cùm econtra peccatorum diversæ sint radices. S. Thom. *de Mal. qu.* 2. *art.* 9. *ad* 8.

189. Ad secundum Resp. Supplicium damnatis omnibus commune esse quantum ad carentiam visionis beatificæ, & perrennitatem pœnæ, quæ respondent contemptui DEI: & quoad hoc intelligitur illa congregatio in unum fascem: differt autem illud suppli-

supplicium, in quantum quidam magis torquentur quàm alii; de quo Christus Dominus apud *Matb.* 13. intelligendus, dum dicit, malos colligari sicut zizaniorum fasciculos ad comburendum S. Doct. *loc. cit. ad* 3.

190. Ad tertium Resp. S. Doct. *loc. cit. in Solut. ad* 11. quòd omnibus peccatis mortalibus oportuerit subveniri per mortem Christi propter gravitatem, quam habent ex contemptu Boni infiniti; hunc tamen contemptum posse majorem esse in uno peccato, quàm in alio. Inde

191. Ad quartum eadem redit responsio, quòd sicut contemptus, ita & aversio à summo bono possit esse major vel minor.

192. Ad quintum Resp. negando, peccatum esse in se ac intrinsecè infinitum etiam in ratione offensæ, licèt habeat quandam infinitatem extrinsecam ratione objecti infiniti, in quantum offendit DEUM, & peccantem ab illo avertit. Audi D. Thom. *loc. cit. ad* 5. dicentem, quòd à bono infinito aliquis avertatur actu finito; & ideo peccatum essentialiter finitum est, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.

193. Ad sextum Reponit idem S. D. *ibid. in Solut. ad* 16. quòd omnia animalia sint æqualiter animalia, non tamen sint æqualia animalia; quandoquidem unum est majus ac perfectius altero: & sic similiter non oporteat, omnia peccata mortalia esse æqualia quoad speciem, licèt in genere peccati æqualiter conveniant.

194. Ad sept. patet solutio ex nostra probatione ultima. In forma ad subsumpt. conc. inprimis, nihil rectitudinis remanere in actu peccaminoso; sed nego suppositum ad anteriorem explicationem, id sufficere, ut privatio aliqua dicatur *in facto esse*, quæque minùs vel magis suscipere nequeat. Nam præter hoc, quòd nihil remaneat rectitudinis, requiritur ulteriùs, ut non detur debitum conditionatum ad aliam insuper habendam rectitudinem; hoc autem debitum in quovis actu peccati reperitur, qui sicut semper adhuc servat aliquem ordinem ad rationem, & ad plures virtutum materias vel circumstantias se extendere valet, ita semper potest crescere *in debito habendi* ex illis materiis sive objectis motivis plus & plus rectitudinis, adeóque etiam in talis rectitudinis privatione augeri, sicut exemplum dedimus de actu injustitiæ se extendente in materiam religionis, & hujus privationem contrahente.

195. Cæterùm, etiam unam omissionem posse gravius peccatum esse quàm alteram, patet similiter ex inæqualitate rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, qui illicitè omittuntur: alia siquidem omissio est in materia Religionis, alia in materia charitatis, alia in materia justitiæ &c.

# QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

## *Utrùm idem numerò Actus Humanus possit simul esse bonus, ac simul malus?*

196. ISta Quæstio communiter proponitur in *Tract. de Act. Human.* à nobis studiò huc reservata, cujus sensus est, an idem physicus voluntatis actus in esse moris possit constitui in duplici specie formali, ut ex. gr. ratione objecti possit continere in se bonitatem moralem, ac simul ratione finis, vel alterius circumstantiæ, habere malitiam moralem formalem.

197. Conclusio nostra est negativa. Ita cum S. Thom. communis, præsertim Salmanticenses & nostri Salisburgenses: Recentiores quoque ùt Suarez *de Act. Hum. disp.* 8. *sect.* 1. Probant hanc Conclus. Salmanticenses primò ex illo 2. ad Corinth. 6. v. 14. *quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* Quasi dicatur, impossibile esse, ut idem actus sit bonus & malus, & mixtus ex æquo & iniquo. Hinc & D. Dyonis. *cap.* 4. *de Div. Nominib.* bonum ait, non contingere, nisi ex una tota, & integra causa, malum verò ex multis & quibusvis defectibus. Secundò à simili de Sagittario, cui certè impossibile est, ut scopum præfixum attingat, & simul ab eo deviet: Ergo & homini deliberatè agenti impossibile erit, ut eodem actu regulam rationis rectæ attingat & simul ab eadem deficiat; ut illi conformetur tanquam mensuræ actûs moralis, ac simul & semel difformitatis redargui possit. Quò pertinet, quod tradit Div. Thom. in 2. *Ethic.* 5. facile est, recedere à contactu signi, id est, puncti, sive in centro circuli sive in quacunque alia superficie, determinatè signati: sed tangere signum difficile est; quia contingit uno modo. Manifestum est autem, quòd superabundantia & defectus ad malitiam, medietas autem ad virtutem pertinent; quia boni sunt aliqui simpliciter, id est, uno modo, sed mali sunt multifariè, id est multipliciter.

198. Prob. tertiò, in exemplum adducendo actum eleemosynæ, quam aliquis propter captandam inanem gloriam dispensat. Hic actus secundùm Adversarios foret bonus, propter objectum & finem intrinsecum, qui est sublevatio indigentis subsidiô; ac simul malus, propter adjunctum finem extrinsecum rationi difformem, scilicet propter vanam gloriam. At, quòd sit simpliciter malus, nec secundùm quid bonus, inprimis docet clare D. Thom. in 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 7. *ad* 2. sic dicens: *Voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi: qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id, quòd de se bonum est sub* ratio

*ratione mali*, *& ideo prout est volitum ab ipso, est malum*; *unde voluntas ejus est mala.* Et in *solut. ad tertium ibid.* subdit, quòd ad hoc, ut voluntas sit bona, requiratur, quòd *sit bona sub ratione boni*, *id est*, *quòd velit bonum*, *& propter bonum:* certè non propter aliud, quàm propter bonum honestum, & rectæ rationi conveniens.

199. Deinde id ipsum satis constat non solùm ex ratione generali, quâ malum dicitur ex quolibet defectu, bonum verò ex integra causa; ac demùm circumstantia finis mali transire in rationem objecti, & actum, cæteroquin ex fine vel bonum vel indifferentem secundùm speciem, ultimatò ad speciem mali in genere moris determinare; sed etiam ex Divino Christi oraculo, quo eleemosyna, oratio, & jejunium (non obstante, quòd quodlibet eorum sit opus ex objecto suo honestum, & aptitudinaliter meritorium) improbantur, si ex circumstantia finis extrinseci defectu morali laborent, & intentio operantis v. g. ad placendum hominibus, & captandam vanam gloriam collimet: *Cùm verò facis eleemosynam* (ait Salvator Math. 6. v. 2.) *noli tubâ canere ante te*, *sicut hypocritæ faciunt in synagogis*, *& in vicis*, *ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.* Ampliùs vers. 5. *Et cùm oratis*, *non eritis sicut hypocritæ*, *qui amant in Synagogis & in Angulis platearum stantes orare*, *ut videantur ab hominibus &c.* Et vers. 16. simile quid adjungitur de jejunantibus, ne fiant tristes sicut hypocritæ, qui *facies suas exterminant*, *ut appareant hominibus jejunantes &c.* Paulò inferiùs ratio improbandi insinuatur, & in defectum legitimæ ac honestæ intentionis refunditur. *Lucerna*, inquit, *corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex*, *totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam*, *totum corpus tuum tenebrosum erit &c.* quo loco ex SS. Patrum interpretatione per lucernam recta operantis intentio intelligitur; & per reliquum corpus rectitudo actionum per ordinem ad finem rectè intentum. Contra nostram Conclusionem pugnat inter alios Card. Cajet. in *Commentar. ad q.* 18. hic *art.* 8. & 9. & *tom.* 1. *Opusculorum*, *opusc.* 31. *resp.* 14. item Lorca, Granados &c. allegati à Salmantic. *Tract. de Actib. Hum. disp.* 5. *dub.* 1. *num.* 20.

200. Opponunt primò: ipsum Div. Thomam in 2. *dist.* 36. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 1. *Illa bonitas*, ait, *quæ est ex genere*, *manet in actu*, *quantumcunque per alias circumstantias indebitas deordinetur.* Similia videre licet *cit. quæst.* 18. *art.* 4. *ad* 3. Unde bonitas propter finem vitiosum non censetur universim vitiari. Resp. quandóque bonitatem manere in actu interno, in quantum ipse præcisè comparatur ad bonitatem objectivam actûs externi *moraliter* materialiter sumptam, prout nempe est appetibilis de se & apta, ut à ratione approbetur, & à voluntate ex fine seu motivo honesto appetatur; non verò in actu per circumstantias indebitas deordinato manere bonitatem *moralem formalem* aliquam, id est, talem, quæ hic & nunc dependenter à concursu omnium circumstantiarum, secundùm prudentis judicium necessariarum, honestè à voluntatis actu interno appetatur, vel in istum hoc modo refundatur. Hanc distinctionem Salmanticens. *cit. disp.* 5. fusiùs exponunt.

201. Oppon. secundò. Dives pauperi indigenti tenetur subvenire, & præceptum eleemosynæ implere: similiter debitor, ut satisfaciat præcepto justitiæ, tenetur pecunias v. gr. mutuò sibi datas creditori secundùm leges contractûs restituere &c. utérque bene agit; quia præcepto se conformat, illúdque implet, nihil obstante, quòd motivum vel circumstantia finis mali, v. gr. vanæ gloriæ concurrat. Ergo talis elargitio eleemosynæ ex una parte est bona, ex altera simul mala; ac idem erit de solutione pecuniæ, sive spectemus actum internum sive externum. Resp. repetendo priorem distinctionem, quòd prædicti & his similes actus sint moraliter *materialiter* boni, non item *formaliter:* nam præcepta, quibus ipsi præcipiuntur, præscindunt à *modo* & intentione implendi, & cadunt tantùm supra substantiam actûs externi, sive supra ipsam rem præceptam: cúmque tales actus externi procedant cum dependentia ab actibus internis voluntatis contra dictamen prudentiale, quod dictat, actiones humanas deliberatas non in finem rationi difformem, sed consonum esse referendas, certum est, eos esse *formaliter malos* & quidem simpliciter, adeóque nec secundùm quid formaliter bonos.

202. Oppon. tertiò. Qui largitur eleemosynam indigenti, vel ponit actum consonum legi misericordiæ, vel non consonum? Si consonum ponit; ergo actus erit *moraliter formaliter* bonus, in quantum legi misericordiæ conformatur; & sic, quia lex est quædam recta ratio, actus ille rectæ rationi consonabit. Quia tamen finis inanis gloriæ simultaneè influit, elargitio eleemosynæ ex una parte erit formaliter moraliter bona, ex altera parte moraliter formaliter mala. Si verò non ponatur actus legi misericordiæ conformis, per illum lex non impletur. Ad hoc Respondent Salmanticens. *de Actib. Hum. disp.* 6. *n.* 24. quòd si nomine legis intelligatur judicium prudentiæ vel synderesis, quæ sunt regula moralis bonitatis, actus ille eleemosynæ neutri conformetur, nec per hujusmodi elargitionem legi, dictanti prudenter operari, satisfiat. Si verò nomine legis intelligatur præceptum superioris ùt præcisè importat vim *graviter obligandi solùm quoad materiam misericordiæ*, tunc, ajunt, talem actum posse dici conformem legi misericordiæ quoad *rem præceptam*, non autem quoad *finem & modum* seu *formam* legis, vel quoad intentum præcipuum legislatoris. Attamen per talem elargitionem lex eleemosynæ adimpletur, quia

ctio in pluribus aliis legibus *modus* actûs & intentio Legislatoris sub legem cadant, non tamen hoc ita se habet in lege erogandæ eleemosynæ, exercendæ justitiæ &c.

203. Si instes, cur ergo erogatio eleemosynæ legi misericordiæ non debeat esse *formaliter* conformis, cùm tamen lex illa sit recta ratio? Resp. Legem eleemosynæ esse rectam rationem eo sensu tantùm, quòd modô ordinatô & in ordine ad finem honestum præcipiat. Ex quo proinde non inferas, *modum* quoque & finem honestum, ut largitioni eleemosynæ adjungatur, præcipi. Replicatur enim, quòd quidem quævis lex, utpote sancta & honesta, in ordine ad finem honestum præcipiat, quidquid præcipit; non tamen quælibet lex præcipiat, ut ipsa res præcipua propter finem honestum fiat. Hinc, qui facit rem, quam lex intendens bonum finem præcipit, etiamsi non faciat propter bonum finem, quem lex respicit, conformatur adhuc cum illa quoad rem præceptam. Ratio est, quòd intentio Legislatoris & finis legis ùt plurimùm ad *rem præceptam non pertineant, sed ad modum præcipiendi*, & ideo sub præcepto legis non contineantur.

204. At, numquid intentio Legislatoris eò respicit, ut subditi legis evadant *formaliter* virtuosi, & lex eos dirigat, ut actus morales, honestè ac debito modo fiant? Respondetur cum Salmanticens. *loc. cit.* ita equidem esse, non tamen totum hoc præstari unica lege, sed pluribus: hincque una lege præcipi *substantiam* & *materiam* actûs, qui erit bonus, si debito modo fiat; & aliâ præcipi, ut talis actus non nisi debito modo fiat. Unde (concludunt) qui ponit materiam actûs boni, at non debito modo, satisfacit præcepto primæ legis, & delinquit contra secundam. Quia verò recta ratio, quæ est moralis regula, utramque regulam, primam quasi de materiali, & secundam de formali includit, nullus actus dici potest formaliter rectæ rationi conformis, nisi per illum utrique legi satisfiat.

205. Nota ex 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 7. *in Corp.* cùm per charitatem homo in ultimum finem dirigatur, nulla potest absque illa vera virtus esse. „Sicut duplex est finis, unus „ultimus, & alius proximus: ita etiam du„plex bonum: unum quidem ultimum & „universale, & aliud proximum & particu„lare. Ultimum quidem & principale bo„num hominis est DEI fruitio, secundùm „illud Psal. 72. *Mihi adhærere DEO bonum „est:* & ad hoc ordinatur homo per charita„tem. Bonum autem secundarium & quasi „particulare hominis potest esse duplex: „scilicet verum, & apparens &c. illud est „verum bonum, in quantum est ordinabile „ad principale bonum, quod est ultimus fi„nis. Et virtus, quæ non est ad hoc bo„num, non erit vera, sed falsa similitudo „virtutis. Sicut non est vera virtus avaro„rum prudentia, quâ excogitant diversa genera lucrorum: & avarorum justitia, quâ „gravium damnorum metu contemnunt „aliena: & avarorum temperantia, quâ lu„xuriæ, quæ sumptuosa est, cohibent appe„titum: & avarorum fortitudo, quâ, ut „Horat. ait *l.* 2. *Epist.*

*Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes.*

Et ad *cit. art.* 7. dicit, sine charitate posse quidem aliquem actum esse bonum ex suo genere, non tamen perfectè bonum: *quia deest debita ordinatio in ultimum finem.* Et ad 2. dicit, quòd cùm finis se habeat in agibilibus, veluti principium in speculabilibus, sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio de primo & indemonstrabili principio, sic non possit esse vera justitia vel castitas simpliciter, si desit debita ordinatio in finem, quæ est per charitatem, quantumcunque aliquis se rectè circa illa habeat. Et *art.* 8. *ad* 1. Resp. quòd charitas sit forma aliarum virtutum, non quidem exemplariter aut essentialiter, sed magis effectivè, in quantum scilicet omnibus formam imponit, eos ordinando in finem ultimum: Et quia ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum imperando ipsos.

206. Oppones quartò. Actus, per quem augetur seu magis intenditur habitus v. g. misericordiæ, justitiæ &c. non potest non esse moraliter formaliter bonus. Per actum eleemosynæ, aut justitiæ cum vana complacentia exercitæ, habitus misericordiæ, uti & justitiæ, augetur, & magis intenditur, eò quòd aliquis exinde reddatur promptior ad similes actus: Ergo &c. Resp. neg. min. & ad rationem adjectam dico cum Theol. Salisb. & Magnif. P. Petschacher, per ejusmodi actus habitum virtutis *positivè* non intendi, quasi intrinsecum quoddam augmentum vel confortationem recipiat, sed *negativè* duntaxat, per quamdam remotionem impedimentorum, quæ aliàs ex parte subjecti remorantur. Hoc P. Petschacher explanaturus observat, quòd habitus seu virtus moralis ex. gr. misericordiæ duo præstet: primò concurrit per se ad actus ex motivo misericordiæ directè & formaliter elicitos vel eliciendos: secundò removet impedimenta ex parte materiæ, quæ actus misericordiæ redderent difficiles. Primum concursum habitus misericordiæ, quando ejus actus elicitur ex vana gloria, nec præstat *per se*, nec *per accidens:* secundum verò præstat *per accidens;* quia dum removendo ex parte materiæ impedimenta potentiam *per se* disponit ad proprium actum, *per accidens* eandem reddit *negativè* facilem ad actus in materia similes.

207. Oppon. quintò: Accedens ad Sacramentum v. g. Eucharistiæ cum quadam vana gloria pietatis suæ accipit gratiam. Ergo actus frequentandi hoc Sacramentum simpliciter non vitiatur, sed tantùm secundùm quid. Resp. neg. conseq. Quia gratia, quam talis

talis recipit, datur ipsi ex *opere operato*, ex efficacia scilicet meritorum Christi ejusque institutione; ex opere verò operantis, & in præmium actûs interni nullum datur gratiæ augmentum. Theol. Salisburg.

208. Sed contra instabis: supponamus, Petrum baptismum suscipere ex affectu inanis gloriæ, alteriusve finis venialiter peccaminosi: vel tunc talis intentio seu volitio esset moraliter bona, vel non? Si bona, hoc haberet ex honestate objecti: simul tamen esset mala, propter finem malum; Si verò dicatur simpliciter mala; ejusmodi intentio non posset habere rationem dispositionis ad gratiam in baptismo recipiendam. Adde, quòd talis dispositio debeat esse meritoria: alioquin si Petrus mox post receptum baptismum ex hac vita migraret, sicque nullum actum meritorium exerceret, gloriam, ad instar parvulorum, acciperet solùm per modum hæreditatis & non per modum præmii, merito aliàs correspondentis; quod est absurdum. Resp. quòd volitio prædicta cum tali affectu inanis gloriæ baptismum antecedens nullo modo foret moraliter bona, nec ad gratiam baptismi meritoriè disponeret, sed (ùt loquuntur Salmantic. *Tr. de Act. Hum. disp.* 6. *n.* 33) ad summum ùt conditio physica, id est, consensus physicus, deliberatúsque voluntatis susceptionem baptismi acceptantis, qui sufficere posset, ut baptizatus effectum illius Sacramenti ex *opere operato* reciperet, quemadmodum sufficeret consensus interpretativus in eo, qui in somno baptizaretur sine omni actu meritorio antecedente. Cujus rationem reddunt, quòd volitio vel consensus non exigatur ùt propriè dicta & rigorosa dispositio, sed ùt conditio subjecti, & quasi pars materiæ elevabilis ad gratiam, non habens proprium & rigorosum influxum dispositivum. Et quamvis collatio gloriæ respectu adultorum ordinariò & per se fieri petat per modum coronæ, hoc tamen pro tali casu per accidens fieret, quòd baptizatus ille instar parvulorum gloriam titulô hæreditatis præcisè acciperet, quemadmodùm etiam id ita contingeret in eo, qui in somno baptizaretur, & statim moreretur.

209. Oppon. sexto: Cùm actu ex objecto bono, cui intervenit mendacium, stare potest meritum prœmii temporalis. Ergo cum peccato veniali potest stare bonitas moralis formalis. Ant. probat. ex *Lib. Exod. cap.* 1. *v.* 15. ibi enim Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, præceperat sequenti modo: *quando obstetricabitis Hebræas, & partûs tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si fœmina, reservate. Timuerunt autem obstetrices DEUM, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares. Quibus ad se accersitis, Rex ait: quidnam est hoc, quod facere voluistis, ut pueros servaretis? quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam; & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Ecce mendacium! quo non obstante DEUS illorum opus remuneratus est: nam sequitur in textu: *bene ergo fecit DEUS obstetricibus, & ædificavit eis domos.* Resp. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 110. *a.* 4. *ad* 4. DEUM obstetrices non fuisse remuneratum pro mendacio, sed pro timore DEI, & benevolentia, ex qua processit mendacium. Quod indicant verba subsequentia: *Et quia timuerunt obstetrices DEUM, ædificavit eis domos. Mendacium verò postea sequens non fuit meritorium.*

210. Si quis urgeat, quòd DEUS remuneretur actus morales per bona temporalia, etiamsi non processerint ex fine moraliter bono; sicuti patet exemplum in primùm allegatis obstetricibus, quæ fortasse ex aliquo fine suæ propriæ utilitatis masculis Hebræorum pepercerunt: & aliud exemplum habetur *Ezech.* 29. ubi Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversùs Tyrum: & subditur ibi: *Erit merces exercitûs illius, & dedit ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi.* Resp. D. Th. 1. 2. *q.* 114. *a.* 10. *ad* 2. *quòd similes retributiones dicantur divinitùs factæ secundùm comparationem ad Divinam motionem; non autem secundùm respectum ad malitiam voluntatis.* Et ita intelligendum est, quoties in Scripturis dicitur: *merces retributa actui ex aliqua parte malo:* ùt Ezech. 29. ubi *exercitui Nabuchodonosoris promittitur in mercedem terra Ægypti: eò quòd præliavit adversùs Tyrum, licet eorum intentio non fuerit DEO serviendi, sed dominium in Tyros sibi usurpandi.* Unde negant Salmantic. *Tr. de actib. Hum. disp.* 6. *n.* 22. hujusmodi *retributiones* esse propriè dictas, etiam *secundùm quid*; sed dicunt, esse solùm similitudinarias, ac impropriè sumptas, quæ licèt apud homines remuneratio & prœmium videantur, apud DEUM tamen solùm habeant rationem effectûs ex Divina ordinatione secuti, & illi operationi aliquo modo debiti; non ùt talis operatio erat actus moralis procedens ex voluntate talium agentium moralium, sed quatenus procedebat ab influxu DEI moventis ad materiale ad bonum aliorum, v. g. ad salutem Hebræorum.

211. Quæres adhuc: an idem actus possit transire de bono in malum? Resp. primò: loquendo de actu externo, affirmativam liquere ex D. Thoma ex *q.* 2. *de Malo. a.* 4. *ad* 7. ubi, nihil prohibere, ait, aliquid esse idem numero secundùm unum genus, quòd tamen secundùm aliud genus non solùm numero, sed etiam specie differt: sicut si sit aliquod corpus continuum in una parte album, & in alia parte nigrum, est unum numero, in quantum est continuum, sed differt non solùm numero, sed specie, in quantum est coloratum. *Et similiter, si in aliquo actu continuo primò feratur intentio ad bonum, postea ad malum, sequitur; quòd sit idem actus numero secundùm suam naturam; sed tamen differt specie, secundùm quod est in genere moris.* Ac si diceret, bonitatem & malitiam actui externo, si secundùm suam naturam spectetur, esse for-

mas

mas merè accidentales: rectè igitur variantur salvâ substantiâ actûs, ùt si quis templum accedat ex affectu devotionis & religionis, & demùm, durante illo actu accessûs, vana gloria subrepat, dubio procul actus ille nondum physicè interruptus transit de bono in moraliter malum.

212. Resp. secundò: Idem entitativè & physicus actus internus non potest transire de bono in malum. Reding. hic *q.* 8. *art.* 3. *contr.* 3. quem sequitur P. Mezger *disp.* 9. *de act. Hum. art.* 4. rationem inde desumunt, quòd, variatô objectô formalî & specificativô, actum quoque physicè variari necesse sit. Atqui, quando actus internus, antehàc bonus moraliter, posteà fit moraliter malus, certum est, objectum formale & specificativum mutari, si perpendas, actum ùt bonum specificari à bono honesto objectivo intra speciem hujus vel illius virtutis, & quidem sic, ut talis honestas voluntatem directè movere debeat, ùt tenet probabilior sententia; actum verò ùt malum directè specificari à bono objectivo sensibili & velut indirectè à malitia & inhonestate objecti prohibiti: Ergo mutatur objectum, dum ex bono fit malus. Confirmatur ex eo, quòd varietur tum repræsentatio finis tum ipsum voluntarium: nam si maneret idem voluntarium, sequeretur primò, quòd idem actus tenderet simul in objectum ùt bonum, honestum ac licitum, & simul ùt bonum sensibile, & illicitum; ùt si quis paulò ante horam duodecimam nocturnam in die Jovis vellet comedere carnes propter sanitatem tanquam bonum honestum, & in DEUM sive ùt auctorem supernaturalem sive ùt naturalem ordinabile, & post sonitum duodecimæ, cognita prohibitione, adhuc carnes comedere vellet: ubi vides, tempore posteriori carnium comestionem jam non ampliùs proponi ùt honestam, sed præcisè ùt delectabilem cum inhonestate morali. Secundò sequeretur, quòd habitus virtutis & habitus vitii in eundem actum physicum internum concurrerent, sicque simul & semel à principio ùt efficiente, & deficiente procederent; unde etiam idem actus ab auxilio supernaturali speciali penderet, & simul non dependeret. Contrariam nihilominus sententiam propugnant Salmantic. *Tr. de Act. Hum. disp.* 6. *dub.* 2.

# DISSERTATIO TERTIA.

## *De Subjecto Peccatorum.*

SUbjectum peccati dividitur in remotum, & in proximum. Remotum est ipsa creatura rationalis; proximum aliqua potentia animæ. Non de priori, sed de posteriori hic nobis sermo erit, & quidem de peccato formaliter & moraliter sumpto. Præsupponimus autem tanquam indubitatum, omnem actum peccaminosum in voluntate intrinsecè subjectari, quatenus ab ea procedit vel elicitivè, vel imperativè, & vel directè, vel indirectè, & interpretativè.

## QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

### *Utrùm præter Voluntatem detur aliud subjectum Peccati formalis?*

213. INquiritur hic præcipuè, an etiam appetitus sensitivus & intellectus, sive ratio, possint se habere ùt subjectum intrinsecè receptivum peccati quoad malitiam, & eorum actus formaliter mali dicantur, adeóque non per solam denominationem extrinsecam, uti denominantur mali actus potentiarum, organorum & membrorum externorum. Est autem sensualitas, sive appetitus sensitivus virtus quædam appetitiva naturæ sensitivæ, & complectitur appetitum concupiscibilem & irascibilem. In concupiscibili dicuntur esse habitus vitiosi, v. g. Intemperantia, luxuria, avaritia &c. in irascibili timiditas, iracundia, temeritas &c. Porrò ratio dividitur communiter in superiorem & inferiorem, attamen cum sola distinctione formali quoad inadæquata munia, ita, ut ratio superior dicatur intellectus & voluntas, quatenus attendunt rationibus æternis conspiciendis & consulendis: ratio verò inferior, quatenus attendunt rebus temporalibus, sic Salmantic. *hic n.* 199. Explicatiùs loquitur Theol. Salisb. *de subject. Peccator. art.* 2. dicendo, quòd rationi superiori & inferiori ex parte voluntatis duplex respondeat portio, scilicet pariter una superior altera inferior: & quòd ratio (id est intellectus progressivus ad discursum) appelletur superior, prout per rationes superiores & æternas procedit ad ferendam sententiam de honestate vel turpitudine actûs: vocetur autem ratio inferior, quatenus per rationes temporales & humanas judicat de temporali bonitate, utilitate, vel delectabilitate alicujus actûs. Exemplum ponit de inimico: potest namque ratio inferior alicui dictare, honori consultum fore, si de eo vindictam sumpserit, ac proinde inimicum esse interficiendum: ratio verò superior judicat, esse inimico ignoscendum; cùm hoc lex charitatis dictet & exigat. Ecce

ce motivum, quo ducitur ratio inferior, & aliud, quo ratio superior. His prænotatis

214. Conclusio prima: Peccatum quoad formalitatem materiæ quandóque etiam in appetitu sensitivo subjectatur: D. Thom. 1. 2. *q.* 74. *a.* 3. *in C.* Fundamentum consistit in hoc, quòd peccatum possit esse in qualibet potentia, cujus actus potest esse voluntarius & inordinatus: sed actus seu motus interni appetitûs irascibilis & concupiscibilis potest esse sub voluntate, ac consequenter voluntarius, proinde & inordinatus; Ergo in appetitu sensitivo potest esse peccatum. Accedit altera ratio de habitibus tum virtuosis tum vitiosis, scilicet temperantiæ vel intemperantiæ, iracundiæ, & crudelitatis vel mansuetudinis, quorum subjectum, etiam ùt spectantur secundùm moralem honestatem vel vitiositatem, agere potest appetitus sensitivus: Ergo similiter respectu actuum.

215. Conclusio secunda: Peccatum potest etiam esse in ratione ùt in subjecto. S. D. *ibid. a.* 5. sed contra referens D. Augustin. *l.* 12. *de Trinit.* dicentem, *peccatum esse in ratione inferiori & superiori:* addit prætereà, quòd peccatum cujuslibet potentiæ consistat in actu ipsius: *Ratio autem duplicem actum habeat; unum quidem secundùm se secundùm comparationem ad proprium objectum, quod est cognoscere aliquod verum: alium actum, in quantum est directiva aliarum virium. Utroque modo peccatum contingit esse in ratione.* Et primò quidem, in quantum erat in cognitione veri; quòd tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorantiam vel errorem circa id, quod potest & debet scire. Secundò, quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam post deliberationem non coërcet. Patet veritas conclusionis iterum in habitibus seu virtutibus intellectualibus, putà fidei, scientiæ, & prudentiæ, & oppositis vitiis, infidelitatis, hæresis, ignorantiæ, erroris &c. qui adæquatè & secundùm suas quoque rationes formales in intellectu ùt subjecto reperiuntur: unde idem judicium erit de actibus. Confirmatur denique ex peccato morosæ delectationis, quæ est voluntaria delectatio de re quapiam illicita seu inhonesta, apprehensa ùt præsenti: dicitur námque *morosa* non ob *moram* respectu temporis, sed à mora rationis & voluntatis, delectationem post plenam advertentiam reprimere negligentis, de qua inferiùs plura.

216. Oppones primò: In illo subjecto censetur malitia peccati intrinsecè recipi, in quo datur libertas intrinseca: at in appetitu sensitivo non datur libertas intrinseca. Ergo in eo tanquam subjecto malitia peccati intrinsecè non recipitur. Maj. probat. ab instantia de membris internis: nam in his ideo non datur malitia *formalis* peccati intrinsecè, sed solùm per *denominationem extrinsecam* ab actu interno voluntatis & rationis; quia carent indifferentiâ & libertate sibi propriâ & intrinsecâ: min. videtur esse certa: nàm de ratione potentiæ liberæ est, ut ei ab intellectu objectum proponatur cum indifferentia ad utrumlibet: hæc autem propositio sine judicio universali & indeterminato fieri nequit: quomodo enim appetitui sensitivo objectum delectabile proponatur cum indifferentia ad utrumlibet, cui objectum aliter proponi non valet, quàm per apprehensionem alicujus sensûs, quæ semper est ad unum singulare determinata, ideóque nunquam potest esse cum indifferentia aliqua vel universalitate?

217. Resp. Conced. Maj. neg. min. Cujus probat. dist. de ratione potentiæ liberæ est, ut ei ab intellectu objectum proponatur cum indifferentia ab utrumlibet, loquendo de potentia, in qua est liberum perfectum & velut principale, ùt est voluntas, Conced. Maj. ita ut hoc sit necessarium respectu potentiæ cujuscunque, & liberæ solùm per quamdam *participationem* seu subjectionem ad liberum principale, sic neg. Maj. & ad reliqua dico, ad salvandam imperfectam appetitûs sensitivi libertatem sufficere, quòd ejus actus sint immanentes, & à prædicto appetitu, prout subjicitur voluntati objectum cum indifferentia attingenti, procedant. Hoc námque perpenso, appetitus sensitivus circa objecti sui attingentiam ita versatur, ut à voluntate, cui ille subditur, possit vel relinqui, vel inde retrahi.

218. Expressit id satis D. Th. 1. 2. *q.* 74. *a.* 2. *in C.* *Omne, quod est principium voluntarii actûs, est subjectum peccati: actus autem voluntarii non solùm dicuntur illi, qui eliciuntur à voluntate, sed etiam illi, qui à voluntate imperantur. Unde non solùm voluntas potest esse subjectum peccati, sed omnes illæ potentiæ, quæ possunt moveri ad suos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem: & eædem potentiæ sunt subjecta habituum moralium bonorum vel malorum: quia ejusdem est actus & habitus.*

219. Instabis: Semel admisso, dari in appetitu sensitivo libertatem participatam, quia habet intrinsecam habitudinem & subjectionem ad voluntatem, similis libertas membris exterioribus, ùt linguæ, oculis, auribus &c. adstruenda est; quandoquidem & ipsa ad nutum voluntatis actus suos exercent, vel ad ejus imperium ab illis desistunt; unde & membra prædicta ordinem subjectionis ad voluntatem ùt principale liberum habere noscuntur.

220. Resp. non ex quolibet subjectionis ordine ad voluntatem inferri potentiam participativè liberam, sed requiri insuper, ut ipsa sit verè activa, & ejus actus sit immanens principio intrinseco, & propriè dicta ipsius operatio: membra autem & potentias exteriores esse principia activa & intrinseca, quibus actus subjectivè & intrinsecè immaneant, negat Divus Thomas *cit. quæst.* 74. *art.* 2. *ad* 3. dicendo, *quòd membra corporis non sint principia actuum, sed solùm organa. Unde & comparantur ad animam moventem, sicut servus,*

*vus, qui agitur, & non agit. Potentiæ autem appetitivæ interiores comparantur ad rationem quasi liberæ, quæ agunt quodammodo, & aguntur, ùt patet per id, quod dicitur* 1. Politic. Et prætereà actus exteriorum membrorum sunt actiones in exteriorem materiam transeuntes, sicut patet de percussione in peccato homicidii: Addunt Salmantic. hic *disp. 9. num.* 8. motus membrorum externorum non esse propriè operationes, sed effectus & terminos potentiarum immanentium, à quibus membra moventur. Sed contra

221. Oppones secundò: In actibus, qui fiunt per sensus externos, ùt sunt oculi, aures &c. vel datur libertas seu voluntarium aliqudo liberum, vel nullum datur? si datur; ergo & ipsis peccata formaliter & intrinsecè subjectivè insunt: si nullum in illis datur voluntarium liberum, cessabit ratio peccati. Resp. propriam & intrinsecam rationem voluntarii & liberi sensibus externis non inesse etiam *participativè*, maximè, quòd sensationes externæ, v. g. visio, auditio &c. post applicata sensibus objecta, non subsint dominio voluntatis, sed illud necessariò sequantur. Neque enim, semel apertis oculis, & objecto visibili illis applicata, potest visio sequi vel non sequi, sed sequitur necessariò. Quia tamen applicare sensum ad objectum sensibile, aut vicissim, stat in nostra libera potestate, sensationes exteriores dicuntur habere libertatem aliquam extrinsecam, quæ tamen potiùs dicenda est libertas *in causa*, & purè extrinseca, quam libertas *in se*.

222. Oppones tertiò contra secundam conclusionem. Primum subjectum peccati est voluntas: Cùm ergo ratio voluntatem præcedat, tanquam hujus directiva, peccatum nequit esse in ratione, Resp. D. Th. *d. q.* 74. *a.* 5. *ad* 2. quod voluntas quodammodò moveat & præcedat Rationem, & Ratio quodammodò voluntatem: unde & motus voluntatis potest dici rationalis; & actus Rationis potest dici voluntarius. Et secundùm hoc, ait, in Ratione invenitur peccatum, vel prout est defectus ejus voluntarius, vel prout actus Rationis est principium actûs voluntatis. Addit Sylvius ad *cit. quæst.* 74. *a.* 5. Rationem esse quidem capacem peccati, sed non absque ordine ad voluntatem: item omne peccatum aliquo modo pertinere ad rationem, in quantum omnis actus liber dependet à judicio Rationis; non tamen omne peccatum subjectari in ratione: quia peccatum, quod in ratione subjectatur, est defectus rationis voluntarius. Quamvis autem omne peccatum proveniat ex aliquo defectu Rationis, non tamen semper est ipse defectus rationis, sed aliquando alicujus alterius potentiæ: nam odium, desperatio, adulterium &c. important quidem vel præsupponunt defectum Rationis, non tamen sunt ipse defectus Rationis, sed voluntatis.

223. Oppon. quartò. Inconvenienter superiùs dictum fuerat, delectationem morosam esse in Ratione; quandoquidem delectatio importat motum appetitivæ virtutis, atque adeò in appetitu subjectatur. Resp. nos non prætendere, quòd delectatio morosa in Ratione tanquam in subjecto resideat: nam in appetitu seu in vi appetitiva, à qua ùt principio proximo procedit, residet tanquam in suo subjecto. Rationi verò adscribitur non tanquam subjecto vel principio elicitivo, sed tanquam directivo; in quo non immeritò peccatum esse dixeris, quando non dirigit ac movet, ùt debet, repellendo motus inordinatos, sive sint exteriores sive interiores. Deficit autem Ratio in directione passionum interiorum dupliciter, ùt loquitur S. D. *cit. quæst.* 74. *artic.* 6. *in C. Uno modo, quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione provocat sibi motum iræ vel concupiscentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum: Sicut, cùm aliquis, postquàm deliberavit, quòd motus passionis insurgens sit inordinatus, nihilominùs circa illum immoratur, & ipsum non expellit: & secundùm hoc dicitur peccatum morosæ delectationis esse in Ratione.* Alii dicunt, morosam delectationem quantum ad formale, quod ipsam facit morosam, seu secundùm ipsam morositatem in Ratione esse, eo modo, quo negligentia vel privatio dicitur esse in aliquo: delectationem verò appetitûs sensitivi, vel complacentiam voluntatis, non esse in Ratione.

224. Oppon. quintò: S. Thomam, dum *loc. cit.* de subjecto peccati disserit, in *art.* 4. negare, quòd in sensualitate, quæ est ipse appetitus sensitivus, peccatum mortale esse possit, cùm tamen nemini non incognitum sit, motus in sensualitate contra Rationem de re gravi obortos, esse peccata lethalia, si à Ratione post plenam eorum advertentiam non cohibeantur vel reprimantur. Videtur ergo, S. Doctorem hac in re minùs Theologicè procedere. Resp. equidem in *cit. artic.* S. Th. concludere, in sensualitate non posse esse peccatum mortale, addita ratione, eò quòd peccatum mortale aversionem ab ultimo fine includat, solius autem rationis sit, ab ultimo fine actum avertere, sicut etiam in eundem convertere: cui rationi ulterius accedit, quòd actus lethaliter peccaminosus debeat esse perfectè in nostra potestate, actus autem sensualitatis non sit perfectè in nostra potestate, cùm præveniat judicium rationis, estò aliqualiter sit in nostra potestate, prout sensualitas Rationi subjicitur: Nihilominus secundùm interpretationem Sylvii S. Doct. eo sensu intelligendus venit, quòd peccatum sit solùm sensualitatis, quando motus sensitivus cum nonnulla Rationis non bene advigilantis negligentia suboritur, eum tamen Ratio nec plenè advertit, nec plenè advertere potuit: Cùm verò motum plenè advertit, vel advertere potuit, actus non dicitur esse solius sensualitatis, sed adscribitur Rationi & voluntati; per con-

consequens, ubi materia fuerit gravis, ibi per negligentiam contradictionis, displicentiæ, vel repressionis peccatum lethale non evitatur.

225. Oppon. sextò. Div. Augustin. *de duab. animab. cap.* 10. dicit, quòd non nisi voluntate peccetur. Ergo peccatum est in sola voluntate. Resp. Hunc S. Doctorem aliud non velle, quàm nullum dari peccatum nisi cum ordine ad voluntatem, quæ scilicet influat directè vel indirectè, elicitivè vel imperativè: Et ideo D. Thom. hâc *quæst.* 74. *artic.* 2. *ad* 1. Resp. non peccari nisi voluntate *ut primo movente: unde aliis potentiis peccamus ùt motis à voluntate.* His disceptatis, sequuntur

## Nonnulla Quæsita.

### *De sensualitate, concupiscentia, & motione voluntatis ac intellectûs.*

226. Quæsitum primum: Quomodò appetitus sensitivus in voluntatem influat? Resp. quòd influat ex parte objecti indirectè & quoad specificationem actûs. Ita Theol. Salisburg. *de Actib. Hum. disp.* 8. *artic.* 1. §. 2. hoc inde probans, quòd Passio vel affectus appetitûs sensitivi sit remota ratio, cur objectum proponatur ùt conveniens vel disconveniens: nam quo modo aliquis est dispositus secundùm affectum & passionem, taliter solet indirectè de objecto judicare. At objectum propositum ùt conveniens vel disconveniens specificat actus voluntatis: Ergo passio vel affectus ab appetitu sensitivo proveniens est remota ratio, cur voluntas hujus vel illius speciei actus producat. Et hoc est indirectè vel remotè influere in specificationem actûs. Nec physicum influxum, quem passio appetitûs sensitivi per quandam effectivam impressionem aut vim impulsivam in voluntatem exerceat, evincunt textus nonnulli, ùt est ille ad Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati:* Et in Epist. Jacob. *cap.* 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Nam per impulsum, & motionem illectivam seu allectivam plus non denotatur, quàm quòd se teneat ex parte objecti remotè, non proximè, in quantum nempe intellectus, propter vehementiam passionis, honestatem objecti remissiùs, & econtra delectabilitatem objecti concupiscibilis efficaciùs proponit. Hac ergo ratione appetitus sensitivus ex parte objecti indirectè voluntatem movet, éstque causa peccati; nec tamen ita efficaciter & sufficienter movet, ut voluntas reniti non possit, secundùm illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Quòd autem voluntas humana frequentiùs & faciliter ab appetitu sensitivo ad peccandum actu moveatur, ex defectu naturæ corruptæ oritur: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Vid. D. Thom. in 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *in C.* & de Veritate *quæst.* 22. *art.* 9. *ad* 6. nec non in 1. *p. quæst.* 49. *art.* 3. *ad* 5. Et in 1. *dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 4. Et in 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3.

227. Quæsit. secund. Utrùm sensualitas sit simplex potentia; vel dividatur in plures? Eam duas in potentias dividi, resp. D. Thom. *quæst.* 25. *de Verit. art.* 2. rationem prolixam pertexens *in Corp. artic.* in cujus medio sic loquitur: *Recipere & agere non sunt ab eodem principio, ùt ignis, qui per levitatem fertur sursum, per calorem contraria corrumpit. Ita in appetitu sensibili ista duo inveniuntur: nam animal per appetitivam potentiam appetit id, quod est congruum & amicum sibi; & hoc est per vim concupiscibilem, cujus proprium objectum est delectabile secundùm sensum. Appetit etiam habere dominium, & victoriam super ea, quæ sunt sibi contraria; & hoc per vim irascibilem; unde dicitur, quòd ejus objectum est aliquid arduum. Et sic patet, quòd irascibilis est alia potentia à concupiscibili &c.*

228. Quæsit. tert. An concupiscentia habitualis, quæ & fomes peccati dicitur, sit idem ac appetitus sensitivus? Negativè iterum Resp. cum Sylvio hîc *quæst.* 74. *art.* 3. *concl.* 3. ubi primò observat, concupiscentiam habitualem, seu fomitem peccati, qui in renatis per baptismum remanet, non esse veri nominis peccatum, quamdiu ipsi vel ipsius motui nullus præbetur assensus. Declarat idem S. Trid. Conc. *Sess.* 5. *de peccat. orig.* sequentibus verbis: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi JESU gratiam repugnantibus, non valet: Quin imò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Cathol. nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

229. Observat secundò: Concupiscentiam actualem *in non renatis* semper fere dominari eorum menti, quatenus ipsos ad Divinæ legis prævaricationem pertrahit; hincque plerumque esse voluntariam, si non actu, saltem virtute; in renatis verò hunc dominatum per baptismum amisisse, ita ut superata sit & involuntaria reddita, ac idcirco non pariter de renatis ac non renatis de concupiscentiæ motu actuali loquendum esse. Si nihilominus etiam illi, qui per baptismum non fuerunt regenerati, actualis concupiscentiæ motibus, ad illicita tendentibus, actualiter resisterent, ob defectum voluntarii tales motus in peccatum eisdem non imputarentur. Vid. quæ habet in *quæst.* 82. *art.* 3. & *quæst. seq. art.* 5. *cit.* Sylv. Deinde resolvit, concupiscentiam habitualem hîc sub

ſub nomine fomitis ſumptam non eſſe omnino idem ac appetitum ſenſitivum, ſicuti non valet idem, ac appetitus ſeu concupiſcentia *venereorum*, ſed longè generaliùs ſe extendere, & ſignificare vitium naturæ ex peccato contractum, ſive inordinationem partium inferiorum animæ & corporis, quæ in hoc præcipuè attenditur, quòd inordinatè convertantur ad bonum commutabile. De ea ſic generaliùs, & ſub nomine fomitis accepta dicit D. Thom. *Lect. 2. in cap. 7.* ad Rom. *Quòd ſit concupiſcentia prava ſe habens ad omnia peccata: & quòd ſit generale malum non quantitate generis vel ſpeciei, ſed communitate cauſalitatis.* Planè inter peccata, ad quæ caro ſeu concupiſcentia nos excitat, & poſt datum conſenſum præcipitat, Apoſtolus ad *Gal. 5.* non ſola peccata venerea, vel etiam ad appetitum ſenſitivum pertinentia, enumerat; verùm etiam multa alia, ùt idolorum ſervitutem, ſectas, invidias, diſſenſiones, & homicidia.

230. Quæſit. quart. Quomodò voluntas moveat potentias ſibi ſubditas? Ac primò, quomodò ipſa moveatur ab intellectu? Reſp. prim. quòd intellectus voluntatem moveat, non quaſi in genere cauſæ efficientis actum voluntatis producat, aut aliquem ipſi motum imprimat: nequit enim voluntas phyſicè moveri, immutari, inclinari, aut de potentia in actum reduci ab aliquo principio creato ſibi extrinſeco, ſed à ſolo DEO, per tradita à D. Th. in *quæſt. 22. de verit. art. 9.* & *1. p. quæſt. 105. art. 4. &c.*

231. Reſp. ſecund. quòd intellectus voluntatem moveat, quoad ſpecificationem ſui actûs (non verò quoad exercitium actûs) in genere cauſæ cujuſdam formalis, & finalis, videlicet voluntati præſentandi objectum, eámque illuminando, excitando, & dirigendo. D. Thom. *d. quæſt. 22. de verit. art. 11. ad 5. Intellectus*, ait, *regit voluntatem, non quaſi inclinans eam in id, in quod tendit, ſed ſicut oſtendens ei, quò tendere debeat:* Et in *1. 2. quæſt. 9. art. 1. in Corp. ad fin.* dicit, *quòd intellectus voluntatem moveat ſicut præſentans ei objectum ſuum.* Ut autem voluntas reverà ſequatur motionem intellectûs, prædicta præſentatio vel oſtenſio objecti minimè ſufficit, ſed requiritur imperium practicum, decernens ac intimans voluntati, hic & nunc hoc eſſe amplectendum: eſt nempe imperium intellectuale præceptiva intimatio operis faciendi vel omittendi, cum quadam motione, qua voluntas per modum præcepti, & imperativo modo, *fac hoc*, ad operis executionem ordinatur & dirigitur.

232. An imperium poſſit confundi cum judicio Practico intellectûs, ſubſequente electionem voluntatis (quod judicium practicè practicum quidam vocare ſolent ad diſtinctionem à judicio regulante electionem, quod ſimpliciter practicum vocant) Thomiſtæ ipſi adhuc inter ſe certant. Noſtrâ parum refert. Illi, quibus diſtinctio placet, fundant ſe partim in eo, quòd actui imperii nulla inſit vel veritas vel falſitas: hic namque actus, *fac hoc*, nihil in ſe continet de vero vel falſo; continetur autem verum vel falſum in judicio intellectûs practico: partim in Ariſtotele & D. Th. circa agibilia tres actus diſcernentibus, quorum primi munus eſt conſiliari; ſecundi judicare; tertii præcipere ſeu imperare. Illud probè notandum, quòd imperium intellectûs motionem voluntatis præſupponat: nemo enim invitus & coactus ſibi aliquid faciendum imperat, ſed volens & liberè: omnis autem libertas reperta in actibus intellectûs à præſuppoſito actu voluntatis derivatur: quatenus electio, ceu actus voluntatis præcedit, à qua imperium efficaciam ſeu vim motivam quoad exercitium participat. Quò ſervit illud imperium Chriſti, quo ſanavit leproſum *Math. 8.* clamantem; *Domine, ſi vis, potes me mundare:* Reſpondit JESUS: *Volo. Mundare.* Aliunde etiam prudentia, cujus actus eſt imperium formaliter liberum, ducitur arbitriô, non inſtinctu. Igitur imperium duplicem involvit actum: ex parte intellectûs ordinationem intimativam; & in hoc conſiſtit elicitivè, ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter; & ex parte voluntatis motionem ratione præviæ intentionis finis & electionis mediorum; in quo actu imperium cauſaliter, præſuppoſitivè & connotativè conſiſtere cenſetur. Sique objiciatur, dominium formaliter reſidere in voluntate, conſequenter & imperium; replicatur, dominium reſidere in voluntate quantùm ad efficaciam, ſeu vim applicandi ac movendi; ad intellectum verò ſpectare quantum ad vim denuntiandi intimando & ordinando. Ex quo & aliis relucet eſſentialis ſubordinatio inter potentiam intellectivam & volitivam, quarum tamen mutua cauſalitas eſt reſpectu effectûs diverſi: voluntas enim per actum electionis movet intellectum ad imperandam executionem mediorum; qua motione & vi motivâ receptâ, intellectus voluntatem movet non ad electionem, quæ erat cauſa imperii, ſed ad alium diſtinctum actum voluntatis, nempe ad *uſum activum*, quo potentiæ exteriores ad exequenda media, quibûs finis antea efficaciter intentus obtineri debet, applicantur. Gonet *de Act. Hum. diſp. 11. pag.* 890. Hinc D. Thom. *quæſt. 22. de Verit. art. 12. ad 4.* imperium ad voluntatem ſpectare, ait, *ſecundùm quod imperium inclinationem quandam importat; ad rationem verò, ſecundùm quod inclinatio hæc diſtribuitur & ordinatur, ùt exequenda per hunc vel illum.* Atque hoc imperium à nonnullis appellatur *monaſticum*, ùt exiſtens in homine in ordine ad ſuas proprias potentias, propriáque corporis membra; nec requirit diverſa individua, quorum unum ſit *imperans*, alterum *obediens*, ſicuti talem diſtinctionem ſuperioris & ſubditi exigit imperium *Politicum* reſidens in Principibus, Prælatis & Magiſtratibus. Cæterùm movere hoc vel illo modo ad intellectum & voluntatem ſpectat ſolùm

lùm tanquam ad principia proxima, & *ut quo*, remotè verò *ut quod* ad ipsum suppositum hominis: & ideo tametsi voluntas, utpote potentia cœca, non intelligat, quid intellectus imperet, & intimet, sufficit tamen, quòd homo intelligat. His præmissis:

233. Resp. tertiò: quòd voluntas reliquas potentias sibi subditas moveat quoad exercitium in genere causæ efficientis. Theolog. Salisburg. *de Act. Hum. disp.* 8. *art.* 2. ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. *in Corp.* dicente: *Bonum in communi, quod habet rationem finis, est objectum voluntatis: & ideo ex hac parte voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus: utimur enim aliis potentiis, cùm volumus, nam fines & perfectiones omnium potentiarum comprehenduntur sub objecto voluntatis sicut quædam particularia bona: semper enim ars vel potentia, ad quam pertinet finis universalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illo universali comprehensus: sicut Dux exercitûs, qui intendit bonum commune &c.*

# QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

## *An motus sensualitatis sine ulla dependentia à Voluntate possint esse saltem venialiter Peccaminosi?*

234. MAgister Gonet *Tr. de Peccatis disp.* 5. *art.* 2. Quæstionem his terminis proponit: An peccatum veniale possit esse à solo appetitu sensitivo, seclusa omni motione voluntatis? Et resolvit affirmativè, dicendo, appetitum sensitivum, prout in homine conjunctus est parti rationali, etiam sine actuali voluntatis influxu posse principium & subjectum esse culpæ venialis. Ubi notandum, quòd motus sensualitatis (sive concupiscentiæ, quæ hîc coincidit cum appetitu sensitivo) quidam sint & dicantur *primò primi*, hoc est maximè primi, qui nempe vel dæmonis suggestione, vel ab extrinseco v. gr. per visum, auditum, vel ex naturali dispositione infirmitate, vel subita passione excitati quamcunque etiam imperfectam Rationis deliberationem & voluntatis approbationem præveniunt. Alii sunt & dicuntur motus *secundò primi*, qui nimirum in sensualitate excitati, equidem perfectam rationis advertentiam ac deliberationem, consequenter & voluntatis perfectam approbationem, seu consensum antecedunt, cum imperfecta tamen advertentia & approbatione conjuncti sunt, aut eam sequuntur. Exempla afferuntur de motibus ejusmodi sensualibus, qui exurgunt in semiebriis, vel semidormientibus: atque etiam in sobriis & vigilantibus, quorum mens per aliquam vehementem passionem, vel distractionem à plena advertentia ad tales motus, aut saltem ad illorum turpitudinem, prohibitionem, seu malitiam aliqualiter impeditur. Nec dubium est, quin ex motibus *primò primis*, si adhuc durent, dum Ratio illos advertere incipit, ac iisdem quodammodo resistere negligit, motus *secundò primi*, & ob semiplenum voluntatis saltem interpretativum consensum venialiter peccaminosi fiant: vel demùm omnino mortaliter peccaminosi, si post intellectûs perfectam advertentiam tales motus pleno voluntatis consensu approbentur, vel tolerentur. Nomine autem motuum sensualitatis veniunt non solùm libidinosi, sed etiam alii, v. gr. impatientiæ, iræ, vindictæ &c. His præmissis: Defensores cum Cajetano, Gonetto, Salmanticensibus, ac pluribus aliis propugnantes, posse sine omni dependentia à voluntate motus sensualitatis venialiter esse peccaminosos:

235. Fundamentum principale collocant in auctoritate D. Thomæ. Primò S. Doct. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 3. respondet, quòd illud, *quod homo facit sine deliberatione rationis, non perfectè ipse faciat: quia nihil operatur ibi id, quod est principale in homine. Unde non est perfectè actus humanus, & per consequens non potest esse perfectè actus virtutis vel peccati, sed aliquid imperfectum in genere horum. Unde motus sensualitatis, rationem præveniens, est peccatum veniale, quod est quiddam imperfectum in genere peccati.* In respons. autem ad 1. *eod. artic.* præmittit, quòd appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habeat *quandam excellentiam*, scilicet quia *natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actûs voluntarii, & per consequens subjectum peccati.* Secundò in *q.* 7. *de malo*, *a.* 6. *in C.* circa med. sic loquitur: *Nunquam autem contingit, quòd membrum exterius operetur, nisi motum, vel à ratione, vel saltem ab imaginatione, vel sensu & appetitu sensitivo. Unde peccatum dicitur esse in sensualitate: sed tamen hoc peccatum non potest esse mortale, sed veniale tantùm: peccatum enim mortale est per aversionem à fine ultimo, in quem ordinat ratio: sed sensualitas ad illud attingere non potest. Unde in sensualitate non potest esse peccatum mortale: sed veniale tantùm. Cùm enim motus sensualitatis imperatur à ratione (ut patet in eo, qui vult concupiscere aliquid mortalium) talis motus est peccatum mortale: sed non attribuitur sensualitati, sed rationi imperanti.* Certè in his & similibus textibus Doctor Angelicus non recurrit ad aliquem influxum voluntatis, quem ratio & voluntas in appetitum sensitivum exerceat.

236. Néve putemus, S. Doctorem loqui ex suppositione, quòd voluntas aliquo modo influat per influxum saltem interpretativum, aut virtualiter: contrarium exhibetur ex *qu.* 25. *de Veritat. art.* 5. *ad* 5. ubi expressè negat, *peccatum dici esse in sensualitate propter*

*interpretativum consensum rationis: quando enim motus sensualitatis prævenit judicium rationis, non est consensus nec interpretatus, nec expressus: sed ex hoc ipso, quod sensualitas est subjicibilis rationi, actus ejus, quamvis rationem præveniat, habet rationem peccati.* Mens itaque S. D. est perspicua, quòd absque omni subjectione actuali ad quemcunque influxum actualem voluntatis in motu sensitivi appetitûs peccatum saltem veniale esse possit, atque ad hoc sufficiat habitualis subjectio sive conjunctio illius appetitûs ad rationem & voluntatem, quatenus exinde ab initio statim suæ emanationis quamdam elevationem sortitus est per modum habitûs, quâ ipsum ordinem rationis utrumque attingit, & libertatem participat, ad veniale patrandum sufficientem, tametsi voluntas nullum actualem influxum præstet. Ex his pro

237. Fundamento secundo assumitur ratio auctoritati subnixa. Ubi invenitur aliqua libertas; ibi potest esse peccatum cum proportione ad illam. In appetitu sensitivo propter conjunctionem nativam cum potentiis rationalibus invenitur libertas: Ergo etiam in appetitu sensitivo poterit esse peccatum cum proportione ad libertatem. Hæc autem proportio non datur respectivè ad mortale; Ergo saltem erit sufficiens respectivè ad patrandum peccatum veniale. Pro

238. Fundamento tertio accedit paritas à phantasia: nam hæc ex eo, quòd in homine sit conjuncta cum intellectu, qui vocatur *Agens*, aliquam vim participat, scilicet ad producendam speciem intelligibilem in intellectu *passibili*, quam vim sine præfata conjunctione ad intellectum agentem in se non contineret: Ergo non minùs appetitus sensitivus ex illa conjunctione cum ratione & voluntate, per quam quodammodò ad ordinem superiorem elevari censetur, poterit attingere, saltem imperfectè, modum operandi voluntati proprium, qui est cum indifferentia & libertate. Pro

239. Fundamento quarto servit alia paritas à sensibus internis desumpta: nam & isti, scilicet qui sunt intellectui magis vicini; ùt sunt potentia *cogitativa*, ac *reminiscentia*, ratione illius conjunctionis ac subordinationis participant quemdam *modum* aliàs intellectui proprium, quatenus prima sortitur vim aliquam *collectivam* particularium rationum, altera verò vim aliquam deductivam unius ex alio, qua vi minimè pollent, prout sunt in animalibus, brutis, in quibus propterea potentia, quæ in homine dicitur cogitativa, vocatur *æstimativa*, & locò reminiscentiæ ipsis attribuitur nomen *memoriæ*. Ergo pari ratione de conjunctione appetitûs sensitivi cum ratione & voluntate discurrere oportebit. Pro

240. Fundamento quinto ampliùs expenditur conjunctio naturæ cum gratia: nam, ùt pulchre discurrunt Salmantic. *h. tr. disp.* 10. *sub num.* 60. ratione hujus conjunctionis dimanat ab ipsa gratia quædam refluentia & participatio, per quam potentiæ & virtutes naturales perficiuntur, ac elevantur ad operandum modo proprio ipsius gratiæ, scilicet per respectum ad ultimum finem supernaturalem: Hic enim modus, inquiunt, non solùm invenitur in virtutibus *infusis*, quæ à gratia fluunt, sed etiam in *acquisitis*, & in omnibus potentiis immanentibus, voluntati subjectis, & ita sapiunt conditionem gratiæ: Ergo à fortiori inter ipsas vires naturales concedenda est similis refluentia ac participatio, ut scilicet inferiores juxta cujusque capacitatem recipiant aliquid à superioribus, per quod istarum conditionem sapiant, & redoleant, modúmque operandi saltem imperfectè & diminutè imitentur. Pro

241. Fundamento sexto adducitur præceptum, *Non concupisces*, quo omnes motus inordinati prohibentur: at non prohibentur, nisi peccata: consequenter omnes isti motus sunt peccata. Concordat Apostolus videndo aliam legem in membris suis repugnantem *legi mentis suæ*, & suam concupiscentiam peccatum vocando: si quod nolo, illud facio, *jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.* Pro

242. Fundamento septimo. Illi motus peccata esse censentur, quorum respectu in voluntate datur potestas, ut eos præveniat, quandocunque exurgunt: atqui voluntas suâ resistentiâ vel dissensu potest prævenire omnes motus, quorum advertentia saltem imperfecta datur: Ergo si eos, quorum datur advertentia imperfecta, suâ resistentiâ vel dissensu non præveniat, motus ejusmodi sunt peccata, saltem venialia. Pro

243. Fundamento octavo favet auctoritas D. Augustini, in *lib.* 4. *contra Julianum Episc. c.* 2. docentis, quòd concupiscentia, *in quantum* inest, noceat, etiamsi ei non consentiatur: item, quòd concupiscentia *per se ipsam suis ipsis motibus accusetur, quibus ne excedat, obsistitur.* Et *lib.* 14. *de Civit. c.* 10. ait: *neque enim nullum peccatum est, ea, quæ lex DEI prohibet, concupiscere.* Hæc pro prima sententia. Cui

244. Conclusio nostra contrarium tenet, statuendo, motus sensualitatis independenter ab omni actuali voluntatis influxu nec mortalia, nec venialia peccata esse. Ita Sylvius in S. Th. hic *q.* 74. *art.* 3. *Conclus.* 1. *Theol. Salisb.* Schol. *disp.* 21. *art.* 2. & Moralis *tract.* 2. *disp.* 3. *art.* 6. §. 1. cum Alvar. Medina, & aliis: ac novissimè Eminentiss. Card. Vincentius Ludovic. Gotti *Theol. Scholastico-Dogmatica Tract. de Vitiis & Peccat. q.* 5. *dub.* 2. Primum argumentum subministratur ex *Math.* 15. ubi illa *coinquinant* hominem, quæ procedunt de *corde*, cujus nomine voluntas humana intelligitur. Ergo aliquis motus voluntatis, sive formalis, sive virtualis, sive interpretativus præcedat vel concurrat, necessum est, ut peccetur etiam venialiter ratione motuum in appetitu sensitivo exurgentium.

gentium. Suffragatur etiam Apostolus *ad Rom.* 8. ubi, postquam *in c.* 7. antecedenti de motibus concupiscentiæ involuntariis differuerat, *nihil ergo*, infert, *nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant:* ad quem textum Sylvius notat, damnationis nomine intelligi vel pœnam peccato debitam, vel potiùs ipsum peccatum pœnâ dignum: quasi diceret: Qui Christo sunt insiti per baptismum, & in eo regenerati, quamvis sentiant rebellionem carnis contra spiritum, jam nullum ampliùs habent peccatum nec parvum quidem, nec ulli pœnæ peccato debitæ ampliùs sunt obnoxii (cujus videlicet pœnæ debitum eos remoretur ab ingressu Regni Cœlorum) quamdiu non secundùm carnem ambulant, hoc est, quamdiu concupiscentiæ motibus non consentiunt.

245. Alterum Argumentum suggeritur ex SS. Conc. Trid. supra in *quæst. præced.* allegato, ubi definitur, concupiscentiam, quæ in baptizatis manet, non nocere non consentientibus. At omnino noceret non consentientibus, si motus concupiscentiæ absque omni voluntatis influxu, etiam interpretativo & imperfecto essent venialia peccata. Ergo definitioni Concilii Tridentini apprimè conformatur nostra sententia prædictis motibus, ùt exurgunt absque voluntatis influxu &c. rationem peccati venialis abnegans.

246. Tertium ex D. Augustin. desumitur, qui in *lib.* 1. *Retract. c.* 13. disertè dicit, *usque adeo peccatum voluntarium malum esse, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium:* Et in *lib. de duab. animabus cap.* 10. simpliciter asserit, *non nisi voluntate peccari.*

247. Quartum: Omnis Actus Humanus & in genere moris ad culpam, vel meritum imputabilis, debet esse à principio intrinseco illo, sine quo ùt movente, reliquæ potentiæ modo humano non moventur; veluti constat *ex Tract. de Actib. Human.* atqui motus concupiscentiæ, independentes ab omni actuali influxu, consensu, motione, & approbatione voluntatis, non sunt à principio intrinseco illo, sine quo reliquæ potentiæ humano modo non moventur: Nam illud principium, sine quo movente reliquæ potentiæ humano modo non moventur, est ipsissima voluntas humana. Ergo motus concupiscentiæ independentes ab omni voluntatis influxu non sunt actus humani imputabiles ad culpam, vel meritum.

248. Doctor Angelicus 1. 2. *q.* 24. *a.* 1. satis dilucidè hæc omnia pro indubitato habet, nam in primis concludit: *Passiones animæ, prout subjacent imperio rationis & voluntatis, bonæ vel malæ moraliter dici possunt, non autem ùt motus quidam sunt irrationalis appetitûs.* Deinde idem repetit *in C. artic.* dicendo: *Passiones, secundùm quòd sunt voluntariæ, possunt dici bonæ vel malæ moraliter: dicuntur autem voluntariæ ex eo, quòd à voluntate imperantur: vel vel quòd à voluntate non prohibentur:* qua ultima loquendi forma consensum interpretativum subintellexit.

249. Quintò Argumentò destruitur principale adversi dogmatis fundamentum. Libertas habitualis, quam appetitus sensitivus propter conjunctionem habitualem ad rationem & voluntatem participativè & omninò imperfectè habet, secundùm actum primum non potest non esse subordinata voluntati & rationi: Ergo pariter libertas actualis appetitûs sensitivi, cùm etiam debeat esse participata, non potest rationi & voluntati non esse subordinata & conjuncta in actu secundo, si aliquam libertatem appetitui in actu secundo concedamus: quomodò enim liberum inferius operabitur sine suo libero superiori? Loquatur denuò D. Th. *In omnibus potentiis motivis* (ait in 1. *p. q.* 81. *a.* 3. *in C.*) *ordinatis secundùm movens non movet, nisi virtute primi moventis: unde appetitus inferior non sufficit movere, nisi appetitus superior consentiat &c.* Atqui sine omni voluntatis influxu etiam interpretativo libertas actualis appetitûs sensitivi non potest esse rationi & voluntati subordinata & conjuncta in actu secundo: Ergo ad hoc requirit aliquem influxum & consensum voluntatis saltem interpretativum. Cùm ergo Adversarii hunc actualem influxum non requirant, in motibus sensualitatis deficit omne liberum & voluntarium actuale, consequenter & omne peccatum, etiam veniale. Denique non video, quomodò Adversarii effugiant, ne convincantur admittere, quòd motus primò primi sint venialiter mali: nam & horum respectu verum est, appetitum sensitivum esse subordinatum intellectui & voluntati, adeóque quamdam participare libertatem: at talis assertio est omninò falsa, & rejecta à D. Th. *q.* 7. *de Mal. a.* 6. *ad* 8.

250. Ad primum fundamentum primæ sententiæ Resp. benè ibidem replicari, textus priores D. Thomæ supponere consensum saltem interpretativum voluntatis. Ad tertium textum ex *q.* 25. *de Verit. a.* 5. *ad* 5. depromptum Resp. ejus sensum liquere ex solutione ad 9. *eod. artic.* Postquàm enim ibi S. D. sibi objecerat, *in eo non esse peccatum, cui non imputatur: sensualitati autem non imputari peccatum; cùm non sit domina sui actûs*, Resp. & quòd *omne peccatum imputetur homini, in quantum habet voluntatem: & tamen peccatum dicatur esse aliquo modo in illa potentia, cujus actum contingit esse deformem.* Manifestum igitur est, S. D. minimè defendere, quòd absolutè absque omni voluntatis influxu peccatum *veniale formaliter* acceptum possit inesse appetitui sensitivo, sed quòd ideo appetitus quoque respectu motuum sensualium pro subjecto, à ratione & voluntate distincto rectè designetur, quia propter subjicibilitatem ad ratio-

rationem ab origine & prima dimanatione in prædictum appetitum aliqua imperfecta libertas redundat. Et licèt S. D. dicat, actum sensualitatis habere *rationem peccati*, putà, venialis, quamvis rationem præveniat, & non adsit consensus *nec interpretatus nec expressus*, attamen in primis S. D. non excludit omnem consensum etiam imperfectum, & semiplenam rationis advertentiam, sive aliqualem potentiam moralem resistendi seu dissentiendi sensualitati commotæ; alioquin sibi ipsi contraria doceret, imò principia prima in moralibus subverteret, admittendo actum humanum involuntarium, & sine omni vera cognitione finis: Deinde, si Adversarii immobiliter in ea hypothesi subsistere velint, quòd S. D. loquatur de motibus rationis etiam semiplenam advertentiam prævenientibus, sibi ipsis contradicunt: nam (præterquam, quòd nihil sit volitum à voluntate eique imputabile ad culpam quin sit ab intellectu præcognitum, non obstante ejus subjectione ad rationem, & libertate perfecta habituali, consequenter etiam nequeat esse aliquid à sensualitate concupitum cum imputabilitate ad peccatum, quin sit pariter præcognitum) ipsimet Adversarii in præsenti controversia aliquam rationis advertentiam præsupponunt, teste *Theologiâ Scholasticâ Salisburg. art. 2. suprà citato.* Resp. ulteriùs, in eo instanti, in quo motus sensualitatis omnem rationis deliberationem prævenit, appetitui sensitivo veniale peccatum non inesse moraliter formaliter, sed solùm *moraliter materialiter*, quatenus ejusmodi motus est proximè rationi & voluntati subjicibilis, nondum verò actualiter subjectus, sed utrique mox subjicietur, si nempe in instantibus sequentibus eidem non resistatur.

251. Ad secundum fundamentum Resp. Eximius D. P. Alphonsus Wenzl *to. 2. part. 6. quæst. 2. n. 26.* quòd appetitus sensitivus independenter ab influxu voluntatis non habeat libertatem intrinsecam circa bonum & malum morale, sed tantùm circa sensibile: & quòd circa bonum morale sit solùm liber in actu primo; & ad actum secundum influxus aliquis voluntatis indispensabiliter requiratur. Cùm hac solutione coincidet illa: quòd appetitus sensitivus ante actualem voluntatis influxum habeat quamdam libertatem *habitualem & remotam*, non verò *actualem* vel *habitualem proximam:* habitualis autem & remota libertas est insufficiens ad peccatum etiam leve.

252. Quadrat huc, quod D. Th. tradit 1. *p. q.* 81. *a.* 3. *in C. Voluntati subjacet appetitus sensitivus quantum ad executionem, quæ fit per vim motivam: in aliis enim animalibus statim ad appetitum concupiscibilis & irascibilis sequitur motus: sicut ovis timens lupum statim fugit: quia non est in eis superior appetitus, qui repugnet. Sed homo non statim movetur secundùm appetitum irascibilem & concupiscibilem; sed exspectat imperium voluntatis, quæ est appetitus superior: in omnibus enim potentiis motivis ordinatis secundum movens non movet, nisi virtute primi moventis; unde appetitus inferior non sufficit movere, nisi appetitus superior consentiat &c.* Ex his

253. Ad tertium neg. paritatem: quia phantasma, dum cum intellectu Agente ad speciem intelligibilem in intellectu possibili producendam concurrit, actualiter ab intellectu elevari censetur: secus est cum appetitu sensitivo, utpote qui ante voluntatis actualem influxum actualiter ad actum quà liberum non elevatur. Quare paritas adducta magis ipsos objicientes ferit, & contra eos restaurari posset: nobis ergo nihil officit.

254. Ad quartum paritas iterum nobis non obstat, utpote nequaquam negantibus, dari conjunctionem appetitûs sensitivi ad rationem & voluntatem, cum participatione quadam libertatis habitualis ac remotæ. Porrò sicuti non assentimur, quòd potentiæ cogitativæ actualiter aliquam collationem rationum particularium, aut reminiscentiæ facultas actualem deductionem unius ex alio exercere queat (præsertim circa objecta moralia) citra concursum intellectûs: ita cum proportione de libero appetitûs sensitivi exercitio circa rationem honesti vel inhonesti loquendum esse censemus: quamquam ejusmodi paritates ab una potentia diversa ad aliam diversam plerúmque utroque pede claudicent, & enerviter probent.

255. Ad quintum transmittitur tota paritas: quia subordinationem appetitûs sensitivi ad rationem & voluntatem in dubium non vocamus. Deinde retorquemus: actus virtutum acquisitarum, ut in finem supernaturalem actualiter dirigantur, exposcunt influxum actualem charitatis, sine qua subordinatio vel conjunctio habituum acquisitorum ad gratiam sanctificantem insufficiens est: similiter ergo motus appetitûs sensitivi, ut ad ordinem superiorem liberi & honesti vel inhonesti actu eleventur ab ordine boni sensibilis, influxum voluntatis aliquem exposcunt.

256. Ad sextum negatur, omnes motus inordinatos per præceptum *Non concupisces*, prohiberi, cùm soli voluntarii, & qui inter actus humanos referuntur, prohibeantur, ne in illis, postquàm advertuntur à nobis, complaceamus, delectemur, vel consensum præbeamus, juxta illud *Eccles.* 18. *Post concupiscentias tuas non eas:* & Apostoli ad *Rom.* 6. *Non regnet*, id est, non dominetur, *peccatum in corpore vestro, ut obediatis concupiscentiis ejus:* ne enim ejusmodi motus inordinati oboriantur, non est absolutè in potestate hominis, cùm sæpiùs etiam à diabolo excitentur: est autem in ejus potestate, ut cum Divino auxilio illis repugnet, & dissentiat. Quis autem dicat, præcepta dari de illis actibus, quorum nos potestate destituimur? Inde

257. Ad septimum negatur min. deinde videtur esse contradictio in adjecto, si enim existentia vel non existentia omnis motûs

sensualitatis sita sit in voluntatis potestate, jam manifestò sequitur, motum, quem voluntas prævenire, impedire, vel rejicere negligit, procedere à voluntatis influxu consensûque saltem, &, ex defectu plenæ advertentiæ, imperfecto.

258. Ad octavum: Similiter D. Augustinus explicandus est, quòd peccatum concupiscentiæ, etiam leve, sit saltem imperfectè & interpretativè quodammodò voluntarium. Quàm certò D. Augustinus nostræ sententiæ Antesignanum egerit, tot luculenta ejus testimonia demonstrant. *lib. 5. contr. Julian. cap. 3. Frustra* (ait) *dictum est*, post concupiscentias tuas non eas; *si jam quisque reus est, quòd tumultuantes, & ad malum trahere nitentes, sentit eas, nec eas sequitur.* Et ad illud Pauli ad *Rom. 6. v.* 12. mox à nobis allegatum (*Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore &c.*) idem Hipponensis Præsul *lib. 2. Oper. imperfect. c. 226.* Julianum ita alloquitur: *Tu dic nobis: cur non ait* (Paulus) non sit peccatum in vestro mortali corpore: sed ait: non regnet. *Nisi, quia ista concupiscentia, quæ non potest esse nisi in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis ejus ad mala perpetranda consentiunt: in eis autem, qui, DEO donante, faciunt, quod præceptum est, id est, commotæ & instanti non obediunt, nec ei arma exhibent membra, id est quidem, sed non regnat &c.*

259. Finaliter adversis Doctoribus duos articulos à S. Pio V. & Gregorio XIII. proscriptos expendere relinquo. Primus ita sonat: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces:* Alter haud absimilis priori hîs verbîs constat: *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, Non concupisces, quamvis in peccatum transgressio non deputetur.* Sensum ergo prædicti præcepti, *Non concupisces*, genuinum ac legitimum Sylvius ad *quæst. 74. a. 3. conclus. 3.* hunc reddit: Nihil voluntariè concupisces contra legem DEI: sive, nulli pravæ concupiscentiæ consenties. Postmodùm tres perutiles regulas subjicit.

260. Regula prima motus inordinati, quos impedire vel avertere non est in hominis potestate, cujusmodi sunt illi, qui sequuntur ex qualitate corporis, & concitantur merè naturaliter sine aliqua imaginatione vel apprehensione, ne venialiter quidem sunt peccaminosi.

Regula secunda: Illi quoque motus inordinati, qui oriuntur ex apprehensione tam subita, quæ per illam prævideri non potuerint, sicuti & motus apprehensionem subitam consequentes, cùm pariter non sint in nostra potestate, quantum ad hoc, ne excitentur, etiam non habent rationem peccati ne quidem venialis, dummodò ratio statim, ùt percipiuntur, eis resistat.

261. Regula tertia: Motus illi inordinati, qui oriuntur ex aliqua imaginatione vel apprehensione, repentina quidem, non tamen ita subita, quin vel ipsa imaginatio aut apprehensio, vel motus sequens, potuerit impediri, sunt peccata venialia. Nam quando ratio potuit eos impedire, & non prævenit vel impedivit, jam datur aliqua imputabilitas ad culpam. Videatur Sylvius in 1. 2. *q.* 17. *a.* 1. ubi rebus hîc adnotatis aliquid plusculum lucis affundit.

262. Subjicio adhuc notabilia verba S. Thomæ, quæ *q. 7. de Mal. art. 5. ad* 8. apponit: „quia appetitus sensitivus ait, movetur ab „ aliqua apprehensione, & tamen est virtus „ in organo corporali, dupliciter potest mo-„ tus ejus insurgere: uno modo, ex corpo-„ ris dispositione, alio modo ex aliqua ap-„ prehensione. Dispositio autem corporalis „ non subjacet imperio rationis: sed omnis „ apprehensio imperio rationis subjacet. Pot-„ est enim ratio prohibere usum cujuslibet „ apprehensivæ potentiæ, maximè in absen-„ tia sensibilis secundùm tactum, quòd quan-„ dóque removeri non potest. Quia ergo „ peccatum est in sensualitate secundùm quod „ potest obedire rationi: primus motus sen-„ sualitatis, qui est ex dispositione corpora-„ li, non est peccatum; & hunc appellant „ aliqui primò primum. Secundus autem „ motus, qui excitatur ex aliqua apprehen-„ sione, est peccatum. Primum enim ratio „ nullo modo vitare potest; secundum au-„ tem vitare potest quantum ad singulos, „ non autem quantum ad omnes; quia dum „ avertit cogitationem suam ab uno, incur-„ rit in aliud, ex quo potest insurgere mo-„ tus illicitus. „

## QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

### *Qualis requiratur advertentia, ut motus appetitûs, vel delectatio morosa sit peccatum mortale?*

263. Constat ex dictis, advertentiam intellectûs seu rationis aliam esse plenam & perfectam, aliam semiplenam, & imperfectam, seu semideliberatam. Plenam seu perfectè deliberatam Theolog. Scholast. Salisburg. hîc *disp. 21. art. 5.* vocat, quando alicui malitia vel periculum peccati perfectè repræsentatur, firmóque & pleno judicio discernitur, vel saltem videri & discerni pòtest; veluti hoc contingit in perfectè vigilantibus, & omnibus iis, qui rationis perfectè compotes sunt, & objecti indifferentiam plenè cognoscunt. Semiplenam vel indeliberatam nominant, quando objecti malitia aut periculum peccati solùm imperfectè apprehenditur, prout secundùm præmissa in *n.* 229. contingere solet in semiebriis, semidormientibus, aliisque sibi non

non perfectè præsentibus, aut passione quadam distractis. Salmanticenses *hoc tract. disp.* 10. *num.* 136. ideo semiplenam, vel semideliberatam intellectûs advertentiam nominari ajunt, quia licèt in objecto advertat aliquid indifferentiæ, ratione cujus illud voluntati non proponit cum omnimoda determinatione ad unum, ut voluntas illud amplectatur, sed cum aliquali indifferentia, ut possit promiscuè vel appetere vel respuere; non tamen hæc indifferentia plenè cognoscitur, neque firmô judiciô tenetur; sed potiùs valde debiliter, & tenui quadam ac veluti transeunte luce, quæ non elicit judicium attentum, & sibi constans, sed debile & infirmum.

264. Quocirca ulteriùs notant, ad cognitionem plenè deliberatam de necessitate non requiri discursum formalem sive deductionem unius ex alio, neque consultationem aut inquisitionem formalem; sed sufficere, quòd firmô & sanô judiciô perspiciantur merita objecti, ejusque indifferentia, sive id fiat cum formali discursu, sive cum aliquo *virtuali*, quando merita objecti uno simplici intuitu ita intellectui repræsentantur, ut ab eo attentè & sine obstaculo percipiantur ac judicentur. Nihilominus citati Theologi observant, deliberationem & advertentiam *formalem* frequenter dici, quando quis objecti indifferentiam plenè advertit, ad distinctionem alterius deliberationis *virtualis* vel *interpretativæ*, quæ non dicit advertentiam *actualem formalem*, sed potiùs ejusdem carentiam, attamen cum obligatione & facultate libera ad advertendum; ob quam obligationem & facultatem advertendi illa carentia advertentiæ redditur peccaminosa, & nuncupatur *advertentia interpretativa*. Ita Salmanticenses. Paulò aliter Theolog. Salisburgens. *disp.* 21. *art.* 5. dividit enim advertentiam in habitualem, actualem, virtualem, & interpretativam. Prima consistit in ipsa facultate seu potentia advertendi ad malitiam: Secunda in actuali & expressa applicatione cognitionis ad malitiam actûs: Tertia explicatur per hoc, quòd actualis præcedens advertentia continuetur non quidem in se, sed in aliquo effectu relicto: Quarta seu interpretativa tunc adesse censetur in morali & prudentûm æstimatione, quando aliquis ad prohibitionem advertere neglexit, cùm tamen ad eam advertere potuerit & debuerit.

265. Rursus, advertentia seu cognitio tam semiplena quàm plena vel terminatur ad objectum solùm in *esse physico* sumptum, absque eo, quòd alicui quidpiam de ratione prohibitionis, malitiæ, & inhonestatis quoad *esse moris* in mentem veniat, vel attingit etiam hoc *esse moris*, id est, prohibitionem, & malitiam sive in communi, sive in particulari, & sive gravem sive levem, & quidem per notitiam certam, dubiam, vel probabilem, aut saltem per aliquam suspicionem. His præmissis, sit

266. Conclusio prima: Ad hoc, ut delectatio morosa, & motus appetitûs sensitivi, sive in materia venerea, sive in aliis graviter prohibitis, inducat peccatum mortale, requiritur plena advertentia ad objectum non solùm in esse physico, verùm etiam in genere moris, & in ratione prohibiti, seu illiciti cognitum. Ita communis cum S. Thom. qui in 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 6. animadverrit, posse id, *quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actûs: quia non perfectè pertingit ad rationem actûs moralis, cùm non sit deliberatus*, scilicet plenè. Ratio patet tum ex supra ostensa *diversitate* inter motus primò primos, secundò primos, & perfectè deliberatos: tum ex natura moralitatis, quæ pro fundamento habet libertatem; atque adeò secundùm gradum perfectionémque libertatis crescit & malitia peccati in sua intensione: tum denique, quòd per peccatum mortale affectivè & interpretativè ratio finis ultimi à DEO in creaturam per quandam exercitam appretiationem & prælationem transferatur, ad quod sanè imperfecta advertentia & deliberatio omnino insufficiens videtur. Cæterùm quòd advertentia non solùm formalis actualis, itemque virtualis, sed etiam interpretativa sufficere queat, pro certo tenet Clariss. P. Mezger in Theol. Salisb. *cit. art.* 5. eò quòd interpretativa æquivaleat formali: Salmanticenses tamen sufficientiam interpretativæ simpliciter non admittunt, sed cum aliqua distinctione intricata, quam proinde utpote parùm utilem prætermitto. Vide ipsum volumen eorum *boc tract. disp.* 10. *à num.* 144.

267. Conclusio secunda. Ut rationis nostræ advertentia sufficiat ad peccandum mortaliter, non requiritur determinatè cognitio malitiæ mortalis: adeóque si malitia objecti peccaminosi saltem in communi apprehendatur, prosecutio talis objecti evadit graviter peccaminosa. Salmantic. *loc. cit. num.* 160. iisdemque testantibûs, Theologi communiter. Et ratio est, quòd is, qui se proximo exponit periculo lethaliter peccandi, eò ipsò graviter peccet: sed qui cum repræsentatione malitiæ in communi, & sine examine, an sit mortalis vel venialis, objectum illicitum prosequitur, exponit se periculo peccandi graviter, intellige, nisi saltem adsit judicium probabile, quòd objectum non sit graviter prohibitum. Ergo peccat graviter. Addunt, neque hoc necessarium esse ad peccandum graviter, ut objectum peccaminosum cognoscatur in seipso, sed sufficere cognitionem malitiæ in causa quà tali, quemadmodùm & ipsum voluntarium *in causa* ad peccandum sufficere, jam sæpe insinuavimus.

268. Conclusio tertia. Delectatio morosa, seu consensus voluntarius in delectationem de re aliqua inhonesta, est peccatum grave vel leve pro qualitate objecti graviter scilicet vel leviter prohibiti. Dixi primò: delectatio *morosa:* quæ adesse censetur, si quis

si quis post plenam advertentiam rei inhonestæ, quam ùt præsentem apprehendit, delectationem, complacentiam, seu simplicem & inefficacem affectum ad illam, reprimere neglexerit: unde delectatio *morosa* in eo discernitur à delectatione *operosa*, quòd hæc affectum efficacem, intentionémque exequendi operis vel rei delectabilis includat, illa veró præcisè in delectatione rei cogitatæ sistatur, absque desiderio ipsius operis. Dixi secundò: *de re aliqua inhonesta.* Si enim delectatio solùm vel super ipsam cogitationem notitiámve rei malæ vel super quemdam modum ingeniosum artificiosum, mirabilem, aut ridiculum, cadat (ùt si Confessarius gaudeat, quòd gravitatem speciesque peccatorum calleat, aut alius, audito curioso furto, super astutia, dexteritate, & ingenio furis rideat) *per se* loquendo, nullum censetur committi peccatum *morosæ delectationis;* quamvis per accidens ejusmodi delectatio possit fieri mala, putà, ratione scandali, levitatis, aut moralis periculi, ne à delectatione de cogitatione vel modo ingenioso habitâ, aliquis transeat ad delectationem de ipsa re, quod periculum in cogitatione rerum obscænarum, earúmque aspectu faciliùs imminet, quàm in rebus alterius classis. Dixi tertiò: *pro qualitate objecti* graviter vel leviter prohibiti. Neque enim graviter peccat, qui de mendacio jocoso delectatur: sicut econtra graviter peccat, qui delectatur de sua ebrietate perfecta, vindicta sumpta, exhibito gravi dolo, damno alicui ex proximis cum læsione gravi illato &c. An autem consensus in delectationem de rebus obscænis semper sit peccatum mortale, paulò pòst disceptabitur. Ratio verò nostræ conclusionis consistit potissimùm in hoc, quòd (ùt notat D. Thomas) *nullus delectetur nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus:* ergo delectatio secum fert amorem & affectum aliquem ad ipsam rem illicitam: at hujusmodi affectus est malus, inordinatus, consequenter secundùm qualitatem objecti graviter vel leviter prohibitus & peccaminosus. Adhæc: delectatio de aliqua operatione & ipsa operatio ad idem genus spectant: sicuti ad justitiam pertinet, operari justa, & delectari de justis operationibus: gravitas itaque vel levitas, quæ cognoscitur esse in operatione, similiter in delectatione de operatione esse convincitur. Hæc doctrina est constanter ipsiusmet D. Thomæ tam in 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. quàm in *quæst.* 15. *de mal. art* 2. *ad* 16. & 17. & *quæst.* 15. *de verit. art.* 4. Et in 2. *dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 4. & *quodl.* 12. *art.* 34. est insuper receptissima apud Scholasticos, ita ut contraria non sit probabilis, teste Sylvio ad *cit. quæst.* 74. *art.* 8. *concl.* 2. Contra præmissa

269. Dices primò: Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem, Jacob. 1. Atqui non est consummatum, quando deest intentio exequendi operis illiciti: cùm ergo in delectatione morosa hæc intentio desit, non videtur esse lethaliter peccaminosa. Resp. Apostolum non velle, nullum peccatum esse consummatum, nisi sit opere externo completum; sed, quòd nullum etiam internum sit consummatum, mortémque animæ æternam afferat vel reipsa, vel saltem quantum ad reatum, nisi quod perfecto consensu completum est. Aliam Responsionem nectit Sylvius *cit. quæst.* 74. *art.* 8. *post. Conclus.* 2.

270. Dices secundò. Sola delectatio de præceptis Divinis cum consensu habita non meretur præmium vitæ æternæ; sed requiritur præterea voluntas præcepta Divina opere implendi: Ergo nec sola delectatio, vel consensus in illam, qua aliquando accuratè non observantur præcepta Divina, debet reatum æternæ mortis inducere. Resp. Longè plus requiri ad meritum & rationem boni operis, præmiúmque ipsi præparatum, quàm ad peccatum, & pœnæ reatum, juxta tritum illud: bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.

271. Dices tertiò. Nos concedimus, delectationem, quæ habetur de ipsa re, vel opere graviter prohibito, esse peccatum mortale: ergo pariter concedere oportebit, delectationem quæ concipitur de modo ingenioso vel admirabili, esse graviter peccaminosum. Prob. conseq. quia modus ille habet se inseparabiliter. Resp. neg. conseq. transmisso enim, modum ingeniosum seu curiosum non esse separabilem ab hoc actu individuali, vel opere, est tamen separabilis à quolibet actu vel opere, secundùm speciem considerato, cùm sit aliquid de se indifferens, ut vel adhibeatur ad opus justum, & licitum, vel ad opus illicitum & injustum, v. gr. ad auferendam rem propriam, vel ad auferendam alienam. Vid. Sylv. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. Cæterùm quandóque, post objectum ab intellectu propositum, delectatio aliqua est in sola voluntate, & illa vocatur *rationalis*, quandóque oritur in solo appetitu sensitivo cum immutatione seu alteratione corporis; & ista appellatur delectatio *sensibilis:* attamen propter sympathiam, quæ datur inter voluntatem & appetitum sensitivum, perdifficile est, eas ita separare, ut, unà suboriente, non surgat & altera: interim certum manet, sensibilem posse esse involuntariam, si vel rationem præveniat, vel ratio ei contradicat; ea verò, quæ dicitur rationalis, nequit non esse voluntaria. Plura, quæ ad integritatem notitiæ in hac materia scitu tam necessaria pertinent, ex sequentibus constabunt. Sed quæso! castis sint omnia casta, monente S. Matre Ecclesia, ne fœda sit, vel lubrica compago nostri corporis, per quam averni ignibus ipsi crememur acriùs. Luxuriâ nihil turpius: libido pecudem ex homine facit.

QUÆ-

# QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

## *Utrùm consensus perfectus in delectationem Veneream extra Statum Matrimonii semper sit peccatum mortale?*

272. ADvertendum, magnitudinem delectationis venereæ, ejúsque quantitatem ponderari posse vel ex parte *actûs*, vel ex parte *objecti*. Ex parte *actûs*, in quantum unus est altero intensior vel remissior. Meliùs tamen magnitudo vel parvitas delectationis istius, in appetitu sensitivo obortæ, ex magnitudine aut parvitate effectûs, seu carnalis commotionis æstimatur, vel ex eo quoque, quòd una delectatio præ altera rationem notabiliter ad se distrahat, & ad attentionem rapiat. Ex parte *objecti* magnitudo vel parvitas æstimanda est ex quantitate objecti gravi vel levi in genere luxuriæ: inter objecta autem gravia in hoc genere Salmanticenses hic *disp.* 10. *in Appendice* §. 2. *num.* 263. recensent copulam carnalem, quamlibet voluntariam pollutionem, vel notabilem distillationem, atque etiam notabilem membrorum genitalium commotionem, nec non quamvis veneream delectationem gravem: potest enim, inquiunt, de una delectatione quasi cogitatâ alia quasi reflexa insurgere: huc etiam revocant quamlibet causam, quæ ùt talis in prædicta influit. Quæ autem objecta in genere luxuriæ sint levia, non ita facilè apparere subnotant, nisi levia dixerimus tenuem & modicam commotionem circa partes libidinosas, tenuémque & modicam delectationem prædictæ commotionis comitem, supra quam delectatio alia reflectatur; aut tenuissimam distillationem, sine cogitatione alterius objecti gravioris. Addunt, quòd possint etiam dici objecta levia causæ leviter influentes in effectus venereos supra recensitos, cujusmodi causæ sunt ex. gr. aspectus vultûs alicujus fœminæ, tactus, alicujus partis non obscænæ v. gr. digiti &c. non secundùm se, sed quatenus actu influunt in supra dictos effectus, putà copulæ carnalis, pollutionis &c.

273. Conclusio: Consensus in delectationem veneream quæ capitur de objecto gravi, sémper est peccatum mortale, sive delectatio sit merè rationalis, & in sola voluntate sistat, sive sit etiam sensibilis, hoc est, in appetitu quoque sensitivo suborta. Ita Theol. Salisb. tum Scholast. tum Moralis: & Salmanticensis *loc. proximè cit. num.* 264. ubi testificantur hanc esse communissimam Theologorum Sententiam, à qua neminem Catholicorum dissensurum existimant. Prob. ratione fundamentali & communi: Omnis inordinata, sive sit solùm inchoata, sive completa, seminis expulsio, est peccatum mortale extra Statum Matrimonialem, & nisi aliquâ causâ aliâ excusetur: atqui omnis consensus in delectationem, sive voluntaria delectatio de re venerea, saltem, quando objectum est grave, est inordinata seminis expulsio, quatenus vel ex natura sua ad eam tendit, ùt delectatio excitata in appetitu sensitivo cum commotione Spirituum generationi prolis servientium: vel quatenus de se potest esse causa proxima motuum obscænorum prædictorum excitativa, ùt est delectatio de objecto venereo hic & nunc in voluntate suborta, & nullo resistentiæ vel displicentiæ moderamine repressa seu rejecta. Ergo omnis consensus in delectationem de re venerea, quoties objectum est grave, extra statum matrimonialem, & nisi aliqua causa speciali excusetur, est peccatum mortale, sive delectatio hactenus sit purè rationalis, sive etiam sensibilis, nullo resistentiæ vel displicentiæ moderamine repressa aut rejecta. Roboratur ex eo, quòd consentiens in hujusmodi delectationem saltem implicitè consentiat in objectum graviter prohibitum, & difforme rationi, & reverà talis actus sit actus luxuriæ: per se ergo non excusatur à ratione peccati mortalis. Audiamus D. Thom. *q.* 15. *de Mal. art.* 2. *sed contra est*, ait, quòd Apostolus *ad Gal.* 5. dicat: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, & postea subdit: qui talia agunt, Regnum DEI non possidebunt. *Sed nihil excludit à Regno DEI, nisi peccatum mortale; Ergo omnis actus luxuriæ est peccatum mortale.* Verùm Conclusioni

274. Obluctari videtur primò: quòd peccatum gulæ, tam si spectetur in opere, quàm in delectatione, sit majus peccatò luxuriæ, & tamen consensus in delectationem, & peccatum gulæ possit esse venialiter peccaminosus: Ergo multò magis consensus in delectationem & peccatum luxuriæ: Ant. prob. ex Div. Thom. *de Malo cit. quæst.* 15. *art.* 2. ubi advertit, peccatum duplici modo minorari posse: uno modo propter infirmitatem hominis: alio modo propter magnitudinem impugnationis: jam verò homo patitur majorem debilitatem circa peccatum luxuriæ, quàm circa peccatum gulæ: quia generativa, ad quam pertinet peccatum luxuriæ, non solùm est corrupta sicut nutritiva, ad quam pertinet peccatum gulæ: sed etiam est infecta. Major quoque est impugnatio ex parte hostis circa luxuriam, quàm circa gulam: quia præcipuè diabolus hominem impugnat de luxuria: ùt patet per illud Job. 14. *Virtus est in lumbis ejus, & potestas ejus in umbilicò ventris illius*, quod Gregorius refert ad peccatum luxuriæ. Ergo revera peccatum luxuriæ minus est peccato gulæ &c. Resp. S. Doct. ibi ad sextum quòd adducta ratio procedat de quantitate peccati, quæ attenditur secundùm circum-

ſtantias, cui tamen præponderet quantitas peccati, quæ attenditur ſecundùm ſpeciem actûs: Unde patet, quòd quantumcunque aliquis inducatur ad faciendum homicidium, gravius eſt peccatum, quàm ſi dicat verbum otioſum etiam ſine impulſu. Similiter etiam: etſi homo magis impugnetur ad actum luxuriæ, quàm ad actum gulæ, & in eo ſit debilior; quia tamen actus luxuriæ eſt ſecundùm ſe mortale, quia habet materiam indebitam charitati repugnantem, quod actus gulæ non habet; ideo non ſequitur, quòd peccatum luxuriæ ſit minus, quàm peccatum gulæ. Sic S. Doct.

275. Sed contra: ideo maximè omnis actus luxuriæ, ſecundùm reſponſionem Angelici Doctoris importaret materiam gravem, quia haberet materiam indebitam graviter repugnantem charitati: atqui iſta repugnantia adſtruitur absque fundamento: Repugnaret ſiquidem charitati proximi; quod eò minùs dici valet, quo certius eſt, non in omni luxuria aliquam proximo inferri injuriam. Reſp. D. Thom. *dict. quæſt. 15. de Mal. art. 2. ad 4.* quòd omnes corruptiones luxuriæ, quæ fiunt præter legitimum Matrimonium, ſint peccata in proximum, in quantum ſunt contra bonum prolis generandæ & educandæ.

276. Obluctari videtur ſecundò: quòd oblectari de iis rebus, quæ ideo ſunt malæ tantùm quia prohibitæ per legem poſitivam, aut votum voluntariè emiſſum non ſit peccatum, aut ſaltem à mortali excuſetur, dummodò delectans præſcindat à repugnantia cum lege: v. g. non peccat, qui die Veneris delectatur de eſu carnium ſecundùm ſe ſumpto, & ùt præſcindit à Legis Eccleſiaſticæ prohibitione. Si quis ergo de opere fornicario moroſè delectaretur cum ſimili præciſione à lege poſitiva tale opus prohibente, aut nullum, aut veniale tantùm peccatum committeret: nam & opus fornicationis ideo ſolùm eſſe malum, quia lege Divina poſitiva prohibitum eſt, docet Caramuel *lib. 3. Theol. Moral. num.* 1600. & in Theol. *Intentionali num.* 1904. & in *Theol. Fundament. Fundamento* 12. *num.* 541. & Franciſcus Verde in *Apologia* pro Caramuele contra Borgiam *q.* 3. & 4. Verùm Reſp. contra Caramuelem non immeritò communem Theologorum ſententiam ſtare, & aſſerere, malitiam fornicationis eſſe intrinſecam, & non ſolùm legi poſitivæ Divinæ, ſed & juri & dictamini naturali adverſam. Ubi primò expendi velim propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam numero 48. hujus tenoris: *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur:* Et alteram ſequentem: *Molities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi DEUS eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Secundò expendatur, quòd omnes leges in Decalogo ſint Divino-naturales, exceptâ circumſtantiâ Sabbati: atqui per præceptum *Non concupiſces*, & præceptum *Non mœchêris*, prohibentur omnes delectationes libidinoſæ, ſicuti & opera impudica omnia, niſi quæ cohoneſtantur per ſtatum matrimonialem ad propagationem generis humani, & prolem legitimè educandam, à DEO ùt ſupremo Legislatore atque naturæ & gratiæ Auctore inſtitutum: igitur non ſolas fornicationes, ſed & omnes delectationes libidinoſas, operáque impudica lege non tantùm poſitiva Divina, ſed & naturali prohibita eſſe, pro certo tenendum eſt. Et licèt hæc veritas auctoritate textuum, & variarum rationum pondere ſtabiliri poſſet, prout egregiè oſtendit P. Cardenas in *Criſi Theol. Diſſert.* 29. ſpecialiter tamen conſideranda eſt auctoritas D. Thomæ multis in locis ſuorum operum: Ut in *quæſt.* 15. *de Mal. a.* 1. De fornicatione ſingulariter, quòd ſit intrinſecè mala, habet in 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *in C.* ubi conſiderandum reliquit, omne id peccatum mortale eſſe, quod committitur directè contra vitam hominis: „Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui ex tali concubitu naſcitur . . . Manifeſtum eſt autem, quòd ad educationem hominis non ſolùm requiritur cura matris, à qua nutritur, ſed multò magis cura patris, à quo eſt inſtruendus & defendendus, & in bonis tam interioribus, quàm exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis eſt, quòd utatur vago concubitu: ſed oportet, quòd ſit maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, ſed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde eſt, quòd etiam naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: Hæc autem ſollicitudo tolleretur ſi eſſet vagus concubitus:„ Unde cùm fornicatio ſit concubitus vagus, utpote præter matrimonium exiſtens, eſt contra bonum prolis *educandæ: & ideo eſt peccatum mortale.* Ubi notanda ſunt verba: *& ideo contra naturam hominis eſt, quòd utatur vago concubitu &c.* Non igitur ſolius juris poſitivi, ſed etiam juris naturalis prohibitio actus libidinoſos, qui ad fornicationem ordinantur, unà cum fornicatione deteſtatur. Unde Cardenas (ùt fundamentum D. Thomæ à Caramuele & aliis, ipſum obiter ſolùm conſiderantibus, vindicet) rectam rationem poſtulare, ſubdit, ut in re tanti momenti, qualis eſt conſervatio ſpeciei humanæ, & generatio hominis habeat modum deſtinatum à ſupremo naturæ Domino, ex quo, quantum fieri poteſt, vitentur ea pericula vitæ, ſalutis æternæ, miſeræ paupertatis, & pravæ educationis: ergo diſſonat rationi quicunque alius modus generandi hominem, qui non ſit deſtinatus à ſupremo naturæ Domino. At modus, quem deſtinavit ſupremus naturæ Dominus, eſt, ut

*ſit*

*sit maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat* (id est, cum qua sit obligatus ex contractu permanere) per totam vitam: ergo rationi dissonat quicunque alius modus generationis, distinctus à contractu matrimonii.

277. Si instes cum Caramuele, & ejus sequacibus, aliquos Principum Nothos optimè educari, Respondet Cardenas, negari non posse, alios malè educari, vel quia Principes nolunt eos recognoscere ùt filios, propter incertitudinem filiationis, ex eo, quòd fœmina, quæ libidinosè conversata est cum uno, forsan eodem modo se gesserit cum aliis: vel quia mæchus aut ex indiciis aut ex animi malignitate fœminam illam alienæ conversationis suspectam habet. Cùm ergo alii benè alii malè educentur, rectè inferes, quòd tempore fornicationis sit periculum malæ educationis, præter cætera pericula: lex autem prohibitoria non respicit pro fine ipsam pravam educationem prolis, sed periculum, quod communiter subest; eritque respectu legis & obligationis legalis omnino per accidens, si educatio bona subsequatur.

278. Hoc ipsum Argumentum Doctor Angelicus *cit.* 15. *de Mal. a.* 2. jam olim prævidit, sibi ipsi sic objiciendo: „Commistio „maris & fœminæ ordinata est ad actum ge„nerationis, & educationis prolis: sed „quandóque ex fornicario concubitu potest „sequi convenienter generatio & educatio „prolis. Ergo non omnis fornicarius con„cubitus est peccatum mortale. Respondet, actum generationis ordinari ad bonum speciei, quod est bonum commune. „Bonum autem commune est ordinabile le„ge: sed bonum privatum subjacet ordina„tioni uniuscujusque; & ideo quamvìs in „actu nutritivæ virtutis, quæ ordinatur ad „conservationem individui, unusquisque „possit sibi ordinare cibum convenientem „sibi: tamen determinare, qualis debeat esse „actus generationis, non pertinet ad unum„quemque: sed ad Legislatorem: cujus est „ordinare de propagatione filiorum, ùt „etiam Philosophus dicit in 2. *Politic.* Lex „autem non considerat, quid in aliquo casu accidere possit, sed quid convenienter „esse consuevit. Et ideo licet in aliquo ca-„su salvari possit intentio naturæ in actu„ fornicario quantum ad generationem pro-„lis & educationis; nihilominus actus est„ secundùm se inordinatùs & peccatum mor-„tale.„

279. Et in *C. articuli*, *videmus* (inquit idem S. Doctor) *quòd peccatum mortale est non solùm homicidium, per quod vita hominis tollitur, sed etiam furtum, per quod subtrahuntur exteriora bona. Unde dicitur* Eccles. 34. Panis egentium vita pauperis: qui defraudat illum, homo sanguinis est. *Propinquiùs autem ordinatur ad vitam hominis semen humanum, in quo est homo in potentia, quà quæcunque res exteriores. Unde & Philosophus in sua Politica dicit, in semine hominis esse quiddam Divinum, in quantum scilicet est homo in potentia: & ideo inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinqua. Unde manifestum est, quòd omnis talis actus luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere. Et quia appetitus interior accipit bonitatem vel malitiam ex eo, quod appetitur, inde est, quòd etiam appetitus hujusmodi actûs inordinati est peccatum mortale, si sit completus, scilicet cum ratione deliberata: alioquin est peccatum veniale.*

280. Instas adhuc, delectatio simplex, quæ quidem est *morosa* ratione perfectæ advertentiæ, sed non *operosa*, nihil participat de operis malitia: ergo quamvìs fornicatio concedatur esse intrinsecè & graviter mala, ejus tamen malitia tantò minùs redundabit in delectationem morosam, quantò veriùs juxta D. Thomam malitia prædicta consistit in damno prolis, cui sanè ex sola simplici delectatione nullum imminet. Resp. cum *Theol. Scholast. Salisb.* hic *a.* 4. *§.* 3. delectationes & opera iisdem præceptis prohiberi, cùm ad idem genus pertineant. Et licet damnum prolis in delectatione morosa, ac interna, quæ habetur ex repræsentatione fornicationis, non sit effectivè & executive, tamen ibi est affectivè & interpretativè volitum, haud equidem ad committendum opus proli damnosum, tamen ad oblectandum de illo, quod satis est, ut malitia & inordinatio, & deformitas rationi naturali graviter dissona ipsius operis fornicarii in delectationem redundet.

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

### *Quid jam censendum sit, an ergo in genere luxuriæ nulla detur parvitas materiæ, id est, actus solùm venialiter malus?*

281. PRæmitto primò: hìc non quæri, utrùm possit dari peccatum veniale intra genus luxuriæ, quod ex imperfectione deliberationis, & advertentiæ oritur: nam tale veniale in appetitu sensitivo & motibus secundò primis jam supra admisimus. Quare in præsenti disquiritur, an possit dari aliqua delectatio carnalis seu venerea, quæ sit ex libera electione plenéque voluntaria, adeóque *directè* intenta, & tamen propter levitatem motûs carnalis vel objecti, rationem peccati venialis non excedat? Describitur autem delectatio propriè non quomodocunque sensibilis, sed venerea seu libidinosa, quòd sit illa, quæ in ipsa carne sentitur cum commotione seminis, & spirituum generationi deservientium circa partes libidinosas: involvitur igitur in prædicta delectatione venerea sensibilis passio, secum ferens corporalem immutationem, habens-

habénsque ex propria ratione, quod in corpore sentiatur. Unde ex parte corporis requirit organum & dispositionem congruam, sine qua appetitus sensitivus non alliceretur. Per quod delectatio sensibilis & simul venerea differt primò à delectatione purè rationali, consistente in sola voluntate, quæ secundùm se non causat commotionem in carne vel appetitu sensitivo, nisi quatenus inducere solet delectationem sensibilem, ùt loquuntur Salmantic. *disp.* 10. *in Append. sub num.* 258. Differt secundò à delectatione purè naturali, merè sensibili, & indifferenti, quâ sine ulla libidinosa affectione & commotione placet tactus vel visus proprii aut alieni corporis, ob solam proportionem & connaturalitatem cum organo tactûs vel visûs: sicut tactus rei cujusvis blandæ, & visus rei pulchræ, organa visûs & tactûs naturaliter delectant. Vid. Sanch. *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 46.

282. Præmitto secundò: Causas, ex quibus motus venerei in appetitu concupiscibili excitari possunt aut solent, esse varias: quædam enim sunt necessariæ, honestæ & utiles: quò pertinent applicatio remediorum ad medendum partibus secretioribus naturæ, aut vicinis eorum: exceptio Confessionum Sacramentalium: lectio librorum de materia lubrica, pro paranda instructione ad officium Confessarii ritè obeundum &c. Quòd si ex ejusmodi causa sequatur commotio carnalis, vel impuritas, adeóque delectatio venerea in sola carne sine consensu in ratione & voluntate in ipsam, ex communi sententia, nullum prorsus exinde subsequitur peccatum: magis dicendum, quòd ex resistentia & seria displicentia legitimè certanti potiùs debeatur aliquod præmium. Aliæ causæ sunt per se indifferentes, ùt si motus venereus insurgat ex equitatione, comestione calidorum &c. Quædam denique sunt peccaminosæ intra genus luxuriæ & quidem graviter, quales sunt tactus, amplexus, oscula & aspectus libidinosi, id est, ad captandam veneream delectationem ordinati, & istæ causæ sunt vitandæ sub obligatione peccati mortalis: quædam leviter, ut iidem tactus, amplexus, aspectus, oscula &c. ex joco, levitate aut curiositate, & quidem tantùm obiter facti: quædam sunt omnino extra genus luxuriæ, ùt sunt colloquia honesta cum personis alterius sexûs, vel etiam aspectus earundem moderati v. g. in facie, vel ex fine quodam honesto, admirandi & laudandi Divinam potentiam & sapientiam in suis creaturis, vel propter solam delectationem sensibilem citra aliam malam intentionem vel periculum consensûs in ulteriorem delectationem veneream. His prænotatis,

283. Conclusio hodie communissima tenet, quòd, *practicè* loquendo, probabiliùs non detur parvitas materiæ, hòc est, delectatio venerea, per se & directè intenta, quæ sit leviter solùm peccaminosa sive ex parte actûs sive ex parte objecti. Ita in specie Salmanticenses *loc. cit. à num.* 264. & P. Ludov. Babenstub. *Theol. Moral. Salisb. tr. de Actib. Hum. disp.* 3. *a.* 4. *num.* 21. & *tr. de Præcept. Decal. disp.* 7. *a.* 2. *num.* 123. Platelli *h. tr. num.* 292. P. Sporer *tr.* 1. *Prooem. cap.* 5. *Sect.* 2. *num.* 18. P. Claud. la Croix ad Busenbaum *l.* 3. *n.* 911. eandémque sententiam supponit P. Mezger in *Theol. Scholast.* Contrariam docere toti Societati suæ in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis prohibuit Claudius Aqua Viva tanquàm P. Generalis. Ratio fundamentalis ex dictis colligitur. Cùm enim delectatio venerea ùt talis fiat per commotionem spirituûm generationi deservientium, atque ex natura sua tendat ad emissionem seminis humani, quæ per se directè intendi nequit, nisi cum ordine ad generationem, educationémque prolis, in solo statu conjugali à DEO institutam permissámque, rationi naturali semper & graviter quidem adversari censetur, si quis plenè advertenter in ejusmodi motum carnalem positivè consentiat. Neque obstat, quòd tales commotiones studiosè propter delectationem excitatæ, toleratæ, & intentæ possint esse leves: nam semper subest periculum, ne insurgant majores; quandoquidem appetitus sensitivus solùm politicè, non verò despoticè rationi & voluntati humanæ subjectus est, quasi statim ad nutum parere debeat. Igitur commotio carnalis voluntaria ratione periculi majoris incendii, quod ex nimia naturæ, in Adamo *lapsæ*, fragilitate & proclivitate ad delectationes carnales imminet, nec ratione actûs ex parte voluntatis, utpote in gravius malum *virtualiter* saltem & *implicitè* consentientis, neque ex parte objecti, v.g. osculi, tactûs, appetitûs libidinosi &c. in quibus delectatio venerea etiam modica prævidetur, intenditur, eligitur, & quæritur, titulo materiæ parvæ, à mortali excusari potest. Dixi supra, *practicè loquendo:* Quamvis enim Clariss. P. Babenstub. *loc. cit.*

284. Neget, ullam probabilitatem sententiæ contrariæ relinqui, attamen Salmanticenses eam, præsertim speculativè, magnam retinere probabilitatem censent. Re ipsa etiam Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. dis.* 46. in venereis non omnem materiæ parvitatem penitus refellit. Nam postquàm *loc. cit.* oscula & amplexus ob delectationem veneream habita peccati lethalis damnârat, in primæva sua editione sequentia subdit: *Moderanda tamen est hæc sententia, nisi parvitas materiæ adsit: illa enim à mortali culpa excusabit.* Potest enim dari modica delectatio venerea, quæ, si absint periculum pollutionis, & periculum consensûs in actum carnalem, non erit culpa lethalis. Quia dari nequit ratio sufficiens, cur in cæteris præceptis detur parvitas materiæ, non tamen in hoc. Et quamvis parvitas copulæ carnalis dari nequeat; àt potest dari parvitas delectationis venereæ, quæ ex solo tactu vel cogitatione

exurgat. Pro eadem moderatione citat Armillam, Navarrum, & Sotum. Dicunt equidem, verba præcitata in posthumis Sanchezii editionibus fuisse expuncta; nihilominùs Salmanticenses articulatè & signatè ostendunt, etiam in his posterioribus parvitatem materiæ à præfato auctore retineri. Referunt insuper Joannem de Salas, Granadum, Filliucium, Aravium, Villalobum, Lessium, Marchantium, Zanardum &c. pro defensoribus parvitatis materiæ in delectatione venerea.

285. Accedit, quòd Reverendiss. P. Generalis Goswinus Nickel Patribus suæ Societatis permiserit, ut pœnitentem doctum, & aliàs ritè dispositum, possint absolvere, qui contrariæ sententiæ insistens, hactenus ab Ecclesia nunquam damnatæ, in Confessionali sese accusat de modica delectatione venerea tanquàm peccato veniali ob parvitatem materiæ.

286. Demùm Eximius P. Patritius Sporer prudenter advertit, quòd, tametsi non sit admittenda parvitas materiæ in re venerea directè voluntaria, eam tamen negari non posse in re venerea *indirectè* voluntaria, quando nimirùm ponuntur causæ leves, aut positæ non removentur, ex quibus aliqua commotio carnalis subsequi solet, dummodò excludatur consensus in delectationem,& quamlibet impuritatem. Pro qua sententia loquendíque modo citat P. Vasquez in 1. 2. *disp.* 188. testificantem, ita communiter Theologos sentire.

287. Et ratio est, inquit Sporer, quia valdè rationale consonúmque est fragilitati humanæ, quòd homo sub peccato mortali non teneatur evitare omnem actionem levem, ex qua periculum oritur, ne insurgant motus quidam venerei: cúmque isti motus facillimè exurgant, ut sint mortales, omnino majus *voluntarium* requiri debet, quám *indirectum & virtuale* solùm in causa, maximè levi, & de se veniali tantùm: alioquin certè oporteret peccati mortalis damnare omnem conversationem non necessariam unius sexûs cum altero, juvenum cum puellis familiaria colloquia, choreas, aliásque recreationes etiam de se honestas: cùm in iis facillimè interveniant aspectus blandi, verba levia, tactus, amplexus, oscula &c. & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus venerei aliqui, quos tamen, secluso consensu vel periculò consensûs, unà cum veniali sua causa meritò censemus veniales, quemadmodùm & alia, quæ remotè tantùm disponunt ad alia peccata mortalia, ut litigium ad homicidium, haustus superfluus ad ebrietatem &c. venialia tantùm meritò censentur.

288. Neque formidat ille, ne hæc posterior sententia impingat in propositionem damnatam ab Alexandro VII. numero quadragesimam, quæ sic sonat: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis:* Occurrit enim huic objectioni, quòd prætacta propositio loquatur de delectatione carnali & sensibili, adeóque venereâ, quatenus ex osculis exortâ, atque adeò directè volitâ cum consensu in illam, veluti hoc colligitur ex verbis appositis: *absque periculo consensûs ulterioris, & pollutionis:* hoc enim periculum consensûs ulterioris supponit, quòd consensus aliquis in ipsam delectationem carnalem, seu veneream circa partes libidinosas ex osculis excitatam jam præcesserit, & per consequens consensus ille lethalis fuerit. Atque hac explicatione prædictæ propositioni satisfieri, requisito priùs consilio plurimorum virorum doctissimorum, censet Sporer, salva semper Sedis Apostolicæ Auctoritate. Contra hactenus fusè proposita

289. Opponi potest primò, quòd in pluribus aliis detur parvitas materiæ, ut in jejunio, furto &c. in quibus delectatio *directè* intenta manet intra limites peccati venialis, non obstante, quòd furtum ex genere suo sit peccatum mortale. Resp. discrimen esse, quòd in oblectationibus venereis nimia fragilitas humana & proclivitas semper sit conjuncta cum periculo proximo, ne motus directè volitus ex modico fiat gravior; deinde quilibet censetur dispositivè & inchoativè pollutio &c. & ex natura sua tendit ad generationem &c. Neque appetitus sensitivus ita est sub potestate hominis cum aliqua despotica subjectione, ut aliquis possit sibi liberè præfigere certam metam vel mensuram delectationis venereæ: ac decernere: tamen ac tantum præcisè motum delectationis volo, & non majorem: quemadmodùm propter despoticam membrorum exteriorum subjectionem decernere potest, ut manus extensa ad parvam quantitatem, retrahatur & abstineat à majori quantitate, & pluribus furtis &c. Aliud igitur est in genere luxuriæ: nam semel applicatâ causâ ad excitandam carnalem commotionem, statim adest alia naturalis urgens illam, vehemens scilicet inclinatio appetitûs concupiscibilis, qua in ejusmodi delectationes propendet, & periculum præsentaneum, ne ex parva scintilla fiat majus incendium, quod quidem hic & nunc à voluntate pro libitu non statim extingui potest, attamen, quia in causa directè posita prævideri potuit, voluntati tanquam aliquid in causa voluntarium imputatur.

290. Oppones secundò. Juxta Sanchez, Tannerum, & alios non est peccatum grave, si vidua (idem esto de Viduo) delectationem veneream capiat de actu conjugali habito cum defuncto marito, imaginando sibi actum illum ùt præsentem: supponunt ergo, in delectatione venerea directè volita absolutè committi posse peccatum veniale, & dari parvitatem materiæ. „Fortè aliquis responderet, viduam in tali delectationis motu voluntario nec venialiter nec lethaliter peccare, ea de causa, quòd ejusdem moris sit

delectari de præsenti, præterito, vel futuro: cùm hujusmodi differentiæ non varient speciem moris de bono in malum: & propterea sicut viduæ consensu approbativo & absoluto potest placere actus præteritus, ita absolutè potest delectari de illo, consequenter etiam ùt præsenti; quemadmodùm & Judex de actu præterito justitiæ vindicativæ licitè delectatur, quo aliquem capitis damnavit, & sententiam per carnificem jam executus fuit: scilicet memoriam de rebus justis & licitis eodem modo & more est delectabilis, quo & ipsæ res justæ, & actus liciti in se fuerunt de præsenti delectabiles. Hac responsione equidem evitatur necessitas in casu proposito admittendi parvitatem delectationis & materiæ intra genus luxuriæ: sed quia non plenè satisfacit, hinc pro debita responsione Card. Cajetanus *Opuscul. tom.* 1. *tract.* 14. *dub.* 2. advertendum esse monet, quòd aliud sit, loqui de voluntaria delectatione præteriti actûs liciti, & aliud loqui de concomitantibus illam: nam stat, ait, quòd ipsa delectatio de actu præterito voluntaria immunis sit secundùm seipsam à peccato mortali, & tamen ipsamet, ut annexum habet malum aliquod (putà pollutionem, vel delectationem interiorem, quæ consequitur velleitatem actûs similis præterito, aut insurgentem concupiscentiam) sit peccatum mortale. Et quia venerea quantumcunque licita, dum cogitantur, annexam habent concupiscentiam carnis motúsque, qui etiam non præcipiente intellectu insurgunt, teste experientia: ideo si viduæ delectatio periculum habeat annexum pollutionis aut ruinæ animæ, ad aliquem pravum consensum hujusmodi delectationum annexarum (ùt communiter accidere videtur illis, qui talibus memoriis voluntariè immorantur) tenetur evitare hujusmodi memoriam, sicut talia pericula fugere tenetur, videlicet sub reatu peccati mortalis. Quodsi talia pericula abessent, Cajetanus censet, memorias communiter esse peccata venialia, non propter parvitatem materiæ, quæ dentur directè in genere luxuriæ, sed ex ea ratione, quòd careant *pia necessitate & utilitate.* Ex quo conjicitur, in hac ultima hypothesi non fore aliquam delectationem propriè veneream; neque intra genus luxuriæ viduam, remotis illis periculis, venialiter peccaturam, sed ex alio capite.

291. Clariss. P. Mezger hìc *art.* 4. *§.* 3. *num.* 16. ad similia respondet, equidem speculativè loquendo, & spectando delectationem præcisè ex parte objecti ac remoto periculo motûs libidinosi, probabile esse, quòd conjux viduus ex tali voluntaria repræsentatione peccatum grave non incurrat: quia tamen periculum in causa proxima per se directè inductiva in motus carnales in *praxi* abesse vix potest, ideo contraria Sententia, quam tenet etiam Castropalaus, ipsi practicè videtur longè probabilior. Paulò post memoratus Mezger viduum & viduam omnino à peccato immunes pronuntiat, si delectatione solùm *rationali* de actu conjugali, non ùt præsenti, sed ùt præterito formaliter gaudeant; aut si motivum delectandi sit aliud à voluptate v. g. quòd liberi ex illo procreati, hæreditas inde acquisita: tunc enim deficit ex parte objecti deformitas specialis, & excitativum motûs libidinosi.

292. Quæ dicta sunt de personis in statu viduitatis constitutis, proportionaliter ad delectationem Sponsorum, quantum ad copulam ùt futuram, de qua ante initum Matrimonium delectantur, extendenda & applicanda sunt: & similiter ad delectationem conjugis in absentia alterius conjugis: nimirum attendendum est, an fuerit conjunctum periculum proximum excitandæ impuritatis, aut consensûs in illam; quodsi adsit, delectatio voluntaria, & cui nulla fit resistentia, à mortali non erit excusanda.

293. Oppon. tertiò. Ex supra dictis deducitur, quandóque dari causas leves, quas sub mortali vitare non tenemur, etiamsi ex illarum positione vel non amotione graves motus, & impuritas sequantur; item voluntarium indirectum & virtuale tunc non sufficere ad peccandum mortaliter. Hæc autem videntur connexionem nostram impugnare, cùm ipsimet doceamus, ad voluntarium indirectum, seu interpretativum in causa plus non requiri, quàm quòd effectus malus in causa prævideatur, quam quis potest & tenetur vitare. Si ergo aliquis probabiliter prævideat, quòd ex liberaliori potatione aliquid circa motus impuros passurus sit, nónne & tunc contra castitatem peccabit, si ab ejusmodi causa non abstineat? Resp. Theol. Salisburg. non videri, quòd præceptum castitatis graviter prohibeat causas penitùs indirectas impurarum commotionum: si ergo quis timeat, ne fortè ex liberaliori potatione tale quid impurum contingat, impuritas ejusmodi non censetur statim fieri interpretativè voluntaria in prædicta causa remota, indirecta, & incerta, saltem voluntario positivo & imputabili in culpam gravem. Neque hìc procedit paritas omnimodo cum aliis præceptis juris positivi, in quibus non nisi causa necessaria à transgressione excusat: nam quoad motus impuros hoc singulare est, quòd ex complexione & infirmitate ipsius naturæ tam facilè mobilis, etiam ratione & voluntate nihil cooperantibus, frequentissimè insurgant; hinc nimis durum accideret conditioni humanæ, si quaslibet causas remotas vitare teneretur, exceptis solis necessariis, quæ solæ in aliis præceptis positivis ideo à peccato excusant, quia ordinariè eorum transgressiones non nisi à sola voluntate dependent. Mezger *artic.* 7. *§.* 5. Quare apud Sanch. Reding & alios Regulæ locò ponitur, quòd, quotiescunque causa, in qua prævidetur secuturus venereus motus, est peccaminosa graviter vel leviter extra genus luxuriæ, non abstinere ab alia nunquam sit peccatum grave intra

tra genus luxuriæ, ſed leve duntaxat, ex eo, quòd ſit aliqua inordinatio, naturæ aliàs ad motus venereos proclivi fomentum præbens.

294. Ex dictis colliges ſequentia valde notabilia. Primum eſt, in multis caſibus licitè poni cauſam, ex qua timetur & prævidetur ſubſecutura impuritas. Probat id illuſtriſſimus Reding hic *q.* 13. *art.* 2. ex illo apud Vasq. Sanch. Navar. alióſque recepto morali principio, nimirum: ſi cauſa duplicem poſſit habere effectum, ac finem, & unus eſt directè intentus, ad alterum verò, licèt certò prævifum, voluntas ſe habeat merè negativè, tunc hic ſecundus effectus poſteà ſecutus non cenſetur etiam *indirectè* & *interpretativè* voluntarius, nec proinde ad culpam, ſaltem mortalem imputatur. Hanc doctrinam præfatus Auctor in S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 5. *in Corp.* contineri cenſet, ubi S. Doct. de cauſis, quæ nocturnam pollutionem in ſomno factam præcedunt, eámque peccaminoſam vel non peccaminoſam reddunt, prolixè diſſerit.

295. Lubet nonnulla verba extrahere. *Alio modo* (dicit) *poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam, quæ poteſt eſſe triplex. Una quidem corporalis. Cùm enim humor ſeminalis ſuperabundat in corpore, vel cùm facta eſt humoris reſolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcunque aliam commotionem; ſomniat dormiens ea quæ pertinent ad expulſionem hujusmodi humoris abundantis, vel reſoluti, ſicut etiam contingit, quando natura gravatur ex aliqua alia ſuperfluitate, ita, quòd quandóque formantur in imaginatione phantaſmata pertinentia ad emiſſionem talium ſuperfluitatum. Si igitur ſuperabundantia talis humoris ſit ex cauſa culpabili, putà ex ſuperfluitate cibi vel potûs cauſata, nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa. Si non eſt ex cauſa culpabili &c. non eſt culpabilis, nec in ſe, nec in ſua cauſa. Alia verò cauſa nocturnæ pollutionis poteſt eſſe animalis, & interior: putà, cùm ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem, quæ in vigilia præceſſit, quandóque eſt purè ſpeculativa, putà cùm aliquis cauſâ diſputationis cogitat de peccatis carnalibus: quandóque autem eſt cum aliqua affectione vel concupiſcentiæ, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ ſunt cum concupiſcentia talium delectationum, quia ex hoc remanet aliquod veſtigium & inclinatio in anima, ita quòd dormiens facilius inducitur in ſua imaginatione ad aſſentiendum actibus, ex quibus ſequitur pollutio.* Et ſecundùm hoc Philoſophus dicit in 1. *Ethic.* quòd in quantum paulatim pertranſeunt quidam motus à vigilantibus ad dormientes, meliora ſunt phantaſmata ſtudioſorum, quàm quorumlibet. Et Auguſt. dicit 12. *ſuper Gen.* quòd propter bonam animæ affectionem quædam ejus merita etiam in ſomnis clarent. *Et ſic patet, quòd nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte ſuæ cauſæ. Quandóque tamen contingit, quòd ex præcedenti cogitatione carnalium actuum etiam ſpeculativa, vel ſi ſit cum horrore, ſequitur in ſomnis pollutio. Et tunc non habet rationem culpæ nec in ſe, nec in ſua cauſa. Tertia verò cauſa eſt ſpiritualis extrinſeca; putà cùm ex operatione dæmonis commoventur phantasmata dormientis, in ordine ad talem effectum. Et hoc quidem quandóque eſt cum peccato præcedenti, ſcilicet negligentia præparandi ſe contra dæmonis illuſiones . . . quandóque verò eſt abſque omni culpa hominis ex ſola nequitia dæmonis. . . Sic igitur patet, quòd nocturna pollutio nunquam eſt peccatum, ſed quandóque eſt ſequela peccati præcedentis.* Huic Doctrinæ Magiſtri Angelici ſe conformiter concludere ſubdit Reding, ſi cauſa de ſe honeſta ſit, non imputatum iri pollutionem, licèt prævifam, præter intentionem tamen per accidens ſecutam. Si verò cauſa ſit de ſe mala, non tamen per naturam ſuam determinata ad talem effectum, ſed indifferens ſit ad plures effectus; tunc ſi ex commoditate, vel delectatione naturæ, non tamen vereneâ, ſuſcipiatur, pollutionem nec in ſe nec in ſuâ cauſâ ſpecificam malitiam mortalem contrahere. Hinc prout ex D. Thoma & aliis Auctoribus tradit Caſtropalaus, non tenetur homo abſtinere à cibo & potu moderato, ab equitatione conveniente, ab accubatione in lecto commodiori, à ſtudio honeſto rerum turpium, illarúmque Confeſſione excipienda; quin imò ab oſculis, amplexibus, & tactibus honeſtis, ac neceſſariis, tametſi inde pollutio prævideatur ſecutura: quia cenſetur præter intentionem per accidens ſubſequi ex neceſſitate materiæ hominiſque temperie: quam ob cauſam etiam pruritum patientibus licere fricare propria verenda aut purgare, ad pruritum ſedandum, dummodò periculum conſensûs in pollutionem non ſubſit, ex Caſtropal. *tr.* 1. *p.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 7. §. 3. *num.* 3. cum aliis ibi allegatis tradit Reding, & Babenſtub. in *Theol. Mor. tr.* 5. *d.* 7. *num.* 105. Hinc pro

296. Notabili ſecundo, ex eodem Redingo refero, quòd licèt in voluntaria ac per ſe intenta ſpirituum generationi deſervientium commotione, & conſequentibus tactibus vel oſculis, ad talem commotionem ex natura ſua proximè excitantibus, vel ob finem delectationis venereæ aſſumptis non detur parvitas materiæ, ex communi Doctorum Sententia: nihilominùs amplexus, oſcula, & tactus, qui non fuerint circa partes impudicas, ſi joco, vel animi levitate, vel ex curioſitate tantùm fiant, pollutionis periculo non interveniente, non excedere culpam venialem ſecundùm ſuprà allegatum Caſtropalaum, & Doctores ab eo relatos.

297. Notabile tertium. Licèt autem ſecundùm Azorium *tom.* 3. *Inſtit. Mor. lib.* 3. *cap.* 25. *not.* 3. & plures alios, etiam oſcula, tactus, & amplexus proximè nominati, quando fiunt cauſâ delectationis purè *ſenſibilis* (non venereæ) quam ſecum trahunt, & abſque intentione vel periculo in ulteriorem delectationem progrediente aſſumuntur, à peccato gravi excuſent; Attamen ejusmodi tactus, in partibus honeſtis (diverſi ſcilicet ſexûs) ob delectationem præciſè aſſum-

sumptos, & NB. *continuos*, ac *replicatos*, Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 7.* cum pluribus aliis culpæ lethalis condemnat; & subdit Reding, hanc Sententiam sibi videri omnio tenendam esse, ea ex ratione, quòd licèt prædicti tactus, amplexus, & oscula non censeantur esse actus formaliter venerei, cùm non ob delectationem concubitûs carnalis, commotionisque spirituum generationi servientium exerceantur; nihilominùs implicitè ac virtualiter venerei seu libidinosi censeri debeant; ex quòd nati sint in natura sana ac rectè disposita excitare talem commotionem ac delectationem; ut adeò, si *continui* sint ac *replicati* (secus enim judicat Castropalaus de tactibus, amplexibus, & osculis instantaneis, seu transeunter assumptis; utpote talem commotionem vel delectationem tunc raró excitare valentibus) à mortali peccato non excusentur. Hæc ille quondam in Cathedra Antecessor, quæ pro piis ac timoratis conscientiis ad instructionem, in Confessionali præsertim necessariam, ideò duntaxat voluit insinuare, ut illos, qui ad aliquam laxitatem hac in materia declinandi ansam sumerent, moneret, ne anguem in sinu foverent. Addo

298. Notabile quartum ex Cardin. Cajet. *cit. tom. 1. opusc. tr. 14. dub. 3.* ubi ex professo discutit, cur voluntaria delectatio de visa pulchra muliere non computetur inter peccata mortalia morosæ delectationis; & tamen delectatio voluntaria de muliere tacta spectet ad delectationem morosam. Et respondet dando disparitatem; quòd delectatio sensibilis secundùm tactum secundùm se à natura ordinetur ad venerea: delectatio autem visûs secundùm se ad hoc non sit ordinata: prior ergo? id est, tactûs sensibilis delectatio, sicuti & oscula, & amplexus (scilicet si accedat continuatio, vel repetitio, & non fiant quasi instantaneè, ut Cajetanum cum Castropalao & Redingo conciliemus) arguitur peccati gravis: posterior verò sensibilis delectatio visûs pulchræ mulieris ex suo genere nullum est peccatum, nisi otiosè, vel ex malo fine fiat, aut alia pericula annexa subesse cognoscantur. Succedit

299. Notabile quintum. Quilibet sub peccato gravi tenetur vitare causas etiam honestas motuum obscænorum, qui, experientiâ edoctus scit, sibi probabile & proximum periculum imminere consensûs in illos. Unde talis, qui ex. gr. ex lectione de materia lubrica, vel Confessionum exceptione, ejusmodi consensûs periculo subjectum se novisset, ab illa lectione vel Confessionum exceptione posthàc abstinere deberet. Excipit tamen P. Mezger casum necessitatis; ut si quis esset Parochus, ex officio ad excipiendas Confessiones obligatus, nec posset alium sui loco in Sac. Tribunali substituere, aut sine gravi incommodo suum officium deponere.

300. Notabile sextum: Turpia loqui, canere, scribere, legere, aliis narrare venereæ delectationis causâ, aut cum probabili periculo consentiendi in illam, sunt peccata mortalia, propter finem scilicet mortaliter malum: cessante autem scandalo, si talia fiant ex aliqua dissolutione, animi levitate, curiositate, alióve fine non libidinoso, ea inter venialia computantur. Babenstub. in *sext. Præcept. Decalogi num. 116.* Similiter qui auscultat solùm turpia narrantem, aut canentem, vel gestu repræsentantem, & forsan etiam ridet propter artificiosum ac lepidum proponendi modum, ne inurbanus, aut hipocrita videatur, non est nisi peccati levis arguendus, regulariter loquendo. Ex eod. Clariss. & vitæ integerrimæ viro *cit. tract. 5. d. 7. à num. 160.* pro compendiosa istarum rerum (quas malo ex aliis Auctoribus referre, quàm ex additione proprii ingenii studiique alios docere) expeditione subjungo.

301. Notabile septimum: Absque justa causa (qualis est v. gr. necessitas medendi) deliberatè ac seriò attrectare partes verendas, aut earum vicinas, alterius personæ, sive ejusdem, sive diversi sexûs, etiamsi id fieri dicatur ex mera curiositate, aut levitate, semper peccatum mortale est. Vid. Sanch. Laym. Tambur. Sporer &c. Ratio est: quia hoc ingentem deformitatem ex se continet, hominémque gravi periculo exponit: cùm suapte natura ad veneream delectationem tendat, & venerem excitet. Gravius autem peccatum sunt ejusmodi impudici tactus, dum in persona ejusdem sexûs exercentur: quia tunc ad libidinem longè fœdiorem disponunt. Existimat quidem Sanchez, contactum verendorum alterius personæ, de quo sermo est, excusari posse à mortali, si supra vestes committatur, & non intendatur delectatio consurgens ex attrectatione mediata cogitata, sed levis quædam ex attrectatione immediata. Verùm suprà laudatus Auctor, Ludov. Babenstub. huic doctrinæ, cùm ea supponat posse dari delectationem veneream levem, suffragari renuit. Quid verò, si talis attrectatio supra vestes contigerit solùm transeunter, & absque aliqua mora, & quidem ex joco tantùm, levitate, aut dissolutione? Durum esset, sic attrectantes peccati mortalis reatui subjicere. Vide limitationem de aspectu turpi, quando à mortali possit excusari, mox subjungendam.

302. Notabile octavum. Aspectus non turpis v. gr. mulieris pulchræ, si fiat ex mera curiositate, erit peccatum veniale: si verò fiat ex honesto motivo, v. gr. laudandi DEI potentiam in hac tali creatura, vel eandem salubriter admonendi vanitatis suæ &c. nullum peccatum erit: dummodò aspiciens, spectatis circumstantiis, ita se gerat, ut periculo libidinis se non exponat. Sic communiter DD. ex quibus addit Cassian. à S. Elia cum Sanch. non esse peccatum mortale, curiosè aspicere crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, si absit aliud periculum. Ratio est: quòd aspectus ejusmodi

modi partium non inhonestarum ex se non valde ad libidinem provocet.

303. Aspicere autem deliberatè, absque justa causa, partes obscænas eisve vicinas in corpore diversi sexûs, semper mortale peccatum est. Ita communis Theologorum: tum, quia id valde repugnat honestati naturali (hinc protoparentes, ùt patet ex *Gen.* 3. post lapsum erubescebant aspici nudi) tum quia talis aspectus urgentissimè stimulare solet ad luxuriam, ejúsque gravissimo periculo aspicientem exponere. Unde quis non excusatur sub prætextu, id factum fuisse ex sola curiositate: cùm hæc sit nimium periculosa: nisi fortè persona, quæ sic deliberatè aspicitur foret ætatis valde puerilis. Cæterùm talia aspicere non deliberatè & seriò, sed ex improviso & non plenè deliberatè, vel ex levitate valde obiter & per morulam levissimam; aut etiam, ùt aliqui volunt, ex loco valde remoto, veniale tantùm peccatum est: in istiusmodi enim casibus non apparet periculum aliquod notabile consensûs vel complacentiæ libidinosæ, nisi fortè in valde proclivibus ad luxuriam.

304. Si verò una persona ejusdem sexûs alteram nudam turpiter ex curiositate aspiciat, per se loquendo, quia talis aspectus neque tantam turpitudinem continere censetur, nec tam grave periculum lapsûs, aspectus à mortali excusatur. Exceptio facienda est, si aspiciens aliunde esset valde proclivis ad sodomiam. Ex quo facilè judicium ferendum erit de aspectu propriæ nuditatis, si ex sola curiositate fiat, aut omnino ex necessitate, seu justa causa. Subditur ex Bonacina, mortaliter peccare, dum aliqua persona, cujuscunque scilicet sexûs, nudat sua verenda, ut aliis conspicienda objiciat, aut veste cooperit adeò diaphana ac tenui, ut ab aliis conspiciantur: nam per talem actum proximo manifesta occasio ruinæ præbetur. Idem tamen, uti & *Less. l.* 4. *de Just. c.* 4. *dub.* 14. fœminam à mortali excusant, quæ juxta morem patriæ, & absque prava intentione, nudat pectus aut mamillas, aut ita tegit tenuiter, ut ab aliis conspiciantur: addita ratione: quòd partes illæ censeantur honestæ, quas natura aut pudor humanus non exigit tegi absolutè. Illarum quoque nuditas ob consuetudinem patriæ non videtur facilè trahere ad peccatum.

# QUÆSTIO DECIMA NONA.

## *An Delectationes morosæ sint ejusdem speciei cum opere externo?*

305. Status quæstionis consistit in eo, an si quis ex parte objecti delectabilis cognoscat varias circumstantias, ad variandam speciem moralem aliàs sufficientes, propter illas tamen circa objectum non delectetur, sed simpliciter, nihilominus interna morosa delectatio præter speciem primariam, quam sumit ex objecto simpliciter, reliquarum circumstantiarum malitias specificas omnes contrahat? Ex. gr. Delectatur aliquis morosè, & sine proposito vel desiderio ad ipsum opus perveniendi, circa copulam carnalem cum aliqua persona sibi consanguinea, & simul conjugata, non ex motivo illo, quòd sit consanguinea vel conjugata (siquidem, stantibûs hujuscemodi motivis malitiæ incestûs, & adulterii citra dubium in actum internum influerent) sed simpliciter, vel quia est formosa, affabilis &c. decidendum restat, an in tali casu delectatio morosa solam speciem fornicationis simplicis contrahat, vel potiùs speciem incestûs, & adulterii? Sententia prima est negativa, & probabilis: Affirmativa verò videtur esse probabilor. Sit igitur

306. Conclusio: Non solùm delectatio *operosa*, id est, conjuncta cum desiderio operis experiendi, sed etiam delectatio purè *morosa*, consistens in simplici complacentia, probabiliùs contrahit omnes malitias specificas, quæ objectum obscænum circumstant, vel concomitantur. Ita utraque Theol. Salisb. cum Filliucio, Azorio, Bonacina, Salmanticensibus hic *disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 54. & aliis. Probant hanc sententiam primò ex S. Doct. *in* 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *ad* 4. pronunciante, *quòd delectatio, quæ habet actum exteriorem pro objecto, non possit esse absque complacentia actûs exterioris secundùm se, etiamsi non statuatur implendum &c.* Cùm ergo actus exterior involvat omnes circumstantias, v. g. incestûs, & adulterii &c. si obscænus complexus in personam consanguineam & conjugatam tendat, easdem quoque involvet actus interior morosæ delectationis, utpote quo quis in actum exteriorem secundùm se, & adhærentibus ipsi circumstantiis vestitum, ferri censetur. Prob. secundò ex illo *Math.* 5. *Ego autem dico vobis: qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo:* Et ne hoc ad solam delectationem *operosam*, & efficacem restringas, non solùm tibi opponimus S. Chrysostomum, à Salmanticensibus in *c.* 17. *Math.* allegatum, qui animadvertit, non dici ibi, qui concupierit mulierem ad *adulterandum*, atque adeò delectatione operosa & efficaci opus externum adulterii desideraverit; sed simpliciter, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est, cum delectatione venerea circa eam sive morosa sive etiam operosa &c. Verùm insuper usum & praxin circumspectorum fidelium, qui absque remorsu conscientiæ ejusmodi notabiles circumstantias personarum coram Confessario subticere minimè audent.

307. Prob. tertiò ex Salmanticens. *loc. cit.* à paritate potentiæ appetitivæ, quæ prout est elicitiva cujuslibet sui actûs, secundùm se

se totam specificatur ab objecto. Igitur omnes quoque illius actûs speciem sumunt ex objecto: & quidem à fortiori hoc procedit in actibus; quia potentia non nisi mediante actu respicit objectum, & ab illo specificatur. Si ergo objectum, quod est actus exterior, ex. gr. copula carnalis cum persona consanguinea ac simul conjugata, circumdatum sit pluribus malitiis objectivis præcognitis, ac specie diversis, actus interior complacentiæ simplicis quoque, licèt non sit operosa & cum desiderio operis exercendi conjuncta, non poterit non ambas illas species ab objecto recipere, ac induere.

308. Dices primò: Ideo actus efficax accipit speciem malitiæ ab objecto, quia est aliquo modo causa operis, quod efficaciter desiderat. Ergo actus delectationis inefficax ab objecto speciem malitiæ non contrahit; quia nullo modo est causa operis. Igitur simplex & inefficax affectus aliunde speciem accipere debet. Resp. neg. causal. antec. Neque enim actus specificatur ab objecto, in quantum est causa objecti; sed potiùs in quantum objectum est causa actûs, aut finis, & habet se ùt aliquid prius, saltem in intentione, non verò ùt est aliquid posterius. Salmantic. *ibid. num. 5. dub. 1.*

309. Dices secundò: Ille, qui delectatur delectatione non *operosa* de persona consanguinea ùt pulchrâ præcisè, præscindit à qualitate consanguinitatis. Ergo delectatio illa non contrahit speciem incestûs. Resp. præscindere esse per cognitionem attingere unam formalitatem, qui in eodem objecto attingatur altera: In nostra hypothesi per cognitionem attingitur consanguinitas. Esto igitur, quòd delectans nolit expressè & formaliter delectationem suam cadere supra consanguinitatem abstractè sumptam, vult tamen delectari de actu cum consanguinea inconcreto, sicque implicitè saltem & inetrpretativè consentit in delectationem, quæ versatur intra speciem incestûs. Deinde argumentum probaret, quòd etiam delectatio operosa non contraheret speciem incestûs, vel adulterii: quia potest aliquis cum simili præcisione opus carnale desiderare cum aliqua quà pulchra solùm &c. illúdque nolle cum ea quà conjugata, vel quà consanguinea.

310. Dices tertiò: Posse aliquem delectari circa furtum quà artificiosum, quin delectetur de ipso furto: ergo & de fœmina quà pulchra, quin delectetur, vel delectatio ad peccatum imputetur quoad cæteras circumstantias. Resp. primò retorquendo, in delectatione operosa, sicut anteà. Resp. secundò ex alibi dictis, modum ingeniosum esse quid prorsus indifferens; cùm comitari possit actionem justam æquè ac injustam, consequenter & delectatio sistens in illo modo potest manere indifferens: præthereà modus ille non constituit aliquid ex parte objecti, nec illud afficit: at circumstantia consanguinitatis, prout se tenet ex parte personæ, circa quam versatur delectatio, non est quid indifferens, sed est speciem varians vel multiplicans, & ingreditur rationem objecti tanquàm pars illius &c.

## NONNULLA QUÆSITA.

### *Residua circa materiam & species luxuriæ.*

311. QUæsitum primum: An quis possit se habere negativè ad motus carnales præter intentionem, ex proclivitate seu infirmitate naturæ exurgentes, ita, ut nullam prorsus teneatur facere resistentiam? Versant perampłè hanc quæstionem Salmanticenses; Reding. succinctius procedit; P. Mezger verò hìc in *disp. 21. a. 6.* in sua Scholast. Salisb. præ cæteris discretè, ponendo tres conclusiones: In prima concludit, mortaliter peccare, qui post plenam motuum advertentiam nec efficaciter nec inefficaciter, & saltem per simplicem displicentiam resistit: quia videtur moraliter impossibile, ut voluntas circa objectum, quod ipsi jam est præsens, diu maneat suspensa & sine omni actu vel prosecutionis, vel aversionis: Ergo non resistens exponit se periculo consentiendi in motus illos impuros. In altera concludit cum Reding, probabiliùs teneri aliquem sub peccato mortali saltem per animi ad aliud objectum animadversionem prædictis motibus resistere. In Tertia concludit, sufficere, saltem ad evitandum mortale pro timoratis aut scrupulosis conscientiis, quòd aliquis per inefficacem & simplicem displicentiam resistat. Rationem subjungit, quòd in natura humana lapsa per Adamum ejusmodi motus præter intentionem ex infirmitate naturæ nimis frequenter insurgant: si ergo desit periculum consensûs & complacentiæ, non videntur gravem in se continere inordinationem, nec proinde graviter esse prohibiti; nec prudenter credibile est de Divina Bonitate, quòd ultra displicentiam in animo elicitam aliquam majorem resistentiam à nobis requirat, & salutem nostram periculis illis tam frequentibus exponat. Confir. ex eo, quòd non detur gravis obligatio, omnes prædictorum motuum causas evitandi; alioquin grave peccatum foret quilibet curiosus aspectus diversi sexûs, colloquia familiaria &c. ex quibus subsecuturi non raro prævidentur: si enim quis ex gravi obligatione teneatur motus ejusmodi præter voluntatem & intentionem excitatos reprimere, multò magis omni cautelâ causas illos excitantes evitare. Ex supra dictis quoque constat, rationabili & honesta causa existente, ex qua sæpe dicti motus præter finem intentum sequuntur, nos nequidem sub veniali peccato ad ejusmodi causam amo-

amovendam obligatos esse, uti patet in Confessario confessiones excipiente, & chirurgo partes cujuscunque corporis secretas curante. De cætero, quotiescunque periculum proximum subest consensus in delectationem, toties adest obligatio tum causas amovendi, tum etiam media efficacia atque idonea assumendi; nec unquam sine gravi peccato, & complacentia istorum motuum, omnimoda resistentia potest intermitti. Denique Theol. Salisb. optimum, facillimúmque remedium fore censet, si quis in tali circumstantia motus per diversionem animi ad alia, præsertim Divina & æterna reprimere conetur; quòd si nihilominùs, ratione contradicente, perdurent, non jam voluntati imputabuntur, sed fomitis rebellioni adscribentur, & ne quidem permissivè voluntarii erunt; nec ampliùs eorum ratio habenda est. Hæc de quæstione aliàs perdifficili sufficiant.

312. Remedia quoque tum contra motus carnales, tum speciatim etiam contra impuras cogitationes & morosas delectationes varia præscribi solent, à Parochis, Confessariis, & Verbi DEI Præconibus maximè notatu digna, ut populum Christianum ea doceant. Horum primum esse potest, timorem sanctum DEI habere, sæpéque recordari articuli mortis, quid sibi tunc accidere possit, & reliquorum novissimorum scilicet periculi damnationis æternæ, Judicii severissimi, & jacturæ irreparabilis regni Cœlorum. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis:* Eccles. 7. v. 40. Et Prov. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Secundum: dum pulsat cogitatio vel delectatio, mentem ad DEUM elevare, Divinum adjutorium implorare, aut animum ad objectum aliquod pium dirigere, protestari de nunquam consentiendo, ad exemplum Eleazari, qui proposita sibi legis transgressione, respondit, citò præmitti se malle in infernum (2. *Machab. cap.* 6. *v.* 23.) quàm legis transgressioni consentire. Tertium: si quandóque turpis cogitatio in corde moram fecerit, de ea humiliter confiteri, cum dolore & firmo proposito emendandi: *Leva à malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Quartum: servare semper horrorem adversùs pravas cogitationes, adeò, ut etiam in somniis phantasmata inhonesta repellantur: ut legitur de S. Francisco Xaverio, cui ex violentia in resistendo fracta fuit vena in pectore. S. Philippus Nerius dixisse fertur, etiam nocturnas illusiones esse Confessario patefaciendas, scilicet de consilio, non de præcepto, quando nullus datus fuit consensus. Quintum est, ferventi orationi assuescere, & in tempore tentationis malarúmque cogitationum ad illam confugere (muscæ enim non stant super olla ebulliente, neque cogitationes pravæ in anima ferventiùs orante) velut S. Christophorum à mulierculis in carceribus tentatum fecisse narrat Surius noster in ejus vita, & *Sylva Histor. Mathæoli part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 2. *tit.* 8. Quò conducit maximè frequens accessus ad Sacram Synaxin: invocatio Sanctissimi Nominis JESU: pia meditatio Passionis, & mortis ejus in cruce: refugium ad Clementissimam Deiparam, quæ est *Mater pulchræ dilectionis, & timoris; & agnitionis, & sanctæ spei, & flores ejus fructus honoris & honestatis: Eccles.* 24. *v.* 24. Sextum: cauta conversatio cum diverso sexu, oculorúmque refrænatio, & custodia à personis, & imaginibus ad turpes motus, & cogitationes excitantibûs, juxta illud Jobi 31. *v.* 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Septimum & facillimum est reflexio nobis intimè præsentis, omniáque videntis, atque arcanissima cordis penetralia scrutantis DEI, severi Judicis &c. Octavum: discreta corporis castigatio per quædam opera mortificationis, jejunia &c. juxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo &c.*

313. Quæsitum secundum: Quæ, & quot sint species luxuriæ? Resp. D. Th. *q.* 15. *de Mal. art.* 3. quòd sint seqq. scilicet fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam. Harum specierum diversitatem monstraturus, *in C.* ibi notat, peccatum luxuriæ dupliciter habere inordinationem: uno quidem modo ex parte concupiscentiæ; & talis inordinatio non semper facit peccatum mortale: alio modo ex parte ipsius actûs, qui de se est inordinatus; & sic semper est peccatum mortale: & ideo ex hac parte, ex qua est major gravitas peccati, sumuntur species luxuriæ. Est autem actus luxuriæ inordinatus aut ex hoc, quod non potest sequi ex actu generatio prolis; & sic est vitium contra naturam: aut ex eo, quòd non potest sequi debita educatio, quia scilicet mulier non est determinata viro, ut sit sua secundùm legem matrimonii; & hoc quidem contingit tripliciter: primò, quia simpliciter non est determinata, ut sit sua; & sic est fornicatio, quæ est concubitus soluti cum soluta, & dicitur à fornice, id est, ab arcu triumphali; quia ad hujusmodi spectacula conveniebant mulieres, quæ se prostituebant. Secundò: quia non est determinabilis; & hoc vel propter propinquitatem, ex qua reverentia quædam debetur contraria tali actui, & sic est *incestus,* qui est concubitus cum consanguinea, vel affini: aut propter aliquam sanctitatem vel puritatem; & sic est stuprum, quæ est illicita defloratio virginum. Tertiò: quia mulier est alterius vel secundùm legem Matrimonii; & sic est adulterium, vel secundùm aliquem alium modum; & sic est raptus, cum puella rapitur de domo patris, cujus curæ subjacet. Hæc S. Doctor, qui verosimiliter sub illis verbis, aut propter *aliquam sanctitatem,* speciem Sacrilegii subintelligere voluit.

314. Quæsitum tertium, quid sit concubinatus? Resp. quòd sub specie fornica-

tionis contineatur. Si enim concubitus ſit vagus, modò cum una, modò cum alia, ſimpliciter fornicatio appellatur: ſi verò ſtabilis ſit cum una eadémque fœmina, ad hunc effectum electâ, dicitur concubinatus: requiſita ergo concubinatûs ſunt, quòd mulier retineatur vel domi vel extra domum, ad inſtar propriæ uxoris, & retinens cum ea aſſiduam conſuetudinem habeat.

Controverſia non levis hic incidenter diſcutitur, an concubinarius ſit ſacramentaliter abſolvendus, antequàm concubinam dimittat ſeu expellat; hincque ſufficiat, quòd concubinam velit expellere, & ſigna contritionis oſtendat? Quòd poſſit abſolvi.

315. Pro hac affirmativa favere videtur paritas de conſuetudinario: Qui enim habet conſuetudinem pravam ſecum carnaliter peccandi, pejerandi, blaſphemandi &c. poteſt ſine dilatione abſolvi, ſaltem ter vel quater, dummodò ſit verè contritus, aut etiam attritus, cum propoſito firmo à conſuetudine deſiſtendi: Ergo & concubinarius ſimiliter pœnitens, cum ſimili propoſito, ſaltem ter aut quater poterit abſolvi, antequàm ſuam pellicem actu dimittat, dummodò dimiſſionem ejus confeſſario promittat. Deinde: obligatus ac reſtitutionem rei alienæ una & altera vice abſolvi poteſt, quamvis actu & realiter reſtitutionem executus non fuerit, ita, ut propoſitum reſtituendi ſufficiat. Ergo eadem diſcretione tractandus eſt concubinarius. Ad hæc: Concubinarius extra Sacramentum mediante perfecta contritione & propoſito ſerio relinquendi vel rejiciendi concubinam verè juſtificatur: Cur non æquè intra Sacramentum? quæ diſparitas? Et pro hac ſententia olim ſteterunt plures Doctores, ii maximè, qui ante propoſitiones damnatas calamum ſtrinxerunt. Sed

316. Reſolvendum eſt, quòd concubinarius à Confeſſario non ſit actu abſolvendus, niſi qui poteſt ejicere, priùs actu ſuam concubinam relinquat, vel expellat, & ſic periculum peccandi proximum amoveat. Hic præ oculis habendæ ſunt ſeqq. propoſitiones ab Innocentio XI. damnatæ. Una eſt hæc (ſcilicet numero ſexageſima prima) *poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere: quin imò directè & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Altera ſequens ſic ſonat: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.* Tertia eſt: *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.* Circa periculum peccati notandum, quòd ſit aliquid inclinans vel diſponens ad peccandum. *Proximum* dicitur, quod habet frequentem conjunctionem cum peccato: nec dicitur proximum periculum, vel proxima occaſio ex eo, quòd inter periculum vel occaſionem illam & inter peccatum nil intermediet, plerumque enim aliquid intermediat, v. g. aſpectus, tactus &c. ſed ea de cauſa, quòd inter periculum ſeu occaſionem proximam, ipsúmque peccatum à potiori nil interveniat, quo peccatum impediatur. *Remotum* periculum vel occaſio remota eſt, quando non habet frequentem conjunctionem cum peccato. Aliud eſt proximum abſolutè ſeu intrinſecè tale, habens ſcilicet de ſe & natura ſua frequentem conjunctionem cum peccato, éſtque omnibus hominibus commune: tale cenſetur tactus deliberatus cum mora factus alienorum pudendorum: aliud ſolùm reſpectivè eſt proximum, ut in quibusdam ſit frequenter cum peccato conjunctum, in aliis non item propter variam eorum conditionem, inclinationem ac diſpoſitionem. Ulteriùs *proximum* dividitur in *materiale*, & *formale*. *Materiale* dicitur, quod de ſe, ſecundùm circumſtantias ſuas extrinſecas conjunctum eſſe ſolet cum peccato, licèt non conjungatur ob ſpecialem conditionem ſubjecti. *Formale*, juxta la Croix *lib. 5. de Peccat. n.* 254. quod hic & nunc conſideratîs omnibûs circumſtantiîs extrinſecîs & intrinſecîs, ſolet eſſe conjunctum cum peccato: unde, ait ille, *materiale* periculum eſt occaſio externa, quæ ſecundùm ſe ſolet eſſe conjuncta cum peccato: *formale* præter occaſionem externam includit tales circumſtantias, ut, hîs omnibûs conſideratîs, exiſtimetur hic & nunc fore conjunctum cum peccato: conſequenter, ut aliquid Titio ſit occaſio proxima peccandi, non eſt ſatis, quòd de ſe ſit tale quid, ut alii in eadem conſtituti frequenter peccent, ſed præter talem occaſionem extrinſecam requiritur, ut ſimul reſpectu Titii adſit *formale* periculum peccandi &c. ſic ille, ſubdendo, formale periculum rurſus eſſe vel certum, vel probabile, vel leve. Quibus præmittit diviſionem periculi proximi in *abſolutum*, & *reſpectivum*. Abſolutè proximum vocat, cui ex natura ſua convenit habere frequentem conjunctionem cum peccato: & ideo dicitur intrinſecè periculum: quia apud quemcunque hominem ſolet eſſe conjunctum cum peccato, v. g. deliberatus tactus pudendorum alienorum, cum mora aliqua, & ſine neceſſitate.

317. Reſolutionem probat Cardenas in Criſi *diſput.* 40. ad propoſitiones damnatas ab Innocent. XI. ſequenti Syllogiſmo: Concubinarius, dum domi retinet concubinam, quam poteſt expellere, eſt in ſtatu peccati mortalis: atqui dum abſolvitur, retinet concubinam domi, quam poteſt expellere: Ergo dum abſolvitur, eſt in ſtatu peccati mortalis: ſed qui abſolvitur manens in ſtatu peccati mortalis, invalidè abſolvitur: ergo concubinarius in noſtra hypotheſi invalidè abſolvitur. Hic diſcurſus ſolidè confirmatur primò ex eo, quòd præceptum vitandi occaſionem proximam, & voluntariam peccandi lethaliter, ſit præceptum negativum, contentum ſub hoc complexo: *Ne retineas:* ergo obligat ſemper & pro ſemper, niſi impoſſibilitas phyſica vel moralis ex-

excuset: Concubinarius autem, etsi sibi propositum de expulsione concubinæ formet, vel talem expulsionem de futuro faciendam confessario promittat, adhuc revera retinet concubinam: Ergo agit contra præceptum negativum. Cujus rei instantia affertur in eo, cui incumbit obligatio, aliquid exequendi de præsenti, & tamen non implet: Ex. gr. es in tentatione & periculo, hic & nunc incidendi in hæresin, nisi actum fidei elicere de præsenti studeas: si nolis nunc, dum instat præceptum eliciendi actum fidei, istum elicere, minimè satisfacis & excusaris per hoc, quòd proponas talem actum de futuro elicere: si enim præcepto fidei per propositum de futuro satisfacere possis, quis dicat, præceptum nunc, & de præsenti instare? Confirmatur ampliùs ex eo, quòd, stante proposito ejiciendi concubinam, adhuc maneat periculum formale proximum iterum peccandi cum ea: nam quamdiu durat periculum, infringendi propositum, tamdiu durat & prædictum peccandi periculum: at periculum infringendi propositum durat, donec concubina sit actu relicta, vel expulsa: quia nondum est sublata occasio proxima, nec aliud adesse censetur propositum, nisi valdè tepidum, quod est insufficiens ad extenuandum seu minuendum periculum *formale;* cùm istius extenuatio seu diminutio mediante solo intenso proposito, Divinique auxilii imploratione fieri non præsumatur, nisi quando adest vel physica vel moralis impossibilitas deserendi occasionem proximam: Ergo &c. Latè Carden. ibi per totam dissert. Quibûs intellectîs:

318. Resp. ad primam rationem contrariam, dando disparitatem, quòd consuetudinarius in seipsum polluendo, in pejerando &c. non sit constitutus in proxima occasione extrinseca, quâ committendis pristinis peccatis cum periculo proximo & formali exponatur, sicuti constitutus est in tali occasione & periculo concubinarius, quamdiu concubinam, quam potest expellere, non expellit; proinde in isto non sufficit propositum ejiciendi, nec est efficax antequàm revera in opus redigatur: in consuetudinario verò, cùm ejus obligatio in hoc solùm consistat, ut per actus supernaturales proprios, scilicet contritionis & intensi propositi pravam consuetudinem diminuat, tandémque & vincat, propositum serium cum dolore sufficere possit. Ad secundum Resp. Cardenas, videndum esse, an aliquis alienam rem non statim restituat ob affectum avaritiæ, & vehementem famem ad divitias; vel ex quadam desidia seu negligentia. In primo casu æquè non sufficeret solum propositum, sed, ut quis absolveretur, deberet actualis restitutio præcedere: nam etiam in isto casu, quo durat retentio rei alienæ, manet occasio proxima, proposito contraveniendi. In casu posteriori inprimis jam est sublatum fundamentum, non restituendi rem alienam, quod erat aviditas habendi rem alienam; quia ex sola desidia seu negligentia restitutio brevi tempore differtur: locus ergo erit proposito intenso serióque, & cessabit periculum formaliter ulterioris injustæ retentionis: Prætereà in hoc posteriori casu respiciendum est ad voluntatem creditoris aut veri Domini, qui non censetur esse graviter invitus, si res sua, quæ hodie absolutè restitui poterat, nec tamen fuit restituta, sibi cras restituatur; unde rem alienam ex desidia vel negligentia non restituens, cras tamen ex. gr. restituturus, cum proposito restituendi hodie poterit validè absolvi.

319. Ad tertiam parit, Resp. Carden. contritionem, id est, actum amoris dolorosi seu dilectionis DEI super omnia non posse formari ab eo, qui DEI mandata tunc non custodit: si itaque is, qui extra Confessionem elicit contritionem, possit concubinam statim deserere & expellere, non tamen illam expellat, talis ineptè se decipit, quòd justificetur extra Sacramentum, utpotè in quo verus actus contritionis propter DEUM summè dilectum deficit: Et hoc modo est par ratio, quòd nec intra nec extra Sacramentum, nisi priùs ejectâ concubinâ, justificatio & reconciliatio cum DEO obtineatur. Si verò subsit impotentia physica vel moralis ejiciendi concubinam, justificatio & per contritionem proposito vestitam extra Sacramentum, & per absolutionem intra Sacramentum, obtinebitur. Vid plura notabilia ibi apud Carden.

320. Quæsitum tertium de stupro, an committi possit etiam in non Virginem? Resp. affirmativè, stuprum sumendo largo modo: quando nimirum violentia infertur viduæ, aut alteri mulieri honestè viventi. Clericat. in *Erotemat. Ecclesiast. cap.* 68. ex Antonello.

321. Quæsitum quartum circa incestum, utrùm gradus consanguinitatis vel affinitatis sit in confessionali exprimendus? Resp. esse exprimendum juxta multos Doctores, quamvis alii hoc de consilio solùm esse, non verò de necessitate judicent. Speciatim si incestus fuerit in primo gradu commissus, tutius erit exprimere, utrum cum matre, filia, vel sorore contigerit. Sanch. *de Matrim. lib.* 6. *disp.* 55. apud eundem Clericat. allegatus unà cum Mastrio sentiunt, quòd saltem species incestûs sit explicanda, an nimirum commixtio facta fuerit cum aliquo conjuncto per consanguinitatem, vel per affinitatem, vel per cognationem spiritualem.

322. Quæsitum quintum. Quotuplex sit Sacrilegium? Resp. Sacrilegium, quo nomine intelligitur violatio alicujus rei sacræ, esse duplex; *locale*, quando locus sacer, ut est Ecclesia, Capella publica, & cæmeterium, per actum venereum violatur & inhonoratur: vel *personale*, quando carnaliter peccat persona per votum castitatis DEO obligata & consecrata. Et licet moderni Doctores apud Clericat. *loc. cit. quæst.* 72. *num.* 2. defendant,

I 3

dant, non esse necesse, in Confessionali exprimere, an votum violatum fuerit simplex, vel solemne; attamen ipse tenet, tutius esse exprimere, cum notabilis sit differentia inter peccare cum Moniali, & peccare cum alia voto simplici adstricta.

323. Quæsitum sextum: Quid sit Sodomia? quid Bestialitas? Resp. ad primum, quòd Sodomia perfecta sit congressus carnalis duorum ejusdem sexûs, imperfecta verò sit congressus duorum diversi sexûs sed extra vas naturale. Nefandum hoc crimen, si publicum seu notorium fuerit, de rigore Juris pœnâ mortis indicatur *l. cùm vir. nubit. Cod. de Leg. Jul. de Adulter.* Barbos. *allegat.* 44. *n.* 10. Et de consuetudine Sodomitæ igne comburuntur, eorúmque bona confiscantur, remanente infamia perpetua. Clarus in §. *Sodomia. ver. sed quæro.* Jure Canonico laici excommunicantur: Clerici verò degradantur, suntque suspensi, irregulares, infames, atque ex Constitutione Pii V. Judici Sæculari traduntur, ut morte puniantur. Quaranta in *ver. Sodomia.* Quod tamen intelligi debet de crimine consummato, & iterato. Quòdsi enim crimen istud non fuerit consummatum, nec iteratum, Clerici condemnantur ad carceres, exilium, vel triremes. Pignatelli *tom.* 6. *Consult.* 14. apud Joannem Clericat. *loc. cit. cap.* 73. *num.* 11.

324. Resp. ad secund. quòd Bestialitas, crimen pariter horribile, sit congressus, seu coitus hominis cum bestia, vel etiam cum dæmone; in quo proinde non servatur speciei identitas. Pœnis iisdem etiam in bestiarios, quibus in Sodomitas, animadvertitur. Clericat. *ibid.* plura ad rem præsentem cumulans.

## *De Peccato Sollicitationis.*

325. Sollicitare hoc loco idem significat, ac verbis, factis, vel scriptis ad turpia, & quidem pœnientes in Confessione Sacramentali vel ejus occasione, allicere. Extat desuper Bulla specialis olim à Pio IV. hujus Nominis Pontif. Maximo ad Hispanos transmissa: quam Papa Gregorius XV. postmodùm ad universum Orbem Christianum ampliavit. Germani, nostri præsertim antiquiores, hac de re scribendi parum solliciti fuerunt. In testem produco celebrem in praxi Theologum R. P. Georgium Gobat, qui in *Experientiis Theologico-Sacramentalibus tract.* 7. *num.* 574. ingenuè fatetur, se in animum induxisse, quòd nolit quidquam de illo objecto scribere; attamen ex toto abstinere non valuisse, ut petitioni alicujus chari amici, & aliorum obsequium præstaret, atque aliquid conferret ad stabilimentum timoris & horroris, quo Confessarii Germani percelluntur adversùs hoc plùs quàm diabolicum scelus.

326. Rationem verò, cur initio prorsus abstinere maluisset ab ejusmodi explicatione, eam esse subdit, quia putabat, non sine causa abstinuisse Scriptores germanos, Tannerum, Laymannum, Dicastillo &c. „an, „quia timebant, ne commentando docerent „peccare? an, quia sciebant, ejusmodi Bul„las, tametsi verè sanctissimæ sint, non esse „receptas in Germania, nec sperabant rece„ptum iri? an, quia non videntur Germa„niæ mulieres induci posse, ut sollicitatæ „vel accedant Episcopos, qui sunt magni Prin„cipes, vel eorum Vicarios in spiritualibus „Generales? qui sæpissimè sunt vel simul „Episcopi Titulares, vel Canonici Cathe„drales, & hoc ipso majores Domini, quàm „ut fœminæ sustineant cum illis loqui de „ejusmodi. An verendum, ne si præscri„ptus processus observetur, sit fortè majus „scandalum oriturum ratione tum pusillo„rum, tum vicinorum hæreticorum, quàm fructûs, qui speraretur ex denunciatione?„ Hoc imprimis certum est, non esse apud„ nos receptam Bullam Urbani apud Dianam,„ quatenus mandat, ut approbandis Confes-„ sariis prælegatur, aut intimetur obliga-„ tio monendi sollicitatas, ut denuncient.„ Deinde neque ego, qui in diversis Episco-„ patibus sum versatus, neque alii à me in-„ terrogati, audiêre quemquam de receptio-„ ne & usu illarum Bullarum, nisi fortè in„ uno Episcopatu. Possem complures Vica-„ rios Generales nominare, ad quos nihil„ unquam ejusmodi delatum, non nisi unum„ in unico casu. Publicatio illarum Bulla-„ rum nulla facta à nostratibus Episcopis,„ sed solùm à Prælatis Regularibus, qui Re-„ gulares fortè censent, se non obligari, ni-„ si etiam sæculares sint obstricti: constat„ enim, Regulares posse se moribus sæcula-„ rium in locis, in quibus habitant, accom-„ modare quoad leges communes utrique„ statui, sicuti sunt illæ Bullæ.„ Hucusque in terminis P. Gobat, cujus opus in publicum prodiit annô 1669. Typis Monacensibus.

327. Cæterùm ex eo, quòd in Germania rarò casus eveniat prædicti procesſûs, non probatur, Bullam Pii IV. (quæ incipit: *Universi Dominici Gregis*) à Gregorio XV. posteà ad universum orbem extensam, pro non recepta haberi debere. Memini, ante paucos annos alicubi in Germania contra Sacerdotem sollicitatorem processum formatum fuisse; an secundùm rigorem, vel cum temperamento gratiæ, ignoro. DEUM glorificemus, qui tam immane scelus in Germania grassari non permittit. An verò Germanis utile aut honorificum foret, si ignorantiâ crassâ Bullæ Pontificiæ in re tanti momenti laborarent, ipsi judicent. Ego pro Confessariorum informatione & commoditate Bullam partim Pianam partim Gregorianam referre non vereor. Pontificum saluber-

luberrimas Bullas exponere, vel typis propagare non eſt peccata docere alios, ſed peccatorum horrorem ingerere, ab illis animos avocare, ac conſtitutionum & legum pœnalium repræſentatione cohibere.

# CONSTITUTIO GREGORII PAPÆ XV.

## *Contra ſollicitantes in Confeſſionibus.*

# GREGORIUS PAPA XV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

328. UNiverſi Dominici Gregis curam quamcunque immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis, multóque majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur, quibus alios ſanandi officium commiſſum, ne quod Evangelica ſcripta nos admonent, ſale infatuato non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibusdam in locis proviſum fuit, ut impium ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti Medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his perniciofiſſimis Diaboli inſidiis arcendis, certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Aliàs ſiquidem à fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore Noſtro emanârunt litteræ tenoris ſequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archi-Epiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori Generali. Cùm, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diverſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſive eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis Confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi Confeſſiones abutantur, nec illi, qui id inſtituit, Domino DEO, & Salvatori noſtro JESU Chriſto, injuriam facere vereantur: mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt Confeſſiones, alliciendo & provocando, ſeu allicere & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori noſtro reconciliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in Divinæ Majeſtatis offenſam, & animarum perniciem, Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia DEI inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant: Fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Dominum confidimus; per præſentes committimus atque mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios, à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum ac aliarum Civitatum, & Diœceſium, de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam Sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum Regulares, cujuscunque dignitatis, Statûs, Gradûs, Ordinis, Conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum tibi contra hæreticos aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos, à Sede Apoſtolica conceſſarum, continentiam & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam, ſi, & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſæcularis judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, ſub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris &c.

Igitur,

Igitur, ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus ubique locorum inviolabiliter obſerventur, motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, præinſertas litteras hujusmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illáſque non ſolùm in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibusvis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus; ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi, ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quàm quorumvis & quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscunque dignitatis & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque ſunt, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, ſive pòſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujusmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio S. Inquiſitionis ſeveriſſimè, ùt infrà, puniantur: Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis, per has noſtras litteras, etiam privativè quoad omnes alios, ſpecialiter ac perpetuò judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim, in omnibus, prout in cauſis fidei, juxta SS. Canonum formam, nec non Officii Inquiſitionis hujusmodi Conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circumſtantiis, ſuſpenſione ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum & Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absque ulla ſpe gratiæ, aliáſque pœnas decernunt: eos quoque ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ DEI tam pernicioſum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cùm difficilis ſit probationis, teſtibus, etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis & aliis adminiculis delictum probatum eſſe, arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſæculari, ùt præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuscunque: Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ùt ſuprà, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ùt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis; quòd ſi officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ùt ſuprà, iidem locorum Ordinarii & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ indignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quódque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla, ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum ab Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, Omnes ita arctent & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatûs noſtri anno ſecundo. Pro aliquali elucidatione ſubjiciuntur

## *Dubia reflexa ſupra Bullam.*

329. Dubium primum: Quis Confeſſarium ſollicitantem ad turpia teneatur vel coram Inquiſitoribus, vel coram Ordinario locorum denunciare? Reſp. Perſona ſollicitata, aut quilibet alius, cui extra Confeſſionem Sacramentalem nota eſt ſollicitatio ſaltem ex auditu perſonæ fide dignæ. Joan. Clericat. *Erotemat. Eccleſiaſt. cap.* 72. cum Diana *part.* 4. *tr.* 5. *Reſ.* 18.

330. Secundum: An debeat denunciari Confeſſarius, qui pro alio mulierem ad turpia ſollicitaret? Reſp. quòd ſic; propter verba Bullæ: *ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis perpetranda.*

Terti-

331. Tertium: An & laicus, vel clericus non Sacerdos fingens se Confessarium, & in loco Confessionis sollicitans? Resp. debere denunciari tanquam male sentientem de Sacramento, si pœnitenti absolutionem dederit: si non absolverit, non est denunciandus: quia Bulla edita fuit contra Sacerdotes Confessarios quà sollicitantes. Ita Clericat. *loc. cit.* cum Sanctarell. *de Hæret. cap.* 46. *dub. un. n.* 9. Verùm hæc distinctio, quam isti afferunt, difficilis est: si enim Bulla lata fuit contra Sacerdotes *ad sacras Confessiones audiendas deputatos* (sicuti ejus verba sonant) *ne Sacrosancto Sacramento Pœnitentiæ, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutantur*, Laici, vel Clerici non Sacerdotes vix censentur in Bulla comprehensi; sive absolutionem simulent, sive non, eámque omittant. Certè, si fatente Clericato, opiniones pro utraque parte militent, utrúmne sit denunciandus Sacerdos non approbatus, qui in loco Confessionis sollicitaret: minùs sub Bulla videtur comprehensus Clericus non Sacerdos, vel Laicus, quando Confessarium se simulando & ad turpia sollicitando pœnitentem absolvit.

332. Quartum dub. Sitne denunciandus Confessarius mulierem sollicitans, finita jam Confessione, extra Confessionarium, v. g. domi, in via, aut adhuc in ipsa Ecclesia? Resp. negativè: Diana *part.* 1. *tr.* 4. *Ref.* 14. & *part.* 4. *tr.* 5. *Ref.* 7. quem sequitur Clericat. *cit. cap.* 72. ex ratione, quòd actus sollicitationis, in quantum subjacet Bullæ, debeat esse proximus Confessioni, qualis non est, quando pœnitens post discessum à loco Confessionis primùm ad turpia pelliceretur: & multò minùs, si sollicitatio sequeretur per litteras amatorias, aut lenones ad domum missos. Diana *part.* 1. *tr.* 4. *Ref.* 14. Contrariæ sententiæ favere videtur D. Joan. Maria Sbogar Clericus Regularis *Theol. Radical. tr.* 139. *cap.* 1. *n.* 7. ubi dicit: Si Confessarius illico post Confessionem adiret fœminam adhuc orantem in templo, vel extra, dum iret domum, & in hac circumstantia temporis eam sollicitaret, esset denunciandus: quia adhuc ex notitia Sacramentali & occasione Confessionis eam sollicitaret, ùt expressè annuit Bulla. At si post longum tempus Confessionis eandem ad turpia provocaret, non esset denunciandus, ùt expressè docet Lezana in *Summa*, *Regula* 99. *to.* 5. *cap.* 19. *n.* 34. *quæst. de Casib. Reservat. Sect.* 1. *cap.* 1. *difficult.* 2. quia tunc sollicitatio non proveniret ex occasione Confessionis: & vel maximè, si semel post Confessionem fœminæ suam pravam intentionem detestatus fuerit.

333. Quintum: Quid si Confessarius pœnitenti chartam ad turpia provocantem traderet in Confessionario, extra legendam? Haberetur pro sollicitante: quia sollicitationem in Confessionario inchoaret. Idem foret dicendum, si pro pœnitentia injungeret, ut pœnitens aliquid turpe coram ipso perpetraret. Clericat. *loc. cit.* cum Diana. Quòd si fœmina sine lectione chartam domi laceraret vel combureret, ignara, an sollicitationem in se clauserit, Castropalaus, Valesius, & Hurtadus, quos citat & sequitur Sbogar *cit. tract.* 139. *cap.* 1. *num.* 4. ex eo ab obligatione denunciandi Confessarium excusant, quòd ignorans intentionem sollicitationis, & rationabilì causâ destitutus de ea suspicandi, non teneatur ad denunciandum: contraria amplectenda esset sententia, casu quo ex circumstantiis Confessionis rationabilis suspicio fundata fuisset, quòd in scheda seu charta sollicitatio lateat. Huc spectat propositio sexta damnata ab Alexandro VII. sequentis tenoris: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam, posteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitâsse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.*

334. Sextum: An sit denunciandus, qui vocatus ad aliquam domum pro audienda Confessione, in tali occasione simularet, ac si audiret Confessionem, interim verò ad inhonesta sollicitaret? Affirmat Sbogar *cit. cap.* 1. *num.* 8. quia sollicitatio jam in loco ad Confessionem determinato fieret. Oppositum defendit, si fœmina ex pravo amore aliquem, hujus intentionis ignarum, pro audienda Confessione vocaret, & sollicitando ad inhonesta patranda permoveret. Ratio est, quòd Bulla loquatur de activa Confessarii sollicitatione, non autem de passiva. Attamen etiam in isto posteriori casu Clericat. cum Diana tutius esse existimat, si Confessarius denuntietur: quia turpes tractatus tandem admisit in Confessione.

335. Septimum: An denunciatio omitti queat prætextu parvitatis materiæ, quatenus actio sollicitantis in se habenda est pro levi, qualis esset v. g. compressio digitis, vel pedis alieni? Resp. Clericat. sæpè *cit. cap.* 72. in materia luxuriæ non dari parvitatem, & ideo denunciandum esse. Consentit Diana *p.* 9. *tr.* 5. *Ref.* 32. ubi nimium rigidè loqui videtur, quando denunciandum censet eum, qui pœnitenti in Confessione diceret: *Se io fosse secolare, vi prenderei per moglie:* id est, *Si sæcularis essem, te in uxorem acciperem.* Talis loquendi formula saltem inter Germanos pro sollicitatione ad turpia interpretationem non reciperet, nisi aliæ circumstantiæ concurrerent.

336. Octavum: An persona sollicitata ab obligatione denunciandi ex eo saltem sit excusata, quia post sollicitationem factam, denuò eidem Confessario confessa fuit, & ab eo, sine obligatione imposita vel monitione præmissa, quòd ipsum denunciare teneatur, Sacramentalem absolutionem obtinuit? Resp. non fore excusatam, ex supposito, quòd aliunde sciat, istam obligationem injunctam esse. Cæterùm si ignorantiâ inculpabili hanc circa rem laboraret, utique bona fide Sacramentaliter absoluta, ad denunciandum quoad actum secundum non foret obligata.

337. Nonum: Sitne denunciandus, qui ad alia vitia, quàm carnalia, sollicitaret? Negativa relucet ex Bulla, quæ in aliam materiam non excurrit. Attamen per sollicitationem ad alia vitia vel peccata Sacramento Pœnitentiæ gravem injuriam inferri, & mortaliter peccari, ambigere non licet. Illud quoque notat Clericat. *loc. cit.* cum Diana *p.* 4. *tr.* 5. *Ref.* 33. quòd etiam sollicitatores masculorum ad turpia denunciari debeant.

338. Decimum: An in hac materia habeat locum fraterna correctio? Negativè Resp. Sbogar *cit. tr.* 139. *cap.* 2. dicendo, quòd sollicitator sit denunciandus, etiamsi à persona sollicitata ex vero zelo correctus, emendationem seriò sibi proposuerit: si enim per hoc evitaretur denuntiatio, intentio Bullæ nimis frequenter redderetur frustrata, & elusioni subjecta non absque detrimento Sacramenti Pœnitentiæ. Pro clausula subjicio & illam propositionem damnatam ab Alexand. VII. his terminis constantem: *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.*

339. Postremò submoneo, Sacram Congregationem S. Officii super Bulla Gregorii XV. contra sollicitantes editâ, anno 1624. 27. Sept. declarâsse, quòd quilibet pœnitens in loco & actu Confessionis sollicitatus Confessarium sollicitantem denunciare teneatur, etiamsi eidem consenserit: non tamen pœnitens sit obligatus propalandi suum proprium consensum, nec debeat super hoc ab Episcopo vel Inquisitore interrogari; nec ipse Confessarius denunciatus &c. prout videre est apud Franciſc. Genettum, Episcopum olim Vasionensem in *Theol. Moral. to.* 4. *post tract.* 7. ubi Declarationem Eminentissimorum exhibet idiomate Italico, cujus inscriptio est: *Letera della Sacra Congregatione del Santo Officio sopra la Bolla di Gregorio XV. contra sollicitanti.* Cui ibidem subjicitur: *L'istruttione per prenderſi la denuncia della Donna sollecitata in Confessione, che non può camparire in persona:* ubi, qui plura cupiunt, pro praxi processûs sollicitationis non pauca reperient.

## QUÆSTIO VIGESIMA.

### *De Peccatis Capitalibus: Quid? & quot sint?*

340. Vitia capitalia exinde nuncupantur, quòd sint velut principia, duces, seu capita, ex quibus alia vitia sequuntur: habent quippe quosdam fines principaliter secundùm se appetibiles, ad quos alia vitia ordinantur. Septem autem peccata capitalia esse, equidem plebei quoque nôrunt, non tamen, cujus naturæ sint, & quomodo animam saucient: quæque illorum filiæ. Propter connexionem ad præcedentia:

341. Quæritur primò, an, & cur luxuria sit peccatum capitale? Resp. ex D. Th. 2. 2. *q.* 153. *art.* 4. luxuriam esse vitium capitale propter sequentem rationem: quia vitium capitale est, quod habet finem maximè appetibilem, ita, ut ejus appetitu homo procedat ad multa peccata, quæ ex illo vitio, tanquàm principali oriuntur: At finis luxuriæ est delectatio venereorum, quæ est maxima: & ideo maximè appetibilis appetitu sensitivo, tum propter delectationem, tum propter connaturalitatem concupiscentiæ: Ergo. Octo autem luxuriæ filiæ numerantur à Divo Thoma *q.* 15. *de Malo art.* 4. videlicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium DEI, affectus scilicet præsentis sæculi, & desperatio futuri &c. Cùm autem de hoc peccato complura jam præmiserim, calamum ab ulterioribus lubens retineo.

342. Progredior igitur ad reliqua peccata capitalia, & prænoto ex Navarr. in *Man. cap.* 23. septem illa, quæ vulgò dicuntur capitalia, non ideo sic vocari, quòd non dentur pejora, aut quòd semper aut sæpiùs sint mortalia (cùm aliqua regulariter sint venialia) sed, quia sunt fontes particulares: in quo tamen superbia ab aliis capitalibus degeneret; mox constabit.

### SUPERBIA.

343. Quæritur secundò: Quale peccatum sit Superbia, & quæ circa eam sint notanda? Dico primò: Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. Reputatur pro peccato mortali, si sit perfecta & consummata, dum quis ita excellere appetit, ut DEO, Superioribus, & legibus eorum se subjicere nolit: Item: si contineat notabilem aliorum contemptum. Quòd si Superbia solùm *imperfecta* sit, dum scilicet quis debitam DEO, Superioribus, & legibus obedientiam exhibere non detrectat, sed in suo tantùm affectu se magnificat, veniale non excedit. Cajetan. *V. Superbia.* Dico secundò: filiarum, quas gignere solet Superbia, prima est *præsumptio:* sive appetitus inordinatus aggrediendi aliquid ultra vires. Est plerumque veniale: tunc verò mortale, quando damnum affert DEO vel proximo, ùt si quid temerè præsumas circa Jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem Sacri Ordinis, officium Medici, Advocati &c.

344. Altera Filia est *ambitio:* id est, appetitus inordinatus dignitatis, vel honoris non debiti, vel debitò majoris, v. g. si aliquis indignus appetit Beneficium Ecclesiasticum. Est autem secundùm Moralistas per se veniale. Erit verò actus non ambitionis, sed magnanimitatis, si quis honorem moderatè appetat ob finem honestum. Sed advertè, quid hic moneat Eminentiss. noster

Aguir-

Aguirre in sua Ethica *lib.* 4. *cap.* 3. *§.* 4. ubi ostendit, quomodò *præsumptio* & *ambitio* opponantur virtuti magnanimitatis, nempe per excessum à medio magnanimitatis, quemadmodùm & pusillanimitas per defectum similiter à prædicto medio deflectit. Exhortatur deinde, ita magnanimitati nobis Christianis studendum esse, ut non pessumdetur modestia & humilitas, juxta quam laudabile est ex altiori motivo recusare honores & dignitates, nisi fortè necessitas vel utilitas publica id exigat ab homine probo & verè digno. Alioquin servandum illud Monitum Sancti Gregorii Magni: *Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, ne coactus quidem accedat.*

345. Tertia superbiæ filia dicitur *vana gloria:* quæ nutritur laudibus hominum, & eorum obsequiis. De ambitione & præsumptione agit S. Thom. in 2. 2. *quæst.* 131. de vana seu inani gloria *quæst.* 132. *art.* 1. *in Corp.* sic inquiens: potest vana gloria tripliciter accipi. *Uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloriâ dignum sicut de aliqua re fragili & caduca. Alio modo ex parte ejus, à quo quis gloriam quærit, putà hominis, cujus judicium non est certum. Tertiò ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, putà, ad honorem DEI, vel salutem proximi.* Quòd verò hæc inanis gloriæ cupiditas sit peccatum solùm veniale, laudatus S. Doctor *art.* 3. *ibid.* sic probat: *Sed contra est, quòd Chrysostomus dicit super Mathæum, quòd cùm cætera vitia locum habeant in servis diaboli, inanis gloria etiam locum habet in servis Christi: in quibus tamen nullum est peccatum mortale: Ergo inanis gloria non est peccatum mortale.*

346. Quarta filia superbiæ est *inobedientia:* negans subjectionem superioribus. Quinta est *jactantia:* decantans proprias virtutes. Sexta *Hypochrisis:* simulans Sanctimoniam. Septima est *contentio:* studens decertare cum proximo. Octava est *pertinacia:* quæ adhærens suo judicio, non cedit aliorum Sententiæ. Nona est *discordia:* recusans consentire voluntati alienæ. Decima est *curiositas:* appetens novitates tam circa intelligibilia, quàm circa sensibilia. Vid. Card. Tolet. *lib.* 8. *à cap.* 3. Marcant. in *Tuba Sacerd. tract.* 1. *sect.* 6. *cum seqq.* Joan. Clericat. in *Decisionibus Miscellaneis decis.* 36. ubi etiam inter mala superbiæ recenset, quòd sit initium peccati. *Eccl.* 10. & quandóque pertrahat etiam ad hæresin vel apostasiam: ùt extant exempla in Origene, Tertulliano, Osio &c.

347. Superbiæ Remedia consistunt in humili suî consideratione: quòd nihil fuerit, & quod habet, totum gratuito à Creatore & Conservatore DEO acceperit; qualis post mortem futurus sit: quibus modò infirmitatibus, incommodis, passionibus, defectibus &c. obnoxius sit &c. Vid. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 161. ubi tractat de virtute opposita superbiæ, videlicet de Humilitate: in *artic.* 5. concludens, quòd Humilitas, post Virtutes Theologicas & intellectuales, & post justitiam legalem, sit virtutum excellentissima & potissima. Et in *art.* 6. *seq.* ex instituto investigat, *utrùm convenienter distinguantur, secundùm B. Benedictum, duodecim gradus humilitatis,* scilicet in *cap.* 7. regulæ: & Resp. approbando distinctionem illam in 12. gradus, eò quòd in istis perfectio Humilitatis consistat.

## Avaritia.

348. Quæritur tertiò: quid sit avaritia: & quale peccatum? De hac specie agit S. Th. 2. 2. *quæst.* 118.

349. Dico: Avaritia est immoderatus appetitus habendi; vel inordinatus appetitus temporalium: & quidem uno modo species avaritiæ opponitur justitiæ, quando aliquis alienas res injustè accipit vel retinet, quod pertinet ad rapinam vel furtum: & hæc avaritiæ species est peccatum mortale ex suo genere, nisi diminuatur ex imperfectione actûs, aut parvitate materiæ. S. Doct. *loc. cit. art.* 3. *in Corp. Alio modo avaritia opponitur* liberalitati, & secundùm hoc (pergit *loc. cit.* S. Doct.) *importat inordinatum amorem divitiarum. Si ergo in tantum amor divitiarum crescat, quæ præferatur charitati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem DEI & proximi, sic avaritia erit peccatum mortale: Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superfluè divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori Divino, ùt si propter divitias non velit aliquid facere contra DEUM, & proximum, sic avaritia est peccatum veniale.* Hæc D. Thom. *cit.* 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 4. breviter ita concludens: *Avaritia, quæ justitiæ adversatur, peccatum mortale est, nisi imperfectio actûs adsit: quæ verò liberalitati contraria est, nisi charitati adversetur, semper veniale est peccatum.* In *art.* 3. verò præmittit, quòd avaritia, quatenus indebitam quandam pecuniarum acceptionem, & conservationem importat, justitiæ adversetur: quatenus verò immoderatio quædam est circa interiores divitiarum affectus, liberalitati opponatur. In *artic.* 6. docet, avaritiam esse peccatum spirituale, eò quòd in spirituali divitiarum delectatione perficiatur. In *art.* 2. ostendit, avaritiam, prout est immoderatus amor habendi pecunias, & possessiones, speciale peccatum esse: ùt verò est immoderatus amor habendi quæcunque, non esse speciale peccatum. In *artic.* 7. subjicit, avaritiam, cùm in pecuniarum cupidine, unde multa dimanant vitia, consistat, vitium capitale esse.

350. Tandem Div. Thom. in *art.* 8. filias avaritiæ adnumerat: súntque sequentes: proditio: fraus: fallacia: perjuria: inquietudo: violentiæ: & contra misericordiam obduratio. Explicationem *in Corp.* ejusdem articuli reperies. In *seq.* autem *quæst.* 119. agens de prodigalitate, *artic.* 3. commonstrat, prodigalitatem minus vitium esse ava-

avaritiâ: quia prodigus minùs, quàm avarus, à liberali distat: & multis prodest, ac faciliùs à vitio est sanabilis. Nempe prodigus multis utilis est, quibus dat, avarus autem nulli: sed nec sibi ipsi, ùt dicitur in 4. *Eth.* Avarus nulli est bonus, sibi autem pessimus.

351. Avaritiæ insanabilitatem valde difficilem S. Doctor in *q.* 118. *art.* 5. *ad* 3. dicit in eo consistere, quòd eam *habeat ex parte defectûs humani: in quem scilicet semper procedit humana natura: quia quò aliquis est magìs deficiens, eò magis indiget adminiculo exteriorum rerum: & ideo magìs in avaritiam labitur*, quasi nempe vitium avaritiæ cum ætate & annis crescat. Cùm cætera vitia (ait Div. Hieron.) senescente senescant, sola avaritia juvenescit. Avarus Verbum DEI non audit: vel si audiat, minimè credit: rarò confitetur peccata; & Confessarium quærit, qui nesciat, aut non audeat illum de avaritia redarguere. Procedit tanquam flumen, magis atque magis ripas devorans, quò majores consequitur aquas. Est quoque similis Pyramidi, quæ eò fit subtilior, quò magis extollitur: nam & avarus in lucro captando magis semper ingenium acuit.

352. Pro remedio his miseris inculcanda est frequens mortis consideratio: facilè enim (teste Hieronymo) contemnit omnia, qui sæpè cogitat, se esse moriturum: item iisdem proponendus est malus exitus, cum post mortem corpus detur vermibus, anima dæmonibus, bona temporalia hæredibus aut ingratis, aut prodigis, ea consumpturis: nec non illud Evangelicum apud Math. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur:* Et quod comminatur Apostolus 1. Cor. 16. *Neque fures, neque rapaces, neque avari Regnum DEI possidebunt.*

## INVIDIA.

353. QUæritur jam quartò: quid & quale peccatum sit invidia? Dico: Invidia est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ: estque directè contra charitatem: cùm charitas inclinet ad gaudium de bono proximi, invidia verò illud vel destructum optet, vel de non destructo doleat. Numeratur inter peccata capitalia apud Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 36. *art.* 4. & *de Malo qu.* 10. *artic.* 3. quia movet ad quædam alia vitia, eáque ùt mater, suas filias parere solet. Sunt autem sequentia: odium: susurratio: detractio: exultatio in adversis proximi: in prosperis afflictio. Est peccatum ex suo genere mortale: excipiuntur motus primi, qui etiam in viris perfectis exsurgunt. Vid. D. Thom. *cit. q.* 36. *art.* 3. ubi sic concludit: invidia, cùm charitati proximi perfectè adversetur, peccatum mortale est. Fusiùs hæc tractat *cit. q.* 10. *de Mal. art.* 2. ubi inprimis redditur differentia odii ab invidia: quòd nimirùm invidens non tristetur de bono alterius, nisi per hoc, quia excellitur, vel singularitatem suæ gloriæ admittit: odiens autem de quocunque bono inimici tristetur. Deinde in Resp. ad secund. dicit, illud, quod ex suo genere est mortale, non posse fieri veniale, si actus sit perfectus: bene tamen propter imperfectionem actûs. Et ad sept. Respond. quòd *quandoque aliquis tristatur de felicitate alterius propter nocumentum, quod exinde sibi vel suis imminet, talis tristitia non est invidiæ, sed timoris: unde potest esse sine peccato.* Hinc nec peccatum invidiæ committit, qui præcisè ideo dolet de alicujus promotione ad aliquod officium, quia nocumentum exinde sibi approprians prævidet, & perpendit.

354. Invidiam effugies, ait Seneca in *Epist.* si te non ingesseris oculis: si bona tua non jactaveris: si sciveris in sinu gaudere. Div. Ambrosius: Fuge, inquit, invidiam, quæ non solùm alios, sed multò magis eum, quem possederit, lacerare consuevit. Div. Hieronymus in *Epist.* Quid invido, dicit, delectationis præstat invidia, quem secretis quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse discerpit, & alienam felicitatem suum tormentum facit. Gregor. Magnus *l.* 3. *Mor.* Invidia est odium alienæ felicitatis: respectu superiorum, quia eis non æquatur: respectu inferiorum, ne sibi æquentur: respectu parium, quia sibi æquantur.

## IRA.

355. QUæritur quintò: Quid & quale peccatum sit ira? Dico: Ira est accensio sanguinis circa cor propter apprehensionem contemptûs, cum appetitu vindictæ. Suntque tres species iratorum hominum: quidam enim sunt *acuti*, hoc est celeres in irascendo, sed citò defervescunt: alii *amarulenti*, qui iram diu fovent: nonnulli dicuntur *infensi*, qui non nisi post vindictam obtentam placantur. Clericat. *loc. cit.* Cæterùm datur ira *virtuosa* & *vitiosa*. Virtuosa, quando irascimur contra vitia, malas inclinationes ad ea cohibendas, vel contra dæmonem, juxta illud: *irascimini, & nolite peccare.* Ps. 4. Vitiosa quinque præcipuis modis accidit, primò: irascendo rebus, quibus non oportet, ùt equo, calamo &c. Secundò: ex causis, ex quibus non oportet, ut de fractura vitri: Tertiò: magis quàm oportet, ùt clamando, percutiendo: Quartò: citiùs quàm oportet, non expectata informatio. Quintò: longiori tempore, quàm oportet.

356. An verò & quando ira vitiosa sit peccatum mortale vel veniale, collige ex S. Doct. 2. 2. *q.* 158. *art.* 3. *in Corp.* ubi docet, quòd motus iræ possit esse inordinatus, & peccatum dupliciter: uno modo, ex parte appetibilis, cùm aliquis appetit injustam vindictam: *& sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati & justitiæ. Potest tamen contingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem*

*nem actûs. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, putà cùm motus iræ prævenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, putà, cùm aliquis appetit in modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam quòd si actu inferatur, non esset peccatum mortale, putà si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos.* Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, *quantùm ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ. Et sic ira secundùm se non habet de suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere, quòd sit peccatum mortale, putà, si ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione DEI & proximi.* Ita Div. Thomas *art.* 1. concludens: Secundùm rectam rationem irasci laudabile esse: In 2. *artic.* iram peccatum esse, si modum rationis excedat. In 3. *art.* Iram, quâ quis injustam appetit vindictam, peccatum mortale esse, veniale verò iram ex passione, quâ modica vindicta appetitur. In 6. *art.* iræ vitium esse capitale: siquidem ex ipsa multa & varia vitia oriuntur. In 7. *art.* referuntur sex filiæ iræ: videlicet, rixa: tumor mentis: contumelia: clamor: indignatio: & blasphemia.

357. Inter remedia contra iram est primò, ut hanc passionem refrænaturus studeat, propriis demeritis offensam tribuere: secundò, ut tardus sit ad irascendum: tertiò, recogitet proprios suos defectus: & quòd, exceptis culpis formaliter spectatis, omnia pœnalia, afflictiones, contradictiones, calumniæ &c. à DEO in bonum nostrarum animarum permittantur. Revolvat secum, quod olim Christianus Heros Thomas Morus. Vel bonus est, vel malus, cui irasci vis? Si bonus, immeritò vis ei irasci, quem amat DEUS. Si malus? Vel talis erit in æternitate: vel bonus fiet: Si semper malus erit, satis replebitur miseriis in æternorum malorum abysso; unde potiùs misereri, quàm irasci debes. Si in æternitate bonus futurus est, iniquiuum est irasci ei, qui DEO gratus, & tibi æternæ amicitiæ nodo amicus futurus sit.

358. Iræ moderationem suadent etiam ejus varia documenta: præcipit sana ratio; commendant SS. Patres, aliique sapientes. S. Augustinus: sicut acetum corrumpit vas, si diutiùs ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. S. Ambros. 1. *Offic.* Resiste iræ, si potes: cede, si non potes. S. Greg. Mag. *l.* 3. *Mor.* per iram sapientia perditur, ut quid quóve ordine agendum sit, nesciatur. Seneca *l. de Ira.* immodica ira gignet insaniam. Nihil interest inter insanum & iratum, nisi unus dies: alter semper insanit, alter semper irascitur. Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. Plutarchus: nullus est morbus animi, qui magis habeatur odio, quàm ira, vel contemnitur magis: nam multa sunt horrenda, quæ designat; multa rursùs ridicula. Immedicabilis est ira, quàm lenitas acerbat.

## Gula.

359. Quæritur sextò: quid, & quale peccatum sit Gula?

360. Dico: Gula est inordinatus appetitus cibi vel potûs, quatenus delectationem adfert. Dum exercetur in edendo, vocatur commessatio vel crapula; ebrietas verò, dum in potando. Quale autem sit peccatum, tradit nobis D. Thom. 2. 2. *quæst.* 148. *in Corp.* „vitium Gulæ propriè consi-„ stit in concupiscentia inordinata. Ordo „ autem rationis concupiscentiam ordinan-„ tis dupliciter tolli potest. Uno modo quan-„ tum ad ea, quæ sunt ad finem, prout sci-„ licet non sunt ita commensurata, ut sint „ proportionata fini. Alio modo, quantum „ ad ipsum finem, prout scilicet concupi-„ scentia hominem avertit à fine debito. Si „ ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur „ in gula secundùm aversionem à fine ultimo, „ sic gula erit peccatum mortale. Quod qui-„ dem contingit, quando delectationi gulæ „ adhæret homo tanquam fini propter quem „ DEUM contemnit, paratus scilicet contra „ Præcepta DEI agere, ut delectationes hu-„ jusmodi assequatur. Si verò in vitio gulæ „ intelligatur inordinatio concupiscentiæ „ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, „ utpote quia nimis concupiscit delectatio-„ nes ciborum, non tamen ita, ut propter „ hoc faceret aliquid contra legem DEI, est „ peccatum veniale. „

361. Notanda quoque hîc venit propositio ab Innocentio XI. damnata, quæ asserebat: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non esse peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Quinque gulæ species Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 148. ex B. Gregorio refert his differentiis: *lautè, studiosè, nimis, præproperè, ardenter:* id est, inordinatus appetitus cibi & potûs opponitur abstinentiæ, & quinque modis committitur: 1. si edas nimis exquisitè præparata: 2. si nimis exquisita; 3. si plùs justo: 4. si edas ante tempus: 5. si voraciter. Hi tamen modi (quos latiùs explicat Joan. Clericat. in *Decisionib. Miscell. decis.* 141.) non sunt in Confessione exprimendi de necessitate: nisi quando in eorum aliquo quisquam suum ultimum finem posuisset, judicando, delectationem gulæ esse summum & ultimum bonum, ùt solebant Epicurei.

362. Gula ex genere suo est tantùm veniale peccatum: quia nullus recensitorum modorum repugnat præcisè charitati DEI, vel proximi: & quia ordinariè exercetur solùm ex concupiscentia inordinata circa ea, quæ sunt circa finem; non autem deviat à fine ultimo ex dictis, & per tradita à Div. Thom. *cit. quæst.* 148. *artic.* 2. Quo non obstante, gula accensetur vitiis capitalibus ab eodem S. Doctore *loc. cit. artic.* 5. & 6. ubi quinque gulæ assignantur filiæ: videlicet inepta lætitia: scurrilitas: multiloquium: & he-

& hebetudo mentis. Vid. etiam *de Malo, quæst.* 14. *art.* 4. Quæ filiæ similiter (regulariter loquendo) ex genere suo peccatum veniale non excedunt. Mortalis interim censetur crapula ex accidente, & nimia inordinatione, in seqq. casibus. 1. Si quis gulæ causâ violet jejunia Ecclesiastica. 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas aliunde sub mortali tenetur. 3. Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens. Secus, si leviter tantùm: ut e. gr. si febricitans haustu aquæ morbum augeat. 4. Si continuæ fiant commessationes & compotationes, ut venter pro DEO habeatur. 5. Si quis bibat deliberatè ad perfectam ebrietatem &c.

363. Inter mala, quæ gula producit, quatuor præcipua memorantur: primò egestas in familiis, Prov. 21. v. 17. *Qui diligit epulas, in egestate erit &c.* Secundò, infirmitates in corporibus, Ecclesf. 37. v. 33. *In multis escis erit infirmitas.* Tertiò vitæ brevitas, *ibid. propter crapulam multi obierunt.* Hinc illud: plures occidit crapula, quám gladius. Coadjutores mortis gula, & lascivia. Homines ventre & gulâ sibi ipsi hostes. Quartò, periculum damnationis æternæ. Phil. 3. v. 19. *Quorum finis interitus: quorum DEUS venter est.*

## Acedia.

364. Quæritur septimò: Quid, & quale peccatum sit Acedia?

365. Dico: Acedia (alii cum D. Thom. legunt accidia) est tristitia de bono Divino: éstque ex genere suo peccatum mortale, si tristitia sit perfecta: quia charitati adversatur: veniale autem, si sit tristitia solùm imperfecta, scilicet motus sensualitatis sine rationis consensu: præterea pertinet ad vitia capitalia: cùm ex acedia alia vitia oriantur secundùm rationem causæ finalis. S. D. 2. 2. *quæst.* 35. per plures articulos hæc omnia explanans. In *artic.* 2. notat, acediam sumi posse vel generaliter, vel magis specialiter: nam in quantum est tristitia de bono Divino, ex charitate diligendo, speciale vitium est, charitati contrarium: in quantum verò est tristitia de bonis cujuslibet virtutis, generale vitium est.

366. Vitii hujus Capitalis filiæ à S. Doct. *in art.* 4. nominantur quinque: videlicet, *malitia: rancor: pusillanimitas: desperatio: torpor circa præcepta:* & *mentis evagatio.* Exegesin earundem adducit *de Malo quæst.* 11. *artic.* 4. *in Corp.* sic loquens: „Sicut homines propter delectationem quandam procedunt ad„ multa facienda, vel vitanda; ita etiam &„ propter tristitiam fugiendam. Utrumque„ enim ejusdem rationis esse videtur; sicut„ quærere bonum, & fugere malum. Cùm„ ergo accidia sit quædam tristitia de bono„ Divino interno, sicut invidia de bono pro-„ ximi, & sicut ex invidia multa vitia ori-„ untur, in quantum homo multa facit inor-„ dinatè ad hujusmodi tristitiam repellen-„ dam, quæ consequitur de bono proximi:„ ita etiam & accidia est vitium capitale. Sed quia etiam nullus homo est, qui absque delectatione in tristitia manere possit, ùt Philosoph. dicit 8. *Ethic.* ideo ex tristitia duo consequuntur. „Quorum unum est, ut rece-„ dat à contristantibus: aliud est, ut ad alia„ transeat in quibus delectetur:„ & secundùm hoc Philosophus dicit in 2. *Ethic.* quòd illi, qui non possunt gaudere delectationibus spiritualibus ùt plurimùm transferant se ad delectationes corporales; & secundùm hoc ex tristitia, quæ concipitur ex spiri-„ tualibus bonis, sequitur evagatio circa il-„ licita, in quibus animus carnalis delecta-„ tur. In fuga autem tristitiæ talis processus„ attenditur, quòd primò quidem homo ea„ fugit; secundò etiam prosequitur. Ad„ fugam autem spiritualium bonorum, quæ„ delectari possunt, pertinet & recessus á bo-„ no Divino sperato; & hæc est desperatio:„ & iterum recessus à bono spirituali agen-„ do. Quæ quidem quantum ad commu-„ nia, quæ sunt de necessitate salutis, est„ torpor circa præcepta: quantùm autem ad„ ardua, quæ cadunt sub consiliis, est pusil-„ lanimitas. Ulteriùs autem contingit, quòd„ si aliquis invitus detineatur in spirituali-„ bus bonis, quæ ipsum contristant, conci-„ pit primò quidem indignationem ad Prælatos, vel ad quascunque personas in his de-„ tinentes: & hic est rancor: secundò ve-„ rò concipit indignationem & odium con-„ tra etiam ipsa spiritualia bona, & hæc pro-„ pria est malitia.„

367. Succinctè: *desperatio*, quæ ex acedia oriri solet, est circa consequendum finem supremum: *Pusillanimitas* in exequendis Divinis consiliis: *Torpor* in adimplendis præceptis: *Rancor* in fastiendo superiores, & homines religiosos: Evagatio mentis in se gerendo indevotè quoad ea, quæ ad DEUM spectant.

DIS-

# DISSERTATIO QUARTA.

## *DE*

## *Causis Peccati Actualis : & Constitutivo Habitualis.*

368. DIvus Thomas in 1. 2. *à quæst.* 75. *usque ad qu.* 79. agit de variis causis peccatorum, præcipuè etiam de malitia voluntatis : item quomodò ignorantia intellectûs, ac naturæ humanæ infirmitas, & Passio sint causa peccatorum; demum quomodò DEUS, & diabolus? nos potiora jam in *Tract. de Lib. Arbitr. & Actib. Hum.* prævenimus, quòd DEUS sit auctor peccati quoad solum *materiale*, non verò quoad *formale* malitiæ, explicari solet, cùm disseritur de Prædeterminatione Physicâ, controversiâ etiam nostris Philosophis non incognitâ. Hinc, illâ prætermissâ, breviter examinatur hic

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

### *An, & quomodò DEUS sit causa excæcationis, & indurationis in Peccato?*

369. PRænoto ex Sylvio ad *cit. q.* 79. Div. Thomæ generaliter cæcos, & duros appellari, qui in peccato mortali constituti affectum ad illud retinent : nam & peccata opera tenebrarum vocat Apostolus 13. *ad Roman.* inquiens : abjicite ergo opera tenebrarum : item ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino :* & qui complacentiam erga objectum peccati commissi continuant, duri corde non immeritò appellantur, de quorum conversione *Ezech.* 36. dicit DEUS : *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Peculiare tamen aliquid Scriptura insinuare intendit, & quandam insolitam cæcitatem, duritiémque vel singularem excellentiam in adhæsione ad malum, quando de quibusdam peccatoribus meminit, eos excæcatos, induratos, in sensum reprobum traditos esse. Horum cæcitas describitur, quòd sit motus animi sic inhærentis malo, ut lumen veritatis etiam evidenter manifestatæ nolit acceptare : Durities verò sive obduratio, quòd sit pravus animi affectus, quo quispiam contemnit ea, quæ à malo avertere, & ad bonum perducere possunt, iisque resistit : de quo Div. Bernard. *l.* 1. *de consideratione cap.* 2. *cor durum*, ait, *est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur &c.*

370. Conclusio prima *:* Si excæcatio & induratio sumantur, prout important motum animi inhærentis malo, & aversi à Divino lumine, non est DEUS causa illarum; sicut non est causa peccati. Ita in terminis Doctores Salmanticens. ad *cit. quæst.* 79. Div. Thom. *art.* 3.

371. Conclusio secunda: DEUS est causa excæcationis & indurationis, quatenus important subtractionem gratiæ, ex qua subtractione sequitur, ut mens non illuminetur ad rectè videndum, & cor non emolliatur ad rectè vivendum. Sic denuo præfati Doctores : Utraque Conclusio reipsa traditur à Doct. Angel. *cit. quæst.* 79. *art.* 3. ubi notat, quòd excæcatio & obduratio duo importent: *Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo*, & *aversi* à Divino lumine : & quantùm ad hoc, ait, *DEUS non est causa excæcationis & obdurationis; sicut non est causa peccati.* Aliud autem est *subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens Divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum:* & quantum ad hoc DEUS est causa excæcationis & obdurationis.

372. Prima Conclus. Confirmatur ex *Sap. cap.* 2. ubi de excæcatis dicitur : *Excæcavit illos malitia eorum :* & de induratis legitur Jerem. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt ; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram*, & *noluerunt reverti :* & *Actor* 7. scriptum est : *Dura cervice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto.* Ratio quoque patet ex eo, quòd motus & affectus animi inhærentis malo sit peccatum : atqui excæcatio & induratio in prima Conclusione sumuntur pro tali motu & affectu ; & DEUS non potest esse auctor peccati quoad formale : Ergo nec est causa excæcationis & indurationis, secundùm quod ille motus formaliter consideratur.

373. Secunda Conclus. pariter confirmatur ex illo ad Rom. 9. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Et quia excæcatio atque obduratio, prout sunt à DEO, non habent rationem *culpæ*, sed *pœnæ* solùm, DEUS, ùt subtrahens gratiam ad excæcationem & indurationem non habet se *permissivè* duntaxat, sed *directè* & *positivè*, moraliter scilicet & sub hac consideratione nomen causæ participat, dicente D. Thom. *in Corp. DEUS autem propriò judiciò lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit : unde causa subtractionis gratiæ non solùm est ille, qui ponit obstaculum gratiæ; sed etiam DEUS, qui suò judiciò gratiam non opponit. Et per hunc modum DEUS est causa excæcationis, aggravationis aurium, & obdurationis cordis.* Ad

quæ

quæ verba Salmantic. in Commentario observârunt, quòd DEUS se non merè permissivè habeat respectu effectûs, quem *propriô judiciô decernit*; nec mentem S. Thomæ, DEUM in excæcando & indurando, quoad aliquem sensum pro causa adducentis, assequantur illi, qui hic rationem causæ à DEO absolutè removent.

374. Arguis primò ex D. Augustino *lib.* 83. *quæst.* DEUS non est causa ejus, per quod homo fit deterior: at per excæcationem & obdurationem homo fit deterior: Ergo DEUS non est causa excæcationis & obdurationis. Secundò. DEUS non est ultor illius rei, cujus est auctor: sed DEUS est ultor cordis obdurati secundùm illud *Ecclef.* 3. *Cor durum malè habebit in die novissimo.* Tertiò. Si DEUS ex hoc, quòd multis deneget seu subtrahat suam gratiam, dicatur quodammodò causa excæcationis & obdurationis, omnes illi forent peccatores obcæcati, atque obdurati, quibus DEUS gratiam subtraheret, quàque subtractâ in ulteriora scelera ruunt. Hoc autem adversatur communi sensui Doctorum, discrimen facientium inter peccatores peccata plura successivè cumulantes, & continuantes; & inter excæcatos ac induratos. Ergo conclusio secunda sinistrè hanc difficultatem exponit.

375. Nec juvat respondere gratiæ subtractionem in excæcatis fieri in pœnam præcedentis peccati. Nam contra est, quòd multi, quibus in pœnam præcedentium peccatorum subtrahitur gratia, in peccata subsequentia cadant ex vehementia concupiscentiæ, infirmitatis, vel etiam ex ignorantia culpabili, de quibus non procedit, quòd sint verè excæcati & obdurati in malo.

376. Quartò: DEUS solùm impropriè potest esse & dici causa excæcationis in malo: atqui secundùm nostram expositionem, DEUS esset, dicique posset causa propriè: ille enim est causa propriè ac directè excæcationis & obdurationis, qui istas intendit: DEUS autem in subtractione gratiæ prædictos effectus intenderet: nam ideo, eúmque in finem, ut tales peccatores non ampliùs resipiscant, & ad DEUM se convertant, gratiam subtrahit.

377. Quintò: Videtur, quòd excæcatio & induratio comparatè ad DEUM nullô modô habeant rationem effectûs: nam concursus planè *permissivus* non infert causam, adeóque nec effectum: sed subtractio gratiæ, ex qua sequitur excæcatio & obduratio in affectu malo, nihil aliud denotat, nisi concursum permissivum, quatenus non confert auxilia ad impediendam excæcationem & indurationem. Quemadmodùm igitur peccatum quoad *formale*, putà, quoad rationem malitiæ nullô modô DEO adscribitur tanquàm effectus suæ causæ: quia DEUS quoad illud formale habet se merè permissivè: ita prorsus erit dicendum de excæcatione, & obduratione affectûs malo inhærentis inflexibiliter. Sed hæc non obstant. Nam

378. Ad primum Resp. declarando min. per excæcationem & obdurationem homo fit deterior, in quantum in his importatur ratio culpæ, demeritum, & motus animi inhærentis malo, adeóque prout excæcatio & obduratio se præcisè tenet ex parte hominis, sic conceditur, quòd exinde homo fiat deterior: in quantum importat præcisè subtractionem gratiæ, tenentis se ex parte DEI, quæ nihil involvit de culpa & demerito, sed habet rationem pœnæ duntaxat, sic *homo fit deterior*, Neg. min. & dist. conseq. Ergo DEUS non est causa excæcationis & obdurationis, sumptæ priori modo, conc. conseq. sumptæ posteriori modo, Neg. conf. & conseq. Hanc distinctionem indicat D. Thom. *cit. quæst.* 79. *art.* 3. *ad* 1. respondens, *quòd cum excæcatio & obduratio ex parte subtractionis gratiæ sint quædam pœnæ, ex hac parte eis homo non fiat deterior, sed deterior factus per culpam, hæc incurrit, sicut & cæteras pœnas.* Et sub hac distinctione S. D. Resp. etiam ad secundum oppositum.

379. Ad tertium Resp. ex Sylvio *cit. qu.* 79. *art.* 3. *concl.* 1. in excæcatione & obduratione malorum, in quantum DEO tribuitur, varia observari: primum est denegatio luminis, quo cognoscant, & operentur bonum: ex quo sequitur permissio Divina, ut peccatores majoribus ignorantiæ tenebris involvantur, ipsorúmque voluntas magis ac magis à bono avertatur, & ad malum seu potiùs, ad bonum creatum, & delectabile afficiatur: Secundùm, quòd hæc permissio fit in vindictam unius vel plurium peccatorum antecedentium. Tertium, quòd DEUS circa tales multa intus & foris operetur, mentique ac sensui ipsorum objiciat, quæ licèt sint per se bona, eorum tamen occasione ipsi magis obtenebrantur, & indurantur, fiúntque magis rebelles: sicuti cùm varias ipsis adhibet monitiones, correctiones, aliáque beneficia, vel etiam miracula & portenta, ex quibus cùm deberent emolliri, fiant magis duri? quod ultimum insinuat D. August. *quæst.* 18. *in Exod.* de causis, quibus huc vel illuc movetur hominis animus, sic scribens: „ quæ causæ existant vel non „ existant, non est in hominis potestate, sed „ veniunt ex occulta providentia, justissimâ „ planè & sapientissimâ, universum, quod „ creavit, disponentis, & administrantis „ DEI. „ Exemplum subjicit de induratione Pharaonis, coram quo talia facta sunt, quibûs visîs, cor ejus suô vitiô tam malignum adhuc resisteret jussionibus DEI: cor verè induratum; quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat jussionibus DEI. Et D. Th. in *cap.* 9. *ad Rom.* ad hoc tertium respiciens, ait: *DEUM non indurare aliquos directè, quasi in eis causet malitiam, sed indirectè, in quantum scilicet ex his, quæ facit in homine intus vel extra, sumit occasionem peccati; & hoc ipse DEUS permittit.* Huc servit & illud Evangelicum: *Cùm autem tanta signa fecisset (JESUS) coram eis, non credebant in eum:* ut

sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: *Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini, cui revelatum est? Propterea non poterant credere;* quia iterum dixit Isaias: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Hæc Servator apud Joan. *cap.* 12.

380. Ad quartum negat Sylvius, DEUM propriè intendere ipsam excæcationem & obdurationem: hac enim intentione directè & propriè constitueretur causa illorum effectuum: sed una ex causis, cur DEUS auxilia non conferat, vel etiam (ùt in Pharaone monstravit) beneficiorum ac plagarum genera operetur circa eos, quos exinde magis excæcari & obdurari prævidet, est, ut peccata præcedentia improborum puniat: altera, ut talis punitio justior appareat, útque severitatem justitiæ suæ ostendat, aliis timorem incutiat, & suam potentiam manifestet. Hinc rectè

381. Ad quintum Salmantic. *loc. cit. num.* 4. negant, DEUM respectu excæcationis & obdurationis, quatenus habent rationem pœnæ, plus aliquid non intendere, quàm non collationem auxiliorum: sed decernere ac definire talem pœnam, ajunt, denegaréque auxilia gratiæ ex intentione puniendi illum, cui ea denegat: atque in hoc aliquam causalitatem moralem sufficienter verificari, ut DEUS dicatur Auctor ipsius *pœnæ*, istiúsque inflictio tribuatur DEO quatenus illam *pœnam* approbanti, definienti, ac determinanti. Cúmque in permissione peccati illud nec decernat aliquo modo, nec approbet (secundùm formale peccati) neque ex intentione, ut peccatum sit vel permaneat, auxilia subtrahat, sed potiùs peccatum ùt sibi aliquid oppositum detestetur, respectu peccati, quoad formale spectati, habet se merè permissivè. Exemplum hanc rem illustrans, ut ratio causæ aliquô modô explicetur, proponunt Salmantic. *d. num.* 4. *in fin.* si Petrus extra propriam Patriam existens ad eam redire non posset absque auxilio, sibi cæteroquin non debitô alicujus Judicis; Judéxque auxilium præstare denegaret in pœnam criminis, volens ac decernens, ut Petrus exul permaneat, pœnámque criminis exiliô luat. Nónne talis Judex meritò diceretur Petrum exiliô punire, causáque moralis & auctor esse illius pœnæ, ex eo præcisè, quòd exilii pœnam decreverit, ejúsque intuitu auxilium aliunde non debitum denegârit? Ergo & DEUS respectu excæcationis & obdurationis, in quantum habent rationem *pœnæ* ab ipso decretæ, causa quædam moralis positiva, & non permissiva duntaxat, cum fundamento denominabitur.

## QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA.

### *Utrùm Diabolus sit homini directè Causa peccati?*

382. Dubium hocce movet D. Th. in 1. 2. *quæst.* 80. Illud autem adverbium, *directè*, Salmantic. hic intelligendum & accipiendum esse censent, pro adverbio *sufficienter* & infallibiliter, ut sensus sit, an Diabolus possit esse causa peccati, hominis voluntatem *sufficienter* seu infallibiliter peccare faciens? Hîs præmissîs,

383. Conclusio est negativa hunc in modum: Licèt Diabolus sit aliquô modô causa, ut homines peccent (juxta illud ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs Principes & Potestates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus)* non tamen est causa peccati hominum directè, seu sufficienter & infallibiliter, eorum voluntatem ad peccandum movens. Patet conclusio ex illo principio, quòd nullum agens creatum extrinsecum voluntatem alienam directè movere possit. S. D. *cit. quæst.* 80. *art.* 1. *in C.* dicens: *Proprium principium actûs peccati est voluntas: quia omne peccatum est voluntarium: unde nihil directè potest movere voluntatem ad agendum.*

384. Qua ratione ergo Diabolus hominibus potest esse aliquô modô causa peccati? Resp. per modum persuadentis, & proponentis objectum appetibile. Colligitur ex *cit. loc.* S. D. Voluntas, ait ibi, duobûs modîs movere potest. *Unô modô ab objecto, sicut dicitur, quòd appetibile apprehensum moveat appetitum: aliô modô ab eo, quòd interiùs inclinat voluntatem ad volendum: hoc autem non est, nisi vel ipsa voluntas, vel DEUS: DEUS autem non potest esse causa peccati.* Relinquitur ergo, *quòd ex hac parte sola voluntas hominis sit causa peccati.* Deinde ex parte objecti triplicem modum movendi voluntatem assignat. Unô modô movet ipsum objectum propositum, sicut dicimus, quòd cibus excitet desiderium hominis ad comedendum. Aliô modô is, qui proponit, vel offert hujusmodi objectum. Tertiô modô, ille, qui persuadet, objectum propositum habere rationem boni; quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod est rationis bonum, verum, vel apparens. Primô modô res sensibiles exteriùs apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum: secundô autem & tertiô modô Diabolus, aut etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Sed nullo istorum modorum potest aliquid esse directa causa peccati: quia voluntas non ex necessitate movetur ab aliquo objecto, nisi ab ultimo fine.

385. Cæterùm ad præsentem quæstionem, in qua D. Th. decidit, quòd Diabolus non sit causa peccati *directè*, notârunt Salmantic. hic scil. *art.* 1. *quæst.* 80. adverbium *directè* usurpari pro *sufficienter:* inferiùs verò in *artic.* 4. ubi

4. ubi S. D. quærit, utrùm omnia peccata hominum sint ex suggestione Diaboli, adverbium *directè* sumi pro *determinatè*: ut sensus sit, quòd Diabolus *directè* causet omne illud peccatum, ad quod *determinatè* inducit, etiamsi in id *sufficienter* seu infallibiliter non pertrahat: in quo *a.* 4. intentio S. D. non est, negare, Diabolum esse *directè* causam aliquorum peccatorum; sed negare, quòd sit *directè* causa omnium, quæ homo committit; quandoquidem non omnia hominis peccata ex tentatione vel suggestione Dæmonis, sed aliqua purè ex nobis ipsis & ex concupiscentiæ fomite oriuntur, rursus *in eod. art.* 4. S. D. docet, Diabolum esse causam omnium nostrorum peccatorum *occasionaliter & indirectè, in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cujus peccato in tantum vitiata est natura humana, ut omnes ad peccandum proclives simus:* Sicut diceretur esse causa combustionis lignorum, qui ligna siccaret: ex quo sequeretur, quòd facilè incenderentur. Contra concl. nostram

386. In oppositum militat primò, quòd Diabolus suæ Societati malignos affectus inspiret, juxta D. August. *lib.* 4. *de Trinit.* Ergo *directè*, sufficienter, & infallibiliter potest esse hominibus causa peccandi. Secundò: *Sicut DEUS est perfector boni, ita Diabolus est perfector mali:* Sed DEUS est directè causa nostrorum bonorum: Ergo & Diabolus est directè causa peccatorum nostrorum. Tertiò: Potestas major potest necessitatem inferre minori. At de Diabolo dicitur *Job.* 41. Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari: Ergo Diabolus potest homini terreno necessitatem inferre ad peccandum.

387. Ad primum Resp. ex S. D. Diabolum juxta SS. PP. malignos affectus inspirare, animas nostras in affectum malitiæ trahere &c. non movendo voluntatem, aut necessitatem ei inferendo, sed suggerendo, alliciendo, persuadendo, proponendóque objecta. Sed an non etiam interiùs instigando? Utique. Quomodò? Audi D. Th. *d. quæst.* 80. *art.* 2. Tota interior Diaboli operatio esse videtur circa phantasiam & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum: potest enim operari ad hoc, ut imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur: potest etiam facere, ut appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem &c. Dicit Philosophus *lib. de somno & vigil.* quòd cùm animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendant motus sive impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conservantur, & movent principium apprehensivum, ita ut appareant, ac si tunc principium sensitivum à rebus ipsis exterioribus immutaretur: unde talis motus localis spirituum, vel humorum, procurari potest à Dæmonibus, *sive dormiant, sive vigilent homines.* Ex his patet responsio

388. Ad secundum: Non enim eôdem modô Dæmon est causa nostrorum malorum, ùt DEUS bonorum: quia DEUS est causa movendo internè; Dæmon proponendo & suggerendo. S. D. *art.* 1. *ad* 2. *cit. quæst.* 80.

389. Ad tertium Resp. S. D. quòd non quælibet potestas major humanâ possit movere voluntatem hominis, sed solus DEUS. Certè 1. *Petri cap. ultim.* hortatur nos Sacra Scriptura, ut Diabolo tanquam Leoni rugienti, qui circuit quærens, quem devoret, fortes resistamus in fide: quæ hortatio frustranea esset, si homo Diabolo ex necessitate succumberet.

## QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

### *Utrùm omne peccatum debeat præcedere aliquis error in intellectu?*

390. PRæsentis quæstionis quædam perfunctoria insinuatio fit in *tract. de Angelis* circa peccatum ipsorum, ubi cum Thomistis concedo, Angelorum peccatum non fuisse commissum sine aliquo errore *virtuali*, & secundùm actum exercitum spectato. Dividitur enim error in *formalem*, qui est actus intellectûs, objectum aliter enuncians, quàm est in se: & in *virtualem*, qui explicatur per hoc, quòd fuerit omissa debita consideratio, quam quis debuerat habere circa objectum à se habitualiter cognitum. *Theol. Salisb. Scholast. tr.* 6. *disput.* 21. *art.* 2. §. 1. ubi cum aliis communiter errorem alium vocat *speculativum*, alium *practicum: Speculativum:* quando intellectus aliquid absolutè, & cum præcisione ab operis executione judicat, hoc aut illud esse licitum, quod tamen est prohibitum: *Practicum:* quando intellectus judicat, hìc & nunc aliquid esse faciendum, quod non esset faciendum, quia prohibitum. Rectè autem advertit Sylvius 1. 2. *quæst.* 77. *Verb. pro Responsione &c.* dum disquiritur, utrùm omne peccatum prævium supponat errorem, non quæri, an omne peccatum ex ignorantia committatur: hujus enim contrarium constat tum ex peccatis, quæ committuntur ex malitia; tum ex peccato Angelorum, & Adami, qui, quamvìs aliquis error voluntatis defectum præcesserit, minimè ex ignorantia peccàrunt. Hinc aliud est *ex ignorantia* peccare, aliud peccare *ignorantem* vel *errantem:* nam ex ignorantia peccare involvit ignorantiam quodammodò ùt causam peccati, ut in *tr. de Lib. Arbit. & Actib. Hum. quæst.* 11. à nobis dictum est, quatenus ignorantia habet se ùt removens prohibens; quia removet scientiam, quæ, si adfuisset, actum peccati impedivisset. Ignorantem verò vel errantem peccare dicit quidem, & supponit ignorantiam in peccante, non tamen talem, quæ sit causa

pec-

peccati; quia cum errore *actuali* stare potest scientia *habitualis* de actione mala. Punctum ergo, quod hic controvertitur, est, utrùm, quotiescunque voluntas defectum in operando admittit, semper aliqua ignorantia vel error ex parte intellectûs ordine naturæ præcedat?

391. Conclusio apud Thomistas est affirmativa, contra Scotistas & alios. Tenet eam S. D. variis in locis, ut in 1. 2. *cit. quæst.* 77. *a.* 2. *in C. Cùm voluntas sit boni vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, nisi id, quod non est bonum, aliqualiter rationi bonum appareat; & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia vel errore rationis.* Et in 2. 2. *quæst.* 51. *art.* 3. *ad* 2. *In malis*, inquit, *potest quidem judicium rectum esse in universali; sed in particulari agibili semper eorum judicium corrumpitur.* Nec non *quæst.* 53. *art.* 2. *Nullum peccatum*, ait, *potest accidere, nisi defectus sit in aliquo actu rationis dirigentis.* Hinc

392. Prob. Ratione fundamentali. Omnis defectus in voluntate supponit defectum in ratione proponente, & judicante, saltem ordine & prioritate quadam naturæ: atqui omnis defectus in ratione proponente, & judicante est error: ergo omnis defectus in voluntate supponit errorem in ratione. Discursus in eo fundatur, quòd homo deliberatè per voluntatem non appetat objectum, nisi prout voluntas ab intellectu dirigitur, ipsúmque objectum proponitur & judicium fertur de illo. Et confirmatur ex eo, quòd omnis actus imprudentiæ involvat aliquem defectum, ignorantiam, vel inconsiderationem contra sanam & rectam rationem: omne autem peccatum sit actus quidam imprudentiæ: tum quia *Proverb.* 1. peccantes stultis & imprudentibus accensentur: cùm omne peccatum sit actus à regula prima, quæ est lex æterna, & à regula proxima, quæ est ratio nostra, seu dictamen prudentiale, deflectens. Ergo &c. Quòdsi voluntas equidem non peccet in prosecutione alicujus falsi, ac prohibiti, attamen aliquem defectum admittat in debito ordine, quatenus illam prosecutionem non ordinat in finem debitum, & sic debitum modum observare neglexit (quemadmodùm accidit in Angelis in secundo instanti suæ creationis turpiter peccantibus) tunc error saltem *virtualis* & *interpretativus* in intellectu præcedit, inconsideratio scilicet & negligentia non attenti debiti modi ordinísque ad finem, cui prosecutio boni veri, & non falsi, subordinari debuerat. Vid. Gonet. Sylv. Mezger. Sed nostræ Conclusioni videtur

393. Refragari primò illud *Jobi* 34. Quasi de industria recesserunt ab eo, & vias ejus intelligere noluerunt: & *Prov.* 2. *Lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Item *Jac.* 4. *scienti bonum facere*, & non facienti, peccatum est illi. Dantur ergo peccatores, qui ex proposito, cum lætitia de peccato & scientia de illo peccant. Scientes autem, & volentes non sunt errantes. Secundò. Hinc sententia nostra tolleret omne peccatum committendum ex pura malitia: cùm semper præcederet, vel concurreret ignorantia. Tertiò: Quid obstet, ne homo appetitu suo, cujus objectum est triplex bonum, scilicet *utile*, *delectabile*, & *honestum*, seu rationi consonum, cum aliquo conscientiæ remorsu, aut etiam culpæ contemptu, velit aliquid utile, & delectabile, quod judicat tale esse, & nihilominùs rectæ rationi dissonare: ergo tunc peccat absque omni errore, ignorantia, & inconsideratione. Quartò: Dantur peccata contra conscientiam rectam, & aliàs benè formatam: contra sic peccantes procedit illud *Roman.* 14. *Omne, quod non est ex fide* (id est juxta dictamen conscientiæ rectæ) *peccatum est:* & propterea D. August. in Psal. 118. dicit: *Sæpe, quid agendum sit, videmus, nec agimus: quia non delectat, ut agamus. Prævolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus.* Atqui in sic peccantibus nullus potest ostendi error sive speculativus, sive practicus: sive in universali, sive in particulari: Ergo &c. Quintò. Ex nostra Sententia illud maximum absurdum sequeretur, quòd homo toties in hæresin incideret, quoties peccaret: nam cum errore intellectûs agere, dicit hæresin. Verùm hæc opposita non sunt invincibilia. Nam

394. Ad primum, & secundum: Resp. absque dubio dari peccata ex proposito, scientia, & malitia: sed nego, nullum tunc intervenire errorem in judicio practico ultimo & particulari; quamvis tunc nullus detur error speculativus & in universali, sed sufficiens & clara notitia v. g. nullam fornicationem esse committendam. Ponamus enim, aliquem scire perfectè, fornicationem esse lege Divina & naturali universaliter prohibitam, & sic nunquam esse committendam, & tamen resolvere, quòd velit hic & nunc illa voluptate frui: ad hanc resolutionem movetur ex aliquo, ut judicet, fornicationem hic & nunc non esse omittendam, sed committendam: movetur nempe ab illa delectatione sensibili, & convenientia objecti, seu operis, quam habet cum appetitu suo, & prava dispositione, vel etiam à bono apparenti, quod sibi proponit in usu suæ irrefrænatæ libertatis & independentiæ ab omni lege. Quocunque autem horum vel similium motivorum intellectus voluntatem inducat ad consensum, judicium tale ultimò *practicum* semper est erroneum; quia rectæ rationi, quæ reclamat & dictat, legi parendum esse, & non fornicandum, semper est dissonum. Ex quo applicatur Responsio

395. Ad tertium: nam estò, quòd in casu allato intellectus nullo laboret errore speculativo-practico, quod regulatur secundùm hominem & rationem superiorem; quia illo judicio judicat, opus esse prohibitum,

tum, malum, & ideo non faciendum, quia legi & rationi dissonum est; alio tamen superveniente judicio, quod ab intellectu in præsentibus circumstantiis ex nimia passione, concupiscentia, malitia, vel etiam infirmitate de convenientia boni utilis aut delectabilis secundùm hominem & rationem inferiorem elicitur, voluntas directivè movetur, ut in opus malum, v. g. fornicationem inclinetur, & consentiat. Ad quod magis penetrandum, Cajetanus (allegatus à Salmantic. in 1. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *num.* 3.) notanter advertit, judicium speculativum & practicum non esse de eodem secundùm idem, sed de diversis: nam *speculativum* dictat, opus v. gr. fornicationem non esse convenientem, atque adeò non esse committendam, attenta lege DEI, & cæteris, quæ attendi debent: *Practicum* verò dictat, in his circumstantiis particularibus, in quibus non curatur de lege DEI, sed de prava appetentis dispositione, fornicationem convenientem esse, ac proinde committendam. Hinc

396. Ad quartum negatur min. quia dum peccatur contra dictamen conscientiæ rectæ, hoc dictamen conscientiæ rectæ, quod violatur, non sumitur pro dictamine practico ultimato quod vocant practicè practicum. Sed pro aliquo anteriori cui ultimum dictamen practicè practicum, voluntati, imperando consensum, disconvenit. Posses etiam dicere, duo elici dictamina practica: unum secundùm hominem & rationem superiorem regulatum à principio de non deviando à bono honesto: alterum superveniens secundùm hominem & rationem inferiorem, regulatum à propositione boni sensibilis &c.

397. Ad quintum neg. seq. Nam error hæreticalis est actus falsus, quo quis pertinaciter dissentitur alicui articulo fidei, ille verò actus, quo aliquis recedit à regulis prudentiæ & rectæ rationis, propter aliquam passionem, & fictam bonitatem convenientiæ, sed propter bonum hîc & nunc falsò apprehensum, minimè potest dici actus falsus, quo quis pertinaciter dissentiat alicui articulo fidei; sed est actus stultitiæ potiùs, ac imprudentiæ, juxta illud Prov. 14. *Errant, qui operantur malum:* & Gregorii Magni 15. Moral. cap. 23. *Omnis peccator stultus fuit in culpa:* quia scilicet quilibet seducitur & pervertitur errore quodam rationis, deficientis in practica directione voluntatis, quæ deberet dirigi ad amplectendum bonum rationis, & honestatis.

398. Eleganter hanc totam controversiam illustrat Nazarius 1. *part. quæst.* 63. *artic.* 3. *contr.* 1. dicendo, quòd omnis electio voluntatis, quâ bonum aliquod particulare eligitur, supponat aliquem discursum aut formalem aut virtualem intellectûs practici, ex duabus constantem propositionibus, unâ universali, quæ dictat, bonum esse amandum & prosequendum; alterâ particulari, dictante: hæc actio hîc & nunc in particulari mihi est bona, & conveniens: ex qua sequitur hæc conclusio, electionem regulans: Ergo talis actio hic & nunc à me exercenda est. Sicut ergo in speculativis error vel falsitas, quæ est in conclusione, reducitur ad falsitatem vel errorem, qui continetur in altera præmissarum; ita in moralibus omnis electio prava & difformis regulis morum debet procedere ex errore aliquo practico seu judicio practicè falso, quod in aliqua præmissarum contineatur. Unde sicut in isto Syllogismo speculativo: *Nullum animal præter rationale est risibile; sed homo non est animal rationale; ergo homo non est risibilis*, error, qui est in conclusione, reducitur in judicium falsum, & erroneum, quod continetur in minori: Ita enim in isto Syllogismo practico, quem homo, quotiescunque peccat, formaliter vel virtualiter format: *Bonum est prosequendum: sed elicere hic & nunc hanc actionem difformem regulis morum, putà, furtum, vel adulterium, est mihi bonum & conveniens: ergo hic & nunc hæc actio est à me exercenda:* falsitas & error practicus, qui est in conclusione, reducitur ad judicium falsum & erroneum in minori propositione.

399. Sic ille. Nec à mente S. Doct. abludit, consideratis ejus dictis in *quæst.* 3. *de Mal. art.* 9. *ad* 7. Et 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 2. *in Corp.* ubi, cùm ad rectè agendum, ait, homo dirigatur duplici scientia, id est, universali, & particulari, utriusque defectus sufficit ad hoc, quòd impediatur rectitudo voluntatis & operis. Contingit ergo, quòd aliquis habeat scientiam in universali, putà, nullam fornicationem esse faciendam, sed tamen non cognoscat in particulari hunc actum, qui est fornicatio, non esse faciendum; & hoc sufficit ad hoc, quòd voluntas non sequatur universalem scientiam rationis. Iterum considerandum est, quòd nihil prohibet, aliquid sciri in habitu: quod tamen actu non consideratur. Potest igitur contingere, quòd aliquis rectam scientiam habeat etiam in singulari, & non solùm in universali, sed tamen in actu non consideret; & tunc non videtur difficile, quòd præter id, quod actu non considerat, homo agat: quòd autem homo non consideret &c.

## *De Peccato Habituali Personali.*

400. TRansactô peccatô, quod non statim in sequenti instanti per contritionem deletur, anima peccatrix relinquitur quodammodo maculata, immunda, & deformata propter amissionem nitoris spiritualis, quo antea per gratiam sanctif. decorabatur. Et sicut in ipso momento peccati per consensum completi cœpit

pit à DEO averti; ita talis aversio postea habitualiter ratione actûs non retractati continuatur eò usque, donec per pœnitentiam & gratiæ reparationem denuò in DEUM convertatur. Porrò macula ex peccato relicta ex privatione spiritualis nitoris non nisi per analogiam ad maculas, quæ per contactum sordium corporalium contrahuntur, denominationem sortitur. Nec sine fundamento scripturistico, ùt *Jer.* 2. habetur: *Maculata es in iniquitate tua &c.* Attamen de hac macula, & essentia peccati habitualis, in quo formaliter constituta sit, non sunt concordes & concolores Doctorum calculi. Nos mentem nostram paucis aperiemus.

# QUÆSTIO VIGESIMA QUARTA.

## *In quo consistat Peccatum habituale Personale?*

401. SEntentia prima, quæ Scotistarum est, formale constitutivum peccati habitualis ponit in reatu peccati, ùt importat ordinationem passivam seu obligationem ad pœnam.

402. Secunda, quæ tribuitur Gregorio Ariminensi, maculam peccati habitualis constituit in habitu vitioso, relicto ex peccato præterito. A qua Sententia parum distat illa Lorcæ, peccatum habituale in quadam entitate positiva habituali, quâ peccator in bonum creatum, ceu finem ultimum inclinetur, constituentis.

403. Tertia in quadam qualitate relicta ex peccato, quæ sit contraria naturæ rationali, reddátque hominem DEO formaliter exosum; sicuti è diverso gratia sanctificans ceu qualitas supernaturalis hominem reddit mundum, nitidum, & amabilem DEO.

404. Quarta vult, peccatum habituale consistere in negatione retractationis cum præteritione peccati: sive in peccato præterito non retractato.

405. Quinta in morali perseverantia peccati actualis. Quò tria pertinent: actus præteritus: carentia Divinæ condonationis sive extrinsecæ sive intrinsecæ: & negatio æqualis satisfactionis. Sexta demum est Thomistarum, quibuscum sit

406. Conclusio prima: Peccatum habituale mortale, sive macula ejus, formaliter consistit in privatione nitoris gratiæ sanctificantis ùt inductâ ex actu præterito peccati.

407. Prob. primò: ex S. Doct. hic *qu.* 86. *art.* 1. *ad* 3. docentis, quòd macula peccati habitualis non sit aliquid positivum in anima, nec significet privationem solam, sed privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum; & ideo diversa peccata diversas maculas inducant.

408. Prob. secundò. Illud est constitutivum formale habitualis, quo solo posito, per locum ab intrinseco ponitur ratio peccati habitualis & maculæ: & quo solo non posito, positis quibuscunque aliis, non ponitur ratio peccati seu maculæ habitualis: sed posita sola privatione gratiæ sanctificantis, ponitur illa ratio peccati & maculæ habitualis, & ea sola non posita, positis quibuscunque aliis, non ponitur prædicta macula: Ergo in hac privatione formaliter censetur constitui. Maj. apud Doctores præsertim Recentiores transivit in regulam. Min. ostenditur ex eo, quòd, sola posita privatione gratiæ sanctificantis ùt inductâ ex actu præterito, ponatur & continuetur aversio hominis à DEO, & ejus conversio inordinata in creaturam: eâ verò solâ non positâ (pro statu naturæ nostræ elevatæ ad ordinem & finem supernaturalem) cesset illa aversio, & locò conversionis in creaturam ponatur habitualis conversio in DEUM: cujus ratio est, quòd privatio gratiæ nequeat tolli nisi per formam oppositam ejus, scilicet per ipsam gratiam (quod fusè cum Thomistis declaro probóque in *Tract. de Spe, Charit. & Gratia habituali*, Annô priori publicæ Disputationi expositô) sed hæc forma est principium habituale, nos convertendi in DEUM; ergo sublata privatione per positionem gratiæ, eo ipso tollitur peccatum habituale, seu aversio habitualis à DEO, sicuti & macula animæ per gratiæ nitorem. Sanè in eo consistit formaliter macula habitualis, quod justificatio per gratiam à DEO infusam per se tollit, & per ipsam aboletur: hoc autem, quod per se tollitur, est privatio gratiæ sanctificantis, & nitoris in ea contenti, uti suo loco dicetur. Ergo &c.

409. Prob. tertiò, refutando Sententias supra relatas. Nam prima non subsistit: tum, quia hæc propositio, *transeunte actu nihil remanet, nisi reatus seu obligatio ad pœnam*, à SS. Pontificibus damnata fuit: tum, quia obligatio ad pœnam consequitur ad culpam tam actualem quàm habitualem, tanquam effectus ad suam causam, & proprietas ad essentiam: neque enim aliquis dicitur peccator vel immundus, quia ad sustinendam pœnam obligatur: sed vice versâ ideo est obligatus ad pœnam, & pœna dignus, quia peccati maculâ est inquinatus: *macula* quippe *est medium inter actum peccati, & reatum, quasi effectus actûs, & fundamentum reatûs*, prout monet D. Th. in 2. *dist.* 42. *q.* 1. *a.* 2. proindéque licèt DEUS peccatum punire non decrevisset, peccatum præteritum, quamdiu non retractatur per voluntatem, adhuc duraret, uti durant damnatorum peccata, quæ in inferno committunt, & tamen à DEO ad novam pœnam non destinantur: imò destinatio ad pœnam manet, quando peccatum quoad cul-

culpam jam fuit remissum; alioquin superfluæ forent Indulgentiæ, quæ nihil abolent de culpa, sed solùm pœnas extinguunt, culpâ jam prævié remissâ. Accedit, quòd peccatum habituale debeat esse quid de genere mali moralis, & voluntarii; esse autem pœnâ dignum, culpâ per pœnitentiam jam retractatâ, atque deletâ, nihil involvit de genere mali moralis, & voluntarii: Ergo &c. Item: Obligatio ad pœanm est à DEO, pœnam contra reos & improbos statuente, & volente eos habere ad pœnam obstrictos. At macula peccati non est à DEO: ergo macula peccati non est ipsa obligatio ad pœnam.

## *Occurritur Argumentis adversis.*

410. Arguis primò: Peccatum habituale, consistens in privatione gratiæ, foret in omni statu simpliciter idem: at non in omni statu consistit in privatione gratiæ: Ergo non consistit simpliciter in privatione gratiæ. Maj. patet: quia in omni statu eandem habet suî causam, videlicet voluntatem à regulis morum deviantem. min. prob. In statu *naturæ puræ* non potuisset in privatione gratiæ supernaturalis consistere; quia si DEUS hominem in illo statu condidisset, homini non fuisset debita ulla gratia supernaturalis; cùm non fuisset tunc (sicuti modò factum est ex pura DEI benignitate, & misericordia) elevatus ad ordinem supernaturalem gratiæ, & gloriæ; per consequens, si peccâsset, peccatum habituale in privatione gratiæ sanctificantis consistere non potuisset.

411. Ad hanc difficultatem Respondent primò Esparza, Magnif. P. Pettschacher, & alii, quòd peccatum habituale pro statu *naturæ puræ* alterius essentiæ fuisset, quàm sit modò pro statu *naturæ* ad gratiam, & gloriam elevatæ. Respondent alii secundò ùt Reverendissimi Abbates Maurus Oberascher, & Marianus Lendlmayr aliique in mea Cathedra Antecessores, quòd peccatum *habituale* in statu *naturæ puræ* fuisset privatio rectitudinis *moralis naturalis*, verosimiliter pro statu illo positæ in *dono* quodam ordinis naturalis, hominem in DEUM ùt finem naturalem ordinante: Quare illa privatio rectitudinis equidem non deberet tolli per infusionem gratiæ sanctificantis, aliter tamen non tolleretur, quàm per restitutionem doni naturalis, & rectitudinis. Tertiam & à prioribus diversam, paulóque obscuriorem responsionem reddit Illustrissimus Reding.

412. Arguis secundò. Non repugnat, quin DEUS hominem, post transactum peccatum, in statum puræ naturæ transferat. Hoc casu macula seu peccatum habituale per infusionem gratiæ sanctifiantis non tolleretur: Ergo ruit nostrum argumentum, quòd macula illa aliter, quàm per gratiæ infusionem in justificatione tolli nequeat. Resp. secundùm Thomistas, peccatum homini ad statum gratiæ elevato nullatenus remitti posse per solam condonationem DEI extrinsecam: & ideo major, si loquatur de translatione immediata in statum naturæ puræ, falsa est. Ut ergo homo, transactô peccatô, in statum naturæ puræ transponeretur, priùs peccati macula per gratiæ sanctificantis infusionem formaliter expelli deberet, ac posteà ipsa gratia aufferri seu destrui: Et ratio est, quòd privatio nequeat tolli, nisi per formam oppositam: at forma opposita gratiæ sanctificantis privationi ex peccato resultanti non est alia, quàm ipsa gratia. Ergo &c. Sed contra

413. Arguis tertiò. Ex his colligimus, gratiam & peccatum sibi non opponi nisi ad summum mediatè: quæ enim sibi immediatè opponuntur, eorum unum non potest *in* rerum natura non existere, quin existat & introducatur alterum: patet in oppositione privativa lucis cum tenebris: quis enim ignorat, aërem aut debere esse illuminatum, aut tenebris obfuscatum? unde utroque extremo simul carere nequit. Homo autem eo ipso, quòd possit collocari in statu naturæ puræ, in eóque à peccato abstinere, potest & gratia sanctificante carere (quæ carentia tunc foret merè negativa, non privativa; cùm forma gratiæ subjecto nullo modo esset debita) & peccato tum actuali tum habituali. Resp. transmisso hoc, quòd peccatum & gratia sanctificans sibi invicem immediatè non opponantur, in quantum ad statum hominis absolutè comparantur; opponuntur tamen sibi immediatè, in quantum comparatio instituitur ad statum naturæ in Adamo lapsæ, & ad ordinem gratiæ tam primò elevatæ, quàm per Christum reparatæ. Hanc in rem D. Thom. *quæst.* 28. *de Verit. artic.* 2. *ad* 4. notavit, aliqua contraria esse mediata respectu alicujus subjecti simpliciter accepti, quæ tamen sunt immediata quantum ad tempus determinatum: sicut cæcus, & videns sunt mediata in cane, non tamen post nonum diem: similiter & homini, respectu statûs naturæ conditæ, gratia & culpa comparantur ùt contraria mediata; sed post illud tempus, quo Adam gratiam accepit, vel accipere potuit, ita ut in omnes ejus posteros transiret, nullus caret gratiâ, nisi per culpam actualem vel originalem.

414. Arguis quartò. Destruat DEUS peccatorem per annihilationem; poterit eundem reproducere & sine gratia, & sine peccati macula. Ergo id, per quod macula peccati tolli debet immediatè, non est necessariò ipsa gratia.

415. Urgetur. Qualem DEUS potest ab initio hominem producere, talem etiam potest reparare per justificationem: atqui ab initio potest producere hominem absque gratia, & absque macula peccati. Ergo talem

lem quoque reparare potest. Resp. ad argum. conc. ant dist. conseq. ergo id, per quod tollitur macula &c. non est necessariò ipsa gratia, si tollatur, destructô suppositô peccatoris, conc. conseq. si tolli debeat, supposito manente, neg. conseq. Ad alterum dico, post lapsum hominis induci hypothesin, qua stante, homo à peccato sine gratiæ infusione liberari nequit; nam homo in lapsu supponitur fuisse privatus gratia sanctificante: at privatio tolli non potest, nisi per formam oppositam: Ergo &c. Unde Maj. propositio est neganda utpote transiens ab una hypothesi diversa ad aliam: nam priusquàm homo ab initio producatur, nulla potuit in eo privatio gratiæ locum habere.

416. Arguis quintò. Privatio gratiæ præcedit peccatum habituale: ergo hoc in illa formaliter non consistit. Ant. prob. privatio gratiæ est in instanti, quo committitur peccatum actuale, ùt præcedens ipsum habituale. Ergo &c. Resp. Peccatum habituale consistere in privatione sumpta cum ordine ad peccatum præteritum: sub qua connotatione privatio gratiæ nondum est pro instanti illo, pro quo peccatum actuale existit.

417. Arguis sextò. Ideo DEUS privat hominem gratiâ, quia peccat; & ideo pergit hominem privare gratiâ, quia homo pergit in peccato perseverare. Ergo tam habituale, quàm actuale peccatum, est quid prius privatione. Ergo quemadmodùm negamus, peccatum actuale in privatione gratiæ consistere, ita idem negemus de habituali. Resp. Haunoldus, negando paritatem inter peccatum actuale, & habituale. In hac propositione: ideo DEUS privat hominem gratiâ, quia peccat, tò *quia* dicit prioritatem logicam, vel etiam prioritatem *naturæ*. Et quia actuale peccatum repugnat componi cum gratia, ideo privatio gratiæ pro instanti, in quo existit peccatum actuale, est effectus necessarius ipsius peccati: At verò in sequenti instanti, quo definit peccatum actuale, DEUS liberè hominem gratiâ privat, cùm posset illam gratis infundere, & peccatum condonare. Quando igitur in pœnam præcedentis peccati gratiam non infundit, tunc incipit peccatum habituale existere: & de hoc primo ejus instanti non est verum dicere: *ideo DEUS perseverat liberè privare hominem gratiâ, quia homo in hoc instanti perseverat in peccato:* nam ipsa perseverantia peccati est ipsissima privatio gratiæ, quæ non potest esse prior seipsâ, & *causalem quia* in sensu proprio fundare. Unde causalitas sic formari debet: *Ideo DEUS in secundo instanti perseverat liberè privare gratiâ; quia homo immediatè anteà peccavit:* pari modo loquendo de tertio instanti vera est hæc propositio: *Ideo in tertio instanti DEUS privat gratiâ, quia homo in primo instanti peccavit, & in secundo illi necdum fuit condonatum:* hoc enim est illud, quod DEO tribuit quasi jus ac fundamentum, hominem in tertio instanti privandi gratiâ, quamvis DEUS, si absolutè vellet, posset jus illud & fundamentum in tertio instanti destruere infundendo gratiam.

418. De reliquo ad objectionem, quòd privatio gratiæ sanctificantis sit à DEO, & pœna peccati, atque adeò non possit esse ipsum peccatum, Resp. privationem solùm *physicè* spectatam esse pœnam peccati, non item spectatam *moraliter*, prout scilicet dependet à voluntate hominis quatenus inducente per peccatum actuale dispositionem ultimam expulsivam gratiæ, & cum gratia incompossibilem; & quatenus per privationem tollitur habitualis rectitudo ac subordinatio ad DEUM ùt finem ultimum supernaturalem.

419. Arguis septimò. Quicunque committit plura peccata mortalia actualia, etiam plura cumulat habitualia: at hoc in nostra sententia non contingeret: siquidem semel inducta privatione gratiæ per unum peccatum, peccatum subsequens novam privationem inducere non valet; Jam sic: ut multiplicetur macula peccati habitualis, requiritur multiplicatio privationum respectu gratiæ: at per peccata mortalia successiva non fit multiplicatio privationum respectu gratiæ: Ergo nec multiplicantur maculæ; ergo ex nostra sententia sequeretur illud absurdum, quòd unicum foret tantùm peccatum habituale, etsi centum actualia sibi invicem succederent.

420. Resp. dist. secundam minorem: per peccata mortalia successiva non fit multiplicatio privationum respectu gratiæ, sic, ut sit tantùm una privatio realiter actualiter, & secundùm id, quod privatio gratiæ importat *in recto*, Conc. min. ut sit tantùm una privatio etiam moraliter virtualiter, & secundùm id, quod dicit in *obliquo*, sic neg. min. Ac eodem modo quoad maculæ multiplicationem distinguendum est consequens. Explicatur cum Esparza, quòd omnia peccata lethalia actualia, sine interpositione pœnitentiæ, successivè commissa perseverent per unam eandémque gratiæ privationem, in quantum hæc unica privatio gratiæ ab omnibus & singulis *moraliter virtualiter*, ac in genere causæ demeritoriæ inducitur; tum quòd si per impossibile privatio gratiæ non fuisset consecuta ad primum lethale, saltem fuisset moraliter causata à secundo, & sic de cæteris; tum quòd singula peccata de novo (ex parte volitorum) Divinam indignationem provocent, ut DEUS magis ac magis moveatur ad diutiùs denegandam gratiæ infusionem. Quæ omnia facilè capiuntur, modò perpendamus, peccatum habituale per privationem gratiæ constitui non tantùm, quatenus privatio habet respectum ad gratiam, verùm etiam quatenus habet ordinem ad actum præteritum peccati, á quo inducitur moraliter: neque enim est aversio à DEO ùt fine ultimo, nisi secundùm hunc duplicem respectum considerata.

421. Ad

421. Ad hæc (ut tacitè alia objectio præveniatur) licèt privatio gratiæ sumpta præcisè secundùm respectum, quem habet ad gratiam, ad nullam determinatam speciem *moris* pertineat, videatúrque esse unius speciei, & æqualis in omnibus; considerata tamen secundùm respectum, quem habet ad actum præteritum peccati, tanquàm suî causam, reductivè pertinet ad speciem, ad quam spectat ipse actus præteritus: pariter sic multiplicatur moraliter & virtualiter in ratione maculæ, multiplicantúrque peccatorum habitualium species juxta multiplicationem specificam peccatorum actualium, ex quibus maculæ habituales resultare intelliguntur; hinc tantò deformiùs anima fit maculata, quantò deteriora ac graviora peccata actualia præcesserunt.

422. Arguis octavò: Offensa humana transit sine macula relicta in offendente: ergo etiam offensa Divina, hoc est, in DEUM commissa. Resp. dando *dispar.* quòd per amicitiam humanam nihil intrinsecum ponatur in amante, amicitia verò cum DEO fundetur in aliquo dono, quod homini intrinsecè communicatur, nempe in gratia, Divinam naturam participante, quare mirum non est, quòd per offensam humanam nulla inducatur macula physica, in privatione alicujus nitoris consistens, inducatur verò per offensam DEO illatam.

423. Quæres: In quo consistat macula moralis peccati venialis habitualis? Secundùm Illust. Reding. consistit in morali privatione debitæ rectitudinis cum recta ratione, quatenus causata ex actu veniali præterito: impedit quodammodò debitam in finem ultimum ordinationem actualem; & quantùm est de se, continet vim concitativam Divinæ voluntatis ad deneganda actualia gratiæ auxilia in illo genere virtutis, cui veniale adversatur: ex quo sequitur diminutio fervoris extensivi charitatis; quia impeditur decor gratiæ, ne in actibus externis ostendatur. Clariùs & breviùs respondet Clarissimus P. Mezger hìc, quòd macula peccati venialis consistat in privatione fervoris extensive charitatis. *Intensivum* fervorem charitatis vocat gradualem perfectionem sive intensionem ipsius habitûs vel actûs charitatis: *Extensivum* nominat habilitatem & promptitudinem charitatis, quatenus charitas non solùm in propriis actibus eliciendis, sed etiam in aliarum virtutum & virium inferiorum actibus imperandis valdè expedita est, atque ab impedimentis libera, qualia impedimenta causari solent per actus peccatorum venialium, ceu inordinatos affectus & adhæsiones ad res temporales.

## *De Peccato Originali.*

424. DE peccato originali D. Thomas in 1. 2. docere incipit à *quæst.* 18. suámque doctrinam de illo usque ad *quæst.* 83. inclusivè prosequitur. Nos in hac difficili non minùs quàm ampla materia quædam celebriora tantùm seligemus, cætera privatæ cujuscunque lectioni relicturi. Sit itaque

# QUÆSTIO VIGESIMA QUINTA.

## *An detur Peccatum Originale habituale?*

425. HUcusque de peccato personali, tum actuali, tum habituali, quod cujusque propria voluntate physicè, & moraliter committitur vel contrahitur: modò nos vertimus ad considerandum peccati monstrum, prout aliena voluntate Adami, scilicet ùt Capitis Universalis, in cujus voluntatem DEUS voluntatem omnium posterorum ex ipso propagatione seminali descendentium transfuderat, commissum, & in totum genus humanum tanquam labes originalis hactenus traductum fuit.

426. Pelagius Hæresiarcha, teste D. Augustino de *gestis* illius *cap.* 8. sequentes duas propositiones in Synodo Palæstina damnatas proposuit: primat erat: *Peccatum Adæ ipsum solum læsit, non genus humanum:* Altera: *Infantes recèns nati in illo statu sunt, in quo fuit Adam, ante prævaricationem.* Et ecce! geminas bases totius pelagianismi. Pelagianis olim vix meliores extitêre Manichæi, & posterioribus sæculis Albigenses, & Zwingliani: Zwinglius enim *lib. de Baptismo tr.* 3. perversè docuit, *peccatum originis non esse peccatum, sed naturæ morbum ab Adamo in nos derivatum.* Anabaptistæ, qui se Catharos seu mundos vocant, negant peccatum originale, & pueros sine peccato mundos atque puros esse, & ideo Baptismô non indigere credunt. Caspar Ulenberg *Causa* 9. Calvinus *libro de vera genuináque Ecclesiæ Reformatione, sancta*, ait, *ideo ex fidelibus nascitur progenies, quia adhuc utero inclusi eorum liberi, antequàm vitalem spiritum hauriant, cooptati tamen* sunt in fœdus vitæ æternæ. In appendice de vera Ecclesia: Liberi, ait, fidelium, jam antequàm gignantur, adoptati sunt à Domino. Ideo baptizantur infantes, quia domestici sunt Ecclesiæ. Theodorus Beza in *Creophagia fol.* 307. Ab utero, ait, „coram DEO Sancti sunt pueri ex fœ-„ deris formula; sed ea sanctificatio per Ba-„ ptismum obsignatur.„ Similia habet in *Confessione, cap.* 48. *de infantium Baptismo:* & in *absterfione Calumniarum* Tilmanni Heshusii fol. 333. Joan. Somenus *Tract. de Justificatione:* Hæc de peccato disputatio ad eos tantùm„ pertinet, qui, quid sit peccatum, per æta-„ tem intelligere possunt, & inter dextram,„

&,„

„& finiſtram diſcernere. Infantibus Scri-„ptura nusquam peccatum ullum tribuit; „nec punit lex DEI ullum, niſi transgreſ-„ſorem legis. Nec aliunde opinio nata „eſt, niſi ex pravo intellectu Scripturæ „ad defendendam pœdo-baptiſmi ſuper-„ſtitionem. Igitur ex Eccleſia DEI explo-„denda eſt. Contra hos, & alios Secta-rios ſit

427. Concl. prima. Datur peccatum originale, inficiens omnes poſteros ab Adamo ſeminali propagatione deſcendentes, exceptâ ſolâ Deiparâ. Eſt de fide. Prob. primò S. Scripturæ teſtimoniis: ſic primò *Gen.* 17. dicitur: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo:* quia *pactum meum irritum fecit*, & ſtatim ſubditur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis; omne maſculinum in generationibus veſtris.* Secundò *Jobi* 14. legitur: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* ubi ſeptuaginta Interpretes ſic vertunt: *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Cui tertiò conſonat Regius Pſaltes: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum; & in peccatis concepit me mater mea. Pſal.* 50. Et quartò illud Oſeæ *cap. 6. Ipſi autem ſicut Adam transgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in me.* Quintò Apoſtolus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt:* Et: *unius delicto multi mortui ſunt.* Item 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.*

428. Prob. ſecundò ex Conciliis Generalibus, ùt Milevitano, Palæſtino, Arauſicano, Toletano, Sexto Epheſino, Florentino, tandem & Tridentino Seſſ. 5. in decret. *de pecc. Orig.* Can. 2. definiente: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, & acceptam à DEO ſanctitatem & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit &c.*

429. Conſentiunt Patres Græci & Latini, Ignatius *Epiſt.* ad Trallianos: Dionyſius Areopag. de *Eccleſ. Hier. cap.* 3. *part.* 3. Juſtinus *Dialogo cum Tryphone:* Irenæus *lib.* 3. *cap.* 20. Baſilius Magn. *homil. in Pſal.* 32. Greg. Naz. Jon. Chryſoſt. Cyprian. Ruffin. Auguſtinus *de Civit. DEI. lib.* 14. *c.* 1. In *Epiſt.* 89. ſic loquitur: quòd autem dicunt, infantem morte præventum, perire non poſſe, quoniam ſine peccato naſcitur: non hoc dicit Apoſtolus, & arbitror eſſe meliùs, ut Apoſtolo potiùs quàm iſtis credamus. Dicit enim ille Doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur: *per unum hominem &c. & ita in omnes homines pertranſiit &c.* Addo Hilarium Arelatenſem in Geneſi ad Leonem:

*Poſtquam primus homo vetito ſe paſcere ligno*
*Non timuit, captúsque dolis ſe præbuit angui,*
*Stat reus, & nudus, dejecto lumine, veſtem*
*Implorans, Dominúmque fugit, vultúmque recondit,*
*Culpa comes ſequitur, peccato obnoxia vita*
*Debilitat vires, cœlo venientia dona*
*Cura cibi ventrísque ſubibat, cura tegendi*
*Corporis, & ſacrum ſubeunt mortalia pectus.*
*Naſcitur hinc proles, peccat; germinat inde*
*Deterior ſoboles, multò pejorque priori*
*Progenies ſequitur, gradibus per crimina creſcens;*
*Crimina, quæ ſtimulis acuunt dementia corda.*

430. Prob. tertiò ratione fundatâ in Scriptura: primò, ex præcepto Circumciſionis: ſecundò, ex inſtitutione & neceſſitate Baptiſmi: tertiò, ex Paſſione & morte Chriſti. Hæc tria enim DEUS præcipuè in remedium & abolitionem peccati originalis præordinavit. Sed contra

431. Oppon. primò cum Pelagianis replicantibus, textus novi teſtamenti non eſſe intelligendos de vera peccati ex Adamo in nos propagatione, ſed de quadam imitatione poſterorum, qui malô Adæ exemplô ſeducti, & ad peccandum inducti ſunt. Verùm inſipiens & inſulſa hæc interpretatio confutata manet ex nimis claro tenore textuum præmiſſorum. Et quæſo, quomodò parvuli, ante uſum rationis decedentes, malô exemplô poterunt ſeduci, & ad imitationem induci? Et tamen & ipſi in iniquitatibus concepti dicuntur. Quomodò Pelagiani explicabunt illud Apoſtoli: *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.*

432. Oppon. ſecundò: Filius non portabit iniquitatem Patris: *Ezech.* 18. Reſp. Theol. Salisburg. eſſe ſermonem de pœna ſpirituali animæ, non de culpa: peccatum autem originale in ſe ſpectatum eſſe culpam, non præciſè alienam, ſed noſtram quoque, ſcilicet in Adamo, cui omnium noſtrûm voluntates moraliter erant ſubordinatæ, contractam. Hinc minimè audiendi ſunt Pelagiani & Juliani aſſeclæ, quando clamitant. Non peccat iſte, qui naſcitur: non peccat ille, qui genuit, non peccat is, qui condidit: per quas igitur rimas inter tot præſidia fingis ingreſſum peccati? Reſp. enim D. Auguſtinus cont. Julian. *cap.* 24. *Rimam quæris &c.* cùm tibi oſtendat Paulus Apoſtolus non rimam, ſed apertiſſimam januam, dicens: *per unum hominem intravit peccatum in Mundum, & per peccatum mors &c.*

433. Oppon. tertiò: Anima rationalis non eſt ex *traduce*, hoc eſt, ipſa non producitur per ſeminalem & naturalem generationem parentum, vel ab anima Patris (ut olim erroneè quidam ſentiebant, quorum Dux fuiſſe dicitur Tertullianus) quamvis corpus, vel potiùs totus homo, à parentibus generari dicatur: Si ergo anima creetur à ſolo DEO, & materiæ ſufficienter diſpoſitæ, dependenter à diſpoſitionibus in mater-

materno utero prævié factis, infundatur, ac in ipsa infusione maculâ originalis peccati inficiatur seu moraliter deformetur, difficile explicatu erit, quomodò DEUS non sit auctor peccati originalis in instanti, in quo animam corpori infundit. Hoc argumentum olim D. Augustino non modicum negotium fecit, ut dubitare cœperit, an non anima rationalis sit ex *traduce?* Quod verò anima rationalis non sit ex *traduce*, hodie ùt fide certum tenendum est. Quare Resp. quòd anima rationalis maculam peccati originalis non contrahat, ùt creativè à DEO procedit, sed quatenus corpus ab Adamo per seminalem propagationem descendens animat & informat, & cùm carne moraliter corrupta naturæ humanæ corruptæ compositum, hoc est, filium, vel filiam Adæ, constituit. Hoc SS. PP. elucidant similitudine sumpta ab aqua, quæ licèt ex purissimo fonte fluat (veluti anima rationalis à DEO creativè fluit seu procedit) si tamen in vase aliquo corrupto vel inquinato recipiatur, ab eodem immunditiam contrahit. Simili modo anima, dum in carne corrupta recipitur, labem originalis maculæ contrahit. Hinc statuitur

434. Conclusio secunda: Traductio peccati originalis in Adami posteros fit per hoc, quòd anima connaturaliter uniatur corpori ex semine corrupto inde descendenti: & corruptio seminis consistit in privatione illius vigoris, quem habuisset ex decreto Divino seu pacto DEI cum Ada inito, ad propagandam justitiam originalem, si Adam in sua innocentia permansisset. Ita inter nostros Salisburgenses Magnif. P. Bened. Petschacher *de pecc. orig. Thes.* 3. ipsáque Theolog. Mezgeriana hic *Tr.* 7. *disp.* 27. *art.* 1. *§.* 3. certè ad mentem D. Th. ex quo Conclusio quoad primam partem.

435. Probatur primò per ea, quæ habet hic *quæst.* 81. *art.* 1. *ad* 2. Per virtutem seminis traducitur humana natura à parente in prolem, & simul cum natura naturæ infectio: ***Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.***

436. Quoad alteram partem probatur itidem ex *quæst.* 4. *de mal. art.* 1. *ad* 9. ubi sic ait: ***ex peccato primi parentis destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea possit decidi semen, per quod justitia originalis in alios propagetur: Et sic in semine est defectus corruptionis moralis & quædam intentio ejus: sicut dicimus, intentionem caloris esse in aëre, & intentionem animæ esse in semine. Et ex hoc est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*** Ulterior conclusionis declaratio ex objectionum solutione patebit. Itaque

437. Oppones primò: Si ratione seminis corrupti post lapsum Adami in nos traduceretur Originale peccatum, semen deberet esse causa instrumentalis in illa peccati traductione. At gratis, & non sine maxima difficultate semini ratio causæ instrumentalis tribuitur: vel enim esset causa instrumentalis physica, vel moralis solùm? Neutrum solidè defenditur:

438. Non physica: Primò, quia nequit assignari causa physica principalis peccati originalis in nos traducti: quænam enim illa? fortène voluntas Adami esset? Procul ista: anne enim majori causalitate opus est ad traductionem peccati habitualis in posteros, quàm ad commissionem peccati actualis in ipso Adamo? Profectò minimè. Atqui peccatum originale, quod in posteris, antequàm per baptismi lavacrum deletur, naturam inficit & maculat, est merè habituale, quod idem ipsum in Adamo ùt nostro Morali Capite, cùm comedendo de fructu sibi vetito peccaret, erat *actuale*; & ad istud nulla requirebatur causa physicè & effectivè influens; imò implicat contradictionem, ut ad producendum terminum, qui non est in *linea* entis physici, detur aliqua causalitas physica, vel influxus physicus requiratur. Peccatum autem secundùm suum *formale* esse terminum extra totam lineam entis physici constitutum, & merum defectum moralem, imò (secundùm nostram sententiam) ne quidem esse aliquid *positivum*, sed meram rectitudinis debitæ privationem, ùt suo loco monstratum fuit. Certum igitur erit, quòd nec aliqua causa physica instrumentalis ad transfusionem peccati originalis in semine quà corrupto admitti queat; quandoquidem, ùt infra patebit, originale in nobis est habitualiter solùm, & in privatione gratiæ seu justitiæ originalis formaliter consistit.

439. Nec semen corruptum potest esse causa instrumentalis purè moralis. Nam ùt colligitur ex 2. *sent. dist.* 30. *quæst.* 2. *artic.* 2. ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generativam motionem, sicut à voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias ejus partes &c. At illa causalitas, quà peccatum à voluntate derivatur in alias partes, putà, ad appetitum sensitivum, exercetur cum influxu aliquo physico, & non morali præcisè. Igitur peccatum originale nec præcisè per influxum moralem in posteros traducitur mediante semine, quod instrumentum vocamus.

440. Resp. Semen corruptum nequaquam esse causam instrumentalem physicam, sed purè moralem, uti mox probatum est, & declaratum. Ad impugnationem secundi membri per textum ex D. Tho. transumptum. Resp. minor esse falsam, quòd nimirum peccatum actuale personale quoad formale à voluntate nostra in alias partes, & ad appetitum sensitivum physicè derivetur; cùm illa derivatio sit purè moralis, minimè effectivè à voluntate procedens, sed *defectivè* duntaxat & *imputativè*, veluti colligitur ex *num.* 52.

441. Oppon. secundò: D. Thomas semen vocat simpliciter causam instrumentalem: *In*

*In semine autem*, inquit (hic *quæst.* 83. *art.* 1. *in Corp.*) *corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali; eò quòd per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana.* Quibus verbis D. Thom. præmiserat, *peccatum originale omnium hominum fuisse in ipso Adam sicut in prima causa principali.* Jam sic est, quòd, causæ nomine simpliciter prolato, intelligatur propriè dicta, qualis non est causa moralis, sed physica. Tam igitur causa principalis, quæ est Adam, qui peccatum actuale commisit, quàm instrumentalis, scilicet semen corruptum, causalitatem physicam important, uti censuerunt Salmanticenses, & plures alii. Resp. nomen *causæ* in rigore accipi, quando materia subjecta id patitur: in præsenti autem ratio puri defectûs, & privationis, quà peccatum originale non minùs, quàm actuale, formaliter constituitur, acceptionem causæ physicæ & rigorosæ tanquam prorsus impertinentem & ineptam respuit.

442. Oppon. tertiò. Nisi Adam peccando primævam innocentiam cum gratia seu justitia originali amisisset, semen ejus moraliter incorruptum non solùm fuisset instrumentum naturale, ad producendam in suis descendentibus naturam, sed etiam ùt instrumentum physicum supernaturale & elevatum per aliquam virtutem Divinitùs inditam, justitiæ originalis gratiam supernaturalem in posteros physicè instrumentaliter propagâsset. Ergo similiter semen tum Adæ, tum posterorum, quod modò, post peccatum commissum, illo vigore destitutum est, tanquam instrumentum physicum privationem originalis gratiæ in quamlibet prolem in utero materno, dum anima infunditur & unitur corpori, conceptam traducet: nam sicut affirmatio, id est, vigor semini inditus fuisset causa affirmationis, id est, physicè productivus gratiæ originalis & propagativus; ita negatio, id est, prædicti vigoris ablatio, destitutio seu privatio, modò est causa instrumentalis physica negationis, putà, privationis gratiæ originalis, quâ anima hominis tanquam originali labe maculatur. Resp. primò: quòd absentia vigoris supernaturalis, quô semen, utpote (post Adæ lapsum) moraliter corruptum destituitur, non sit negatio, quemadmodùm nec absentia gratiæ originalis in Ada, & ejus posteris est nuda negatio, sed utraque absentia est privatio; illa vigoris supernaturalis, & instrumentalis in semine ex Divino pacto seu decreto debiti, sed amissi: ista ipsius gratiæ originalis eodem modo ex Divina promissione debitæ sub conditione, si Adam in statu Innocentiæ perseverâsset.

443. Resp. secundò: quòd negatio possit esse causa physica negationis tum denique, quando terminus est capax ad terminandam causalitatem physicam; secùs, quando est incapax: licèt autem gratia originalis, quam semen, retento vigore supernaturali instrumentali, in posteros propagâsset, ut aliquid reale positivum sit capax productionis physicæ; non tamen ejusmodi capacitas concedi valet in privatione justitiæ originalis: hæc enim (ùt loquitur Theolog. Salisburg. hic *art.* 1. §. 3. *num.* 15. *prope fin.*) est absentia purè moralis, connotans debitum morale inessendi, unà cum causa morali scilicet voluntate nostri Capitis, prout est *privatio.* Per quod tamen laudata Theologia non negat, quòd absentia gratiæ originalis, ùt est negatio, & sub ratione maculæ, involvat realem carentiam præfatæ gratiæ.

444. Ex dictis facilè resolvitur, qua ratione peccatum originale, contractum à parvulis, & cæteris Adæ posteris, possit dici voluntarium: nempe non *physicè;* quia posteri, dum Adamus actu physico-morali interno in transgressionem præcepti per inobedientiam consensit, physicè in propria mensura non extiterunt. Itaque originale illud parvulis, & posteris solùm est voluntarium, *quatenus* ratione unitatis moralis omnium voluntatum cum voluntate Adami ùt Capitis generalis, omnes ejus descendentes eandem transgressionem posuisse censentur.

# QUÆSTIO VIGESIMA SEXTA.

## *In quo essentia Peccati Originalis consistat?*

445. PRænotandum, hìc intelligi peccatum, ùt vocant, originale *originatum* quatenus ex peccato Adami per modum effectûs in posteros traductum est; uti communiter accipi solet; non verò peccatum *originale originans*, quo ipse actus, quo Adam peccavit, denotatur. In quo jam peccatum originale originatum principaliter consistat, varia sunt Theologorum placita, quibûs referendis, ut brevis sim, supersedeo. Sit ergo

446. Conclusio nostra: Peccatum originale originatum in descendentes Adami formaliter consistit in privatione gratiæ seu justitiæ originalis prout hominem DEO *perfectè* subjicientis, causatâ ex peccato Adami, quatenus moraliter nostrum est. Hæc Conclusio inprimis videtur conformis esse D. Anselmo *lib. de Concept. Virgin. cap.* 26. dicenti: Hoc, *quod peccatum originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam justitiæ debitæ nuditatem:* sub quo ultimo termino quid aliud intelligit, quàm privationem justitiæ seu gratiæ originalis? Deinde declaratur ab ipso D. Thoma in 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 3. *in Corp. Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO, est formale in peccato originali.* Ad quod meliùs capiendum noto ulteriùs, Justitiam originalem, quam DEUS Adæ gratis contulit, in posteros quoque, si ille

ille non peccâsset, transfundendam, quoad effectum suum primarium non fuisse aliquid distinctum à nostra, quam modò accipimus, habituali gratia: fuisse autem aliquid distinctum quoad dona conjuncta, perfectiones, & effectus secundarios in effectu & perfectione primaria ipsius gratiæ radicatos. Porrò effectus primarius gratiæ originalis, seu etiam sanctificantis, est hominem DEO subjicere. Præter dona, & virtutes ordinarias, quæ justitiæ seu gratiæ originali connexa erant, & modò per baptismum etiam parvulis, & adultis post lapsum per pœnitentiam ad DEUM conversis, infunduntur, gratiæ quà originali tanquam quid secundarium & peculiare connexa erat perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem, id est, appetitûs sensitivi, & carnis ad spiritum; quam subjectionem aliqui in dono quodam supernaturali ac speciali constitutam fuisse volunt (de quo modò disceptare non vacat) nec non exemptio ab infirmitatibus corporis, ipsâque morte corporali. Atque hæc dona & privilegia secundaria Adæ posteris per novam gratiæ sanctificantis infusionem non infunduntur: ideóque justitia originalis in Adamo amissa, in nobis per baptismum, & pœnitentiam quoad illa connexa & secundaria non ampliùs reparatur; sed solùm secundùm gratiam sanctificantem ejúsque effectum principalem, qui est mentis nostræ subjectio, seu habitualis conversio in DEUM, & reliqua dona ordinariè conjuncta, cum variis effectibus in primario fundatis. His intercalariter notatis.

447. Prob. Conclus. secundò ratione. In illo essentialiter consistit peccatum originale habituale intrinsecè à parvulis contractum, quòd in susceptione Baptismi per se primò destruitur: sed quod per se primariò tunc destruitur, est præexistens illa privatio justitiæ originalis quantùm ad gratiam sanctificantem: sic enim definivit Concilium Milevitanum *Can. 2. Parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* Ergo &c.

448. Confirm. hoc argumentum, & simul impugnantur Roffensis *art. 2. contra Lutherum*, Durandus in 2. *dist.* 30. *quæst.* 30. & Scotistæ. Essentia peccati originalis debet consistere in aliquo reatu scilicet vel pœnæ, vel culpæ: at non potest consistere in reatu pœnæ: consequenter consistit in reatu culpæ: Subsumo: ille ipse reatus culpæ est macula & privatio justitiæ originalis quantum ad gratiam sanctificantem, ejúsque effectum primarium, qui est hominis ad DEUM supernaturalis subjectio, sive habitualis conversio. Ergo essentia peccati originalis consistit in prædicta privatione. Maj. constat ex eo, quòd transeunte actu peccati, illi duo reatus remaneant, & vix aliud quid notius in peccato habituali assignari valeat. Minor. prob. per connexionem ex dictis de peccato habituali personali. Nam primò remanentia solius reatûs ad pœnam damnata fuit in proscriptione illius propositionis Bajanæ: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Cui conjuncta fuit damnatio propositionis cum priori connexæ: *Unde in Sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotis solùm liberat à reatu.* De his Propositionibus Bullæ Gregorii XIII. & Urbani VIII. notârunt, quòd sint respectivè *hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes.* Ubi quilibet facilè videt, lapidem offensionis totius in eo positum esse, quòd post peccatum solus pœnæ reatus remaneat, & solus ille tollatur in justificatione. Pontifices ergo id, quod per se primò remaneret, & in justificatione Sacramentali tollatur, reatum culpæ esse, innuere intendebant: certè ad verba & mentem D. Thom. in 2. *dist.* 42. in expositione textûs, ubi ait: *dicendum, quòd macula est medium inter actum peccati, & reatum, quasi effectus actûs, & fundamentum reatûs.* Hinc ulteriùs sic instamus: Scriptura, Concilia, PP. & SS. Pontifices nomine peccati originalis intelligunt aliquod peccatum verum & proprium, quod sit quoddam immunditiæ genus, & inquinamentum animæ; at reatus pœnæ ex actu præterito peccati remanens non est peccatum verum, proprium, genus immunditiæ, seu animæ inquinamentum: sed dicitur peccatum æquivocè solùm, & velut metonymicè, sumendo effectum pro causa, & proprietatem pro essentia. Adhæc: Peccatum *habituale* quodcunque est de genere *mali moralis:* unde nec potest esse à DEO: atqui reatus pœnæ, saltem si sumatur pro deputatione & ordinatione extrinseca proveniente à Divina justitia, sua lege laxante pœnam pro culpa, non potest esse sub genere mali moralis, imo reatus sic sumptus est aliquid bonum, pertinens ad justitiam Divinam, consequenter etiam hoc modo est à DEO. Ergo peccatum habituale quodcunque, sive sit originale, sive personale, formaliter non consistit in reatu pœnæ.

449. Nec refert, si Adversarii respondeant, quòd reatus pœnæ, in quantum subjectio, condignitas sive obligatio ad pœnam provenit ex actu demeritorio peccatoris, nihil involvat de ratione boni, sed sit aliquid malum, nullatenus procedens à DEO; & in hac formalitate macula habitualis consistat. Non refert inquam, talia replicare. Nam primò propositiones damnatæ semper urgent: intendunt siquidem expungere & reprobare, quòd, transeunte peccato actuali, nihil remaneat, nisi reatus pœnæ: atqui, stante mox data Adversariorum responsione, nihil remaneret, præter reatum pœnæ: assignent enim, quid prætereà remaneat. Secundò: Ex definitione

Tri-

Tridentini Concilii etiam peccatum originale est verum peccatum: item est nobis intrinsecum moraliter, voluntarium, animam inquinans, habitualiter à DEO avertens &c. Atqui hæc non possunt verificari de solo reatu pœnæ sive extrinseco, & remoto, sive intrinseco, & proximo, quem obligationem seu subjectionem passivam ad pœnam vocant. Tertiò: In peccato actuali reatus pœnæ dicit aliquid ultra culpam actualem; ergo etiam in peccato habituali reatus pœnæ dicit aliquid ultra culpam habitualem. Quartò: Dignitas pœnæ fundatur in culpa, ùt est clarum; quemadmodùm dignitas ad præmium fundatur supra bonitatem actûs meritorii. Ergo &c. Quintò: nunquid posset DEUS, si vellet, omne debitum ad pœnam ex sua misericordia remittere, & tamen peccatum habituale, sive originale, sive personale, non delere, nec condonare? Quæro, in quo tunc peccatum habituale consisteret? assignetur, per quid tunc peccator sit odibilis DEO, & aversus à fine ultimo? Sextò: instat Eminentiss. Cardin. Vincentius Ludovic. Gotti in *Theol. Scholastico-Dogmatica, tr. de Homine & ejus statibus, quæst.* 8. *dub.* 4. §. 2. Constituere peccatum originale in solo reatu pœnæ, est nomine tenus peccatum originale fateri, sed reverà illud negare (cùm negetur culpa) & facere DEUM injustum, qui obliget ad pœnam eos, qui culpam non habent. Ita Div. Thom. in 2. *dist.* 30. *quæst.* 1. *a.* 2. *in Corp.* ubi, postquàm errorem Pelagii & Cœlestii, peccatum orig. simpliciter negantium, retulerat, ita subjungit: *alius est error eorum, qui peccatum orig. nomine concedentes, secundùm rem negabant dicentes, in puero nato nullam culpam esse, sed solùm obligationem ad pœnam: & hoc manifestè justitiæ Divinæ repugnat, ut scilicet aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non habet, cùm pœna justè non nisi culpæ debeatur.* Ex quo vident contrarii Auctores, se, præter reatum pœnæ, in pueris cogi admittere aliquem remanentem reatum culpæ, ne DEUM injustum vindicem faciant, qui nempe puniat eos, quos nulla culpa habitualis reos tenet.

450. Idem sentit & scripsit Doctorum Phœnix D. Augustinus, qui *l.* 2. *Oper. Imperf. cap.* 144. & *l.* 3. *cap.* 126. & 204. contra Julianum sic procedit: *Si ergo nullum esset in parvulis ex origine malum meritum, quidquid mali patiuntur, esset injustum, & ideo ista mala in Paradyso esse non possunt: quia ibi nullum esset meritum malum, si felix obedientia permaneret. Ac per hoc, quia hic sunt in parvulis mala, habent etiam meritum malum, quòd nisi originaliter non haberent.*

451. Immeritò proinde Vasquez hic *disput.* 13. *cap.* 3. Sententiam mox confutatam Augustino tribuit, ùt observat memoratus Card. Gotti. Si enim alicubi dixerit, originale in reatu consistere, non dixit in reatu pœnæ, sed in reatu absolutè; vel, si dixerit, in reatu pœnæ, reatum non accepit formaliter pro obligatione ad pœnam, sed radicaliter pro malo merito primi parentis, quod factum proprium parvulorum est radix & fundamentum obligationis ad pœnam. Vid. S. Thom. in 2. *dist.* 42. *quæst.* 1. *a.* 2.

452. Oppones primò. Posset essentia peccati originalis salvari in peccato actuali inobedientiæ Adami, ùt moraliter perseverante in posteris, eósque extrinsecè denominante. Privatio igitur justitiæ originalis habet rationem effectûs, non culpæ. Ant. prob. tum ex Apostolo, dicente, per unius inobedientiam hominis peccatores constitutos fuisse multos: tum ex ratione, quòd peccatum originale sit illud, quod ex Adamo fuit in nos transfusum: at nil aliud, quàm actuale peccatum inobedientiæ in nos transfundi potuit: in hoc solo quippe Protoparens suis descendentibus nocuit: ut verum dixerit Div. Bernardus *Serm. in Cœn. Domin. In casu primi hominis cecidimus omnes.* Ergo.

453. Secundò. Juxta nos ipsos peccatum originale non consistit formaliter in pœna. Privatio gratiæ originalis est pœna: *Conveniens pœna peccati originalis* (ait S. Doct. *quæst.* 5. *de mal. artic.* 1. *in Corp.*) *est subtractio gratiæ, & per consequens visionis Divinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur.* Ergo peccatum originale formaliter non consistit in privatione gratiæ originalis.

454. Si nostra Sententia subsistat, post susceptum Baptismi & pœnitentiæ Sacramentum relabens in peccatum mortale, incurreret denuò peccatum originale: quia incurreret seu contraheret maculam seu privationem gratiæ sanctificantis.

455. Quartò. Sequeretur, matrimonia esse mala: quandoquidem per generationem causaretur peccatum alienum; quia macula & privatio gratiæ sanctificantis in prolem propagaretur.

456. Quintò. D. Thom. 1. 2. *q.* 82. *artic.* 2. *in Corp.* concludit, quòd peccatum originale sit quædam inordinata dispositio, sicut ægritudo corporalis: unde peccatum originale ùt languor naturæ elicitur. Et ad primum respondet, quòd non sit *privatio pura, sed habitus corruptus.* Consistet igitur in aliquo *positivo.* Sed hæc nostræ Conclusioni non officiunt. Nam

457. Ad primum Resp. esse equidem Recentiorum Societatis Sententiam, quæ originale peccatum in peccato actuali Adæ ùt moraliter perseverante in posteris, & ùt non retractato, & non condonato, constituit: Attamen illa explicatio nec satisfacit Tridentino Concilio, nec ratione sufficienti firmatur. Tridentino non satisfacit, quia hoc dicit, peccatum originale esse aliquid *generatione omnibus transfusum*, quod inest *unicuique proprium:* & quod ab Adamo seminali propagatione descendentes propriam injustitiam contrahant. Itaque à mente & verbis Tridentini recedunt, qui peccatum originale in ipso peccato Adæ, ùt moraliter perseverante, & posteros solùm extrinsecè denominante, constituunt.

 458. Nec

458. Nec dicas, ſtante priori explicatione, peccatum Adæ actuale parvulis ineſſe intrinſecè moraliter, licèt phyſicè ſit extrinſecum. Nam contra eſt primò: quòd peccatum originale, ùt nominat ſolum peccatum Adæ, quatenus in nobis perſeverans, ſit unum tantùm: ergo in poſteris non eſſet multiplicatum; ergo multò minùs poſteros intrinſecè denominat & conſtituit peccatores, habitualiter intrinſecè à DEO averſos; cùm tamen ſecundùm Div. Auguſt. in *Echirid. cap.* 45. *in illo peccato uno*, *quod per unum hominem intravit in mundum*, oporteat intelligere *plura peccata, ſi unum ipſum in ſua quaſi membra dividatur ſingula:* & juxta Tridentinum inſit unicuique tanquam *proprium*, & in omnes *transfuſum;* ergo peccatum originale originatum non tantùm *moraliter*, ſed etiam *phyſicè* intrinſecum eſt, nimirùm ùt macula phyſica & privatio ſupernaturalis nitoris gratiæ qui, Adamo non peccante, ex transfuſione juſtitiæ ſeu gratiæ originalis in animabus poſterorum reſplenduiſſet. Contra eſt ſecundò: quòd peccatum actuale Adami (quod appellatur originale originans) tanquam quaſi forma denominans non ſit quid potentius, quàm foret actus charitatis, ſi Adam ùt caput noſtrum morale in inſtanti, in quo ad præcepti transgreſſionem tentatus fuit, aliquem elicuiſſet, & nobis juſtitiam originalem conſervâſſet: atqui ex tali actu charitatis poſteri non fuiſſent intrinſecè & habitualiter *juſti* conſtituti ac denominati, quia adhuc defuiſſet aliquid phyſicum, quod nobis ineſſe debet ad denominationem phyſicam *juſti*. Ergo nec actus peccaminoſus inobedientiæ tam potens eſt, ut ſine macula & privatione phyſica illius formæ & gratiæ ſanctificantis, nobis, Adamo non peccante, præparatæ ac debitæ, omnes poſteros habitualiter intrinſecè conſtituat peccatores, ac denominet.

459. Ad ſecundum Reſp. cum Theol. Salisb. quòd ſubtractio gratiæ originalis ſit pœna, prout eſt negatio gratiæ *phyſicè* ſpectata, ſive, ùt provenit à DEO ſubtrahente illam gratiam, & ad ejus productionem ſuum concurſum denegante, ut hoc modo puniatur peccatum in capite commiſſum: non verò eſſe pœnam, quatenus eſt privatio *moraliter* ſpectata, & comparatur ad ſuam cauſam *moralem*, videlicet ad peccatum Adami, ùt erat moraliter noſtrûm omnium: item, quòd ſit pœna quantùm ad effectus ſecundarios, quales ſunt ſubjectio appetitûs inferioris ad ſuperiorem, & exemptio à morbis, & morte &c. non eſt pœna ſubtractio gratiæ, in quantum conſideratur effectus primarius gratiæ, ſcilicet ſubjectio animæ ad DEUM, quâ parvuli ante baptiſmum ſunt privati, & propterea à DEO intrinſecè deordinati.

460. Ad tertium neg. ſeq. Quia privatio gratiæ, ut conferat denominationem peccati originalis, pro cauſa debet connotare non propriam & perſonalem voluntatem peccantis, ſed capitis Adami.

461. Ad quartum N. pariter ſeq. Quia matrimonium eſt tantùm cauſa aliqua per accidens peccati originalis: hujusmodi autem cauſas non tenemur vitare, propter damnum tertio emerſurum, quando jus noſtrum proſequimur: præſertim, quando bonum commune aliquam actionem exigit, ſicut propagatio, & conſervatio generis humani matrimoniorum uſum petit. Sufficit etiam, quòd transfuſio peccati originalis in prolem non proveniat vel dependeat à voluntate parentum, ſed ex culpa & voluntate capitis, DEO ſic permittente. Deinde, qui peccavit *actualiter perſonaliter*, non tenetur providere, ut peccatum habituale ſtatim ex proprio ſuppoſito expellatur; ergo multò minùs aliquis tenetur impedire & providere (abſtinendo à conjugio & generatione) ne peccatum habituale, voluntate aliena contrahendum, actu contrahatur.

462. Ad quintum Reſp. Peccatum originale à D. Th. vocari ægritudinem, & habitum corruptum, non quaſi formaliter & in recto, & ſecundùm effectum primarium in aliqua mala ſeu prava diſpoſitione conſiſtat, vel habitu poſitivo; ſed de materiali, aut ratione *obliqui*, in quantum, quamdiu peccatum illud, ceu privatio gratiæ habitualiter alicui inhæret, natura corrupta ad objecta ſenſibilia inordinatè propendet, frœnô rationis, & ſubjectionis ordine ad DEUM, deſtituta.

463. Ex dictis ſuperſunt aliquot corollaria. Primum, quòd macula peccati originalis pro ſubjecto remoto perſonam ſeu ſuppoſitum cujuslibet hominis, ab illa non exempti, pro proximo verò & immediato ſubjecto habeat ipſam animam, quemadmodùm & gratia ipſi oppoſita. Secundùm: Quoad effectus & proprietates peccatum originale extenditur etiam ad alias potentias, ùt ad volitivam, in quantum voluntas privatur habitu charitatis, quo mediante anima aliàs in DEUM ùt finem ultimum converti-tur: & appetitus illo dono, vel vigore ſpeciali, quem gratia originalis in ipſum diffudiſſet, ac diffundendo rationi ſubjeciſſet &c. Tertium: Peccatum ex Adamo in poſteros traductum eſt illa inobedientia, contra præceptum poſitivum DEI de non comedendo de ligno ſcientiæ boni & mali commiſſa.

464. An autem, ſi aliud peccatum ſive internum ſive externum quoque præceſſiſſet, tunc etiam in poſteros originatum fuiſſet, in ambiguo hæret; nihilominus D. Thomas in 2. *ſent. diſt.* 34. *in Expoſit. textûs* affirmativam ſectatur. Qua enim ratione Adamus gratiam originalem in ſuos deſcendentes transmittere potuiſſet, quam ipſe non ampliùs habuiſſet? Nec refert, quòd decretum Divinum jacturam gratiæ originalis, & interitum Adamo ejúsque poſteris ſub præciſa comminatione de non comedendo de ligno vetito intimaverit, illis verbis: *Quocunque die come-*

*comederis, morte morieris*: Nam etsi expressio facta fuerit de non violando illo præcepto (merè positivo & arbitrario) per inobedientiam comestionis prohibitæ, quod DEUS peccatum primum fore prævidit; attamen transgressio quoque alterius præcepti naturalis ac Divini, si primum peccatum constituisset, eandem justitiæ originalis jacturam cum cæteris effectibus induxisset, ùt docet D. Th. in 2. *sent. cit. dist.* 24. *in Exposit. textûs*, ibi: *etiamsi alia peccata commisisset, similem pœnam sustinuisset, quasi à minori ad majus: gravius enim est, præceptum præterire legis naturalis, quo præteritur id, quod in se est malum, quam præterire præceptum disciplinæ, quo prohibetur, quod non est malum, nisi quia prohibitum.* In præcepto igitur explicitè posito etiam cætera non explicita implicitè includebantut.

465. Coroll. quartum. Quamvis peccatum inobedientiæ à peccato superbiæ (scilicet ex appetitu inordinato augendi propriam excellentiam) per scientiam boni & mali initium sumpserit; attamen tota malitia peccati primi in actu externo comestionis fructûs prohibiti per peccatum inobedientiæ consummata fuit.

466. Coroll. quintum. Si Adam, antequàm peccaret, Cainum, aut alium ex posteris genuisset, in talem fuisset originalis justitia propagata, nil obstante peccato postmodùm commisso: quid enim tunc impedimenti obfuisse, quò minùs ex supernaturali seminis vigore, adhuc non destructô, innocentiam primævam in filios & filias derivâsset?

# QUÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA.

## *An DEIpara Virgo MARIA contraxerit debitum proximum Peccati Originalis?*

467. SUpponendum primò, esse piè credendum, & ùt aliquid moraliter certum tenendum, quòd gloriosissima DEIpara labem peccati originalis in illo instanti, quo ejusdem sacratissima anima corpori, debitè jam organizato, unita fuit, intrinsecè nullô modô contraxerit: quia *decebat* (ùt loquitur D. noster Ansel. *de Conceptu Virg. cap.* 18.) *ut ea puritate, qua major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Audiamus & Doctorem Angelicum Virginis Immaculatæ Conceptioni apertè suffragantem in 1. *sent. dist.* 44. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. hisce discertis verbis: dicendum, *quòd puritas intenditur per recessum à contrario; & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum fit; & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit tamen sub DEO, in quantum erat in potentia ad peccandum. Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, quod in infinitum distat scilicet summum bonum; unde quolibet finito bono potest aliquid melius fieri.* Aliis æquè claris testimoniis Eminentiss. noster Cœlestinus Sfondrati in *lib.* cui titulus, *Innocentia vindicata part.* 1. Doctorem Angelicum à contraria sententia, quæ ipsi passim imputatur, vindicat.

468. Porrò (teste laudato Cardinale) textus, quibus permulti, S.Thomam in contraria opinione stetisse, convincere nituntur, aut fuerunt corrupti, aut loquuntur in alio sensu, quàm in quo hodiernis temporibus conceptionis vocabulum accipitur & interpretatur. Inter alios famosus est ille in 3. *p. quæst.* 27. *a.* 2. *Sanctificatio Beatæ Virginis non potest intelligi ante animationem; nec in instanti animationis, sed post animationem; aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, & per consequens non indiguisset Redemptione facta per Christum.* Hunc quoque textum corruptè impressum fuisse, probare conatur Sfondrati *cit. lib.* §. 1. Deinde (datô, textum non fuisse corruptum) D. Thomam explicat, quòd locutus fuerit de prima conceptione carnis & massæ sanguineæ, non de conceptione temporis illius, quô anima corpori unitur. Et hic mos loquendi erat, ait, Patrum atque antiquorum Theologorum, censentium, peccatum originale priùs esse in fœtu inanimato, quàm in anima; & ex fœtu in animam transire, non quidem quoad primarium suum effectum, quasi privationem gratiæ corpori imprimat, cùm corpus hujus effectûs capax non sit; sed quoad alios effectus, quorum capax est, id est, concupiscentiæ, maledictionis, & virtutis infectricis. Eo ferè modo, quô anima rationalis tota est in oculo, in hoc tamen non producit primarium suum effectum, qui est ratiocinari; non quòd anima verè in oculo non sit, sed quia oculus non est capax illius actionis: sic ex sententia istorum Patrum, peccatum originale est verè in fœtu, quia ex libidine conceptus, quia à DEO maledictus, & quia morbidus, ac corruptivus animæ, cui unietur; sed in fœtu inanimato non produxit primarium suum effectum, hoc est, privationem gratiæ, cujus, antequàm animetur, capax non est.

469. Supponendum secundò, maxima contentione disceptari, an DEIpara Virgo habuerit debitum non tantùm *remotum*, quod omnes concedunt, contrahendi maculam originalis peccati, sed etiam debitum *proximum.* Inter hæc debita illud discriminis latet, quod *remotum* duntaxat habens debuisset equidem includi generali pacto Adami, & comprehendi sub decreto Divino non tantùm quoad partem *favorabilem* participandæ gratiæ originalis, si Adam in sua innocentia perseveraret, verùm etiam quoad partem *odio-*

*odiosam*, ut, si Adam peccaret, pacto inclusus, & decretô comprehensus contraheret labem originalem, sicque omitteret jus ad recipiendam in sua conceptione animata originalem gratiam: quo debito stante, tamen actualiter pacto generali, & decreto quoad partem *odiosam* saltem non fuit inclusus, putà ex speciali privilegio, & sub ea conditione, si Christus Redemptor intuitu talis exemptionis merita sua offerret: Contra, habens debitum *proximum* pacto, & decreto fuit actualiter inclusus quoad utramque partem, favorabilem scilicet & odiosam, & cum Adamo morali suo capite actualiter peccante actu peccavit, júsque amisit recipiendæ in sua conceptione justitiæ originalis, & ex adverso necessitatem incurrit, contrahendi maculam originalem secundùm omnes effectus suos, nisi ex speciali dispensatione seu privilegio ab illa præservetur, & maculæ intrinsecam contractionem in conceptione, seu potiùs unione animæ cum corpore debitè organizato, gratiæ infusio antevertat, seu præveniat. Lubet

470. Sententiæ, DEIparam Virginem debito proximo subjicientis, fundamenta præmittere; deinde & illa, quæ pro solo debito remoto concertant subtexere. Fundamentum primum, ac præcipuum desumitur ex D. Paulo Apostolo juxta quem in Adamo omnes peccârunt, & egent gloriâ DEI. *Sicut*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ, ad Rom. cap.* 5. *v.* 18. Et 2. *ad Cor.* 5. sic argumentatur: *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* Ex quo talis conficitur discursus: Quisquis verè redemptus est per mortem Christi, ille prævié in Adamo mortuus fuit. DEIpara non minùs, quàm omnes alii posteri Adæ, fuit per mortem Christi verè redempta. Ergo etiam prævié in Adamo mortua. Veritatem suæ redemptionis ipsamet *Luc.* 1. decantat: *Et exultavit spiritus meus in DEO salutari meo*, id est, Salvatore meo, ùt habet Græca versio. Plus pro Virgine, ait D. Bernardus, redimenda Christus venit, quàm pro omni alia creatura, juxta illud *Cantic.* 4. *Vulnerâsti cor meum, soror mea.*

471. Fundamentum secundum, & illustratio prioris. Si, negatô debitô proximô, posset adhuc salvari Redemptio Beatissimæ Virginis, salvaretur aliqua redemptio purè *præservativa*, non *liberativa* aut *reparativa.* Atqui talis *præservativa*, cùm non sit vera, sufficere nequit. Consequenter vera Redemptio non salvaretur. Maj. est Achilles sententiæ contrariæ. Min prob. quia in DEIpara deficeret objectum redemptionis: neque enim esset peccatum, cùm nullum incurrisset: neque debitum peccati, cùm etiam hoc negetur, saltem *proximum*; *remotum* debitum econtra objectum redemptionis propriè non constituat. Confir. hoc: Terminus *à quo* Redemptionis debet esse *aliquid* de genere *mali*, & incommodi respectu illius, qui redimitur. Debitum *remotum* peccati, vi cujus aliquis deberet quidem pacto includi, ab eo tamen hìc & nunc eximitur, nihil est de genere *mali*, aut incommodi: Ergo non constituit objectum redemptionis.

472. Fundamentum tertium. Si exclusô debitô proximô, Redemptio DEIparæ adhuc verificetur, tunc Christus vel prævisus fuit à DEO merita sua offerre ante prævisum Adæ peccatum? vel post, prævisum? Neutrum dici posset: Non primum: aliàs enim Christus venisset ùt passibilis, Adamo non peccante: nam prævisio passionis fuisset independens à prævisione peccati. Neque secundum: Sequeretur enim, DEIparam fuisse redemptam, prout inclusam pacto Adami, consequenter ùt subjectam debito proximo contrahendi maculam originalem.

473. Fundamentum quartum. Constitutio pacti, cum Adamo initi, erat magnum DEI beneficium erga genus humanum, utpote per quod elevati sunt ad supernaturalem ordinem, quotquot pacto comprehenduntur. Itaque æquum non fuerat, ut DEIparæ negarentur beneficia, quæ cæteris conferebantur. Salmantic. *tr.* 13. *de Peccat. disp.* 15. *n.* 178.

474. Fundam. quint. ex Theol. Salisb. hìc *disput.* 29. *artic.* 2. §. 3. Si Adam non peccâsset, B. V. habuisset jus in sua conceptione accipiendi justitiam originalem, nascendíque ex semine non corrupto, immunitatem quoque à morbis, miseriis, & morte. Ergo ex eo, quòd Adam peccaverit, B. V. habuit debitum contrahendi culpam originalem. Prob. conseq. sicuti jus habendi justitiam originalem nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca proveniens à justitia originali, & modo naturali descendendi ex radice, & semine instructo vigore justitiæ originalis: ita debitum proximum nihil est aliud, quám denominatio extrinseca proveniens à peccato & modo naturali descendendi ex Adami radice infecta, & semine corrupto; nec aliunde magis SS. PP. colligunt necessitatem contrahendi peccatum originale. Sed hæc forma denominans repetitur non minùs respectu B. V. quàm aliorum hominum, quæ modo naturali fuit genita ex radice infecta, & ùt vera filia Adæ, ideóque dicitur rosa ex spinis orta, sed sine spinis. Hæc sunt potissima fundamenta pro debita *proximo.*

475. Sententiæ debitum proximum negantis, & DEIparam ab illo eximentis, argumentum primum adducit Magnificus P. Benedictus Petschacher *h. tr. thes.* 6. ex responsorio Lectionis 9. Matutinorum Officii Leonardi de Nogaroli, quod Sixtus IV. approbavit in *Extrav. Cùm præexcelsa. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* verba autem præfati Leonardi in illo responsorio contenta sunt hæc: *Omnes moriemini, quia in Adam peccavistis; tu verò ne timeas, ô MARIA, invenisti gratiam apud DEUM; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ex quo laudatus Doctor

ctor subsumit: Lex pro omnibus constituta, non fuit constituta pro MARIA, quemadmodùm videlicet Edictum Assueri decernens *Esther c.* 15. ut occiderentur, atque delerentur omnes Judæi à puero usque ad senem, & mulieres uno die, & bona eorum diripe-rentur, non comprehendit Reginam Esther, quam Rex ita affatus est: *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est:* At legem non esse constitutam pro MARIA, est, illam debitum *proximum* contrahendi maculam originalem non habuisse, sive, illam in Adamo non peccâsse. Ergo Deipara non erat subjecta debito *proximo*, nec in Adamo peccavit.

476. Neque respondeas, legem de transgressione peccati non fuisse latam pro B. Virgine quantum ad executionem, & ex vi privilegii derogantis universalitati legis; fuisse verò latam pro omnibus, & sic etiam pro B. Virgine quantum ad vim obligativam legis: aliàs potiùs dici debuerat: *Non pro te, sed pro cæteris*, quàm, *pro omnibus, hæc lex constituta est.* Addes, quòd dispensatio & privilegium supponant, personam, cui conceditur, contineri sub lege: cùm ergo Deipara indiguerit privilegiô & dispensatione, etiam contineri debuit sub lege de transfusione peccati. Non, inquam, sic respondeas. Nam contra insto primò, quòd juxta Officium à Sixto approbatum, pro Deipara MARIA lex moriendi (scilicet morte spirituali præcipuè) in Adamo non sit constituta. Ergo ab illa lege non solùm fuit exempta quoad executionem, ne macula & corruptio ex morte spirituali eam intrinsecè contaminaret; sed etiam fuit excepta quoad legis universalitatem, ejúsque vim obligativam.

477. Contra insto secundò. In lege, quâ Assuerus omnes Judæos morti destinavit, Reginam Esther à morte ita exemit, ut ipsa sub universalitate & vi obligativa legis non fuerit comprehensa, nec ipsam ùt mortis ream judicaverit: negat enim, legem mortis pro ipsa constitutam esse. Ergo, ut figura illa aptè adumbrârit immunitatem Deiparæ, ipsa pariter, quamvis potuisset & debuisset comprehendi de via ordinaria sub lege, moriendi in Adamo peccaturo, non tantùm quoad transfusionem maculæ & corruptionis intrinsecè contrahendæ, sed etiam quoad vim obligativam legis, moriendi in Adamo peccaturo, sicque maculam extrinsecè contrahendi, piè creditur fuisse exempta.

478. Argumentum secundum. Vel illum textum *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* cum fundamento interpretamur de Deipara Virgine, vel non? Si secundum: Adversarii ex eo ne quidem Immaculatam Conceptionem probant: & quæso! si ita esset, quomodò Ecclesia ejusmodi textum in gloriam Virginis immaculatæ publicis Officiis inseri aut permitteret, aut juberet? Si primum: Sane à Deipara removetur quæcunque macula. Nunquid enim particula *non* indefinitè imposita est malignantis naturæ, ut neget omnia post se? Negat ergo omnem maculam, proinde excludit & removet non tantùm illam intrinsecam physico-moralem, scilicet privationem gratiæ originalis ab omnibus reliquis posteris contrahendam, sed etiam illam extrinsecam & purè moralem peccatricis in Adamo.

479. Promovetur hoc Argument. Hæc propositio est moraliter certa, & ponitur expressè à D. Th. per textum *num.* 462. allegatum: Beata Virgo *nulla peccati contagione inquinata fuit.* Ergo ista: *Beata Virgo aliqua peccati contagione inquinata fuit*, moraliter est incerta, & falsitati proxima. Atqui si pacto inclusa quoad partem odiosam in Adamo peccavit, non est certum aut falsitati proximum, quòd nullâ peccati contagione inquinata fuerit, sed solùm, quòd intrinsecè inquinata seu maculata non fuerit. Ergo ambæ illæ contradictoriæ essent simul aut veræ, aut simul falsæ. Insto ulteriùs D. Th. & communis tum assertio, tum persuasio religiosa fidelium est, quòd Deipara ab originali peccato simpliciter immunis fuerit. Quidquid ergo defectûs moralis importatur in hoc termino significativo *Peccatum Originale*, debet esse semotum & alienum à Deipara, ut simpliciter coli possit, quòd ab originali peccato fuerit præservata. Quod etiam corroboratur ex S. Concilio Tridentino *Sess.* 5. *de Peccat. Orig.* ubi anathematizando illum, qui dixerit, Adæ peccatum sibi soli, & non ejus propagini nocuisse, statim limitat, & declarat, non esse suæ intentionis in illo decreto, in quo de peccato originali agitur, *Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM DEI Genitricem* comprehendere. Subsumo: sed etiam, dum quæritur, an ipsa in Adamo ùt capite morali, adinstar cæterorum omnium peccaverit, agitur vel maximè *de peccato originali.* Ergo etiam quantum ad hoc, quod est peccâsse in Adamo, Synodus Tridentina Beatam & Immaculatam Virginem DEI Genitricem non vult comprehendere. At, si Sac. Synodus illa absolutè, simpliciter, & indistinctim sub peccato originali Deiparam comprehendere noluit, an fortè hoc nobis Theologis indulgebitur, ut illam partim sub decreto de peccato originali comprehendamus, partim eximamus? Non dixerim.

480. Argumentum tertium. Puritas *intenditur* seu augetur, *per recessum à contrario:* & ideo *potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis:* & talis fuit puritas B. Virginis, ùt sonant expressa verba D. Thomæ. Atqui illa sola puritate, quâ Deipara dicitur exempta à sola macula intrinsecè contracta, invenitur aliquid purius; si etiam à macula extrinseca peccati in Adamo commissi dicatur præservata per exem-

exemptionem à pacto, & debito proximo. Ergo etiam ab ista macula extrinseca piè creditur fuisse præservata: decebat namque, ut supra ex D. Anselmo præmissum fuit, ut Virgo illâ puritate, quâ major sub DEO intelligi nequit, *niteret.*

481. Argumentum quartum: quo principale Adversariorum concutitur. Maxima ratio, cur B. V. non sit eximenda à debito proximo, esset, quòd per Redemptionem præservativam non salvaretur propriè dicta Redemptio B. Virginis. Si ergo ostendatur contrarium, tunc potiori jure contra debitum *proximum* standum erit, quàm pro illo. Ostenditur autem. Est admittenda Redemptio duplex: scilicet præservativa; & curativa, seu liberativa, non minùs quàm duplex medicina sub hoc utroque membro. Quemadmodùm ergo medicina, quæ à morbo præservat, naturam medicinæ propriè sumptæ retinet (dicente Ecclesiastico *cap.* 18. *ante languorem adhibe medicinam)* peræquè ac illa, quæ à morbo actualiter contracto curat & liberat; ita & redemptio illa non minori titulo est vera redemptio, quæ à malo, ne incurratur, impedit, & præservat, quàm redemptio, quæ à malo, quod quis actù incurrit, liberat. Medicina si adhiberi potest ante morbum, cur non & redemptio ante peccatum, & indulgentia ante culpam? Nunquid *Psal.* 43. legitur? *Qui redemisti David de gladio maligno*, scilicet Goliathi: & tamen David nunquam gladio succubuerat, sed Goliathum vicit: periculum succumbendi erat: at DEUS à malo impendente Davidem eripuit. Iterum dicit Psal. 8. v. 5. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, non quòd David in illo aliquando captivus fuerit, sed quòd DEUS illum ab illa infernali captivitate præservârit.

482. Urgetur ex Sfondrati *loc. cit. num.* 4. Tantò major est, perfectiórque redemptio, quanto à pluribus malis liberat: at à multò pluribus liberatur, qui non permittitur peccare: hìc enim liberatur ab actuali culpa, à pudore, à pœnis, & ab irreparabili jactura innocentiæ; à quibus non liberatur, qui peccare permittitur, & posteà absolvitur: semel quippe admissô peccatô, fieri non potest, ut quis non peccaverit, ut peccati non pudeat, útque innocentiam non amiserit; sicut Matrona, quæ adulterium admisit, deinceps fieri potest casta, sed non ut sit virgo.

483. Urgeo rursus: Secundùm S. August. super *Gen. ad lit. Major gratia impenditur illi, cui conservatur innocentia, quàm cui remittitur culpa.* Cui accedit illud in *l. fin. Cod. ex quib. caus. restit. in integr. non est necess. melius est intacta jura servare, quàm post causam vulneratam remedium quærere.* Tandem ipse Div. Thom. etiam, cùm de peccato origin. agit, redemptionem præservativam tanquam impropriam minimè rejicit: nam in 4. *Sent. dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 3. sic ait: *Oportet ponere, quòd quilibet personali Redemptione Christi indigeat, non solùm ratione naturæ: liberari autem à malo, vel* NB. *à debito, absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in morbum incidit: unde dimissio debitorum, vel liberatio à malo intelligi non potest, si aliquis sine debito, vel immunis à malo, nascatur.*

484. Postremò exquiritur à contrariæ Sententiæ fautoribus, num Deipara, quantum ad maculam originalem de lege ordinaria alioquin ab ea intrinsecè contrahendam, ex meritis & morte Christi fuerit verè ac propriè redempta, nec ne? Secundum si reponant: redemptionem, quam ipsi negarent, aliis non objiciant. Si primum: insto: ergo fuit redempta præservativè, non liberativè: quia debitum *proximum* incurrit, maculam ipsam non incurrit. Ergo etiam, ne pacto Adæ includatur, & ipso peccante peccet, ex meritis, à Christo pro ipsa oblatis, potuit præservativè redimi.

485. Argumenti quinti locò subservit illud: Decet, & neque rationi repugnat, neque scripturæ, si exemptam à macula intrinseca etiam à peccato, extrinsecè commisso, eandem exemptam pio credulitatis affectu defendamus, donec aliter à Sede Apost. declaretur: aliunde etiam fundamentis contrariis, congruis responsionibus occurri valet. Quidni ergo hodierno tempore potiùs stemus pro omnimoda Virginis puritate, & Innocentia, quàm ùt peccatricem fuisse, totis viribus, & omnibus machinis adhibitis evincere connitamur?

486. Ad primum contrarium fundamentum ex Scriptura desumptum Respondendum generatim, text. illos esse in sensu accommodo accipiendos, excipiendo scilicet neminem à peccato orig. quàm Christum, & ejus Sanctiss. Matrem, de qua expressè dicit Trident. Concilium, quòd, ubi de peccato orig. agitur, B. Virginem nolit comprehendere. Quid dicent Adversarii de illis textibus: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: Omnis homo mendax: justus septies in die cadit &c.* Nónne loquuntur de peccato personali? volúntne B. Virginem ibi etiam comprehendere; an non potiùs Marianum privilegium exemptionis ab omni actuali & personali peccato defendere debent? Potest etiam dici, B. Virginem habuisse peccatum *originabile*, hoc est, potentiam, capacitatem & debitum remotum peccandi; minimè verò peccatum *originale*, actu vel in capite, vel in se contractum.

487. Ad rationem primam, secundam, & tertiam patet responsio ex argumentis secundæ Sententiæ. Addo, Christum fuisse prævisum merita sua offerre ante prævisum Adæ peccatum, & fuisse Adamo priorem quoad decretum intentivum, sed non quoad decretum executivum. Connectuntur hæc cum meis dictatis, & fortè etiam typo tradendis *de Motivo Incarnationis.* Item dici valet, Deiparam Virginem secundùm decretum *intentivum* fuisse exemptam à pacto Adami & à debito proximo, solùm quasi *inchoa-*

*tivè*

*tivè* & *conditionatè*; *absolutè* verò & *consummativè* per decretum executivum, postquàm Christus visus est passionem suam filius pro Matre offerre. Hæc planè est ipsa doctrina Magnif. P. Benedicti Petschacher in *tract. de Incarn. quæst.* 4. *art.* 1. ubi, juxta nostrum infirmum & abstractivum modum concipiendi, ordinem Divinorum Decretorum secundùm sequentia signa rationis aptè distribui posse existimat. Pro ordine intentionis 1. DEUS habuit scientiam simplicis intelligentiæ, quâ cognovit omnia possibilia. 2. Decrevit suî glorificationem. 3. In ordine ad illam decrevit Christum ùt redemptorem, quod decretum dicit priùs fuisse in genere causæ *finalis qui*, sive *cujus gratiâ*, decretîs de creando ordine naturæ, Angelo, homine, ordine gratiæ, de constituendo Adamo Capite posterorum, & permissione peccati; his verò posterius in genere causæ finalis *cui*, seu *materialis*. Quibûs positîs, progrediendo ad executionem, DEUS 1. decrevit ordinem naturæ, Angelos, hominem, ordinem gratiæ, Adamum, caput posterorum. 2. Permissionem peccati. 3. Christum ùt Redemptorem. 4. Ex hujus meritis quosdam efficaciter prædestinavit ad gloriam; alios verò ab eâ tanquam beneficio indebito exclusit, & reliquit. Deinde subjicit, decretum transfusivum voluntatis posterorum in voluntatem Adami fuisse absolutum respectu omnium aliorum posterorum; conditionatum verò respectu B. Virginis: unde DEUS censetur dixisse: *Constituo Adamum caput omnium posterorum ex illo descendentium, exceptâ hâc determinatâ personâ*, cujus voluntatem transfundam, si Christus illam per sua merita non exemerit; non verò transfundam, si Christus illam per suam passionem & mortem exemerit. Atque istius Decreti conditionati fundamentum asseritur in Scriptura, Conciliis, & Patribus haberi, vi quorum immunitas totalis ab originali peccato aliter admitti nequit, quàm cum dependentia à meritis Christi. His porrò Magnificus ille Theologus adnectit, quòd licèt exemptio Deiparæ absoluta à pacto Adami fuerit primùm facta post prævisam mortem & passionem Christi, det tamen effectum formalem præteriti, ita ut B. Virgo vi illius censeatur absolutè fuisse exempta à pacto Adami pro illo signo, pro quo voluntates aliorum posterorum fuerant in voluntatem Adami absolutè transfusæ. Cujus rationem esse ait, quòd aliquæ formæ vel conditiones de præsenti dent effectum formalem de præterito; sicut aliquæ formæ de præterito dant effectum formalem de præsenti: ex. gr. dicitur aliquis senex de præsenti ab annis præteritis. Hæc pro pio cultu Immaculatæ Conceptionis validiùs & faciliùs propugnando proposita sunto. Novissimè hanc piam Sententiam amplectitur & latè deducit ex Thomistis Benedictinis Clariss. D. P. Hyacinthus Peri in *Quæstionib. Theologicis tract. de Peccat. qu.* 8. *à num.* 2115.

# QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA.

## *An Peccatum Originale possit consistere cum solo veniali?*

488. PRæsens Quæstio dependet ab illa, an homo primò perveniens ad usum rationis per actum charitatis se in DEUM converte teneatur? Sit breviter

489. Conclusio nostra: Peccatum originale cum solo veniali consistere nequit. Ita S. Doct. 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. Prob. Datur grave præceptum, ut quilibet in primo instanti morali usûs rationis (id est, capacitatis ad discursum debitè formandum: differt enim *ratio* ab intellectu, quòd hic per simplicem apprehensionem in objecta tendat, *ratio* verò discursum, seu facultatem ratiocinandi importet secundùm Div. Thom. 1. *p. quæst.* 79. *art.* 8. Licèt de cætero ratio, seu potentia ratiocinandi, non sit realiter diversa à potentia intelligendi) in DEUM ùt finem ultimum se convertat: vel ergo homo perveniens primò ad instans usûs rationis dictum præceptum implet, vel non? Si illud impleat; justificatur à macula peccati originalis per gratiæ sanctificantis infusionem; per consequens, si posteà peccet venialiter, veniale non stabit cum originali, utpote jam sublato. Vel præceptum conversionis implere negligit? Et tunc propter materiam gravem, quæ erat præcepta, mortaliter peccat. Stabit ergo tunc peccatum originale habituale cum peccato mortali personali; & neutrum sine altero per justificationem tolli poterit. Ant. sicuti etiam prætactum à nobis dilemma traditur expressè à Div. Thom. in *cit. artic.* 6. *in Corp.* ubi postquàm respondit, impossibile esse, ut peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absque mortali, hanc subjicit rationem: quia, *antequàm ad annos discretionis perveniat, defectus ætatis prohibens usum rationis, excusat eum à peccato mortali: unde multò magis eum excusat à veniali, si committat aliquid, quod sit ex genere suo tale. Cum verò usum rationis habere cœperit, non omnino excusatur à culpa venialis & mortalis peccati: sed, quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso: & siquidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. Si verò non ordinet seipsum ad debitum finem, secundùm quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod in se est: & ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali, nisi postquàm totum fuerit sibi per gratiam remissum.* Huc collineant & alii doctrinales textus D. Thom. ùt in *quæst.* 7. *de Malo. art.* 10. *ad* 8. *quæst.* 5. *art.* 2. *ad* 8. *quæst.* 24. *de Verit. art.* 12. *ad* 2. & in

in 2. *Sentent. dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 7. & alibi passim, adeò ut bene dixerit Gonet apud Cardin. Gotti, vix fieri posse, ut verus S. Thomæ discipulus ab hac Sententia recedat.

490. Neque ista Sententia caret fundamentô S. Scripturæ. An non enim præceptum de se convertendo in DEUM, eúmque super omnia diligendi, satis perspicuè exprimitur Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* Et Math. 22. v. 37. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo.* Quod præceptum ibidem *vers. seq.* vocatur *maximum & primum mandatum:* quia in hoc præcepto reliqua omnia radicantur tanquam in eo, quod est *finis* legis totius, Paulo dicente 1. Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti est charitas.* Jam sic: si cætera præcepta certò naturalia tam positiva, quàm negativa eum, qui rationis usum sufficientem consecutus est, tunc jam incipiunt in primo instanti obligare, multò magis præceptum naturale, à quo illa omnia dependent, obligare incipit. Atqui cætera præcepta naturalia eum, qui sufficientem rationis usum consecutus est, tunc jam in primo instanti incipiunt obligare: quia illo tempore lex naturalis mediante synderesi creaturæ rationali intimatur. Ergo multò magis præceptum naturale de diligendo DEO, à quo cætera pendent, & quibus istud saltem ordine intentionis quid prius est. Et licèt præcepta affirmativa non obligent ad semper in actu secundo, communiter loquendo; attamen *ad hoc est homo naturali lege obligatus, ut primò sit sollicitus de sua salute, secundùm illud Math. 6. Quærite primùm Regnum DEI,* velut instat D. Thom. *quæst.* 7. *de Mal. art.* 10. *ad* 9. Ultimus enim finis *naturaliter cadit in appetitu sicut prima principia naturaliter primò cadunt in apprehensione. Sic enim omnia desideria præsupponunt desiderium ultimi finis: sicut omnes speculationes præsupponunt speculationem primorum principiorum.*

491. Dices primò: Veniale est dispositio ad mortale: ergo in infideli, cui necdum remissum est originale, veniale potest esse ante mortale personale. Secundò: Præceptum se convertendi in DEUM in primò instanti usûs rationis videtur nimis arduum, incertúmque; nec est ratio, cur determinatè in primo instanti obliget. Tertiò: Per conversionem tanquam amorem ordinis naturalis in DEUM, qui puero proponi potest sub ratione boni honesti *ut sic*, potest impleri prædictum præceptum, quin exinde sequatur justificatio, & liberatio à peccato originali: neque enim ullus adultus extra Sacramentum justificatur absque amore DEI ùt auctoris supernaturalis; qualis amor necessariò supponit auxilium supernaturale, fidémque & cognitionem DEI ùt Auctoris supernaturalis. Possibile ergo erit, ut præceptum conversionis per actum amoris naturalis impleatur, & tamen peccatum originale non destruatur. At tunc similiter possibile erit peccatum veniale; ergo veniale cum solo originali stare potest.

492. Ad primum Resp. ex S. Doct. quòd veniale non sit dispositio ex necessitate præcedens peccatum mortale, sed contingenter, sicut quandóque labor disponit ad febrem; non autem sicut calor disponit ad formam ignis. Ad secundum inprimis dicunt Salmantic. *hoc tract. disp.* 20. *num.* 41. ibi non posse prætendi rigorem, ubi militat justitia, & æquitas puerum obligat ad id, quod facere potest, quódque ratio dictat. Cæterùm puer tenetur se convertere in DEUM ùt finem ultimum explicitè, quando iste finis proponitur explicitè; implicitè autem solùm, quando ipsi solùm confusè aut implicitè, scilicet per repræsentationem boni honesti proponitur. Ulteriùs Resp. equidem de prædicto præcepto non dari certitudinem; Sententiam tamen, quæ ejus existentiam propugnat, negantium opinioni tanquam probabiliorem, ipsíque rationi naturali magis consonam, meritò præferri. Quamprimùm homini proponitur lex naturalis & promulgatur, tenetur illam acceptare: sicuti & Evangelicam sequi, post perceptam promulgationem. Angelus quoque in primo instanti debuit se convertere in DEUM. Demùm hoc mandatum, *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c.* dicitur *maximum* & *primum:* ex suâpte igitur natura obligabit statim in primo tempore, quo impletio ejus possibilis est. Audi D. Thom. *loc. cit. ad* 3. ab aliis mortalibus, inquit, potest puer incipiens habere, usum rationis, per aliquod tempus abstinere; sed à peccato omissionis prædictæ, non liberatur, nisi, quàm citò potest, se, convertat ad DEUM. Primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti, est, quòd de seipso cogitet, ad quem, alia ordinet, sicut ad finem. Finis enim, est prior in intentione; & ideo hoc est, tempus, pro quo obligatur ex DEI præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Zach. 1. Ad tertium repono, DEUM homini facienti, quod est in se (cum viribus auxilii Divini) & implenti præceptum naturale conversionis in DEUM, non defore, quin simul illustrationem fidei, & justificationis gratiam infundendo, amorem de se naturalem ad ordinem supernaturalem elevet, & ita amor iste in genere causæ materialis ac dispositivæ justificationis gratiam præcedat; in alio verò genere causæ formalis aut efficientis, ab eadem gratia dependeat, eamque subsequatur. Plura de hoc scripsi in *Tract. de necessitate gratiæ actualis*, efficacis & sufficientis *quæst.* 10. & 2. *seqq.*

493. Insistes: Nemo, etiam ex Doctorum, piorumque numero, sollicitudine aliqua vexatur, num præcepto à nobis prætenso in primo instanti usûs rationis satisfecerit; nec ullus coram Confessario se de ejus transgressione accusabit. Resp. Cardin. Gotti

*hoc*

*hoc tract. quæst.* 3. *dub.* 5. §. 3. vel viri probi, timorati ac docti, Sententiæ D. Thomæ adhærent? & hi sollicitudinem suam de impletione talis præcepti satis ostendunt, dum se de occultis accusant: an enim tale præceptum impleverit, nec ne, occultum cuique est. Vel opinionem oppositam sequuntur, eam reputando ùt probabiliorem; Et hi tutâ conscientiâ sollicitudinem deponunt.

494. Non est prætermittendum, quod nos docet sanctæ memor. Papa Benedictus XIII. in Appendice ad Concil. Roman. An. 1725. à se congregatum: ubi in *Instructione Parvulorum* pro Confessione Sacramentali (insertâ meo *tractatui de Potestate Clavium Fori interni pag.* 52.) sequentia leges: Dein clarè, fideliter, & cum verecundia peccata tua confiteberis, prout ea memoriâ collecta tenueris: Ex. gr. „Pater me accuso, quòd DEUM non amaverim, prout debebam; & in particulari, „quòd me forsitan non converterim ad ejus „Majestatem à tempore, quo illum cognovi &c.

495. Pro dissolvenda alia objectione subnoto ex laudato Cardin. Gotti *loc. cit. num.* 23. pueros, qui ad primum instans (quod tibi non debes imaginari, quasi aliquid esset indivisibile & mathematicum, sed morale, habens quandam temporis latitudinem) completè pervênit, sæpe dictum præceptum non posse ignorare, tametsi multi viri docti, Sententiæ oppositæ adstipulantes, illud se invincibiliter ignorare asserant, opinando tale præceptum non dari. Ratio discriminis est, quòd pueris illud instans attingentibus, DEUS naturæ Auctor, sicut & gratiæ, *practicè*, & in *actu exercito*, medio dictamine synderesis; vel etiam medio alio lumine superiori, adeò clarè & evidenter proponatur, ut non relinquatur locus dubitandi. Semel autem facta hac propositione ab auctore naturæ, vel etiam gratiæ, illóque morali instanti transacto, paulò post finitâ, opus est (ad novam illius præcepti cognitionem acquirendam) uti ratione & discursu, qui à passionibus vel rationibus dubitandi sæpe obnubilatur. Quò fit, ut non solùm plures viri docti de ejus existentia dubitent, sed & ipsi S. Thomæ Discipuli eidem præcepto non tanta firmitate & certitudine adhæreant, quin aliqualis formido de opposito interdum insurgere possit.

496. Quæres occasione textûs ex 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. *suprà n.* 484. allegati, verúmne sit, quòd nemo possit venialiter peccare, antequàm ad eum usum rationis jam pervenerit, ut possit peccare mortaliter? Ratio dubitandi oritur ex eo, quòd defacto omnes adulti per actum imperfectæ deliberationis in peccatum veniale frequentissimè cadant. Quidnî igitur & pueri, utpote quorum ratio non expeditur subitò, sed paulatim per successivam ligaminum solutionem, pervenientes ad usum rationis imperfectum seu semiplenum, tunc eò ipsò ad veniale committendum capaces existant?

497. Resp. insistenti vestigiis Doctoris Angelici affirmativæ sententiæ tutelam incumbere. Nam non solùm in *cit. art.* 6. eam liquidò propugnat: sed aliis quoque in locis, speciatim in 2. *sent. dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 7. ibi: *Si enim aliquid est sufficiens ad excusandum peccatum majus, multo ampliùs sufficit, ad excusandum minus: sed imperfectio ætatis excusat peccatum mortale, ut puer, nondum usum liberi arbitrii habens, peccati mortalis reus non habeatur, etiamsi actum faciat, qui ex genere peccatum mortale sit: unde multò ampliùs excusat infantia, ne peccatum veniale imputetur.* Vid. etiam S. D. *quæst.* 5. *de Mal. art.* 2. *ad* 8. Cardinal. Gotti S. Doctoris discursum sequenti modo illustrat. Ut aliquis peccare possit, debet posse discernere inter honestum & inhonestum, seu inter bonum & malum morale: qui autem sic potest discernere, ut cognoscat parvum malum morale, magis poterit cognoscere magnum malum morale: ut qui cognoscit, quòd leviter mentiri, quòd pauca furari, sit malum; multò magis cognoscet, malum esse pejerare, & furari multa: cùm longè facilius sit, hæc, quàm illa cognoscere: ergo, qui, propter defectum ætatis & facultatis utendi ratione, excusatur, ne ista majora cognoscat, atque adeò ne peccet mortaliter, si ea faciat; multò magis excusatur, ne prædicta minora noverit, ac per consequens ne peccet venialiter, ea faciendo. Sic ille. Quô præcognitô, & ponderatô, nimis seu præcipiti seu præcoci aliàs D. Th. in suis sententiis perstringentes judiciô, cum tanto Doctore, imò Scholasticorum omnium Antesignano, discretiùs agent.

498. Neque prædictæ sententiæ robur infringitur per rationem dubitandi de peccato veniali, ab adultis per actum imperfectè deliberatum frequentissimè contingente, supra prætextam. Nam adulti existunt jam in statu perfecto, in quo habent facultatem Rationis usu jam obtenti perfectè utendi, quamvis in exercitio non semper perfectè deliberent. Ex quo non inferes, quòd, cùm possit Ratione perfectè uti, non sint à mortali excusandi, dum solùm imperfectè eâ utuntur: nam stante facultate perfectè utendi sua Ratione, imperfectus usus illius in actu secundo frequentissimè contingit non ex causa voluntaria, sed naturali, videlicet vel animi infirmitate, vel phantasiâ, vel passione Rationem præveniente: ideóque adulti tunc à culpa gravi excusantur. Similiter dicendum de iis, qui semidormientes, aut semiebrii contra aliquod præceptum venialiter peccare possunt, quia facultas, qua pollent ad deliberandum perfectè, hîc & nunc aliqualiter impeditur, ne actu deliberent. Econtra pueri ante annos discretionis, seu obtentum completum Rationis usum absolutè carent facultate ad perfectè deliberandum, cognoscendúmque consonantiam vel dissonantiam ad legem, nec habent dominium cum indifferentia super singulos motus: illâque libertas usûs Rationis inchoati

choati seu imperfecti potiùs est *physica*, quàm *moralis*.

499. Illud tandem ex D. Th. *quæst. 5. de mal. art. 2. ad 8.* pro notabili subjicio, quod, admissâ coëxistentiâ possibili solius originalis cum peccato veniali in aliquo, talis ita è vita decedens, pœnâ sensûs æternâ puniretur, nimirùm, quia careret gratiâ, quâ reatus culpæ tolli deberet. Videatur idem S. Doctor desuper etiam in *2. sent. dist. 42. quæst. 1. art. 5. ad 7.*

# QUÆSTIO VIGESIMA NONA.

## *Quale fuerit primum Peccatum Angelorum lapsorum?*

500. PRænoto, equidem in Dæmonibus juxta D. Thom. hic *quæst. 63. art. 1.* quoad affectum non habere locum alia peccata, quàm superbiæ & invidiæ, & circa aliquid spirituale; quantum tamen ad reatum omnia peccata ipsis inesse posse; quia enim homines in omnia genera peccatorum inducunt, omnium quoque reatum incurrunt. Quódque Angelus viator non potuerit peccare venialiter, ac Dæmones defacto in termino suæ damnationis existentes, dum v. gr. homini suggerunt mendacium leve, non leviter, sed semper graviter peccent, rationem Theol. Salisb. *disp. 34. art. 3.* hanc reddit: quia, si spectetur materia, ea nunquam levis est, cùm in omni peccato errent circa finem simpliciter ultimum, atque ab eo devient, utpote quem in quavis sua operatione attingunt; cùm tamen aliàs peccans venialiter non tam deordinetur à fine ultimo, quàm à mediis ad finem. Neque ex capite imperfectæ deliberationis peccati levitas oriri valet: quia iste modus operandi naturæ Angelicæ omninò disconvenit. Inter celebriores sententias, quibus præsens quæstio resolvi solet, est illa Subtilis Scoti, in *2. dist. 6. quæst. 2.* primum Angelorum peccatum in quadam luxuria spirituali, hoc est, in quadam nimia seu immoderata complacentia circa propriam excellentiam, consistere, asserentis. Sed contra statuitur

501. Conclusio prima. Primum Angelorum, posteà damnatorum, peccatum fuit superbia. Ita nostri Thomistæ cum Patribus Societatis. Probat. conclus. primò Auctoritate Scripturæ, ut ex *Tob. 4.* secundùm quem, *in superbia sumpsit initium omnis perditio.* Et *Isaiæ 14.* de Lucifero scriptum est: *detracta est ad inferos superbia tua.* Idem habetur *Ezech. 28.* ubi de eodem scribitur: *elevatum est cor tuum in decore tuo.* Secundò Patrum consensu, è quibus S. Basilius, diabolum propter superbiam cecidisse, ait *quæst. 10. ad Antiochium:* D. Augustinus *lib. de nat. & grat. cap. 29.* ideo, inquit, verissimè dictum est, initium omnis peccati superbia: quia diabolum, à quo stetit origo *peccati, ipsa dejicit.* Consentiunt Gregor. Nazianz. Ambros. Anselmus &c. Ex quo

502. Prob. Concl. tertiò. In illis, quæ dependent vel à libera DEI voluntate, vel etiam ab alicujus creaturæ libero arbitrio, standum est vel maximè non solùm verbis S. Scripturæ, sed & huic conformibus Patrum declarationibus: At nec in Scriptura, nec in Patribus fit mentio alicujus luxuriæ spiritualis, vel philautiæ, id est, proprii & nimii amoris præcisè, sed veræ superbiæ, cui casus Angelorum simpliciter adscribitur. Ergo &c. Et quoniam verba Scripturæ, nisi servato eorum sensu proprio aliquod absurdum sequatur, in propria significatione sunt retinenda, S. Scripturæ in proposito violentiam infert, quisquis ejus verba ad alium sensum detorquet.

503. Confir. ulteriùs. Primum peccatum Angelorum erat immediatè oppositum virtuti humilitatis: atqui hujusmodi peccatum est formaliter superbia: Ergo &c. min. est certa. Maj. prob. Humilitas est virtus, quia quis *considerans suum defectum, tenet se juxta modum suum*, S. D. *2. 2. quæst. 161. art. 1. ad 1.* atqui Angelus in amore inordinato suæ excellentiæ non consideravit defectum suum, id est, miseriam sui nihili, subjiciendo suæ naturæ excellentiam DEO ùt suo primo principio, & in idipsum referendo tanquam in finem ultimum, adeóque non servavit, sed dissimulavit modum debitum in dilectione sui ipsius, ùt textus indicat, *elevatum erat cor ejus* in contemplatione decoris sui: Ergo egit contra virtutem humilitatis: quod ut clariùs pateat, sequitur

504. Conclusio secunda: Objectum primi peccati Angelorum fuit propria eorum excellentia, seu perfectio beatitudinis naturalis, in quantum illius amorem non curârunt ordinare in finem sive beatitudinem supernaturalem sibi revelatam. Gonet. *tr. de Angel. disp. 11. pag. 661.* Paul. à Concept. *hic disp. 3. num. 98.* Theolog. Salisburg. *disp. 34. art. 4.* & passim alii, ùt antiquus ille Glossator Ferrar. in *comment. ad 3. contr. Gent. cap. 97.* Probari solet hæc conclusio primò ex supra *cit. Ezech. cap. 28.* ubi, postquàm de Lucifero præmissum fuerat, cor ejus elevatum fuisse in decore suo, subditur: *Perdidisti sapientiam tuam in corde tuo:* Sub nomine decoris subintelligitur cumulus omnium perfectionum Luciferi peccantis: omissio verò sapientiæ denotat defectum rectitudinis & ordinationis in finem superiorem, supernaturalem, ac simpliciter ultimum: quò facit textus D. Thomæ *3. cont. Gent. cap. 110.* ubi, *sicut in nobis*, ait, *peccatum est ex hoc, quòd bona inferiora, scilicet corporis, appetimus, absque ordine rationis: ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quòd proprium bonum non retulit in Divinum bonum.* Confir. omnes conditiones, quæ ad obje-

objectum superbiæ Angelicæ videntur esse necessariæ, facilè hic verificantur: primò quidem, quòd Angelus inordinatè prosequendo propriam suam excellentiam versatus fuerit circa objectum sibi maximè debitum: Secundò, quòd objectum ipsi propositum fuerit ùt valdè excellens: Tertiò, quòd in illius prosecutione non servaverit modum & mensuram præfixam, in quantum Angelis jam in primo instanti per revelationem Divinam constabat, quòd in secundo instanti adeptæ tunc plenæ libertatis & deliberationis, teneantur se convertere in DEUM ùt suum finem ultimum supernaturalem, per quam conversionem sibi mererentur visionem claram totius Deitatis, Beatitudinémque simpliciter perfectam: hanc ordinationem intermiserunt, nimiùm absorpti in complacentia suæ propriæ excellentiæ. *Potuit igitur* (ùt verbis S. Doctoris 3. *cont. Gent, cap.* 109. utar) *in voluntate substantiæ separatæ esse peccatum ex hoc, quòd proprium bonum & perfectionem in ultimum finem non ordinavit, sed inhæsit proprio bono ùt fini. . . . Unde convenienter dicitur, quòd primum peccatum* (modo explicato) *fuerit superbia.*

505. Oppon. primò. Ante quodlibet peccatum debet præcedere judicium practicum falsum seu erroneum: atqui Angelo repugnat habere judicium falsum & erroneum: videtur ergo & repugnare peccatum. Maj. est communis: nihil enim prosequitur voluntas, quod prosequendum esse non priùs judicavit, & intimavit intellectus. Min. est expressa S. Doctoris assertio 1. *part. quæst.* 58. *art.* 5. ubi secundùm Augustinum nihil intelligitur, nisi verum: sed Angeli non cognoscunt nisi intelligendo; Ergo non cognoscunt nisi verum. Adde ex eodem S. D. quòd intellectus circa *quod quid est*, semper est verus, juxta Arist. 9. *Metaph. text.* 22. uti sensus circa suum objectum, licèt per accidens in nobis ratione divisionis & compositionis possit esse error. Atqui intellectus Angeli versatur *circa quod quid est*, sive, intelligit quidditates simplices, in quibus non datur falsitas: quia vel omnino ignorantur, vel totaliter sciuntur, & sine compositione vel divisione. Ergo in hac cognitione nequit esse falsum, utpote quod datur in intellectu dividente & componente. Quibûs ita se habentibûs, sequitur, in Angelis ante lapsum non potuisse dari illud judicium practicum, suam excellentiam ab ipsis sine relatione in DEUM ùt finem supernaturalem prosequendam esse: consequenter nec propter illam relationem intermissam peccârunt.

506. Resp. ante quodlibet peccatum prærequiri judicium practicum erroneum, quod sit tale vel in *actu signato*, & ex parte objecti voliti, vel solùm in *actu exercito*, & ex parte modi tendendi in illud: judicium practicum erroneum hoc posteriori modo in Angelo ante peccatum præcedere potuit, in quantum in secundo instanti, in quo seipsum ex præcepto, sibi jam in primo instanti proposito, debuisset ordinare in finem ultimum supernaturalem, non sine malitiosa inconsideratione ad tale præceptum non advertit, sicque suam excellentiam *interpretativè, exercitè*, ac in morali æstimatione ita dilexit stando in ea, ac si reverà *formaliter* secum judicâsset, ejus ordinationem in finem ultimum intermittendam esse. Ita colligimus ex S. Thom. *cit. quæst.* 58. *art.* 5. ubi *in C.* sic loquitur: *Manifestum est autem, quòd quidditas rei potest esse principium cognoscendi respectu eorum, quæ naturaliter conveniunt rei, vel ab ea removentur: non autem eorum, quæ à supernaturali DEI ordinatione dependent. Angeli igitur boni, habentes rectam voluntatem per cognitionem quidditatis rei, non judicant de his, quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione Divina. Unde in eis non potest esse falsitas vel error. Dæmones verò per voluntatem perversam subducentes intellectum à Divina Sapientia, absolutè interdum de rebus judicant secundùm naturalem conditionem. Et in his, quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur: Sed decipi possunt quantùm ad ea, quæ supernaturalia sunt. Sicut si considerans hominem mortuum, judicet, eum non resurrecturum: & si videns hominem Christum, judicet, eum non esse DEUM.*

507. Et clariùs in 1. *p. quæst.* 63. *a.* 1. *ad* 4. duplicem, quo peccatum contingere potest, modum exponens, uno modo dicit, contingere ex hoc, quòd malum eligatur: *Sicut homo peccat eligendo adulterium, quod secundùm se est malum. Et tale peccatum semper procedit ex aliqua ignorantia vel errore; Alioquin id, quod est malum, non eligeretur ùt bonum. . . .* Hoc autem modo in Angelo peccatum esse non potuit: *quia in Angelis nec sunt passiones, nec peccatum primum præcedere potuit habitus ad peccatum inclinans. Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium, eligendo aliquid, quod secundùm se est bonum, sed non cum ordine debitæ mensuræ aut regulæ: ita, quòd defectus, inducens peccatum, sit solùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, nisi ex parte rei electæ: sicut si aliquis eligeret orare, non attendens ad ordinem ab Ecclesia institutum. Et hujusmodi peccatum non prærequirit ignorantiam, sed absentiam solùm considerationis eorum. Et hoc modo Angelus peccavit convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam Divinæ voluntatis.* Cæterùm si lubet, dicere potes, in Angelo locum esse errori virtuali, non formali.

508. Oppon. secundò. In sententia nostra primum peccatum Angelorum fuisset peccatum omissionis: sed hoc pugnat contra communem sententiam: Ergo &c. Probat. Maj. quia consisteret in omissione debitæ ordinationis in finem supernaturalem. Ergo non consisteret in aliquo actu positivo commissionis. Resp. neg. Maj. quia reverà in secundo instanti, dum Angelus seipsum inordinatè amavit, actum positivum, licèt moraliter defectuosum, utpote debiti ordinis rectitudine destitutum, ex plena deliberatione elicuit.

509. In-

509. Instas: Violare præceptum charitatis, non ponendo actum, est peccare peccato omissionis: Angelus violavit in secundo instanti præceptum charitatis, non ponendo actum, sive, non convertendo sese in finem ultimum supernaturalem: Ergo peccavit peccato omissionis. Ex quo ulteriùs consectarium fit, primum Angeli peccatum non fuisse superbiam, sed contra præceptum charitatis Divinæ. Resp. duo præcepta saltem virtualiter distincta concurrisse, unum charitatis positivum, alterum humilitatis seu subjectionis, quod erat negativum. Ita námque DEUS præcepit conversionem Angeli cujusvis in finem supernaturalem pro secundo instanti, ut illa conversio, prout dicit actum charitatis, esset objectum expressum, formale & veluti directum Divini præcepti; mensura verò & modus servandus ab Angelo in prosecutione propriæ excellentiæ, esset objectum velut materiale, implicitum, indirectúmque ejusdem præcepti, prohibentis scilicet, ne Angelus appetitu inordinato in contemplatione propriæ excellentiæ absorptus in ea sisteret tanquàm in sua Beatitudine. Dicendum proin, præceptum, ùt erat charitatis, per peccatum omissionis violatum fuisse, quia Angeli peccantes DEUM ùt finem supernaturalem diligere omiserunt, seu neglexerunt: ùt verò includebatur præceptum Humilitatis & subjectionis, fuisse violatum per actum commissionis positivum, nempe per illam ipsam inordinatam dilectionem, per quam Angelus in suæ propriæ excellentiæ prosecutione sistebat sine relatione sui actûs in finem ultimum supernaturalem.

510. At, inquis, hoc ipso primum peccatum Angelorum erat contra charitatem Divivam. Resp. ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ortam fuisse omissionem actûs charitatis: atqui dictus appetitus inordinatus pro illo secundo instanti, quia excessit mensuram præscriptam, fuit formaliter actus superbiæ: ergo ex actu superbiæ consecuta est omissio actûs charitatis: ergo adhuc primum peccatum Angelorum erat actus superbiæ, utì tenent SS. Patres, & Sacræ Litteræ pluribus textibus præcipuè indicant. Dixi: pro illo secundo instanti: propter ea, quæ Paul. à Concept. *tr. de Angel. disp. 3. num.* 100. adnotat sequentibus terminis: quòd, cùm præceptum humilitatis (injunctum Angelis) fundetur in præcepto charitatis, in quantum præfigitut mensura servanda in dilectione propriæ excellentiæ, & præceptum charitatis non obliget pro semper, sed præcisè pro secundo instanti (hoc enim erat respectivè instans quantum ad plenam libertatem etiam contrarietatis, quàm Angeli in primo creationis instanti non habuêre) ideo dilectio propriæ excellentiæ sine ordinatione charitatis pro aliis sequentibus instantibus non fuisset inordinata; quia in illis non strinxisset aliqua obligatio adhibendi talem mensuram; quare ad summum ejusmodi dilectio fuisset peccaminosa, quando Angeli suam excellentiam ordinis naturalis expressè & formaliter dilexissent per modum ultimi finis, supposita nimirùm elevatione ad finem supernaturalem.

511. Oppon. tertiò. Ex dictis sequitur, Angelos rebelles se noluisse submittere Regulæ superioris: atqui hoc sapit peccatum inobedientiæ: ergo adhuc primum peccatum non fuisset superbiæ, sed magis inobedientiæ. Resp. primò inobedientiam esse actum fugæ: actus fugæ priùs naturâ supponit prosecutionem alicujus boni: Ergo actus inobedientiæ Angelicæ pariter supponebat priùs naturâ alicujus boni, scilicet proprii, prosecutionem, non utique ordinatam, propter textus Scripturæ & Patrum, motum superbiæ innuentes; igitur primum peccatum Angelorum erat actus superbiæ, tanquàm prosecutio inordinata proprii boni. Resp. secundò cum Theol. Salisb. dist. min. nolle se submittere Regulæ superioris, sapit peccatum inobedientiæ, quando illa regula actum respicit formaliter sub ratione legis aut præcepti, conced. min. si actum respiciat sub ratione mensuræ certum modum servandum præscribentis, qualiter se habuit Divina regula pro secundo instanti actum Angelorum regulantis, tunc, nolle se submittere, sapit actum inobedientiæ, nego min. & sub eadem distinctione nego conseq. Neque hìc ista nolitio submissionis erat præcisè conditio quædam generalis, quæ solet esse communis omni peccato; quia se non habebat merè concomitanter & per accidens, sed interpretativè saltem, & ex parte modi volendi habuit se tanquàm per se intenta: ita enim Angeli se gerebant illis in circumstantiis, ac si studiosè nollent curare modum servandum, juxta quem amorem suæ excellentiæ DEO ùt fini supernaturali ac simpliciter ultimo subordinare debuissent. Huc facit illud D. Greg. M. *lib. 23. Moral. cap. 7.* inter modos proprios superbiæ recensentis affectum, quo quis bonum à se ipso habere existimat, nimirùm vel signatè, & ex parte rei volitæ, vel exercitè, interpretativè, & ex parte modi volendi.

512. Oppon. quartò. Si nimia complacentia, quâ quis inordinatè delectatur de specie vel proprii vel alieni corporis, pertinet ad peccatum luxuriæ corporalis; cur non similiter nimia complacentia, quâ Angeli delectabantur de decore suæ perfectionis spiritualis, pertineat ad peccatum luxuriæ spiritualis? Resp. primò, negando suppositum, dari aliquam luxuriam merè spiritualem sine magno verborum abusu: luxuria corporalis & propriè sumpta versatur in materia venerea, ac ultimatò ordinatur ad coitum prohibitum, fornicationem, adulterium &c. annè & luxuria Angelorum spiritualis est in materia venerea? num fortè & illa ordinatur ad coitum spiritualem, fornicationem, vel adulterium &c. unius Angeli vel secum ipso, vel cum alio? non vacat sic nugari. Resp. secundò immoderatè delectari de specie proprii corporis vel alieni, posse pertinere ad superbiam,

perbiam, quando delectans tenetur servare mensuram taxatam à superiore, eam tamen in delectando servare detrectat, vel negligit, nolendo scilicet talem mensuram vel formaliter & explicitè, vel virtualiter & interpretativè; id est, vel nolendo ipsam expressè ex parte rei volitæ, vel saltem in modo volendi. Exemplū posset allegari de conjugibus, si corporum suorum specie mutuò delectarentur eò usque, ut ne quidem modum & limitem à DEO præscriptum servare vellent, nónne tunc superbirent? Multò magis ergo idem dic de philautia, & inordinato amore Angeli circa seipsum. Denique hæc argumentandi, loquendíque formula repulsam fert, si ponderandum relinquamus, Angelos in primo instanti æquè intensè circa se ipsos delectatos fuisse, quàm in secundo, & tamen tunc spiritualem luxuriam nullam exercuisse; alioquin in primo instanti peccâssent: Ergo ob præcisam illam complacentiam exuberantem non potest dici, eos luxuriatos fuisse spiritualiter in secundo instanti.

513. Gratis quóque Scotistæ ad peccatum superbiæ ultra appetitum inordinatum contra mensuram præscriptam affectum prælationis supra alios in superbiente requirunt. Estò enim ille affectus prælationis suiipsius supra alios constituat unam speciem superbiæ, exinde tamen minimè emergit consequentia, nullam aliam superbiæ speciem superesse, quarum tamen 4. refert D. Thomas in 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 4. nihil ibi memorando de prædicto affectu prælationis. Fingamus hypothesin, quòd Adamo, ante ullum alium hominem conditum, fuisset præscripta certa regula, & taxata mensura, ut in primo instanti perfectæ libertatis se referat in finem ultimum supernat. ipse tamen illam relationem non curâsset; an non quà contemptor DEI peccatum superbiæ incurrisset? Et tamen nemini alteri se prætulisset.

514. Oppon. quintò. Secundùm D. Anselmum Diabolus in primo suo peccato *id appetiit, ad quod pervenisset, si stetisset.* Atqui si stetisset, non pervenisset ad Beatitudinem naturalem, utpote quam à primordio creationis habebat: Ergo objectum primi peccati, quod commisit diabolus, non erat appetitus inordinatus suæ propriæ excellentiæ, sive suæ beatitudinis naturalis. Resp. dist. min. non pervenisset ad Beatitudinem naturalem *materialiter*, & secundùm se consideratam, ac prout illa præscindit à subordinatione ad supernaturalem Beatitudinem, conc. min. si stetisset, non pervenisset ad beatitudinem naturalem sumptam *formaliter* & sub ratione inamissibilis, & ùt subordinatam ad Beatitudinem supernaturalem, sic neg. min. & conseq. sub data distinctione.

515. Oppon. sextò. Angeli rebelles probabiliùs affectârunt æqualitatem cum DEO: Hinc enim illa vox Luciferi in persona Regis Babylonis apud Isai. cap. 14. *Ascendam supra altitudinem nubium; similis ero altissimo:* ad quæ verba Hugo Victor. *tract.* 2. *cap.* 2. *similis,* ait, *voluit esse altissimo non per imitationem, sed per æqualitatem.* Nec obstat, quòd æqualitas illa cum DEO Angelico intellectui apparuerit evidenter impossibilis, electio autem voluntatis circa impossibilia ùt præcognita versari nequeat. Nam contra est, quòd voluntas possit appetitu saltem inefficaci tendere in aliquid impossibile, & conditionatè, si possibile esset: ita sentire videtur ipse Div. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 5. *ad* 1. respondens: *Voluntas completa non est nisi de bono possibili, quod est bonum volenti: sed voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundùm quosdam velleitas* dicitur: quia scilicet *aliquis vellet illud, si esset possibile.* Hinc & illud de Div. Augustino notissimum: *Si ego possem esse DEUS*, exclamabat, *mallem te, quàm me esse DEUM.* Resp. Angelos rebelles non potuisse appetere perfectam æqualitatem seu æquiparantiam cum DEO, sed per quandam similitudinem sibi incompetentem. Loquatur Div. Thomas: verba ejus 1. 2. *quæst.* 63. *art.* 3. *in Corp.* ita sonant: *Appetere esse ùt DEUS per similitudinem dupliciter contingit: uno modo quantum ad id, in quo aliquid natum est DEO assimilari: & sic si quis quantum ad hoc appetat esse similis DEO, non peccat, dummodò similitudinem DEI, debito ordine appetat adipisci, ut scilicet eam à DEO habeat. Si quis autem appeteret secundùm justitiam esse similis DEO quasi propria virtute, & non ex virtute DEI, peccaret. Alio verò modo potest aliquis appetere similis esse DEO, quantum ad hoc, in quo non natus est assimilari: sicut si quis appeteret creare Cœlum, & terram, quod est proprium DEI; in quo appetitu esset peccatum. Et hoc modo diabolus appetiit esse ùt DEUS, non ut ei assimilaretur quantum ad hoc, quod est nulli subesse simpliciter, quia sic suum non esse appeteret: cùm nulla creatura esse possit, nisi per boc, quòd sub DEO esse participat. Sed in hoc appetiit esse similis DEO; quia appetiit ùt finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia DEI: vel si appetiit ùt ultimum finem illam DEI similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex Divino auxilio secundùm DEI dispositionem &c.* Hæc S. Doct. ex quo patet, Angelos rebelles non appetiisse simpliciter æqualitatem cum DEO (hoc enim impossibile esse, evidenter cognoverunt, uti rectè interjectum fuit objectioni propositæ) sed in modo volendi suam beatitudinem naturalem, volendo in ea quiescere, perinde ac si ea esset eorum ultimus finis. In hoc ipso sensu textus Scripturæ & Patrum exponendi sunt, quando de affectu prædicto similitudinem cum DEO expetitæ mentionem faciunt. Cæterùm Sylvius ad *cit. art.* 3. D. Thom. adjungit, in diaboli mente statim post commissum hunc superbiæ affectum talem cæcitatem ortam fuisse, ut crescente superbia, & propriæ excellentiæ opinione, veram absolutámque DEI æqualitatem appetierit: unde & deinceps in eadem illa superbia perseverat, curans, inquit, se ùt DEUM coli ab Idololatris, adeò, ut etiam à Christo Domino similem cultum expetere non erubuerit *Math.* 4. dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quapropter (subdit Sylvius) B. Thomas, negans, diabolum æqualitatem cum DEO appe-

appetiisse, intelligendus est loqui de primo peccati ejus principio. Patres verò id affirmantes loquuntur de peccato ipsius consummato, postquam nimirum illam mentis cæcitatem incurrerat. Hæc Sylvius & plura. Vid. etiam Cajet. ad eund. *art.* 3.

516. Quod præterea interjectum fuit de appetitu inefficaci respectu rei impossibilis, non est ad rem: quis enim credat, vel rationi vel Scripturæ & Patribus congruere, primum Angeli peccatum fuisse appetitum omnino inefficacem, ac simplicem velleitatem? cùm tamen in illo instanti ex Divino præcepto de gravi negotio finis ultimi eligendi actum certatúmque fuerit.

517. Minùs urget instantia de affectu D. Augustini: quando enim ad DEUM dixit: *Mallem te, quàm me esse DEUM*, affectus ille fuit merè conditionatus tam ex parte actûs quàm ex parte objecti: actus enim talis reverà formaliter non existebat, sed sola promptitudo, inclinatio, ac dispositio, quam in suo animo senserat, Augustino suggerebat prudenter judicare, se in talem actum (qua loco suî DEO Deitatem cedere vellet) prorupturum esse, si conditio possibilis foret.

## QUÆSTIO TRIGESIMA.

### *De Effectu Peccati: Utrùm Peccatum Mortale ab intrinseco reatum Pœnæ æternæ inducat?*

518. PRænotandum primò: varios effectus ad perpetrationem peccati (mortalis præcipuè) esse pedissequos, de quibus S. Doct. in 1. 2. *à quæst.* 85. longo ordine differit. In *artic.* 1. quærit, utrùm peccatum diminuat bonum naturæ: & respondet, bonum naturæ ex eo per peccatum diminui, in quantum diminuitur inclinatio naturæ ad virtutem: quod enim facit inclinari ad unum contrarium, minuit inclinationem ad aliud contrarium: unde cùm peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quòd homo peccet, diminuitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem. In *art.* 3. S. Doct. examinat, utrùm convenienter ponantur vulnera naturæ ex peccato consequentia, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia, concupiscentia? Affirmativam ex *corp. artic.* sic enucleatam accipe: Justitia originalis continebat vires inferiores animæ; & ratio erat subjecta DEO. Peccato primi hominis sublata est justitia originalis; & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ debito ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sed quatuor sunt vires seu potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum: Ratio, in qua est prudentia, destituitur suo ordine ad verum; & sic datur vulnus ignorantiæ: voluntas, in qua est justitia, suo ordine ad bonum destituitur, & sic datur vulnus malitiæ: in quantum verò potentia seu appetitus irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, datur vulnus *infirmitatis:* & in quantum concupiscibilis destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, sic datur vulnus concupiscentiæ &c. In *artic.* 5. concludit, quòd mors, aliique corporales defectus sint effectus peccati: siquidem per justitiam originalem non solum inferiores animæ vires continebantur sub ratione absque deordinatione, sed etiam totum corpus sub anima absque omni defectu: Ergo, sicut sublatâ per peccatum justitiâ originali, natura humana vulnerata fuit quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ita etiam corruptibilis effecta est per deordinationem ipsius corporis. Attamen peccatum non erat causa per se dictorum defectuum: cùm non sint intenti à peccante: sed tanquam *removens probibens*, removendo scilicet gratiam justitiæ originalis.

519. Prænotandum secundò: Maculam peccati habitualis, ex actuali, relictam, habere etiam rationem effectûs peccati. S. D. 1. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. in quo autem illa macula consistat, jam decidimus. Similiter & reatus pœnæ, qui ex reatu culpæ subsequitur, rationem effectûs peccati induit, consistítque in passiva obligatione, & subjectione ad pœnam, quam Legislator culpæ præfixit. Culpæ autem mortalis reatui defacto à Vindice DEO reatum & subjectionem ad supplicium æternum præfixam esse, fides ex Scriptura docet: juxta illud: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis ejus.* Errorem contrarium tenuit Origenes & quidam alii Hæretici ab Ecclesia damnatum.

520. Prænotandum tertiò: Reatui culpæ venialis equidem non correspondere reatum pœnæ æternæ, quando veniale in hac vita vel quoad culpam, vel quoad pœnam quoque jam remissum fuit; attamen difficultas restat superanda, an dum veniale, quod in hac vita non fuit remissum, conjunctum est cum culpa mortali, in qua peccator decessit, per accidens saltem puniatur pœnâ æternâ? Hæc erit secunda quæstio: ad primam ponitur

521. Conclusio prima: Peccatum mortale per se, & ex intrinseca sua malitia reatum pœnæ æternæ inducit. D. Thom. hic *q.* 87. *art.* 3. *& seq.* Probatur ergo ex S. Doct. *cit. artic.* 3. *in Corp.* cujus substantia hunc in modum exhibetur: Quodcunque peccatum corrumpens principium ordinis, quo voluntas subditur DEO, subjicit & obligat hominem pœnæ æternæ: nam peccatum inducit reatum pœnæ, prout pervertit aliquem ordinem, qui aliquando pervertitur reparabiliter, cùm non subtrahitur principium sed ponitur impedimentum: aliquando autem irreparabiliter, scilicet quando subtrahitur principium: sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute Divina; si verò, salvô principiô visivô, aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem.

artem. Jam verò principium hujus ordinis est ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem: & ita manente inordinatione, manet peccatum. Atqui per quodlibet peccatum mortale subtrahitur seu corrumpitur illud principium. Ergo per quodlibet peccatum, cùm à DEO avertat, charitatem auferendo, inducitur reatus pœnæ æternæ.

522. Paucis: Quodvis mortale peccatum per se & ab intrinseco tollit gratiam & charitatem: sed in gratia & charitate consistit principium, quo homo ordinatur in ultimum finem; ergo quodvis peccatum de se & ab intrinseco tollit principium, quo homo ordinatur in ultimum finem. Atqui hoc principio subtracto, deordinatio per peccatum inducta nequit reparari, nisi virtute Divina: & manente irreparabiliter deordinatione illa, manet reatus pœnæ: consequenter reatus pœnæ manet irreparabiliter, & in perpetuum.

523. Conclusio secunda: Peccatum veniale quoad culpam in hac vita non remissum & conjunctum cum mortali punitur in inferno pœnâ æternâ per accidens: secus, si in hac vita quoad culpam fuerit remissum.

524. Prima pars Conclusionis prob. primò ex D. Thom. *quæst.* 5. *de Mal. art.* 2. *ad* 8. ubi dicit: *Peccatum veniale in eo, qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æternâ pœnâ punitur, propter gratiæ carentiam.* Et *q.* 7. *de Mal. art.* 10. *in Corp.* ait expresſè: *Veniale per accidens fieri irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratiâ: & sic per accidens punitur pœnâ æternâ.* Prob. secundò ratione. Quamdiu durat condignitas ad pœnam, tamdiu non remittitur pœna: sed si quis cum peccato veniali in hac vita quoad culpam non expiato, & conjuncto cum peccato mortali, decedat, condignitas ad pœnam proveniens ex peccato veniali durat in inferno in æternum: ergo etiam pœna illius in æternum non remittitur. Maj. constat in peccato mortali, cujus pœna ideo durat in æternum, quia reatus culpæ post hanc vitam irremissibilis est. min. ostenditur: condignitas ad pœnam fundatur in permanentia culpæ. Si ergo hæc culpæ permanentia duret in æternum, similiter & condignitas ad pœnam in æternum durabit. Quòd verò permanentia, scilicet habitualis, peccati venialis hic non remissi & expiati duret in æternum, negari nequit: quo enim medio in damnato tolletur macula habitualis ex veniali peccato relicta? Non per condonationem seu remissionem DEI gratuitam; tum quia secundùm legem DEI ordinariam sine formali aut virtuali retractatione nullum remittitur peccatum; tum quia damnati jam sunt in termino, ubi nulla jam superest spes veniæ & gratiæ: neque macula illa habitualis tolli potest per retractionem vel detestationem damnati: partim quòd ejusmodi actus requireret auxilium quoddam supernaturale, quod nulli damnatorum confertur; partim, & præcipuè, quòd damnati fiant obstinati in malo cum perpetuo affectu ad peccata commissa: partim denique, quòd macula peccati venialis habeat oppositionem formaliter cum fervore extensivo charitatis, & ideo per eundem tolli debeat, cùm tamen fervor ille charitatis pro statu damnationis & obstinationis in malo repugnet ipsámque gratiam sanctificantem supponat. Cæterùm notanter diximus, veniale per accidens puniri pœnâ æternâ: non enim duratio æterna pœnæ ei debetur ex condignitate intrinseca, & per se, sed tantùm ratione conjunctionis cum mortali, & ex conditione subjecti, cujus voluntas pro statu termini & damnationis manet obstinata, & per retractationem de malo in bonum, spectatâ lege DEI ordinariâ, verti non potest.

525. Altera pars traditur à D. Tho. in 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. In isto *artic.* quærit S. Doct. utrùm peccata dimissa redeant? Et post prolixam quarundam opinionum refutationem tandem resolvit, quòd aliquid possit dupliciter redire; *vel in se:* & sic peccata dimissa nullo modo redeunt, quantùm ad maculam, & per consequens, nec quantùm ad reatum: vel in *suo effectu:* & hoc modo peccata dimissa redeunt, in quantum ex dimissis peccatis aliquid in sequentibus relinquitur. Ex hoc enim, quòd homo DEUM per peccatum offendat, post remissionem præcedentium peccatorum quandam deformitatem ingratitudinis actus sequentis peccati acquirit; & ideo dicitur communiter, quòd redeant quantum ad ingratitudinem. Deinde ad rationem sibi objectam, quòd in inferno nulla sit redemptio; ideòque, post peccata jam confessa, pœna in hac vita totaliter non remissa nec per satisfactionem plenè abolita, necessariò sit in æternum duratura. Respondet ad quintum, hoc non videri simile (si nimirum peccatum supponatur quoad culpam dimissum) cum casu, quo in vivis non fuisset quoad culpam dimissum: *quia veniale,* ait, *ideo in inferno æternaliter punitur; quia semper manet; cùm non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit: sed pœna* (scilicet dimissâ jam culpâ) *ex hoc ipso, quòd solvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt, quòd pœna, cujus est aliquis debitor, post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter: nec propter hoc sequitur, quòd sit in inferno redemptio: quia pœna, quæ solvitur, non redimitur: nec est inconveniens, quòd quantum ad aliquod accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.* Ubi Card. Gotti *hoc tract. quæst.* 7. *dub.* 4. notat, S. Doctorem prævenisse rationes, quæ in contrarium objici possent. Ostendit enim inprimis, exinde non inferri, quòd in inferno sit aliqua redemptio: siquidem ille à pœna redimitur, qui à pœna vel ex toto, vel ex parte absolvitur; qui verò totam pœnam luit, ac solvit, non redimitur. Deinde, licèt sit inconveniens, pœnam damnatorum minui quoad aliquod essentiale, & in hoc sensu variari: nullum tamen ex eo sequitur inconveniens, quòd pœna accidentalis augeatur vel minuatur; quemadmodum tale augmentum accidentale vel diminutio sine inconvenientia quoad beatos defenditur.

526. Oppon. primò contra primam Conclusionem. Pœna peccato debita consequitur naturam peccati. Cùm igitur omne peccatum mortale ab hominibus committatur in tempore, eóque ùt plurimùm brevissimo, nullum erit, quod exigat ab intrinseco vel producat reatum pœnæ æternæ. Secundò: Gravitas culpæ cujuslibet etiam mortalis est finita tam secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem: ergo etiam pœnam, ne in proportione culpam excedat, finitam esse oportet tam secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem, hoc est, durationem. Tertiò: Peccato mortali de condigno non debetur pœna secundùm quantitatem, vel intensionem infinita. Et hoc ideo verum est, quia malitia conversionis in bonum commutabile est quid finitum; similiter & ipsa aversio opposita rectitudini conversionis, quâ privat: quemadmodùm nec conversio in DEUM consistit in aliquo infinito: quoniam tam actus malus, quàm bonus, per subjectum finitum, & principia finita limitantur. Ergo ex eadem ratione peccato mortali non debetur pœna infinita quoad extensionem & durationem.

527. Ad primum Resp. S. Doct. 1. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. *ad* 1. ex Augustino, in nullo judicio requiri, ut pœna peccato adæquetur secundùm durationem: non enim, *quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentaneâ pœnâ punitur, sed quandóque perpetuo carcere vel exilio, quandóque etiam morte &c.* de cætero verò gravitas pœnæ debet proportionaliter correspondere quantitati seu gravitati peccati, licèt non debeat unum cum altero coæquari quoad durationem. Inde patet

528. Respons. ad secundum. Negatur enim, quòd necessitas proportionis requiratur quantum ad considerationem durationis. Adde ex Div. Thom. *loc. cit.* secundum D. Gregorium justum esse, quòd, qui in suo æterno peccavit contra DEUM, in æterno DEI puniatur. Dicitur autem aliquis in *suo æterno* peccâsse, non solùm secundùm continuationem actûs *in tota hominis vita durantis; sed quia ex hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi.* Unde dicit Gregorius, *quòd iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.* Cæterùm illa voluntas in æternum peccandi est solùm virtualis ac interpretativa, in quantum, ùt eleganter explicat Theol. Salisb. hìc *disp.* 24. *art.* 3. *§.* 2. æternam DEI fruitionem bono creato postponit, & in hoc suum finem ultimum constituit, ponendo inordinationem ab intrinseco irreparabilem, in qua sufficiens fundatur proportio.

529. Ad tertium dico, quòd infinitum secundùm intensionem pœnæ sensûs (de qua loquimur) esset tale simpliciter, actu, & categorematicè: infinitum autem secundùm extensionem durationis solùm esse tale *secundùm quid*, & syncategorematicè: prius autem infinitum in creatis implicat, posterius non item. Deinde, illa infinita duratio oritur non ex infinitate ipsius culpæ, sed ex ejus irremissibilitate & sublatione omnis principii, culpam delendi pro statu damnationis. Adde ex D. Th. *cit. quæst.* 87. *art.* 4. *in C.* peccato ex parte aversionis respondere pœnam infinitam, scilicet pœnam damni, in quantum est privatio seu omissio summi & infiniti boni: ex parte verò inordinatæ conversionis ad bonum finitum & commutabile eidem respondere pœnam sensûs, quæ etiam est finita.

530. Oppon. quartò contra secundam Conclus. DEUS in puniendo attendit demeritum; quin imò solet punire citra condignum, & semper mitiùs procedere. Atqui demeritum in peccato veniali non excedit pœnam temporalem: Ergo nec DEUS puniendo veniale excedit pœnam temporalem. Replicant Salmantic. *h. tr. disp.* 17. *num.* 74. cum Cajetano, peccatum veniale non postulare positivè pœnam temporalem, sed habere se negativè & indifferenter, ut vel ejus pœna sit transitoria, vel perpetuò duret pro qualitate, conditione, seu statu subjecti. Quando igitur subjectum, quod veniale commisit, est in statu gratiæ, & amicitiæ cum DEO, determinatè exigit pœnam temporalem: quia ipsa gratia, peccato veniali coëxistens, postulat, ut veniale aliquando tollatur, ejúsque pœna vel hìc vel in purgatorio finiatur, sicuti postulat, ut suppositum, quod illud commisit, aliquando ad visionem beatificam pertingat. Si verò subjectum ratione peccati mortalis, cui peccatum veniale habituale conjunctum est, exosum sit DEO, *positivè* exigit (per accidens tamen) durationem pœnæ perpetuam: quia à statu subjecti DEO exosi fit irremissibile in sensu composito prædicti statûs; & quamdiu suspensa manet remissio culpæ, tamdiu manet fundamentum pœnæ.

531. Oppon. quintò. Post transactum peccatum veniale nihil videtur remanere de aliqua culpa vel macula habituali, sed sola destinatio ad pœnam: ergo si quis post veniale peccatum nondum expiatum incidat in mortale, ac anima sine pœnitentia in infernum deportetur, ibi nil restat, quàm ut fiat solutio pœnæ: quare nullâ tunc opus est gratiâ ad remissionem culpæ venialis. Resp. primò neg. antec. contra Scotistas sic objicientes: & reproduco propositionem Michaëlis Baii Doctoris Lovanensis (quæ dicebat: *In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte actu nihil manet, nisi reatus, & obligatio ad pœnam*) à Pio V. & Gregorio XIII. proscriptam. Resp. secundò, remanere, post actum peccati venialis in se præteritum, aliquam maculam habitualem consistentem, juxta Thomistas, in privatione fervoris extensivi charitatis, ùt supra *num.* 418. vidimus; eapropter falsò asseritur, nihil de culpa remanere, sed solam obligationem ad pœnam.

532. Oppon. sextò: Probabilius Divóque Thomæ conformius esse, quòd peccatum veniale, in vita quoad culpam jam remissum, quoad pœnam tamen non expiatum, ratione conjunctionis cum mortali etiam pœnâ æternâ puniatur per accidens. Pro quo asser-

asserto stabiliendo Pater Paulus à Concept. *in Compend. Salmantic. b. tr. disp.* 3. *num.* 39. admovet textum ex 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstione* 2. hujus tenoris : *In illis, qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, neque aliquis reatus tolli ; cùm careant charitate, per quàm & culpa purgatur, & reatus tollitur ; & ideo culpa venialis in eis semper manebit ; vel reatus ejus,* NB. *si etiam ante peccatum mortale veniale dimissum fuisset quantum ad culpam, manente reatu.* Et ratio accedit, quòd damnatus semper maneat sub reatu ad pœnam non dimissam in hac vita: Qui enim etiam parum quid debet & debitum non solvit, permanet sub reatu ad solutionem : damnatus autem id, quod ex veniali ratione pœnæ debet, non solvit. Itaque semper manet sub reatu ad pœnam non dimissam in hac vita: consequenter pœna peccato veniali correspondens, quæ de se aliàs foret temporalis, fit in inferno perpetua.

533. Resp. primò, permittendo suam adductæ sententiæ probabilitatem, maximè ob textum allegatum ex D. Thoma. Oportet tamen textus textibus concordare & conciliare, simúlque advertere, à S. Doct. ibi subdi sequentia verba : *& propter hoc æternaliter damnati de illis venialibus punientur :* ubi adverbium *æternaliter* appellat supra damnatos, non verò supra tò *punientur*, quasi, dimissâ culpâ præviè in hac vita, punitio sit duratura æternaliter sed temporaliter, id est, venialium usque ad *satis passionem* finitam : quamvis non ampliùs tolli possit per satisfactionem : Nec dicas, nomine damnatorum aliunde jam intelligi æternùm damnatos, ac propterea, ne semel expressè, & semel implicitè ponatur, trahendum sit ad tò *punientur.* Nam D. Thomas volebat exprimere æternum damnatos in inferno, ad distinctionem à damnatis temporaliter in purgatorio, attento, quòd in *cit. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *quæstiunc.* Respondeat, quòd etiam in purgatorio sit duplex pœna : *una damni, in quantum scilicet* (fideles purgantes) *retardantur à Divina visione : alia sensûs, secundùm quod ab igne corporeo punientur &c.*

534. Resp. secundò. Semel admisso, quòd pro culpa veniali hìc jam remissa, adhuc restaret in inferno pœna æterna subeunda, sequeretur, etiam pro peccatis mortalibus, alicui in vita quoad culpam & pœnam æternam non autem quoad temporalem, jam dimissis, sustineri debere pœnam æternam, qui cum novo peccato mortali decederet: hoc autem defendi nequit sine maximo absurdo connexo, illo nempe, quòd reatus pœnæ æternæ jam remissæ iterum rediret. Ad rationem oppositam concedo, damnatum pœnam temporalem non posse exsolvere in inferno per viam *satisfactionis*, utpote quæ deberet procedere à persona grata, & justa, & pro hac vita solùm concessa est, posse autem per viam *satispassionis*, quæ, cur in inferno pro pœna de se temporali locum habere nequeat, onus probandi negantibus incumbit.

Resp. tertiò transmittendo, quòd D. Thomas in *cit.* 4. *sent. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. ut probabile censuerit, pœnam peccati venialis, etiam in hac vita quoad culpam remissi, in inferno æternaliter durare ; attamen contrariam opinionem, re accuratiùs examinatâ, posteà ut probabiliorem tenuisse in 4. *sent. dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5.

535. Dubium restat primò : an & qua ratione peccatum veniale in hac vita per pœnitentiam non retractatum, si aliquis subitò moriatur in statu gratiæ, in purgatorio quoad culpam remittatur ? Resp. primò S. Th. *de Malo quæst.* 7. *art.* 11. *in C.* non esse probabile, quòd is, qui cum usu rationis decedit, & in charitate existit, dum mortem sibi imminere cognoscit, non moveatur motu charitatis & in DEUM, & contra omnia peccata, quæ fecit, etiam venialia. Et hoc sufficere, ait, *ad remissionem venialium quantum ad culpam, & fortassis etiam, quantum ad pœnam, si sit intensa dilectio.*

536. Resp. ulteriùs secundò, quòd ei, qui in gratia existens, actuale propositum peccandi venialiter habet, vel actu venialiter peccat, si morte subitò præveniatur, peccatum veniale quoad culpam eodem modo, quo in vita, etiam post mortem in purgatorio remittatur, videlicet per actum charitatis in DEUM, repugnantem venialibus in hac vita commissis : Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus (in subita morte præventis) tollit in eis quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutinem, vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.

537. Et ut ostendat, qua ratione tunc remittatur veniale quoad pœnam, S. D. ad nonum respondet, quòd remissio venialis peccati in purgatorio quantùm ad pœnam sit ex parte purgatorii : quia homo patiendo exsolvit, *quod debet ; & ita cessat reatus*, scilicet per satispassionem: Sed quantùm ad culpam non remittitur per pœnam, neque secundùm quod actu sustinetur : quia non est meritoria : neque secundùm quod recogitatur. Non enim esset motus charitatis, quòd aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam ; magis esset motus timoris servilis, vel naturalis &c.

538. Dubium restat secundò : An detur aliquod peccatum ab intrinseco irremissibile. Resp. negativè. S. D. *de Mal. q.* 3. *art.* 15. Patet ex pluribus Scripturæ locis : ùt *Ezech.* 18. *in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs. Joan.* 20. Christus dixit ad Apostolos : *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Definitur etiam in Concilio Lateranensi *cap. firmiter de SS. Trin. & fid. Cath. Si post Baptismi susceptionem quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.*

539. Inter nonnullos textus Scripturæ in speciem contrarios non minimus est ille *Math.* 12. & *Marci* 3. apud quos Evangelistas Christus Dominus Judæis dixit, *Blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ad hoc notandum est, quòd pecca-

peccatum in Spiritum Sanctum, quid sit, diversimodè à Patribus, ipsóque S. Doctore exponatur. Si expositionem Div. Hieronymi, & Chrysostomi sequamur, peccatum in Spiritum Sanctum dicitur, cùm aliquis Spiritum Sanctum blasphemat: sive Spiritus Sanctus accipiatur essentialiter, prout tota Trinitas potest dici etiam Spiritus Sanctus: sive accipiatur *personaliter, secundùm quod est tertia in Trinitate persona.* Et hoc satis consonare litteræ Evangelii, ait D. Th. *cit. quæst.* 3. *art.* 14. *in Corpore:* eò quòd Pharisæi dicerent, Christum in Beelzebub ejicere dæmonia, & Divinitatem Christi, & Spiritum Sanctum, per quem Christus operabatur, blasphemarent, attribuentes Principi dæmoniorum, quod Christus virtute suæ Divinitatis, aut per Spiritum Sanctum operabatur &c. Porrò Christus non dixit, hoc peccatum esse irremissibile, quasi ejus remissio sit vel absolutè vel ab intrinseco impossibilis; cùm infinita DEI misericordia possit plura peccata dimittere, quàm homo committere: sed innuere volebat solùm, quàm difficulter remittatur propter nimis gravem ejusdem malitiam; atque eam ob causam, quòd peccans in Spiritum Sanctum abjiciat adminicula remissionis peccati (in quantum contemnit Spiritum Sanctum & dona ejus, quibus fit remissio in Ecclesia) & sic relinquatur in finali impœnitentia, & ipsi denegentur gratiæ efficaces, quas sprevit. Loquendo verò de Judæis, qui in blasphemiis evomendis obstinaces perseverabant, ipsi passuri erant pœnam in hoc sæculo per Romanos in miserabili obsidione Urbis Jerusalem, & in futuro sæculo in damnatione inferni: S. D. *de Mal. cit. quæst.* 3. *art.* 15. *in C.* & in Resp. ad primum in præcedente *art.* 14. Nullum itaque peccatum irremissibile est, si consideretur virtus Divinæ gratiæ tanquàm activum principium, & status liberi arbitrii nondum confirmati in malo, sicut principium materiale. Unde meritò Catholicis damnatur illud Caini *Gen.* 4. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Quò facit etiam dictum Div. Hieronymi *in Epist. ad Ocearium: Frustra mortuus est Christus, si aliquos vivificare non potest. Mentitur Joannes Baptista, & digito Christum & voce demonstrans: Ecce Agnus DEI, ecce, qui tollit peccata Mundi, si sint adhuc in sæculo, quorum peccata non tulerit.* An porrò peccatum in ratione offensæ sit intrinsecè & simpliciter infinitum, vel solùm extrinsecè & secundùm quid, controversia in *Tract. de Incarnat.* agitari solet, ubi nos pro infinitate solùm extrinseca stamus.

## NONNULLA QUÆSITA.

### *Ex Divo Thoma circa pœnam Damnatorum.*

540. QUæsitum primum. Utrùm damnati in inferno solâ pœnâ ignis affligantur? Resp. in *Suppl.* 3. *part. qu.* 97. *art.* 1. quòd sicut per multa & varia damnati peccârunt, ita conveniens sit, ut multipliciter, & ex multis affligantur. Cui consonat illud in *Psal.* 10. *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et secundùm S. Basilium, in ultima Mundi purgatione, quidquid in elementis erit purum, & nobile, remanebit superiùs ad gloriam & gaudium Beatorum: quidquid verò erit ignobile & fœculentum, in infernum projicietur, ut damnatis tormentum ex omnibus creaturis accrescat, utpote contra quos pugnabit orbis terræ tanquàm contra insensatos.

541. Secundum, Utrùm vermis damnatorum sit corporalis? Resp. S. D. ibidem *art.* 2. Cùm post diem judicii nullum corpus mixtum remansurum sit, præter corpus hominis, nec post tempus illud sit futura generatio & corruptio, ideo vermis, qui damnatis assignatur, non erit materialis seu corporalis: sed spiritualis, id est, conscientiæ remorsus. Dicitur autem vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo.

542. Tertium. Utrùm fletus damnatorum futurus sit corporalis? Resp. D. Thom. *cit. quæst.* 97. *art.* 3. ratione resolutionis lachrymarum fletum non fore in damnatis; bene verò ratione commotionis & turbationis tum capitis tum oculorum fletum posse corporalem esse. Ratio primi est, quòd deberet dari aliqua generatio illius humoris, qui per lachrymas distillaret: post diem autem judicii, quiescente tunc motu primi mobilis, cesset generatio & corruptio. Ratio secundi est, quòd corpora damnatorum afflictionem sint passura non solùm ab exteriori, verùm etiam ab interiori, secundùm quòd corpus immutatur ad passionem animæ, in bonum vel in malum.

543. Quartum. Utrùm damnati sint in tenebris corporalibus? Resp. D. Th. ibid. *art.* 4. hunc in modum: ut dispositio inferni miseriæ damnatorum conveniat, erunt in eo tenebræ corporales, cum quadam tamen luce, ut videant damnati ea, quæ animam torquere possunt. Huc pertinet illud *Math.* 22. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Super quod Gregorius dicit: si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur.

544. Subdit D. Th. *art. seq.* ignem infernalem quoque corporeum esse: cùm corpori non possit adaptari pœna, nisi corporea: maximè quòd dicatur, reprobos post resurrectionem in illum detrudendos esse. Et sicut corpora damnatorum ejusdem speciei erunt, cujus modò sunt, ita & ignis, quo damnati torquentur in inferno, ejusdem est speciei cum nostro igne; licet infernalis quasdam diversas proprietates habeat. S. D. *art.* 6. *ibid.* In qua autem materia ille ignis sit,

fit, nobis est incognitum. Quòd verò non luceat, haud probat, esse diversæ speciei: quia nec ignis, qui apud nos est, lucet, quando in materia opaca existit; ubi repeto ex ejusdem S. Doctoris *artic* 4. rationem, cur ignis infernalis non luceat, rejicientis in ipsum loci infernalis situm: cùm enim probabiliùs in terræ medio sit conditus, ibi non potest esse alius ignis, nisi fœculentus, & turbidus, & quasi fumosus. *Quidam autem* (subdit S. Doct.) *tenebrarum illarum causam assignant ex commassatione corporum damnatorum, quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni; quòd ibi nihil de aëre manebit: & sic non erit ibi aliquid de diaphano, quod possit esse subjectum lucis, & tenebræ, nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati.*

545. Quintum. Utrùm omnis voluntas damnatorum sit mala? Resp. conformiter D. Thomæ in *Suppl.* 3. *part. quæst.* 98. *art.* 1. Voluntatem deliberativam in damnatis nunquam esse bonam: quia damnati homines erunt obstinati, sicut dæmones. Deinde: sicut se habet voluntas Beatorum ad bonum, ita voluntas damnatorum se habet ad malum. Sed Beati nunquam habent voluntatem malam: ergò nec damnati bonam. Item: nulla voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad ultimum finem. Ad damnati sunt perfectè aversi à fine ultimo: ergo nequeunt bonam voluntatem habere. Dixi: *voluntas deliberativa:* hæc enim, ait D. Thomas, est *ex seipsis* (scilicet ab ipsis damnatis) *secundùm quod in potestate eorum est, inclinari per affectum in hoc vel illud: & talis voluntas in eis est solùm mala; & hoc ideo, quia sunt perfectè aversi à fine ultimo rectæ voluntatis; nec aliqua voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem prædictum:* De cætero, voluntas considerata ùt facultas *naturalis*, non est in damnatis tanquàm *ex ipsis, sed ex auctore naturæ, qui in natura hanc inclinationem posuit, quæ naturalis voluntas dicitur: unde cùm natura in eis remaneat, secundùm hoc bona poterit in eis esse voluntas naturalis.* S. D. ibid.

546. At obstare videtur D. Dionys. *cap.* 4. *de Divin. Nominib.* asserens, quòd dæmones bonum & optimum concupiscant, scilicet esse, vivere, & intelligere. Pariter igitur & homines damnati: cùm non sint pejoris conditionis, quàm Dæmones. Resp. D. Th. *cit. art.* 1. *ad* 1. Dionysium explicando de voluntate considerata ùt *naturali*, quæ est inclinatio naturæ *in aliquod bonum: sed tamen ista naturalis inclinatio per eorum malitiam corrumpitur* (nimirum quòad voluntatem deliberativam) *in quantum hoc bonum, quod naturaliter desiderant, sub quibusdam malis circumstantiis appetunt.* Nec inde voluntas damnatorum potest dici bona, quòd malum sub aliqua ratione boni æstimatâ appetant: nam & hæc ipsa boni æstimatio seu existimatio ab eorum malitia procedit.

547. Sextum. Utrùm damnati pœniteant de malo, quod fecerunt? Hanc quæstionem S. D. proponit in *cit. quæst.* 98. *art.* 2. Dupliciter aliquem pœnitere posse de peccato: vel per se, dum peccatum abominatur, ùt peccatum est: vel per accidens, ratione alicujus adjuncti, scilicet pœnæ, vel incommodi. Jam concluditur: cùm damnati nunquam iniquitatem ipsam sint odio habituri (quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet) sed solummodò pœnam affligentem eos refugiant, non *per se*, sed *per accidens* tantùm, id est, ratione pœnæ adjunctæ, de iniquitate commissa pœnitent. Hac distinctione argumentis quibusdam in contrarium militantibus occurri potest.

548. Eadem adminiculante resolvitur illud dubium: an damnati recta & deliberata voluntate vellent non esse? Concludit enim S. D. *cit. loc. art.* 3. Non vellent damnati non esse, in quantum non esse consideratur secundùm se (quia hoc non est appetibile; cùm non habeat rationem boni, sed sit boni pura privatio) in quantum verò non esse est ablativum pœnalis vitæ aut alicujus miseriæ, sic non esse potest desiderari à damnatis. Sic enim non esse accipit rationem boni: nam carere malô est quoddam bonum, ùt dicit Philosophus in 5. *Eth. c.* 1. Itaque per hunc modum melius est damnatis non esse, quàm miseros esse. Unde *Math.* 26. Christus de Juda proditore dicit: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

549. Septimum. Utrùm damnati in inferno vellent alios esse damnatos, qui non sunt damnati? Resp. ex D. Th. *loc. cit. art.* 5. quòd damnati in inferno vellent omnes bonos esse damnatos. Primò enim Glossa super illud *Isaiæ* 14. (*Surrexerunt de soliis*) dicit, solatium esse malorum multos socios habere pœnarum. Secundò: In damnatis maximè regnat invidia: ergo dolent de felicitate bonorum, eorúmque damnationem appetunt. Hinc D. Thom. concludit: sicut Beati propter perfectam charitatem gaudent de bono omnium: ita damnati propter consummatum odium gaudent de malis, & dolent de bono: & sic vellent omnes bonos secum esse damnatos.

550. Non obstat, quòd *Luc.* 16. dives epulo in inferno oraverit pro fratribus suis, ne venirent in locum tormentorum. Nam, ùt S. Doct. reponit, dives ille fratres suos à damnatione eripi postulabat, quia eum non latebat, alios non propinquos tormenta illa effugere. Cúmque damnati minùs invideant suis propinquis, quàm aliis extraneis, ideóque major illorum foret pœna, si omnes propinqui damnarentur, & alii non propinqui salvarentur, quàm si aliqui de suis propinquis salvarentur; ideo dives epulo potiùs obtabat, ut fratres sui à damnatione eriperentur, quàm alii, & non ipsi: maluisset tamen, simpliciter loquendo, fratres suos cum aliis omnibus in idem stygium chaos præcipitatos videre.

551. Insistes: Damnati non appetunt suæ pœnæ augmentum. Atqui eorum pœna ex plurium damnatione augetur, non minùs ac gaudium Beatorum ex plurium salvatione: igitur non appetunt, ut plures damnentur. Resp. ex eod. S. Doct. quòd licet ex damnatorum multitudine pœna singulo-

rum augeatur, tamen ex prævalente odio, & invidia magis eligant torqueri cum multis, quàm esse soli.

552. Octavum. Utrùm damnati DEUM odio habeant? Resp. quòd damnati DEUM odiô persequantur, in quantum ipsum apprehendunt secundùm suos effectus, id est, secundùm pœnas, quibûs ab ipso affliguntur. Ex hac apprehensione appetitus naturalis voluntatis, qui de se aliàs fertur in bonum diligibile, in damnatis pervertitur per id, quod additur ex deliberata voluntate. Vid. S. D. *cit. quæst.* 98. *artic.* 5. qui *art. seq.* subjiciens hanc Conclusionem: *Cùm meritum & demeritum ordinentur ad aliquod bonum vel malum consequendum, neque* boni (scilicet post diem judicii, dum erunt in termino & sic in consummatione bonorum & malorum positi) *merebuntur, quia bona voluntas in eis non erit meritum sed præmium; neque mali demerebuntur, quia eorum mala voluntas non erit demeritum, sed pœna tantùm.* In *Corp.* articuli verò subjungit, juxta quosdam, Beatos ante diem judicii mereri, & damnatos demereri. Verùm S. Doct. negat, gloriam Beatorum augeri respectu præmii essentialis, vel demeritum damnatorum respectu pœnæ principalis; cùm, quantum ad hoc, utrique ad terminum pervenerint: concedit autem hoc augmentum procedere respectu *præmii accidentalis, vel pœnæ secundariæ usque ad diem judicii, præcipuè in dæmonibus vel Angelis bonis; quorum officiô aliqui trahuntur ad salutem, ex quo beatorum Angelorum gaudium crescit; vel damnationem, ex quo crescit pœna dæmonum.*

553. Nonum. Utrùm damnati possint uti notitiâ, quam in hoc Mundo habuerunt? Resp. secundùm D. Thom. *cit.* 98. *art.* 7. damnatos posse uti notitiâ, quam in hoc Mundo habuerunt, in quantum actualis consideratio eorum, quæ priùs sciverunt, est materia tristitiæ, non autem ùt delectationis causâ. *Considerabunt enim* (ait S. Doct.) *& mala, quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, & bona delectabilia, quæ amiserunt, & ex utroque torquebuntur.* Et similiter *torquebuntur de hoc, quòd considerabunt notitiam, quam de rebus speculativis habuerunt, imperfectam esse, & se amisisse summam ejus perfectionem, quam potuerant adipisci.* Pro hac Responsione affirmativa facit illud *Luc.* 16. ubi diviti dicitur: *Recordare fili, quoniam recepisti bona in vita tua:* & ratio, quòd species intelligibiles in animabus à corpore separatis remaneant. Sed frustra remanerent, si eis uti non possent. Ergo &c.

554. Decimum. Utrùm damnati gloriam Beatorum videant? Resp. Div. Thom. *loc. cit. artic.* 9. damnatos ante diem judicii bonos in gloria sua videre; post illum diem verò hâc Beatorum visione privandos esse. Non tamen gloriam istorum cognoscent, qualis est in se, sed tantùm cognoscent, Beatos esse in gloria quadam inæstimabili: atque ex hoc damnati turbabuntur, tum propter invidiam; tum propterea, quòd ipsi talem gloriam amiserint: Unde dicitur Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Hoc sensu & modo dives epulo in tormentis positus vidit Abraham, & Lazarum in sinu ejus.

555. Cæterùm placuisset & illam difficultatem hîc in Controversiam adducere, qua ratione dœmones, & animæ damnatorum, à corporibus modò separatæ, ab igne corporeo torqueri possint. Verùm oportet jam brevi vela contrahere, & quod hîc non vacat, in proprio Tractatu de Angelis, discutere. Div. Thom. mentem suam variis in locis explicat. Unum ostendo ex 4. *cont. Gent. cap.* 90. ubi sic habet: *Substantiæ incorporeæ patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cujusdam:* aliam ex 4. *dist.* 44. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. ubi dicit: *Quòd ignis corporeus ùt instrumentum Divinæ justitiæ vindicantis detineat spiritum, retardans eum ab executione propriæ voluntatis: ne scilicet possit operari, ubi vult, & secundùm quod vult.*

556. Dubium undecimum restat, quid censendum sit circa parvulos cum solo originali decedentes? Resp. primò. Parvuli cum solo originali peccato decedentes non subibunt pœnam positivam sensûs. S. Doct. 2. *Sent. dist.* 33. *quæst.* 2. *art.* 1. Colligitur ex *cap. majores* 3. *de Bapt.* ubi dicitur: *Pœna originalis peccati est carentia visionis DEI; actualis verò peccati pœna gehennæ perpetuæ cruciatus:* Et ratio est, quòd pœna sensûs correspondeat culpæ propter illicitam delectationem, secundùm illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

557. Resp. secundò: Prædicti parvuli nullo afficiuntur dolore vel tristitia interiori propter pœnam damni, consistentem in privatione visionis beatificæ. S. Doct. *cit. loc. art.* 2. ubi *in Corp.* dicit, neminem affligi, si careat aliquo, quod suam proportionem excedit: sic nullus sapiens ex eo affligitur, quòd non possit volare, sicut avis, vel quia non est Rex vel Imperator; cùm sibi non sit debitum. Jam verò parvuli, etsi non ignorent, se DEUM clarè nunquam esse visuros, cognoscunt tamen simul, quod nec habeant nec habuerint proportionem, jus vel aptitudinem proximam, ad illam claram DEI visionem consequendam: quia (ùt loquitur Div. Thom.) *vita æterna nec eis debebatur ex principiis naturæ, cùm omnem facultatem naturæ excedat: nec actus proprios habere potuerunt, quibûs tantum bonum consequerentur. Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis Divinæ: imò magis gaudebunt de hoc, quòd participabunt multum de Divina bonitate, & perfectionibus naturalibus &c.*

558. Resp. tertiò: Parvuli prænominati probabiliùs nec sunt nec erunt aliquando beati beatitudine naturali. Ratio est, quòd Beatitudo naturalis consistat in amore naturali, & efficaci DEI super omnia, vel saltem in cognitione DEI Authoris naturalis, ex qua ille amor consequitur. Cùm igitur parvuli propter peccatum habituale originale sint aversi à DEO ùt fine supernaturali, hæcque aversio efficax non possit esse,

quin

quin etiam sint aversi à DEO ùt fine naturali, hinc non possunt esse efficaciter in DEUM conversi per naturalem amorem DEI super omnia, adeóque nec beatitudine naturali perfectâ frui, præsertim, quia in limbo, loco illo tenebroso, cum corporibus, in ea quantitate, quam habuissent, si ad ætatem adultam pervenissent, assumptis perpetuò inclusi manebunt, uti verosimilior tenet Sententia. Latè istam materiam versat Eminentiss. Cardin. Gotti in *Tract. de Homine & ejus Statibus quæst.* 10. *dub.* 3. §. 4. & 2. *seqq.* Divus Thomas in *Supplem.* 3. *p. quæst.* 69. *art.* 6. quærit: utrùm limbus puerorum sit idem, quod limbus Patrum? Et Resp. quòd limbus Patrum & limbus puerorum absque dubio differant, secundùm qualitatem præmii vel pœnæ. Pueris enim non adest spes beatæ vitæ, quæ Patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei, & gratiæ refulgebat. Sed quantum ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse, nisi quòd requies Patrum adhuc erat in superiori loco, quàm limbus puerorum, sicut S. Doct. in 2. articulis præcedentibus dixerat.

559. Primò enim S. Doct. dubium proponit: *Utrùm limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ:* Resolvit verò hoc dubium sub distinctione sequenti: *Quia Sanctorum animæ ante Christi adventum habebant quietem per immunitatem pœnæ, limbus sinus Abrahæ dicitur;* (ideo autem requies illa sinus Abrahæ vocatur secundùm Augustinum super *Genes.* ad literam, quia animæ post mortem ad quietem pervenire nequeunt nisi merito fidei; cùm accedentem ad DEUM oporteat credere: primum autem exemplum credendi hominibus in Abraham datur, qui primus se à cœtu infidelium segregavit, & speciale signum fidei accepit) sed quantum ad id, quòd sanctis deerat requies desiderii, dicitur infernus: neque enim Patres ante Christi adventum habuerunt quietem desiderii per consecutionem finis; bene verò post adventum Christi ejúsque ascensionem per fruitionem Divinæ visionis plenam quietem consecuti sunt. Limbus ergo (subdit S. Doct.) inferni, & sinus Abrahæ ante Christi adventum fuerunt unum per accidens, & non per se: & ideo nihil prohibet, post Christi adventum esse sinum Abrahæ, & esse omnino diversum à limbo: quia ea, quæ sunt unum per accidens, separari contingit.

560. Secundò S. Doct. resolvit: *Limbus quantum ad qualitatem loci diversus est ab inferno damnatorum; sed quantum ad situm loci sunt loca continua, nisi quòd limbus Patrum pars superior inferni esse videatur.*

## QUÆSTIO ULTIMA.

### *An, & quomodo Purgatorium contra Heterodoxos probari valeat?*

561. PUrgatorii nomine intelligitur locus quidam, in quo tanquam in carcere, animæ, in hac vita non plenè purgatæ, ante introitum in Regnum Cœlorum purgari, debent. Teste Epiphanio *hæresi* 75. & Augustino *hæresi* 53. Aërius negavit, pro defunctis orandum esse: jam ergo contra Catholicæ Ecclesiæ sensum supposuit, post hanc vitam neminem egere precibus, aut ullis juvari posse. Post Waldenses, & Albigenses, Wiclefistas, & Hussitas heterodoxos Lutherus, omnésque ejus posteri, in varias licèt divisi sint sectas, in tollendo tamen Purgatorio conveniunt. Ille primitùs in *Disputatione Lipsica* dicebat: *Ego, qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in scripturis de eo fieri mentionem.* Deinde (teste Card. Bellarmino *Tomo* 2. *tertia Controvers. lib.* 1. *de Purgator. cap.* 2.) Purgatorium admisit quidem, sed multis admistis erroribus: quorum primus erat, Purgatorium non posse probari ex Scripturis: Secundus, animas in Purgatorio non esse certas de consequenda salute: tertius, animas in Purgatorio posse mereri & demereri: quartus, animas ibi sine intermissione peccare, dum pœnas horrent, & requiem quærunt: quintus, animas, quæ liberantur per Suffragia Ecclesiæ, minùs beari, quàm si per se satisfecissent. Isti quinque, iterum testificante eodem Cardinale, habentur inter articulos damnatos à Leone in fine. Tandem Lutherus simpliciter Purgatorium sustulit, sicuti & Suffragia pro defunctis, asserendo, nullum esse Purgatorium post hanc vitam; sed solùm in vita & in morte: horror enim & pœna mortis purgat, si quid purgandum superest. Ita docuit in *lib. de abroganda Missa privata,* ibi dicens, melius esse in totum negare Purgatorium, quàm credere B. Gregorio referenti animarum apparitiones, Suffragia petentium. Hoc ultimum (ait Bellarmin. *cit. cap.* 2.) secuti sunt,„ omnes hæretici hujus temporis. Lutherani,„ rigidi, ùt Centuriatores *Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.*„ 4. *col.* 460. Lutherani molles: ùt Philippus,„ in *locis cap. de satisfactione:* & Brentius in *Con-*„ *fessione Wirtemberg. cap. de Purgatorio.* Item„ Zwingliani apud Cochlæum in *actis* Luthe-„ ri Anno 1526. Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 5.„ §. 6. ubi dicit, Purgatorium esse exitiale,„ Satanæ commentum, quod Christi crucem„ evacuat, quod contumeliam non ferendam DEI misericordiæ irrogat, quod fidem nostram labefacit, & evertit &c. Denique Anabaptistæ Trinitarii *lib.* 2. *cap.* 1. ex iis, quæ ediderunt Anno 1567. dicunt, Lutherum jecisse fundamentum reformationis Ecclesiæ, cùm Purgatorium, Missas, & similia sustulit. Fundamentum omnium Lutheranorum est, quia tollunt satisfactionem, & discrimen peccati mortalis à veniali: isto enim fundamento posito, necessariò sequitur, nullum esse Purgatorium. Hìs præmissìs, sit contra heterodoxos

562. Conclusio cum omnibus Orthodoxis: datur, & probari potest Purgatorium quoddam post hanc vitam à multis sustinendum. Prob. primò ex Scriptura. Vir fortissimus Judas (2. *Machab.* 12.) „facta col„latione duodecim millia drachmas argen„ti misit Hierosolymam, offerri per peccatis „mortuorum Sacrificium: bene & religiosè „de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui „ceciderant, resurrecturos speraret, super„fluum videretur & vanum, pro mortuis ora„re. Et quia considerabat, quòd hi, qui cum „pietate dormitionem acceperant, optimam „haberent repositam gratiam. Sancta ergo „& salubris est cogitatio, pro defunctis exo„rare, ut à peccatis solvantur.

563. Quis ex hoc Scripturæ loco primo velut aspectu non concludat, Judam agnovisse locum quemdam tertium, quem nos Purgatorium vocare consuevimus (quamvis in Ecclesia Cathol. non de nomine contendamus, sed præprimis res credenda proponatur) diversum ab inferno damnatorum, cœlo Beatorum, & limbo Patrum? talem, inquam, ubi animæ defunctorum quæ cum pietate dormitionem acceperant, expiantur; oratione, sacrificióque, & aliis suffragiis viventium juvantur: prætereà eam cogitationem, quâ & corde credimus, & opere testatum facimus, suffragia, quæ pro defunctis fiunt, defunctorum spiritibus prodesse, salubrem esse & sanctam? Hinc porrò falsum, impium, ac maximè perniciosum est, præfractè defendere, omnes animas semper expiari in morte, & cum morte omnes peccatorum reliquias: parentandi consuetudinem esse novam: Missas, aliáque pia opera pro defunctis institui non alterius quàm quæstûs causâ: Purgatorium pro Satanæ commento haberi debere &c.

564. Hoc validissimum Scripturæ testimonium Anti-Catholici variis expositionibus enervare adnituntur: imò, ut textum simpliciter exauctorent, librum, è quo profertur, Canonicum esse, negare non verentur. Verùm Cardin. Bellarmin. *cit. loc. cap.* 3. omnes adversas machinas longa responsionum acie excipit, refringítque. Fuerit Liber ille apud Judæos non Canonicus; sufficit, quòd ab Ecclesia Christiana inter Canonicos sit receptus: pro qua receptione stat ex Conciliis Carhaginense III. *Canon.* 47. ex Pontificibus Innocentius I. in *Epist. ad Exuperium cap. ult.* ex Patribus Div. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. DEI, cap.* 36. ibi sic loquens: „Libros Ma„chabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Ca„nonicis habet.

565. Nec ex adverso evincitur, Judam Machabæum jussisse orationes, & sacrificia fieri pro illis interfectis, sub quorum tunicis reperta fuerunt quædam de donariis Idolorum, quæ Machabæi rapuerant contra expressam legis prohibitionem, *Deut.* 7. adeóque oratum & sacrificatum fuisse pro mortuis: Nam peccatum interfectorum aut fuit nullum saltem quoad multos, qui legis prohibitionem inculpabiliter ignorârunt; aut veniale: quia ex donariis illis nihil acceperunt in honorem Idolorum, sed solùm ex ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest: aut si supponatur, plures peccâsse mortaliter, sperari poterat, multos in agone doluisse: alioquin Judas Machabæus non diceretur considerâsse, eos, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam. Suffecisset etiam ad licitam orationum fusionem, statum interfectorum incertum fuisse. Vid. Bellarm. *d. cap.* 3. ubi repulsis contra adductum à nobis textum variis oblocutionibus, alios ex veteri Testamento profert: v. g. ex Tob. 4. *Panem tuum, & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus:* id est: instrue convivium, & voca fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti. Item ex Psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Istum locum, licèt alios possit habere sensus, D. Ambrosius in *Psal.* 36. & *Serm.* in *Psal.* 118. exponens, per aquam intelligit Baptismum, & per ignem Purgatorium: *Hic*, inquit, *per aquam, illic per ignem: per aquam, ut abluantur peccata: per ignem, ut exurantur.*

566. Ex Testamento novo produci meretur, quod Dominus dixit *Math.* 12. omne peccatum, & blasphemia, remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: *qui autem dixerit verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Ad quem locum Petrus Cluniacensis Epist. contra Petrobusianos dicit, Dominum in eo ostendere, *veniam quidem peccatorum in hoc sæculo dignis semper concedi: remissionem tamen pœnarum, quam peccata exigunt, in sæculo futuro aliquando differri.* Sancti quoque PP. inde colligunt, quemdam peccatorum reatum relictum remitti in futuro sæculo per Orationes, & Suffragia Ecclesiæ. De quo videndus est Div. Augustinus *lib.* 21. *de Civ. DEI, cap.* 24. & *lib.* 6. *in Julian. c.* 5. Quod de uno negatur, (inquit D. Gregor. 4. *Dialog. cap.* 39.) consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.

567. Neque regerant Adversarii, ex negatione non sequi affirmationem in bona Dialectica: proinde ex eo, quòd negetur, peccatum in Spiritum Sanctum commissum in futuro sæculo remitti, non rectè concludi, quòd alia remittantur in futuro sæculo. Nam Resp. Bellarm. *loc. cit. cap.* 4. non sequi se-„ cundùm regulas Dialecticorum, id, quod„ inferimus ex verbis Domini; sed tamen„ sequi secundùm regulam prudentiæ; quia„ alioquin faceremus Dominum ineptissimè„ locutum. Ineptè enim diceret: hoc pec-„ catum non remittetur, neque in hoc sæcu-„ lo, neque in futuro, si in futuro nullum re-„ mittitur.„ Sed urget Ochinus: si Christus dixisset: hoc peccatum non remittetur in hoc sæculo, neque in inferno, non colligeretur exinde, aliqua peccata in inferno remitti:

ti: Ergo &c. Resp. idem Bellar. hanc similitudinem non valere: quia Christus non potuit dicere: neque in hoc sæculo, neque in inferno, nisi ineptè loqui voluisset; tum, quia sæculum tempus est, infernus verò locus: proinde non opponuntur, sicut sæculum præsens, & futurum: tum etiam, quia in inferno constat nullam fieri remissionem. Adde, quòd, dum Christus *Joan.* 18. dixerat: *Regnum meum non est de hoc Mundo*, Pilatus rectè intulerit: *Ergo Rex es tu:* & Christus illam affirmationem approbârit, minimè corrigendo Pilatum, quasi ex negatione affirmativum aliquod non bene sequatur.

568. Dices cum Calvino, in *cit. loco Math.* 12. Dominum loqui de remissione culpæ, consequenter non esse allegandum pro remissione pœnæ in Purgatorio. Resp. Bellar. *cit. cap.* 4. inprimis etiam in Purgatorio remitti culpas saltem veniales. Et quomodo hoc fiat, nos ex Doctore Angelico modum adduximus suprà *n.* 531. Prætereà Dominus ibi apud Mathæum non loquitur de sola culpa: sed, interprete laudato Cardinale, hic sensus est: „Peccatum in Spiritum Sanctum „non remittitur in hoc sæculo, nec in futu„ro, neque quantùm ad culpam, neque „quantum ad pœnam; cùm alia peccata vel „remittantur in hoc seculo quoad culpam, „& in altero interdum quoad pœnam, ùt „mortalia; vel, & hic, & ibi quoad cul„pam, & quoad pœnam, ùt venialia. Revolvantur tamen & concilientur scripta à nobis suprà *num.* 533. ubi negavimus, dari peccatum ab intrinseco irremissibile.

569. Probari potest Conclus. secundò ex compluribus Conciliis, ex quibus perspicuè colligitur usus Exequiarum, & Missarum antiquissimus, quæ pro defunctis peragebantur. Tale est Concilium Carthaginense III. *Can.* 29. celebratum in Africa circa annum Domini 417. ubi sequentia continentur: „Placuit, ut Sacramenta Altaris nonnisi à je„junis hominibus celebrentur, excepto uno „die Anniversario, quo Cœna Domini cele„bratur. Nam si aliquorum pomeridiano „tempore defunctorum, sive Episcoporum, „sive cæterorum commemoratio facienda est, „solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, „jam pransi inveniantur. Et in Carthagin. IV. *Can.* 79. approbato in Trullana Synodo decernitur: Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur. Alia refert Petrus Thyræus in *lib. de Spirituum Apparitionibus appendice secunda cap.* 2. Quibus accedunt Concilia totius Ecclesiæ generalia, Lateranense sub Innocentio III. *Can. 66.* Florentinum *Sess. ult. in decreto de Purgatorio*, & Tridentin. *Sess.* 25. omnésque Liturgiæ, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii &c. in quibus omnibus fit Oratio pro defunctis.

Accedunt etiam tot Patrum tum Græcorum tum Latinorum assertiones, ex. gr. Clementis *lib.* 8. *Constitut. cap.* 47. Dionysii *de Ecclef. Hierarch. cap.* 7. *part.* 3. ubi, *accedens*, ait, *deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit; precatur oratio illa Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in luce statuat, & regione vivorum:* Chrysostomi *homil.* 41. in priorem ad Corinthios: *Juvetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis:* Augustini *de cura pro mortuis cap.* 2. ubi, in *Machabæorum*, inquit, *libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Omitto plura testimonia apud citatum Thyræum ibid. *cap.* 3. & Bellarmin. *de Purgat. cap.* 10. in magna copia collecta, & relegenda.

570. Quid verò D. Thomas? Neque ejus volumina quoad hanc doctrinam dogmaticam sterilia sunt. *In Supplem.* 3. *part. quæst.* 69. *art.* 2. quæstionem movet: *Utrùm statim post mortem animæ deducantur ad cœlum, vel ad infernum?* Et concludit: *Sicut corpora levitate sua aut gravitate sursum aut deorsum feruntur, nisi aliquid sit impedimento: sic etiam animæ è carcere corporis liberatæ præmiô perceptô, in cœlum (nisi peccatum primum depurgandum obstiterit) aut pœnâ inflicta in infernum feruntur.* In *artic.* 7. concludit, quinque animarum corporibus exutarum receptacula, secundùm diversos earum status, convenienter enumerari: nimirùm Paradysum, Limbum Patrum, Purgatorium, Infernum, & Limbum puerorum. In *quæst.* 71. S. Doctor quatuordecim articulis agit de suffragiis mortuorum: & in *art.* 1. concludit: *Cùm unusquisque ad præmium obtinendum, ex actu non alieno, sed suo disponatur: non potest opus unius alteri prodesse per viam meriti, ad statum beatitudinis consequendum, sed per viam orationis.* In *art.* 2. sic: cùm charitas nunquam excidat, opera vivorum mortuis prosunt quidem ad pœnæ diminutionem, non autem ad statûs mutationem.

571. Ad interrogationem, *utrùm suffragia per peccatores facta mortuis prosint*, in *artic.* 3. sic concludit: *Suffragia à peccatore facta ex opere quidem operato semper prosunt, ex opere verò operantis, etsi non prosint, quatenus à peccatore fiunt; prosunt tamen, quatenus ipse vel Ecclesiæ personam gerit, vel ùt alterius instrumentum agit.* Et in *art.* 6. respondet: *Pœna Purgatorii est in supplementum satisfactionis, quæ non fuerat plenè in corpore consummata: & ideo, quia (sicuti ex dictis patet) opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus sive mortuus fuerit, non est dubium, quin suffragia per vivos facta, existentibus in Purgatorio prosint.*

572. Ad interrogationem: utrùm suffragia, quæ à vivis pro mortuis fiunt, facientibus prosint, *art.* 4. concludit sic: *Opus suffragii, quod pro mortuis fit, facienti prodest, quantùm attinet ad vitæ æternæ meritum; sed quantùm est expiativum pœnæ, ut fiat satisfactio, nullo modo illi prodest. Nam opus, ùt est expiativum, habet se per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactio-*

*ne attenditur: & hoc modo opus suffragii, quod computatur quasi ejus, pro quo fit, ita absolvit eum à debito pœnæ, quod non absolvit facientem à debito pœnæ propriæ: quia in tali recompensatione consideratur æqualitas justitiæ. Opus illud satisfactorium ita potest adæquari uni reatui, quòd alteri non adæquetur; reatus enim duorum peccatorum majorem satisfactionem requirunt, quàm reatus unius &c.*

573. Ad interrogationem, *utrùm orationes Ecclesiæ, Sacrificium Altaris, & eleemosynæ prosint defunctis?* S. D. in *art.* 9. concludit sic: *Convenienter Augustinus posuit tria præcipua subsidia vivorum pro mortuis: Eucharistiam quidem, & eleemosynam ratione charitatis, quâ mortui viventibus uniuntur: & orationem ratione intentionis directæ in mortuos.*

574. Ad interrogationem, *utrùm Indulgentiæ Ecclesiæ prosint mortuis?* idem S. D. *artic.* 10. *cit. quæst.* 7. concludit sic: *Cùm mortui nihil horum, pro quibus Indulgentiæ dantur, facere possint, simpliciter & directè Indulgentiæ ipsis non prosunt; secundariò verò & indirectè sunt mortuis auxilio, si ea sit forma earum, ut etiam eis prosint.* Qua de re in meo *Tr. de Potestate Clavium in distribuendis ex Thesauro Ecclesiæ Indulgentiis Sect.* 15. permulta examinantur: ubi etiam à *num.* 189. ex Bulla Leonis X. quæ incipit: *Exurge Domine*, adnotatur, Indulgentiam, defunctis quandóque concedi solitam, non continere vel modum *impetrationis*, vel *directæ, veræ, ac judiciariæ absolutionis*; sed *modum suffragii, solutionis*, & *satisfactionis*. Quemadmodùm enim, cùm quis dat eleemosynam, vel jejunat, vel peregrinatur ad loca sancta in suffragium defunctorum, non absolvit defunctos à reatu pœnæ (& multò minùs à reatu culpæ venialis, cujus expunctio & remissio secundùm D. Thomam sine actu contritionis ab anima elicitæ nec in purgatorio perficitur) sed offert DEO satisfactionem illam pro defunctis, ut DEUS illam acceptans eos liberet à debito pœnæ, quàm luituri erant: sic S. Pontifex non absolvit animas defunctorum, sed offert DEO ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum residuo, quantum necesse est ad illas liberandas; & Deus acceptans alienam satisfactionem comunicatam animabus defunctorum, easdem liberat à reatu illo pœnæ. Eod. *tr. de Indulg. Sect.* 16. ex instituto agitur *de Altaribus privilegiatis eorúmque Indulgentiis in suffragium defunctorum concessis*: & *Sect.* 17. *de obligatione celebrandi Missas de Requiem &c.*

575. Ad hæc D. Thomas in *lib.* 4. *sent. dist.* 21. (commentando in Magistrum Petrum Lombardum, ibi dicentem, dari peccata, & peccatorum pœnas post hanc vitam dimittendas) in *quæst.* 1. *art.* 1. peculiari industriâ Purgatorii existentiam vindicat: in *art.* verò 2. indagat, utrùm *lignum, fœnum, & stipula, quæ superædificantur, sint peccata venialia.* Pro cujus intelligentia notandum est, prædicta verba contineri in 1. *Cor.* 3. ubi Apostolus sic loquitur: *Secundùm gratiam DEI, quæ data est mihi, ùt sapiens Architectus fundamentum posui. Alius autem superædificat, unusquisque autem videat, quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus JEsus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale fuerit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Locum istum Apostoli unum ex difficillimis & utilissimis totius Scripturæ esse, judicat Bellarmin. *de Purgator. cap.* 5. subjiciens, quòd ex illo Catholici statuant duo dogmata Ecclesiastica contra hæreticos eorúmque fautores: Purgatorium, & peccata venialia. Et quia memoratus vir locum prædictum, qualiter sit intelligendus, latissimè explicat, ad ipsum lectores cupidos remitto, ac simul cum eodem contra negantes peccata venialia, & omnem pœnam temporalem, in altero sæculo sustinendam, ex

576. Ratione adjutâ per fidem sic insto. Verbum otiosum est peccatum, seu defectus quidam in genere moris: de quo etiam in judicio finali coram DEO rationem reddere debemus. Atqui de se non est peccatum mortale, seu grave, animæ otiosè loquentis inferens mortem æternam, odium DEI perpetuum, & pœnam inferni inextinguibilem: nemo enim sanæ mentis, & veritatis amans, contrarium defendere audebit. Superest ergo, verbum otiosum de se esse peccatum leve, seu veniale: nec aliâ, quàm temporali pœnâ dignum. Pone ergo hominem, qui plura verba otiosa effutiit, subitò & ante eorum detestationem ex hoc in alterum sæculum abripi. Intrabítne ejus anima, sic leviter inquinata, in Regnum Cœlorum? Repugnat Scriptura *Apocal.* 2. Sed nec reatum gehennæ incurrit. Detinebitur ergo in loco tertio, donec macula purgatione quadam eluatur. Pari modo discurremus de iis, qui post reconciliationem à culpis gravibus, absque eo, quòd pro pœna temporali remanente, ullam DEO satisfactionem præstiterint, dehinc migrant in alteram vitam. Cùm enim & adhuc ab ingressu Cœli impediantur, & remissâ jam pœnâ, peccatis gravibus aliàs debitâ, in infernum detrudi nequeant, in locum purgantium abducentur. Si neges, remissâ culpâ, ullum unquam pœnæ temporalis reatum remanere: tibi obstat illud 2. *Reg.* 12. ubi Propheta Davidi jam priùs pœnitenti & contrito indicat: *Dominus quoque stranstulit peccatum tuum, non morièris: Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, Filius, qui natus est tibi, morte morietur.*

577. Possent hæc omnia roborari multiplicibus & satis probatis exemplis, apparitionibúsque spirituum, suffragia pro se postulantium: verùm pagellæ præfixæ ulteriorem excursionem non patiuntur. Pro coronide ex Bellarmin. D. Thomam allegante in 4. *sent. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 3. Subnoto primò, culpas veniales, quæ in hac vita non fuerunt deletæ, in Purgatorio probabiliter per actum dilectionis & patientiæ dimitti: illa enim acceptatio pœnæ à DEO inflictæ cùm ex charitate prodeat, dici potest virtualis quædam pœnitentia; & licèt non sit propriè meritoria, quia

non

non meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen est remissoria peccati. Revid. *n.* 531.

578. Subnoto secundò, animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute: cujus contrarium tenet Lutherus *art.* 38. & quidam Catholici, existimantes, unam ex maximis Purgatorii pœnis esse, quòd aliquæ incertæ sint suæ salutis, & quasdam aliâ pœnâ non mulctari, quàm ignorantiâ, an sint aliquando salvandæ. Contra quam opinionem pugnat inprimis, quòd omnes statim à morte sua judicium particulare subeant, ac sententiam vel damnationis ad gehennam, vel salvationis ad vitam æternam, saltem post sublata impedimenta adhuc retardantia consequendam, percipiant: juxta illud *Eccles.* 11. *Facile est coram DEO in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas.* Deinde quælibet anima corpus reliquit vel constituta in gratia sanctificante: vel in gratiæ privatione; húncque suum statum intelligit: nec enim cognitio animarum, quam habent de suo statu separationis à corpore, pendet ab imaginibus phantasmatum. Si ergo anima constitutam se videat in gratia sanctificante (quâ filii DEI adoptivi nominamur & sumus cum jure ad hæreditatem cœlestem) & inclinatam in DEUM ùt finem suum ultimum supernaturalem, planè de futura sua salute incerta vel suspensa hærere nequit. In inferno blasphematur DEUS: in Purgatorio laudatur: in inferno non est fides infusa, neque ulla spes, aut charitas DEI: in Purgatorio hæc omnia reperiuntur. Itaque anima, quæ cognoscet se sperare in DEO, laudare & diligere DEUM, evidenter judicabit, se modò non esse in inferno damnatorum, nec illuc detrudendam fore post universale judicium. Quòd si anima se cognosceret gratiâ sanctificante privatam, simul videret se in peccato mortali decessisse, à DEO ùt fine ultimo perpetuò aversam, consequenter etiam ad supplicium æternum damnatam esse, aut tandem damnandam fore: imò actu statim damnatis in inferno aggregata existeret. Quæ omnia roborantur ex Canone Missæ: ubi Sacerdos dicit: *Memento Domine famulorum, famularúmqae tuarum, quæ nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis:* posteáque subdit: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur.* Certè dormitio in somno pacis & quietis excludit omnem anxietatem & desperationem circa consecutionem salutis: hinc potiùs colligimus, quòd animæ purgantes in maximis etiam cruciatibus admixtam habeant incredibilem consolationem propter certam spem salutis.

579. Subnoto tertiò, de loco Purgatorii, teste Bellarmino, Scholasticos communiter tenere, quòd sit intra viscera terræ, inferno damnatorum vicinus. Probatur id tum ex illo *Actor* 2. *Solutis doloribus inferni:* quod D. August. *Epist.* 99. de pœnis Purgatorii intelligit: tum ex Missa pro defunctis, in qua Ecclesia orat: *Libera animas defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Dubium restat, an præter locum ordinarium detur aliquis extraordinarius, pertinens tamen ad purgatorium. Narrat Venerab. Beda *lib.* 5. *Hist. cap.* 13. visionem ostensam cuidam animæ, quæ posteà ad corpus rediit, ac anteà præter infernum, Purgatorium, & Cœlum, vidit quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in eóque animas, quæ nihil patiebatur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatificæ. Similes revelationes reperire est apud Dionysium Carthusianum in *Dialogo de Judicio particulari, art* 31. & apud nostrum Ludovicum Blosium in *Monili spirituali cap.* 13. Bellarminus *de Purgat. cap.* 7. censet, existentiam & deputationem talis loci extraordinarii, in quo tamen animæ affligerentur ex dilatione Beatitudinis, non esse impossibilem, quia S. Thomas apud eundem alicubi scribit, quoad illa, quæ de Purgatorio determinata non sunt ab Ecclesia, tandum esse iis, quæ sunt magis conformia dictis, & revelationibus Sanctorum. Prætereà idem Bellarm. movetur auctoritate Joannis de Turrecremata doctissimi atque optimi Cardinalis, qui in prologo Revelationibus S. Brigittæ præmisso, post earum diligentem discussionem, affirmare non dubitavit, S. Brigittæ convenire id, quod dicitur *Judith.* 8. *Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio.* Memorat autem S. Brigitta *lib.* 4. *cap.* 124. animam quamdam in Purgatorio nullam aliam pœnam habuisse, nisi dolorem ex desiderio dilatæ felicitatis.

580. Licèt autem Novatores hujus temporis omnes apparitiones animarum irrideant, & pro Dæmonum illusionibus habeant: attamen sæpè laudato Bellarmino *loc. cit. c.* 8. verissima est sententia D. Augustini *lib. de Cura pro mortuis cap.* 15. *& seq.* ubi nimiæ impudentiæ esse asserit, negare, animas interdum ex suis receptaculis (exceptis pueris in limbo) ad nos redire, DEO jubente, vel permittente. Quòd animæ beatæ de Cœlo in terris quandóque apparuerint, extant exempla satis certa apud Euseb. *lib. 6. histor. c.* 5. apud Augustinum *cit. lib. de Cura pro mortuis:* apud Sulpitium in *vita Martini:* apud Theodoretum *lib.* 5. *hist. c.* 24. apud Gregorium M. *lib.* 3. *Dialog. cap.* 24. & 25. & in Synodo VII. *Act.* 4.

581. Exempla apparitionum ex Purgatorio suppetunt apud eundem Gregorium *lib.* 4. *c.* 40. & 55. Placet unum valdè memorabile ac perutile exemplum referre ex ejusd. *lib.* 2. *Dialog. c.* 23. de duabus Monialibus fœminis, sacra oblatione è purgatorii pœnis per S. P. nostrum Benedictum absolutis. Non longè, inquit B. Gregorius, à Monasterio ejus (Benedicti) quædam Sanctimoniales fœminæ, nobiliori genere exortæ, in loco proprio conversabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ usum præbebat obsequium. Sed sicut solet nonnullis nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, ut minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, necdum prædictæ Sancti-

Sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitûs sui frœno restrinxerant, & eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sermonibus ad iracundiam provocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad DEI hominem (Benedictum) quantásque pateretur verborum contumelias, enarravit. Vir autem DEI hæc de illis audiens, protinus mandavit dicens: *corrigite linguam vestram: quia si non emendaveritis, excommunico vos.* Quam scilicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesia sepultæ. Cúmque in eadem Ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: *Si quis non communicat, det locum:* nutrix earum, quæ pro iis oblationem Domino offerre consueverat, eas de sepulturis suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir DEI illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe communione privare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc servo DEI cum gravi mœrore indicatum est: qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro iis offerri Domino facite, & ulteriùs excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro iis fuisset oblata, & à Diacono juxta morem clamatum est, ut non communicantes de Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia ulteriùs visæ non sunt. Hactenus Gregorius Magnus.

582. Ex qua facti specie non solùm Purgatorium adstruitur, verùm etiam apertè colligitur, justam Ecclesiæ censuram post mortem quoque vim suam retinere, gratiásque & venias Pontificias & cætera ejusmodi ad Purgatorium itidem se extendere.

583. Gravitatem pœnæ ignis Purgatorii expressurus D. Augustinus in *Psal.* 37. *Quamvis*, inquit, *salvi per ignem*, *gravior tamen erit ille ignis*, *quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* Eadem probant revelationes. D. Bonaventura tamen in 4. *dist.* 20. *art.* 1. *q.* 2. apud Bellarm. docet primò, „pœnam damni in „Purgatorio non esse majorem omni pœna, „sive Purgatorii, sive hujus vitæ. Secundò „docet, Purgatorii pœnas esse majores pœ„nis hujus vitæ solùm in hoc sensu, quia ma„xima pœna est major, quàm sit maxima pœ„na hujus vitæ, licèt aliqua pœna Purgato„rii reperiatur minor aliquâ pœnâ hujus vi„tæ. Hæcque expositio Bellarmino placet. Nam licèt (ait) absentia summi Boni ex se generet in amante summam tristitiam; tamen in Purgatorio mitigatur hæc tristitia & levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi, utpotè ex qua incredibile gaudium nascitur: & quò magis propinquat finis illius exilii, tantò magis gaudium crescit. Itaque solùm in inferno pœna damni est summa, quia est annexa desperationi: & de hac loquitur Chrysost. *homil.* 24. *in Math.* cùm mille gehennas dicit nihil esse, si cum privatione Divini conspectûs conferantur.

584. Planè, si afferamus, pœnam damni temporalem, quâ affliguntur animæ in igne Purgatorio, esse gravissimam, etiam Patres in Limbo olim, cùm visione DEI temporali privarentur, pœnam gravissimam sustinuissent, cùm tamen *Luc.* 16. Abraham diviti damnato de Lazaro: *Tu cruciaris, hic consolatur:* & D. Gregorius M. *lib.* 13. *Moral. cap.* 22. asseveret, Patres in Limbo non tormenta ulla sensisse, sed requiem habuisse. Quando autem Patres pœnam Purgatorii supra omnem pœnam hujus sæculi elevant, disertè loquuntur de pœna ignis, eáque omnes pœnas sensûs comprehendunt.

585. Observat prætereà Bellarm. *de Purgat. cap.* 14. ex revelationibus compertum esse, quòd aliquorum pœna in Purgatorio tam sit exigua, ut nihil pati videantur, illi præcipuè, qui in locis amœnis ac lucidis in vestitu albo apparent, de quibus Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 13. Nec ipsi credibile videtur, eum, qui v. g. cum uno solo verbo otioso, sine alio reatu, vitæ hujus periodum absolvit, acerbioribus puniri suppliciis, quàm sint omnes pœnæ præsentis sæculi. His accedit ex sententia probabiliori, pœnas Purgatorii paulatim remitti: scribit enim S. Bernardus in vita S. Malachiæ, huic Sancto, cùm orationi vacaret, suam sororem defunctam ter apparuisse: prima vice in veste nigra, & extra Ecclesiam: secunda vice in veste subfusca, & intra limen Ecclesiæ: tertiò in veste alba, & ad ipsum Altare cum cæteris Sanctis. Ex quo Sanctus Malachias colligebat, sororem suam pœnis paulatim remittentibus ad finem purgationis venisse. De pluribus aliis visionibus exempla adferri possunt. Hinc autem sequitur, non omnem pœnam Purgatorii esse majorem maximâ pœnâ hujus vitæ.

Faxit DEUS Lectoribus hujus Tractatûs, ut cum tam intenso charitatis actu ex hac defectibili vita ad alteram perennem transeant, quo tam omnis culpæ quàm pœnæ reatus deleatur, ut mox claro conspectu nostri objecti Beatifici perfruantur, & DEUM irretorto amoris affectu perennitur glorificent.

# Tractatus XII.

## De Conſcientia.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

De Natura Conſcientiæ: Ejusque Diviſione in rectam, & Erroneam.

### QUÆSTIO I.

*In quo conſiſtat Natura Conſcientiæ?*

### QUÆSTIO II.

*Quid ſit Conſcientia vera, ſeu recta? quid erronea?*

### QUÆSTIO III.

*An ſecundùm Conſcientiam invincibiliter erroneam operari teneamur?*

### QUÆSTIO IV.

*An Conſcientia invincibiliter erronea obliget contra præceptum Superioris?*

### QUÆSTIO V.

*Utrùm operans contra Conſcientiæ dictamen, ſpeciale peccatum committat?*

### QUÆSTIO VI.

*Sitne veniale vel mortale agere contra Conſcientiam, quæ de hoc non diſcernebat?*

### QUÆSTIO VII.

*An, & quomodo poſſit dari invincibilis ignorantia Juris naturalis?*

## DISSERTATIO II.

De Conſcientia dubia.

### QUÆSTIO VIII.

*An cum Conſcientia dubia aliquando agere liceat?*

### QUÆSTIO IX.

*Utrùm in dubio Juris tutior pars eligi debeat?*

### QUÆSTIO X.

*Quid dicendum ſit in dubio facti?*

*De Conſcientia ſcrupuloſa.*

### QUÆSTIO XI.

*Quid ſit Conſcientia ſcrupuloſa: vel ſcrupulus?*

### QUÆSTIO XII.

*An ſtante ſcrupulo, Conſcientia poſſit nihilominùs eſſe certa, vel probabilis?*

QUÆ-

### QUÆSTIO XIII.

*Sitne necessaria scrupuli depositio, ut operatio, vel omissio sit licita ac recta?*

## DISSERTATIO III.

### De Conscientia probabili.

### QUÆSTIO XIV.

*Quid sit Conscientia probabilis?*

### QUÆSTIO XV.

*An ex æquè probabilibus liceat sequi utramlibet sententiam?*

### QUÆSTIO XVI.

*An liceat sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori simulque tutiori?*

### QUÆSTIO XVII.

*An etiam Confessarii in absolutione sacramentali opinionem suam sequi teneantur: An verò pœnitentis opinioni ex motivis rationabilibus aliter sentientis se accommodare possint?*

*Propositiones sexaginta & octo Michaëlis de Molinos, per Decretum Innocentii XI. die 28. Aug. Anno 1687. damnatæ.*

*Adnotatio detestabilis Doctrinæ Talmudicæ.*

# PROLOQUIUM.

POst Tractatus de Actibus humanis, & de Peccatis, etiam illum, qui ex instituto Conscientiæ Statum, dictamina, opinionumque seu sententiarum licitum vel prohibitum usum expendit. Dictamen autem Conscientiæ Actuum humanorum, quales sint aut fuerint, regulam proximam, eamque internam, constituit, quemadmodum Lex, sive immediatè Divina, sive naturalis, aut humana, regulam remotam, atque respectivè externam. D. Thomas de Conscientia tractat brevissimè 1. *par. qu.* 79. *a.* 13. Et in 2. *Sent. Dist.* 24. nec non *Dist.* 39. latiùs verò de *Verit. qu.* 17. ubi etiam aliqua de Synderesi attingit.

# DISSERTATIO PRIMA.

## DE *Natura Conſcientiæ: Ejusque Diviſione in Rectam, & Erroneam.*

VOcabulum, *Conſcientia*, non paucis idem ſonare videtur, ac cordis ſcientia, ſive concludens ſcientia; non quòd Conſcientia univerſim accipiatur pro cognitione ſcientifica; ſed, quòd, ùt loquitur D. Th. in 2. Diſt. 5. qu. 2. art. 4. in C. ſit *cum aliis ſcientia; quia ſcientia univerſalis ad actum particularem applicatur: vel etiam, quia aliquis per eam ſibi conſcius eſt eorum, quæ fecit, vel quæ facere intendit.*

## QUÆSTIO PRIMA.

### *In quo conſiſtat Natura Conſcientiæ?*

1. COnclusio: Conſcientia eſt judicium practicum, ex principiis moralibus Synteresis formaliter aut virtualiter deductum, dictans ſeu concludens, quid hîc & nunc in particulari ſecundùm regulas morum, agendum omittendúmve ſit, aut bene vel malè actum omiſſúmve fuerit. Dicitur, *judicium practicum*, quia, penſatis ac circumſpectis omnibus circumſtantiis, dirigit actiones particulares & individuales intra genus moris, ſeu honeſtatis, ad debitum finem: *ex principiis moralibus Synteresis deductum:* quia non eſt præcisè actus enunciativus, pertinens ad ſecundam mentis operationem; ſed eſt judicium illativum per diſcurſum ſaltem virtualem, ex duabus præmiſſis, quarum una ponitur à ratione noſtra, altera ſuggeritur ex habitu primorum principiorum univerſalium moralium, qui dicitur Synteresis. Quemadmodum enim in *ſpeculativis* inſervit quidam habitus nobis congenitus, id eſt, lumen quoddam naturale, vi cujus innoteſcunt quædam prima principia ſpeculativa, v. g. hæc: *quodlibet eſt, vel non eſt* &c. quem habitum Philoſophi *Intellectum* appellant; ita ſimiliter nobis, quoad *moralia* & practica, inditum manet lumen aliquod naturale per modum habitûs, per quod Auctor naturæ manifeſtat principia ac dictamina practica univerſalia intra genus *Moris*, ſeu *Boni Honeſti* nos dirigentia; qualia ſunt: *bonum eſt faciendum; malum fugiendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* quæ principia ad Synteresin ſpectant, tantæque ſunt claritatis, ut illis debitè apprehenſis nemo ſanæ mentis, & niſi paſſionis vehementiâ abripiatur, diſſentire queat. Exemplum. Perjurio judiciali, vel extrajudiciali poſſes te ſtabilire in fundo v. g. per titulum iniquum acquiſito. Ait enim adverſarius, vel ipſe Judex: ſi juraveris, fundus tibi manebit. Conſultas & deliberas, jurésne, an à perjurio caveas. Conſcientia recta conſtanter ingerit, abſtinendum eſt ab iſto juramento: *perjurium illicitum eſt* &c. Hæc concluſio formaliter aut ſaltem virtualiter elicitur, deducitur aut ſtatuitur dependenter à duabus præmiſſis, quarum prima nempe hæc, *ab omni malo abſtinendum eſt*, à Synteresi ſeu habitu primorum principiorum moralium ſuggeritur; altera, nempe iſta, *hoc juramentum eſt malum*, utpote veritati æternæ & virtuti religionis oppoſitum, à ratione naturali ſubſumitur. Pari modo conſcientia per judicia intellectûs reflexa ſeſe extendit etiam ad actus præteritos, eos vel reprobando, vel approbando: & hinc ſentitur in animo jam tranquillitas jam remorſus conſcientiæ.

2. Cæterùm Laym. *Theol. Mor. Tract. de Conſcient. cap.* 2. *n.* 3. advertit, conſcientiam rectam eſſe actum elicitum à virtute prudentiæ circa particularia; Sicuti econtra conſcientiæ non rectæ dictamen ad habitum imprudentiæ ſpectat: in Synteresi autem contineri principia univerſaliſſima prudentiæ: inter Synteresin verò ac prudentiam particularem mediam eſſe ſcientiam, jurisprudentiam: quippe cujus pronunciata (ait) v. g. *in malis promiſſis fides non eſt ſervanda: omne juramentum ſervari debet, quod ſine diſpendio æternæ ſalutis ſervari poteſt*, comparata ad Synteresin, concluſionum locum obtinent, comparata verò ad particularem prudentiam, ſunt & ipſa moralia quædam axiomata, rectéque vivendi regulæ. Cui aliud notabile ſubjungo ex Sbogar *Theol. Radic. tr.* 37. *cap.* 1. ubi, ne judicii practici ſeu conſcientiæ noſtræ principia practica ex ſola Syteresi derivemus, eruditè exponit, principia practica, ex quibus conſcientia ſuos caſus particulares deducit, eſſe varia: primò textus Sacræ Scripturæ: e. g. quia ex revelatione DEI veraciſſi-

cissimi constat, proximum nos debere diligere, sicut nosmetipsos, conscientia, etsi appetitus sensitivus, & ratio inferior, hominem ob acceptam injuriam ad vindictam incitet, infert, ergo, cùm etiam hic & ille sit meus proximus, eum non odisse, sed amare debeo: Secundò principia naturalia, & moralia prima; de quibus suprà: Tertiò principia & præcepta Ecclesiæ: dum enim recogitas, die sacro Missam ex præcepto Ecclesiæ audiendam esse, Conscientia infert, ergo hodierno die festivo e. g. S. Petri debes audire Missam: Quartò: huc quoque pertinent principia experimentalia: e. g. scit aliquis, se in certa domo, propter occasionem proximam, frequenter in peccatum lapsum esse; Conscientia ei dictabit, locum illum hic & nunc non esse accedendum: item quintò, ea, quæ habentur ex auditu alieno, seu ex fide viri gravis: v. g. audivisti à tali, viam, per quam proficisci intenderas, esse à latronibus obsessam; Conscientia mox judicabit; ergo per viam illam non proficiscaris &c. Contra Conclusionem nostram

3. Argui posset primò: Conscientia, si foret actus judicii practici, spectaret intrinsecè ad animam nostram: at hoc dici nequit: quod enim judicat de omnibus actibus animæ nostræ, debet esse aliquid superius animâ; cùm se habeat per modum corrigentis & gubernantis: atqui conscientia judicat de omnibus actibus animæ nostræ; ergo est quid superius animâ: Subsumes: quod est quid superius animâ dicto modo, non potest ùt actus judicii practici intrinsecè spectare ad animam. Ergo &c.

4. Secundò. Si conscientia consistit in actu practico intellectûs, ex illius rectitudine haud dubiè perficietur intellectûs: sed exinde sequitur non leve absurdum, scilicet hoc, quòd illi, qui habent judicium perfectius de agendis, hoc ipso haberent perfectionem & meliorem conscientiam: quod sanè falsum esse, testatur experientia: quot enim in Moralibus Doctores reperire est, qui vitæ conscientiæque longè deterioris sunt, quàm homines simplices, & obtusi intellectûs.

5. Tertiò. Proprietates bonitatis & malitiæ conveniunt actibus voluntatis, non item actibus purè intellectivis, utpote quibus convenit proprietas *veri* vel *falsi*. Atqui de conscientia dicitur, quòd sit bona vel mala. Actus igitur conscientiæ debet esse non tam intellectualis, quàm potiùs actus voluntatis.

6. Resp. ad primum, Neg. min. ad cujus probat. iterum Neg. Maj. quâ negatâ, corruit etiam subsumptum. Et, ne æquivocis terminis seducamur, notandum est, actiones esse *suppositorum*, & supposita denominari *agere*: dum ergo dicitur, à conscientia omnes actiones hominum judicari, hæc denominatio homini toti ùt supposito convenit, animæ ùt principio radicali, & remoto; intellectui verò ùt potentiæ proximæ; ac demum ipsi operationi intellectûs practici, ùt actualitati productæ seu actui elicito: Atque hoc judicium de omnibus actionibus, etiam præteritis, tantò faciliùs ab anima vel natura intellectuali formari potest, quantò certius est, eam ex connaturali virtute supra omnes actus suos reflectere posse.

7. Ad secundum, Neg. sequelam absurdi: vel dist. gratis: Sequeretur, quòd illi, qui habent judicium perfectius de agendis, hoc ipso haberent perfectionem & meliorem conscientiam, si dictamini conscientiæ practico semper etiam adjungeretur operationis executio, concedo: Si non semper adjungatur, tunc nego sequelam objectam. Viri docti in moralibus, cùm, stante judicio practico rectæ conscientiæ, adhuc servent libertatem ad oppositum, propter bonum aliquod temporale, sensibile, vel delectabile, non rarò à recta conscientia, & motivis altioribus deflectunt: vel executionem operis illius honesti suspendunt; quod mirum non videbitur, si perpendatur, etiam stante dictamine rectæ conscientiæ, pro operis executione opus esse intellectûs imperiò practico, ad hoc, ut objectum vel opus propositum actualiter per voluntatem eligatur.

8. Ad tertium Resp. conscientiam dici bonam vel malam ratione objecti boni vel mali, *directivè* scil. & *extrinsecè*, in quantum per propositionem honestatis vel inhonestatis regulat actus voluntatis, qui boni vel mali fiunt *moraliter, intrinsecè* & *subjectivè*. Tali modo etiam consilium, quamvis sit actus intellectûs practici, bonum vel malum dicitur, & ipse intellectus bonus omnibus facientibus eum Ps. 110.

Divisio communior, quamvis minùs accurata, conscientiam distinguit in rectam seu veram; & in erroneam, seu falsam; in dubiam; opinativam, & scrupulosam.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *Quid sit conscientia vera, seu recta? quid erronea?*

9. CONclusio. Conscientia vera & recta est, quæ ex practicis principiis secundùm omnes circumstantias rectè applicatis, colligitur de agendo vel non agendo. Ita Laym. hìc *cap.* 3. n. 1. Falsa verò seu erronea conscientia est, quæ ex falso seu erroneo principio *practico* formatur. Idem ibid. ubi operosè advertendum est, veritatem judicii illativi, seu conscientiæ quandoque esse perfectam tam speculativè quàm practicè; quandoque verò in speculativa conformitate ad objectum (quando scil. istud se aliter habet à parte rei, quàm à judicio enunciatur) judicium illud à veritate deficere, *practicè* tamen consideratum, verum & rectum esse, adeoque & actum humanum à tali

tali judicio regulatum suam rectitudinem accipere posse. Exemplum afferri solet ex *Gen. cap.* 29. ubi Patriarcha Jacob dormivit cum Lia, quæ ipsi ignoranti locò Rachelis, veræ suæ uxoris, fuit substituta; quo casu ei conscientia sua dictabat: *Ex lege divina licet mihi cum hac persona dormire, eamque carnaliter cognoscere;* quod quidem judicium *speculativè* erat erroneum, falsumque, quia à parte rei, & reverà illicitus, atque legi divinæ contrarius est accessus ad alienam: *practicè* tamen illud conscientiæ dictamen secundùm principia in illis circumstantiis applicatum, cum quibus ille accessus intellectui proponebatur, verum rectumque erat: quia pro regula morum directiva habebat, quòd honestum licitumque sit dormire cum legitima uxore, qualem eam esse, quacum dormiebat, pro certo tenebat. Igitur speculativa falsitas bene stare potest cum practica veritate conscientiæ. Et hinc pluries audimus, hunc vel illum peccâsse solùm *materialiter*, *formaliter* tamen bene recteque egisse. Econtrario contingere potest, ut conscientiæ actus *practicè* sit falsus, erroneus, ac malus *directivè*, verus tamen ac bonus *speculativè*. Vertamus exemplum suprà positum: si Jacob existimâsset, eam quam accessit, esse Liam, reverà tamen non Lia, sed Rachel Jacobi uxor legitima fuisset, & nihilominùs judicâsset, illam rectè accedi, judicium conscientiæ speculativè fuisset rectum, ipseque accessus materialiter licitus, at non *practicè*, & *formaliter.* Gravis interim Doctores nostros vexat difficultas, ex quo signo *practica* innocentia & rectitudo conscientiæ dignosci valeat, etsi dictamen hujusmodi *speculativè* falsum quid contineat? Respondet Laym. conscientiam tunc esse practicè certam, rectamque in moralibus regulam, quando ea ex duobus practicis principiis indubiè veris per intellectûs reflexionem colligi potest, v. g. per sequentem discursum: *Honestum est, accedere ad illam mulierem, quæ hìc & nunc meritò ac prudenter existimatur propria uxor: hæc autem mulier hìc & nunc meritò ac prudenter existimatur propria uxor: ergo honestum est, ad eam accedere.* Atque hoc dictamen ultimum ex præmissis reflexis, deductum moraliter certum esse oportet, non verò dictamen non ultimum, quod ex præmissis directis proximè deducitur, ut in simili exemplo notat P. Babenst. hìc *art.* 3. *à num.* 2. *disp.* 2.

10. Verùm idemmet vir clarissimus in hac dilucidatione nondum quiescit, sed pressiùs instat, & indagat, quænam sit illa mensura veritatis & rectitudinis, quæ in conscientia recta reperitur? Et resolvit, ad mentem Aristotelis, & D. Thomæ præfatam rectitudinem argui ex habitudine *ad appetitum rectum*, quod idem est ac dicere, illum hominem conscientiam *moraliter* & *practicè* rectam (licèt forsan speculativè erret, juxta superiùs explicata) habere censeri, qui debitam in indaganda objecti honestate diligentiam adhibuit, simulque erga DEUM ceu finem ultimum sincerè affectus est, ex principiis moralibus invincibiliter existimans, opus illud vel objectum à se hìc & nunc prosequendum divinæ voluntati & legi esse consonum. Cui resolutioni non modicum suffragium afferunt verba D. Thomæ in 1. 2. *q.* 19. *art.* 3. ubi ad 1. sic loquitur: *Dicendum, quòd bonum sub ratione boni, id est, appetibilis, per prius pertinet ad voluntatem, quàm ad rationem: sed tamen per prius pertinet ad rationem sub ratione veri, quàm ad voluntatem sub ratione appetibilis: quia appetitus voluntatis non potest esse de bono, nisi prius à ratione apprehendatur.* Deinde, propiùs ad rem nostram idem S. D. hunc in modum ad 2. respondet: *Dicendum, quod Philosophus 6. Eth. cap. 2. ibi loquitur de intellectu practico, secundùm quod est consiliarius & ratiocinativus eorum, quæ sunt ad finem; sic enim perficitur per prudentiam: In his autem, quæ sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti; sed tamen & ipse appetitus finis debiti præsupponit rectam apprehensionem de fine, quæ est per rationem.*

11. Hanc modò explicatam & ex S. D. roboratam characteristicam conscientiæ rectæ notam etiam Clariss. P. Mezg. in Theol. Schol. h. tr. disp. 11. a. 1. approbat, subjectâ differentiâ inter judicium speculativum, & practicum: nempe, quod veritas judicii speculativi non sit causa & mensura veritatis in objecto: uti econtra veritas judicii practici est causa & mensura in suo objecto. Exemplum subjungit in *artefacto* & *ideato*, quod dicimus habere suam veritatem & rectitudinem per ordinem ad regulas artis, & exemplar ideæ; ipsa verò idea vel regula artis non habet suam veritatem per conformitatem ad artefactum & ideatum, sed per ordinem ad finem intentum ab artifice. Cùm ergo (infert) conscientia sit judicium practicum prudentiæ, regula & mensura actuum humanorum, non tam ipsa conscientia rectitudinem ab actu præscripto, vel objecto ipsius, quàm actus & objectum à conscientia recipit; unde illa voluntas dicitur *recta*, quæ est conformis dictamini rectæ rationis.

12. Quo discursu ritè ponderato non est accedendum opinioni doctissimi cæteroquin Mastrii, qui in *Theol. Mor. h. tr. disp.* 1. *art.* 2. contra S. Thomam ibi allegatum, meliùs doceri asserit, conscientiam veram & rectam illam esse, quæ judicat, objectum esse honestum vel turpe, præceptum aut prohibitum, sicut reverà est, absque ulla formidine de opposito, seu quod idem est, quæ conformatur cum regulis moris, scilicet lege æterna, naturali, &c. Istam enim Mastrii doctrinam simpliciter acceptari non posse, ex anteà dictis liquidò constat. Nec aliud sanè evincit, quàm veritatem conscientiæ speculativam ex judicio conformi cum objecto, ut hoc se habet materialiter, & à parte rei, mensurari; de practica verò rectitudine & veritate aliter judicandum est. Hæc namque comparari debet cum objecto, non ùt materialiter,

rialiter, ac in se spectato, sed in esse regulabilis, & *formaliter* sumpto, sive prout substat hic & nunc intellectui cum omnibus circumstantiis, & prout homo est affectus ad agendum conformiter divinæ legi & voluntati, quatenus hic & nunc, pensatis omnibus, sibi repræsentatæ.

13. Oppon. primò: appetitus rectus non potest non dependere à recta ratione: ergo rectitudo rationis essentialiter antecedit operationem voluntatis; atque adeò si à priori & quidditativè conscientiæ rectitudinem explicare volumus, ex alio termino, & non ex appetitu recto ejus rectitudo sumenda est. Secundò: Circulus vitiosus committi videtur, si actus fiat rectus à regula conscientiæ, & vicissim conscientia fiat recta per ordinem ad actum, opus, vel objectum. Tertiò: Conscientia invincibiliter erronea discordat à regula prima, & lege æterna: ergo, cùm omnis regula creata inde rectitudinem suam participet, verum non erit, quòd conscientia illa possit esse recta.

14. Resp. ad primum dist. Ant. appetitus rectus non potest non dependere à recta ratione, ùt objectum proponente seu bonum sub ratione veri, adeoque quatenus appetitus à ratione regulatur, Conc. Ant. Non potest non dependere à recta ratione ùt tendente in objectum seu bonum sub ratione appetibilis, sic nego Ant. Ergo rectitudo rationis essentialiter antecedit operationem voluntatis, prout ratio proponit bonum sub ratione veri, & appetitum regulat, Conc. cons. quasi ratio tendat in objectum sive in bonum sub ratione appetibilis, sic neg. cons. Cæterùm appetitus actualis, seu bona affectio erga finem debitum, legem divinam servandam, & complacendum divinæ voluntati, respectu conscientiæ rectæ non habet se ùt constitutivum etiam inadæquatum, sed ùt merum connotatum, à ratione practica regulatum. Hinc

15. Ad secundum, negatur, vitiosum hic committi circulum; quia modus causandi est omnino diversus. Enim verò, ùt magistraliter discurrit P. Mezger in Theol. Salisb. h. tr. opus rectum denominatur *quasi passivè* à conscientia regulante in ordine causæ idealis & directivæ, uti fit in artefactis. Conscientia verò denominatur recta ab objecto in genere causæ objectivæ, & quasi activè, in quantùm conscientia ipsa in objecto regulativè causat conformitatem cum lege æterna: cùm enim omnis veritas sit quædam conformitas cum objecto, etiam practica veritas debet esse talis; hac tamen cum differentia, quòd practica *quasi activè* sibi conformet objectum, speculativa verò *quasi passivè* conformetur objecto. Ex quo cernitur, longè aliter mensurari veritatem judicii speculativi, quàm veritatem judicii practici. Enuncio hanc propositionem: *anima mea est immortalis:* judicium verum est, non quia sic enunciat, sed, quia objectum, scil. anima reverà ita se habet à parte rei, sicut judicium enunciat. Econtra, si bona fide, bene erga legem divinam affectus & cum ignorantia invincibili mente vel voce proferam hanc propositionem: *hic & nunc licet mihi mentiri ad salvandam proximi vitam:* practica veritas judicii hujus speculativè erronei, nequit activè refundi in judicium practicum, quasi ideo sit verum istud judicium, quòd objectum, scil. mendacii honestas à parte rei sic se habeat: mendacium siquidem pro omni tempore est lege divina prohibitum: sed veritas & rectitudo practica *regulativè* habetur ab ipsa ratione, quæ objecto, propter circumstantiam salvandæ vitæ, honestatem, quam à parte rei non habet, in intellectu efformat, & applicat, non sine pia promptitudine animi seu habitudine ad appetitum rectum, & intentionem finis debiti, in quantum, si in ea quoque circumstantia legi seu voluntati divinæ mendacium esset difforme, nollem mentiri, sed mendacii omissione legi seu voluntati divinæ me accommodare cuperem, & à fine illo ultimo nullatenus deflectere atque deficere. Hoc apprimè explicatur exemplo sumpto ab artefactis. E. g. Architectonica habet suas regulas practicas, architectum dirigentes ad domum rectè construendam. Judicia illa practica, & regulativa seu ideæ in intellectu architecti existentes, suæ rectitudinis mensuram non accipiunt à domo regulata, vel ideata, sed per conformitatem ad finem intentum ab architecto. Babenst. hic *disp. 2. art. 3. n. 3.* qui *num. seq.* notabile quoddam discrimen inter cognitiones practicas adducit, admittendo illarum aliquas, quæ suæ veritatis mensuram ab objecto desumunt, putà practicas cognitiones Ethices, & Theologiæ Moralis: quia istarum cognitionum dictamina versantur circa suum objectum in universali, & ùt nulli mutationi obnoxium, ut patet in his: *colere amicitiam est honestum, usuram exercere est injustum &c.* Quod secus se habet in judicio practico *ultimo* conscientiæ, utpote versante circa objectum particulare, contingens, & ob varias circumstantias mutationi obnoxium: uti manifestum est in hoc judicio, e. g. *bodie mihi jejunandum est*, quod sanè ob circumstantias v. g. sanitatis, laboris, itineris falsum esse potest, æquè ac verum.

16. Ad tertium repeto distinctionem jam notam: Conscientia invincibiliter erronea discordat à regula prima &c. quoad veritatem speculativam prout regula prima, lex æterna seu voluntas DEI habet se à parte rei, sive ex parte DEI, Conc. quoad practicam, & prout regula prima, lex vel voluntas divina repræsentativè se habet in intellectu operantis, sic conscientia invincibiliter erronea discordat à regula prima, Neg. Ant. & sub data distinctione, neg. conseq. Probè tamen notatum velim, quòd licèt conscientia speculativè erronea persæpe sit practicè recta, tamen in communi & usitato dividendi

di modo omnis erronea rectæ opponi soleat, non attendendo, quòd speculativè erronea, practicè non rarò fit recta, ùt benè notârunt Mezger & Babenst. & alii.

## QUÆSTIO TERTIA.

### *An secundùm Conscientiam invincibiliter erroneam operari teneamur?*

17. PRæmittenda est communis divisio erroris & ignorantiæ in vincibilem, & in invincibilem. *Vincibilis* dicitur ex eo, quòd ab errante vel ignorante, si sufficientem, & prudentum judicio commensuratam diligentiam adhibeat, vinci seu tolli potest: & quia omittenti talem adhibere diligentiam hæc ignorantia saltem interpretativè est voluntaria, *antecedens* quoque vocari solet: item *culpabilis;* aliquando *affectata*, in eo nempe, qui ideo veritatem non inquirit, ut eò liberiùs se ab obligatione expediat; quandoque *crassa*, & *supina*, à nimia socordia, ex qua quis, cùm facilè posset, omnem in inquirendo diligentiam intermittit, vel ignorat talia, quæ communiter ab aliis suî similibus non ignorantur. Ignorantia seu error invincibilis dicitur vel exinde, quòd, adhibitâ etiam secundùm moralem prudentûm æstimationem sufficientî diligentiâ, superari non possit; vel ex eo, quòd alicui nec minima cogitatio, dubiùmve de falsitate contraria inciderit. Propterea etiam inculpabilis, *involuntaria*, aut *consequens* dici meretur. Plura hac de re scribo in Tr. *de Censur. in Gen. Dissert.* 1. His præmissis, sequitur

18. Conclusio: Conscientia invincibiliter erronea sic obligat, ut eam positivè sequi debeamus, quando dictat, aliquid ex obligatione esse agendum, vel omittendum. Hæc Conclusio est indubitatò S. Thomæ, inspecto *art.* 5. in 1. 2. *quæst.* 19. *Conscientia* (inquit ibi) *nihil aliud est, quàm applicatio scientiæ ad aliquem actum: scientia autem in ratione est: voluntas ergo discordans à ratione errante est contra conscientiam: sed omnis talis voluntas est mala: dicitur enim Rom.* 14. *quod non est ex fide, peccatum est; id est, omne, quod est contra conscientiam: ergo voluntas discordans à conscientia errante est mala.* Neque in alio principio prætacta conclusio fundatur, quàm in hactenus toties inculcato, quòd operans sua voluntate feratur in objectum secundùm directionem intellectûs, sive secundùm eam honestatem practicam, quam intellectus practicus in eodem apprehendit, & per quandam imaginem intentionalem efformat, approbatque. Si ergo intellectus objecto, quod de se malum est ex ignorantia invincibili & simplicitate sua rationem boni honesti, quatenus præcepti attribuat, voluntas illud non prosequendo, & ita contra dictamen practicè practicum sese gerendo, peccat. Aliter concludendum de conscientia vincibiliter erronea utpote in qua deponenda debitam diligentiam adhibere tenemur, nullatenus verò ejusmodi dictamen positivè sectari: imò præcepto divino tenemur vitare errorem culpabilem, & periculum propinquum peccandi, in quod nos conjicimus, si prudenter opinemur, dari aliquam legem, & quantum in nobis est, ante positionem vel omissionem in ejus legis existentiam & obligationem inquirere negligamus.

19. Ex nostra conclusione infertur, eum qui invincibiliter judicat, ad salvandam hic & nunc proximi vitam, mendacium licitum & præceptum esse, stante hoc judicio sine peccato mendacium omittere non posse: tenetur quippe voluntas præcepto divino charitatis, quod hic & nunc ad actum mendacii tanquam aliquid bonum obligare proponitur, sese conformare: actus enim, dum recipit speciem ab objecto, non recipit speciem secundùm materiam objecti, sed secundùm rationem objecti: Sicut visio lapidis non recipit speciem à lapide, sed à colorato, quod est per se objectum visûs. Præterea omnis actus humanus habet rationem peccati vel meriti, in quantum est voluntarius: objectum autem voluntatis (uti ex dictis innotescit) secundùm propriam rationem est bonum apprehensum; & ideo actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundùm bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, & non secundùm materiale objectum actûs. Sicut si aliquis credens se occidere patrem, occidat cervum incurrit parricidii peccatum: & è contrario, si quis venator putans se occidere cervum debitâ diligentiâ adhibitâ, casualiter occidat patrem, immunis est à parricidii crimine. Cæterùm, quòd conscientia erronea errantem obliget, id contingit *per accidens*, non *per se*: quia, quamvis illud, quod ratio dictat per se non sit secundùm legem DEI, sicut nec per se bonum; tamen per accidens est secundùm legem DEI, sicut & bonum, in quantum ratio apprehendit ipsum ùt secundùm legem DEI & bonum &c.

20. Huc pertinet divisio in ignorantiam *juris*, & *facti*. Invincibilem ignorantiam *juris* habes, si vel nulla te pulsavit cogitatio suspicióve de existentia legis, v. g. quòd sit lata censura excommunicationis in lectores librorum hæreticorum; quòd matrimonium inter consanguineos & affines usque ad quartum gradum lineæ collateralis sit prohibitum & irritum &c. vel ex eo, quòd hac de re, etiam post moralem adhibitam diligentiam, à nemine instructus fueris. Invincibili item ignorantiâ *facti* excusaris, si librum, quem legebas, non hæreticum, qualis erat, sed Catholicum esse, bona fide credideris: si eam, quam in uxorem ducere intendis, tibi consanguineam esse, invincibiliter nesciveris: Si personam clericalem, quam fortè percussisti, ex habitu laicali pro laico indubitanter habue-

habueris: Si de die jejunii nihil cogitans carnes bona fide comederis &c. Contrà, vincibilem tum *juris* tum *facti* ignorantiam habent, qui, dum ipsis de existentia legis, vel re prohibita dubium incidit, moralem diligentiam in inquirendo intermittunt. In contrarium:

21. Arguitur primò: Nihil est peccatum, quod est conforme legi divinæ: sed omissio mendacii, quod conscientia erronea committendum dictat, pro salvanda proximi vita, est conformis legi divinæ. Ergo omissio mendacii in tali circumstantia non est peccatum. Ergo non teneor conscientiam invincibiliter erroneam positivè sequi.

22. Secundò: Quando concurrunt duæ leges, una inferior, altera superior, superiori potiùs obsequendum est, quàm inferiori: absurdè enim dicerem, Vice-Regis mandato me parere debere, quando mandatum Regis est illi contrarium: atqui in casu conscientiæ invincibiliter erroneæ concurrunt duæ leges, lex divina tanquam superior, quæ prohibet mendacium, & lex conscientiæ erroneæ, quæ jubet mendacium. Ergo legi divinæ potius obsequendum est, quàm conscientiæ erroneæ.

23. Tertiò: Nemo obligatur ad faciendum id, quod est intrinsecè malùm: sed mendacium est quid intrinsecè malum: Ergo nemo obligatur mentiri. Conformiter ad nostra principia

24. Resp. ad primum, Dist. maj. nihil est peccatum, quod est conforme legi divinæ, tam ut hæc est in mente DEI, quàm ùt est in mente hominis repræsentata, Conc. maj. quod est solùm conforme legi DEI, prout hæc est in mente DEI, sic nihil est peccatum, Neg. maj. Dist. min. sed in posito casu omissio mendacii est conformis legi divinæ, prout hæc est in mente divina, Conc. min. prout etiam est repræsentata in mente hominis, neg. min. & conseq. Addit Cornejo hic in 1. 2. S. Th. circ. q. 19. dub. 1. quòd licèt discordare à conscientia dictante, mendacium esse prohibitum, non sit contra legem DEI prohibentem mentiri, sit nihilominùs contra aliam legem æternam, præcipientem, sequendam esse conscientiam.

25. Ad secund. Resp. potest negari min. quia lex divina, prohibens mendacium in casu posito solùm *materialiter* concurrit, non *formaliter*, cùm non repræsentetur prohibitio mendacii, sed potiùs præceptio. Exemplum ingestum servit nobis, cui prorsus simile adducit S. Thomas in cit. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 2. Postquàm enim sibi objecerat ex S. Augustino sequens argumentum: „inferioris potestatis præceptum non obligat, si contrarietur potestati superioris: sed ratio errans quandoque proponit aliquid, quod est contra præceptum superioris, sicut si Proconsul jubeat aliquid, quod Imperator prohibet &c.„ Respondet, verbis Augustini locum esse, quando cognoscitur, ab inferiori aliquid præcipi contra potestatem & præceptum superioris. Sed si aliquis crederet (subdit) quòd præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret, quòd ratio humana dictaret aliquid contra præceptum DEI, non teneretur rationem sequi: sed tunc ratio non totaliter esset errans: sed quando ratio errans proponit aliquid ùt præceptum DEI, tunc idem est contemnere dictamen rationis & *DEI præceptum.*

26. Ad tertium Resp. cum supra cit. Cornejo, neminem *per se* obligari ad intrinsecè malum: posse tamen obligari *per accidens*, ratione nimirum conscientiæ invincibilis, cum errore malum illud proponentis sub specie boni honesti.

# QUÆSTIO QUARTA.

## *An Conscientia invincibiliter erronea obliget contra præceptum superioris?*

27. Conclusio statuitur affirmativè à prælaudato Cornejo loc. cit. *Dub.* 3. ubi allegatur S. Thomas in 2. *dist.* 39. Durandus, Medina, Azor. & Vasq. ex illa solida ratione, quòd magis obedire debeamus DEO, quàm hominibus, *Actor.* 4. atqui ille, qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam, obedit præcepto divino, scil. ùt existimato, & proposito per rationem: legique naturali ùt præcipienti, conscientiam rectam esse sequendam. Ergo in hujusmodi hypothesi non tenemur sequi præceptum superioris humani. Nota, conclusionem procedere de conscientia *invincibiliter* erronea. In dubiis enim, an aliquid sit contra præceptum DEI, standum est præcepto superioris, præsertim quando subditus voto obedientiæ adstrictus est: quia etsi res præcepta revera & materialiter sit contra præceptum divinum, attamen propter obedientiæ bonum subditus formaliter non peccat. Vid. Dionys. Carthus. in 2. *Dist.* 39. *qu.* 3. Et S. Bernard. *de Præcep. & Dispens. cap.* 12. ibi: *quidquid vice DEI præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere DEO, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat DEUS.*

Allegatus Cornejo subjicit quasi pro regula, quòd quando Prælatus aliquid injungeret repugnans conscientiæ subditi, iste teneatur rationes inquirere, sicque propriam conscientiam deponere: nullis verò inventis, dictamen proprium sequi teneatur. Qua limitatione præfatus Author contrarios Doctores, ùt S. Bonaventuram, Alexandrum Alensem, aliosque statutæ superiùs Conclusioni dissentientes, ad concordiam redigi censet.

28. Verùm, quia Cornejo loquitur de habente conscientiam invincibiliter erroneam, & consequenter de ea, quæ, rationibus etiam quæsitis, vinci & corrigi nequit, neutiquam apparet, quomodo ejusmodi conscientia, ut subditus superioris jussui tutò pareat, deponi queat. Fortassis non foret inepta responsio, quòd subditus in tali casu suam conscientiam erroneam, cui nullæ rationes contrariæ satisfacerent; equidem *directè* deponere haud valeat, id tamen possit judicio reflexo, v. g. judicando, facilè accidere, quòd subditus propter nimiam proprii judicii tenacitatem, suique interesse, commoditatis, libertatisve amorem, excæcetur, & miserè decipiatur, idque in casu præsenti facilè ita se habeat: econtra verò superior recta ratione in præcipiendo moveri præsumatur, & non nisi rariùs contrarium contingat, atque adeò hic & nunc quoque legi ac dictamini superioris licitè stetur.

29. Utrùm verò saltem eo in casu, in quo grave incommodum, vel nocumentum subdito sive in sua persona, sive in bonis, ex impletione præcepti à superiore injuncti, eveniret, conscientiam aliàs invincibiliter erroneam mediante prædicto judicio reflexo deponere non teneatur, sed secundùm judicium practicum proprii dictaminis, quoad motiva directa invincibilis, se gerere valeat, nolo prolixè examinare. Semper tamen cavendum à scandalo, & communitatis perturbatione: prout observavi in *Tract. de J. & J. qu. 26. de Vectigal. & Tributor. solutione*: quamvis ibi non de Conscientia invincibiliter erronea, sed de probabili & dubia subditorum, de justitia exactionum publicarum quandoque ambigentium, disseram.

## QUÆSTIO QUINTA.

### *Utrùm Operans contra Conscientiæ dictamen, speciale peccatum committat?*

30. Conclusio est negativa: adeoque sic operans se non tenetur accusare, quòd contra remorsum aut reclamationem conscientiæ egerit, sed simpliciter de specie actûs, vel culpabilis omissionis. Videtur hoc innuere D. Th. 1. 2. *qu.* 19. *a.* 5. *ad* 2. dicens, quòd ratio, apprehendens aliquid ùt malum, semper illud apprehendat sub aliqua ratione mali: putà, *quia contrariatur divino præcepto, vel quia est scandalum, vel propter aliquid hujusmodi; & tunc ad talem speciem malitiæ reducitur talis mala voluntas.* Ratio prima est, quòd promulgatio & intimatio legis, non sit lex diversa à tali lege, sed potiùs ùt aliquid pertinens & complementum ad illam legem consideretur: Conscientiæ autem dictamen sit hujusmodi intimatio & promulgatio: adeoque conscientia diversam virtutis honestatem ab illa, quæ à lege intimata respicitur, non respicit. Secunda: quòd conscientia sit conditio generalis, contra cujus dictamen in omni operatione vel omissione voluntaria & peccaminosa agitur; ab ejusmodi autem generali conditione specie distincta malitia causari non possit: Quare ille, qui contra clarum conscientiæ dictamen fornicatur non duplex, sed unum specie peccatum committit, scil. contra virtutem castitatis.

31. Neque dicas primò cum Angesto in *Moralibus cap.* 7. *dub.* 3. quem adducit Cornejo *loc. cit. dub.* 5. eum quidem, qui contra conscientiam erroneam agit, unicum duntaxat incurrere peccatum, quod consistat in deformitate & dissonantia ad conscientiam; duplex verò, qui contra conscientiam veram operatur, ex eo nempe, quòd istius operatio duplicem deformitatem contrahat, unam cum respectu ad conscientiam, alteram cum respectu ad objectum verè propositum: ex quo fit, ut fornicator, suæ conscientiæ contraveniens, duplici peccato sese contaminet: Nam

32. Resp. transmisso etiam, hic dari duo præcepta specie diversa, tamen non sequi duplex peccatum vel duplicem malitiam specie diversam: quia, ut subtiliter loquitur Cornejo *d. dub.* 5. præceptum sequendi conscientiam est præceptum quoddam generale inclusum & imbibitum in quocunque particulari præcepto cognito, & proposito voluntati, unde sicut causa generalis & particularis producunt eundem numero effectum; ita hæc duo præcepta inducunt eandem numero obligationem: quare eadem prorsus obligatio est non furandi, aut non fornicandi, & non faciendi contra conscientiam, quæ dictat, abstinendum esse à furto vel fornicatione. Ita ille, & bene: Constat enim, eandem rem præcepto humano, naturali, & divino posse prohibitam esse ùt v. g. homicidium, adulterium, &c. nec tamen exinde plures specie malitias in actum peccaminosum refundi; de quo alibi vidimus, scil. in *Tr. de Peccat.* Neque Sacerdotibus Confessariis in more positum est, pœnitentem, qui se de homicidio vel adulterio plenè voluntario accusat, interrogare, an conscientiæ remorsum habuerit, nec ne; aut de duplici peccato commisso ratione conscientiæ judicium ferre.

33. Nec dicas secundò, conscientiam posse in aliquo casu sic erroneam esse, ut existimet, objectum aliquod indifferens ùt est indifferens, v. g. decerpere florem in proprio horto, esse illicitum: item posse à conscientia, contra quam aliquis operatur, dictari, & repræsentari malum in communi, nihil repræsentando de aliqua virtute specifica vel præcepto specifico, quod violetur: ex quo inferri videt, dari posse peccatum, quod sit purè contra conscientiam, ideoque sub

ſub hac formalitate in Confeſſione exprimi debeat. Nam

34. Reſp. ſecundò cum ſæpe laudato Cornejo (quidquid Gregorius de Valentia, hoc argumento perterritus, admittat) repugnare peccatum individuale & à parte rei commiſſum, quod non ſit in aliqua certa ſpecie. Cæterùm quoad primum caſum implicantia patet in terminis: quomodo enim poteſt proponi objectum indifferens, ùt indifferens, & ſimul ùt illicitum? Certè indifferens excludit rationem prohibiti; ergo & rationem illiciti. Quoad alterum caſum addit Cornejo *d. dub. 5.* ibi peccatum illud fore contra præceptum ſic exiſtimatum, ratione cujus illud opus cenſetur malum in genere: nam, non poteſt, inquit, intellectus judicare aliquid ùt malum morale etiam in genere, niſi cognoſcendo implicitè, vel in confuſo, illud eſſe aliquo præcepto prohibitum. Negat porrò, in iſta hypotheſi malitiam ſolùm genericam ad actum contrahi: quia agere contra præceptum exiſtimatum, cognitum indeterminatè, in communi, vel in confuſo, conſtituit quandam ſpeciem infimam peccati, diverſam ab aliis peccatis, quæ ſunt contra præcepta determinata.

# QUÆSTIO SEXTA.

## *Sitne veniale vel mortale, agere contra Conſcientiam, quæ de hoc non diſcernebat?*

POnamus, quòd ſecundùm conſcientiæ dictamen actus aliquis eſſet omittendus, absque eo, quòd dictet determinatè, transgreſſionem fore grave vel leve peccatum, quæritur, an operans tunc peccet graviter vel leviter? Azorius, Vaſq. & quidam alii ſic operantem à peccato gravi non excuſant, non quidem ratione objecti, quia malitia gravis non repræſentatur, hoc ipſo, quòd fiat abſtractio à gravi & levi; ſed ratione temeritatis, & periculi, cui ſe exponit, qui intelligens, actum malum eſſe, eum ponit, ſive graviter ſive leviter illicitus ſit.

35. Concluſio: quando conſcientia abſolutè hoc ſolùm dictat, opus eſſe malum, & nulla concurrit hæſitatio vel dubitatio de quantitate malitiæ, id eſt, gravitate vel levitate tunc homo, qui aliàs timoratæ ſolet eſſe conſcientiæ, & à gravibus noxis abhorrere, agens contra conſcientiam vel erroneam vel veram, peccat ſolùm venialiter. Ratio eſt, quòd in actu non poſſit eſſe major malitia formalis, quam ea, quæ ex parte objecti repræſentatur. At malitia ex parte objecti repræſentata non eſt gravis & perfecta: Supponimus enim, malum proponi ſub præciſione à gravitate & levitate, ac inſuper nullum incidere dubium, an non forſan actus ſit graviter malus. Ergo nec in actu alia erit malitia, quàm imperfecta, & levis. Et ita ſentit Cornejo cum Navarro Valent. & Lopez, à quibus reverà diſſentire non videtur Mezger in *Saliſb. Schol. b. tr. diſp.* 11. *art.* 3. *§.* 3. Dixi: *homo, qui aliàs timoratæ ſolet eſſe conſcientiæ, & à gravibus noxis abhorrere:* de tali quippe non eſt præſumendum, quòd ſe proximo graviter peccandi periculo voluerit committere, ſed, quòd ab actu prorſus abſtinuiſſet, ſi vel levior ſuſpicio de gravitate mali ei occurriſſet: de aliis verò temerariis, & diſſolutæ conſcientiæ hominibus, qui bibunt iniquitatem ſicut àquam, parum ſolliciti de quantitate peccati, Clariſſ. P. Mezger exiſtimat, eos cum tali conſcientia operando à peccato mortali facilè excuſari non poſſe.

36. Sed quid dicendum, ſi quis adeò ex ignorantia invincibili fiat perplexus, ut tam actionem, quàm ejus omiſſionem peccati periculo obnoxiam eſſe cenſeat, ùt ſi Parochus, dum ſacram Euchariſtiam diſpenſat, indignum & notorium peccatorem accedere videat, & utrumque extremum ex perplexitate malum eſſe credat, id eſt, ſive ſacram Euchariſtiam ei neget, ſive præbeat. In hoc caſu inprimis ex duobus malis inæqualibus, ſi utrumque vitari nequeat, minus eligendum eſt: Si verò utrumque æquale eſſe appareat, quidquid agat perplexus, non peccat: nemo enim peccat, qui neceſſitate compulſus agit; ſed requiritur libertas, quæ ſanè in ejusmodi homine perplexo deficit. Mezger *d. diſp.* 11. *art.* 3. *§.* 3. *à n.* 9. Babenſt. hìc *diſp.* 2. *n.* 26. cum Sanch. & Laym. Pro illuſtratione præſentis materiæ de conſcientia invincibiliter erronea aliquot notamina ſubtexo.

37. Notamen primum. Ut aliquis contra dictamen conſcientiæ invincibiliter erroneæ agendo, vel actum omittendo peccâſſe cenſeatur, tempore actûs poſiti dictamen erroneum actualiter vel virtualiter adfuiſſe neceſſe eſt; nec ſufficit, quòd illud dictamen adfuerit ſolùm *habitualiter*, ſeu, quòd non fuerit poſitivè correctum, mutatum, depoſitum, vel revocatum. Exemplum damus. Pictor die Sabbathi, certa ductus ratione, conſcientiam ſibi formabat, craſtinâ Dominicâ ſub gravi culpa ſibi ne quidem per medium quadrantem licere pingere: die ſequenti Dominicâ poſt auditum & finitum officium divinum, nihil ampliùs recogitans de ſua heſterna conſcientia, per medium circiter quadrantem horæ pingit: dico, actionem pictoris ratione erroneæ conſcientiæ die præcedenti habitæ neutiquam eſſe mortaliter peccaminoſam, etſi actio illa à præfato conſcientiæ dictamine diſcordet. Nec quidpiam facit, quòd heſternum dictamen poſitivè non fuerit revocatum, ac mutatum, & ideo quodammodo *habitualiter* etiam die ſequenti adhucdum durare videatur: Cùm enim judicium practicum conſcientiæ debeat quaſi activè regulare actum voluntatis, idque non aliter præſtet, quàm mediante ratione, honeſtatem, vel inhoneſtatem proponente, actuali con-

conscientiæ dictamine opus est, aut saltem *virtuali*, quod manet in aliquo effectu, seu medio executivo: ut si ante horam contra conscientiam erroneam per medium quadrantem te velle pingere tecum decrevisti, eumque in finem pennicillos aut alia necessaria præparasti: tunc enim dictamen conscientiæ erroneæ, quod antea erat actuale formale, durat adhuc actualiter virtualiter, scil. in illis præparatoriis.

38. Notamen secundum: Licet, ut suprà docuimus, agere contra conscientiam sive veram sive erroneam, non importet duplex peccatum, & ideo potissimùm in Sacro Tribunali non sit necessariò facienda mentio de violata conscientia, per accidens tamen quandoque error exprimi debet, quando scil. propter interventum erroris mutatur natura vel qualitas peccati, putà, quando propterea actus alioquin venialiter tantùm peccaminosus, propter gravitatem, erroneè propositam, redditur graviter peccaminosus; quod nonnunquam accidit in rudioribus, ac mulieribus: veluti dum e. g. in die jejunii, ob defectum butiri, ad condimentum ciborum sagimen vel aliud genus adipis adhibent contra conscientiam erroneam, qua id graviter prohibitum existimant: Hoc quippe casu, si simpliciter dicant, se adhibuisse sagimen, Confessarius judicaret, aut omnino non fuisse peccatum, aut saltem non grave: econtra, si audiat, mulierem, stante conscientiâ erroneâ, de gravi prohibitione, actionem illam exercuisse, Confessarius mox judicabit, eam ob causam grave peccatum admissum fuisse. Et ideo Confessarius, nisi circumstantiæ aliud suadeant, in similibus rudioribus cautè explorabit, utrùm contra conscientiam erroneam graviter vel leviter peccârint. Idem dictum volo, si advertat, actionem de se leviter malam fuisse cum conscientia erronea gravem malitiam repræsentante seu judicante positam.

39. Notamen tertium: Actus ex conscientia erronea invincibili exercitus, v. g. quando dictabat, bonum aliquod apparens, quod revera malum erat, hic & nunc esse prosequendum, contrahit eandem honestatem ac speciem boni & virtutis *illius*, intra quam continentur actus ejusdem verè boni ac honesti: quia actus, tum internus tum externus, à nostra voluntate libera procedens, speciem virtutis, honestatis, vel bonitatis moralis recipit ab objecto quatenus repræsentato.

## QUÆSTIO SEPTIMA.

### *An, & quomodo possit dari invincibilis ignorantia Juris Naturalis?*

40. Certum est primò, istam ignorantiam non dari respectu primorum principiorum moralium omnino universalium, qualia sunt hæc: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: declinandum à malo, & bonum est faciendum &c.* quis enim harum propositionum vim, ac significationem non mox intelligat, postquam terminos apprehenderit? *Nullus est*, inquit D. Augustin. in Psal. 118. Conc. 25. *nullus est, qui facit alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit: Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Certum est mihi secundò illa objecta & conclusiones, quæ remotè, & non nisi per discursum operosum inferuntur, posse invincibiliter ignorari. Quoties enim inter viros doctos exoritur altercatio, utrùm hoc vel illud sit jure naturali prohibitum? uno affirmativam tenente, altero negante. E. g. Plurimi docent, contractum mutui, in quo Creditor prætendit usuras v. g. quinque pro centum, esse intrinsecè malum, & jure naturali prohibitum, nisi usuræ illæ sint impropriè tales, id est, non lucrum purum, sed pro compensatione damni emergentis, lucri cessantis, aut in pœnam morosi debitoris, tempore convento non solventis, exigantur. Alii econtra ex aliis titulis coloratis ejusmodi contractum tanquam licitum defendunt, v. g. quòd Creditor non teneatur gratis carere suis pecuniis ad longum tempus; quòd pecunia præsens sit utilior, ac commodior, consequenter & æstimabilior, quàm pecunia de futuro recipienda &c. adeoque juri naturali usuras moderatas adversari, ulla se ratione persuaderi aut convinci posse, negant, pernegant. Sanè olim non pauci præfractè existimabant, fornicationem simplicem solo jure positivo prohibitam esse, naturali non item; quod utique hodie nemo sine peccato asserere aut defendere poterit. Exinde constat, non omnia, quæ sunt juris naturalis prohibitivi, vel permissivi, quæque longiori discursu primùm intelliguntur, ab omnibus intelligi. Sequitur jam

41. Conclusio: Præcepta aliqua naturalia, quæ immediatè & facilè deducuntur ex principiis moralibus primis ac per se notis, quamvis in thesi & absolutè spectata non possint longo tempore invincibiliter ignorari: possunt tamen sic ignorari in hypothesi, & in concursu seu adjunctione certæ cujusdam circumstantiæ. Prima Conclusionis pars ostenditur illo Decalogi præcepto: *Non furtum facies:* Qui enim hæc principia moralia, ac lumine naturali nota *(quod tibi nos vis fieri, alteri ne facias:* item: *neminem innocentem ullo modo lædas)* apprehenderit, facilè subsumere poterit, furtum lumini dictaminis naturalis, primisque principiis moralibus disconvenire: quia per ablationem rei alienæ alteri fit, quod fur sibi fieri non vult, & innocens in bonis suis læditur. Econtra (ut etiam veritas secundæ partis manifesta fiat) posset aliquis perquirere, an furtum in circumstantia gravis necessitatis sit prohibitum: vel occidere

dere hominem, sine spe sanitatis consequendæ jamjam cum morte luctantem, prout ita 2. *Reg. cap.* 1. occidi petiit Saul post vulnus lethale acceptum, spiritum inter summos dolores arctè ducens, & Amaleciten sic alloquens: *Sta super me & interfice me:* quod etiam ille Amalecites mox ita, ùt rogatus erat, executioni mandavit. Testatur Vasq. 1. 2. *disp.* 122. *cap.* 2. de rustico quodam, qui sibi persuaserit, pium honestumque opus fore, si quemdam ægrotum intensissimis doloribus afflictum, in alterum latus versando, & celeriùs ad mortem promovendo, ab illo cruciatu liberaret. Alius (cujus meminit Sarasa in *arte semper gaudendi par.* 2. *tr.* 2. *§.* 6.) infidelium Maurorum infantes, parentibus clàm subductos, mox baptizavit, ac dein, ne quondam in majori ætate seducerentur, & salute æterna frustrarentur, interfecit. Nonnulli putârunt, mendacium officiosum non esse peccatum, si illud propter avertendum grave malum committatur. Sed

42. Dices primò: Si quilibet rationis compos juri naturali subjectus est, & per consequens ad illius juris observantiam tenetur, quilibet etiam ejusdem debet habere notitiam, aut saltem eam acquirere posse. At quilibet rationis compos juri naturali subjectus est, atque ad illius observantiam tenetur. Ergo quilibet debet illius etiam habere notitiam, aut saltem eam acquirere posse. Totus discursus in eo fundatur, quòd ad potentiam servandi præcepta juris naturalis necessario requiratur illorum cognitio, & notitia. Aut ergo, si possit haberi ab aliquo illius Juris notitia, & actu non habeatur, ignorantia non est invincibilis, quia culpabilis: aut Juris prædicti præcepta non obligant, quia deest potentia ad illorum observantiam. Deinde, si illud Theologorum axioma (facienti, quod est in se, DEUS non denegat gratiam) subsistat, nemini, qui in veritatem cujuscunque Juris naturalis sufficienti studio indagat, auxilium illustrans denegabitur.

43. Resp. primò ad argument. illo probari, neminem, qui est rationis compos, ob ignorantiam Juris etiam purè positivi, v. gr. Ecclesiastici, à transgressione formali excusari: nam quilibet rationis compos, quia Legi Ecclesiasticæ subjectus est, ex eo capite notitiâ talis Legis instructus esse teneretur, aut saltem eam acquirere posset. Unde sequeretur, in nullo rationis compote ignorantiam invincibilem Legis positivæ agnoscendam fore. Resp. secundò argumentum procedere solùm quoad ea, quæ sunt Juris naturæ clari, & quoad principia communia: non autem quoad ea, quæ sunt Juris naturalis dubii & obscuri, quæque non nisi remotè, difficulter, & consecutione solùm probabili ex jure naturali claro ejusque principiis immediatis deducuntur. In sensu priori quilibet rationis compos tenetur ad Juris naturalis observantiam, & consequenter ejus habere vel sibi procurare notitiam: Secus res se habet, sumpto Jure naturæ in sensu posteriori. Idem est, si nostræ conclusionis distinctione utamur, scil. inter objecta, principia, & doctrinas Juris naturalis spectati absolutè ac in thesi, & inter ea, quæ considerantur in hypothesi certæ circumstantiæ, veluti nostra exempla monstrant de furto in gravi necessitate, & in homicidio respectu alicujus in maximis doloribus cum morte luctantis.

Dum ulteriùs oggeritur illud, *facienti quod est in se &c.* Theologi id intelligunt circa scitu necessaria ad salutem æternam; in his nempe DEUS facienti, quod est in se (viribus tamen auxilii supernaturalis, secundùm tradita in *Tr. de Grat. actuali*) non solet denegare ulteriorem gratiam: notitiam autem Juris naturalis cujuscunque etiam obscuri, controversi, dubii, ac remotè & difficulter ex Jure claro deducibilis non spectare ad res vel doctrinas pro consequenda æterna salute necessarias, inter Doctores pro indubitato habetur.

44. Instas: Ergo DEUS permittit transgressionem frequentem eorum, quæ sunt juris naturalis dubii & controversi. Resp. ita esse: in illis tamen, qui laborant ignorantiâ invincibili, sicque inculpabili, transgressio permissa contingit solùm *materialiter*, & involuntariè. Eodem modo talem transgressionem DEUS quandoque permittit cum inculpabili ignorantia *facti:* veluti patet in accessu Jacob ad Liam, quam indubitanter pro sua uxore agnoscebat. Sicut DEUS (ait quidam profundus Theologus) facientem, quod est in se, in inquisitione circa factum, vel circumstantiam particularem, non tenetur illuminare; sed permittit, ut inculpatè incidat in ignorantiam invincibilem, atque adeò ex errore legem suam materialiter violet; ita neque semper tenetur illuminare facientem, quod est *in se*, in inquirenda veritate circa ea, quæ ad jus naturæ pertinent; Sed potest interdum permittere, ut inculpatè incidat in eorum ignorantiam invincibilem, & hac ratione aliquod dicti Juris præceptum ex errore materialiter transgrediatur. Itaque potentia observandi præcepta, per se loquendo, & quoties illorum transgressio imputaretur in culpam, importat quidem præceptorum notitiam; per accidens tamen, quando eorum transgressio non imputatur in culpam, estque solùm illicita *materialiter*, talem notitiam non importat: quia tum solùm est potentia præcepta non transgrediendi *formaliter*, non autem est potentia non transgrediendi tam *formaliter*, quàm *materialiter*.

45. Replicabis: positô, quòd, post seriò adhibitam investigationis diligentiam, aliqua præcepta naturalia aut divina inveniri nequeant, periculum est incidendi in errorem Jansenisticum, nempe, *aliqua præcepta DEI secundùm præsentes vires nobis esse observatu impossibilia:* quomodo enim id, quod non est invenibile ac cognoscibile, poterit esse observatu

servatu possibile? Resp. N. assumptum. Propositio illa damnata Jansenii volebat, aliqua DEI præcepta, licèt nobis non sint incognita, observari non posse: nos verò Catholici dicimus, DEUM, Authorem naturæ & gratiæ, nullius præcepti, nisi cujus obligatio prævia cognitione noscitur, observantiam sub culpæ imputatione à nobis exigere; neque semper talem cognitionem nobis dare velle, multò minùs dare teneri, licèt sit infinitè sapiens, & justus. Si adversarii SS. Patres, quòd secundùm eos, Optimus DEUS veritatem his, qui illam perquirunt, non occultet, in subsidium vocent, denuo repetimus, hoc quoad veritates necessitate *medii* ad salutem necessarias intelligendum esse.

46. Dices secundò: Ignorantia in eo subjecto non est inculpabilis, in quo est *privativa* adeò, ut notitia opposita sit debita inesse. At ignorantia Juris naturalis, si quæ detur in statu naturæ lapsæ, in subjecto, cui inest, *privativa* est, adeò, ut notitia seu scientia opposita subjecto sit debita inesse. Igitur ignorantia Juris naturalis in statu naturæ lapsæ non est inculpabilis: ergo non excusat à peccato seu transgressione formali, quomodocunque Juris naturalis principia, objecta, capita, & conclusiones discrepare prætendantur. Min. constat: quia notitia Juris naturalis est homini connaturalis, ejusque carentia ipsi est voluntaria voluntate Primi Parentis, è cujus lapsu carentia prædictæ ignorantiæ in totum genus humanum fuit derivata, certè ut effectus & pœna peccati originalis. Maj. ostenditur paritate ducta à carentia gratiæ seu justitiæ originalis, quæ, quia est pœna & effectus peccati originalis, in nobis est *privativa*, & non mera negatio, estque voluntaria sufficienter voluntate Capitis Generalis.

47. Resp. primò ex dictis, in homine sanæ mentis nunquam esse ignorantiam omnis juris & obligationis naturalis. Resp. secundò Neg. min. utramque. Ad prob. maj. dico, equidem ipsum peccatum originale cum pœna privationis gratiæ seu justitiæ originalis nobis sufficienter esse voluntarium voluntate Protoparentis quà communis Capitis; haud similiter tamen omnes alios effectus, pœnas, & miserias, quæ nos in statu naturæ lapsæ afficiunt affliguntque, sub voluntarium nostrum cadere. Resp. tertiò ex argumento objecto, varia intolerabilia absurda, ac dogmata falsa scaturire. Nam sequeretur primò, concupiscentiam tanquam effectum peccati originalis, in nos transfusi, nobis esse voluntariam voluntate Capitis, ideoque omnes motus primò primos, rationis advertentiam, voluntatisque consensum prævenientes, imò voluntate quoque renitente eosque detestante, ac quomodocunque in appetitu seu concupiscibili seu irascibili obortos, ad culpam Theologicam imputari: Cujus contrarium secundùm Doctrinam Catholicam ostensum fuit in *Tr. de Peccatis, quæst.* 14. & 15. idque perspicuè declarat SS. Trid. Synod. *Sess.* 5. *de Pecc. Orig.* ibi: *Si quis per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet; sed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema sit: in renatis enim nihil odit DEUS: quia nihil est damnationis in iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundùm carnem ambulant; Sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundùm DEUM creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac DEO dilecti effecti sunt, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi JESU gratiam repugnantibus, non valet: quin imò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

48. Sequeretur secundò, hominibus stultis, furiosis, phreneticis, &c. ea omnia, quæ in statu turbati vel impediti usûs rationis contra Legem Divinam, naturalem, vel positivam humanam agunt, ùt peccata formaliter talia imputanda, proindeque pœnâ non solùm temporali, verùm etiam æternâ fore expianda: quoniam, nisi in Adamo peccâssent, ejusmodi miserias nunquam incurrissent.

49. Sequeretur tertiò, non dari ullos infideles *negativè* tales, id est, homines, qui citra culpam suam Legem Evangelicam Christi ignorarent: Nam & hæc ignorantia originem trahi ex radice peccati originalis tanquam effectus illius. Sicuti ergo illa ignorantia mysteriorum Novi Testamenti non semper est *privativa* & culpabilis, quando nimirum infideli nec directè nec indirectè est voluntaria voluntate propria & personali; ita nec ignorantia Juris naturalis. Nota, hanc propositionem: *Infidelitas purè negativa, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est,* Pontificia Auctoritate contra Michaëlem Bajum damnationis sententiâ proscriptam fuisse, sicuti & illam: *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Accedunt etiam sequentes confixæ: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit,* an. 1685. die 8. Aug. Item: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas quâ voluntarium ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Item: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.* Item: *Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali,* quas tres posteriores propositiones Alex. VIII. damnavit die 7. Dec. 1690.

Cave, ſtudioſe Lector, hic à Janſenii erroribus: nec crede Wilhelmo Wendrochio, qui in *Diſſertatione Theologica de Probabilitate*, ad calcem quintæ Epiſtolæ Ludovici Montaltii ſubjectâ, fictitio nomine Salisburgenſem Theologum ſeſe mentitus eſt.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *DE*

## *Conſcientia Dubia.*

PRiora ex ſubſequentibus plerumque magis clareſcunt. Unde convenienter, poſt prælibatam & explicatam conſcientiam erroneam, de dubia diſſerere proſequimur.

## QUÆSTIO OCTAVA.

### *An cum Conſcientia dubia, aliquando agere liceat?*

COnſcientia dubia eſt judicium propter motiva in utramque partem æqualia fluctuans, ſuſpenſumque nihil determinatè definiens, ſitne actio vel omiſſio certò licita, vel certò prohibita. Ad quam deſcriptionem fundamentaliùs cognoſcendam, nonnulla neceſſariò ſunt præmittenda.

50. Præmittendum primò, conſcientiam dubitare, ſeu fluctuare poſſe vel ratione *juris*, & *legis*, de cujus exiſtentia vel non exiſtentia æquè fortes rationes occurrunt: vel ratione alicujus *facti*, actionis, circumſtantiæ, &c. de cujus exiſtentia, præſentia, impletione, vel ſic ſe habentia pro & contra ſimiliter oppoſitæ rationes intellectui objiciuntur. Conſcientiam priori modo *dubiam*, vocamus dubiam dubio *juris*, poſteriori modo dubiam *dubio facti*. Quæ diſtinctio patet ex dictis de conſcientia erronea, ubi errorem diviſimus in errorem ſive ignorantiam *juris* & *facti*. Ad dubium *juris* reducitur dubium de valore actûs: v. g. dubitat Clericus, an Teſtamentum licitè condat de reditibus proſpectu Eccleſiæ acquiſitis diſponendo ad cauſas profanas? vel Conjuges dubitant, an matrimonium cum conſenſu utrinque perfecto validè contraxerint &c. Ad dubium *facti* ſpectat, ſi Clericus ob periculum irregularitatis contractæ dubitet, v. g. an vulnus, quod alteri inflixit, fuerit lethale, ut exinde mors ſecuta ſit: an omnes horas Canonicas hodie perſolverit: &c.

51. Præmittendum ſecundò, dubium hic ulteriùs vel dici ſpeculativo-practicum, vel practicè practicum. Alii quidem ſimpliciter ajunt, dubium eſſe vel *ſpeculativum*, vel *practicum*. *Speculativum* vocant, non quòd aliquo modo non ſit practicum, ſed quia modo magis univerſali procedit, non determinando ipſum exercitium operis, cum omnibus circumſtantiis conſideratum, à quibus exercitium actionis, hic & nunc dependet. *Practicum* dicunt eſſe de actione prout hic & nunc exercendâ. E. g. dubitas, abſolutè, ſitne licitum die jejunii comedere lacticinia: Speculativè hoc modo dubitas: Si verò dubites, an tibi in hoc regno, loco, itinere, occupatione, vel ſtatu id liceat, practicè dubitas. Verùm, quia dubium hic ſpectamus, prout appellat ſupra conſcientiam comparatè ad actiones particulares, dubium *ſpeculativum* præfato modo cum abſtractione ab omnibus circumſtantiis, & ab omni ordine ad actiones ùt licitas vel illicitas explicatum, nimis generaliter & remotè ſe habere, & non multùm in rem præſentem contribuere videtur. Nos itaque malumus noſtram retinere diviſionem, dubium ad præſens propoſitum diſtinguendo in ſpeculativo-practicum, & practicè practicum. Speculativo-practicum ita nominamus à duplici objecto, circa quod verſatur: verſatur quippe tam circa verum, aut falſum, quàm circa licitum & illicitum, etiam in particulari objecto, & actione, ita tamen, ut vel non omnes circumſtantiæ notabiles fuerint ponderatæ, vel non omnes rationes reflexæ, aut motiva extrinſeca explorata, atque expenſa. Pono exemplum in materia præſcriptionis. Cajus mihi vendit librum, v. g. Laymannum: retineo hunc librum fere usque ad triennium completum. Antequam præſcriptionem libri, tanquam rei mobilis, trienniô complerem, veniunt ad me duo viri honeſti, ambo mei fideles amici, viſoque libro unus dicit, hunc eundem eſſe Laymannum, qui Mævio furtô ablatus fuit, alter verò amicus id negat, aſſerendo, quòd Mævius ſuum Laymannum vendiderit, permutârit, &c. Hoc caſu incipio dubitare, primò, an non fortè hic liber, quem poſſideo, ſit alienus; Secundò, & per conſequentiam dubitare incipio, an librum illum poſthàc licitè poſſidere ſeu retinere valeam. Dubium iſtud voco ſpeculativo-practicum, tum, quòd primò hæſitem circa veritatem, an liber ſit alienus, nec ne; tum quòd dubitem, an in linea *morali* benè vel malè agam, ſi præfatum librum ulteriùs retineam: tum denique, quòd non omnes adhuc circumſtantias, & motiva extrinſeca atque reflexa circumſpexerim. Atque in dicto caſu reſpectivè ad aſſertiones utriusque amici, æquali fide digni, videtur dubiæ conſcientiæ dictamen ex hisce præmiſſis formari: Ubi dubium eſt, an liber ſit alienus, vel non, ibi detentor libri ſeſe exponit

ponit periculo retinendi vel usurpandi rem alienam, adeoque peccandi. Sed hic dubium est, an iste liber v. g. Laymannus, sit alienus, vel non: ergo si eum retineam, expono me periculo retinendi vel usurpandi rem alienam, adeoque peccandi. Cæterùm hoc dubium speculativo-practicum possum practicè deponere, & examinatis omnibus circumstantiis, spectatisque aliis motivis extrinsecis, reflexis, & practicis principiis, conscientiæ dictamen certum formare, sicque tunc judicare, me posse in possessione libri, alteriusve rei licitè permanere. Etsi enim intellectus meus de proprietate rei, & quoad illam veritatem, utrùm liber fortè sit alienus nec ne, supponatur esse suspensus, potest tamen esse resolutus & certus, quòd librum licitè retineam, si perpendat nempe, quid ratio, æquitas, ipsumque jus positivum in hisce circumstantiis doceat, tali v. g. formato discursu: ratio, æquitas, ipsumque jus positivum docent, in dubio meliorem esse conditionem ejus, qui rem justo titulo bonaque fide possidet, neque aliquem jure certo suæ possessionis privandum esse propter jus proprietatis incertum, quod alteri competere dicitur, sed in ea possessione ceu justa & licita relinqui debere, & pergere posse. Atqui rem hanc e. g. librum, justo titulo bonaque fide possideo, titulo scil. emptionis, quam inivi non absque credulitate firma, librum venditoris esse: jusque possessionis meæ certum est, jus autem proprietatis quoad quemvis alterum est dubium. Ergo (infert conscientia, practicè deposita) non sum privandus mea possessione hujus libri, sed in ea ceu justa & licita relinqui debeo, & pergere possum.

Quòd si jam dubitans judicium speculativo-practicum per simile examen circumstantiarum omnium, vel rationum reflexarum practicè deponere aut non sciat, aut non velit, vel etiam post repertas rationes sufficientes ad formandam conscientiam practicè certam, in suo dubio circa justitiam & honestatem possessionis persistat, & tamen se rem v. g. librum ulteriùs possidere & usurpare velle decernat; dubium fit *practicè practicum*, vi cujus intellectus possessoris, post consideratas omnes rationes ac circumstantias, adhuc manet suspensus, an possessio seu retentio talis rei sit justa ac licita, vel injusta ac illicita: Consequenter, eam continuando, injustitiæ periculo proximo certoque hic & nunc sese exponit, & peccat. Quòd cum dubio practicè practico operari non liceat, fatentur omnes, ex ratione Evangelica, quæ dicit, eum qui amat periculum, perire in illo; adeoque nemini licet in eo statu operari, in quo se exponit periculo peccandi, & quidem proximo: Sed dubitans dubio practicè practico, id est, spectatis omnibus circumstantiis, quòd fortè hic & nunc non bene agat, sed DEUM offendat, se exponit periculo peccandi proximo, ponendo operationem, vel continuando possessionem rei dubiæ. Ergo cum conscientia practicè dubia illicitè operatur.

52. Conclusio prima: Etiam cum conscientia dubia speculativo-practica non licet operari, si dubium speculativo-practicum adæquatè persistat.

Probatur Conclusio hac solida ratione. Non licet operari cum dubio practicè practico, sive cum conscientia simpliciter practicè fluctuante, ut certum est secundùm omnes. Ergo similiter non licet operari cum conscientia speculativo-practicè dubia. Prob. Conseq. Ideo non licet operari cum dubio practicè practico, quia sic operans destituitur judiciô practicè certô, & regulâ proximâ operationis honestæ, & per consequens se exponit periculo peccandi proximo. Sed etiam operans cum conscientia speculativo-dubia, destitutus est judiciô practicè certô, & regulâ proximâ operationis honestæ, ac per consequens periculo peccandi proximo sese exponit: ergo si non licet operari cum dictamine conscientiæ simpliciter practicè dubio seu practico-practicè, id ipsum non erit licitum cum dictamine speculativo-practicè dubio. Maj. est innegabilis: Min. ostenditur in casu suprà adducto de emptore & retentore libri. Si enim, auditis utriusque mei amici testimoniis, incipiam dubitare, an non liber ille fortè sit alienus, & ulterior ejusdem retentio sit mihi illicita, clarum est, quòd me judicem periculo expositum peccandi per usurpationem rei alienæ.

53. Conclusio secunda: Quando dubium speculativo-practicum adæquatè non perseverat, hoc est, quando deponitur secundùm id, quod involvit de esse *practico*, & solùm manet secundùm id, quod involvit de esse *speculativo*, cum tali dubio inadæquatè solùm perseverante licitè operari possumus. Pro declaratione hujus assertionis reassumo exemplum, superiùs de possessore libri deductum. Ex illo enim patet, dubium secundùm id, quod habet de esse speculativo, adhuc menti inhærere posse, quamvis secundùm id, quod habet de esse practico, fuerit depositum & sublatum. Hoc sanè ex eo accidere, & persuaderi potest, quòd dictamen conscientiæ speculativo-practicæ denominetur ex diversis objectis & comparationibus. Nam, postquam unus amicorum firmiter asseruit, librum, quem ego emi, spectare ad Mævium, dubium secundùm id, quod habet de speculativo, cadit supra veritatem proprietatis seu dominii; dubitare siquidem incipio, an non fortè Mævius sit illius libri dominus; quod verò habet de *esse* practico, cadit supra facultatem, honestatem, seu licititatem retentionis, usûs, ac dispositionis circa præfatum librum, an nimirum ulteriùs cum retinendo, utendo, vel alienando &c. non peccem. Postquàm autem reflexi, quòd ratio, æquitas, & jus positivum dictet doceatque, in dubio conditionem possessoris justo titulo bonaque fide muniti meliorem esse, adeoque facilè judicavi,

cavi, possessionem vel dispositionem circa librum, donec Mævius suam proprietatem juridicè probet eumque sic evincat, justam, licitamque esse, id, quod ex parte dubii practicum erat, evanescit. Quia verò ex ista prudenti & practica dubii depositione nondum certificor circa dominium & proprietatem libri, dubium quoad hoc *esse* speculativum, *an non fortè Mævius sit libri dominus*, manere potest, licet secundùm *esse*, quod habebat de practico, fuerit sublatum. Et hoc est, dubium speculativo-practicum inadæquatè perseverare posse, scil. secundùm *esse* speculativum duntaxat, & tunc nos licitè operari; illicitè econtra, si adæquatè & unà cum *esse* practico permaneat.

# QUÆSTIO NONA.

## *Utrùm in dubio Juris tutior pars eligi debeat?*

TRipliciter hoc dubium intellectum afficere potest. Primò enim potest dubitare, an lex sit lata, adeoque de existentia: Secundò, de sensu legis, an nempe talem vel talem casum comprehendat: Tertiò de justitia legis, fortè, quòd legislatoris potestas dubia sit? Video, in resolvenda hac quæstione DD. multùm desudare, ac inter se non parum discrepare. Antonius Perez Inclyti Benedictinorum Collegii olim apud Salmanticenses Regens in *Laurea Salmantina*, *Certamine decimo Scholastico*, *Dub.* 2. *n.* 135. absolutè sic statuit: „quando prudenter quis „dubitat de jure aliquo, ipso facto tenetur „ad illud.„ Cui plures alii consonant, ùt Azor. Augustin. Barbosa &c. relati apud Joan. Angel. Bossium in suis *Moralibus de Conscient. Dub. part.* 2. *tit.* 1. §. 39. *n.* 1212. Nonnulli hisce affirmantibus regulariter quidem adstipulari non abnuunt, sed addunt clausulam limitantem, scil. in dubio de existentia legis vel juris nos ad observantiam illius non obligari, quando sine nostro gravi præjudicio aut magno incommodo observari non potest. Verùm contra hos ponitur sequens

54. Conclusio tertia: Quando adest dubium rationabile, id est, apud viros peritos, an lex, jus, vel præceptum aliquod sive divinum sive naturale, sive humanum extet, illudque dubium post moralem diligentiam vinci non potest, tunc illa lex vel præceptum probabiliùs non obligat. Ita cum Bossio loc. cit. Rebello, Henriq. Suar. Filliuc. & aliis ibi allegatis, nec non cum nostris DD. Salisburg. Quibus addo & Mastrium in *Theol. Specul. Mor. h. tr. disp.* 1. *q.* 3. *a.* 2. *n.* 54.

Probant primò hanc conclusionem ex illo principio, quòd lex non sufficienter promulgata non obliget ad suî sequelam: quid enim notius in Scholis, quàm promulgationem, aut esse de essentia legis aut saltem esse conditionem indispensabiliter requisitam? Sed quando dubium rationabile militat, númne lex existat, an non, illaque existentia etiam dubia manet post diligentem veritatis indaginem, lex non censetur esse sufficienter promulgata: ergo tunc lex non obligat. Roborari potest hæc argumentatio ex alio principio, nempe de ignorantia invincibili: sic ergo instamus: qui habet ignorantiam invincibilem de legis existentia, ille planè non peccat, si in actione sua vel omissione tali legi dubiæ sese non conformet: Sed qui post moraliter sufficientem diligentiam dubium illud, quòd fortè nulla lex existat, vincere, ac legem invenire nequit, habet ignorantiam invincibilem de legis existentia. Ergo non peccat, si sese hujusmodi legi dubiæ non conformet. Hinc rectè

55. Probat secundò eandem Conclusionem Anton. Terillus Anglus *tr. de Opin. Probab. quæst.* 23. *n.* 28. in hunc modum: Lex de sua essentia imponitur à superiore, ut secundùm ejus voluntatem sit regula & mensura operationum quoad subditos: atqui hoc ipso, quod superioris voluntas sit dubia, quæ fortè existit, fortè non existit, lex non potest esse talis regula: qua ratione enim superioris dubia voluntas, & lex incerta operationes subditorum dirigere poterunt? Ergo lex dubia non est lex, sed est idem, ac si non existeret. Confirmatio desumitur à foro externo: in hoc siquidem foro externo ob legem dubiam, & de cujus sufficienti promulgatione post diligentem indaginem non apparet aliqua certitudo, nemo condemnatur, sed potiùs favetur reo putativo: Cur ergo idemmet non ita servetur quoad forum internum; Cùm tamen in axioma transierit, legem justam in foro externo esse etiam justam in foro interno, nisi fortè lex sit fundata in præsumptione particulari.

56. Probatur tandem tertiò ex illa juris regula, quòd in dubio sit *melior conditio possidentis*, & possessio in dubio stet potiùs pro libertate contra legem, seu legalem obligationem: hocque axioma est illud principium extrinsecum & reflexum, quo dubium (etsi speculativè manere possit) practicè tollitur, seu deponitur, & judicium certum de honestate actionis formatur, uti ampliùs ex dicendis innotescet. Sed contra nostram conclusionem varia & fortia pugnare videntur argumenta. In contrarium itaque

57. Argumentantur primò: Non licet operari cum conscientia dubia: Sed qui agit contra legem dubiam, & utitur sua libertate, agit hoc ipso cum conscientia dubia: ergo non licet agere contra legem dubiam. Secundò. Quilibet tenetur vitare periculum proximum peccandi: Sed operari contra legem dubiam est periculum proximum peccandi: ergo quilibet tenetur evitare, ne contra legem dubiam operetur: ergo potiùs tenetur sic operari, ac si lex reverà existeret. Tertiò. Ipsi SS. Pontifices asserunt, quòd in

in dubio sit tutior pars eligenda: *C. juvenis. 3. de Sponsal. cap. ad audientiam, de homicid.* At longè tutius est, existente dubio de lege, si lex impleatur, quàm si dissimuletur. Ergo in dubio lex est adimplenda. Quò facit illud S. Augustini in *cap. si quis. de Pœnit. tene certum, dimitte incertum.* Pars autem tutior est certa, quia dum eam amplecteris, certum est, legem, si aliqua extat, à te non violari: minùs verò tuta est incerta, an non fortè lex violetur.

58. Confirmantur hæc per texx. tum mox allegatos, tum alios plures facilè adducendos. Sic primò, in *d. cap. Juvenis. 3. de Sponsal.* casus proponitur, quòd quidam juvenis puellam nondum septennem carnaliter cognoscere attentârit, postmodùm verò ejus consobrinam in uxorem duxerit: & quamvis ætas non permitteret, ut talis puer infra septennium matrimonium validè contraxerit cum prima, eamque carnaliter & perfectè cognoverit, attamen, quia fortè (ecce casum dubium) ex fragilitate humana hoc facere attentavit, istoque modo (ùt olim contingebat ex dispositione *cap. Fraternitati. de eo, qui cognov. consang. Uxor.*) illa intentio contrahendi matrimonium & attentatio illud consummandi ex *interpretatione juris* vim sponsalium habuit, consequenter tunc impedimentum dirimens *publicæ honestatis* produxit inter juvenem & puellæ prædictæ consobrinam, ideo Pontifex mandavit, ut juvenis ab illa consobrina separetur, ea motus ratione: *quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus &c.*

59. Secundò in *cit. cap. ad audientiam de homicid.* dubium erat, utrùm ille, qui decesserat, ex vulnere per presbyterum inflicto, an ex alio subsequenti, decesserit: & Pontifex desuper consultus respondit: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, convenit injungi Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministraret &c.* eapropter in dubio hunc Clericum irregularitatem incurrisse censuit.

60. Tertiò, huc pertinet *cap. penult. eod. tit.* ubi Clericus pugnando, etiam contra inimicos Catholicæ fidei, si quemquam percussit, & de interfectione ipsum remordet conscientia, à ministerio Altaris abstinere jubetur: *Cùm sit consultius, in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.*

61. Quartò in *cap. illud. 5. de Clerico Excommun. deposito, vel interdicto ministrante*, Episcopus habens notitiam suæ excommunicationis per solam famam, & excommunicationi per abstinentiam à divinis officiis celebrandis morem non gerens, à S. Pontifice reprehenditur, ex sæpe allegata ratione, quòd in dubio viam tutiorem eligere debuisset.

62. Argumentantur quartò: Quando dubium est non de substantia legis, sed de sensu ejus, an nimirum hunc determinatum casum comprehendat, libertas non stat in possessione contra obligationem legis, & comprehensionem casûs sub illa. Ergo similiter, quando dubium est circa substantiam legis.

Argumentantur quintò, non multùm dissimiliter: Dubitans, an lex sit usu recepta, non potest sibi blandiri de favore libertatis contra onus legis: Cùm ergo idem esse videatur, legem non existere, &, legem usu non receptam esse, in uno & altero dubio legi, licèt dubiæ, obsequendum est. Ut hæc acuta & adversa tela adunca & irrita reddantur.

63. Resp. ad primum argum. vel negando min. vel maj. distinguendo sic: non licet agere cum conscientia dubia practicè, Conc. Maj. cum dubia solùm speculativè, Neg. Maj. Dist. etiam min. qui agit contra legem dubiam, agit hoc ipso contra conscientiam dubiam, vel practicè vel speculativè, trans. agit semper contra practicè dubiam, N. Min. & Conseq. supponimus, moraliter *sufficientem* diligentiam præcessisse, & *tamen* pro legis existentia nec certitudinem, nec fortiora motiva apparuisse. Ex motivis ergo reflexis, cùm in dubio exorto de legis existentia, possessio & præsumptio stet pro libertate, & nemo in foro externo ad dubiæ legis, vel non satis promulgatæ, observantiam obstringatur, etiam in foro interno licitè operaris: quia sic dubium practicè rationabiliter depositum est, tametsi ejusmodi dubium, an lex revera existat, nec ne, speculativè perseveret, & vinci nequeat.

64. Ad secundum possem repetere eandem distinctionem, quòd nempe is se exponat periculo proximo peccandi, qui agit contra legem dubiam, quin dubium practicè deponat, non verò si ita deponat. Vel dic, periculum esse solùm *materiale*, ut scil. contra legem materialiter tantùm peccetur, non item *formale*, ut committatur peccatum *formale*, hoc ipso, quòd in operante, postquàm dubium practicè & prudenter deposuit, nulla temeritas vel malitia appareat, sed dictamen moraliter certum honestæ operationis: potest enim taliter operans nihilominùs per appetitum rectum, erga DEUM, & legem æternam (ex cujus virtute omnes leges humanæ suam vim obligativam & directivam participant) summumque illud bonum ita affectus esse, ut si legem sufficienter promulgatam esse, cognosceret, eam cum omni obedientia amplecti vellet.

65. Ad tertium, & regulam de *tutiori* parte sectanda objectam nostri Patroni non sunt ita usque ad saccum & peram exhausti, ut non variis solutionibus provisi respondeant. Quibuscum ego in *Thesib. Theologico-Canonicis Repræs. 2. q. 2.* reposui, in illis texx. teste præsertim famoso interprete Emanuele Gonzalezio, contineri casus speciales. Neque enim ibi suffragabatur aliquis titulus *possessionis bonæ fidei*, seu innocentiæ, sed potiùs ratio vel præsumptio delicti obstabat, variæque in deliberationem venerunt circumstantiæ. Containerreà prætacta regula intelligi potest, quòd in dubio tutius sequi debea-

beamus, vel post sententiam à superiore ac Judice latam: vel cessante bona fide; vel de *practicè* dubitante, & dubium prudenter deponere non valente, etiam spectatis *motivis extrinsecis & reflexis*: vel aliquando per modum consilii: vel denique, quòd *tutius*, quando est tale *adversative* sit eligendum, id est, quando altera pars est nullo modo tuta, non verò si altera pars *materialiter* & *comparativè* sit quidem minùs tuta, *formaliter* tamen sit verè tuta, imò æquè tuta: isto enim posteriori casu non sunt ignotæ illæ juris regulæ: *in obscuris sequimur quod minimum, & benignius est: odia sunt restringenda: in dubio melior est conditio possidentis &c.* Adhæc, in casibus jure expressis, & præsertim in materia Sacramentorum, ubi valor & bonitas actionis non tam ex *bono affectu*, & dictamine conscientiæ, quàm requisitis à parte rei positis pendet, regula de tutiori via eligenda, singulariter locum habet. Ut tamen textibus objectis singulis singulas responsiones aptemus,

Resp. ad primum in allegato *cap. juvenis. 3. de Sponsf.* ibi periculum fuisse de valore Sacramenti Matrimonii, ratione impedimenti publicæ honestatis, quo ex juris præsumptione olim in simili casu post ductam primam sponsam, eamque fortè mortuam, sponsus ille primæ uxoris etiam putativæ consanguineam ducere volebat, affectus inhabilisque censebatur.

66. Ad tex. in *cap. audientiam. 12. de homic.* haud ineptè respond. primò Presbyterum illum, in specialem reverentiam SS. Ordinum debuisse abstinere à ministerio Altaris: huncque casum ceu specialem, & in materia odiosa versantem non debere extendi ad alios, existimat, P. Mezger *hic disp. 12. art. 4. n. 3.* Addere mihi liceat respondendo secundò, probabiliter in dicto casu ratione *scandali* in populo metuendi Presbyterum à Pontifice reprehensum fuisse, & injunctâ pœnitentiâ castigatum: populus enim facilè sibi persuadebat, vulneratum ex vulnere per Clericum inflicto decessisse, adeoque Clericum sine dispensatione præviè obtentâ ministerio Altaris indignum esse. Respond. tertiò Wagnereck ad idem *cap. ad audientiam.* Textum loqui de *dubio facti*, non de dubio *juris*, de quo nostra Conclusio sonat. Sic loquitur: in dubio facti homicidii, quando scil. constat, irregularitatem in tali casu esse statutam, dubium autem est, quis fecerit homicidium, vel causa illius fuerit, ùt in præsenti, utrùm videlicet vulnus à cultello ex Presbyteri vagina elapso inflictum intulerit mortem? In hoc dubio ille, qui hunc casum commisit, in utroque foro irregularis est; secus autem est in dubio juris, quando non ambigitur, an hoc vel illud factum sit, sed, utrùm tali facto talis pœna in jure imposita reperiatur. Ita Sayrus *de Censur. lib. 6. c. 2. n. 16.* & in *Clavi Regia c. 13. n. 23.* Barb. *ad h. tex. n. 2.* & alii, ex quibus non pauci existimant, id sentiendum esse in quolibet dubio *facti*; quia Pontifex generatim nititur ea ratione, quòd in dubio amplectenda sit pars tutior. Sed probabilius est contrarium, quia textus iste & similis in *cap. Significasti. 18. eod. tit. de homic.* loquuntur solùm de dubio homicidii, & versantur in materia odiosa, quæ non debet extendi. Ita Suar. *de Censur. d. 40. S. 6. n. 8.* Sanch. *to. 1. Mor. l. 1. c. 10. n. 48.* Quòd verò dicatur, in dubio semper amplectendam esse partem tutiorem, intelligere oportet de dubio *facti* in *hac materia homicidii* & *irregularitatis*, non de dubio *juris*, quando controversum est inter DD. an aliquid sit jure prohibitum, vel non: tunc enim sententiam probabilem in utramque partem sequi tutum est. Imò Sacri Canones expressè negant, irregularitatem in dubio *juris* censeri contractam: quia non incurritur nisi in casibus expressis in jure, per tex. rotundum in *cap. 18. de Sent. excom. in 6.* Atque ex præmissa hac doctrina de irregularitate agnoscenda in dubio homicidii eadem responsio datur ad *cap. penult. de homicid.* qui text. denuo dubium *facti* non *juris* continet.

Ad *cap. illud. 5. de Clerico excommunic. &c.* satis liquet, Episcopum ibi habuisse ignorantiam affectatam & dubium planè vincibile de excommunicatione in ipsum lata, studioseque in veritatem inquirere noluisse, cùm tamen de sententia excommunicationis jam lata, ipsi *per famam* jam constiterit, uti hoc indicant formalia verba textûs. Igitur tutiorem partem sequi, & ùt excommunicatum se gerere debuisset.

Ad argum. quartò locò ex paritate conflatum Resp. primò, occurrente dubio de sensu legis, adiri debere superiorem, si commodè consuli possit: quia ejusdem est legem ferre, eamque interpretari, *l. ult. Cod. de LL.* Resp. secundò: etsi fortè res moram non patiatur, & ideo superior commodè consuli nequeat, attamen dubitans stante dubio formali, per epikiam & piam interpretationem judicare non potest, casum, de quo dubitat, sub legis sensu non comprehendi, atque adeò contra legem agendo illicitè operatur. Disparitas redditur, quòd, existente dubio de substantia legis, an nimirum lex fuerit lata nec ne, lex non sit in possessione, sed potiùs libertas nostra: econtrà, dubio emergente, utrùm lex universaliter lata, hic & nunc etiam hunc vel illum casum comprehendat, lex est in possessione & vigore suo contra libertatem, nisi aliqua notabilis circumstantia aliud suadeat, & ratio prudens evidenter dictet, casum sub lege non comprehendi. Ergo in hujusmodi dubio legem servari necesse est. Latè Bossius de *Conscient. Dub. part. 2. tit. 1. §. 39. n. 1242. & seq.*

67. Ad argum. quintum Resp. bifurcatam ibi inveniri semitam, seu Doctorum sententiam. Una enim dicit, in dubio, an lex, debitè promulgata, sit usu recepta, ideo standum esse pro legis obligatione, quia similiter lex tunc est in possessione, & habet præsumptionem pro se: & ideo ei, qui legem usu receptam negat, onus probandi incum-

bere. Ita Sanch. Filliuc. Bonac. Fragos. & alii apud Bossium *loc. cit. n.* 1225. Altera sententia sustinet, probabiliter talem legem non obligare, ex ratione; quòd lex usu non recepta nunquam obligaverit. Verùm hæc ratio omnino displicet: quia supponit, ad legis essentiam & obligationem requiri acceptationem populi, quæ sententia, etsi eam multi Theologi & Canonistæ defendant, quoad legem Ecclesiasticam præsertim firmis radicibus hærere non videtur, uti in *Tract.* meo *de Summo Pontif.* ostensum est. Et licet doctissimus Jurisperitus Menoch. *de Præsumpt. lib.* 2. *præs.* prædictam sententiam eo fundamento persuadere conetur, quòd legem usu receptam esse sit *quid facti*, facta autem non præsumantur, per textus in *l. in bello.* 12. *§.* 2. *ff. de Captiv. & postlim. revers. cap. Cùm Joannes.* 10. *de fid. Instrument. l.* 10. *Cod. de non numerata pecunia:* quemadmodùm nec privilegia, quæ sunt leges privatæ, usu recepta præsumuntur, juxta Bertrandum *Cons.* 149. *n.* 2. *lib.* 1. & *Cons.* 130. *n.* 2. *eod. lib.* Horatium Mendosium *tr. de Privileg. ad instar. glos.* 15. *n.* 56. ab eodem Menochio relatos: Nihilominùs non ita nos movent istæ rationes, ut huic sententiæ adversæ aures faventes præbeamus; sed multò magis primæ subscribendum esse censemus, eo saltem in casu, quo rebelles, & legi non parentes à Legislatore reprehensos, aut punitos fuisse, sicque legem tacitè non revocâsse, constat: quandoquidem (secundùm veriorem sententiam) legis essentia statim post ejus legitimam promulgationem in suo statu perficitur. Et lex semel posita per actus contrarios populi abrogata non præsumatur, nisi actus illi sint notorii, diuturni, in-interrupti, uniformes, & conditionibus ad consuetudinem contrariam introducendam instructi, inter quas primum locum & principalem virtutem obtinet tacitus legislatoris consensus.

68. Neque prævalet ratio Menochii: Nam (ùt rectè notant Bossius & Laymann.) licèt receptio vel acceptatio legis sit *quid facti*, attamen factum tunc præsumitur in dubio, si illud de jure faciendum erat, item factum præsumitur in usitatis & fieri consuetis, Auguft. Barb. in Thes. Locor. Commun. v. *factum.* axiom. 27. de jure autem receptio legis fieri debet; quæ præsumptio etiam ex eo capite locum habet, ut excludatur delictum, quod in dubio præsumi non decet. *l.* 51. *ff. pro socio.* Et pro hac doctrina Bossius ibidem *n.* 1228. cumulat graves Auctores, ùt Decium, Curtium, Riccium, Baldum, &c. Neque paritas à privilegio ducta ab ista sententia nos dimovere poterit: Cùm enim nemo suo privilegio singulari, uti obligetur, bene verò quilibet subditus legem servare, usus vel etiam acceptatio privilegii est præcisè aliquid *facti*, quod in dubio non præsumitur. Hæc de dubio *Juris* secundùm Auctores benignioris sententiæ.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *Quid dicendum sit in dubio facti?*

INquiritur, utrùm in dubio *facti* saltem, quis tutiorem partem in conscientia sequi obstringatur, propter obligationem dubiam: vel, utrùm in hoc quoque dubio sit melior conditio possidentis suam libertatem, sic, ut, facta diligenti perquisitione, aliquis eo titulo dubium rectè deponere, seque in conscientia tutum judicare queat?

69. Conclusio affirmativè statuitur à benignioris sententiæ defensoribus, extenditurque à materia justitiæ ad alias aliarum virtutum materias, v. g. religionis, voti, jejunii, &c. ubi agitur de honestate operationis vel omissionis. Itaque in dubio *facti* non datur obligatio, sequendi partem tutiorem, excepto dubio *facti*, concernente incursum irregularitatis ex homicidio dubio. Ita reipsa sentit utraque Theologia Salisburgensis, Scholastica *h. tr. disp.* 12. *art.* 2. & 3. Et Moralis *disp.* 3. *a.* 3. Laym. ibid. *cap.* 5. §. 4. Patrit. Spor. *cap.* 1. *sect.* 4. & alii passim.

70. Probationi solidum substernitur fundamentum illo Juris principio, paulò antè allegato, quòd factum in dubio non præsumatur, sed probari debeat: Consequenter donec sufficienter constiterit de actu commissionis, seu existentia facti, in utroque foro militat præsumptio & credulitas, factum, ex quo nata fuerit culpa vel obligatio, non contigisse, non intervenisse.

71. Huc proinde plura alia Jurisprudentiæ axiomata inservire censentur: v. gr. quòd dubia in partem meliorem sint interpretanda, *cap. estote.* 2. *de R. I.* In dubiis sint benigniora præsumenda, *cap. fin. de Præsumptionib. l. penult. ff. de Pœnis.* In dubio non sit capienda præsumptio culpæ & delicti, *l. meritò.* 51. *ff. Pro Socio.* Seu, quòd præsumptio exclusiva delicti fortior sit delicti inclusivâ. Bartol. in *l. non solùm. §. sed probari. ff. de Novi Oper. Nunciat.* Et denique in dubio melior sit conditio possidentis libertatem, & innocentiam: in dubio nemo se obligare voluisse censeatur: jura in dubio sint proniora ad liberandum, quàm ad onus imponendum &c.

72. Casus primus. Dubitas, an tua mens, verba, vel signa promissionem sponsaliorum in se continuerint? Secundus: An Titio equum tuum promiseris? Tertius: debitori suum debitum remiseris? Quartus: Tuo privilegio vel favori juratò renunciâris? Quintus: An voveris &c. Si, post adhibitam moralem diligentiam, in præmissorum facta & veritatem venire nequiveris, pro libertatis tuæ possessione judicare poteris.

73. Op-

73. Opponės primò. In *dubio facti*, ex dictis, possum deponere dubium contra obligationem pro mea libertate. Atqui dum vovi v. g. eleemosynam, dum promisi alteri certam pecuniam &c. possum fortè dubitare de facto largitionis, solutionis, vel impletionis. Ergo in istis casibus potero dubium deponere pro libertate contra obligationem: hoc autem est contra communem Theologorum quantum ad forum internum, & contra communem Juristarum quoad forum externum.

74. Resp. primò distinguendo majorem, & simul sensum conclusionis nostræ interpretando: In dubio facti possum dubium deponere pro libertate contra obligationem, quando libertas est in possessione, Conc. Maj. quando obligatio est in possessione contra libertatem, tunc possum dubium practicè deponere pro libertate, Neg. Maj. Conc. min. Dist. cons. Ergo in dictis casibus potero dubium deponere pro libertate, si libertas esset in possessione contra obligationem, Conc. cons. Si obligatio sit in possessione contra libertatem, N. Conseq.

Explico. Si vovi aliquid, vel promisi, & de hoc facto constat, certus sum, quòd libertas mea fuerit vinculata, adeoque nexus obligationis tamdiu me liget, donec *factum* solutionis vel implementi præstitero: unde vides, præsumptionem pro libertate sublatam esse, econtra verò inductam pro debito & obligatione: ergo absurdum erit, si me voventem vel promittentem, qui de executione voti vel promissi fluctuo, à nexu obligationis, quæ interim velut in possessione erat, absolvam. E diverso, si dubitem, an voverim, vel promiserim, possessio & præsumptio stat pro libertate contra obligationem; & in hoc vel simili dubio *facti* loquitur nostra conclusio, minimè verò in dubio *facti*, quando præcessit obligatio & possessio atque præsumptio pro illa militat: imò in tali casu nostro quoque principio standum est, quòd sicut factum impositæ obligationis non præsumitur, ita nec factum solutionis vel impletionis in dubio præsumatur, sed probari debeat. Hinc Exim. P. Patrit. Sporer supra *cit. c.* 1. *Sect.* 2. *n.* 83. ponit hanc notabilem regulam: *In dubio facti, fundantis legem, homo manet in possessione suæ libertatis:* E-contra, *in dubiis facti supponentis legem, lex manet in possessione obligationis.* Dein

75. Regulæ quantum ad primam partem exempla subjicit primò in pœnis. Universaliter, inquit, in omnibus juribus & legibus pœnalibus, etiam censurarum & irregularitatum, in dubio facti, quando verè invincibiliter dubitatur, an quis commiserit tale factum, propter quod constat esse decretam pœnam, censuram, vel irregularitatem, &c. nemo censendus est esse ligatus; excepta solâ irregularitate ex delicto homicidii voluntarii, supposito, quòd constet de corpore delicti & non aliter: nam delictum commissum est factum fundans legem pœnalem: & quia in dubio specialiter non præsumitur delictum commissum, non potest in dubio inducere obligationem pœnæ. Sic si verè invincibiliter dubites, an homo à te percussus fuerit Clericus, nec ne, aut, an sis excommunicatus, non debes te censere excommunicatum, sed licitè audire sacrum, aliaque omnia excommunicatis prohibita facere potes: quia nimirum non præsumitur factum, & melior est conditio possidentis: Cùm ergo quilibet possideat jus communicandi cum fidelibus in sacris & politicis, non debet in dubio eo jure spoliari &c. Hæc ille, & plura, præsertim in materia votorum agglomerans exempla. Paulò pòst etiam affert exempla secundam partem statutæ suæ regulæ illustrantia. V. g. Dubitat aliquis, an vesperas, vel alias horas hodie persolverit: debet adhuc persolvere, quia obligatio est certa, exsolutio & liberatio incerta, consistitque in facto supponente legem. Subdit tamen, in dicto casu à nova horarum recitatione excusari illos, qui habent probabilem conjecturam, quòd illas recitârint, ùt si habuerint propositum recitandi, librum tenuerint, horas inceperint: præsertim si aliàs sint valde scrupulosi, & se reflectant, quòd horas incuperint, & solùm de aliquo psalmo dicto dubitent &c.

76. Regulam aliam suggerit idem Sporer *loc. cit. n.* 86. hujus tenoris: *In dubio circa tempus inchoandæ obligationis, homo manet in possessione suæ libertatis.* Contrà: *In dubio circa tempus finiendi obligationem, lex manet in possessione libertatis.* E. g. Dubitas, an jam attigeris annum vigesimum secundum, quo tempore inchoatur obligatio abstinendi à secunda refectione in die jejunii; adhibitâ sufficienti diligentiâ, non prohiberis secundam refectionem accipere: Similiter, si rationabiliter dubites, an in die Jovis duodecima noctis jam sonuerit, & ita dies jejunii inceperit, nondum à carnium esu abstinere teneris, quamvis omnino consultum sit, ut in utroque dubio abstineas. Ratio est, quòd tunc possessio certa libertatis stet adversùs obligationem dubiam legis, forsan nondum obligantis. Contrà, si dubites, an die Sabbati noctis duodecima sonuerit, vel, an sexagesimum ætatis annum compleveris, in utroque casu ad continuandum jejunium obligaris: quia legis obligatio subortum dubium præcessit, eratque hactenus certa.

77. Regula tertia ibidem sic traditur: *In dubio de modo obligationis contractæ, vel solutionis factæ, consideratis omnibus, & nullo obstante præsumendum est id, quod dubitanti minùs onerosum est:* Sicuti enim in dubio, an aliquis se obligare voluerit simpliciter & quoad substantiam in partem benigniorem inclinandum est, & contra obligationem (ex dictis) simpliciter præsumendum; ita proportionaliter, quando dubium est, & nec ex verbis, nec ex quantitate materiæ judicari potest, an quis v. g. in voto se obligare voluerit sub gravi vel veniali peccato, præsumi & stari

potest pro veniali. Ex quo principio cum Sanch. & aliis tenet, eum, qui quidem noscit, se vovisse castitatem, sed verborum & intentionis immemor spectatis omnibus verè dubitat, an ad castitatem perpetuam, vel solùm temporalem scil. usque ad tempus opportunum nuptiarum se obligare voluerit, tempore opportuno licitè matrimonium inire posse. Hinc etiam si debitor ex pluribus titulis unum debitum solvat, in dubio illud expungere voluisse creditur, quod est magis onerosum, v. g. oneri usurarum præstandarum subjectum. Nunc iterum ad objectiones.

Opponunt secundò: Ineptè ratio & vox possessionis trahitur vel torquetur ad libertatem nostram; quandoquidem possessio passim definitur, quòd sit detentio rei alicujus corporis & animi adminiculô; & pro objecto respiciat res corporales, externas, atque commercio humano obnoxias: malè itaque & imperite ad forum internum & libertatem applicatur illa decantata regula, quòd in dubio vel in pari causa melior & potior sit conditio possidentis.

78. Resp. Negando assertum, quòd quidem verum esset, si nomen possessionis strictè sumeremus, secùs, si latiùs sumatur, ùt in præsenti. Sed quæso! Fagnanum, & si qui alii hanc Crisin excitant, éstne novum quid & peregrinum in jure, quòd nomen possessionis latè & impropriè accipiatur? Sanè frequentissimè dicimus, jura incorporalia, qualia sunt v. g. jus eligendi Prælatum, jus præsentandi Clericum ad beneficia, item jurisdictionalia, Jura Regalia, & sexcenta alia in nostra *quasi* possessione esse: imò de fundo nostro inanimato dicere solemus, & quidem more apud Juristas recepto, eum pro se præsumptionem & possessionem libertatis habere contra quamcunque servitutem ab alio prætensam, donec alius hanc libertatem & possessionem probet destructam, interruptam, aut diminutam. Circumferuntur & illi termini, quòd aliud prædium, cui nempe debetur jus servitutis in alieno, vicino prædio, sit *dominans*, aliud, quod ita servitute affectum est, sit *serviens &c.* Præterea, quid notius, quàm hominem esse in dominio & possessione tum famæ, tum honoris? Cur distortiùs nos loqui dicamur, si eidem etiam jus possessionis quoad suam innocentiam, & libertatem adstruamus? Verùm hæc murmura jam pridem strenuè repressit Mezger *h. tr. disp.* 12. *art.* 3. *§.* 2.

79. Opponunt tertiò: Absurdum est, hominem in libertatis possessione existere contra DEUM: hoc autem ita fieri, si conscientiam dubiam vel in dubio legis, vel in dubio facti rectè deponi asseramus, illo fulti principio, quòd possessio stet pro nostra libertate. Deinde hoc judicium foret sine Judice, cùm DEUS actoris partes subiret, homo verò partes rei, & prætextu possessionis jus divinum elideret.

Resp. P. Mezger *loc. cit. n.* 8. se mirari, quòd viri etiam docti explodant illud conscientiæ judicium, quo de obligatione legis, & retentione libertatis disceptatur; quasi sit judicium sine Judice, & quidem contra DEUM seu Jus Divinum: quis enim nostrorum Patronorum tam insulsè vel cogitet vel doceat? Si DEUM ùt actorem contra nos stare crederemus, DEUM legis dubiæ observantiam à nobis prætendere, alicubi exploratum haberemus, nempe vel ex S. Scriptura, vel ex SS. Patribus, vel traditione & usu Ecclesiæ, vel Doctorum unanimi consensu, vel demum ex lumine & ratione naturali. At ex nullo istorum capite id percipimus. Quòdsi legem existere prudenter judicare possemus, imprudenter verò existentia illius negaretur, tunc profectò DEO quasi litem movere videremur. Hoc verò longè absit à nobis. Illud demum volumus, ait Mezger, quòd, cùm sciamus, non minùs ipsam agendi libertatem, quàm legis obligationem à DEO esse, in dubio, an libertati naturaliter prætensæ prævaleat legis obligatio, in fluctuantis utrimque rationis consilio, aut judicio, prudens conscientia, imò DEUS per conscientiam tanquam substitutum Judicem, ferat sententiam, & regulas honestæ operationis definiat.

80. Sed (urges) fortè, lex à parte rei existit, & stat in possessione contra libertatem, etiamsi nos illam existentiam non cognoscamus. Esto sic; quid tum? Nónne ignorantia legis, quæ tamen reverà existat, modo invincibili dari potest, & tamen cum conscientia erronea, si eam, ad DEUM & legem divinam bene affecti paratique ad parendum sequamur, actio honesta procedit? At sumus in dubio invincibili, ùti suppono, an lex existat. Ergo, sive lex dubia à parte existat sive non, honestè operamur, dubiô pro libertate practicè depositô: non enim sufficit *materialis* existentia legis, sed requiritur *formalis*, id est, in nostro intellectu sufficienter cognita. Ut Judex fori externi sententiam ferat, & delictum alicui imputet, illud priùs cognitum, & sufficienter probatum sit, oportet: non ergo mirum erit, quòd Judex nostri fori interni, id est, conscientia, ad hoc, ut contra innocentiam pronunciet, de prævia legis quà cognitæ violatione instructus sit. Satis de Conscientia dubia, & quidem favorabiliter contra rigidiores.

81. Quòdsi tamen hic Consilium aliquis expetat, suadeo, & consulo, ut nihilominùs in praxi tunc saltem tutiorem in dubio partem eligat, quando citra grave incommodum, molestiam, vel nocumentum in propria persona, bonis honoris, aut fortunæ tùm corporalibus tum spiritualibus id fieri potest, ut in exemplo de jejunio servando, quando dubitas, utrùm duodecima nocturna hora jam sonuerit, & ita dies Veneris jam inceperit: Quid enim gravioris molestiæ tunc sentias, si paulò citiùs ab esu carnium abstineas? Econtra sat magnum incommodum per-

perferendum esset, si in dubio contractæ excommunicationis (saltem à Judice non declaratæ) te ùt excommunicatum gerere deberes, abstinendo nimirum ab auditione sacri, commercio cum hominibus &c. Quo casu ipse Cornejo *h. tr. disp.* 4. *dub.* 2. licet in conclusione principali nobis contrariari videatur, in dubio neminem ad viam tutiorem obligat, quia lex præcipuè illa, quæ tantum incommodum affert, non censetur sufficienter esse promulgata, & in circumstantia tam gravis incommoditatis locum habere videtur regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis suam libertatem.

## De Conscientia scrupulosa.

Cùm hæc materia de Conscientia scrupulosa, quæ, ùt loquitur Mezger, non constituit speciem conscientiæ essentialiter ab aliis distinctam, sed solùm accidentaliter, & ideo à Ludovico Abelly in *Medul. Theol. tr. de Act. hum. c.* 1. *Sect.* 5. *§.* 4. ad conscientiam vincibiliter erroneam reducitur, paucæ notabiles occurrant controversiæ, eam velut de plano tractabimus, & breviter expediemus.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

### *Quid sit Conscientia scrupulosa: vel Scrupulus?*

82. Conclusio: Scrupulus est quædam inanis & levi, vel nulli fundamento innixa suspicio seu apprehensio, ex qua homo ibi timet peccatum vel periculum peccati, ubi nullum est. Docet autem Mezger hic *disp.* 13. *a.* 1. *n.* 1. scrupulum *inchoativè* esse quidem apprehensionem mali, seu peccati, ubi tale malum non est, *completè* tamen & formaliter consistere in judicio, & actuali quadam credulitate peccati, quæ ad illam præviam futilis cujusdam rationis apprehensionem subsequitur; atque exinde suboritur illa perturbatio & anxietas mentis, ipsaque conscientia scrupulosa & perplexa redditur, ac denominatur.

## QUÆSTIO DUODECIMA.

### *An stante scrupulo, Conscientia possit nihilominus esse certa, vel probabilis?*

83. Conclusio est affirmativa. Explicatur, & probatur. Potest stare dubium speculativum cum conscientia practicè certa, ut in antecedentibus ostensum fuit. Ergo etiam, vel multò magis stare poterit scrupulus cum conscientia practicè certa. E. g. Medicus ægro prohibet, ne in Festo Nativitatis Domini Ecclesiam pro sacro audiendo accedat. Proponit etiam rationes sufficientes, quæ intuitu periculi incurrendi ægrotum excusant. Concordat quoque cum Medico ipse Confessarius. Credit tandem Medico æger, eique licitè pareri posse, secum practicè judicat. Patitur interim anxietates ex parte judicii speculativi, nescio ex quo levi fundamento, quòd fortè causa excusans ab audiendo sacro non sit tanta, ut pro sufficienti haberi debeat. Ecce judicium practicè certum, stante scrupulo ex parte judicii speculativi.

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

### *Sitne necessaria scrupuli depositio, ut operatio, vel omissio sit licita ac recta?*

84. Conclusio tertia est negativa, cum Castropal. hic *de Conc. scrupul. punct.* 1. *n.* 3. citante, Navarr. Sanch. & alios: Et ratio est ex dictis facilè colligenda: tum quòd scrupulus differat à dubio, saltem positivo, quòd *dubium* oriatur ex aliquo fundamento rationabili, scrupulus verò ex levi aut futili, ideoque scrupulus intellectum practicum ab utriusque partis assensu non suspendat: tum quòd aliunde intellectus, qui ex opposito rationem prudentem & fortem cognoscere supponitur, levitatem motivi scrupulosi (quamvis ex illo nihilominùs ob malam hominis dispositionem anxietas sequatur) ultrò advertat. Quòd si scrupulus in dubium vel errorem vincibilem degeneraret, utique deponi deberet. Deinde, aliud est, scrupulo assensum dare; aliud, scrupulum non ampliùs à nobis sentiri: prius utique non licet; quantum ad posterius, equidem laudabile & consultum est, scrupulos deponere, & contemnere, non tamen semper in nobis est, ab illis ita liberari, ut nulla ampliùs sentiatur anxietas, timiditas, vel perplexitas, uti quotidiana in scrupulosis docet experientia.

85. Pro indicio hominis scrupulosi Laym. *de Consc. cap.* 6. habet, si ad tranquillitatem componi, & à suspicione peccati liberari nequeat, etsi à sapientibus vel proprio quoque judicio de contrario satis informatus existat. Scrupulosi enim, si alteri consilium præbere debeant, aut in aliena causa de peccato judicare, plerumque absque formidine contra pecca-

peccatum respondere solent: Si verò causa ipsosmet concernat, Consilii inopes manent, recurrentibus identidem stimulis anxietatis.

86. Quantum ad causas, ex quibus scrupuli oriuntur, aliæ sunt naturales & velut homini intrinsecæ; aliæ extrinsecæ. Primò enim (loquendo de naturalibus) humor melancholicus scrupulis generandis aptam omnino ministrat materiam. Nam, cùm Melancholici passim sint ingeniô acuti, & phantasiæ tenacissimæ, hinc in omnem mali suspicionem proclives, minimas etiam ratiunculas perscrutantur; & quas semel apprehenderunt, quasi manu constrictâ ita retinent, ut eas à nemine extorqueri mutarique, facilè patiantur. Sed & phlegmatici, cùm ob naturæ frigidioris temperiem timoribus & pusillanimitate exagitentur, diversis scrupulis, quàmvis non ita tenacibus, ùt melancholici, cruciantur. Ob eandem phlegmaticam temperiem, fœminæ scrupulorum incommodis frequentiùs vexantur. Secundò (loquendo de causis extrinsecis) ipse Dominus DEUS aliquando etiam innocentium animis quosdam angores immittit, ut eos ad altiorem perfectionem provehat. Dæmon quoque frequens scrupulorum ciniflo est & artifex, per sanguinis motionem, & humorum alterationem, excitando diversa simulachra & rerum imagines in phantasia, ex quibus deinde intellectus apprehensiones & suspiciones peccati concipit, atque efformat. Experientiâ insuper constat, per commercium cum scrupulosis scrupulos sensim in conversantes propagari: timidus quippe timidum facit.

87. Remedia contra scrupulosos alia videntur esse generalia, quædam singularia singularibus personis utilia vel necessaria. Inter generalia maximè salubre est Oratio ad DEUM, ut intellectum nostrum illuminet, & voluntatem in bono confortet. Deinde obedientia, acquiescens consilio seu judicio prudentis Confessarii, alteriusve viri spiritualis. Item declinatio conversationis cum scrupulosis. Sæpe etiam sumptio medicinæ, quâ sanguis melancholicus, viscosus scilicet, vel etiam humor pituitosus in phlegmaticis purgatur, multùm prodest.

88. Consulunt quoque scrupuloso ne judicet, se mortale commisisse actu, aut in aliquod consensisse, nisi de hoc certitudinem habeat: nec nisi certa peccata ad sacrum tribunal deferat, dubia non item aut scrupulosa, sed tanquam futile quid contemnat. Nec repetat Confessiones, sed acquiescat, si vel Confessarii, vel suo probabili judicio integrè confessus fuisse visus est, veluti monet Navar. in *cap. Fratres. num.* 30. *dist.* 5. *de Pœnitent.* & in *Manual. cap.* 21. *num.* 42. Juvat etiam scrupulosum, si vivendi rationem in aliis bonis & timoratis hominibus bene attendat, & quod illi absque peccati formidine agere solent, sibi quoque in peccatum haud fore imputandum, censeat. Notet insuper, præcepta, præsertim affirmativa & positiva, v. gr. concernentia jejunium, horas Canonicas, excommunicationes, irregularitates, &c. non secundùm rigorem, sed secundùm quandam epikian intelligenda esse: quodque dicitur *Sap.* 1. *Sentite de Domino in bonitate, & simplicitate cordis.* Neque existimet, Legislatorem tam rigidum ac durum, ut bonæ voluntatis hominibus peccata adscribat, pœnámve decernat: aut DEUM, Ecclesiamve suis præceptis efficere velle, ut homo in stultitiam cadat, quod scrupuloso denique evenit. Ita S. Antonin. Sylvest. & alii apud Laym. *hoc tr. cit. cap.* 6. Quid si autem scrupulosus obmoveat, quòd cum hoc vel illo scrupulo mori non auderet? Replicat Sylv. apud eundem: in illo articulo multa ab homine fieri, quæ tamen necesse non est, nec fieri expedit in vita: quia homo tandem desperaret, aut fatuus evaderet. Sanchez verò ibi ait, etiam in illo mortis articulo consultius fore, ut scrupuli contemnantur.

# DISSERTATIO TERTIA.
## *DE*
## *Conscientia Probabili.*

SI ulla alia materia inter Moralistas famâ celebris est, & in Scholis impressisque libris in frequens certamen producta, certè hæc de probabilitate nulli alteri cedit. Ut autem rem totam ex fundamento intelligamus, omnino necesse duxi, quædam circa naturam, & divisionem opinionis probabilis præmittere.

89. Præmittendum primum versatur circa nomen & definitionem probabilitatis: ac primò quidem probabile quibusdam idem significat, atque *approbabile*, seu commendatione & approbatione dignum. Et, ut loquitur hic *Theol. Mor. Salisb. disp.* 4. *art.* 1. *§.* 1. *n.* 1. „probabilitas nihil est aliud, quàm „ passiva approbabilitas, seu meritum ac di- „ gnitas, qua aliquid meretur, & constitui- „ tur dignum, ut approbetur & commende- „ tur: „ Sicut amabilitas seu bonitas est ratio formalis, qua res quæpiam constituitur amabilis vel digna, ut ametur. Ex quo infert, probabilitatem alicujus sententiæ esse formaliter id, ratione cujus est digna, ut ab intellectu approbetur, veraque esse censeatur. Idem docet Eminentiss. Card. Lauræa *to.* 2. *in* 3. *sent. disp.* 11. *art.* 4. *n.* 241. & 281. apud Thyrs. Gonzal. *de recto usu opin. probabilium dissert.* 1. *n.* 36. inquiens: non debere vocari pro-

probabilem in vero ac proprio ſenſu Ariſtotelico, aut etiam ſcripturali, ſententiam illam, quæ operanti apparet minùs veroſimilis, quàm contraria: nam probabile idem importat ac dignum, ut approbetur: non eſt autem digna approbari ſententia, quæ repræſentatur ut minùs veroſimilis: quod quidem poſterius dictum de minùs veroſimili Probabiliſtæ benignioris ſententiæ ſine contradictione vel diſtinctione non acceptabunt. Addit prætereà, nomine propoſitionis probabilis, ſi res accuratè penetretur, Philoſophos ac Theologos nil aliud intellexiſſe, niſi eam, cujus veritas evidenter non conſpicitur, ſed per aliqua media ſive extrinſeca, ſive intrinſeca ita apparet, ut expulſa formidine mereatur approbari, ſeu exiſtimari vera.

90. Præmittendum ſecundò, quòd juxta allegatum Thyrſum Gonzal. non parum referat, conſiderare, quòd ſententia probabilis eſſe poſſit vel *abſolutè* tantùm & *in ſe* aut quoad alios graves viros, qui eandem ùt talem approbant atque defendunt: vel poſſit eſſe probabilis etiam *relatè* ad ipſum *operantem*, quando ipſe etiam *operans* fundamentum grave probabilitatis ſuo proprio quoque judicio deprehendit, & agnoſcit. Interim nomine fundamenti ſeu motivi gravis, ad ſententiam *intrinſecè* probabilem efficiendam ſufficientis, requiritur tam magna apparentia *veri* (licèt in ſe fallibilis) ut ſit potens intellectum ad aſſenſum impellere, quemadmodùm ad fundandam opinionem extrinſecè probabilem requiritur apparentia *veri* tam magna, quæ propter auctoritatem docentium, loquentium, vel ſcribentium ſimiliter intellectum inclinare valeat.

91. Præmittendum tertiò, opinionem dividi in *certò probabilem*, & in *probabiliter probabilem*: poſſumus enim judicium certum habere, quòd aliqua opinio ſit verè probabilis, vel quandoque etiam dubitare de ejus probabilitate: ergo in priori caſu illa opinio erit *certò probabilis*, in poſteriori tantùm *probabiliter probabilis*, quam fortaſſe dubiè probabilem haud ineptè vocaveris, quæ etiam parum differt aut nihil ab opinione *tenuiter* probabili. Rurſus duæ opiniones certò probabiles, una affirmativa, altera negativa, occurrere poſſunt circa idem objectum, & materiam: Sique in magnitudine motivorum appareat æqualitas, dicuntur *æquè* probabiles; Si verò ſit minoritas motivi ex parte unius & majoritas ex parte alterius, una *minùs probabilis*, altera *probabilior*, vel etiam *probabiliſſima*, quando videlicet motiva ſunt efficaciſſima, dici ſolet. Poſſunt afferri adhuc aliæ diviſiones, ùt in opinionem *poſitivè* probabilem, & *negativè* ſolùm probabilem: *in ſpeculativè* probabilem, & *practicè* probabilem, in probabilem *quoad nos*, & probabilem *quoad ſe*. *Poſitivè* probabilis eſt illa, quæ per rationem poſitivam intellectum movere valet ad aſſenſum: *negativè*, ſeu *præciſivè*, quæ neque pro una parte contradictionis neque pro altera rationem habeat, à qua intellectus ad aſſenſum impelli queat, uti in his *aſtra ſunt paria; Imperator Romanorum nunc ſedet; Turca nunc ambulat.* Verùm hæc probabilitas *negativa* planè per abuſum dicitur probabilitas: quia ejusmodi opiniones vel propoſitiones nullum objectivum habent meritum vel dignitatem, ob quam approbabiles dici poſſint. Reliquas explicationes dabit Theol. Salisburg. hic *diſp.* 4. *art.* 1. *§.* 2. His præmiſſis, reſolvendæ veniunt variæ quæſtiones: Sit ergo

# QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

## *Quid ſit Conſcientia probabilis?*

92. CONcluſio: Conſcientia probabilis ſumi poteſt vel pro judicio ſeu aſſenſu directo, vel pro reflexo: Sumpta pro directo eſt judicium practicum formaliter vel virtualiter ex præmiſſis probabilibus, ſeu veriſimilibus, id eſt, gravi & magno fundamento innixis deductum, dictans, hanc vel illam actionem probabiliter, probabiliùs, vel probabiliſſimè honeſtè exerceri, aut omitti poſſe. Conſcientia verò ſumpta pro actu ſeu aſſenſu *reflexo* eſt judicium ultimò practicum ex reflexione ſupra probabilitatem præmiſſarum & concluſionis antecedentis, ſeu judicii directi virtualiter vel formaliter, ſeu, ſi mavis, in actu ſignato, vel exercito deductum, dictans, actionem hanc vel illam in particulari, quæ ſubſtat diſcurſui & judicio probabili directo *certò* honeſtè exerceri, aut omitti poſſe, vel exerceri, aut omitti non poſſe. Ita demum, poſt prolixam ſpeculationem, conſcientiam probabilem pro meliori captu explicari poſſe, mecum decrevi. Obſervavi enim, Doctores hoc loco potiſſimùm occupari in explicatione *opinionis* probabilis, ejusque concurſu cum alia opinione vel æquè probabili, vel probabiliori, quin ipſam *conſcientiam* probabilem, in quo ejus natura propriè conſiſtat, exprimant, aut ſaltem non tam clarè; & tamen reipſa, ſi bene conſiderentur, Probabiliſtæ præſertim, noſtram bicipitem concluſionem judicii ſcil. *probabilis directi*, & *certi reflexi* pro ſcuto & defenſione ſui probabiliſmi ſollicitè aſſumunt. Evolve Theol. Moralem Salisburgenſem *h. tr. Diſp.* 1. *artic.* 2. ibi in diviſione conſcientiæ hæc verba leges: *Conſcientia probabilis ſive opinativa eſt, quæ de una parte contradictionis determinatè judicat, ſed cum formidine oppoſiti.* Progredere ad *diſp.* 4. *art.* 1. *§.* 2. ibi reperies, ſententiam probabilem rectè definiri, quòd ſit *judicium fallibile quidem ſed rationabili motivo innixum.* Deinde *art.* 2. tandem uſum ſententiæ probabilis generatim explicans re ipſa & quoad ſubſtantiam nihil alienum

num tradit à nostra bimembri Conclusione.

93. Ostendo id evidenter, simulque statutam nostræ Conclusionis doctrinam declaro. Primò enim innegabile est, ex præmissis seu propositionibus, quarum una saltem solùm probabilis est ac simul minùs tuta (quia stat contra legem dubiè, aut probabiliter obligantem) non posse, etiam pro praxi, aliud judicium directò sequi aut à nobis formari, quàm probabile: stando itaque judicio sic formato conscientia dictaret, probabile solùm esse, actionem vel ejus omissionem fore honestam, scilicet ex rationibus sententiæ affirmantis: ex rationibus verò sententiæ negantis probabile quoque esse, actionem vel ejus omissionem non fore licitam ac honestam. Jam verò cum tali judicio practico probabili duntaxat circa honestatem actionis, tutò agi non posse, ex eo constat; quia fallibile est; cùm tamen dictamen conscientiæ debeat practicè & moraliter certum esse, tum quòd sit actus prudentiæ, tum quòd sit participatio legis æternæ ceu regulæ primariæ, quorum unumquodque infallibilitatem importat. Et ita docent communissimè Theologi, ut habet *cit. Theol. Salisb. d. art. 2. n. 1.*

94. Secundò è contrario, ut Conclusio vel dictamen conscientiæ practicæ certum eliciatur, ex præmissis certis, hoc est rationibus, quibus intellectus firmiter adhærere potest, deductum esse debet, præscindendo etiam ab illa controversia, num liceat minùs probabilem sequi in concursu probabilioris opinionis. Ut autem dictamen seu judicium ultimatum conscientiæ, quod *reflexum* dicimus, certum efformetur, sequentes aut iis similes duæ præmissæ formaliter aut virtualiter præcedere, aut præconcipi debent: prima: actio, quam hic & nunc *ex gravi fundamento prudenter exerceo, est certò licita:* Altera, quæ subsumit: Atqui *actionem, v. g. pictoriam, hic & nunc, scil. in hoc die festo ex gravi fundamento prudenter exerceo* (quia, ùt suppono, pingere non censetur esse opus servile secundùm multos & graves Authores.) Ergo infertur (per judicium reflexum, & dictamen ultimò practicum) quòd actio pictoria hic & nunc in hoc die festo sit certò licita. Ecce totus discursus reflexus duabus præmissis innititur, scil. quòd prudenter agens, certò agat honestè & licitè: agens autem secundùm opinionem certò probabilem agat prudenter. Hanc porrò discursûs reflexi certitudinem, quâ conscientia nostra tanquam infallibilis (infallibilitate saltem formali, quidquid sit de materiali) regula, proxima videlicet constituitur, reipsâ etiam tam moralem Theologiam Salisburgensem *d. artic. 2.* quàm speculativam *disp. 14. art. 3.* cum aliis Probabilistis amplecti, lectorem latere non poterit. Hoc jam stabilito, proponitur

# QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

## *An ex æquè Probabilibus liceat sequi utramlibet sententiam?*

95. Conclusio: Quando quæstio agitatur de sola honestate actionis moralis, licitè aliquis operatur secundùm sententiam quamcunque probabilem, dummodò etiam ipsi operanti ùt talis appareat; adeoque oppositam æquè probabilem, licèt magis tutam, regulariter amplecti non tenemus. Ita utraque Salisburgensis Theologia cum innumeris aliis, quos inter inspexi Terillum, Bossium, Laymannum, Tannerum, Cornejum, Mastrium, Sporerium, Gobatum, Abelium, Claudium la Croix, &c. Ex Benedictinis Hispanis eandem sententiam propugnat etiam Anton. Perez *Certam. 10. Scholast. cap. 8.* quibus præter Thyrs. Gonz. & Genetum passim sese opponunt Galli & Belgæ.

96. Ostenditur veritas hujus sententiæ ex fundamento in quæstione præcedenti jam parato. Sic inquam: licitum est, in praxi sequi sententiam, secundùm quam aliquis agit certò prudenter. Sed qui sequitur sententiam verè, practicè & certò probabilem, secundùm illam operando agit certò prudenter, etsi alteram oppositam æquè *probabilem & magis tutam* relinquat. Ergo licitum est, in praxi sequi sententiam æquè & certò ac practicè probabilem, relictâ oppositâ sententiâ æquè probabili & magis tutâ. Major videtur esse indubia; quis enim prudenter agentem de peccato arguat? Min. probatur. Si quid obstaret, quò minùs in concursu utriusque oppositæ opinionis prudenter ageret, eligendo æquè probabilem, sed minùs *tutam*, esset hoc, quòd altera sit magis tuta: non enim quidpiam aliud apparet, in quo una alteri præemineat; cùm motiva utrimque gravia, & paria pondera supponamus, aliàs cessabit status quæstionis. At verò illa ratio magis *tutæ* non impedit, quò minus elector opinionis minùs tutæ agat certò prudenter. Ergo nihil obstat. Min. denuò probatur. Ratio magis *tutæ* sententiæ unius non tollit rationem simpliciter *tutæ*, nec rationem veræ probabilitatis in altera æquè probabili: ergo elector sententiæ minùs tutæ certò prudenter, consequenter & certò licitè operatur.

97. Roboratur præfatus discursus ex suprà dictis in dubio, in quo quando possessio vel præsumptio stat pro libertate certa contra legem dubiam, & non sufficienter promulgatam, ad eligendum tutius: non tenemur, sed potiùs dubium practicè & prudenter deponere licet contra obligationem legis, quamvis dubium de existentia & obligatione legis speculativè possit perseverare. Cùm igitur, existente æquali probabilitate pro utraque sententia opposita intellectus

non

non solùm ex parte motivorum gravium directorum uni parti determinatè per assensum certò prudentem adhærere, sed insuper modo suprà explicato per dictamen reflexum conscientiam practicè certam de honestate actionis vel omissionis formare, imò etiam ex titulo possessionis faventis libertati contra obligationem legis, utpote non sufficienter promulgatæ, & post moraliter sufficientem adhibitam diligentiam ignorantiæ invincibiliter substantis, dubium speculativum & formidinem de violatione legis & divinæ Majestatis offensa suboriturum, practicè deponere, & impedire possit, cur non per argumentum à fortiori prudenter inferamus, nos in concursu duplicis æquè probabilis opinionis tutiorem partem amplecti nulla ratione stringente obligari?

98. Adduco hìc, pro majori dilucidatione regulæ de tutiori semper sequenda universaliter non procedentis, discursum P. Claudii la Croix *b. tr. à num. mihi* 485. ubi dicit primò sic: In materia fidei non est obligatio sequendi tutius: nam in materia de Conceptione B. Virginis licitum est credere, esse Immaculatam, & etiam licitum est Dominicanis contrariam sententiam tenere, quamvis tutius foret judicium suspendere: Ergo etiam in materia morum non est obligatio sequendi tutius: materia enim fidei est majoris momenti: etsi eodem modo non liceret in materia morum, peccarent, qui ad honorem Immaculatæ Conceptionis erigerent altaria, recitarent officia ac quod certò falsum est. Verùm pace tanti viri, hunc discursum æquivocum esse suspicor: partim, quòd illud punctum de Conceptione B. Virginis de facto non spectet ad materiam fidei; quia Ecclesia nec pro *Immaculata* aliquid decidit aut definivit, nec contra; sed fidelibus, si ita velint, Immaculationem piè credere permisit, donec aliud definiatur: partim quòd hodie tutius non foret, judicium omnino suspendere, postquam SS. Pontifices piam fidelium affectionem ac credulitatem de Immaculata Conceptione non solùm variis Bullis approbârunt, sed etiam indulgentiis singularibùs præmiati sunt. Magis placet, quando

99. Dicit secundò, obligationem semper sequendi tutiora esse onus intolerabile (quod quidem universim inter Probabilistas pro fundamento concomitante asseritur) certum enim est, dubia circa leges esse frequentissima, sive leges ejusmodi dentur sive non: Ergo qui homines in omni dubio obligat ad tutiora, certè inducit plurimas leges, quæ non sunt à DEO, sicque addit ad verbum DEI, & onera indebita imponit super humeros hominum, quod Scriptura prohibet Deut. 2. v. 4. & sæpe alibi &c. Deinde ex illa obligatione sequeretur, nequidem opinionem probabiliorem nos sequi posse, etiam si sit D. Augustini, S. Thomæ, vel quorumvis Doctorum, quoties illa faveret libertati contra legem: teneremur enim omni tempore elicere fidem, spem, amorem DEI, contritionem: teneremur omnes actiones semper actu & formaliter referre ad DEUM, omni die festo conteri de peccatis, confiteri omnes circumstantias aggravantes, amplecti omnia Consilia Evangelica: item teneremur ad omnes sententias rigidiores in materia jejunii, horarum, &c. Superiores non auderent plurima præcipere nec subditi obedire, ubi esset etiam minùs probabile periculum peccati: Medici non auderent præscribere medicinas, quia plerumque nesciunt, quænam sit tutior, foretque tutius omnino nullam adhibere: vix ullus posset absolvi, quia vix ullus habet propositum sequendi tutiora: Hæc autem omnia sunt contra communem sensum & praxin fidelium. Denique nec adversarii semper docent, & multò minùs semper practicant tutiora, uti experientiâ patet: id nempe est impossibile. Sunt etiam in nobis, inquit D. Ambros. in Ps. 118. *qui habent timorem DEI, sed non secundùm scientiam statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere: timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem.*

Alia absurda plura, quæ ex adversa sententia dimanant, recenset P. Mezg. in *Theol. Schol. Salisb. hìc disp.* 14. *a.* 5. illud præcipuè, quòd sequeretur, Sedem Apostol. quæ sæpiùs in matrimonio rato dispensavit, sententiam solùm probabilem & minùs tutam sectando, illicitè processisse; & similiter dispensando in voto solenni Religionis. Patroni autem sententiæ contrariæ:

100. Opponunt primò: Si duarum opinionum æquè probabilium in eodem intellectu concurrentium una affirmet, *pingere in die festo licitum esse*, altera verò neget, *pingere die festo licitum esse, vel pingere esse opus non servile*, una asserat, altera dicat, *pingere esse opus servile*, sequitur intellectum assentiri duabus contradictoriis; sed hoc est evertere principia philosophica. Ergo non possunt concurrere æquè probabiles dicto modo: Aut si concurrant, opinionum motiva ita se invicem elident, ut minùs tuta enervetur à tutiori.

101. Resp. Dist. Maj. sequeretur, intellectum duabus contradictoriis assentiri, si illa affirmatio & negatio sit absoluta, Conc. Maj. Si sit solùm respectiva, hoc est cum respectu ad cujuslibet propositionis motiva probabilia, tunc sequeretur intellectum assentiri duabus contradictoriis, N. maj. & Concess. min. Dist. conseq. ergo non possunt in eodem intellectu concurrere duæ æque probabiles, id est cum affirmatione & negatione absolutâ, Conc. cum respectiva & restricta ad cujuslibet propositionis motiva, N. Conseq.

102. Urges: utique istæ propositiones, *probabile est legem Ecclesiasticam in die festo obligare ad abstinentiam ab actione pictoria, probabile non est, legem Ecclesiasticam obligare ad abstinentiam ab* actione

*actione pictoria*, sunt contradictoriè oppositæ, & ideo intellectus nequit ambabus assentiri: Ergo etiam sequentes sunt contradictoriæ, *probabile est, legem obligare, probabile est, legem non obligare.*

103. Resp. Neg. paritat. Nam primæ propositiones ita se habent, ut una absolutè neget ipsam probabilitatem, quam altera absolutè affirmat, & ideo propter manifestam repugnantiam & contradictoriam oppositionem intellectus nequit utrique assentiri: e-contra posteriores ambæ probabilitatem cum respectu ad cujuslibet motiva gravia affirmant, neutra verò probabilitatem negat. Non ergo hæ posteriores, sicuti priores, involvunt repugnantiam, sed compatibiles sunt, & affirmatio atque negatio non cadunt supra idem secundùm idem sed secundùm diversam rationem, quemadmodùm compatibiles sunt hæ propositiones: *Æthiops est niger, & est albus,* intelligendo albedinem secundum quid, id est, secundùm dentes, nigredinem verò secundùm reliquas partes corporis.

104. Opponunt secundò: quando motiva sunt utrimque paria, neutrum manet efficax, ad fundandum prudentem assensum nostri intellectûs: Ergo se ita elidunt, ut nulla maneat probabilitas. Ant. prob. ex sequenti exemplo. Sint duo, quorum unus mihi dicat, se vidisse Petrum in sua domo, alter dicat, se Petrum eodem tempore obvium habuisse in platea. Possúmne in isto casu alicui illorum, quos cæteroquin suppono esse paris fidei & auctoritatis viros, probabiliter assentiri? Planè non, quia unus certò falsum dicit, sive hic sive ille: & propterea testibus, qui sunt æqualis auctoritatis, numeri, & fidei, sibi contrariantibus in jure non creditur, ideo nimirùm, quia probabilis testimonii veritas propter certam unius partis falsitatem mutuò eliditur, & enervatur: Atqui idipsum contingit in aliis opinionibus, quarum unaquæque alteri contradictoriè opposita æquali probabilitati innititur: est namque una à parte rei in se determinatè certò falsa, vagè licet, & indeterminatè quoad nos.

105. Resp. Neg. Ant. Ad casum singularem propositum dico cum la Croix *hic n.* 243. motiva ibi ideo se invicem elidere, quia sunt planè æqualia & similia, ac insuper certum, unum illorum virorum *scienter* dicere falsum: & consequenter certus sum, uni deesse auctoritatem gravem, & non mereri, ut ei credam; in eo enim consistit auctoritas loquentis, quòd ex malitia non fallat, & ex ignorantia non præsumatur falli in æstimanda gravitate motivi, quod in dato casu non manet; quia dum uterque testatur de visu proprio, scio, alterutrum ex malitia fallere: ergo scio, in alterutro deesse auctoritatem: ergo cùm nesciam, ex qua parte desit, determinatè neutri possum prudenter credere. Quod aliter se habet in usu opinionum verè probabilium; tunc enim præsumptio veritatis stat pro auctoribus, falsum ex malitia non dicturis, & ipsæ rationes (si loquamur de probabilitate intrinseca) præseferunt magnam apparentiam veritatis.

106. Opponunt tertiò: Quando intellectus certò scit, unam partem ex opinionibus contradictoriis esse falsam, nequit prudenter judicare, utramque esse verè probabilem: sed intellectus hoc scit, v. g. *in his pingere die festo est licitum, pingere non est licitum:* nempe ex natura contradictoriarum, unam necessariò esse falsam: Ergo nequit judicare, utramque esse verè probabilem.

107. Resp. Dist. Maj. quando intellectus id scit circa propositionem unam determinatè, Conc. Maj. si id sciat solùm indeterminatè, Nego Maj. quòd tunc nequeat judicare, utramque esse verè probabilem. Ad min. dico, solùm indeterminatè sciri, quòd una propositio sit falsa: hinc sub data distinctione, etiam minori applicata, Neg. Conseq. quia utrimque manet illa notabilis apparentia veritatis.

108. Opponunt quartò: Qui agit cum dubio, an id, quod agit, sit licitum, certò peccat, cùm se peccandi periculo exponat. Atqui ille, qui judicat, utramque contradictionis partem esse æquè probabilem, agit cum dubio, an id, quod agit, sit licitum. Ergo certò peccat: Ergo, ne peccet, debet sequi magis tutam, etiamsi non sit magis probabilis.

109. Resp. N. min. Vel Dist. gratis Maj. qui agit cum dubio *practico*, Conc. Maj. qui cum *speculativo* tantùm, ille certò peccat, N. maj. Dist. min. qui judicat, utramque contradictionis partem esse æquè probabilem, agit cum dubio, *practico* Nego min. cum speculativo, trans. min. & Neg. Conf. Eodem modo distinguitur Syllogismus in simili de *formidine* propositus: dico enim, agentem secundùm sententiam purè probabilem agere ad summum cum formidine manente solùm speculativè non verò practicè: imò nunquam credidero, quòd formido *actualis* sit de necessitate assensûs probabilis, cùm sufficiat ut sit solùm *radicalis*, id est, ut aliquis de falso *possit formidare*, quamvis actualis formido propter motiva reflexa vel etiam extrinseca certa atque immediatè conscientiam in sua operatione dirigentia, intellectum afficere impediatur. Sic navis ob aquæ motum posset commoveri, & agitari; si tamen ancora adhibeatur, fluctuatio & agitatio cessat, estque secura quies. Videantur dicta in *duabus quæstionibus* anterioribus de dubio speculativo, practicè facilè deponendo, ubi etiam ostensum est, quòd dubium speculativum & conscientia practicè deposita ac certa super objectum diversum cadant. Item de periculo peccandi *materialiter* tantùm, longè diverso à periculo peccandi *formaliter*.

110. Opponunt quintò: Quando periculum tam materiale quàm formale peccati committendi vitari potest, debet utrumque vitari: sed per electionem sententiæ magis tutæ ex duabus verè & æquè probabilibus potest

potest utrumque periculum vitari: quæso! enim, an non extra omne periculum est pictor, si judicet, abstinendum esse hoc die festo ab actione pictoria, & reverà abstineat? Si pœnitens locò attritionis, probabiliter ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientis, contritionem eliciat? Si Canonicus alteram ex duabus Præbendis, probabiliter solùm eidem licitis, resignet &c. Ergo debet aliquis magis tutam eligere.

111. Resp. Negando Maj. nulla enim existit lex, quæ generatim in dubio semper magis tutam eligere præcipiat: imò conditioni fragilitatis humanæ respectu tot casuum quotidie emergentium, talis lex non videretur esse rationabilis; quidsi enim sententia sit quidem tutior, sed non probabilior? Certè tunc saltem prudenter licebit minùs tutam sequi, & tamen non evitatur peccandi periculum etiam materiale: siquidem sententia etiam probabilis fines probabilitatis non egrediatur. Quòd verò, stante dubio speculativo de obligatione abstinendi ab aliqua actione, vel eam ponendi, nihilominùs in praxi tutò procedere valeamus, liquet ex textibus SS. Canonum, quorum tres allego.

112. Primus est in *cap. quid culpatur.* 4. *Caus.* 23. *q.* 1. ubi refertur sequens dictum S. Augustini: *Ergo vir justus, si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, rectè potest, illo jubente, bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra DEI præceptum, certum est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas operandi, innocentem autem militem ostendat ratio serviendi.* Ecce in isto casu, quo militi *incertum est*, sitne bellum sui Regis contra præceptum Divinum, nec ne, non tenetur miles tutiorem partem eligere, militiam deserendo, sed, stante dubio speculativo, conscientiâ certâ practicè formato, servitia continuare potest. Qua de re fusè Bossius *de Consc. Erron. p.* 1. *tit.* 1. *à n.* 953.

113. Alter textus reperitur in *cap. Personalis.* 28. *de Offic. & pot. Jud. deleg.* §. *quia verò.* ex cujus decisione Judex ordinarius sententiam Delegati Apostolici exequi tenetur, etiamsi eam injustam esse *cognoverit*: ubi ratio additur, *quòd non cognitio sed executio tantùm demandetur eidem.* Sanè & isto casu manente dubio speculativo de justitia executionis, opus est practico conscientiæ dictamine, quòd, cùm in dubio præsumptio stet pro superiore, & Judice, licitè ei pareatur &c.

114. Tertius conspicitur in *cap. laudabilem.* 5. *de frig. & malefic.* ubi suborto dubio de *impotentia conjugum*, ipsis conceditur spatium triennale, ut suam potentiam per congressum conjugalem probent & experiantur: Vides ergo, in variis casibus, stante dubio speculativo, conscientiam practicè tutam, & certam formari posse vel etiam debere, indeque actionem licitò & honestè positam censeri.

## QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

### *An liceat sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori simulque tutiori?*

NOn minùs famosa, quàm ardua est præsens controversia. Nos utriusque sententiæ rationes ad stateram appendere satagemus, circa finem mediam amplexuri.

## Fundamenta Affirmantium.

115. PRopugnantes, licere sequi minùs probabilem minusque tutam in concursu probabilioris & tutioris, assumunt pro fundamento primo celebre illud principium: Omnis operatio prudens est licita: sed operatio secundùm minùs probabilem & minùs tutam etiam in concursu probabilioris & tutioris est prudens: non enim potest non esse prudens operatio illa, quæ regulatur secundùm sententiam magno & gravi, id est, verè probabili motivo innixam: Ergo operatio secundùm minùs probabilem minùs tutam in concursu probabilioris & tutioris est licita.

116. Pro fundamento secundo statuunt principium aliud non minùs, ut ipsi persuasum volunt, celebre simulque solidum, nempe de ignorantia invincibili, hoc modo urgendo. Ignorantia invincibilis in omni materia excusat à peccato: ergo sententiam illam, ad quam talis ignorantia concurrit, licitè in praxi sequor. Subsumunt: Atqui dum sequor sententiam minùs probabilem minusque tutam, concurrit ignorantia invincibilis: Ergo illam minùs probabilem &c. in praxi licitè sequor. Min. probat simulque exemplo illustrat *Theol. Moral. Salisb.* hic *disp.* 4. *art.* 2. §. 2. *n.* 16. Fac, ait, Theologos, aut Canonistas, in aliqua materia morali disputare, v. g. an certa species contractûs sit licita nec ne, ita tamen, ut post diuturnum, accuratumque studium semper maneat probabile, contractum non esse prohibitum. In hoc casu tam honestatem, quàm inhonestatem objecti invincibiliter ignorari, patet manifestè: nam illud ignoratur invincibiliter, quod post studium multorum annorum, & diligentissimam veritatis inquisitionem, etiamnum latet humanum intellectum. Sed honestas, sicut & inhonestas talis objecti, v. g. contractûs post hæc omnia etiamnum latet humanum intellectum. Ergo ignoratur invincibiliter. Hoc argumento etiam Terillus, Probabilista acutus, Adversarios è statio-

ſtatione ſua dejicere conatur; neque ego illud vilipendi ſuprà de dubio practicè deponendo contra legem: an verò in præſenti eodem pondere polleat, infra apparebit.

117. Pro fundamento tertio aſſumunt aliud & tertium principium de gratis & ſine ſufficienti fundamento non multiplicandis obligationibus, ubi non adſunt novæ leges ſufficienter promulgatæ. Atqui lex de ſequenda probabiliori & tutiori non eſt ſufficienter promulgata: Si enim eſſet ſufficienter promulgata & clara, à tanto Doctorum, virorumque aliàs prudentum, acutorum, & piorum numero ignorari non poſſet. Ergo illa obligatio de ſequenda probabiliori &c. non eſt adſtruenda vel multiplicanda.

118. Pro quarto fundamento quadrat paritas deducta à ſpeculativis: quando enim aliquis in Theologicis vel aliis materiis, quæ fidem non tangunt, defendit ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliori, nemo dicet, talem illicitè & imprudenter illi opinioni inhærere: quod apertè tenet Anton. Perez in *Certam. Scholaſticis*, licèt cæteroquin defendat, in Moralibus nos obligari ad ſequendam probabiliorem ſi hæc ſit tutior, quàm minùs probabilis ſententia: pone enim, quòd alicui Scotiſtæ ſua diſtinctio formalis & actualis ex natura rei, quam etiam inter attributa divina adſtruit, minùs probabilis ſeu minùs veroſimilis videatur, quàm Diſtinctio virtualis Thomiſtica, annè illicitè & imprudenter ejusmodi diſtinctioni inſiſtet? Quemadmodùm ergo tunc motiva gravia, quibus ſuam Scotiſticam ſententiam foveri & fulciri animadvertit, non enervantur à motivis gravioribus, quæ reſpectu diſtinctionis virtualis eidem præcellere videntur, & ideo prudentiæ fines non excedit ſuæ diſtinctioni actuali inhærendo; ita in moralibus & agibilibus nec imprudenter nec illicitè in praxi procedet amplectendo minùs probabilem opinionem: quia rationes illius ſimiliter videt non enervari à rationibus ſententiæ contrariæ, licèt cenſeat eam probabiliorem & tutiorem.

119. Pro quinto fundamento ſervit ſequens diſcurſus dilemmaticus. Probabilior deberet in praxi ſervari vel quia eſt tutior, vel quia eſt rationi conformior? Neutrum poteſt dici: non primum: quia alibi jam abunde monſtratum eſt, regulariter nos ad tutiora non obſtringi: neque ſecundum: quia ſimiliter nullibi conſtat de obligatione, quæ nos ſtringat, ut prudentiùs & rationabiliùs operemur; ſed ſolùm ad hoc, ut prudenter & rationabiliter.

120. Pro ſexto fundamento non exiguum robur affert diſcurſus *Theol. Scholaſt. Saliſb.* hic *diſp.* 14. *a.* 5. *§.* 3. *n.* 13. Obligatio ſequendi opinionem, quæ operanti apparet directè probabilior, eſt inutilis ad praxin; ergo & aliena à veritate. Prob. Ant. Vel enim foret utilis pro indoctis, vel pro doctis? Non pro indoctis & illiteratis: iſti enim non tenentur inſtituere comparationem inter momenta authoritatum & rationum, ſed ſatisfaciunt ſuæ obligationi, & formant conſcientiam ſecuram, dummodò obſequantur conſilio Confeſſarii, vel alterius gravis viri & docti. Non pro doctis & literatis: quis enim omnia alicujus ſententiæ fundamenta ita exactè ponderabit, ut non meritò & prudenter dubitare poſſit, ne fortè oppoſita, quæ ipſi videtur minùs probabilis, ſit probabilior: Cùm in conflictu contrariarum opinionum verè probabilium nunquam deſint, quibus probabilius apparet, quod aliis minùs probabile; ipſa quoque probabilitas mutationi ſubjaceat, ut acceſſu novæ rationis vel authoritatis id modò videatur magis probabile, quod priùs cenſebatur minùs probabile. Quod Thomiſtæ eſt probabilius, non ideo Scotiſtæ quoque eſt probabilius.

121. Deinde pro fundamento ſeptimo huc facilè accommodantur tum rationes directæ quædam adductæ pro licito uſu opinionis æquè probabilis licet minùs tutæ: tum rationes reflexæ & indirectæ, v. g. ſic diſcurrendo: *Licitè ſequor ſententiam probabiliorem: ſed ſententia, quæ uſum minùs probabilis minusque tutæ in concurſu probabilioris & tutioris concedit, eſt probabilior, quàm negativa:* Prævalet ſiquidem & pondere rationum, & numero Doctorum, utpote in Scholis Univerſitatum longè communior, & frequentior. *Ergo minùs probabilem licitè ſequor, &c.*

122. Pro fundamento octavo Magiſter Ludovic. Abelly in *Medull. Theol. tr. de Conſc. cap.* 1. *ſect.* 6. magno in pretio habet illam inſtantiam de obligatione Sacramentalem Confeſſionem peragendi à peccatore ſtatim poſt commiſſum mortale, quamprimùm adeſt Confeſſarii copia, quæ eſt ſententia S. Bonaventuræ Eccleſiæ Doctoris, & longè tutior, quàm contraria, à S. Thoma tradita in 4. *diſt.* 17. *part.* 2. *a.* 2. *quæſt.* 2. & à pluribus aliis.

123. Pro nono facit communis & recepta ſententia, quòd Advocatus poſſit defendere ſententiam etiam minùs probabilem ſui Clientis, licèt agnoſcat contrariæ partis ſententiam probabiliorem eſſe: quis jam Advocatum hujusmodi arguet, quòd imprudenter agat? Ergo relinquere probabiliorem, non adverſatur conſcientiæ & prudentiæ regulis. Denique

Pro fundamento decimo bene conſiderandum, quòd Probabilioriſtæ, id eſt, fautores ſententiæ rigidæ, continuò perſiſtant & laborent in falſo ſuppoſito, quaſi nempe probabilior ſententia ſuum concurſum in eodem intellectu alteri ſententiæ oppoſitæ ſuam probabilitatem, ſimul & ſecuritatem tollat: quod ſanè non ſupponendum eſt, ſed nervoſè probandum, uti ſpeciatim inſtat hic Maſtrius in *Theol. Mor. Diſp.* 1. *q.* 4. *art.* 1. *n.* 68. duobus utendo exemplis: nam, album (inquit) ùt octo v. g. non impedit, quin album ùt ſex dicatur adhuc verè ac propriè album: nec homo prudens ùt ſex propriè diceretur imprudens in comparatione prudentis ùt octo.

octo. Deinde tertium addit. Duplex potest esse via, qua quis v. g. Florentiam adire valet, una via communis & trita, quæ nullum patitur latronum periculum: Altera brevior, non adeò trita & tuta, in qua latrones interdum insidiari solent. Si, adhibitâ sufficienti diligentiâ & perquisitione, certificor, in hac breviori via hic & nunc non esse latrones, nec ullum adesse periculum, planè nemo negare potest, me eundo per hanc breviorem viam, alioquin de se minùs tutam, ambulare per viam hic & nunc bonam & rectam practicè, adhibita nimirum præfatâ diligentiâ. Sic igitur in proposito opinio minùs probabilis etiam in concursu probabilioris potest appellari via veritatis practicæ, & via tuta: nam quamvis in aliqua actione periculum peccati esse possit, si tamen tanta cautione quis eam exerceat, ut probabiliter & prudenter judicet, tale periculum caveri, non peccat nec imprudenter agit, nec periculo peccandi se exponit nisi fortè *materialiter*, hoc est, faciendo rem *materialiter* malam, non verò *formaliter*; sicut invincibiliter ignorans, hodie esse feriam sextam, si comedit carnes dicitur facere actionem materialiter malam &c. Ita Mastrius in terminis.

## Rationes Negantium.

PErspectis fundamentis sententiæ benignioris, transimus modò ad proponenda & discutienda argumenta sententiæ rigidioris & negantis. Itaque argumenta sententiæ, quæ negat, nos sequi posse, relictâ probabiliori, opinionem minùs probabilem, nisi ubi hæc faveret legi adeoque tutior foret tam respectu periculi materialiter, quàm respectu periculi formaliter peccandi, clariùs elucescant.

124. Casum sequentem figuro. Decius, dives homo, habens in cista pecuniam otiosam ultra 12000. florenorum, simulque in omni jure sacro & profano Peritissimus, anceps quodammodo hæret, secumque deliberat, an alicui civitati, vel Ecclesiæ pauperi, ideoque pecuniis indigenti v. g. ad reparandam ruinam ex incendio causatam, mutuum 1000. florenorum sub annuis usuris, scil. quinque vel sex pro centum præstandis, licitè dare valeat. Supponimus, nullum prævideri lucrum cessans, damnum emergens; nullum etiam periculum sortis, quia Decio de pignore seu hypotheca in re immobili, quantitatem mutui dati quoad valorem notabiliter superante, satis prospectum est. Promisit quoque Civitas vel Ecclesia, post triennium totum Capitale exsolvere, aut si non exsolvat, ab illo saltem tempore aut usuras propter moram præstare, aut in distractionem pignoris consentire. Cæterùm Decius hactenus sententiam illam, quæ usuras merè lucratorias tanquam injustas & illicitas damnat, ut certò probabiliorem tutioremque agnovit ac tenuit contra sententiam oppositam minùs probabilem, minusque tutam. Quia tamen post jam in mutuum concessam pecuniam, aliorum exemplo illectus; lucrum aliquod ex pecunia illa consequi cupiebat, dubium grave animum ejus pulsavit, liceátne sibi hic & nunc in praxi sententiam oppositam, etsi minùs probabilem, minusque tutam, sed lucro faventem, sine conscientiæ læsione amplecti, & statim post primum annum usuras v. g. quincunces exigere? Quæstio hæc & dubium est *juris*, tum divini, tum naturalis, quod utrumque longè verisimiliùs usuras hujusmodi prohibet, quàm permittit: dicit enim ipsa æterna veritas *Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes;* & licèt prima verba sunt *de consilio* tantùm, attamen ultima esse de *præcepto* divino, ex declaratione Vicarii Christi, cujus est authenticè interpretari jus divinum, constat per tex. in *cap. 4. de usur.* ubi Alex. III. expressè dicit, quòd *usurarium crimen utriusque Testamenti pagina detestetur:* repugnat quippe æquitati naturali, ut aliquis ab altero plus petat sibi restitui, quàm dederat. Si jam præfatus Decius Probabilistas consulat, ei statim etiam in primo triennio, in quo tamen nulla adhuc mora Civitati vel Monasterio imputari potest, usuras ùt licitas concedent, Rigidi verò seu Probabilioristæ desuper consulti id rotundè negabunt: Et similiter in aliis hujusmodi casibus, vel negotiis.

Ratio id negandi prima. Ad hoc, ut in casu posito vel simili, ubi concurrit sententia certò & notabiliter probabilior, aliquis, v. g. Decius sententiam minùs probabilem, minusque tutam licitè sequatur, necesse est, ut agat prudenter: hoc enim est principium & principale Probabilistarum fundamentum. Sed non ageret prudenter: ergo nec licitè sequitur minùs probabilem &c. Ut veritas negatæ minoris contra Probabilistas clarius patescat, indoles ac natura prudentiæ paulò vivaciùs ob oculos ponenda est. Itaque secundùm Aristot.

Prudentia est habitus agendi vera cum ratione, circa ea, quæ sunt homini bona, atque mala. Sicut enim ars est *recta ratio factibilium*, *ita prudentia est recta ratio agibilium.* S. Th. 1. 2. *q.* 57. *a.* 4. *in C.* & *a.* 5. *ad* 1. & *q.* 58. *a.* 2. *ad* 1. & 2. 2. *q.* 47. *a.* 5. *in C.* unde & docemur, *quòd bonum simpliciter in actibus humanis invenitur per hoc, quòd pertingitur ad regulam humanorum actuum, quæ quidem est una quasi homogenea & propria homini, scilicet ratio recta.* Alia autem (regula) est *sicut prima mensura transcendens, quod est DEUS.* Ad rationem autem rectam attingit homo per prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, ut dicitur in *6. Ethic.* Ad DEUM autem attingit homo per charitatem, secundùm illud 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Ex quo prudentia in ratione est, scilicet *practica:* nam prudens dicitur quasi *porro videns.* Vid.

Vid. S. Thom. 2. 2. *d. q.* 47. *a.* 1. & 2. & *de Verit. s.* 2. *init. C.* Quemadmodùm autem in omnibus justis charitatem habentibus (cum qua virtutes omnes infunduntur) necesse est, ùt & infusa prudentia sit vel secundùm habitum & actum, vel saltem secundùm habitum tantùm, ut in pueris baptizatis, aut amentibus, ita in malis & peccatoribus nec prudentia adstruitur acquisita, idem S. D. in *cit.* 22. *q.* 47. *a.* 1. *ad* 3. & *de Verit. s.* 2. *c.* & *ad* 3.

125. Porrò, ùt eruditè loquitur noster Eminentiss. Card. de Aguirre in *Philos. Moral. seu Ethic. Aristot. lib.* 6. *cap.* 5. *à n.* 18. Prudentia non est habitus cum sola ratione conjunctus, sed prætereà etiam cum *rectitudine appetitûs*; cùm sit connexa necessariò cum virtutibus moralibus, quæ rectum & moderatum appetitum constituunt. Hinc nemo improborum est verè prudens; quia omnis improbus habet appetitum inordinatum. Prudentia igitur non modò est habitus cum ratione, sed etiam cum *rectitudine appetitûs*. Et in hoc singulariter differre *prudentiam* ab *opinione*, observat ex Aristotele prælaudatus Doctor purpuratus ibidem; quia videlicet *opinio* esse potest cum appetitu recto, aut non recto: unde tam improbi homines quàm probi stabiliunt & tuentur; Cùm tamen solùm ii, qui virtutem colunt, & bene morati existunt, prudentiâ præditi sint. Adde denuò in rem præsentem doctrinam D. Thomæ in *cit.* 2. 2. *q.* 47. *art.* 13. *in C.* & *q.* 55. *art.* 1. *ad* 3.

126. Prætereà, ut homo prudenter agat, opus ei est rectâ formâ eligendi, perquirendi, deliberandi, seu rectè consultandi circa media. Hæc verò rectitudo consultationis primò requirit, ut fiat per ordinem ad bonum finem, rationique conformem: Secundò, ut & media, circa quæ eligenda proximè versatur, sint *recta* atque decentia: omnis enim actus prudentiæ, qualis est recta consultatio, non nisi per media decentia ad finem tendit. Card. d'Aguirre in *Phil. Mor. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 4. Et plura similia erudita de bona consultatione tractat idem *lib.* 3. *cap.* 3. His bene ponderatis,

127. Probatur nunc minor propositio superiùs à Probabilistis negata, quòd nempe sequens minùs probabilem minusque tutam relicta tutiori & probabiliori, non agat *prudenter.* Ubi actio prudenter elicitur, debet illa ex vera ratione procedere: quia prudentia est virtus & habitus cum vera ratione activus: atqui actio, quâ aliquis minùs probabilem minusque tutam in concursu probabilioris & tutioris sequitur, non procedit ex vera ratione. Ergo prudenter non elicitur. Min. prob. Talis actio est difformis veræ rationi: ergo non procedit ex vera ratione. Ant. rursus sustentatur hoc discursu. Illa actio veræ rationi difformis est, quæ rationis dictamini vero & infallibili disconvenit: atqui prædicta actio huic dictamini disconvenit. Ergo veræ & sanæ rationi difformis est. Maj. liquet in terminis. Min. ulteriùs ostenditur. Rationis verum & infallibile dictamen judicat ac præscribit, assensum potiùs illi parti præstandum esse, quæ propter motiva verisimiliora & longè fortiora à falsitate remotior & veritati vicinior esse videtur, quàm illi, quæ ob motiva minùs verosimilia & minùs fortia falsitati vicinior, & à veritate remotior esse videtur. Atqui actio, quâ quis sequitur sententiam minùs probabilem minusque tutam in concursu probabilioris ac tutioris prædicto rationis dictamini manifestò disconvenit. Ergo vera est minor ultimò negata. Ex qua deductione palmare & primum fundamentum, super quo tota machina Probabilistarum quiescit, non leviter contremiscit. Hinc promanat, & connectitur

128. Ratio secunda, nempe hæc, quòd stante dictamine de certò majori probabilitate & verosimilitudine longè clariori pro legis obligatione contra libertatem nostram, ille, qui eligit minùs probabilem & minùs tutam pro libertate contra legem sive prohibentem sive præceptivam, nequeat rectum conscientiæ judicium practicum formare; quod sic probatur. Conscientiæ rectitudo requirit habitudinem ad *appetitum finis debiti*; & consequenter requirit etiam conformitatem prudenter existimatam cum prima regula intellectûs & voluntatis divinæ. Sed in nostra hypothesi, dum eligitur minùs probabilis, ista habitudo & conformitas nequit haberi. Ergo in posita hypothesi nequit *rectum* judicium vel dictamen practicum conscientiæ formari. Maj. constat ex dictis de conscientia recta, ad quam non minùs Probabilistæ quàm Probabilioristæ conformitatem saltem prudenter existimatam cum regula prima, id est, lege & voluntate divina requirunt. Min. facilè prob. Regula prima, veritas æterna, & infinita perfectio divinæ voluntatis nequit dictare, velle, consulere, vel approbare, ut judicia creaturæ rationalis ejusque actiones morales illud eligant, approbent, & sequantur, quod in intellectu apparet esse vicinius falsitati, errorique & illud prætereant, dissimulent, atque in actu exercito seponant, quod veritati vicinius, & à falsitate longè remotius esse apparet; Sed potiùs hoc posterius illa regula prima, veritas æterna, & perfectio infinita divinæ voluntatis dictat, vult, consulit, & approbat. Cùm ergo Probabilista in electione practica sententiæ minùs probabilis minusque tutæ dictamen suæ conscientiæ ita formet, quòd, propter rationem prudentem quam adhuc practicè subsistere, etiam in concursu probabilioris tutiorisque, existimat, possit sequi opinionem, quæ apparet esse vicinior falsitati errorique, & remotior à veritate, quàm opinio opposita, quæ tanquàm certò probabilior apparet remotior à falsitate & errore, ac vicinior veritati, profectò evidenter concluditur, in illa hypothesi non jam conformitatem reperiri conscientiæ cum regula pri-

ma

ma intellectûs & voluntate divina, sed contrariam difformitatem. Nec video, totum hunc discursum, stando in motivis & judiciis *directis*, in minimo à veritatis tramite deflectere: quòd verò Probabilistæ rectitudinem conscientiæ in sæpe dicta hypothesi nec per motiva judiciáve *reflexa* legitimè salvent, paulò infrà elucebit.

129. Ratio tertia evertit prætextum ignorantiæ invincibilis munimentum: quamquam enim, quando dubium æquale occurrit, existátne lex, actionem aut prohibens aut præcipiens, possimus ob ignorantiam invincibilem à peccato *formali* excusari, non tamen id ipsum verificabitur, in concursu opinionis probabilioris, stantis pro existentia & obligatione legis contra libertatem hominis. Unde sic arguo: qui habet tantam notitiam de existentia legis & obligationem, quæ, si non plenè saltem penè & proximè ad certitudinem moralem conducat, nequit invincibilem ignorantiam legis prætexere: Atqui ille, qui ex motivis omnino gravibus extrinseca quoque auctoritate S. Scripturæ, Conciliorum, SS. Pontificum, SS. Patrum, vel saltem Doctorum pietate non minùs quàm sapientiâ eminentium munitis, cognoscit & judicat, legem multò verosimiliùs atque adeò probabiliùs existere seu obligare, quàm non existere seu non obligare, habet notitiam legis, quæ, si non plenè saltem penè ac proximè conducit ad certitudinem practico-moralem: eo siquidem casu opinio opposita probabilis (utut *speculativè* & *præcisivè* sumpta maneat probabilis, quod parum ad rem facit) in ordine ad practicam & licitam ejusdem exercitationem eodem modo se habet, ac si falsa esset, & viri prudentes, atque veritatis virtutisque æmuli impartiales, opinioni probabiliori simul & tutiori aut cum nulla aut cum levissima falsitatis formidine sat firmiter per assensum adhærent, quamvis nonnulli ex passione, & fragilitate naturæ lapsæ (quæ prona est ad malum, & in vetitum nititur) & ob lucrum quoddam vel commoditatem temporalem hujusmodi sententiam in praxi non sequantur, sed minùs probabilem minusque tutam, non majori verosimilitudine, sed libertatis favore, & temporalium cupiditate illecti victique, veluti id Decio quoque (in casu supra allato) accidere posset. Quæ omnia magis firmat

130. Ratio quarta elidens aliud Probabilistarum fulcrum, illud scilicet de possessione libertatis nostræ contra existentiam & obligationem, hic quoque erigere allaborantium. Sic inquam: Regula juris 65. *in* 6. loquens de meliori conditione possidentis nequaquam applicabilis est, nisi quando par est utriusque partis causa & dubium æquale: dicit enim, in *dubio & pari causa*, quando nimirum rationes in utramque partem sunt æqualiter obscuræ, meliorem esse conditionem possidentis. Sed quis non ex terminis cognoscat, quòd in præsenti sit impar causa, & dubium valde inæquale, quando motiva sententiæ probabilioris & tutioris notabiliter superant motiva opinionis, minùs probabilis minusque tutæ tanquam notabiliter minora. Ergo tantùm abest, ut hic judicari valeat secundùm Probabilistas pro possessione libertatis contra obligationem legalem, ut potiùs è contrario, corruente illa possessione cum suo fulcro, possessio pro obligatione legis satis firmiter stabiliatur. Quare validè ex eodem principio

Insto: Possessio non stat pro libertate contra obligationem legalem, nisi quatenus illa libertas præsumptionem sufficientem pro se habet contra legis existentiam & obligationem. Atqui in nostra hypothesi non habet præsumptionem sufficientem pro se. Ergo possessio in præsenti non stat pro libertate contra obligationem legalem. Maj. est clara: Min. prob. Illa præsumptio est insufficiens, quæ tollitur tanquam debilior per fortiorem: ita enim hoc & naturalis ratio dictat, & docent Juriumperiti, speciatim Pertazol *Consil.* 521. *n.* 2. & quòd præsumptio potentior præferatur: & præsumptio vincatur per majores præsumptiones, sumitur ex *l. Filium. ff. de Jur. Person.* & minùs verosimilis per verosimiliorem superetur. Atqui in nostra hypothesi præsumptio pro libertatis possessione tanquam debilior tollitur per præsumptionem militantem pro lege tanquam per fortiorem: præsumptio namque illa fortior est, quæ gravioribus nititur conjecturis, argumentis, indiciis, aut motivis. Igitur præsumptio, quæ deberet stare pro opinione minùs probabili in præsenti est insufficiens. Hinc

131. Urgeo ulteriùs: quamvis quævis præsumptio nitatur verosimili conjecturâ, si tam cum præsumptione simpliciter tali concurrat fortior, fortior tollit & elidit simpliciter talem circa idem objectum, ita, ut præsumptio vel probatio fragilis in dubio efficaciter nihil probet, per text. in *cap. in præsentia.* 8. *de Probationib.* eò quòd validior prævaleat invalidiori, illaque hanc enervet. Ergo similiter, quamvis quælibet sententia probabilis nitatur gravi fundamento, si tamen cum simpliciter probabili concurrat alia opposita & certò (ut nobis videtur) probabilior, verosimilitudo fortior, practicè saltem, tollit & elidit simpliciter talem, & debiliorem.

132. Neque audiendi sunt Probabilistæ, toties ingeminantes, opinionem minùs probabilem etiam in concursu probabilioris manere verè probabilem, eò quòd nihil frequentiùs DD. ore & scripto testentur, quàm sententiam suam ex rationibus à se ponderatis sibi equidem videri probabiliorem, contrariam tamen etiam judicare probabilem: Nam contra est primò, quòd, ut suprà dictum, probabilitas illa maneat ad summum speculativè, quatenus defensor probabilioris valorem motivi, quod militat pro sententia minùs probabili, non potest penitus evacuare, & suam probabiliorem plenè demonstrare:

re: non tamen maneat practicè, ut minùs probabilis in concursu probabilioris salvo judicio prudentiali & rectitudine conscientiæ cum habitudine ad appetitum finis debiti, adeoque salva quoque debita moralitate, rationabilitate, & honestate, quidquid sit, an, physicè loquendo, assensus etiam minùs verosimilis, in concursu etiam majoris oppositæ verisimilitudinis, præstari posset. Contra est secundò, quòd sententia minùs probabilis ex eo quoque suam probabilitatem servare dicatur, quòd illius motivum, stante etiam concursu probabilioris, in *actu primo* saltem intellectum ad prudentem assensum determinare possit, non tamen in actu secundo: id est in sensu composito quidem concurrentis probabilioris, non tamen pro sensu composito, sed pro sensu diviso, quemadmodùm Thomistæ distinguunt & discurrunt, quòd voluntas præmota ad amorem in actu primo saltem possit se determinare ad odium, non tamen tunc sit exitura in actum secundum, id est, quòd in sensu composito præmotionis datæ ad amorem possit sese determinare ad odium non pro sensu composito, sed pro sensu diviso præmotionis ad amorem. Contra est tertiò, quòd illa probabilitas sententiæ minùs probabilis saltem respectu intellectûs alieni, qui fortè rationes sententiæ probabilioris oppositæ non penetrat, practicè quoque perdurare valeat, licèt prudentialis, moralis, & practica non appareat intellectui penetranti motiva graviora sententiæ probabilioris. Contra est quartò retorsio Probabilistis objicienda, & solvenda de concursu duarum præsumptionum, quarum una est fortior alterâ: dicam enim pariter: etiam præsumptio debilior in concursu fortioris est simpliciter præsumptio & in actu primò movere potens, & tamen suam vim practicam & prudentialem in actu secundo amittit pro sensu composito concurrentis præsumptionis fortioris. Ergo similiter de opinione probabili &c. Vel danda erit sufficiens disparitas.

133. Ratio quinta oppugnat quartum fundamentum Probabilistarum, quod suprà positum erat in licita defensione opinionis speculativæ minùs probabilis. Demus enim primò, ita licere in purè speculativis, nulla tamen est paritas & consequentia in Moralibus, prout hîc & nunc in praxi exercendis. Secundò valde subsisto, an sine omni peccato etiam veniali in materiâ Theologicâ, quamvis articulo fidei non definitâ, sententiam minùs verosimilem in conspectu sententiæ, quam ex suis præponderantibus rationibus agnosco longè verosimiliorem, studiosè fovere, & voluntariè à verosimiliori recedere liceat? Certè hoc creaturæ rationali videtur omnino disconvenire, nisi id solùm exercitii & disputationis gratiâ fiat: vel nisi ex motivo reflexo aliquo, v. g. obedientiæ, aut præoccupati ingenii suæ sententiæ prælationem rationabilem sibi reddat. Si enim ex Scotista, qui Thomisticam longè verosimiliorem esse censeat, quæram, cur suam distinctionem formalem Thomisticæ virtuali præferat, & ille respondeat, ideo, quia probabilis est, licet Thomisticam probabiliorem esse censeam, nescio, quomodò coram viris prudentibus talis responsio subsisteret, & rectæ rationi corresponderet. Quomodò enim tolerabile erit, si dicas, assentior parti minùs verosimili, & dissentio parti verosimiliori? Sanè hoc temerarium, & regulis prudentiæ adversum esse, nemo non videt. Nunquid omnia jura clamant, veritatem quàm maximè indagandam esse, eique insistendum? Cùm de veritate dicenda agitur, ne quidem licentia superioris est in consideratione, ait *glos. in cap.* 1. *de jurament. calumn.* & ibi Abbas 5. Colum. Felinus in *cap. nuncius. fin. de Testib.* Et veritatem super omnia amandam atque sequendam esse, dicit JCtus in *l. si ita legatum. ff. de condit. & demonstr.* Hinc illud notum: Amicus Socrates, sed magis amica veritas: Magnus est Cæsar, magnæ Authoritatis Bartolus & Baldus, sed major veritas. Non itaque respectus humanus genuinam veritatis confessionem impedire debet: imò nequidem propter scandalum dimittenda est, *cap. magnæ.* 7. *de vot. Redempt.* Sed veritatis custodia cuilibet magis cordi sit in judicando, quàm voluntatis obedientia. *cap. judicet. in fin. Caus.* 3. q. 7. & donec veritas appareat, tamdiu actionem ventilare oporteat, *cap. judicantem. Caus.* 36. *q.* 5. Ideoque veritatem diligenter perscrutandam esse, monet tex. in *cap. si quid. Caus.* 25. *q.* 7. *cap. si quid.* 23. *dist.* 86. ac liberè prædicandam. *cap. nolite timere. Caus.* 11. *q.* 5. Veritas enim dum non defenditur, opprimitur. *cap. error.* 3. *Dist.* 83. ita, ut veritatem celans peccet, *cap.* 1. *de crim. fals.* quamvis aliquando culpa non sit, veritatem, abstrahendo, tacere. *Cap. ne quis. Caus.* 22. *q.* 2. Denique contra Spiritum DEI agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam Spiritus DEI est *Spiritus Veritatis. Cap. nisi.* 10. *de Renunciat. §. certè.* Cùm itaque etiam illi, qui verosimiliorem sententiam in speculativis relinquunt, & minùs verosimili scienter adhærent, veritatem sincerè non ament, ad eam non conentur, eam non defendant, liberè non prædicent, nunquid voluntariè contra Spiritum veritatis, maximè in rebus & quæstionibus divinis, agere videntur, & recedendo à probabiliori veritatis semita, imò ab ipsa prima veritate, periculo erroris ultrò sese exponunt? Quòd si hoc sit deficere in speculativis, quantò magis in moralibus & practicis? Hinc emergit

134. Ratio sexta, quâ illud effugium Probabilistarum præcluditur, quando crebrò & constanter objiciunt, sequentes sententiam minùs probabilem in conspectu probabilioris & tutioris, non versari in periculo errandi vel peccandi *formaliter*, sed in periculo errandi & peccandi *materialiter* duntaxat: Contrarium enim & utriusque periculi incursus facilè evincitur. Ille namque periculo

riculo formali errandi in moralibus & practica actione, consequenter & periculo formali peccandi se exponit, qui voluntariè, temerariè, studiosè, atque ex proposito contra judicium prudentiale, & rectam rationem agit, præferendo minùs verosimile verosimiliori, & præponendo libertatem legi, ubi lex propter præsumptionem longè fortiorem cognoscitur esse in possessione vigoris sui legalis contra libertatem. Sed ille, qui in praxi sequitur minùs probabilem, dum contrariam judicat certò probabiliorem (quod semper supponimus, quia nisi opposita alicui appareat certò & notabiliter, id est, fortiùs intellectum ad assensum impellat, propter rationes longè magis approbabiles) modo præmisso se gerit. Ergo se exponit periculo peccandi etiam formaliter.

135. Ratio septima destruit aliud scutum Probabilistarum, ex certitudine dictaminis *reflexi* putativè fabricatum. Equidem enim usum & rectitudinem judicii reflexi non respuimus, ubi sententiæ utrimque sunt probabiles æqualiter; an verò ejusdem usus in præsenti pariter sit approbandus, meritò dubitamus. Judicium quippe seu dictamen reflexum supponit, opinionem, quam sequi intendimus in praxi, esse practicè probabilem, & prudenter in praxin redigi. Atqui, dum irradiat sententia longè probabilior, hoc aliter se habere, hactenus satis deductum est. Ergo &c.

136. Ratio octava desumitur à concordia inter forum internum & externum. Constat enim ex dictis de Conscientia dubia, quòd ideo conscientia nostra tanquam Judex fori interni & domesticus in dubio obligationis, vel legis nos à reatu, culpa, & obligationis vinculo absolvat, quia nec Judex fori externi quempiam in tali statu condemnat; & quia etiam forum externum in pari causa meliorem possidentis libertatem judicat, & alia axiomata suprà suo loco relata applicat: Si ergo semel in materia dubiorum, & probabilitatis concordia utriusque fori argumentum stringens inducat, consequentiæ ordo exigit, ut in concursu sententiæ minùs probabilis minusque tutæ cum opinione probabiliori & magis tutæ à prædicto principio non recedamus. Jam sic: Judex fori externi nec prudenter, nec licitè agit; judicando secundùm opinionem minùs probabilem, quando opposita opinio eidem apparet notabiliter verior, atque probabilior: & ita hodie sentiunt omnes Theologi & Jurisperiti, ne in propositionem damnatam impingant. Ergo similiter Judex fori interni, id est, conscientia nostra, nec prudenter nec licitè procedit, judicando actionem rectè conformari opinioni minùs probabili, minusque tutæ, quando opposita opinio intellectui apparet esse longè probabilior, quæ certat pro lege.

137. Nec satisfaciunt, qui dicunt, Judici fori externi ex tacito pacto in susceptione sui officii cum communitate inito illam obligationem injunctam censeri, ut nempe justitiam omni meliori modo administret. Nam contra insto primò: Transmisso hoc, adhuc non solvi paritatem, cur hic forum internum non sit concordandum cum externo: igitur Probabilistæ inconsequenter illo principio utentes, de partialitate & inconstantia suspectos se faciunt.

138. Contra est secundò, quòd sequeretur maximum absurdum, nempe istud, quòd pars condemnata ex sententia Judicis secundùm opinionem probabiliorem procedentis in foro interno vel non teneretur parere (saltem extra periculum scandali) vel post paritionem, & executionem posset occulta compensatione sibi consulere, & solutum reacquirere toties, quoties pars condemnata sententiam verè, licèt minùs probabilem, pro se haberet: etsi enim pars victa sententiam à Judice latam ùt probabiliorem agnosceret, attamen in foro interno se foro externo accommodare & tutiorem ac probabiliorem (nisi quoad exteriorem paritionem, ad evitandum inobedientiæ scandalum) sequi minimè teneretur. Sed hoc semel admisso, quanta confusio & quot occultæ compensationes rempublicam & bona privatorum affligerent, atque turbarent.

139. Contra est tertiò, quòd Judex fori externi sententiam minùs probabilem, minusque tutam non ideo sequi prohibeatur, præcisè, quia pactum tacitum vel expressum inivit in susceptione officii, sed etiam quia sine privato affectu, solam spectando æquitatem majorem, & rationes graviores, adeoque verosimiliorem quoque justitiæ apparentiam attendere debet: quò facit textus Innocentii IV. in Concil. Lugdun. relatus in *cap.* 1. *de Sent. & re judic. in* 6. illis verbis: *Caveant Judices Ecclesiastici, & prudenter attendant, ut in causarum processibus nihil vendicet odium, vel favor usurpet. Timor exulet, præmium aut exspectatio præmii justitiam non evertat; sed NB. staterам gestent in manibus, lances appendant, æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis, & ferendis, præ oculis habeant solum DEUM &c.* ubi tamen non negaverim, Judicem respicere debere ad statuta singularia, & *præjudicia*, seu sententias in similibus causis latas, usuque receptas. Ergo etiam Judex fori interni domesticus, id est, ratio & conscientia nostra, prædicta attendere & sequi debet; nunquid enim & ipsa solùm DEUM ut primam regulam, Judicem Supremum, & finem ultimum, præ oculis habere debet?

140. Cur verò Advocatus licitè defendat sententiam minùs probabilem, rationem communiùs istam allegant, quòd ejus officium sit, fundamenta, & merita causæ proponere, quæ, licet fortè in principio appareant minùs probabilia, in processu litis tamen crescere valent & ad majorem veritatis apparentiam pertingere, Judicique paulatim aut æqualia aut probabiliora videri, fortè, quòd altera pars litigans testibus, vel instrumentis

mentis tam idoneis causam suam instruere, illustrare, vel munire non potuerit, uti anteà jactitabat, vel minabatur. Sanè, si Advocatus spem victoriæ prorsus exiguam conciperet, & ex altera parte collitigante, consideratis omnibus, fundamenta omnino probabiliora videret, bonâ conscientiâ, sine præmonitione sui Clientis processum vel inchoare, vel prosequi, atque sumptus superfluos multiplicare non posse, veluti constat ex dictis in *lib.* 1. *Decret. de Offic. Jud.*

141. Ratio nona obtundit caput cum ratione septimâ Probabilistarum n. 56. latiùs deducta. Dicunt enim ibidem, usum sententiæ probabilioris nec esse pro illiteratis, nec pro literatis: Rñ. enim potest, innumeras sententias esse, quæ ex communi sensu Doctorum sunt certò probabiliores, & tutiores, quàm illis oppositæ. Quòd si hoc negent Probabilistæ: Ergo (infero) vix non de lana caprina tot Doctorum volumina, & certamina hactenus fuerunt in orbe litterario conscripta, & instituta: quid igitur Probabilistæ sine fine reciprocant, sententiam minùs probabilem, saltem dependenter à motivo & judicio reflexo, non minùs tutam esse quàm sit probabilior? Cur Judicem obligant ad sequendam probabiliorem & tutiorem? Cur itidem Sacramentorum Ministros ad id hortantur & obligant, si non datur probabilior, simul & tutior? Dantur in speculativis opiniones probabiles & probabiliores; Cur non etiam in moralibus & practicis? Si non datur probabilior saltem secundùm verosimiliorem apparentiam in mente (utut à parte rei, absolutè loquendo falsa esse possit) & secundum moralem prudentiorum existimationem, cur Probabilistæ in praxi probabiliorem & tutiorem suadent? Nec video, quòd sequela sententiæ probabilioris illiteratos non concernat. Quæso! an non & isti mille scrupulis, & dubiis in conscientia anguntur? Si ex instructione Confessarii, alteriusve viri docti in sua conscientia prudenter judicant, probabilius & verosimilius hunc contractum, ex. gr. esse illicitum ac usurarium, quàm licitum justumque, cur illiterati probabiliorem & tutiorem non sequantur, abstinendo à tali actione, contractu, &c.

142. Lego in Recentiori Probabilista in *Tract. de Conscient. Discreta, sive de Conscientia nec laxè nec strictè nimis, sed discretè formanda, pag.* 217. *n.* 68. hæc verba: quòd optimi consilii sit, in concursu duarum sententiarum eligere partem probabiliorem & tutiorem, nemo prudens negabit; siquidem hâc viâ à periculo etiam remoto inhonestatis non tantùm formalis sed etiam materialis recedimus. Hinc vitio vertendum non est Rigoristæ cuidam, acriter expostulanti Escobario, quòd dicat: *Meliorem se geret Consiliarium, sæpe id consulens, quod faciliùs & cum minori periculo* (non peccati sed amissionis commoditatis propriæ, ùt mox se explicat) *seu incommodo præstari potest. Hoc quippe est consuere pulvillos sub omni cubito manûs, & facere cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Ezech.* 13. *vers.* 18. Concesserim (pergit Clarissimus Author cit. Tractatûs) subinde in scrupulosis expedire, ut pars etiam minùs probabilis consulatur; assignare autem pro regula, meliorem esse Consiliarium, qui sæpe id consulit, quod facilius & cum minori incommodo præstari potest, nimis laxum videtur. Dicimus ergo, regulariter loquendo, semper consulendam esse partem magis tutam & magis probabilem; imò in casu, quo opiniones contrariæ versantur circa valorem rei, & quæstionem *facti*, ubi scilicet intervenit speciale præceptum charitatis, justitiæ, vel religionis, non solùm de consilio, sed etiam de præcepto esse, ut eligatur pars tutior & probabilior. Huc usque laudatus Probabilista.

143. Ex quo discursu tria emedullo, & observo. Primum concernit Titulum allegati Tractatûs, qui inscribitur de *Conscientia discreta, & nec laxè, nec strictè nimis formanda:* nonne sub *conscientia nimis stricta* vel maximè comprehendit Conscientiam de sequenda probabiliori? Ita plane: Et tamen *cit. n.* 68. apertè dicit, *optimi consilii esse, in concursu duarum sententiarum eligere partem tutiorem & probabiliorem, & hoc à nemine prudente negari, & regulariter loquendo, semper consulendam esse partem magis tutam, magisque probabilem:* Rationem addit: *quia hâc viâ à periculo etiam remoto inhonestatis non tantùm formalis sed etiam materialis recedimus.* Tractatus itaque allegatus nos instruit de *Conscientia nec laxè, nec strictè nimis formanda;* Consulit tamen, & optimi consilii esse censet *Conscientiam strictè nimis formare*, eligendo regulariter magis tutam magisque probabilem. Et tandem iterum *pag.* 231. *à num.* 90. infinita mala ac peccata, quæ ex doctrina de sententia probabiliori in usum de præcepto redigenda promanarent, recenset. Qua ratione ergo consulit, ut probabiliorem regulariter sequamur? Secundum, quod non bene capio est reprehensio Escobarii: neque enim, ut contra eum cit. Author insurgit, & arguit, pro regula statuit, ut in praxi consulamus usum sententiæ minùs probabilis; Cùm non dixerit *semper*, vel *regulariter* ita consulendum *esse:* Sed reverà ipse Clariss. Author non aliud dicit in *pag.* 218. dum enim concedit, *subinde* scrupulosis expedire usum sententiæ minùs probabilis, ly *subinde* non potest intelligi pro *aliquoties*, sed pro *sæpe*, propter frequentem multorum perplexitatem. Tertium, quod noto, est, divisionem illam Conscientiæ in laxam, nimis strictam, & Discretam, esse prorsus novam; at non Theologicam, quia secundùm Theologos, præter divisionem in Conscientiam bonam & malam, non dantur aliæ species conscientiæ, quàm *probabilis, dubiæ, certæ, erroneæ*, & *scrupulosæ*. At ad nullam illarum dictam divisionem cum fundamento etiam à longè reduxeris: Qualis ergo erit illa divisio? Symbolica, vel politica? nisi & Grammaticalem vocitare placuerit.

rit. Grammatici ergo circa illam certent, non Theologi. Hæc incidenter.

144. Rationis decimæ locò serviat dissolutio unius vel alterius objectionis, ex adductis Probabilistarum argumentis residuæ. Igitur ad fundamentum *quintum* dilemmatis instar positum, Probabiliorem nos sequi teneri, quia & quando est *simul tutior:* Si enim ponas, esse solùm probabiliorem, & oppositam minùs probabilem esse magis tutam, erit talis casus, & objectum, in quo legi probabiliter existenti me accommodo, atque adeò rectâ conscientiâ procedo, cum affectu & appetitu rationabili, legem adimplendi ad cautelam saltem, si aliqua existat, uti accidere potest, in eo v. g. qui ob rationes ponderosas probabiliùs judicat, se non teneri ad breviarium aliquo die recitandum, qui tamen tutiorem, quamvis minùs probabilem eligendo, breviarium recitat. Quòd si probabiliorem, licèt minùs tutam, sequi mecum decernam, itidem rectè procedo: Cùm enim ex motivis verosimilioribus ad assensum determiner, nec temerè nec imprudenter, nec periculosè in re morali versor; Tutiora enim tunc solùm eligere in conscientia obligor, quando pro lege & obligatione stat fortior præsumptio, & possessio verosimilior: hæc autem stat pro libertate, quoties fortiora contra legem fundamenta & motiva militant. Atqui hinc etiam pro

145. Fundamento octavo, ex Abellio & aliis structo paratam tam solutionem affero, quòd sententia de mox confitendo peccato mortali olim non fuerit probabilior, sed *tutior* duntaxat, si tamen fuerit verè probabilis; hodie saltem ad summum est *tenuiter* probabilis. Eodem modo aliis similibus exemplis haud incongruè respondetur. Ad

146. Fundamentum decimum ex Mastrio unà cum duabus instantiis extractum singulatim sequenti modo respondetur. Et quia primum exemplum, petitum ex physica qualitate albedinis, transit à statu *reali* ad statum *intentionalem*, non apparet esse validum, Dialecticumque: Certè album ùt octo nullam habet contrarietatem cum albo accepto simpliciter: quia revera album ùt octo est album simpliciter. Nos econtra versamur hìc in sententiis sibi oppositis: ubi motiva certò graviora pro una parte, alterius partis motiva longè inferiora, practicè elidunt, & enervant. Et licèt unus homo possit esse simpliciter prudens, & in actu primo, quando comparatur cum altero prudentiori; in actu secundo tamen, si ultro & studiosè spernat, negligat, vel relinquat rationes, quas censet probabiliores, & prudentiæ conformiores, neutiquam erit prudens, sed *imprudens.* Et sanè probaret, quòd sicut album ùt octo in una parte v. g. muri non tollit rationem veræ albedinis & *albi* simpliciter, ita, nec probabilitas seu prudentia ùt octo respectu unius sententiæ adhuc in eodem intellectu compatiatur prudentiam & probabilitatem propriè ac simpliciter talem respectu sententiæ oppositæ. Alterum exemplum de duplici via ad unam eandemque Civitatem aut militat contra ipsos Probabilistas aut parum eos juvat contra Probabilioristas. Contra Probabilistas ideo; quia eo casu, quo post sufficientem diligentiam adhibitam adhuc nullum apparet periculum latronum, revera viam minùs tutam imprudenter ingredior; Cùm prudentes, dum possunt, illam viam, quæ ex communi saltem fama solet haberi pro minùs tuta generaliter, evitare studeant, & aliam tutiorem eligant, periculum etiam materiale evitare solent. Deinde contra Probabilioristas nihil evincit ea de causa, quòd supponatur, contra viam breviorem & commodiorem nulla periculi & erroris apparere motiva aut saltem non fortiora, sed vel nulla vel tenuia, & spernenda: quod secus est, quando concurrit sententia probabilior cum minùs probabili minusque tuta, uti ex dictis & ipsis terminis patet, nec operosiori solutione indiget.

His pro utraque sententia opposita rationibus prolixè expensis, fortassis via & sententia media tutissima erit. Præ oculis siquidem habere oportet duplicem propositionem damnatam, unam ann. 1690. ab Alexandro VIII. Pontif. Max. sub numero 31. positam, quæ dicebat: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam:* Alteram ann. 1679. ab Innocentiò XI. profligatam, quæ asserebat: *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Prima propositio censebatur nimis rigida: Secunda nimis laxa. Sit itaque

147. Conclusio prima: Non tenemur, relicta probabili, sequi sententiam probabiliorem, quando spectata auctoritate & ratione, gradus majoris probabilitatis operaturo non videtur esse notabilis, ac tantus, ut sententiam oppositam notabiliter enervet, & solùm tenuiter, non verè probabilem esse, ostendat. In hac quippe hypothesi sententia probabilis in conspectu probabilioris non redditur inverosimilis, sed propter fundamentum suum grave prudentem assensum, seu rectum judicii dictamen practicum fundare valet; ideoque vim suam perdunt argumenta pro sectanda probabiliori contra probabilem adduci solita. Sequitur

148. Conclusio secunda bimembris: Nec tenemur, relicta probabili, sequi sententiam probabiliorem faventem legi, quando probabilis visa quibusdam aliis, post accuratam inquisitionem, operaturo hic & nunc videtur esse verosimilior, tam ex auctoritate quàm ratione: tenemur autem amplecti probabiliorem notabiliter talem, quando ejusmodi notabilis probabilioritas etiam operaturo hic & nunc perspecta est. Membrum posterius evincitur ex motivis supra allatis contra Probabilistas, sequelam sententiæ minùs pro-

probabilis minusque tutæ, quia legi adversantis, indistinctè approbantes.

149. Membrum verò anterius nostræ Conclusionis non solùm eruitur ex rationibus & momentis, quibus sententia Probabilistarum muniri solet; verùm etiam ex eo, quòd hominis proprium dictamen, post veritatem debitâ diligentiâ inquisitam, & secundùm leges prudentiæ elicitum, regulam proximam rectæ operationis constituat, & non dictamen alienum. *Quisquis minùs instanter*, dixit D. Augustinus *l. 1. contra Academicos cap. 3. quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantum, quantum homo potest, ac debet, dat operam inveniendæ veritatis, is, etiamsi non inveniat, beatus est.* Eandem Conclusionis nostræ discretam distinctionem suô calculô commendat Eminentiss. Card. Vincent. Gotti hoc *Tract. quæst. 5. dub. 3.* pro exemplo referens primò sententiam S. Cypriani aliorumque Episcoporum Africanorum, quibus, antequam Stephanus Papa sese opponeret, probabilius visum erat, baptizatos semel ab hæreticis esse denuo rebaptizandos. Secundò sententiam opinantium, parvulis in Baptismo gratiam & virtutes non infundi. Tertiò sententiam D. Hieronymi, existimantis, simulationem non esse illicitam, ùt ipse testatur *Epist. ad Michaëlem Arelat. Arch.* Omnes istæ & plures aliæ sententiæ, ne earum defensores peccati arguantur, ob majorem, quæ ipsis ita apparebat, præ contraria probabilitatem, licitè propugnatæ fuerant, estò *objectivè* & secundùm se minùs probabiles essent, & ab aliis quàmpluribus sapientibus contraria præponeretur.

150. Dum autem Probabilistæ pro licito usu cujuslibet sententiæ probabilis stantis pro libertate operantis & contra legis observantiam, cui favet sententia probabilior simul & tutior, ex *Math. 11. v. 29.* illa verba Christi Domini in subsidium vocant, *jugum meum suave est, & onus meum leve*, item, mandata ejus *gravia* non esse, ex obligatione verò sectandi probabiliorem simul & tutiorem, gravissimum fidelibus jugum imponi; dum inquam, sic instant, in primis non deberent etiam dissimulare alia verba Christi apud *Math. cap. 7. v. 13. & seq.* nos hortantis: *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam?* Deinde auscultent D. Augustinum *lib. de Nat. & Grat. c. 69.* verba superiora exponentem, sensum esse, quòd mandata DEI non sint impossibilia, & aspera reddantur levia per gratiam & charitatem. *Aut enim* (ait Augustinus) *quisque non diligit, & ideo grave est: aut diligit; & ideo grave esse non potest.* Ex eodem Hipponensi Præsule D. Thomas *1. 2. qu. 107. a. 4.* ad verba 1. Joan. 5. reponit: *non sunt gravia* (mandata Christi) *amanti; sed non amanti sunt gravia.* Noli ergo conqueri Probabilista, jugum Christi, nî sententiæ laxitas tibi permittatur, grave fore; ne te frigidum in amore DEI prodas.

Adjicitur illustrationis & coronidis locò judicium hîc & explicatio Thyrsi Gonzalez viri Præclarissimi, & Generalis olim Præpositi S. J. in *Tractatu de recto usu Opinionum Probabilium, pag. 8. à num. 32.* in Præfatione asseverantis, examinatis omnibus utriusque partis fundamentis, se denique deprehendisse, sententiam, quam vocant, *benignam*, in uno sensu esse veram, in altero falsam. Cùm enim secundùm Aristotelem *Top. c. 1. probabilia sint, quæ videntur sapientibus, iisque vel omnibus, vel plerisque vel maximè notis, ac claris*, absolutè loquendo, & in communi æstimatione censetur probabilior, quæ plures pro se habet Auctores graves, ex professo quæstionem disputantes; ea minùs probabilis, quæ habet pauciores. Et in hoc sensu censet, locutos esse multos Auctores Classicos hujus sæculi, qui asserunt, non esse necesse, ut sequamur probabiliorem, sed nos posse sequi etiam minùs probabilem. Solùm enim, ait, intenderunt, neminem obligari ad sequendam opinionem, stantem pro lege adversùs libertatem ex eo, quòd illa habeat pro se plures Auctores graves, & vulgò æstimetur magis probabilis; sed posse sequi opinionem stantem pro libertate adversùs legem, dummodò illa sit in se certò probabilis, id est, dummodò habeat pro se Auctores Classicos, & graves, ex professo rem disputantes, qui post diligentem controversiæ discussionem, & post considerata omnia vel præcipua partis contrariæ fundamenta, amplexi sunt ut veram, partem benignam, illamque propugnârunt inculpatè, & prudenter, quia citra passionem & culpam invenerunt pro illa quædam fundamenta graviora rationis. Et in isto sensu arbitratur, licitè nos sequi sententiam minùs probabilem, saltem, quando excessus probabilitatis absolutæ, quæ petitur ab Auctoritate extrinseca Doctorum, non est notabilis. Quamvis enim sic operans sciat, alios Doctores graves æqualis ferè auctoritatis hoc negare, si tamen ipse, post diligentem veritatis inquisitionem, ex sincero desiderio non offendendi DEUM conceptam, citra passionem & culpam agnoscat, fundamenta sententiæ benignæ esse notabiliter verosimiliora seu urgentiora (eò quòd manifestè & evidenter experiatur, se vehementiùs impelli ad assensum per fundamenta sententiæ benignæ) & motus his fundamentis prudenter judicet judicio absoluto, non vacillante (seu non fundante, nisi exiguam tantùm formidinem partis oppositæ) e. g. certum quemdam contractum non esse usurarium, adeoque prohibitum, sed licitum, existimat allegatus Gonzalez, à sic disposito, & judicante contractum illum licitè iniri. Alio modo, observat, opinionem dici magis vel minùs probabilem formaliter respectu *operantis.* Et in hoc sensu ea opinio est probabiliter respectu *operantis*, quæ in actu primo illi apparet magis vera, quàm falsa, seu,

cujus

cujus fundamenta ipsi apparent urgentiora & verisimiliora, seu fortiùs ac vehementiùs impellentia ad assensum. Atque in hoc sensu, subdit Auctor ille, se deprehendisse, sententiam benignam defendi à recentioribus Theologis, Esparza, P. Terillo, Moya, Cardenas, & aliis.

151. Deinde suam desuper mentem declaraturus, sibi firmiter animo infixum tenet, nemini licitum esse assumere pro regula secundaria, quam in operando sequatur, sententiam alienam, faventem libertati adversùs legem, nisi ex prudenti persuasione, quòd illa sit vera, & legi æternæ conformis, utpote cui tanquam regulæ primariæ totius honestatis actiones humanæ conformari debent, ut honestæ sint. Quare illam opinionem, quam quis secum reputat ùt falsam, vel prudenter reprobare potest, quia pro contraria agnoscit majora momenta authoritatis & rationis, non poterit in praxi sequi pro libertate adversùs legem, tametsi cæteroquin ab aliis pro probabili licèt minùs tutâ habeatur: Consequenter Gonzalez tenet, tunc ad securitatem conscientiæ non sufficere judicium reflexum de probabilitate illius opinionis minùs tutæ, sed insuper ex parte ipsius *operantis* requiri judicium opinativum, quòd opinio minùs tuta sit vera, vel quòd Auctores eam foventes verum dicant, & nobis proponant voluntatem divinam vel approbantem, vel saltem permittentem, ut aliqua actio moralis, vel omissio, à nobis licitè poni queat. Quam quidem doctrinam idem Gonzalez in cit. Tractatu præsertim in *Dissert.* 2. firmare & dilucidare allaborat; eademque sententia contra usum sententiæ minùs probabilis minusque tutæ non parum illustramenti accipit.

152. Memoratu quoque dignissimum censeo Benedictinorum Purpuratum ac maximum Decus, Cardinalem de Aguirre, *Tom.* 1. *Theol. S. Ansel. Disp.* 2. *Sect.* 6. de se ipso testantem, quòd multis annis in communi fere sententia, Probabilismi præjudicio abductus, quasi in pulvino quieverit, ac plerumque studium suum in eo posuerit, ut examinaret potiùs, *an aliquid sit probabile, quàm investigârit, an esset verum?* Detectâ enim probabilitate, nullatenus dubitabat, se posse illud in praxi sequi, aut aliis consulere &c. Cæpit itaque rem maturiùs examinare ab anno circiter, 1671. lectis & relectis plurimis Auctoribus recentibus, qui hinc inde controversiam præsentem profligaverunt ex instituto. Deprehendi verò (scribit) ingens periculum salutis in sectando aut consulendo aliis probabilismo, sive usu cujuslibet opinionis minùs probabilis, faventis libertati in concursu alterius probabilioris, adhærentis præcepto.

153. Nec eidem Cardinali judicia *reflexa* ad authoritatem alienam videntur sufficere aut prodesse pro formando judicio moraliter certo & necessario ad usum licitum opinionis benignæ. Non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, ut judicio reflexo sentiat verum ac certum moraliter id, quod directo judicio æstimat falsum, aut minùs probabile. Quare reflexiones illas ad summum posse locum habere, ait, ubi vir doctus & prudens, recta intentione placendi DEO aut ipsum non offendendi, & nullo præjudicio, passione, aut utilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, debitisque circumstantiis, quando occurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scriptores Catholicos doctos & pios. Si post rem examinatam inveniat sententiam benignam longè ac palàm prævalere sententiæ austeriori, tum authoritate & numero Patronorum, tum rationibus, & plenè respondere argumentis contrariis, videtur, posse formare judicium moraliter certum, de illius veritate & licito usu, aut nihil curare rigidiorum aliorum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani scrupulo. Dato enim aut permisso, quòd sententia illa benignior esset falsa in re, agens excusaretur à peccato, saltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem ex infirmitate humana &c. Hæc videtur fuisse praxis assidua SS. Patrum, Pontificum, & Theologorum doctrina & pietate insignium, à tempore nascentis Ecclesiæ usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cæpit reputari securus usus opinionis benignæ &c.

Sanè hoc etiam magnum est de sequenda probabiliore argumentum, quòd post propositiones varias (olim probabiles visas) ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatas, nullus, qui prædictam doctrinam semel tenuit, eam deseruerit; ex adverso autem multi à Probabilismo ad Probabilioristas transeant. Huc possunt

Referri adhuc alia similia verba ex memorato Cardin. de Aguirre, quæ habet in *Prologo ad Tomos Conciliorum Hispaniæ, num.* 14. sic loquens: „ Verùm prolixus essem, si „ omnes Dominos Cardinales, Probabilismi „ illius laxi inimicos, & tutiorum aut saltem „ palàm probabiliorum sententiarum tenaces „ tam factis quàm scriptis, jam vitâ functos „ nominare vellem. Inter tam multos eo- „ rundem, qui usque modò sanctitate & do- „ ctrinâ insigni floruerunt, vix credo, inve- „ nietur aliquis, qui aliter senserit aut do- „ cuerit. Imò & ex iis, qui modò superstites sunt, tam intra quàm extra urbem, præ- „ stanti pietate & eruditione conspicuis, ac „ toti Orbi Christiano notis, quorum judi- „ cia ac sententiæ mihi frequenter colloquio „ ac variis congressibus innotescunt, nemo „ est, (quantum capio) qui tam in Theoria „ quàm in praxi non censeat, sequendam o- „ mnino esse sententiam tutiorem, vel saltem „ veriorem ac verosimiliorem. Atque in sa- „ cris hisce Congregationibus quotidie oc- „ currunt innumeræ causæ, quarum decisio „ ex sacris Conciliorum Canonibus pendet: „ ubi autem variæ Authorum occurrunt sen- „ tentiæ, illa omnino præfertur, quæ omni- „ bus „

,,bus hinc inde consideratis, tutior videtur, ,,aut juri & æquitati conformior &c.

154. Ex his omnibus latissimè discussis, infertur, quòd Decius in casu, de usuris petendis suprà in principio secundæ sententiæ, allato, teneatur suam probabiliorem, & tutiorem sententiam amplecti, atque adeò ante commissam à mutuatario moram ab usurarum exactione abstinere.

## QUÆSTIO ULTIMA.

### *An etiam Confessarii in absolutione sacramentali opinionem suam sequi teneantur, ita, ut si ipsi reputent actum vel contractum quemdam pœnitentis esse graviter peccaminosum, pœnitens verò talem actum ex motivis rationabilibus judicaverit licitum, Confessarii debeant eum tanquam reum peccati condemnare, vel ùt innocentem reputare?*

155. Conclusio ultima: possunt & debent Confessarii hujusmodi pœnitentes absolvere, ac ùt immunes à peccato mortali reputare. Anton. Perez noster in *Certam. decimo Scholast. num.* 96. ibi allegans Navar. in *Summa. cap.* 26. *n.* 4. & Sotum in 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 5. adjecta ratione: quòd probabilitas sententiæ, quam sequitur pœnitens, extrahat actum illius à ratione peccati: Cùm ergo Confessarius tunc nullum inveniat obicem, pœnitentem absolvere debet.

156. Nec obstat primò, quòd Confessarius sit Judex pœnitentis, & confessionis illius: Judex autem teneatur sententiam suam sequi, ac secundùm eam judicare: Nam Resp. laudatus Perez, Confessarium non esse Judicem ad deliberandum, an hoc sit peccatum vel non, (eò quòd hoc pœnitens explicet, & Confessarius ante prolationem sententiæ prævidere teneatur) sed esse Judicem ad judicandum: quasi dicat, quòd Confessarius non debeat absolutè suam propriam sententiam sequi, sed reflectendo ad conscientiam pœnitentis: nam juxta S. Trid. Conc. *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. pœnitens tenetur ea solùm mortalia confiteri, *quorum conscientiam habet post diligentem discussionem.* Ergo si aliquid in Confessione exponat ùt à se vel jam factum, vel primùm faciendum, quòd ratione motivi gravis post diligentem discussionem in conscientia ejus apparet esse vel fore aut nullum peccatum, aut saltem non grave, ex judicio Confessarii vel sententia non sit grave, nec ut tale declarari potest.

157. Nec obstat secundò, quòd pœnitens per actum illum vel contractum juxta Confessarii sententiam peccatum grave incurrerit: Nam Resp. Confessarium nihilominùs utique scire, quòd conscientia opinativa, ubi quis secutus est opinionem verè probabilem, à peccato excuset: igitur Confessarius, etsi ipse contrariam opinionem ùt probabilem tueatur, non poterit pœnitentem condemnare. Sed quid si Confessario sua opinio de peccato mortali per pœnitentem admisso videretur esse probabilior? Tamen pœnitentem juxta suam sententiam probabilem absolvere debet: quia pœnitens, dum operatus est, non cognovit illa graviora motiva Confessario sic visa, neque Confessarii conscientia est regula pœnitentis, sed propria sua conscientia, sufficientibus motivis innixa, atque ad DEUM tanquam regulam primam, & finem ultimum bene affecta. Imò motiva, quæ Confessario videntur graviora pœnitenti possent apparere notabiliter minora.

De Medico specialiter dubitari & quæri solet, an is teneatur magis tutam sententiam sequi ac magis ægroto favorabilem?

158. Breviter cum nostro Perez ita resolvendum censeor. Primò: ubi nullæ habentur probabilitatis rationes, quod medicina ægro sit profutura, tenetur Medicus omittere illam: idem est, quando faciliora ac validiora remedia suppetunt. Secundò: Quando lis est & opinio in quovis medicamento, potest Medicus applicare id, quod ipse probabiliter salutiferum fore reputat. Tertiò: quando æger jam est extra statum & spem consequendæ sanitatis, tunc non statim Medico licebit applicare aliquod medicamentum, ut ejus experimentum sumatur: sed Perez utitur sequenti distinctione: Aut enim prudenter & probabiliter reputatur, medicinam nullum esse allaturam ægro detrimentum, aut saltem dubitatur, an sit allatura detrimentum ad minùs in acceleranda morte? Primo casu, cùm non possit obesse, sed potiùs experientia bene succedere, licitè procedit Medicus: Secundo casu non æquè: neque enim afflicto est addenda afflictio, aut probabile nocumentum ei inferendum, cui subveniri non potest. Cæterùm in Medicis sola experientia, quæ de inutilitate medicamenti jam habetur, potest opiniones probabiles destruere, aut probabiles efficere, si per experimenta constet de utilitate.

# *Propositiones sexaginta & octo Michaëlis de Molinos, per Decretum Innocentii XI. die 28. Aug. Anno 1687. damnatæ.*

## Decretum.

159. AD abolendam perniciosissimæ hæresis pravitatem, quæ in plerisque mundi partibus, non sine maximo animarum discrimine invaluit, rigor debet Apostolicus excitari, ut Pontificiæ solicitudinis authoritate & providentiâ, Hæreticorum protervia in ipsis suæ falsitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in Ecclesia Sancta resplendens, eam ubique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Cùm igitur compertum fuerit, quemdam Michaëlem de Molinos perditionis filium, prava dogmata tum verbis tum scriptis passim docuisse, & in praxin deduxisse, quæ prætextu Orationis, Quietis, contra doctrinam, & usum à SS. Patribus ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis receptum, fideles à vera Religione & à Christianæ pietatis puritate, in maximos errores & turpissima quæque inducebant, Sanctiss. D. N. Innocentius Papa XI. cui cordi est, ut fidelium animæ sibi ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, pro re tamen gravi, auditis pluries coram se Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce tum scripto susceptis, matureque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritûs assistentiâ, ad damnationem infra scriptarum propositionum ejusdem Michaëlis de Molinos, à quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tanquam à se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis, & ipse convictus, & respectivè confessus est, devenire, ùt infra decrevit.

## Propositiones.

I. NEcessarium est annihilari potentias: & hæc est vita æterna. II. Velle operari activè est offendere DEUM, qui vult solus *Agens* esse; & ideò necesse est, derelinquere se in illo, & deinde se habere corporis mortui adinstar. III. Vota faciendi aliquam rem, sunt impeditiva perfectionis. IV. Activitas naturalis inimica est gratiæ, & impedit operationem DEI, & veram perfectionem; quia DEUS vult operari in nobis, sine nobis. V. Anima nihil operando annihilat se, & redit ad suum principium, & ad suam originem, quæ est essentia DEI, ubi manet transformata, & divinifata: & tunc DEUS manet in seipso, quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una sola, & sic vivit & regnat DEUS in nobis, & anima se annihilat in esse operativo. VI. Interna via est illa, in qua non cognoscitur aut lumen, aut amor, aut resignatio; neque necessarium est cognoscere DEUM, & sic bene proceditur. VII. Non debet anima cogitare, aut præmium aut pœnam, aut Paradisum, aut Infernum, aut mortem, aut æternitatem. VIII. Non debet velle scire, an ambulet cum voluntate DEI, an sit resignata illi, vel non; nec est necesse, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum; sed se habeat quasi corpus mortuum. IX. Non debet anima memor esse vel sui ipsius, vel DEI, vel ullius rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ac proprios defectus. X. Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi; & non posse reflectere ad proprios defectus, est donum DEI. XI. Ad dubia, quæ accidunt, recténe procedamus an non, non est necessarium reflectere. XII. Qui dedit liberum arbitrium DEO, non debet curare de ulla re, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, à cujus etiam spe se purgare debet. XIII. Dum consignatum fuerit liberum arbitrium DEO, illi debet relinqui cura & cogitatio omnium rerum nostrarum, & permitti, ut in nobis sine nobis suum divinum faciat velle. XIV. Qui resignatus est divinæ voluntati, non debet à DEO quidquam petere: quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis, & est quodammodo velle, ut divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra voluntati divinæ: & illud: *petite, & accipietis*, ex Evangelio, non fuit dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; quin & istæ eò deveniunt, ut non possint à DEO quidquam petere. XV. Unde sicut nihil debent à DEO rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re; quia utrumque est æqualiter actus propriæ voluntatis. XVI. Non oportet quærere indulgentias pro pœna debita peccatis propriis; quia meliùs est satisfacere divinæ justitiæ quàm quærere misericordiam: nam illud procedit ex puro DEI amore, & hoc ex amore interessato, id est, personalis commodi nostri,

stri, & non est res grata DEO, nec meritoria; quia est velle subterfugere crucem. XVII. Ex quo traditum est DEO liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ nostræ, non debent ulteriùs æstimari tentationes, nec alia fieri illis resistentia nisi negativa, non utendo industriâ; & si natura inde patitur, necesse est illam sinere pati, quia natura est. XVIII. Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat DEUM *in Spiritu & veritate*. XIX. Qui amat DEUM, prout illum ratio argumentando repræsentat, aut intellectus comprehendit, non amat DEUM verum. XX. Dicere, in oratione utendum dicursu & cogitatibus tunc, cùm DEUS non loquitur animæ, est ignorantia: DEUS non loquitur unquam, illius loqui est operari; semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit. XXI. In oratione manendum est in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & distinctæ attributorum DEI, & Trinitatis: atque standum in præsentia DEI ad adorandum, amandum, eique serviendum: verùm sine productione ullorum actuum: DEUS namque id genus rebus non delectatur. XXII. Non est hæc cognitio fidei actus quispiam productus à creatura, sed cognitio quædam illi à DEO data, quam creatura non novit se habere, neque adeò postea scit se habuisse; idemque dicendum de amore. XXIII. Mystici cum S. Bernardo *in Scala Claustralium* distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper est in primo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est totâ vitâ, dummodò DEUS nôn trahat animam, nihil tale expectantem, ad contemplationem infusam: &, hac cessante, redeundum est animæ ad gradum tertium, & in eo consistendum, non ampliùs revertendo ad secundum aut primum. XXIV. Quantæcunque cogitationes inter orandum accidant, etiam impuræ, quin & contra DEUM & Sanctos, contra fidem & Sacramenta; Si non voluntariè foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: imo illam reddunt perfectiorem; quia anima magis est resignata voluntati divinæ. XXV. Tametsi superveniat somnus & dormiatur, omnino tamen oratur & contemplatio fit actualiter; quia oratio & resignatio, resignatio & oratio, totum est idem; & quamdiu continuatur resignatio, utique etiam oratio continuatur.

XXVI. Tres hæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ineptia est maxima, quæ nunquam prolata sit in ipsa Mystica; cùm non sit nisi via unica, id est, via interna. XXVII. Qui desiderat & amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat nec quærit DEUM, sed seipsum: quique per viam internam incedit, malè facit eam desiderando ac habere conando, sive in locis sacris sive in diebus solennibus. XXVIII. Bonum est tædium rerum spiritualium; quia sic ab amore proprio expurgamur. XXIX. Cùm anima interna fastidit discursus de DEO & Virtutibus, manetque frigida, non sentiendo se ad fervorem accendi, bonum signum est. XXX. Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, sordidum & impurum. XXXI. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci à sensibus. Perdere oportet Virtutes. XXXII. Nec ante nec post Communionem aliâ opus est præparatione aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis) quàm ut se teneant in solita resignatione passiva; quia *in hac* invenitur Amor, qui supplet modo perfectiori, quàm omnes alii actus virtutum, qui fieri possunt & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione Communionis accidant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales DEI impulsus; aliter enim sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ. XXXIII. Malè facit anima, quæ viâ istâ internâ graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem devotionis; quia animabus internis omnes dies sunt pares; omnes festi; idemque est de locis sacris: Cùm omnia loca his animabus sint paria. XXXIV. DEO gratias agere linguâ & verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes DEO impedimentum, quò minùs in iis operetur: & quantò ampliùs se DEO resignant, tantò magis experiuntur impotentiam dicendi, *Pater noster*. XXXV. Animabus hujus viæ internæ non convenit, ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate; alioqui mortuæ non forent. Nec debent facere actus amoris erga D. Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi; quia cùm hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa.

XXXVI. Nulla creatura, neque D. Virgo, nec Sancti, Sedem habere debent in corde nostro; quia DEUS solus vult occupare illud & possidere. XXXVII. In occasione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in supradicto amore, & resignatione. XXXVIII. Crux voluntaria mortificationum gravis est & sine fructu, ideoque omittenda. XXXIX. Opera sanctissima, & austeritates, quas Sancti subierunt, non sufficiunt ad animam vel uno assultu liberandum. XL. B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit Sanctissima: Igitur perveniri potest ad Sanctitatem sine opere externo.

XLI.

XLI. DEUS, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dæmon operetur, violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia & sine mentis offuscatione, movendo illis physicè manus aliaque membra contra earum voluntatem; & idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos: quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus. XLII. Potest dari casus, quo hæ violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore ex parte duarum personarum, id est, viri & fœminæ, & consequatur actus ex parte amborum. XLIII. DEUS temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium Tyrannorum, hodie eos facit per medium dæmonum! qui dum illis causant dictas violentias, facit, ut ii magis se vilificent & annihilent in seipsis, seque in DEO resignent. XLIV. Job blasphemavit, & tamen in eo non peccavit *labiis suis*; quia id fuit per violentiam dæmonis. XLV. Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias dæmonis; unde scripsit: *Non quod volo bonum, boc ago; sed quod nolo malum, boc facio.*

XLVI. Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem & unionem: neque alia est via; estque via facilior & securior. XLVII. Cùm hæ violentiæ accidunt, oportet, sinamus Satanam agere, non utendo propriâ industriâ, aut viribus; sed consistendo in nihilo nostro; ac tametsi accidant pollutiones, actusque obscæni manibus procurati, atque etiam his magis insolita & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores; quia anima magis illuminata, robustiorque & candidior efficitur, & acquiritur sancta illa libertas. At inprimis non oportet ea confiteri; sitque sanctissimè illa non confitendo; quia sic vincitur dæmon, & thesaurus quidam pacis obtinetur. XLVIII. Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde esse graves defectus ad inquietandam animam, ut non progrediatur in via interna: Unde ad tollendas illi vires præstat ea non confiteri; quia ne quidem sunt peccata venialia. XLIX. Job per violentiam dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, *quo mundas habebat ad DEUM preces.* Ita interpretando in tali sensu textum quemdam Cap. 16. Job. L. David, Jeremias, & multi è Prophetis sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum. LI. In Sacra Scriptura multa sunt exempla, violentiarum ad actus externos peccaminosos; ùt Samsonis, qui per violentiam occidit seipsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice; quæ aliàs erant res prohibitæ, & fuissent peccata: Item Judith, quæ mentita est Holoferni; Elisei, qui pueris maledixit; Eliæ, qui igne consumpsit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediatè à DEO, vel dæmonis ministerio, ùt in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur. LII. Quando hæ violentiæ, etiam impuræ, veniunt sine mentis offuscatione, tunc anima potest se unire DEO, & reipsa semper magis unitur. LIII. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam ea de re habeo, non solùm est, quòd protestentur hæ animæ se non consensisse, vel quòd non possint jurare se consensisse; ac quòd videamus, esse animas, quæ profectum faciunt in via interna: sed præsertim me dirigo lumine quodam actuali, & quod superius est cognitione humanâ ac Theologicâ, quo cognosco certò cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentam: & hoc lumen certus sum venire à DEO, quia mihi venit conjunctum cum securitate, quòd veniat à DEO; neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit; eum in modum, quo interdum accidit ut DEUS revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse, qui eam revelationem facit; neque anima possit in contrarium dubitare. LIV. Spirituales illi viæ ordinariæ, in hora mortis se delusos, & confusos invenient, cum omnibus passionibus in altero mundo expurgandis. LV. Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia, ad expurgationem & mortificationem omnium passionum, ita, ut nihil ampliùs sentiatur, nihil, nihil planè, neque percipiat quis inquietudinem ullam, perindè ut corpus quoddam mortuum; neque anima se ampliùs in diversa transferri sinat.

LVI. Duæ leges & duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant, quamdiu amor proprius durat: unde ubi hic expurgatus & mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non ampliùs ibi sunt illæ duæ leges, neque duæ voluntates, nec ultra fit ulla subreptio, aut motus improvisus; neque aliquid porrò sentitur, ne unum quidem veniale peccatum. LVII. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non peccandi ampliùs, seu mortaliter seu venialiter. LVIII. Ad ejusmodi statum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione. LIX. Via interna separata est à Confessione, à Confessariis, & à casibus conscientiæ, à Theologia, & Philosophia. LX. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin & eò, ut mortuæ sint, jam pertingunt, DEUS nonnunquam impossibilem reddit Confessionem, ipseque supplet tantundem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantùm reciperent ex Sacramento: ideoque his animabus non expedit eo casu Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt. LXI. Anima, cùm ad mortem mysticam

ſticam pertigit, non poteſt ultra velle aliud, quàm vult DEUS; quia non habet ampliùs voluntatem, & DEUS illam ipſi ademit. LXII. Per viam internam pervenitur ad continuè conſiſtendum immobiliter in pace quadam imperturbabili. LXIII. Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem ſenſuum; imò ſignum, quòd quis in nihilo illo conſiſtat, id eſt, mortuus ſit morte myſtica, eſt, ſi ſenſus externi non magis jam repræſentant res ſenſibiles, quàm ſi non exiſterent; quandoquidem non efficiant, ut intellectus ſe iis applicet. LXIV. Theologus minùs eſt diſpoſitus, quàm ſimplex & idiota, ad hoc, ut ſit contemplativus: primò, quia non habet fidem tam puram: ſecundò, quia non eſt tam humilis: tertiò, quia non curat perinde de ſua ſalvatione: quartò, quia habet caput plenum phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus: & in eum nequit verum lumen intrare. LXV. Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum pertingit ſolummodo ad exterius: aliud eſt in interiore, quo ſolus DEUS & Director intrant. LXVI. Riſu digna eſt doctrina quædam nova in Eccleſia DEI, animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Epiſcopum; & ſi is idoneus non fuerit, eundum animæ ab illo ad ſuum Directorem. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixerunt, neque dicere poſſunt, quia *Eccleſia non judicat de occultis*; habetque jus anima, ut eligat, quem maluerit. LXVII. Dicere, opus eſſe, ut internum manifeſtetur tribunali externo Superiorum, & eſſe peccatum, niſi fiat, ea eſt deceptio manifeſta; quia *Eccleſia non judicat de occultis*; atque animabus ſuis damnum adferunt fraudibus hisce & fictionibus. LXVIII. In mundo non eſt Facultas nec Jurisdictio: ad mandandum, ut manifeſtentur litteræ Directoris circa internum animæ: & idcirco monitos eſſe oportet, eſſe hunc aſſultum quempiam Satanæ.

Quas quidem Propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas & everſivas, & ſcandaloſas reſpectivè, ac quæcunque ſuper iis verbô, ſcriptô, vel typis emiſſa, pariter cum voto eorundem S. R. E. Cardinalium & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus; deque eisdem & ſimilibus omnibus & ſingulis poſthàc quoquomodo loquendi, ſcribendi, diſputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscunque interdiximus; & contra facientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis ipſo facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcunque decrevimus, vinculaque etiam Anathematis eo ipſo innodavimus, à quo niſi à Nobis & à Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris valeant abſolvi. Præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus & damnavimus omnes libros omniaque opera quocunque loco & idiomate impreſſa, nec non omnia Manuſcripta ejusdem Michaëlis de Molinos, vetuimusque, ne quis, cujuscunque gradûs, conditionis, vel ſtatûs, etiam ſpeciali notâ dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub iisdem verbis, ſive ſub æqualibus aut æquipollentibus, ſive absque nomine, ſeu ficto aut alieno nomine, ea imprimere vel imprimi facere, neque impreſſa ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis Locorum aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere & conſignare teneatur ſub eisdem pœnis ſuperiùs inflictis: qui Ordinarii & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant, & comburi faciant.

Tandem ut prædictus Michaël de *Molinos* ob hæreſes, errores & turpia facta *prædicta* debitis pœnis in aliorum exemplum & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtri Sanctæ Inquiſitionis Officii, in Sacra Theologia & in Jure Pontificio Magiſtris, cum eorundem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaëlem de Molinos tanquam reum convictum & confeſſum reſpectivè, & uti hæreticum formalem, licèt pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævià tamen abjuratione de formali per ipſum emittendâ, ſervato Juris Ordine, damnavimus, mandantes, ut die & horâ præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus Almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Pralatis, univerſoque populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor Proceſſûs, ſtante in ſuggeſtu eodem Michaële de Molinos, unà cum ſententia inde ſecuta legeretur. Et poſtquam idem Michaël de Molinos habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores & hæreſes publicè abjurâſſet, dedimus facultatem dilecto Filio noſtri Sancti Officii Commiſſario, ut eum à Cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret: quæ omnia in executionem dictæ noſtræ Ordinationis die 3. Sept. labentis ſolenniter adimpleta ſunt.

Et licèt ſupra narratum Decretum mandato noſtro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum & divulgatum fuerit, nihilominus ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hâc noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione ſupra dictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni

tioni tradi mandamus; iterum supradictas propositiones definitivè damnantes & reprobantes, Librosque & Manuscripta ejusdem Michaëlis de Molinos prohibentes & interdicentes sub eisdem pœnis & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes insuper, præsentes Litteras semper & perpetuò validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, quàvis auctoritate fungentes & functuros, ubique judicari & definiri debere, sublatâ eis & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, quidquid secus super à quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus Litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.

Alias celebriores Propositiones seu opiniones damnatas in Tr. 1. seu Apparatu Theologico longo ordine recenseo.

## *Adnotatio detestabilis Doctrinæ Talmudicæ.*

160. TAlmud, Liber scelestissimus Judæorum, latinè idem denotat, ac disciplina, vel doctrina. In eo Libro collecta sunt decreta omnia suorum Magistrorum, seu Rabbinorum, omnesque traditiones ipsorum, ac divinarum atque humanarum Legum interpretationes, quibus nunc tota Judæorum natio regitur. Initium habuit anno 150. post ultimam Jerosolymæ desolationem, à Juda quodam Simonis filio, qui omnia Decreta Prædecessorum Interpretum & Rabbinorum, qui ad ea usque tempora vixerant, in unum coëgit volumen. Post id etiam tempus, annis 150. lapsis, idem liber iterum recognitus & auctus à quodam Joanne Rabbi, Talmud Jerosolymitanum vocatus est. Deinde, anno à Christo nato 476. & sic anno 136. post præfatam secundam compilationem tertiò compositus à quodam Asse & quodam Hama Rabbinis, Babylone Ægyptia, quam Cairum vocant, habitantibus, ea de causa Talmud Babylonicum appellatum fuit; in quo multas hæreses conscripserunt, & docuerunt, contra ipsam, quam profitentur, Moysis Legem; & contra omne Jus gentium; nec non multas & execrandas blasphemias in Christum Salvatorem nostrum. Ita in *tr. Criminal. l. 5. c. 12.* refert Tiberius Decianus, quondam Juris Cæsarei Professor Patavinus. Sequuntur hujus

## Talmud falsa, & impia Propositionum Deliramenta.

I. QUod DEUS ante Creationem Mundi se exercuerit in creandis diversis aliis mundis, quibus postea destructis, ad hujus creationem descendit. II. DEUM expendere tres cujusque diei primas horas in lectione Mosaicæ Legis; & Moysen aliquando Cœlum ascendisse, & reperisse DEUM inscribentem accentus in Scriptura Sacra. III. Primo die novæ Lunæ Septembris DEUM Universum Orbem judicare. IV. Quòd singulis diebus DEUS preces & orationes fundat. V. Quòd certis temporibus DEUS ploret: eò quòd permiserit Templi Jerosolymitani destructionem, & populi sui dispersionem. VI. Quòd in omni Novilunio DEUS præceperit Sacrificium Expiationis propter scelus ab eo commissum in spolianda Luna lumine suo. VII. Quòd certis diebus & horis DEUS ludat cum magno quodam pisce, Leviathan vocato. VIII. Elementum ignis esse creatum die Sabbati. IX. Quòd quidam Rabbini DEUM excommunicaverint. X. Quemdam Rabbinum se fecisse deferri à Diabolo ad Portam Paradisi, quàm cito ingressum jurasse, non inde exire; Deumque ibi eum retinuisse, ne perjurus evaderet. XI. Quemdam Angelum, peccato inquinatum, flagellô igneô à DEO cæsum fuisse. XII. Ab Adamo & Noëmo spurcitias carnales plurimas esse commissas. XIII. Historiam S. Job meram esse fabulam. XIV. Davidem non peccâsse in adulterio, & homicidio Uriæ. XV. Nullam honestatem in matrimonio servandam. XVI. De inimicis vindictam sumendam. XVII. Gravioribus pœnis esse plectendos eos, qui contradicunt Scribis, & Rabbinis, quàm qui contradicunt Legi Moysis. XVIII. Falsos testes nullâ pœnâ afficiendos. XIX. Reum damnatum in Concilio, ubi aliquis contradixit, esse ultimô suppliciô afficiendum: Si nullus contradixit, esse liberandum. XX. Crumenam repertam cum nummis non esse restituendam vero domino, si hic spem eam inveniendi amiserit. XXI. Judæos omnes teneri, ter in die, Christianos maledicere, atque pro eorumdem Regum & Principum extirpatione quotidie orare. XXII. Judæos habere præceptum à DEO convertendi in suos usus bona Christianorum, quâ viâ poterunt, dolo, vi, fœnore, furto, & similibus. XXIII. Iisdem Judæis à DEO mandatum esse, ut habeant omnes Christianos in numero bestiarum, & illos tractent tanquam bruta animantia. XXIV. Quòd si quadrupes Judæi occidat quadrupedem Christiani, nihil reficiendum. Secus, si quadrupes Christiani occiderit illum Judæi. XXV. Gentilibus &

& Paganis per Judæos nullam offensam faciendam; Christianis mortem omni studio procurandam. XXVI. Quòd si Judæus, animo occidendi Christianum, occidat Judæum, sit veniâ dignus. XXVII. Quòd Judæus, videns Christianum præcipitantem, teneatur, nullâ interpositâ mora, eum in præcipitium impellere. XXVIII. Quòd Imperium Christianorum est execrabilius Imperiô Ethnicorum. XXIX. Judæos obligatos esse evertere, si possint, Templa Christianorum, tanquam domicilia Idololatriæ. XXX. Evangeliorum Librum igne comburendum. XXXI. Animas transmigrare de corpore in corpus, ita tamen, ut si peccaverit tum in primo, tum in secundo, tum etiam in tertio corpore, dimittatur postea in infernum. Hinc animam Abelis transmigrâsse in Seth; Sethi autem animam in Moysen. XXXII. Animas rudium & ignorantium non redituras in resurrectione ad sua corpora. XXXIII. Duos è suis Rabbinis die Veneris cujusque hebdomadæ creare duos vitulos, eosque paulò pòst ab eis devorari. XXXIV. Vitam æternam habituros comedentes saltem ter in die Sabbati. XXXV. Esse comedendas res impares: quia DEUS impari numero gaudet. XXXVI. Orantem versùs meridiem adepturum esse sapientiam: versùs verò Septentrionem, divitias. XXXVII. Transeuntem inter duos Camelos, vel duas inter fœminas, nunquam esse intellecturum hunc Talmud Librum. XXXVIII. Dubitare de veritate Talmud, esse negare DEUM.

Hæc collecta ex variis probatis Auctoribus traduntur apud Salellem *de Offic. S. Inquisitionis lib. 3. cap. 10. Regula 210. à num. 105.* Nonnulla alia deliramenta collegit Marquardus *Tract. de Judæis par. 3. cap. 1.* speciatim sequentia: Adami corpus tantæ extitisse magnitudinis, ut Cœlum tangeret: DEUM reservare piscem, sale condîtum pro convivio faciendo Messiæ, cui dabit vinum factum de vineis suis à principio mundi: DEUM equitare super Cherubim causâ visitandi decem & octo millia mundorum, quos creavit: Maledicentem DEO nullâ pœnâ afficiendum, nisi DEI nomen *Tetragrammaton* protulerit. Alia fœda, ac nefanda dicti Talmud consultò reticentur ac supprimuntur.

Non solùm Magistratus Venetus anno 1553. innumerabilia volumina Talmudica flammis consumi curavit; verùm etiam Summi Pontifices, Innocentius IV. Julius III. Paulus IV. Clemens VIII. & præcipuè Gregor. XIII. peculiaribus Constitutionibus prædictos errores ac blasphemias commeritâ detestatione profligârunt. Teste Salelles *to. 3. lib. 5. cap. 5. Regulâ 387. & lib. 6. cap. 8. Reg. 504.* Christiani, tenentes, legentes, vel typis excudentes Libros Talmudicos, Cabbalistas, aliosque Codices, ac Scripta Judaicorum Rabbinorum, excommunicationem incurrunt.

# Tractatus XIII.

## De Legibus.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

### De Lege Naturali, & Divina.

QUÆSTIO I.

*Sitne Lex Naturalis verè Lex Divina præceptiva & prohibitiva: sive sitne DEUS præcisè effector Legis Naturalis, & non simul illius Legislator?*

QUÆSTIO II.

*An, & quomodo dari possit Ignorantia Invincibilis Juris Naturalis?*

QUÆSTIO III.

*An lex naturalis sit mutabilis, aut aliquam dispensationem à potestate humana recipere possit?*

## DISSERTATIO II.

### De Jure, sive Lege Divina.

QUÆSTIO IV.

*An ex lege æterna deriventur omnia principia legalia, seu leges moraliter directivæ?*

QUÆSTIO V.

*Utrùm Lex Vet. Testamenti ante Christi Passionem, vel saltem per & post Passionem, fuerit plenè abrogata?*

QUÆSTIO VI.

*An S. Pontifex possit dispensare in Jure Divino positivo?*

## DISSERTATIO III.

### De Lege Humana Ecclesiastica.

QUÆSTIO VII.

*An, ut Lex Ecclesiastica universalis obliget, ejus Promulgatio in singulis Provinciis sit necessaria?*

QUÆSTIO VIII.

*Utrùm valor Legis Ecclesiastico-Pontificiæ à populi acceptatione dependeat?*

QUÆSTIO IX.

*An Suprema Potestas condendi Legem Universalem Ecclesiasticam in Summo Pontifice resideat, sine dependentia à Concilio Generali?*

QUÆ-

QUÆSTIO X.

*Quæ Potestas Legislativa concessa sit Conciliis non Generalibus?*

QUÆSTIO XI.

*Utrùm Declarationes S. Congregationis Cardinalium, Concil. Trid. Interpretum, vim legalem, & interpretationem authenticam contineant?*

QUÆSTIO XII.

*Quis leges Civiles & Politicas condere possit?*

# DISSERTATIO IV.

## De Subjecto Legis Positivæ Humanæ.

QUÆSTIO XIII.

*An non solùm omnes Catholici, sed etiam omnes Christiani, nec non Heterodoxi Legibus Ecclesiasticis Universalibus de jure subjecti sint?*

QUÆSTIO XIV.

*An Peregrini stringantur legibus particularibus loci, ubi hospitantur, vel transeunt?*

QUÆSTIO XV.

*An Personæ Ecclesiasticæ legibus sæcularium Principum subjiciantur?*

QUÆSTIO XVI.

*De objecto legis positivæ in genere.*

QUÆSTIO XVII.

*An Actus merè interni sub legem Pontificiam saltem cadere possint?*

QUÆSTIO XVIII.

*De effectu: An quælibet Lex Humana obliget in conscientia? Et: An detur purè pœnalis?*

QUÆSTIO XIX.

*Quando obliget, vel non, lex fundata in præsumptione?*

QUÆSTIO XX.

*Quid sit Dispensatio? Et: Quis possit despensare in lege positiva Humana?*

QUÆSTIO XXI.

*Quid sit consuetudo, & quomodo per eam leges aboleantur?*

QUÆSTIO ULTIMA.

*Quid sit notandum circa Privilegia?*

*Regulæ Juris Libro Sexto Decretalium Bonifacii Papæ VIII. adjectæ.*

*Regulæ Juris Canonici extra Sextum.*

*Additamenta aliorum Sacrorum Canonum.*

# PROLOQUIUM.

DOctor Angelicus, poſtquàm de actibus humanis tum bonis tum malis, ſeu peccatis in 1. 2. usque ad q. 89. telam proſecutus eſt, tandem qu. ſeq. id eſt nonâ, materiam de Legibus exorditur, usque ad qu. 108. incluſivè protractam, & expoſitam. Et meritò hæc legum, maximè poſitivarum & ſcriptarum, materia prioribus Tractatibus attexitur, cùm ſint regulæ humanorum actuum, ex quibus iſtorum bonitas, & malitia, adeòque tum præmii tum pœnæ condignitas menſuratur. Equidem DEUS Noë, Abrahæ, Job & Moyſi non per litteras (ùt loquitur D. Chryſoſt. Hom. 1. in Math.) ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcil. munda illorum corda repererat: poſtquàm verò omnis populus Judæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſariò jam inde litteræ dantur, ac tabulæ, & ea, quæ per has adminiſtratur, admonitio; & hoc non tantùm Veteris Teſtamenti Sanctis, ſed etiam novi accidiſſe perſpicimus; ſiquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus, ſed pro litteris Sancti Spiritûs ſe illis daturum gratiam promiſit. Quia verò progrediente jam tempore alii quidem propter dogmata, alii verò propter vitam & mores graviter impegerunt, eâ rurſus, quæ conſtat litteris, admonitione opus fuit. Quamdiu enim (ut eleganter ſubdit Anton. Paulutius olim Sac. Palat. Apoſt. Auditor, & poſtea S. R. E. Cardinalis in ſua *Juriſpr. Sacra* to. 2. tr. 4. cap. 1.) *charitate ferbuit Eccleſia, ac inter anguſtos limites exigui ambitûs ſtetit, atque credentium omnium fuit cor unum, & anima una, totâque Eccleſia quaſi una familia charitatis lege in cordibus ſcripta ſanctiſſimè regebatur; nullæ fuêre ſcriptæ leges; at ubi ampliari ea cœpit, ac defervere charitas, Canonibus & decretis fuit opus, quibus quid ſectandum, quid fugiendum, ex ſcripto unusquisque inſpiceret, indéque ſacri juris origo, ac ſucceſſivè progreſſus, & incrementum.* Cæterùm lex dividitur in *naturalem*, & *poſitivam*: poſitiva ulteriùs ſubdividitur in Divinam & Humanam: Divina Vet. Teſtamenti in cæremonialem, judicialem, & moralem: Humana in Eccleſiaſticam ſeu Canonicam, & Civilem ſeu politicam: Et hæc utraque in ſcriptam & non ſcriptam, ſeu conſuetudinem; de quibus omnibus recto ordine agemus, ductô initiô à Lege Naturali, & Divina.

---

# DISSERTATIO PRIMA.

*DE*

## *Lege Naturali, & Divina.*

1. LEx naturalis conſiderata, ſecundùm quod eſt à ſua cauſa quaſi efficiente, eſt quædam ordinatio divinæ ſapientiæ præcipiens creaturæ rationali ea, quæ naturali rationi ſunt conſentanea, & prohibens contraria ſeu diſſentanea. Spectata verò, ùt eſt in creatura rationali, tanquam in ſubjecto, cui communicatur, imprimitur & promulgatur ab Auctore naturæ, ſic in *actu primo* conſiſtit in naturali lumine intellectûs noſtri, quat. iſte continet virtutem quandam ſibi ab auctore naturæ inditam & velut digito DEI inſcriptam, ad diſcernendum inter bonum & malum, ſive inter operationes convenientes & diſconvenientes cum ratione naturali: In actu verò ſecundo Lex naturalis eſt ipſum dictamen exercitum, ſive judicium rationis noſtræ, quo inter bonum & malum actu diſcernimus, abſtrahendo ab omni lege poſitiva, id eſt, lata alicujus Legislatoris expreſſa volun-

voluntate. Ita colligitur ex D. Th. hic q. 91. a. 2. ubi, *sed contra est*, inquit, *quòd Rom. 2. super illud; cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, dicit glossa, quòd, si non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, quâ quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid malum* . . . . Unde cùm psalmista dixisset: *Sacrificate sacrificium justitiæ*, quasi quibusdam quærentibus, quæ sint opera justa, subjungit, *multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni respondens dicit: signatum est super nos lumen vultûs tui Domine: Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, nihil aliud sit, quàm impressio divini luminis in nobis.

# QUÆSTIO PRIMA.

## *Sitne Lex Naturalis verè Lex Divina præceptiva, & prohibitiva: Sive sitne DEUS præcisé effector Legis Naturalis, & non simul illius Legislator?*

SUarez *lib. 2. de LL. cap. 6.* duas sententias hic refert sibi oppositas. Una docet, legem naturalem esse solummodò indicantem, non verò *præcipientem*, aut propriè *prohibentem*; & ideo DEUM, ceu rerum omnium causam primam ac universalem, esse quidem effectorem legis naturalis cordi nostro inscriptæ, non tamen ejus præceptorem, & legislatorem propriè. Altera sententia legem naturalem constituit in divinæ voluntatis imperio, verè præcipiente, ac prohibente, nec legem naturalem ab æterna distinguit.

2. Conclusio: Lex naturalis in se continet veram præceptionem boni, & prohibitionem mali; adeoque à DEO ùt vero Legislatore procedit. Prob. Conclus. inprimis ex 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. ubi D. Thomas de peccato ad jus naturale comparato ait, jus naturale *contineri primò in lege æterna*; *secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ*. Deinde Pr. ratione. Solum rationis nostræ judicium seu dictamen discernens inter intrinsecè mala & honesta, illa ùt fugienda, hæc ùt prosequenda, nequit habere rationem legis, nisi supponatur aliquis Legislator, qui certè alius esse non potest, quàm DEUS: Ergo lex naturalis reverà à DEO ut Legislatore procedit, & veram præceptionem prohibitionémve in se continet. Ant. prob. à pari: lex humana non importat rationem legis ex eo, quòd in mente nostra existat judicium seu dictamen, quo judicamus, aliquam actionem de se indifferentem esse intermittendam, v. gr. opus servile, in die festivo: quia mera notitia & ostensio alicujus malitiæ vel bonitatis, in actu omittendo aut ponendo observatæ, abstrahit à lege, & de se non continet præceptionem vel prohibitionem; quare id tantùm manifestat, quod est in objecto ipsoque actu & opere præcepto vel prohibito. Unde ut prædictum dictamen, vel ostensio, importet & repræsentet aliquam obligationem legalem Juris humani, supponi debet aliquis legislator humanus, à quo præceptio vel prohibitio procedat. Ergo in simili judicium seu dictamen rationis, quo judicamus, aliquam actionem, tanquam intrinsecè malam, & cum ratione nostra dissonam esse omittendam, aut aliam intrinsecè honestam esse ponendam, de se non continet præceptionem vel prohibitionem legalem; quia esset mera notitia seu ostensio bonitatis & malitiæ, unde ut repræsentet obligationem legalem juris naturalis, debet supponi aut connotari aliquis Legislator naturalis, à quo præceptio vel prohibitio procedat.

3. Dices primò: Si DEUS esset Legislator respectu legis naturalis, præceptio & prohibitio actuum ponendorum, vel omittendorum deberet dependere à DEI voluntate & imperio: Atqui lex naturalis dicto modo non dependet à DEI voluntate & imperio: Ergo respectu illius DEUS non est legislator. M. est incontroversa. min. prob. Dictamina versantia circa objecta juris naturalis, v. gr. quòd mendacium sit fugiendum, blasphemia sit omittenda, DEUS colendus &c. sunt intrinsecè necessaria, perpetuò vera, ac observanda, habentur actus contra jus naturale gesti, malitiam independenter à divinæ voluntatis prohibitione. Ergo &c.

Ad hoc Argum. Resp. conformiter ad dictata in *tr. de peccatis*, quòd actus & objecta intrinsecè mala, antequàm concipiantur ùt legi æternæ contraria, importent malitiam solùm *fundamentalem*, & *incompletam; formalem* verò & *completam*, prout substant etiam prohibitioni legis æternæ, à qua dictamina legis naturalis, nobis impressæ, derivantur. Certè si contra solum dictamen rationis naturalis per mendacium, aut blasphemiam peccaremus, & non contra legem DEI æternam, adeoque nullum legislatorem offenderemus, peccata ejusmodi non haberent rationem *offensæ DEI*, sed essent meri defectus philosophici, quod defendi non posse, in cit. tr. ostensum est, ubi possibilitatem peccati merè Philosophici ex instituto examinavimus, & rejecimus.

4. Dices secundò: Si DEUS esset legislator respectu legis naturalis in nobis existentis, tunc creaturis rationalibus posset legem naturalem intimare vel non intimare, quod est absurdum. Seq. pr. quidquid enim DEUS ex div. voluntatis beneplacito ad *extra* facit, liberè facit, ut posset non facere. Resp. cum Suar. de LL. loc. cit. cap. 13. div. voluntatem equidem simpliciter libere facere, quæ facit *ad extra:* ex supposito tamen, quòd faciat unum, ordo & ratio div. sapientiæ exigit,

git, ut faciat & ponat etiam, quæ sunt necessariò connexa: condere autem creaturas rationales, illisque legem imprimere circa vitanda intrinsecè inhonesta & rationi dissona & facienda intrinsecè honesta, ac rationi consona, meritò pro connexis habentur.

5. Dices tertiò. Ad rationem legis necessaria est intimatio & promulgatio, quâ Legislator voluntatem suam declaret. Cùm igitur DEUS potuerit voluntatem suam non declarare, & intimationem seu promulgationem legis naturalis omittere, potuit legem hanc non ferre. Ergo potuit existere lex naturalis, quin DEUS illius esset propriè Auctor & Legislator. Ad hoc argum. Resp. Suar. *lib. 2. de LL. cap. 6. n.* 14. quòd ipsummet lumen naturale sit sufficiens *promulgatio* legis naturalis, non solùm quia manifestat intrinsecam disconvenientiam vel convenientiam actuum, quam lumen DEI increatum ostendit; sed etiam, quia intimat homini, contrarias actiones displicere auctori naturæ, tanquam supremo Domino, Curatori, ac gubernatori ejusdem naturæ. Ex consequenti igitur, quòd DEUS creaturam rationalem, quæ secundùm rationem naturalem viveret, produxerit, debuit etiam suam voluntatem ipsamque legem naturalem modo explicato promulgare. Unde D. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1. respondit, quòd *promulgatio legis naturæ sit ex hoc ipso, quòd DEUS eam mentibus hominum inseruerit naturaliter cognoscendam.*

6. Præcepta Legis naturalis præcipua Dominus & Salvator noster nobis indicavit Math. 22, 7. & seqq. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum: secundum autem simili est huic; Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ. Quò etiam respiciunt illa verba apud Luc. 6. 31. Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Et *Tobiæ* 4. 16. Quod ab altero oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *An, & quomodo dari possit Ignorantia Invincibilis Juris Naturalis?*

ASseclæ Jansenii negârunt, dari ignorantiam invincibilem, seu inculpabilem alicujus præcepti naturalis: eo ipso enim, dicebant, quòd talis ignorantia in homine adulto sit aliquis effectus relictus ex peccato originali, jam non manet inculpabilis, cùm non sit absque culpa invincibilis. Cæterùm Ignorantiam invincibilem in tr. de Actib. Hum. Sect. 2. q. 5. tunc adesse notavimus, quando vel nulla prorsus cogitatio aut dubitatio de re aliqua, obligatione, vel prohibitione animum pulsavit: vel quando aliquis post sufficientem in prudentum æstimatione, adhibitam diligentiam, in notitiam alicujus rei venire non potuit. Sit nostra

7. Conclusio prima: In homine adulto, & qui sit sufficienter compos rationis, nequit dari invincibilis seu inculpabilis ignorantia Juris naturæ quoad principia & præcepta universalissima, vel etiam quoad conclusiones ex iisdem facilè & evidenter deducibilis. Pr. Prima & universalissima principia seu præcepta sunt hæc: quod tibi non vis fieri, alteri ne facias: honestum est amplectendum, inhonesta fugienda &c. Nemo autem utens ratione ista ignorare potest: Sunt enim prædicta principia moralia tam pernota, ac illa metaphysica: quodlibet est vel non est: idem non potest simul esse & simul non esse. Unde & Paulus ad Rom. 2. dicit, cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant, ipsi sibi sunt lex, quatenus videl. legem naturalem saltem secundum principia prima, in Tabulis mentis & cordis descriptam gerunt. Quantum ad conclusiones ex illis principiis deducibiles exemplum habes v. gr. in hoc discursu: quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris: at tibi non vis inferri mortem, aliudve malum ab altero: ergo nec tu debes velle alteri mortem inferre &c.

8. Conclusio secunda potest dari ignorantia invincibilis & inculpabilis quoad aliqua objecta ac præcepta velut secundaria non adeò clara, & quantum ad conclusiones *aliquas* difficulter & solùm *remotè* ex principiis primis deducibiles: & talis ignorantia excusat à transgressione legis & peccato formali. Ita communis. Ratio est, quòd in quibusdam veritatibus non illicò cuivis patescat connexio evidens cum primis & universalissimis principiis: quot enim non sunt veritates seu conclusiones ex primis juris naturalis principiis deducibiles, in quibus gravissimi etiam doctores inter se discordant? Si multi asserunt, quòd condemnare innocentem, qui tamen juridicè secundùm allegata publica fuit probatus nocens, juri naturæ repugnet: plures è diametro hoc negant: Alii tenebant licitum esse mendacium pro salvanda sua vel proximi vita: furari ad subveniendum pauperibus: Tyrannum occidere, usuras merè lucratorias exigere, & fere innumera similia, quorum tamen contrarium ab aliis defenditur. Experientiâ quoque constat, multa à juvenibus obligationem legis naturalis ignorantibus contra legem naturalem innocenter committi, quæ demum, postquam ad ætatem provectiorem perveniunt, tanquam rationi naturali adversa detestantur. Igitur vera est nostra Conclusio. Revideantur dictata in tr. de Actib. Hum. Ignorantia Invinc.

9. Quod autem ignorantia invincibilis excuset à peccato formali patet inde, quod omne

omne peccatum debeat esse voluntarium: cum illa autem ignorantia non stet voluntarium, quia obligatio legis, contra quam materialiter delinquitur, non est præcognita. *Si cæci essetis*, ajebat Servator Jo. 9. *non haberetis peccatum.* Si insuperabilis ignorantia non excusaret à peccato, DEUS juberet impossibilia interdiceretque necessaria, verba sunt Caramuelis *to. 2. Theol. fundam. n.* 1331. Et D. Thom. *qu.* 3. *de Mal. a.* 8. *Si in eodem actu*, inquit, *aliquid sit ignoratum & scitum, potest esse voluntarium quantum ad id, quod est scitum; semper tamen est involuntarium quantum ad id, quod est ignoratum, sive ignoretur deformitas actûs, puta cùm aliquis nescit, fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum: sive ignoretur circumstantia actûs, sicut cùm quis accedit ad mulierem, quam credit esse suam.*

10. Oppon. primò. Cum Jansenistis: nostra cæcitas sive ignorantia descendit ex peccato Adami, quod nobis erat voluntarium, consequenter ignorantia non est sine culpa. Resp. ignorantiam nobis non imputari ad culpam, nisi qua ex propria voluntate & libertate caremus: Hinc Alex. VIII. sequentem propositionem damnavit: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

11. Oppon. secundò. In Decreto Gratiani *Caus.* 1. *q.* 2. *c. turbatur* 12. ignorantia Juris naturalis hominibus adultis dicitur esse damnabilis. Resp. Gratianum loqui vel de ignorantia vincibili, vel de ea, quæ fictitiè allegatur circa principia prima, aut conclusiones ex illis facilè deducendas.

12. Oppon. tertiò D. Augus. ep. 104. ubi sic ait: *Si quis bonum putaverit, quod malum est, hoc putando utique peccat.* Resp. & hunc, & alios similes texx. de errore, aut ignorantia vincibili exaudiendos esse.

13. Oppon. quartò. Nulla DEI lex est observatu impossibilis: ergo etiam nulla est incognoscibilis. Atqui lex naturæ est etiam lex DEI: ergo non potest esse incognoscibilis: quandoquidem incognoscibile observatu nobis est impossibile. Resp. primò ex hoc inferri, nec legis DEI positivæ ignorantiam invicibilem dari posse. Resp. secundò, quòd nulla lex DEI, in quantum homini imputatur ad culpam, sit observatu impossibilis: sit verò aliqua lex observatu impossibilis, in quantum homini ob ignorantiam invincibilem ad culpam non imputatur. Eodem modo distinguo, si urgeas: omnia præcepta DEI sunt possibilia. Ergo omnia, quæ ad hominem spectant, debent ab ipso posse cognosci & deprehendi. Resp. enim: omnia DEI præcepta sunt homini possibilia, quæ obligant *imputabiliter*, Conc. quæ *imputabiliter* non obligant, neg. ant. & conseq. Quando homo secundùm præsentes, quas habet vires, omnino invincibiliter caret notitiâ legis, non potest ipsi ad culpam imputari, vel quòd in legem non inquirat, de cujus existentia ipsum fortè nulla suspicio pulsat, vel quòd secundum normam legis non agat: Hoc sanè Jansenistæ notare debuissent, quibus sequens propositio fuit prohibita, & generatim damnata: *Aliqua præcepta DEI hominibus justis conantibus secundùm præsentes vires, quas habent, sunt impossibilia: deest illis quoque gratia, quâ possibilia fiant:* Neque enim lex, quæ propter invincibilem & inculpabilem ignorantiam fit formaliter observatu impossibilis, ignorantem in actu secundo obligat; ideoque actus legi difformis non est nisi materialis transgressio.

14. Oppo. quintò. Ignorantia juris saltem indirectè voluntaria neque à culpa, neque à pœna, excusat. Illis autem, qui instructione ad officium hominis ratione præditi pertinente ad sufficiente carent, ignorantia sua haud immeritò ùt indirectè voluntaria imputatur: nam si scire debent omnia ad suum statum & naturam pertinentia ac necessaria, planè carentia scientiæ culpâ non vacabit juxta Gregorii IX. in *cap. fin. de Injuriis &c.* nec *te ignorantia excusat, si scire debuisti.* Resp. eò solùm casu ignorantiam tanquam indirectè aut interpretativè voluntariam à culpa, vel etiam à pœna, non excusare, quos quis in acquirenda sufficienti instructione negligens fuit. Quare argumentum quidem procedit de ignorantia *vincibili*, quæ negligentiam præsupponit, neutiquam verò de invincibili. Textus ex *d. cap. fin.* allegatus, præterquàm, quòd non tam de ignorantia *juris*, quàm facti loquatur (dicit enim Pontifex: *Si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere vel jacturam)* inprimis probaret, neminem è Christianis ignorantia invincibili laborare posse: ostenditur hoc paradoxum. Invincibilis ignorantia debet esse inculpabilis: At nemo è Christianis, qui aliquod præceptum Christianis impositum ignoraret, præcepti illius ignorantiam inculpabilem haberet, rectè enim cuivis Parochiano ignorantiam alicujus præcepti, quod ad statum & officium Christianorum pertinet, alleganti objiceretur: *Ignorantia te non exculpat, non excusat, si scire debuisti: debitum faciendi, & observandi includit debitum sciendi.* Deinde regula prætacta magis appositè explicatur relatè ad forum externum, in quo scientia earum rerum præsumitur, quæ ad alicujus *statum* officiumque spectant, & sub obligationem cadunt: loquendo autem de foro interno quisque pro regula illud animadvertere debet, quantam diligentiam impenderit, ut jura, leges & obligationes, ad ritè officio suo fungendum pertinentes, sciret; moraliter sufficientem, num inferiorem? Si sufficientem deprehendat, ignorantia invincibilis ipsum in foro interno ab omni culpa & pœna excusat: si insufficientem, culpâ non vacat: quia ignorantia, quâ laborat, vinci poterat.

15. Addo, nos non semper ignorantiam vitare posse potentiâ proximâ, dum verò adest sola potentia remota, haud eò ipso lice-

bit

bit inferre, ignorantiam juris v. gr. naturalis nobis coram DEO imputari, ut indirectè voluntariam & culpabilem: dato etiam, quòd per se loquendo ad comparandam ejusmodi notitiam potentia proportionata ac sufficiens supponatur; *per accidens* tamen hic & nunc quoad unum vel alterum contingit, quòd obligatio habendæ scientiæ suspendatur, aut potiùs quis ab illa excusetur: si enim verum est, voluntatem nihil posse velle aut nolle, quod non priùs aliquo modo in intellectum venit, nec illa ignorantia poterit esse aliquo modo voluntaria, de cujus deponendæ obligatione nulla prorsus cogitatio animum subiit, sed mera ac naturalis oblivio, & inconsideratio in mente fuit, sicque potentiam proximam in legis vel præcepti notitiam perveniendi, *per accidens* impedivit.

16. Oppon. ult. cum Jansenistis, posse equidem dari Ignorantiam invincibilem & simul inculpabilem juris alicujus positivi, à DEO vel hominibus expressè lati & promulgati, at non similiter juris naturalis, quæ sit inculpabilis: hæc sola enim est pœna peccati originalis, non etiam illa. Resp. negando causalem: inprimis enim tam una, quam altera ignorantia potest aliquo modo refundi in peccatum originale tanquam pœna vel effectus illius ratione vulneris & miseriæ, & cæcitatis in nostro intellectu relictæ. Deinde, nunquid lex Evangelica est lex Juris positivi, & tamen in infidelibus negativè talibus, quibus Evangelium nunquam fuit prædicatum, illa ignorantia dicitur invincibilis & inculpabilis, esto, quòd etiam ex peccato originali suo modo originem trahat. Vid. Theol. Salisb. *tr. de Consc. disp.* 11. *a.* 2. *n.* 4. & *n.* 12. ubi infidelitas negativa dicitur inesse illis, qui vel inter infideles nati, & educati, vel Pastorum defectu aut negligentia, vel propria hebetudine de fidei nostræ mysteriis nihil audierunt, nihil intellexerunt; quæ infidelitas non est peccatum, sed pœna peccati (saltem originalis) *quomodo enim credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante, Rom.* 10. allegatur Div. August. *Ep.* 10. dicens: *in illis, qui non audierunt, neque potuerunt audire pœna peccati est non credere, non autem peccatum.* Et D. Th. 22. q. 10. a. 1. *Si infidelitas,* ait, *accipiatur secundùm negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia ex peccato primi parentis consecuta est.*

## QUÆSTIO TERTIA.

### *An Lex Naturalis sit mutabilis, aut aliquam dispensationem à potestate Humana recipere possit?*

17. Lex naturalis dividitur primò in affirmativam, & negativam. Affirmativa, seu præceptiva est, quæ præcipit ea, quæ essentialiter ac intrinsecè bona sunt: v. g. colere DEUM, parentes honorare, fidem servare, obligationibus satisfacere: Negativa seu prohibitiva est, qua prohibentur intrinsecè & essentialiter inhonesta, seu turpia, & rationi dissentanea v. g. adulterari, mentiri, fidem datam violare, DEUM blasphemare. Affirmativa obligat semper, at non ad semper: ex gr. ut DEUM colam, obligatio nunquam cessat; non tamen quolibet tempore cultum DEO debitum actualiter exhibere teneor: Negativa econtra obligat semper & ad semper: v. gr. quolibet temporis momento, & in omni loco à fraude, mendacio, fornicatione &c. abstinere teneor.

18. Dividitur secundò à quibusdam in primævam & secundariam. Illam omnibus etiam brutis communem esse dicunt, secundum illud, quòd Justinianus tradit in §. 1. Inst. de J. N. G. & C. Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam jus istud (pergit) non tantum generis humani proprium est, sed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris & fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus enim cætera quoque animantia istius juris peritia censeri. Secundariam legem vel Jus naturæ dicunt esse, quæ propria est homini, quà rationali, ut est religio ad DEUM, honoratio parentum &c. Verùm data divisio meritò sanioribus Theologis & Juristis displicet. Quis enim credat, jus, sive obligationem legalem cadere posse in animalia rationis, libertatis, & directionis incapacia. Neque Imperator asserere voluit, jus naturæ formaliter & propriè sumptum animalibus brutis inesse, eóque obligare: sed actus quosdam materialiter & objectivè hominibus & brutis communes esse, ut sunt actus illi ab Imperatore allegati, puta procreatio sobolis, seu propagatio speciei: Potest etiam replicari, jus naturæ ab Imperatore in sensu latissimo acceptum fuisse, puta pro instinctu naturali, motibúsque internis, & inclinatione animæ sensitivæ.

19. Tandem alii, præter jus naturale affirmativum & negativum etiam aliquod permissivum admittunt, ad quod reducunt v. g. facultatem testandi, homines ex. gr. bello devictos servituti subjiciendi, matrimonia contrahendi &c.

20. Conclusio prima: Jus, sive lex naturæ verè, formaliter, & directè non potest mutari sive per abrogationem, sive per dispensationem. Ita communis.

Declaratur ex D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5. ubi advertit, mutationem legis naturalis dupliciter intelligi posse. Uno modo per hoc, quod

quòd aliquid ei addatur: & hoc modo mutationi subjacet: multa enim supra legem naturalem superaddita sunt ad humanam vitam utilia, tam per legem Divinam, quàm etiam per leges humanas. Alio modo potest intelligi mutatio legis naturalis per modum subtractionis, ut scil. aliquid desinat esse de lege naturali, quod prius fuit secundùm legem naturalem: & sic quantum ad prima principia legis naturæ lex naturæ est omnino immutabilis. Quantum autem ad secunda præcepta, quæ diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus sit rectum semper, quod lex naturalis habet: potest tamen mutari & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium præceptorum.

21. Ratio facilè patet: quis enim unquam asserere ausit, malum intrinsecè tale & dictamini rationis repugnans aliqua mutatione vel dispensatione sive divina sive humana posse reddi bonum, honestum, licitum, & rationi conveniens, v. g. odium DEI, blasphemia? Hinc rectè dixit Justinian. §. 11. *Instit.* de J. N. G. & Civil. Naturalia jura, divinâ quâdam providentiâ constituta, semper firma atque immutabilia permanere.

22. Conclus. secunda. Quando materia, sive objectum substans juri naturæ, subjacet dominio & dispositioni divinæ, vel etiam potestati humanæ, obligatio juris naturalis mutatione impropria, vel dispensatione materiali, & indirecta tolli & mutari potest. Ita denuo communior. Declaratur prima pars quoad DEUM ex veteri testamento Exodi 12. ubi DEUS concessit Judæis, ut in terram sanctam migraturi Ægyptiis sua vasa aurea & argentea possent aufferre: ubi videmus, materialiter, & indirectè dispensatum fuisse in Jure naturæ, quo cæteroquin prohibemur, alterum re sua spoliare: hoc autem est intelligendum, nisi res bona, seu materia, quæ hactenus erat alterius, divina potestate aliis fiat communis aut omnino per donationem approprietur: supposita enim tali circumstantia, seu hypothesi, jus naturale cessat prohibere, ne alteri, quod hactenus possedit, auferatur. Simile exemplum est in occisione innocentis, quæ jure naturali tamdiu prohibetur, quamdiu supremus vitæ necisque Dominus non jubet quid aliud, ut est exemplum in decreta imolatione Isaaci. Ac tandem in concessione polygamiæ: esto enim jus naturæ prohibeat, ne vir jus corporis sui, quod jam in unam uxorem transtulit, transferat in aliam vel plures, attamen hoc præceptum diutiùs, non obligat, quàm quamdiu DEUS Corporum humanorum absolutus Dominus non permittit, ut jus cæteroquin uni tantùm in unius viri corpus competens in plures transferatur.

Declaratur & altera pars circa potestatem humanam. Exemplum habes in votis & juramentis, quorum obligatio non tantùm divini, sed & juris naturalis est: nonne enim ratio naturalis dictat, ut fidem DEO servemus, eique rem promissam adimpleamus? Et econtra vetat, ne DEUM temerè in testem invocemus, & perjurium committamus? Quia tamen obligatio ex voto & juramento resultans non est juris naturalis absoluti, sed conditionati, quatenus non incipit ex se, sed dependenter ex libero voventis, vel jurantis arbitrio, potestati superioris saltem Ecclesiastici subordinato, hinc diutius non durat, quàm quousque Potestas Ecclesiastica, talia vota & juramenta acceptat, ratihabet, vel approbat: proinde sublata, ex causa gravi, ratihabitione vel aprobatione, obligatio tum juris div. tum naturalis, citra veram, ac directam in jure divino & naturali dispensationem evanescit. Atque hoc modo responderi solet, dum quæritur, qua ratione S. Pontifex possit dispensare in matrimonio rato carnali, itemque matrimonio spirituali, quod perficitur inter Episcopum, & suam Ecclesiam mediante S. Pontificis confirmatione.

23. Dices primò: Illud, quod corrigitur, mutatur: atqui lex naturæ corrigitur: nam apud D.Th. hic q. 94. a. 5. Super illud Ecclesiast. 17. *Addit eis disciplinam, & legem vitæ*, glossa dicit: Legem litteræ, quantum ad correctionem legis naturalis scribi voluit. ergo lex naturæ mutatur, vel mutata fuit. Secundo: Jure naturæ validum est matrimonium, dumodò adsit verus consensus utriusque sponsi, nec ulli requiruntur testes: & tamen S. Pontifex in Conc. Trid. matrimonium, cui desunt Parochus proprius & testes, invalidum declaravit. Ergo &c. Tertiò: Jure naturali cuivis dictatur, ne occupet vel auferat rem suo Domino, & tamen jus positivum non solùm Civile, sed & Canonicum usucapionem seu præscriptionem introduxerunt, qua mediante res suis dominis auferuntur. Quartò: De jure naturæ omnes res omnibus hominibus erant communes; & nihilominus successu temporis rerum divisio introducta fuit, & proprietas ad singulos devênit. *cap. jus naturale. dist.* 1. *cap. quo jure. dist.* 8. *cap. dilectissimis. caus.* 12. *q.* 1. dicitúrque illa rerum divisio introducta per iniquitatem, id est, occasione peccati. Quintò: non multum absimile exemplum nobis exhibetur de libertate, quæ jure naturæ omnibus convenit, & tamen leges humanæ oppositum statum servitutis approbârunt. Ita habet text. in *l. libertas* 4. *ff. de stat.* hom. ubi Ictus Florentius sic ait: *libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet: nisi si quid vi, aut jure prohibetur.* Servitus econtra ibid. in §. 1. dicitur constitutio juris gentium, qua qui dominio alieno contra naturam subjicitur: & servi ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solerent: mancipia verò ex eo, quòd ab hostibus manu capiantur. *d. l.* 4. §. 2. *& ult.* Sextò: De facto aliquem SS. Pontificum in impedimento juris naturalis,

ralis, quo matrimonium in primo gradu lineæ obliquæ inter fratrem & sororem censetur irritum, dispensâsse refert Angelus apud Suar. hic lib. 2. cap. 14. Verùm hæc non obstant: Nam

24. Ad primum Resp. ipse D. Th. *quòd lex scripta dicatur esse data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suppletum est, quod legi naturæ deerat: vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantum ad aliqua corrupta erat in tantum, ut existimarent esse bona, quæ naturaliter sunt mala: & talis corruptio correctione indigebat.*

Ad secundum Resp. Jus naturæ positivè non præcipere, ut contractus seu conjunctio matrimonialis maris & fœminæ fiat cum vel sine testibus; sed quantum ad hoc habet se negativè, seu permissivè; hinc auctor naturæ potestati humanæ, præsertim Ecclesiasticæ determinationem reliquit, quibus conditionibus illum contractum vestire velit. Et simile est quoad alios contractus, sicuti & quoad requisita validi testamenti, quæ omnia possunt dici esse juris naturæ non præceptivi, sed permissivi.

Ad tertium, quartum, & quintum eadem recurrit explicatio: quantum enim ad divisionem rerum jus naturæ eam nunquam prohibuit, sicuti nec eandem præcepit, sed permisit. Interim quamdiu stabat primæva rerum communio, tamdiu jus naturæ positivum positivè vetabat, ut nemo ab usu necessario communium rerum prohiberetur, vel impediretur. Pari modo resp. Suar. loc. cit. ad exemplum de servitute: esto enim natura, vel potiùs auctor naturæ hominibus dederit libertatem ejusque dominium, id tamen factum est sine prohibitione, ne libertas illa auferri queat. Inprimis enim eò ipsò quòd homo sit dominus libertatis suæ, stat in ipsius potestate, ut eam vendat & alienet, si ita velit. Respubl. quoque, ait, per potestatem altiorem, quam habet ad gubernandos homines ex justa causa (v. gr. in pœnam) illos privare valet sua libertate: nam etiam natura dedit homini vitam quoad usum ejus ac possessionem, & interdum nihilominùs per potestatem humanam justè potest vitâ privari.

25. Ad Exemplum de præscriptione Resp. Suar. *cit. lib. 2. cap. 14. n. 19.* Leges Civiles ex justa causa posse mutare vel transferre jura dominandi, qua mutatione facta, extrinseca ratione dici valet, mutari jus naturale: quia mutatâ materiâ, cessat prius jus, & aliud obligat. Ad hoc intelligendum se refert ad num. 16. in quo advertit, jus aliquando significare legem, aliquando dominium, vel quasi dominium alicujus rei, seu actionem ad utendum illa &c. Verùm missis his seu subtilitatibus, seu obscuritatibus,

Clariùs mihi respondisse videtur p. m. Magnif. P. Franc. Schmier in *Tract. de Præscriptionibus* à me in Salisburg. Univers. propugnato *cap. 2. n. 27.* cum allegatis ibidem defendens, usucapionem seu præscriptionem non tam Juri naturali contrariam esse, quàm ab eo approbari; quod postea ostendit non solùm ex tacito & præsumpto consensu ipsius domini, rem suam, vel jura tam longo tempore non vindicantis, atque adeò in rerum seu jurium suorum avulsionem tacitè consentientis; sed etiam ex paritate cum divisione dominiorum: quemadmodùm enim hanc divisionem jus & dictamen naturale denique pro utili agnovit, ad servandam pacem & tranquillitatem in Republ. humana: ita & præscriptionem ex eodem fine, utpote remedium & præsidium valde necessarium, ne dominiorum incertitudini, ideoque nec perpetuo evictionis periculo locus diutius relinqueretur, & lites, nullius aliàs temporis lapsu abbreviandæ, fierent immortales & inextricabiles.

26. Nec obstat, si quis replicet, quòd homines ab authore naturæ quæsiti, velintne præscriptionem admittere, negativè respondissent, ne illius occasione rei familiaris damnum paterentur: illud autem quòd homines, ab auctore naturæ quæsiti, noluissent, contra jus naturæ militare censeatur: Non, inquam, hoc obstat: Ut enim discernamus, utrùm aliquid juri naturali vel dictamini creaturarum rationalium conveniens sit, nec ne, non est considerandum, quid hic vel ille in particulari casu propter bonum particulare suum statuisset, vel noluisset; sed respicere oportet ad bonum universale, & quid homines, à particularibus commodis abstracti, ante omnem casum particularem elegissent, & utile judicâssent. Judicâssent autem isti, admissa præscriptione, plus boni quàm mali in communem Reipubl. felicitatem promanaturum esse, ex quo per eam amputarentur lites, acueretur diligentia civium in suis juribus inquirendis, & dominia cæteroquin fluctuantia redderentur fixa magis ac certa.

27. Ad sextum de dispensatione in impedimento juris naturalis, matrimonium inter fratrem & sororem irritante, Suar. loc. cit. n. 23. fidem adhibere recusat narrantibus, S. Pontificem unquam talem dispensationem concessisse. Cæterùm non levis altercatio est, utrùm matrimonium inter fratrem & sororem jure tantùm positivo, an etiam naturali sit prohibitum, ac simul invalidum. Celebris Canonum Interpres Eman. Gonz. ad *cap. 5. de Consang. & affin. lib. 4. Decretal.* quem ibi allego, cum multis aliis Doctoribus defendit, matrimonium inter fratrem & sororem juri naturali non repugnare, quamvis pudori naturali non conveniat. Et profectò Cain & Abel non poterant alias duxisse uxores, quàm proprias sorores. Si proinde Juri naturali tales nuptiæ ab intrinseco exosæ forent, DEUS plures, in exordio Mundi, masculos & fœminas creasset, ne fratres cum sororibus, conjugia inire cogerentis. Deinde idem Gonzal. Martinum Papam V. aliósque SS. Pontifices in matrimonio inter fratrem & sororem ineundo dispensâsse, attestante hoc Cajetano in *Opusc. de Matrim. Reg. Angl.* & Sylvestro in *Summa*

*V. Papa*

*V. Papa. q.* 17. ex quo valde probabile eſt, matrimonii impedimentum, quod jure poſitivo fratrem & ſororem ad contrahendum inhabiles reddit, jure naturali non eſſe irritum. Pro coronide hujus diſſertationis

28. Rogas primò: Utrùm Jus naturæ aliquam epikiam admittat? ubi noto ex Suar. *de LL. l.* 2. *cap.* 16. *n.* 4. diſtinguendum eſſe inter legis interpretationem, & inter epikiam ſeu æquitatem: latiùs quippe patet interpretatio, quàm epikia; cùm omnis epikia ſit interpretatio, non viciſſim omnis interpretatio ſit epikia, ſecundùm dicta à Cajet. in 2. 2. q. 120. a. 1. ibi inſinuante, propter verba obſcura & ambigua plerumque neceſſariam eſſe legis interpretationem, quin in ſe contineat epikiam, quæ eſt interpretatio peculiaris, quando dicitur, legem deficere in aliquo particulari propter univerſale, id eſt, quia lex univerſaliter lata eſt, & in aliquo particulari ita deficit, ut juſtè in illo ſervari non poſſit. Quòd lex naturalis quoad veritates non usque adeò claras recipiat interpretationem, eaque indigeat, dubio caret: ex. gr. lex naturalis dictat, homicidium eſſe vitandum: hoc interpretandum eſt, niſi quis, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ob defenſionem vitæ propriæ, alterum occidere debeat, vel propter præcedens delictum, Magiſtratûs auctoritate publica alicui mors ſit inferenda. Quæſtio hìc vertitur de epikia ſtrictè ſumpta, prout importat emendationem legis, quando diceretur, hunc vel illum caſum ex benigna præſumptione cenſeri à lege naturali exceptum. His præmiſſis,

29. Reſp. Veram epikiam in jure naturali non eſſe admittendam. Magnif. PP. Rectores Petſchacher, & Schmier cum Cavaruv. & Suar. & aliis in *tr. de LL.* Ratio eſt, quòd lex naturalis, ut locus eſſet epikiæ, & benigna interpretatione vel præſumptione, ob injuſtitiam ceteroquin eventuram, emendatio & exceptio alicujus caſus admitti poſſet, deberet poſſe deficere à recta ratione reſpectu illius caſus particularis, ſi caſus ille non eſſet exceptus, aut per epikiam excipiendus: lex autem naturalis à recta ratione in nullo caſu deficere poteſt, cùm per ſuam eſſentiam in recta fundata ſit ratione. Ergo in lege naturali quoad nullum caſum particularem aliqua emendatio, exceptio, ſeu epikia eſt admittenda.

30. At, cur, ais, admitti poteſt epikia in lege poſitiva, & non ſimiliter in lege naturali? Reſp. inprimis legem naturalem nullius propriè dictæ & directæ mutationis capacem eſſe: Secundò ejus Auctorem eſſe ipſum DEUM: imò legem naturalem, ſi ſpectetur *effectivè*, à lege æterna indiſtinctam eſſe: Demum, ea, quæ præcipit, ſunt intrinſecè honeſta ac neceſſaria, quæ prohibet, intrinſecè inhoneſta, ac indecentia &c. Aliter ſe habet lex poſitiva, ab hominibus in rebus indifferentibus lata. Reſp. ſecundò Magnif. P. Schmier loc. cit. à n. 201. quòd jus naturæ, cùm unum & univerſale ſit in omnibus hominibus, unam eandemque ſemper obligationem habeat, non ex intentione ſolius legiſlatoris, ſed quaſi ex neceſſitate naturæ & exigentia materiæ. Igitur deeſt fundamentum ad formandam prudentem præſumptionem, quòd lex naturæ in aliquo caſu particulari, poſtulante id æquitate, ceſſet, Econtra lex poſitiva fertur circa materiam indifferentem, ſeu adiaphoram, & proximè totam vim, virtutem, ac fundamentum habet in ſolo legiſlatore, qui ſi humanus ſit, nequit omnes caſus particulares, quando legem condit, prævidere; hinc quandoque epikia, ſeu emendatio vel exceptio alicujus caſûs particularis, admittenda eſt.

Solius cauſæ primæ proprium eſt, quòd prorſus immutabilis ſit. Creaturæ omnes (verba ſunt noſtri Eminent. Card. d'Aguirre in *Eth. ſua lib.* 5. *cap.* 10.) aliquo modo mutabiles ſunt, & eò magis, quò plùs à primæ cauſæ perfectione diſtant. Inter ea verò, quæ varietatem ſubeunt, maximè variabiles ſunt operationes humanæ, quarum plurimæ uno tempore utiles & honeſtæ ſunt, aliô verò redduntur inutiles turpesque, pro diverſa rerum oportunitate & circumſtantiis, quas nec homo legiſlator univerſim comprehendere potuit, nec lex ipſa, paucis verbis prolata, complecti. Ergo quandoque oportet, ut lex univerſalis ex bono & æquo corrigatur.

31. Rogabis ſecundò, quid ſit Jus gentium? Reſp. Jus gentium propriè dictum definiri à ſupra citato Magnif. Schmier, quòd ſit ordinatio rationis, diuturnis gentium moribus, ad utilitatem gentium, quà talium conſtituta. Reſpicit ergo illa objecta, & actus, qui inter gentes ad communem felicitatem illarum, & cum tacita ac mutua obligatione introducti uſuque recepti ſunt. Talium actuum meminit *cap.* 1. *diſt.* 9. in Decreto Gratiani, ubi jus gentium objectivè ſpectatum dicitur *ſedium occupatio*, *bella*, *captivitates*, *ſervitutes*, *fœdera*, *paces*, *induciæ*, *legatorum non violandorum religio*, *connubia inter alienigenas prohibita.* Sunt, qui negant, Jus gentium eſſe verè ac propriè dictam Juris ſpeciem, exiſtimantes, illud potius ratione taciti pacti ſeu conventionis inter gentes initæ vim ſuam & obligationem ſortiri. Ego verò cum contrariis jus gentium pro vera juris legalis ſpecie, ad inſtar juris conſuetudinarii in *tit. de conſtit. lib.* 1. Decret. recipio. Verùm his immorari noſtri inſtituti non eſt. Tranſeo ergo ad Jus Divinum.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *DE Jure, sive Lege Divina.*

32. D. Thomas in 1. 2. q. 91. a. 4. & 5. agit de Lege Divina: In quarto quærit, utrum fuerit necessarium, esse aliquam legem divinam? Et postquam allegavit illud Ps. 117. *Legem pone mihi Domine, in via justificationum tuarum*, decidit, præter legem naturalem, & humanam, pro humanæ vitæ directione necessarium fuisse, ut daretur lex divina: Et ex 4. rationibus ibi allatis una est, quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ: propterea necessarium fuit, ut supra legem naturalem & humanam dirigeretur ad suum finem lege divinitùs data. Porrò in q. 93. per aliquot articulos examinat legem æternam. In illius quæstionis artic. 1. proponit, utrùm lex æterna sit summa ratio in DEO existens? & resp. affirmativè, declarando hoc per similitudinem, quòd sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem: ita etiam in quolibet gubernatore oporteat præexistere rationem ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur. Et sicut ratio rerum efficiendarum per artem, vocatur ars, vel exemplar rerum artificiatarum, *ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem legis obtinet: DEUS autem per suam sapientiam Conditor est universarum rerum, ad quas comparatur sicut artifex ad artificiata. Unde sicut ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideæ; ita ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis; & secundùm hoc lex æterna nihil aliud est, quàm ratio divinæ sapientiæ, secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum.* His prænotatis, sit

## QUÆSTIO QUARTA.

### *An ex Lege æterna deriventur omnia principia legalia, seu leges moraliter directivæ?*

33. Conclusio est affirmativa. Colligitur ex ratione & textu D. Th. mox allegatis, & declaratur ampliùs ex cit. q. 93. a. 3. In omnibus moventibus ordinatis virtus secundi moventis debet derivari à virtute primi moventis: Ergo similiter in omnibus gubernantibus ordinatis oportet, quòd virtus & ratio gubernantis secundi à virtute primi gubernantis derivetur. Atqui lex æterna est ordo & ratio gubernationis in primo & supremo gubernante, scil. DEO: Igitur omnis ratio gubernationis, omnisque vis seu virtus directiva in inferioribus principiis, præceptis, seu legibus à lege æterna derivatur. Unde rectè D. August. *lib. de Ver. Relig. Conditor legum temporalium*, ait, *si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundùm ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum, vetandúmve, discernat.*

34. Dices primò: Lex divina, quæ dicitur *positiva*, hoc est, expressâ DEI voluntate liberè lata, & hominibus intimata, est diversa à lege æterna, & tamen est vera lex. Ergo non omnis lex derivatur à lege æterna. Resp. legem divinam *positivam* non derivari ex lege æterna, prout illa lex spectatur *activè* & ùt DEO inexistens: hoc enim modo spectata lex divina positiva, sicuti & naturalis, importat increatam rationem divinæ sapientiæ, estque à lege æterna indistincta cum sola diversitate formali, ex diverso connotato petitâ: eadem enim lex DEO inexistens, quat. concipitur nondum promulgata, denominatur *æterna*; ùt promulgata verò & cum respectu ad creaturas quà existentes sumpta, denominatur *divina*. Deinde quà promulgata & excepta à creaturis, quæ à lege div. diriguntur, sic lex divina *positiva* accipitur passivè, & potest dici, quòd sit ex lege æterna derivata. Intimatur autem hominibus maximè per revelationem in scripturis sacris, per Prophetas &c.

35. Dices secundò: Non tantùm inter barbaros, sed etiam inter Christianos variæ vigent leges iniquæ, qualis est v. gr. illa apud Anglos, ut Catholici in Regno ibi reperti morti tradantur: item leges amortizationis contra libertatem Ecclesiast. latæ &c. Atqui à lege æterna nihil, quod est iniquum, derivari potest. Ergo non omnes leges &c. Resp. Conclusionem loqui de legibus veris & justis, rationi conformibus: quales non sunt mox allegatæ. Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit, ait D. Aug. l. 1. de lib. arbit. c. 5. Et S. Isidorus, Lex erit omne, quod ratione constiterit, quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat. Væ! qui condunt leges iniquas, Isai. cap. 1.

36. Porrò, lex divina positiva dividitur in legem veteris, & legem Novi Testamenti. Testamentum divinum, ut docet Illustriss. Reding apud Clar. P. Mezger hic disp.

33. a. 1. significat universim divinam promissionem, & pactum, quo humana communitas sub certis legibus & ritibus aggregatur. Vet. Testam. quod sub Abrahamo incepit, erat promissio de conferendis temporalibus & eviternis bonis populo Israëlitico, ac nascitur ex ipsorum sanguine Christo, facta sub conditione servandarum legum per Moysen promulgatarum. Novum Testamentum est promissio Christo DEO-homini facta de generis humani reconciliatione ac gratiâ, & gloria hominibus conferendis sub onerosa conditione passionis, & ipsius mortis subeundæ. P. Mezger loc. cit. Legem Vet. Testam. definit Magnif. P. Schmier p. m. ex Gonzal. quòd sit ordinatio libera div. sapientiæ populo Hebraico per Moysen promulgata, præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem, per merita Christi venturi consequendum, sunt idonea, & prohibens contraria. Per voculam *libera* discernitur jus divino-naturale à jure divino præcisè positivo: in quantum illud priùs constitutum est ex quadam necessitate naturæ: posterius verò ex mero beneplacito. Jus seu lex div. novi Testamenti est ordinatio libera div. sapientiæ, per Verbum Incarnatum annuntiata, in die Pentecostes promulgata, ac per Apostolos universo mundo prædicata, præcipiens ea, quæ pertinent ad statum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, ac prohibens contraria. Ambas definitiones cit. Magnif. Auctor eleganter explanat.

37. Præcepta in Vet. Testamento contenta erant triplicis classis: *Moralia:* à moribus secundùm rectam rationem reformandis ac dirigendis sic dicta *Cæremonialia* præscribebant Ritus, ac Jus Sacrorum & Sacrificiorum. In tertia classe erant *Judicialia,* quæ dictabant, quomodo Judices jus suum cuique tribuere, & justitiam administrare debeant. Rursus ex ceremoniis aliquæ erant *religiosæ* præcisè, sine præfiguratione Christi seu Messiæ venturi: talis fuit ritus purificationis post partum mulieris. Aliæ verò erant religiosæ simul ac *typicæ*, quat. per eas Christus præfigurabatur, ùt Paschalium observatio, & sacrificia. Ceremoniæ præcisè *religiosæ*, quæ jam sunt omnes *abrogatæ* & *mortuæ*, in novo Testamento ex arbitrio SS. Pontificum introduci vel reassumi possunt: secus *typicæ*, ne umbra conjungatur cum sole, & Synagoga cum Ecclesia: Hinc leges ceremoniales typicæ per mortem Christi & publicationem Legis Evangelicæ non tantùm dicuntur *mortuæ*, sed etiam *mortiferæ*. Similiter præcepta Judicialia sunt abrogata, & *mortua:* attamen non sunt *mortifera*, sed; cùm sint politica & ad rectam gubernationem conducentia etiam in novo Testamento reassumi possunt, exceptis illis, quæ peculiariter propter cordis Judaici duritiem latæ fuerunt, qualis erat illa *Deut. c.* 19. ut oculus pro oculo detur, dens pro dente, à Christo apud Math. c. 5. reprobata. Sanè SS. Pontifices leges vet. Testamenti judiciales non rarò allegant, ut illa, quæ propria sua auctoritate de novo statuerunt, eò magis persuasa reddant. Sic Exod. 22. decernitur. Si quis seduxerit virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem: idemque textus in *tit. de adulter. & stupro*, legitur Juri Canonico insertus.

# QUÆSTIO QUINTA.

## *Utrùm lex Vet. Testamenti ante Christi Passionem, vel saltem per & post Passionem, fuerit plenè abrogata?*

38. Conclusio. Lex divina positiva veteris Testamenti ante Passionem Christi non erat abrogata, sed per passionem. Ratio est, quòd tunc lex vet. Testam. censeatur fuisse abrogata, quando Christus exclamavit, *consummatum est*, & velum scissum fuit. Atqui hæc contigerunt in morte Christi, in qua testamentum vetus suum finem accepit, juxta illud Apost. *ad Hebr.* 9. *Ideo novi testamenti Mediator est, ut morte intercedente &c. ubi testamentum est, necesse est, intercedat mors testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Præterea lex Vet. Testam. non exspiravit, antequàm lex novi Test. seu lex Evangelica incœperat: hæc autem primùm à morte Christi, & à tempore promulgationis factæ per Apostolos obligare cœpit in die Pentecostes, & deinceps, quando legem Evang. per universum orbem prædicârunt. Ergo &c. Contra hæc

39. Arguitur primò: Apostoli post adventum Spiritûs S. legalia observârunt: nam juxta Actor. *cap.* 16. Paulus circumcidit Timotheum: idemque secundùm consilium Jacobi, assumptis viris purificatis, cum eis intravit Templum, & annunciavit expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. Ergo nec ante, nec post Christi passionem lex Vet. Testam. fuit plenariè abrogata.

40. Arguitur secundò, quòd Apostolus Petrus post Passionem Christi Domini consortia gentilium vitârit: nam, ut legitur ad Gal. 2. cùm venisset quidam Antiochiam, subtrahebat & segregabat se Petrus à Gentilibus: atqui vitare Gentiles continebatur sub præceptis ceremonialibus. Ergo Petrus, Primus Ecclesiæ Pastor ipse post Passionem aliquod præceptum legis Vet. observavit, quod non fecisset, si lex divina *positiva* veteris Testamenti per totum post mortem Christi fuisset abrogata.

Arguitur tertiò: Manente causa rationabili, manet etiam effectus: at ceremoniæ vet. Legis habuerunt causas rationabiles, in quantum ad cultum div. ordinabantur: Cùm ergo causa cultûs divini non cessârit post mortem Christi, neque cessârunt omnes leges ceremoniales.

41. Resp. ad primum ex D. Aug. Ep. 19. (quem D. Th. allegat 1. 2. q. 703. a. 4. ad 1.) tria debere distingui tempora. Unum, Christi passionem præcedens, in quo legalia nec erant mortua, nec mortifera. Aliud post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua, & mortifera. Tertium est medium tempus, scil. à passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo equidem jam erant mortua, quia neque vim aliquam obligativam continebant, nec aliquis tunc ad illorum observantiam adstringebatur: non tamen fuerunt mortifera: quia illi, qui ex Judæis se converterunt ad Christum, poterant legalia prædicta licitè observare, dummodo taliter in illis spem suam non reponerent, ac si absque legalibus fides Christi justificare non posset. Porro illorum respectu, qui ex Gentilibus ad Christum convertebantur, prorsus nulla occurrebat ratio, cur legalia Judæorum observarent. Ideo Paulus circumcîdit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat. Titum verò, qui ex Gentilibus natus fuerat, circumcidere noluit. Sed cur, ais, Spiritus S. noluit, ut illis, qui ex Judæis nati erant, legalium observatio inhiberetur, sicuti inhibebatur natis ex gentilibus? Resp. D. Th. loc. cit. in fin. id factum esse, ad demonstrandam differentiam inter ritus gentilium, & observantiam legalium Judaicorum. Nam gentilitatis ritus repudiabatur, tanquam omninò illicitus, atque à DEO semper prohibitus. Ritus autem legis cessabat tanquam impletus per Christi passionem, utpote à DEO in figuram Christi institutus.

42. Ad secund. Resp. D. Th. cit. q. 103. quòd secundùm D. Hieron. Petrus simulatoriè à gentilibus sese subtraxerit, ut apud Judæos evitaret scandalum, quorum erat Apostolus, ideoque non peccârit ullo modo per illud factum; nec Paulus aliter, quàm simulatoriè Petrum reprehenderit, ut vitaret scandalum gentilium, quorum similiter extitit Apostolus.

D. verò Aug. cit. ep. 19. t. 2. dicit, Petrum in assignato casu peccâsse, & à Paulo seriò, non simulatoriè reprehensum fuisse: non quidem Petrus peccavit ex eo, quòd legalia adhuc quoad tempus observârit: hoc enim ei licitum erat, utpote ex Judæis converso; sed ideo, quòd circa *Legalium* observantiam nimiam adhibuerit diligentiam, ne scandalizaret Judæos, cùm interim scandalum dederit gentilibus.

43. Ad tertium denuò Resp. ex D. Th. cit. q. 103. a. 3. in Corp. quòd ceremoniæ ordinatæ sint ad cultum DEI exteriorem, *qui* debet esse proportionatus cultui interiori, consistenti in fide, spe, & charitate: unde secundùm diversitatem cultûs interioris debuit diversificari cultus exterior. Est autem triplex status cultûs interioris: primus, quo fides & spes habentur de bonis cœlestibus, & de his, per quæ ad cœlestia introducimur, ùt futura sunt. Et hic est status veteris legis. Secundus, quo fides & spes habentur de bonis cœlestibus, non ùt de futuris: sed de his, per quæ introducimur, ùt de præsentibus vel præteritis. Et hic est status novæ legis. Tertius status est, in quo utraque habentur ùt præsentia, & nihil creditur ùt absens, neque speratur ùt futurum; & hic est status Beatorum. In illo ergo *statu* Beatorum nihil erit figurale, ad div. cultum pertinens, sed solùm gratiarum actio, & vox laudis: hinc *Apoc.* 21. de Civitate DEI dicitur: *Templum non vidi in ea:* Dominus enim DEUS omnipotens templum illius est, & Agnus. Pari igitur ratione ceremoniæ primi statûs, per quas figurabatur & secundus & tertius, veniente secundo statu cessare debuerunt, & aliæ ceremoniæ induci, quæ convenirent statui cultûs divini pro tempore illo, quo bona cœlestia sunt futura, beneficia autem DEI, per quæ ad cœlestia introducimur, sunt præsentia.

44. Sed cur, instas, *Baruch.* 5. habetur de Lege veteri: *Hic est liber Mandatorum DEI, & lex, quæ est in æternum,* si leges ceremoniales finem accipere oportuerit? Resp. legem veterem dici æternam secundùm *moralia* præcepta, & quidem absolutè ac simpliciter; secundùm verò ceremonialia quantum ad veritatem per illa figuratam. S. D. *cit. a.* 3. *ad primum.*

# QUÆSTIO SEXTA.

## *An S. Pontifex possit dispensare in Jure Divino positivo?*

45. JUre divino novo & positivo alia nova præcepta non extant, nisi circa materiam Fidei & Sacramentorum. Suar. hic lib. 10. cap. 2. Tenemur scil. fide divina in nova lege credere Mysterium incomprehensibile Trinitatis, Incarnationis filii, ejus Passionem, præsentiam in Ven. Eucharistiæ Sacramento, veniam peccatorum, Institutionem Sacrificii incruenti, & Sacramentorum, per quorum applicationem nobis aperitur aditus in regnum Cœlorum. Advertit autem Magnif. P. Schmier hic n. 42. dari equidem in lege nova non pauca præcepta moralia, ea tamen nova non esse, sed in antiquo testamento jam quoad substantiam fuisse in Decalogo comprehensa, in novo autem

autem ab Incarnata sapientia fuisse magis in individuo determinata, ac declarata. Exemplum relucet in dilectione proximi, quæ jam antea in Decalogo erat contenta, Christus autem clariùs illud exposuit, *Math.* 5. dicendo: *Diligite inimicos vestros &c.* Utrùm verò S. Pontifex possit dispensare in aliquo, quodcunque demum sit, jure seu præcepto divino, modò perquirere, operæ pretium est.

46. Pro affirmantibus, inter quos referuntur Panormit. ad *cap.* 4. *de Concess. Præb.* Felinus ad *cap.* 7. *de Constit.* & Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. fundamentum primum apparere censeres ex *cap. inter corporalia.* 2. *de Translat. Episc.* ubi sic: *Cùm fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens DEUS spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam; suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens, ut, quos DEUS conjunxit, homo non separet &c.* Atqui Rom. Pontifex potest dissolvere & matrimonium seu vinculum spirituale, acceptando resignationes Episcoporum, illos ab una Ecclesia ad aliam transferendo &c. & matrimonium seu vinculum carnale ante illius consummationem. Ergo dissolvit aliquid juris divini, atque in isto dispensat.

47. Secundum apparet ex Trid. Conc. *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 1. ubi asseritur residentiam Prælatorum, & Pastorum, quibus nempe spiritualis animarum cura incumbit, esse Jure div. præceptam, & nihilominùs perfrequenter accidit, ut animarum Pastores tam superiores, quàm inferiores, longo tempore absint à suis ovibus & Ecclesiis, conniventе, aut dispensante Summo Pontifice, aut certè consuetudines hujusmodi & praxes tacitè approbante.

48. Tertium fundament. apparet ex dispensatione, quæ sæpius collata fuisse perhibetur in Professione Religiosa, cujus perpetuitas & vinculum ex jure divino obligat.

49. Quartum ex dispensatione in reliquis votis simplicibus & juramentis, quorum obligatio pariter ex jure divino originem ducit, juxta illud: *vovete, & reddite Domino DEO vestro.*

50. Quintum ex paritate. Estò Episcopus non sit supra jus Ecclesiasticum & positivum, si tamen emergat casus necessitatis, & periculum in mora non patiatur adiri Summum Pontificem, Episcopus, licèt inferior, valet dispensare in jure Superioris, Summi videl. Pontificis. Ergo etiam, occurrente necessitate, Summus Pontifex poterit dispensare in Jure Divino, etsi ipse hujus respectu sit inferior.

51. Sextum ex generalitate verborum Math. 16. in quibus Petro & Successoribus ejus confertur illimitata auctoritas ligandi, & solvendi quodcunque super terram, ita, ut illud ipsum sit deinde hoc ipso ligatum vel solutum in Cœlis. Hæc pro prima sententia affirmantium.

52. Sententiæ oppositæ argum. primum subministratur ex SS. Canonib. præsertim ex *cap. sunt quidam.* 6. *caus.* 26. *q.* 1. ubi Urban. Papa sic loquitur: *Sunt quidam, dicentes, Pontifici semper licuisse, novas leges condere. Quod non solùm non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summoperè est, quia* (pro quòd) *inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ & Prophetæ aliquid nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Pontifices sententialiter aliquid definiverunt, ibi non legem novam Rom. Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim contra, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere* (quod absit) *niteretur, non sententiam dare, sed errare convinceretur.* Ex quo textu colligimus, ea quæ divinitus sunt statuta, Potestati Summi Pontificis non fuisse subjecta.

53. Argum. secundum format D. Th. in 1. 2. *q.* 97. *a.* 4. *ad* 3. *Ad Legem Div. ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur: unde sicut in Lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in præceptis Juris Divini, quæ sunt à DEO, nullus potest dispensare, nisi DEUS, vel is, cui ipse specialiter committeret.* S. D. his verbis denotare intendit, subdito, qui tenetur parere legi, nullam competere facultatem dispensandi in ea: item, inferiorem non posse dispensare in lege superioris. *Clem. ne Romani.* 2. *de Elect.* Summus Pontifex ipse est subditus legis divinæ, & inferior respectu Legislatoris Divini. Ergo ipsi non competit facultas, mutandi aliquid vel dispensandi in lege divina, sive deinde loquamur de Jure divino-naturali, sive divino libero, & merè positivo.

54. Argum. tertium prioris declarativum suggerit discursus Eminentiss. nostri Sfondrati in *Regali Sacerdotio. lib.* 4. *§.* 2. Cùm dicis, in legibus naturali & divina dispensare Pontificem posse, qua faciat hoc auctoritate? Humanâ, an Divinâ? Non humanâ; quia certum est, nil posse in lege superioris; alioquin prævaleret minor majori. Non ergo potest humana potestate Pontifex solvere, quod DEUS ligavit. Sed nec Divinâ, tanquam Vicario Christi per illa verba, *quæcunque solveris &c.* sibi communicatâ. Hæc enim verba generalia non includunt casus specialissimos; alioquin extendi etiam deberent ad potestatem illam privilegiatam, solique Christo concessam, quam Theologi vocant *Excellentiæ*, mutandi materiam Sacramentorum (putà *formaliter*, non *materialiter* solùm) nova instituendi, obligandique ad ea, quæ sunt meri consilii &c. quæ nemo Papæ concesserit. Et nónne SS. Canonibus receptissimum est, Vicarium, licèt idem habeat Tribunal eandemque cum Episcopo Jurisdictionem, adeò, ut à Vicario ad Episcopum non appelletur; non tamen posse dispensare in lege ab Episcopo specialiter latâ; sed ad ea, quæ majoris sunt momenti, & speciali notâ digna, speciali mandato & concessione indi-

indigere? *cap. quid agendum 4. cap. qui generaliter 5. de Procurator. in 6.*

55. Argument. quartum: Ideo in legibus humanis legislator superior quandóque tacitè concedit jus dispensandi alicui inferiori, quia omnes casus, convenientias, utilitates, indigentias, ac necessitates in futurum prævidere non potest. Ergo, cúm ex opposito, Divinæ Sapientiæ infinitus intuitus ab æterno attigerit & præcognoverit quæcunque futura, cessat fundamentum, ex quo facultas dispensandi in Jure Divino, etiam merè positivo, Vicario DEI in terris collata præsumatur.

56. Argument. quintum: DEUS ferendo legem, ne v. gr. matrimonia consummata solvantur, genericè & universaliter vult comprehendere omnia & singula matrimonia, quia indefinitè dixit: *quod DEUS conjunxit homo non separet.* Si ergo Summus Pontifex in aliquo matrimonio consummato particulari dispensationem attentaret, actum & incassùm ageret. seq. prob. quia nihil est in potestate humana, quod non conceditur & derivatur à voluntate & potestate divina.

57. Conclusio nostra: S. Pontifex, sicuti in lege naturali, ita nec in lege Divina, etiam merè positiva, *formaliter propriè* & *directè* dispensare potest. Et hoc probant argumenta posteriora: & priora pro potestate in jure divino dispensandi militantia ex Conclusione negante potestatem dispensandi in jure naturali facilè aut dissolvuntur, aut conciliantur. Attendendum videlicet, quòd aliqua sint jure div. statuta conditionatè, & cum subordinatione ad ratihabitionem Superioris & Legislatoris humani, sive, quòd quædam equidem sint juris Divini in *Thesi*, ac in genere, ùt residentia Episcoporum, aliorumque Pastorum animarum, ita tamen, ut obligationis determinatio in hypothesi, & quoad varias v. gr. temporis aliasque circumstantias potestati humanæ Ecclesiasticæ relicta fuerit: Ita enim exigebat felix & salubre animarum regimen in Ecclesia Christi. De qua Juris naturalis & Divini distinctione pluries mentionem feci in meis Libris & Tractatibus Juris Canonici, quorumdam etiam Salisburgensium Doctrinam secutus.

# DISSERTATIO TERTIA.
## *DE*
## *Lege Humana tum Ecclesiastica, tum Civili.*

58. DIv. Thomas Leges Humanas tractare incipit in 1. 2. à q. 95. & per duas seqq. quæstiones scil. 96. & 97. materiâ in suos articulos distributâ continuat. In cit. q. 95. a. 1. indagat, utrum fuerit utile, aliquas poni ab hominibus. Affirmativam probat sequenti ratione. Illud est homini utile & necessarium, sine quo non potest assequi suam perfectionem, quæ consistit in virtute, quam per disciplinam acquirit. Atqui hanc perfectionem nequit assequi sine legibus humanis. Ergo. Confirmatur: perfectio virtutis præcipuè consistit in retrahendo ab illicitis delectationibus, ad quas homines sunt proni, & maximè juvenes: quorum alii per disciplinam paternam corriguntur: alii per vim & metum cohibendi sunt à malo, ut assuescant in bono, & virtuosi fiant: At hujusmodi disciplina cogens metu est disciplina legum: Ergo &c. Hinc illud Aristotelis: si homo sit separatus á lege & justitia, est pessimus omnium animalium. Nunc ad Legem Ecclesiasticam in specie.

## QUÆSTIO SEPTIMA.
### *An ut lex Ecclesiastica Universalis obliget, ejus Promulgatio in singulis Provinciis sit necessaria?*

59. PRæmittendum primum: Lex positiva, seu expressa & libera Legislatoris voluntate promulgata dividitur in divinam, & humanam: humana in Ecclesiasticam, & Civilem. Ecclesiastica, quæ & Canonica, vel Constitutio sacra, aut Pontificia nuncupatur definiri potest, quòd sit ordinatio rationis, à potestate humana Ecclesiastica, ad finem spiritualem & supernaturalem, per actiones religiosas consequendum, promulgata: econtra lex civilis dicitur ordinatio rationis à Legislatore Politico in bonum temporale, publicum vel etiam privatum promulgata: ut enim infra videbimus, Jus Civile aliud est *publicum*, aliud *privatum.* Ulteriùs jus, seu lex dividi solet in *imperativam*, & *permissivam:* imperativa rursus in *affirmativam*, seu *præceptivam*, qua nempe actûs alicujus positio præcipitur; & in *negativam*, quâ omissio, de quo jam alibi dictum. Quoad illud membrum legis permissivæ quidam dissentiunt, existimantes, legem permissivam, cùm nullam videatur importare obligationem, legis nomine indignam esse. At contra hos militat, quòd lex permissiva non tantum sit ordinatio rationis conducens

ad

ad bonum commune, verùm etiam subditis obligationem imponat, ne quempiam jure suo uti volentem, id est, in eo actu, qui sibi permissus est, impediant seu turbent; ac insuper in l. 7. ff. de LL. doceatur, quòd virtus legis sit hæc; *imperare, vetare, permittere, punire*; planè, his consideratis, lex permissiva, qualis est v. gr. quod pubes factus, & sui juris, possit testamentum condere, nullo laborans impedimento matrimonium contrahere, religionem intrare &c. legis nomine indigna non videtur.

60. Succedit alia divisio legis in præceptivam, qua simpliciter aliquid præcipitur, aut prohibetur: & *in pœnalem*, quâ transgressoribus præfigitur: item in favorabilem, & odiosam: per illam ex fine primario favor impertiendus respicitur: per istam onus, vel pœna: quo spectat illud cap. 15. de R. J. in 6. odia sunt restringenda, favores ampliandi, scilicet secundùm interpretationem.

61. Præmittendum secundum: Sicut legis promulgatio & sola voce, & scriptura per affixionem fieri æquè potest, ita lex ipsa æquè & scripturâ, & sine scriptura ferri seu constitui potest. Hinc illud: quod Principi placet, legis habet vigorem. §. *sed & quod. Inst. de J. N. G.* & *Civ.* Disceptant Theologi, an promulgatio sit de essentia & forma intrinsecè constitutiva legis, vel tantùm ejus complementum, aut conditio sine qua non? ubi sciendum, promulgationem quæ est authoritativa intimatio, seu solemnis & publica legis propositio spectari posse vel *activè*, vel *passivè*. *Activè* spectata est ipsum imperium Principis, alteriusve Legislatoris, formaliter quidem immanens, sed virtualiter transiens, quatenus efficaciter moraliter causat, & aliquod signum, v. gr. vocem præconis, vel scripturæ affixionem connotat: *passivè* accepta promulgatio consistit in illo signo, v. gr. scriptura affixa, vel voce præconis, in quo legis manifestatio continetur, & per quod populo publicè intimatur. Theologia Salisb. dubium prætactum exigui esse momenti censet; resolvit postea, promulgationem *activè* acceptam pertinere ad intrinsecam legis constitutionem, sic tamen, ut promulgatio *passivè* accepta sit requisitum essentialiter connotatum, sine quo activa promulgatio consistere vel percipi nequit. Ratio est, quòd lex sit essentialiter intimatio, & vox publica Legislatoris: consequenter promulgatio *activè* spectata ad intrinsecam rationem legis pertineat. Ego huic quæstioni, quæ plus habet subtilitatis, & de nomine, quàm utilitatis & de re, non libenter immoror, sed, ut nostræ principali controversiæ longè celebriori, utiliorique satisfiat.

62. Concludo, ad Legis seu Constitutionis Ecclesiasticæ universalis essentiam seu valorem non requiri promulgationem particularem in singulis Provinciis, vel Diœcesibus, sed sufficere promulgationem Romæ factam. Suar. *de LL. lib.* 3. *cap.* 16. Laym. & Palao, nec non Illustriss. Reding. *de LL. q.* 16. *a.* 2. *controv.* 3. item Anton. Paulutius JCtus Venetus in *Jurisprud. sacra to.* 2. *Lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. Prob. Conclusio ex *cap.* 1. *de Postul. Prælat.* ubi ad observationem constitutionis Ecclesiasticæ obligatus esse supponitur ille, *qui noverit eam solemniter & publicè promulgatam*: nec quidquam dicitur, quòd promulgatio facta fuerit particulariter in illa provincia, in qua is qui lege ligatus erat, commorabatur. Cui textui jungamus *cap.* 1. *§. nec obstaret. de concess. Præb. in* 6. ubi lex, constitutio, vel Mandatum, nullos adstringit, *nisi postquàm ad notitiam pervenerit eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent.* Atqui possumus in notitiam legis universalis Ecclesiast. devenire, dum illius promulgatio fuerit Romæ facta: Cùm enim Roma sit Caput Orbis, ibique tot gentes confluant, adsintque Episcoporum Agentes, haud difficile est, Constitutiones Romæ solenniter promulgatas, ac publicè in Campo floræ affixas, in Provincias ac Diœceses propagari, atque adeò populo successivè innotescere. Unde ex natura rei nulla est necessitas, ut Constitutiones Pontificiæ in singulis Provinciis promulgentur. Sanè, ut rectè instat Paulutius, mores, praxis, & observatio contrariæ sententiæ obstant. Nam Romæ definiuntur lites juxta leges ibi promulgatas, & non in Provinciis: Regulæ quoque Cancellariæ Apostolicæ tantummodo Romæ promulgantur, & tamen totum Christianum Orbem obligant. SS. Pontifices ipsi, cùm intendunt, alicujus Constitutionis promulgationem fieri etiam in Provinciis, id singulariter exprimunt: ex quo colligimus, quòd cæteroquin promulgatio in Urbe facta sufficiat. Denique Libri in Corpore Juris Canonici nostri contenti, & Constitutiones Pontificiæ in illis comprehensæ, nunquam in partibus fuerunt promulgati, & tamen nemo inter orthodoxos vim Legalem atque authenticam ipsis abnegabit. Ergo idem erit judicium de reliquis Summi Pontificis Constitutionibus. Sed contra præmissa

63. Argui potest primò: quemadmodum leges (Civiles) non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum *Constitutionibus adjuvantur*, *cap.* 1. *de N. O. Nunciat.* cùm ergo leges civiles Romani Imperii, ut obligent, promulgationem in singulis provinciis exposcant, juxta *Novel.* 66. *cap.* 1. (ubi dicitur: In provinciis leges testamentarios valere, ex quo discretæ *per Metropolitas palàm factæ sunt, ne legum ignorantiâ homines testamenta facientes, videantur prævaricari. Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint Constitutiones?*) idem de Lege Ecclesiast. tenendum videtur.

64. Secundò. Lex quælibet ex natura rei est jussio & allocutio publica ad communitatem directa; debet proinde ita esse comparata, ut statim ac faciliter à tota communitate percipi valeat. At Lex Pontificia universalis, nisi in Provinciis sit promulgata, facilè ac commodè à tota communitate Chri-

ſtiani populi percipi non poteſt. Ergo, ſine tali promulgatione non eſt vera lex, obligans in actu ſecundò.

65. Tertiò: S. Tridentinum Concilium (exceptis Decretis fidei) non obligat in Provinciis, in quibus non fuit promulgatum. Quartò: Lex Evangelica novi Teſtamenti promulgata fuit non tantùm Hieroſolymis, verùm etiam in toto Mundo.

66. Quintò: in *cap. cùm infirmitas* 13. *de Pœnit. & Remiſſ.* ſtatuitur, ut Medici infirmos, ad quos pro reparanda corporis ſanitate vocantur, ante omnia moneant, inducantque, ut Medicos ſpirituales animarum adhibeant: & additur: *Si quis autem Medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit promulgata, transgreſſor extitit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro transgreſſione hujusmodi ſatisfecerit competenter.* Jure igitur poſitivo monſtratur textus, qui promulgationem in Provinciis faciendam præſcribit.

67. Ad primum Reſp. utique concordiam utriusque juris ſervandam eſſe, ubi ex parte unius nihil ſpeciale receptum eſt: praxis autem docet, quòd Leges Pontificiæ plerumque Romæ tantùm promulgentur, & nihilominus lites ibi ſecundùm tenorem illarum legum decidantur. Ad tex. objectum Reſp. Theol. Salisb. Eccleſiam in modo ferendi leges ſuas Eccleſiaſticas obligandique per eas Chriſti fideles, non imitari jus Civile; ſed in cauſis & Judiciis ferendis, quando propriæ Conſtitutiones deficiunt. Ad ſecundum nego, eſſe de natura legis, ut ſtatim cum omni facilitate in omnium notitiam devenire debeat: ſufficit, quòd ſubditi interim, quamdiu ſufficientem legis notitiam non acceperunt, & à culpa, & à pœna in actu ſecundo excuſentur. Objectio per exceſſum peccat; ſequeretur enim SS. Pontifices, ſalvo valore, conſtitutionibus ſuis non poſſe expreſſam adjicere clauſulam, quòd obligent, etſi in Provinciis non promulgentur. Ad tertium dico, ſubinde ex ſpecialibus cauſis promulgationem in Provinciis imperari: quod ipſum, cùm ordinariò & ſecundùm ſtylum Rom. Curiæ non fiat, ſigno eſt, illam particularem promulgationem, ut leges Pontificiæ obligent, ex natura rei non eſſe neceſſariam. Maximè verò Sedes Apoſtol. quantum ad Tridentinum Concilium, quod magnam reformationem, & plurimas conſtitutiones in ſe complectitur, connivere voluit, ut in Provinciis in quibus non fuit promulgatum, non obliget. Ad quartum dico, poſt Promulgationem ab Apoſtolis in Hieruſalem factam, Legem Evangelicam ſtatim obligare cœpiſſe illos, qui ſufficientem ejus ſcientiam nacti ſunt; ignorantes verò excuſatos fuiſſe. Ad quintum replico, in *cit. cap. cùm infirmitas* 13. non fuiſſe ſuſpenſam obligationem Legalem, donec conſtitutio per Prælatos locorum publicaretur, ſed ſolius pœnæ, ſcil. excommunicationis, incurſum, Vid. Diana in opere *Coordinato Tr.* 1. *de Legib. Reſol.* 10. Ubi pro hac ſententia refert DD. turmatim, è quibus eſt Tanner. Pontius, Fernandez, Rodriquez, Marius Anton. Filliuc Salas Vaſq. hisque conſentit utraque Theol. Salisburg. hoc tract. Hic autem notatum velim, quòd ſicut quædam Regna ex ſpeciali privilegio Bullis Pontificiis non obligantur ante factam ibi particularem promulgationem, ita pariter, teſte Laymanno *Tr. de LL. cap.* 2. videtur eſſe Germaniæ conſuetudo, ſeu benigna interpretatio, ut cædem Bullæ præſertim irritatoriæ, vel abrogatoriæ. cenſuras Eccleſiaſticas, & jurisdictionem fori Pœnitentialis concernentes, ante publicationem in Diœceſibus factam obligare non cenſeantur, uti nec Tridentinum (extra materiam fidei) obligare cernimus in iis partibus, ubi non eſt promulgatum. Objectionibus reſpondi in meo *lib.* 1. *Decret. ad tit. de Conſtit.* §. 7.

68. Noſtram Concluſionem ùt longè veriorem cenſet Suar. *de LL. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 5. eodem, quo nos, utens argumento: quia, ex natura rei, inquit, illa promulgatio Romæ facta ſufficit, niſi Eccleſia aliud ſtatuerit: nihil autem aliud ſtatuit. Et quando Adverſarii objiciunt, quòd Cæſareæ leges, ut obligent, particularem in provinciis promulgationem requirant, per *Novellam* Juſtiniani 66. *cap.* 1. negat ille, eam à Jure Canonico pro legibus Eccleſiaſticis quoad hoc punctum ſingulare multiplicandæ promulgationis, tacitè vel expreſsè approbatam fuiſſe, vel conſuetudine receptam; Sed potiùs indicia contraria adeſſe, ſubdit: cùm in Curia Romana lites decidantur totius Orbis ſecundum Leges Pontificias, etiamſi alibi promulgatæ non ſint; & ſpeciale exemplum extet in regulis cancellariæ, quæ vim legalem obtinent, eſtò in partibus non promulgentur. Præthereà, ait, multa Decreta in Jure Canon. reperire eſt, quibus nulla in Provinciis ſuffragatur promulgatio: quamvis enim ipſa Editio publica Juris Canonici habeat vim quandam promulgationis, quæ in ſingulis Provinciis fieri cenſetur, quia Libri illi in ſingulis publicè circumferuntur, nihilominus in rigore obligatio talium decretorum latiùs extenditur, quàm illa promulgatio. Deinde multa ſunt *Reſcripta* Pontificum *Bullæque*, & *motus proprii*, qui non ſunt inſerti Corpori Juris Canonici, & tamen cenſentur obligare per ſolam promulgationem Romæ factam: quod etiam in Bulla Cœnæ videre licet, quæ rarò in ſingulis Epiſcopatibus promulgatur, & tamen obligat. De qua Bulla fusè ago in *Tr. de Cenſur.* Et *Tr. de SS. Eccleſiis par.* 2. *diſſ.* 2.

69. Hodierno tempore nec lex Pontificia, nec Cæſarea obligare incipit, niſi poſt lapſum duorum menſium à tempore promulgationis: quod quidem quoad Cæſaream conſtat ex nov. Juſtiniani 66. cap. 1. quoad Pontificiam verò DD. colligunt ex Bulla Pii IV. quæ incipit: *Sicut ad Sacrorum*, & in fine Trid. Concil. fuit adjecta: in ea namque Pontifex ad morem legum Imperialium reſpiciens, ſic ait: *Quia jure etiam communi*

*muni sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta Decreta à Calendis Maji proximè præteriti omnes obligare cæpisse.* Statuta verò seu leges particulares Episcoporum mox à tempore promulgationis, in Ecclesia Matrice factæ, obligare incipiunt. König ad *tit. de Constit. n.* 20. Et circa hanc promulgationis materiam aliqua notabilia de stylo Curiæ Romanæ in meo *lib.* 1. *Decretal. in tit. de Constitutionibus à num.* 88. congessi

# QUÆSTIO OCTAVA.

## *Utrùm valor legis Ecclesiastico-Pontificiæ à populi acceptatione dependeat?*

70. Conclusio secunda negativè procedit, quam ex instituto defendo in Tr. de S. Pontif. part. 3. disp. 1. q. 1. cum nostris DD. Salisb. & aliis. Probatur autem primo independente potestate, quam Christus in Petro omnibus successoribus in Throno Monarchico-Apostol. concessit: secundò ex suprematu S. Pontificis supra Concilium œcumenicum, & supra universum Christianum populum; solius quippe Pontificis est oves pascere & dirigere per leges salutiferas: ovium verò & subditorum est pasci, & parere. Tertiò ex absurdis ex contraria sententia nascituris: quàm enim perniciosum foret, populi arbitrio & ratificationi legum universalium, more consueto statûs Democratici, committere; quàm difficile imò & moraliter impossibile, singulorum Christianorum, vel etiam Diœcesium suffragia & consensum conscribere atque expectare, quoties nova lex condenda est? Denique illa potestas censetur Ecclesiæ Monarchico Capiti concessa, quæ non solùm utilis, sed moraliter necessaria est ad felix Regimen Ecclesiæ Christianæ, & salutem animarum promovendam. Talis autem est potestas Legislativa à populi voluntate independens, cùm Potestas S. Pontificis, non ab homine aliquo, sed à DEO immediatè proveniat. Ergo &c.

71. Quid autem hac in parte quoad obligationem legum civilium tenendum? Suarez, Castropal. & alii plurimi existimant, leges civiles non obligare ante populi acceptationem. Sed meliùs sentire videntur contrarium sustinentes, inter quos numero nostros Salisburgenses: ac primò utramque Theologiam, speculativam & moralem: deinde & Magnif. D. P. Franc. Schmier *Tr. de Jur. Legal. cap.* 7. *à n.* 116. tum quòd loquendo de Legibus Civilibus Romanis clarum sit, quòd populus Romanus omnem potestatem suam Lege Regia in Principem transtulerit, ut quidquid Principi placuisset, legis vigorem haberet, *§. 6. Inst. de J. N. G. & C. l.* 1. *princ. ff. de Constit. Princip.* Tum quòd in legibus quibuscunque politicis, modò justæ & communitati utiles sint, non expediat quieti & bono Reipubl. ut earum vis & auctoritas à populo tanquam subditis dependeat, quamvis id improbare non possimus, quòd Leges Regnorum variorum à suffragio statuum ac Magnatum, eorumque ratihabitione dependeant; ubi certè non tanta sequuntur absurda, & incommoda, quàm si populus quoque in legem consentire debeat. Quæ contra principalem conclusionem nostram obmoveri possunt, sunt fere sequentia:

72. Primò arguunt ex *cap. in istis.* 3. *dist.* 4. ubi leges dicuntur institui, cùm promulgantur; *firmari* verò, *dum moribus utentium* approbantur. Secundò, ex *cap.* 6. *de Clericis conjugatis*, ubi Clerici Græci, priùsquàm majoribus ordinibus initiarentur, jam matrimoniali vinculo conjugati, post susceptos Ordines majores, matrimonio uti possunt; quia Ecclesia Orientalis votum continentiæ, quod Lege Ecclesiastica universali ordinibus majoribus annexum est, non admisit. Ergo Græci legem continentiæ irritam fecerunt per hoc, quia eam non acceptarunt. Tertiò ex eo, quòd videamus, varias leges Pontificias hodie passim non vigere, quia usu nunquam fuerunt receptæ. Quartò ex eo, quòd populus per diuturnam consuetudinem contrariam possit leges quascunque purè humanas infirmare, & abrogare; ergo etiam poterit primam illarum obligationem per non-acceptationem & non-usum impedire. Quintò, quando lex populo non est grata, sed exosa, potest ille apud S. Principem, & Legislatorem, præsertim apud Rom. Pontificem supplicare, ut tali lege non graventur; & licèt ejusmodi lex jam sit actu promulgata: tempore tamen pendentis supplicationis ad legis observantiam non tenentur: quod signum est, legis obligationem in actu secundo à populi submissione & consensu non parum dependere. Sextò, quantum in specie ad Leges Civiles attinet, arguunt ex *l.* 32. §. 1. *ff. de LL.* ubi Romani dicunt, se nulla alia ex causa legibus teneri, quàm quòd *judicio populi sint receptæ.* Sed ista conclusioni non refragantur. Nam

73. Ad primum Resp. leges per mores utentium *firmari* firmatione *non juris*, sed *facti*, hoc est, per usum populi in viridi observantia conservari. Ad secundum, Resp. ex conniventia, indulgentia, & benignitate S. Pontificis provenisse, ut Græci inviti ad votum continentiæ, in quantum Majoribus Ordinibus fuit lege positiva annexum, non adstringerentur; non ergo valor legis ex voluntate acceptantium dependebat. Ad tertium, & quartum Resp. leges quasdam Pontificias vigorem hodie non habere non ex defectu acceptationis, sed virtute contrariæ consuetudinis: neque par est ratio inter non acceptare legem, & inter legem per consuetudinem abrogare: nam dum populus legem justam non acceptat, non acceptatio non inducitur

ducitur ex voluntate & potestate Principis; econtra, quando populus per contrarium usum legem aliquam abrogat, abrogatio seu contraria consuetudo vim suam principaliter à Principis potestate & voluntate accipit: omnis quippe legitima consuetudo est jus tacito Summi Principis consensu approbatum, postquam mores diuturni & uniformes populi, contra legem intentis, præcessêre. Ad quintum fateor cum Suar. Diana & aliis, supplicationem illam, dum adest causa rationabilis, non esse illicitam. Colligit id allegatus Suar. *lib.* 4. *cap.* 16. *à num. primò ex cap. si quando. de Rescript.* ubi Papa declarat, licitum esse, non exequi rescriptum Papale, donec ipse pleniùs informetur, quando vera & rationabilis causa intercedit. Simile quid habetur in *cap. cùm teneamur. de Præbend.* Deinde sic discurrit: quia eò ipsò, quòd lex universaliter fertur, facilè fieri potest, ut non congruat moribus aut dispositionibus gentium omnium, pro quibus fertur: quod maxime contingere potest in legibus Canonicis seu Pontificiis, quæ pro universa Ecclesia dantur: nam Ecclesia complectitur varia Regna & Provincias, habentes varios ritus & modos vivendi. Unde licèt talis lex regulariter loquendo non sit inconveniens vel nimis dura pro universa Ecclesia, & ideo respectu totius non habeat locum supplicatio, nihilominùs in uno vel alio Regno vel Provincia potest esse nimis dissentiens à moribus ejus, & contra consuetudines ejus, quas non solent Pontifices velle mutare, sed potius conservare, *cap. certificari. de sepultur.* In tali ergo casu ratio postulat, ut liceat supplicare apud Pontificem, quia scientia ejus universalis non potest semper extendi ad hæc particularia. Et hoc ipsum est à Pontificibus statutum in *cap.* 1. *de constit. in* 6.

74. Ex quo videtur colligi, absque alia supplicatione à lege Pontificia, ipsam ex vi illius juris ipso facto non obligare in simili casu; nihilominùs tamen fieri potest, ut casus non sit ita clarus & certus, quin sit conveniens nova declaratio S. Pontificis: ergo in tali casu licita est supplicatio, & juri consentanea. Denique (subdit ille) consuetudo hanc assertionem satis confirmare: ita servari in multis provinciis Ecclesiæ, & Pontificibus non displicere, quando causa est rationabilis & cum debita moderatione ac obedientia fit supplicatio. Et fortasse in legibus civilibus non tam ordinariè fit hæc supplicatio, quia non sunt tam generales; & ordinariè una & eadem lex non fertur, nisi pro Regno vel Provinciis in moribus civilibus multùm similibus &c. Hæc Suar.

75. Sed an pendente supplicatione, populus teneatur legem observare, meritò dubitatur. Respondet Suar. loc. cit. in hujusmodi casibus pro tempore, pro quo durat supplicatio, cavendum esse omne periculum, & omittendum, si fieri potest, quidquid repugnat legi: si tamen hoc fieri non possit sine magna rerum mutatione, vel periculo alicujus scandali, tunc, ait, ex benigna interpretatione voluntatis Pontificiæ, lex pro illo tempore obligare non censetur, & tali declaratione prudenter facta, cessat etiam omne periculum peccati.

76. Ad sextum oppositum ex *l.* 32. *ff. de LL.* communis responsio habet, illum pertinere ad statum Democraticum, ubi populus collectivè sumptus regnat, & leges ipse sancit, simulque distributivè sumptus subest, & legi paret.

# QUÆSTIO NONA.

## *An suprema Potestas condendi Legem Universalem Ecclesiasticam in Summo Pontifice resideat, sine dependentia à Concilio Generali?*

77. CONclusio. Suprema Potestas legislativa Ecclesiastica ita in Summo Pontifice residet, ut etiam extra Concilium Generale leges universales Ecclesiasticas pro toto Christiano orbe valituras condere valeat. Hæc conclusio fundatur in eo, quòd Summus Pontifex Potestatem suam immediatè accipiat à DEO, & non à Concilio Generali, nec ab Ecclesia, & multò minùs à Cardinalibus eum eligentibus, quorum electio activa legitimè facta non est principium fontale, unde in S. Pontificem dimanet Jurisdictio & Potestas sua universalis, sed est mera *conditio*, quâ positâ, DEUS ipse, seu Christus Dominus Homo-DEUS suo Vicario Generali tanquam Capiti visibili legitimè electo infallibiliter Jurisdictionem universalem confert, & communicat.

78. Cæterùm, quod S. Pontifex etiam extra Concilium Generale possit ferre legem universalem, qua totus orbis Christianus obligetur, fundatur in suprematu S. Pontificis supra Concilium; de quibus & aliis fundamentalibus quæstionibus prolixè egi in meo *Fundamento & Vertice*, id est, *Tr. de Rom. Pontif.* per tot. Et pro nunc solum textum in *cap. novit.* 13. *de Judic.* delibo, ubi Innoc. III. Prælatis Franciæ disertè rescribit his terminis: *Potestas nostra non est ex homine, sed ex DEO.* Memorata quoque leges universales condendi potestas à Pontifice legitimè electo mox exerceri potest, sine omni alia Confirmatione (quæ certè à nemine in terris concedi potest ei, qui non habet ullum Superiorem in terris) & ante ejus coronationem *cap.* 1. *dist.* 23. *Extrav. ult. de Sent. Excomm. inter Communes.*

79. Ex dictis facilè colliges, Concilia Generalia aliter & alias leges universales ferre non posse, quàm si ipsa fuerint auctoritate S. Pontificis legitimè congregata, vel rata

ta & approbata, ac Conſtitutiones ſive leges illæ nomine Pontificis auctorizantis promulgatæ. Ut autem Concilium ſit legitimum, ſeu œcumenicè generale, requiritur, ut auctoritate S. Pontificis omnes Epiſcopi ex orbe Chriſtiano, quantum id fieri poteſt, Diœceſin habentes convocentur, niſi fortè aliqui eſſent excommunicati: Sufficit tamen abſolutè loquendo, ſi ſaltem ex potioribus orbis Chriſtiani partibus aliqui Epiſcopi adveniant, qui dein ex S. Pontificis aſſenſu cœterorum vices & vota ſupplere poſſunt. Francolin. In *Tyrocin. Theolog. part.* 2. *§.* 2. *n.* 17. ibi ſubnotans, ex conſuetudine advocari etiam Cardinales, Generales Ordinum, & nonnullos Abbatum, qui omnes cum Epiſcopis exerceant munus Judicis, & ſuffragium habeant deciſivum, ideoque cum illis ſignent, *definiens ſubſcripſi:* alios verò Theologos, cùm advocentur ſolùm ùt conſultores, tantùm ſignare, *conſentiens ſubſcripſi.*

80. Porrò Imperatores, Regésve, aut illorum Legati Conciliis Generalibus aſſiſtere ſolent tum ùt maximi nominis teſtes, tum ùt Conciliorum Protectores.

81. Oecumenica, legitima ſeu authentica numerantur octodecim: nempe Concilium Generale Nycænum I. & II. Conſtantinopolitanum I. II. III. & IV. Lateranenſe I. II. III. IV. & V. Lugdunenſe I. & II. Epheſinum, Calcedonenſe, Viennenſe, Florentinum, Tridentinum. Aliqua, ut Conſtantienſe & Baſileenſe, partim ſunt authentica & in aliquibus Decretis approbata, partim non authentica ſeu non approbata, de quibus ego latiùs diſſero in *cit. Tr. de S. Pontif. p.* 1. *Diſſ.* 2. *§. Prælim.* & noviſſimè in meo *Tr. Theol.* 1. ſcil. in *Apparatu.* Quòd ſi in caſu Schismatis, aut Sedis Apoſt. vacantis, neceſſitas urgeret, condendi Leges Univerſales Eccleſiaſticas, (quo caſu ipſum jus naturæ corpori Myſtico Eccleſiæ ad ſui conſervationem medium illud convocandi Concilium Generale concederet) eæ, poſt legitimè electum Succeſſorem non ſubſiſterent, niſi dependenter ab ipſius confirmatione. Suar. *de LL. lib.* 4. *cap.* 6. Clariſſ. P. Mezg. hic diſp. 34. art. 1. n. 14. & Magnif. P. Franc. Schmier tr. *de Jur. legal. cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 92. Hæc circa Poteſtatem Conciliorum Generalium, quorum Leges & Decreta expreſſam S. Pontificis auctoritatem & approbationem expoſcunt; cùm ſe extendere deberent ad obligandum totum orbem Chriſtianum, cujus Vertex & Caput eſt ſolus Romanus Pontifex, legitimus ſcil. S. Petri Succeſſor, & cui ſoli claves Eccleſiæ, ſummamque ligandi atque ſolvendi poteſtatem circa oves concreditas commiſit, nullibi verò Concilio Generali, quando hoc ſpectatur ùt corpus præciſum à Capite.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *Quæ Poteſtas Legislativa conceſſa ſit Conciliis non Generalibus?*

82. Concluſio. Concilia Nationalia, quæ ſcilicet Patriarcha, ſeu Primas ex Archiepiſcopis, & Epiſcopis totius alicujus Nationis, Regni, & plurium Provinciarum, ac Diœceſium convocat, poſſunt ſtatuere leges pro ſua natione vel Regno: Provincialia, quæ ab Archiepiſcopo congregantur ex Epiſcopis, Suffraganeis, Abbatibus, & reliquo Clero, idem poſſunt pro ſua Provincia; demum & Diœceſana Concilia, ſeu Synodi, quæ indicuntur ab Epiſcopis Diœceſanis, pro ſua Diœceſi. Ita communis conformiter Concilio Trid. *Seſſ.* 24. *de Ref. cap.* 2. & texx. in *cap.* 8. *Diſt.* 11. *& cap.* Concilia. *Diſt.* 17. & paſſim in *Diſt.* 18. Quòd tamen ſic limitandum, ut præfata Concilia contra Jus commune & SS. Canones nihil ſtatuere valeant, aut abrogare; quia non ſunt ſupra Jus commune. Facit tex. in *cap.* 2. *de Maj. & Obed. & cap. ult. de Conſt. in* 6. Quæ verò præter Jus commune in ſuis diſtrictibus præter leges illas particulares, vel ſtatuta ſalubriter præcipiunt vel prohibent, ad ſuî valorem Sedis Apoſtol. approbationem non requirunt, uti colligitur ex cit. loc. Concil. Trid. Quia tamen Patriarcharum, ſeu Primatum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Juriſdictio ac poteſtas Legislativa ultra eorum Regna, nationes, provincias, vel Diœceſes non extenditur, ideo eorum leges particulares alios extraneos ſibi non ſubditos nequaquam obligant, *per ſe* loquendo. Quemadmodùm vero nihil ſtatuere poſſunt contra ſancita & Decreta SS. Canonum in *materia morum*, ita multò minùs aliqua decernere vel declarare poſſunt in cauſis gravioribus, aut Sedi Apoſtol. reſervatis, ac præſertim in materia & dogmatibus fidei. Magnif. P. König *p. m. de Conſtit. n.* 7. ibidem prænotans, quòd etiam Abbates, Juriſdictione quaſi-Epiſcopali præditi, pro ſua quaſi diœceſi ſtatuta condendi facultatem habeant, *arg. cap.* 6. *§. Abbas. de ſtat. Monachor.*

83. Quòd inſuper Prælati regulares locales (exceptis iis, qui ſubſunt alicui Prælato Generali tanquam capiti, ſub quo plures Conventus, vel Monaſteria tanquam unum corpus reguntur) ſtatuta localia primævum regularis diſciplinæ rigorem non excedentia condere poſſint, tradit Magnif. D. P. Schmier *Tr. de Jur. Legal. cap.* 4. *à n.* 107. cum Reverendiſſ. D. Abbate Tegernſeenſi, Petro Gultrather quondam noſtræ Univerſitat. Salisburg. Præſide *Inſtit. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 34. & Illuſtriſſ. D. Reding, Principe & Abb. Einſidlenſi hic *q.* 16. *a.* 1. *controv.* 2. ex ratione, quòd prædictis Prælatis competat Juriſdictio ordinaria in ſuos regulares: qua de re videatur P. Engel *de Privileg. Monaſter. privil.* 48. & tex. in *cap. nullam.* 9. *cauſ.* 18. *q.* 2. ubi dicitur, *ad Abbatem totam poteſtatem pertinere circa ea, quæ vel ad divini cultûs reverentiam, vel ad utilitatem Monaſterii*

*nasterii spectant.* Secus dicendum de Abbatissis, utpote vera Jurisdictione Ecclesiastica, & spirituali, omnino destitutis, per *cap. nova.* 10. *de Pœnit. & Remiss.* ut adeo suis Monialibus adinstar Matrum familias præcepta solùm, non item vera statuta præscribere vel imponere queant. Idem Magnif. *ibid. n.* 117. cum Eman. Rodriq. *Quæst. Regular. to.* 1. *q.* 12. & Sylvest. in *Summa in V. Abbatissa. n.* 1.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

### *Utrùm Declarationes Sac. Congregationis Cardinalium, Concilii Trid. Interpretum vim legalem, & interpretationem authenticam contineant?*

84. CONclusio. Declarationes memoratæ S. R. E. Cardinalium probabiliùs vim legis universalis obtinent, etsi non fuerint solenniter promulgatæ. Magnif. D. P. Kön. *p. m. ad tit. de Constit. n.* 7. contra plures Theologos dissentientes. Eandem conclusionem ego jam anno 1713. in meis qq. *Theologico-Canonicis* typo impressis, id est in *Tract. de Primatu finis ultimi part.* 2. *repræs.* 3. *q.* 2. affirmativè tenui, & sic probavi: Declarationes, quæ circa legem jam præexistentem, & quidem universalem, fiunt vel ab ipso Superiore seu Legislatore, scil. Summo Pontifice, vel ejus nomine, facultate, & auctoritate, non sunt merè *doctrinales* & *probabiles* (ut censent Adversarii) sed sunt verè *legales, auctoritativæ*, & *decisivæ* universaliter. Atqui Declarationes Cardinalium emanant nomine, facultate, & auctoritate S. Pontificis, intellige, circa materiam morum, non verò circa dogmata fidei, uti expressim constat ex Constit. 74. Sixti V. Ergo Declarationes illæ sunt legales, authenticæ, ac universaliter obligantes in materia morum, æquè, ac si ab ipso S. Pontifice fierent: sunt enim nihilominùs Pontificiæ juxta illud assertum in *l.* 1. *§. neque Cod. de Vet. Jur. Enucl.* ubi Imperator dicit, *omnia meritò nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur authoritas.* Et *arg. §.* 8. *Inst. de J. N. G. & Civ.* desumpto à JCtis Romanis, quorum responsa, quia nomine & auctoritate Imperatoris prodibant in publicum, in legum declaratione vim legalem continebant.

85. Confirm. 1. Authentica legis declaratio, se non extendens ultra mentem verborum propriè acceptorum legis præexistentis, ab ipsa lege aliter differre non videtur, nisi sicut expressum ab implicito. Sive ergo ab ipsomet legislatore immediatè proveniat, sive ipsius nomine & auctoritate ab alio fiat, sublatentem solùm legis virtutem detegit, & qualiter lex jam lata intelligi debeat, atque obliget, ostendit. Conf. 2. Cardinalium pro interpretando Conc. Trid. deputatorum collegialiter facta declaratio dubio procul plus valere debet, quàm aliorum Doctorum leges interpretantium expositio: Cùm ergo istorum interpretatio contineat vim probabilem; illorum, ut quid plus contineat, debet habere vim legalem & authenticam.

86. Dices primò, nullam legem, saltem in actu secundo, perfectam & obligativam esse, nisi fuerit solenniter promulgata: Secundò, varias & propemodum innumeras extare Declarationes Cardinalium, quarum nonnunquam aliquæ sibi videntur esse dubiæ, aut omnino contrariæ; sique omnes attendi deberent, subditos Ecclesiæ nimio legum cumulo obrui. Nam Resp. ad primum, *solennem* legis promulgationem ad vim *obligativam* seu legalem requiri tunc solùm, quando editur lex vel constitutio nova, in declaratione verò pura legis, jam præexistentis, eam non requiri. Cardinales verò Congreg. Concil. Trident. nullatenus jus novum edunt, sed solùm declarant jus jam præexistens. König d. n. 7. allegans Bart. in l. hæredes. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. Exemplum cape. Quando testator testamentum suum præviè jam solenniter factum vel per se vel per alium purè declarat, non requiritur tota illa primæva solennitas in testamenti confectione aliàs observanda: declarando enim suam ultimam voluntatem jam anteà paulò obscuriùs revelatam, nihil dat, sed datam significat, seu magis explicat. Pariter Legislator, *quando* vel per se vel per alium, legem jam *olim* conditam & solenniter promulgatam declarat, nihil novum dat, sed datum significat, id est, noviter explanat. Ad secundum Resp. eas duntaxat Tridentini Concilii Declarationes robore suo pollere, & ùt authenticas respici debere, quæ solent in forma authentica apparere, id est, cum solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii S. Congregationis Tridentini Concilii; quæque emanârunt *consulto* præviè S. Pontifice. König. loc. cit. cum P. Engel in *Procem. n.* 16.

87. Urgebis: Res inter alios actæ circa casum particularem alios non obligant vel afficiunt, uti notum est apud Jurisperitos, *cap.* 25. *de sent. & re judicata.* Atqui responsa & Declarationes, quas Cardinales proferunt, dum ad consultationem certarum personarum respondent, concernunt solas personas consultantes circa casum particularem. Ergo responsa & Declarationes Cardidinalium alios, præter dictas personas, non ligant, non stringunt. Ergo non continent vim legis universalis.

Resp. Dist. M. res inter alios circa casum particularem actæ, alios non afficiunt, non obligant, ratione *facti* vel casûs particularis pro certis litigantibus decisi, Conc. Maj. alios non afficiunt seu obligant, ratione juris generalis & communis authenticè & genera-

neraliter declarati, Nego Maj. Conc. min. & dist. conf. Ergo Responsa & Declarationes Cardinalium alios, præter dictas personas, non ligant, non afficiunt vel stringunt, ratione facti vel casûs particularis à Cardinalibus pro certis litigantibus decisi, conc. conseq. Ergo alios non ligant, ratione juris generalis, authenticè & generaliter declarati, nego conseq.

Sacra Congregatio præposita Interpretationi Concilii Tridentini, quando ea consulitur super casu & dubio particulari, mentem Decretorum Concilii memorati absolutè, & generaliter aperit, atque declarat, idque, approbante S. Pontifice, facit: casum verò ipsum seu factum diversis circumstantiis vestitum, ad Judices ordinarios remittit. Quòdsi igitur & alii similes casus emergant, qui declarationi absolutæ & generali respondeant, in illis similiter judicandum erit ad normam & formam illius Declarationis, vel potiùs ad sensum & mentem ipsius legis Tridentinæ, jam olim promulgatæ, & ejusmodi casus materialiter & re ipsâ comprehendentis, ad cujus tamen formalem obligationem ipsa declaratio habet se ùt mera quædam conditio. Fagnan. in *cap. fin. de Constitut.*

88. Urgebis fortiùs: Sensus determinatus Conciliaris Decreti vel constitutionis ante declarationem S. Congr. Card. non obligabat. Si igitur post declarationem obliget, obligat per modum novæ constitutionis universalis: Hujus autem condendæ potestatem S. Pontifex Cardinalium Congregationi nunquam concedet. Ergo &c. Resp. D. M. sensus determinatus Conciliaris Constitutionis ante declarationem non obligabat, sic, ut actus contra sensum, & intentionem legislatoris ante declarationem gesti non fuerint *formaliter* mali, Conc. Hoc enim non patitur bona fides, & inculpabilis ignorantia sensûs hactenus in Lege clausi, & à subditis non intellecti: Non obligabat, ut actus contra sensum & intentionem legislatoris gesti, non fuerint mali saltem *materialiter*, sic nego.

89. Instabis denique: Ex declaratione Concilii Trid. *extensiva* nulla resultat legalis obligatio, si Cardinales speciali Papæ mandatô non sint instructi. Ergo neque ex declaratione *comprehensiva*. Resp. dispar. esse, quòd declaratio legis *extensiva*, cùm propriam & usu receptam verborum significationem egrediatur, sit nova lex: consequenter non tantùm requirit potestatem legislativam, sed etiam promulgationem: Econtra declaratio purè comprehensiva, cùm propriam & usu receptam verborum significationem legis præexistentis non excedat, speciale in Cardinalibus mandatum non exposcit; quia nec potestatem legislativam necessariò supponit in his, qui solùm se habent ùt interpretes authentici ex commissione generali Legislatoris, putà S. Pontificis, declarationem ejusmodi seu interpretationem sua auctoritate roborantis.

90. Petes: Quinam sint Libri Juris Canonici, & usu recepti. Resp. In corpore Juris Canonici primò obviare & allegari Decretum Gratiani, seu Summam Juris sacri antiqui, à Gratiano viro Religioso ex Ordine Divi Patris nostri Benedicti, è diversis Conciliis Generalibus & Particularibus, aliisque non solum Summorum Pontificum, verùm etiam SS. Patrum Placitis ac sententiis compilatam circa an. 1150. Continet hoc Decretum, seu Volumen tres partes. In prima parte congeruntur distinctiones centum & una. In secunda ponuntur Causæ triginta sex, quarum trigesima prima specialem Tractatum complectitur *de Pœnitentia* inscriptum. Demum in tertia parte succedit alius Tractatus de Consecratione. Communior autem DD. sententiam tenet, hoc volumen seu Decretum Gratiani (theoricè loquendo) non esse undequaque authenticum, id est, non omnes illius textus auctoritatem decisivam & vim legalem habere; sed revocandum esse ad primævos fontes, & auctores, & respectivè Legislatores. Ubi igitur profertur Canon alicujus S. Pontificis, vel Concilii Generalis, vim legis universalis habet: ubi verò allegatur textus alicujus Concilii particularis, vel cujusdam Sancti Patris, ejus auctoritas non est decisiva & universalis, sed probabilis solùm & doctrinalis. Multò minùs verò propriæ ipsius Gratiani opiniones legis vigorem habent. Et licèt Gregorius XIII. memoratum Volumen suâ Bullâ præfixâ commendârit, & exornârit, non tamen constat, quòd singulis textibus auctoritatem legalem tribuerit, sed testimonium saltem authenticam perhibuerit, illos cum auctoribus & originalibus, quibuscum fuerunt collati, concordare. Dixi, theoricè loquendo: nam, teste Panormitano in *cap. ex parte. 2. de Rescript.* ratione praxis, usûs, & longævæ allegationis prælaudatum Decretum Gratiani censetur esse tacitè ex toto approbatum, exceptis solis propriis ipsius Gratiani opinionibus. Plura hac de re trado in lib. meo 1. *Decret. ad tit. de Constitut.*

Secundò respiciendi sunt Decretales litteræ, sive Canones, jussu Gregorii IX. à S. Raymundo de Pennafort Ord. Prædicatorum collectæ, posteà in 5. libros digestæ, & à memorato Gregor. IX. approbatæ, atque vigore authentico per totum donatæ & roboratæ.

Tertiò recipiendus & respiciendus est Sextus Decretalium, Bonifacii VIII. auctoritate quinque Libris Gregorii IX. adjectus, & cum vi authentica approbatus.

Quartò respici & recipi debent Clementinæ Clem. V. Quintò Extrav. Joannis XXII. & Extravagantes communes, in unum volumen, jussu SS. Pontificum relatæ, Novissimum verò Jus, cui venerationem & obedientiam debemus, sunt Decreta & Canones Sacri Concilii Tridentini. Ut jam redeamus ad ordinem, ponitur

QUÆ-

## QUÆSTIO DUODECIMA.

### *Quis Leges Civiles & Politicas condere possit?*

91. Conclusio. In statu Monarchico potestas suprema ferendi leges civiles residet penes illum Monarcham, vel Regem: in statu Aristocratico penes optimates: In statu Democratico penes universum populum. Quamvis verò in Romano Imperio prædicta suprema potestas etiam adhuc hodie in solo Imperatore resideat & splendescat, attamen per capitulationes successu temporis ita circumscripta fuit, ut nova lex Imperialis ferri nequeat aliter, quàm dependenter ab aliqua conditione *sine qua non*, volo dicere, dependenter à consensu statuum Imperii. Magnif. P. König h. tit. n. 9. allegans desuper Recessum Imperii de anno 1576. §. Aber doch daß Sie: & de anno 1599. §. Damit dann hinfüran. Et inde fortassis esse, subdit, quòd hodiernæ Constitutiones Imperiales appellentur Recessus Imperii, quasi non sint solius Imperatoris. Sed qualiter suprema Jurisdictio & potestas legislativa nihilominus adhuc hodie, quamvis cum aliqua limitatione, in solo Imperatore resideat, cum nostris Salisburgensibus Juristis ostendo in tit. 1. §. 9. & tit. 31. §. 3. meorum Decretalium impressorum lib. 1. Hoc ulterius notatu dignum, quòd Electores, Principes, & alii Status Imperii vi Jurisdictionis suæ, quam vocant, Superioritatem Territorialem, in suis Territoriis leges particulares ferre possint, etiam legibus civilibus communis Juris contrarias. König loc. cit. & passim hodierni omnes.

# DISSERTATIO QUARTA.

## DE

## *Subjecto Legis Positivæ Humanæ.*

Nomine subjecti hic veniunt omnes ii, qui legibus parerere tenentur. Servato ordine inter leges Canonicas & Civiles, sit

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

### *An non solùm omnes Catholici, sed etiam omnes Christiani, nec non Heterodoxi Legibus Ecclesiasticis Universalibus de jure subjecti sint?*

92. Conclusio est simpliciter affirmativa inter Catholicos. Ratio fundamentalis est, quòd heterodoxi per baptismum susceptum ingressi sunt januam Ecclesiæ. Consequenter subsunt reverà illi, cui jurisdictio commissa fuit & cura totius Ecclesiæ; sed hæc fuit commissa Petro, & in Petro omnibus ejus legitimis successoribus in officio Vicariatûs Christi, & Pastoratûs Supremi: Ergo subsunt etiam legibus Summorum Pontificum. Certè Baptismus successit circumcisioni: Si ergo in Lege veteri signaculo circumcisionis notati, Summi Pontificis Jurisdictioni fuerunt subjecti: quantò magis in Lege nova eidem subjiciuntur, qui charactere Baptismali semel sunt signati? Plurima hac de re in medium protuli in meo *Tr. de S. Pontifice.*

93. Dices primò: Heterodoxi sunt extra veram Ecclesiam. Ergo Leges Ecclesiasticæ ad ipsos non spectant. Resp. Heterodoxos esse extra veram Ecclesiam, sed cum debito & obligatione manendi intùs, aut post defectionem redeundi ad veram Ecclesiam. Ideo absolutè cogi possunt, ut redeant & maneant intra veram Ecclesiam, quemadmodùm oves segregatæ coguntur à Pastore, ut ad ovile revertantur.

94. Dices secundò: Saltem Acatholici in Germania per Pacificationem publicam fuerunt à Jurisdictione Pontificia exempti. Ergo &c. Resp. N. assertum: si enim illa subductio violenta est quædam exemptio vocanda, tunc quævis renitentia, & defectio quâ aliqui jugum & subjectionem respectu Imperatoris, Regis, vel alterius Principis excutiunt, nomen exemptionis sibi vendicabit. Quis, quæso! illis, qui tempore insurgentium Novatorum Romano-Catholicæ Ecclesiæ terga verterunt, privilegium exemptionis, ne Vicario Christi deinceps obedire teneantur, concessit? Non DEUS, non Pontifex, non Imperator, non alii Reges & Principes Catholici. Igitur ipsi sua defectione & viâ *facti*, non viâ *juris* divini, vel humani, ad exemptionem provocârunt, eamque suis posteris transcripserunt.

95. Dices tertiò: Infideles, ùt sunt Judæi, Turcæ &c. non subsunt Legibus Ecclesiasticis universalibus, uti communius docetur: Suar. *de LL. lib. 4. cap. 19.* & alii per *cap. Judæis. 5. dist. 45. cap. gaudemus. 8. & cap. ult.*

*de Divort. cap. de Infidelibus.* 4. *de Consang. & affinit.* Ergo neque Hæretici colla sua submittere tenentur. Resp. Transmiss. Ant. eò quòd nonnulli id negent, inter quos est Fagnanus in *cap.* 1. *de Constitut.* Neque Conseq. quia infideles absolutè & propriè tales, cùm baptismô careant, nunquam receperunt characterem Christianæ ovis (unde de illis dixit Apostolus 1. *ad Cor.* 5. *quid enim mihi de iis, qui foris sunt?*) quem tamen hæretici recipiunt.

## QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

### *An Peregrini stringantur legibus particularibus loci, ubi hospitantur, vel transeunt?*

96. Conclusio: Dicendum primò, affirmativam, maximè quoad servandos dies festivos & jejunia &c. amplectendam esse, si peregrini in loco illo notabili tempore morentur. Ita Laym. Haun. Engel & alii: Isto enim casu observantiam legum & consuetudinum particularium ipsa quies publica Reipublicæ & morum uniformitas postulat. Similiter peregrini tenentur observare statuta localia quoad contractuum solennitates; quia tunc forum speciale in loco transitûs sortiuntur. Dicendum secundò: quando leges particulares latæ sunt ad speciale damnum à Republ. avertendum cui æquè per advenas, quàm per indigenas causa præberi potest, aut si ad bonum valde necessarium loci illius vel Territorii tendant, etiam peregrini censentur comprehensi & obligati. Haun. *de J. & J. tr. Procem. cap.* 1. *n.*75. Ratio est, quòd in ista hypothesi Princeps Territorii particularis aliter transitum vel hospitium concedere non censeatur, quàm si advenæ sese conformare velint, & propria ac voluntaria subjectione Jurisdictionem Domini Territorialis in se prorogare. Dicendum tertiò: si prædictæ circumstantiæ deficiant, nec non & *periculum scandali*, peregrinos legibus locorum particularibus non esse subjectos. Aa. suprà relati. Quantum ad vagabundos, teste Haun. tr. 1. Procem. de J. & J. cap. 1. n. 79. communior sententia eos subjicit legibus particularibus civilibus saltem locorum, ubi obiter existunt, vel transeunt: quia, ait, cùm nullum habeant domicilium, & per consequens nullum proprium Gubernatorem, aut Judicem, ne quidem quoad leges communes (civiles) & tamen Reipublicæ humanæ intersit, tales quoque gubernationi subesse, hoc ipso fiunt subditi saltem quoad leges communes; & ideo possunt ubique puniri, ubi comprehenduntur, etiam ob defectum alibi commissum, atqui leges civiles particulares regnorum, provinciarum, & locorum, ubi vagi transeunt, vel obiter morantur, sunt respectu illorum communes; cùm communes alias non habeant; quia nullibi habent domicilium habitationis, & domicilium originis deseruerunt, Ergo æquum est, vagos locorum particularibus legibus subjici, nisi forte essent in aliqûa materia, in qua per vagos felicitas reipublicæ vel loci illius nullatenus promoveri posset.

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

### *An personæ Ecclesiasticæ legibus sæcularium Principum subjiciantur?*

97. Conclusio. Personæ Ecclesiasticæ legibus sæcularium Principum de jure non obligantur, ubi leges illæ mandando aliquid vel prohibendo libertati seu Immunitati Ecclesiasticæ præjudicant, quidquid modò praxis in contrarium in multis locis habeat. Ita communis hodie inter Canonistas & Moralistas sententia. Ratio fundamentalis est, quòd deficiente Jurisdictione, etiam deficiat vis obligandi legalis. Sed ex parte Principum sæcularium respectu Personarum Ecclesiasticarum deficit Jurisdictio. Videatur tex. in *cap. Ecclesia S. Mariæ.* 10. *de Constit.* ubi Innoc. III. sic loquitur: *Nos attendentes, quod Laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos manet obsequendi necessitas, non auctoritas imperandi; à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum &c.* Et Bonifac. VIII. in *cap. quanquam.* 4. *de Censib. in* 6. *Ecclesiæ*, inquit, *Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quin imò & divino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes &c.* Quibus innumeri Canones consonant, & novissimè S. Trid. Oecumen. Concil. Sess. 25. de Ref. cap. 20. ubi denuo Principibus sæcularibus nullam in Clericos competere Jurisdictionem liquidò declaratur illis verbis: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas DEI ordinatione & SS. Canonibus dicitur constituta.* Qua de re plura post alios ego scripsi in *Tract. de Ecclesiis. p.* 2. *Diss.* 2.

98. Dices primò: Omnes cives, & membra Reipublicæ legibus ob bonum publicum latis obtemperare tenentur. Sed Personæ Ecclesiasticæ sunt cives & membra Reipublicæ. Ergo legibus ob publicum bonum latis obtemperare tenentur. Resp. Clericos esse cives honorarios, privilegiatos & exemptos à potestate secularium, eorumque oneribus temporalibus, qui tamen propria onera in spiritualibus, in cura animarum, servitio DEI, promotione veræ Religionis &c. portant: æquissimum igitur fuerit, ut cives isti honorarii, & in altiori statûs gradu

gradu constituti Ministri DEI, Legibus humanis civilibus communi cum Laicis, utpote in inferiori ordine constitutis, subjectione non substernantur. Quo notato, propositio major & minor facili negotio distinguuntur.

99. Dices secundò: De facto communis praxis habet, ut Clerici, etiam Prælati, dum à Principe sæculari tenent bona feudalia, vel emphyteuticaria, subjectionem respectu Potestatis laicalis agnoscant; idque ipsi SS. Pontifices approbant, uti hoc constat ex *cap. 6. & 7. de Judic.* Ergo Ecclesiasticæ personæ & communitates subjiciuntur laicali potestati. Resp. dist. conf. ergo subjiciuntur ratione personarum; Neg. conf. ergo subjiciuntur ratione bonorum certo onere affectorum, subdist. subjiciuntur ex tacita vel expressa approbatione S. Pontificis; item etiam ratione justitiæ commutativæ & æquitatis naturalis, conditiones liberas contractibus adjectas vel proprias servare præcipientis, conc. sine omni approbatione S. Pontificis jus Divinum pro exigentia diversarum circumstantiarum declarandi facultatem habentis, & ex sola *Jurisdictione* superiori laicæ potestatis, Neg. conseq. Si S. Pontifex vult antecedens, debet & concedere necessarium consequens; vult autem in singularem Ecclesiæ favorem, ut Personæ & communitates Ecclesiasticæ, sive sæculares sive regulares, possint bona à sæcularibus emere, in feudum vel emphyteusin vel ex alio titulo possidere: ergo ex consequenti quoque, dictante id æquitate naturali, concedere debet, ut controversiis feudalibus &c. coram Judice feudis proprio conveniri queant, & præstanda præstent &c.

100. Dices tertiò: Principes & Magistratus sæculares varias leges saluberrimas promulgant, quæ libertatem seu immunitatem Ecclesiasticorum neutiquam diminuunt, vel infringunt; imò potiùs in eorum quoque magnam utilitatem vergunt, ùt si pro quiete & salute publica prohibeatur, ne de nocte arma portentur, ne bombardæ explodantur, ne frumenta extra Territorium evehantur, ne contagiosa loca adeantur &c. Ergo saltem istis & similibus legibus Personæ quoque Ecclesiasticæ obedientiam præstare tenentur. Resp. dist. conseq. ergo similibus legibus tenentur præstare obedientiam, quasi id proveniat ex *vi coactiva*, & ex influxu Jurisdictionis sæcularis, vel etiam potestate & obligatione *directa*, quæ derivetur ex legibus hujusmodi sæcularibus in personas Ecclesiasticas, & earum conscientias directè stringant, nego conseq. ita ut solùm *indirectè* ad talem obedientiam teneantur, id est occasione illarum legum, partim scilic. ex voluntate ipsius Ecclesiæ publicum Reipublicæ bonum, & quietem ac salutem etiam temporalem per Clericos potiùs promovere quàm impedire intendentis; partim etiam ex ipso jure naturæ, in istis observantiis conformitatem aliquam exigentis, conc. conseq. Ita nostri Salisburgenses, ùt Engel, Mezger, *tr. 8. de LL. disp. 35. à n. 18.* ubi etiam Doct. Glethe allegatur.

101. Dices quartò: Lex amortizationis, quâ Principes Edicto perpetuè prohibent, ne à Laicis ad Ecclesias, Collegia, vel Monasteria bona immobilia transferantur, videtur esse justa: sed hæc lex est civilis: Ergo lex aliqua civilis potest se extendere ad Ecclesias: consequenter etiam ad Personas Ecclesiasticas, ne quidquam contra talem legem præsumant. M. prob. primò: quia translatio bonorum immobilium in Ecclesias facta potest bono communi Reipublicæ civilis esse perniciosa; cùm talia bona censeantur devenire in manus *mortuas*, in quantum exigua spes superest, quòd aliquando per contractum venditionis in laicos sint reditura. Secundò: finge, Ecclesias permultas opulentissimis proventibus esse instructas, veluti in Germania satis instructæ reperiuntur, sic quidem, ùt potiùs ad dissolutionem disciplinæ Ecclesiasticæ, quàm ad ædificationem serviant: quis Magistratibus & Principibus supremis succenseat, si plurium bonorum acquisitionem impediant, & Communitates Ecclesiasticas regulares æquè ac sæculares, conservandi boni publici gratiâ quoad novorum dominiorum receptionem directè vel indirectè incapaces reddant.

102. Resp. 1. ad hæc opposita: ea esse altioris indaginis, & peculiari discussione, absque livore tamen, invidia, aut calumniarum anfractu, examinari debere. Ego in meo *Tract. Canonico de SS. Ecclesiis, earumque Prærogativis* in Universſ. Salisburg. vulgato, ea de re in *par. 2. Diss. 3.* plura conscripsi. Resp. 2. An lex amortizationis sit justa, aut valida, nec ne, consulendam esse Sedem Apost. penes quam est, in re tam gravi judicare. Si Casus Bullæ Cœnæ inspiciantur, certum est, quòd omnia statuta immunitati Ecclesiasticæ adversa per anathematis inflictionem improbentur, & enerventur. Cæterùm non expedit semper, ut Ecclesia ejusmodi statutis apertè resistat, ut evitentur majora mala cum dignitatum Episcopalium, animarumque discrimine; adeoque abusus inveterati quandoque prudenti dissimulatione tolerandi sunt, monente ipso Apostolo *1. Cor. 6.* omnia quidem sibi pro salubri animarum cura licere, sed non omnia expedire.

103. De legislatore supremo quòd ipse legibus positivis à se latis, nec ex *vi coactiva*, nec ex vi *directiva directè*, cùm nemo sibi imperare possit, ac simul esse superior & subditus sui ipsius, sed indirectè solùm, id est, occasione legis & quadam honestate stare teneatur, communior distinctio prævalet, si tamen materia talis fuerit, cujus observantia & ipsum legislatorem condeceat. Ubi verò Princeps legislator, non servando leges suas, cum injusto damno subditorum locupletaretur, uti si certam taxam venditioni communi frumentorum v. g. imponeret, ipse verò in sui proprii frumenti venditione pretium augere vellet, tunc certum est,

quòd

quòd graviter contra æquitatem & justitiam commutativam peccaret. Similiter peccaret dicto modo; si Princeps in sui electione, vel succeßione alia ad leges Fundamentales Regni vel Provinciæ servandas publico pactô sese obstrinxisset & tamen eam observantiam negligeret: imò & contra Religionem ageret si pactionem publicam juramentô roboràsset, & nihilominus eam violaret.

Quoad leges merè positivas, ex quadam convenientia seu honestate à Legislatore observandas procedunt illi versus apud Claudianum:

*Primus justa subi, tuus observantior æqui*
*Fit populus: nec ferre negat, cùm viderit ipsum*
*Auctorem parere sibi. Componitur Orbis*
*Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus*
*Humanos Edicta valent, ùt vita Regentis.*

# QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

## *De objecto Legis Positivæ in Genere.*

104. Conclusio: objectum legis præceptivæ hoc constituunt non solùm actiones possibiles, & honestæ, v. g. intra materiam justitiæ, aut alterius virtutis, non nimis arduæ tamen: sed insuper sub talem legem cadere possunt etiam actiones de se indifferentes, quatenus per legem ad finem honestum diriguntur, ac sic honestatem participant. Bonacina *de LL. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 5. Objectum verò legis prohibitivæ constituunt primò actiones ex natura sua malæ: Secundò etiam actiones de se indifferentes prohiberi persæpe expedit: Tertiò honestæ quoque actiones nonnunquam, ob rationem certæ circumstantiæ, aut certi finis materia legis prohibitivæ esse possunt, uti patet in actibus Jurisdictionis contentiosæ, qui diebus feriatis, vel in locis sacris prohibiti sunt &c. Denique objectum legis permißivæ, ultra actiones & res honestas, ac indifferentes, aliquando etiam res inhonestæ & illicitæ constituere possunt, quando ob evitandum majus malum, talia ùt mala respectivè minora ex quadam necessitate permittuntur, non quidem *approbativè*, sed *dissimulativè*, & sine pœnæ irrogatione: tali modo & motivo Acatholici cum sua secta & hæretico Religionis exercitio vi Pacificationum publicarum tolerari debent, & in quibusdam majoribus civitatibus lupanaria &c.

# QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

## *An actus merè interni sub Legem Pontificiam saltem cadere poßint?*

105. Dixi: *merè interni*: ùt est v. g. oratio mentalis, actus attritionis, vel contritionis, fidei, spei &c. Nam, quòd actus internus, quatenus ille ad *moralem* substantiam actûs externi ejusque valorem requiritur, sub præceptum legis positivæ humanæ cadat, patet in pluribus, v. g. in attentione ad breviarium præceptâ: in intentione pro sacramentorum administratione, vel receptione; in jurejurando, in consensu ad contractus non fictè sed seriò celebrandos &c. quatenus ipsa recta gubernatio exigit, ut dum actus externi præcipiuntur directè, indirectè quoque & per consequentiam actus internus, qui ad externum humano modo & moraliter exercendum necessarius est, præcipi valeat. Quod etiam ad Judicem vel Superiorem sæcularem pertinere, intelligendum: nunquid enim Judex, quando juramentum judiciale pro dirimenda lite & procuranda justitia alicui litigantium defert, indirectè injungere poßit, ut jurans animo serio & cum intentione jurandi, juret? His præsuppositis,

106. Conclusio constanter meâque sententia est, S. Pontifici non posse denegari potestatem præcipiendi vel prohibendi actus etiam *purè* internos: quam quidem sententiam in *Tract. de S. Pontifice* largius deduxi: uti etiam in *Tract. Theologico-Canonico de Primatu Finis ultimi.* Probavi eam primò ex potestate Generali Petro data *Math.* 16. per verba: *quodcunque* solveris in terris, vel ligaveris, erit quoque solutum vel ligatum in Cœlis: ubi nota ly *quodcunque*, quo syncategoremate universalitas denotatur: ergo, cùm non fiat restrictio ad actus externos vel mixtos ex interno & externo, qua auctoritate liceat nobis ex summâ ac pleniſſimâ illâ potestate excludere actus merè internos? Confirm. S. Pontifex Christi præest fidelibus, ut ad Beatitudinem supernaturalem: omni meliori modo dirigantur. Ergo habet potestatem, curandi ac vigilandi, ut non tantum rectè vivant in ordine ad socialitatem, communitatem, & proximum, per rectitudinem actuum exteriùs sensibilium, sed etiam, ut se rectè habeant etiam in ordine ad DEUM, & erga seipsum. Atqui ut homo se rectè habeat *ad DEUM*, & *erga seipsum*, hoc obtinetur non per solos actus externos, vel mixtos; sed maximè etiam per varios actus internos. Ergo concedendum est, quòd S. Pontifex etiam polleat potestate ad præcipiendos actus internos. Deinde dicant Adversarii cur S. Pontifex, qui potest integrum breviarium orationis externæ omnibus beneficiatis injungere pro penso quotidiano, non valeat sacerdoti, qui usum linguæ amisit, aliquot Pater & Ave Maria mentalia quotidie ruminanda imponere? Dicant, cur actum pium mentalem, quamvis ex se *insensibilem* poßit indulgen-

indulgentiis remunerari & non actum malum v. gr. hæreseos merè internum similiter aliquâ censurâ. *Latæ* sententiæ, seu in *forma legis*, punire, quamvis, ob defectum probationis in talem actum non possit per pœnam sententiæ primùm ferendæ, & in forma seu figura judicii, animadvertere? Certè potest actum *occultum* v. g. hæresis censurâ perstringere præfigendo per legem excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrendam, quamvis illum actum ob defectum accusatoris aut testium nequeat in judicium vocare & in figura judicii judicare: cur ergo idem non possit quoad actum merè internum? Falsum quoque est suppositum Adversariorum, quòd potestas S. Pontificis in actum internum non possit exerceri *sensibiliter*, & modo humano: promulgatio siquidem legis, qua præciperetur vel prohiberetur actus merè internus, cur non esset sensu præceptibilis, non video. Refero me ad meos allegatos Tractatus. Sed contra

107. Arguunt primò ex D. Th. 1. 2. q. 91. a. 4. in C. ubi dicit, quòd de his homo possit legem ferre, de quibus potest judicare, Judicium autem hominis de interioribus motibus esse non potest, qui latent, sed solùm de exterioribus. Ergo &c. Resp. primò à D. Th. in cit. art. 4. præsentem quæstionem non tractari, sed illam: Utrùm fuerit necessarium, *esse aliquam legem æternam:* & S. D. mox subjicit: *Et tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utrisque actibus homo rectus existat. Et ideò lex humana non potuit cohibere & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit quòd ad hoc superveniret lex Divina.*

108. Resp. secundò S. D. ibi vel loqui de sola lege humana civili, vel de lege humana *coactiva*, quæ obligat coactione externa. Hoc colligitur ex illis dictionibus, *cobibere sufficienter*, quasi dicat S. D. legis æternæ necessitatem ex eo inferri, quod leges humanæ actus internos vitiosos non possint cohibere & sufficienter ordinare ad *perfectionem virtutis*, ex defectu scilicet potentiæ ad infligendam pœnam aliquam positivam. Censuit itaque, necessariam fuisse legem Divinam, cujus legislator possit comminari pœnam, eamque exequi in violatores legis, ordinantis actus internos ad perfectionem virtutis.

Quòd autem D. Th. distinctionem inter legem *coactivam* & *directivam*, agnoverit, constat ex 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. ubi Princeps dicitur esse solutus à lege quantùm ad vim coactivam legis: sed quantum ad vim directivam *legis Princeps subditur legi.*

109. Arguunt secundò. Ipsi SS. Pontifices potestatem in actus internos sibi denegant, uti patet ex *cap.* 34. *De Simonia*, ubi Pontifex dicit: *quia nobis datum est de manifestis tantummodò judicare &c.* & in *cap. præced.* 33. *quod Ecclesia non judicet de occultis.*

110. Resp. primò. Per excessum hinc probari, quòd neque actus externi occulti, qualis est v. g. actio ab hæretico remotis arbitris, in secreto exercita, neque actus internus ut connexus cum externo posset sub legem cadere. Resp. secundò Ecclesiam de occultis non judicare posse per sententiam ab homine primùm ferendam, & pœnam positivam vel corporalem, seu sensibilem in forma & figura veri judicii infligendam: posse tamen de occultis & internis judicare per sententiam in lege jam prævié latam, & in forma constitutionis, & per pœnam privativam spiritualem, seu insensibilem qualis est excommunicatio latæ sententiæ. Fatetur ipse Suarez licèt alioquin contrariam sententiam foveat, ex præcitatis texx. parùm evinci. Quærit enim de quo judicio sit sermo? An de judicio quod profertur ab homine per sententiam, aut quod proferri potest ab ipso legislatore per legem, quando videlicet lex ipsa per se ipsam punit delictum, ferendo v. g. excommunicationem, ipso facto *incurrendam*, quæ propterea vocatur *latæ sententiæ;* quia lex ipsa sententiam fert. Si priori modo intelligatur, reponit, multa posse prohiberi per legem Ecclesiasticam, quæ non possunt per sententiam hominis condemnari, uti sunt omnia ita occulta, ut probari non possint: quia ut homo judicet & puniat, indiget testibûs & probatione facti; ut autem lex judicet, & puniat, non semper hoc est necessarium, sed sufficit conscientia delinquentis, veluti patet in hæretico exteriori occulto, qui statim fit excommunicatus, & in conscientia tenetur abstinere. Reliquis objectionibus occurro in cit. Tractatibus.

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

### *De effectu: An quælibet Lex Humana obliget in Conscientia? Et: An detur puré pœnalis?*

111. COnclusio prima: abstrahendo nunc à lege purè *pœnali*, dico, quòd omnis justa, vera, ac propriè dicta lex, præceptiva vel prohibitiva, obliget in conscientia ad sui observantiam. Ita communis & constat ex variis scripturæ locis, præcipuè ex illo Apost. Pauli ad *Roman.* 13. quo omnes jubemur nostris superioribus *obedire, etiam propter conscientiam.* Difficultas restat, an dari possint leges purè pœnales, quæ nullo modo obligent ad ponendum vel omittendum actum, sed ad solam pœnam sustinendam, sive ante, sive post Judicis sententiam?

112. Conclusio secunda: Dabilis est lex purè pœnalis, quæ non obliget in conscientia determinatè ad ponendum, vel omittendum actum sed ad solam pœnam, quandò ista exigitur. Ita Suar. *de LL. lib.* 5. *c.* 4. &

cum

cum eo multi alii. Ratio ſolida eſt, quòd in materia indifferenti legislatoris à poteſtate & voluntate dependeat, quomodo obligare velit & intendat: eaque voluntas & intentio ex verborum conceptione veroſimiliter colligi valeat. Ergo cum aliquando utatur verbis verè præceptivis, vel prohibitivis, aliquando ſola pœnæ comminatione: rectè infertur, poſſe dari legem purè pœnalem, quæ transgreſſorem ad ſolam pœnam ſubeundam in conſcientia ſtringat, nullatenus verò ad actum ponendum vel omittendum. Exempla ſint: Legislator dicit: *Mandamus, ut quilibet ſubditus frumentum ſuum ſuperfluum in civitatem transportet, ibique venale exponat:* Vel: *prohibemus, ne ullus frumentum ſuum extra territorium evehat:* Vel ſic: *nulli ſuum frumentum extra territorium evehere liceat; quicunque id fecerit, tot vel tot thaleris punietur:* omnes hæ leges circa actum ponendum, vel omittendum verſantur, & quoad hoc ſtringunt in conſcientia; adeóque nulla earum eſt purè pœnalis, ſed prima formula eſt purè præceptiva: Secunda eſt purè prohibitiva: Tertia eſt mixta ex prohibitiva pœnali. Fac econtra, verba legis hoc vel ſimili modo ſonare: *Quicunque poſtbàc frumentum extra territorium evexiſſe deprehenſus fuerit, pœnam* 10. *Thalerorum ſolvet:* Vel: *quicunque venatum in ſylvam exierit*, 10. *Florenos in pœnam dabit:* nulla hîc apparet prohibitio, ſed pura pœnæ comminatio: Ergo, qui has poſteriores formulas frumentum evehendo, vel venatum eundo exceſſerit, nullum conſcientiæ reatum incurrit, ſed ad ſolvendam pœnam obligatus erit, ſi deprehenſus per ſententiam Judicis ad illam ſolvendam condemnatus fuerit.

113. Dices primò: Pœna ſupponit culpam. Sed ubi eſt culpa, lex obligat in conſcientia cum ordine ad actum. Ergo ubi lex præfigit pœnam, hoc ipſo obligat ſub culpa per ordinem ad actum. R. Diſt. Maj. pœna ſupponit culpam vel *moralem*, & *Theologicam*, vel culpam *Civilem*, *juridicam*, ſeu *politicam*, Conc. Maj. ſemper determinatè *moralem* & *Theologicam*, N. Maj. Diſt. min. ubi eſt culpa moralis ſeu Theologica, ibi lex obligat in conſcientia, Conc. min. ubi eſt culpa ſolùm juridica, civilis ſeu politica, nego min. & conſeq. culpa primo modo accepta eſt deviatio à regulis morum, adeóque eſt peccatum, & inducit reatum conſcientiæ, ſi actus prohibitus ponatur: poſteriori modo ſpectata eſt ſolùm deviatio à regulis bonæ politiæ: ut verò legislator ſubditos ad ſe conformandos regulis bonæ politiæ compellat, poterit equidem actum ſub culpa morali & obligatione conſcientiæ prohibere (de quo non eſt quæſtio) attamen nullam videmus rationem, quòd illo modo prohibere teneatur, maximè, quòd inter Chriſtianos pro bono animarum non ita expedire videatur, ut peccatorum laquei multiplicentur, & DEUS Optim. Maxim. toties offendatur; quandoquidem legislatores, etiam ſolius pœnæ intentatæ metu incuſſo, perſæpe finem ſuum aſſequi poſſunt, & transgreſſiones coërcere.

114. Dices ſecundò: Id venit in obligationem, quod legislator in bonum Reipubl. intendit per legem. Sed id, quod ſic intendit, eſt omiſſio actûs prohibiti v. g. ne frumentum, extra territorium evehatur; non verò ſolutio pœnæ. Ergo id, quod venit in obligationem, non eſt ſolutio pœnæ, ſed omiſſio actûs prohibiti. Ergo non datur lex purè pœnalis, quæ in conſcientia obliget ad ſolum actum. Reſp. Diſt. Mai. ſicut antea: Id venit in obligationem, quod legislator intendit per legem &c. venit in obligationem vel ſub incurſione culpæ politicæ, juridicæ, ſeu civilis, vel ſub incurſione culpæ *moralis* & *Theologicæ*, Conc. Maj. ſemper ſub incurſione culpæ Theologicæ & moralis, ſic Neg. Maj. Transmiſſ. min. (quæ negari poteſt quoad ſecundum membrum, quòd nempe in lege pœnali nullatenus intendatur ſolutio pœnæ) Diſt. Conſ. ergo id, quod venit in obligationem, eſt omiſſio actûs, ſic tamen, ut ea quandóque in obligationem veniat ſolùm ſub culpa juridica, politica ſeu civili, conc. conſeq. ſemper ſub culpa morali, ſeu Theologica, N. conſequens, & conſequentiam. Idem erit, ſi breviter dicas, mentem Legislatoris ſubinde ex verbis colligi, quòd quidem omiſſionem actûs intendat, at non ſub obligatione culpæ veræ, ſed ſub comminatione pœnæ: ipſa verò pœna ſolvenda ſit ab eo, qui transgreſſor inventus fuerit, poſt ſententiam aut jam latam in lege, aut transgreſſionis declaratoriam, aut primùm ferendam, prout verborum tenor interpretationem ſuaſerit ſeu exegerit. Sic quædam Regulæ Religioſorum Ordinum præſcribi poſſùnt, quarum transgreſſio non prohibeatur ſub reatu culpæ veræ & Theologicæ, ſed ſolùm ſub obligatione ad ſuſtinendam pœnæ correptionem.

115. Rectè autem notat Suar. d. cap. 4. quòd lex nequeat reputari pro purè pœnali, quando pœna legis intrinſecè ſupponit culpam, uti eſt pœna excommunicationis, etiamſi enim termini videantur eſſe ſolùm pœnales, ùt ſi dicatur: *quiſcunque hoc vel iſtud fecerit, ſit excommunicatus;* attamen mens ſuperioris ſufficienter tunc colligitur, quòd actum primariò prohibere intendat. Idem eſſe docet laudatus Suar. d. loc. n. 10. in legibus pœnam graviſſimam præſeferentibus, etſi ea corporalis ſit, v. g. pœna mortis, mutilationis &c. aut cùm lex verſatur circa materiam moralem, & regulandos bonos mores, vel ad procurandam pacem, vel ad vitandum magnum incommodum: in hiſce enim & ſimilibus caſibus, etſi verba legis videantur eſſe purè pœnalia, mens tamen legislatoris etiam conſcientiam ſtringere velle cenſetur, ut actus prohibitus omittatur, aut præceptus ponatur.

116. Ex dictis attendere oportet, an leges, quibus adjectæ ſunt aliquæ pœnæ, contineant verba talia, quæ pœnam ſignificent

ipso facto vel jure incurrendam, vel quæ significent pœnam primùm incurrendam post Judicis sententiam: sive, ùt loquuntur, an pœnæ sint *latæ sententiæ, vel ferendæ duntaxat.* Latæ sententiæ pœna significatur potissimum per verba præsentis temporis, v. g. *excommunicamus, privamus, inhabilitamus:* sit *ipso facto & jure excommunicatus, privatus, suspensus* &c. quibus formulis non Judex, sed ipsa lex executorem agit. Sententiæ ferendæ pœnam denotant verba futuri temoris, v. g. *excommunicetur, suspendatur, puniatur:* Vel: *sub pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, confiscationis bonorum.* Ubi pœna est solùm ferendæ sententiæ, facilè omnes conveniunt, eam à transgressore non incurri antequam Judex sententiam ferat, incurri autem seu committi, ubi ea est latæ sententiæ. Est tamen ulterius distinguendum, utrùm pœna latæ sententiæ sit *positiva*, temporalis, aut talis, in cujus executione opus est factô hominis, qualis pœna est v. g. *confiscatio* bonorum in hæreticos lata in *cap. cùm secundùm* 19. *de hæretic. in* 6. ipso jure & factô sancita: tunc reus ad pœnam subeundam seu exequendam non obligatur in conscientia, antequàm præcesserit sententia criminis commissi declaratoria, v. g. quòd aliquis errorem hæreticum pertinaciter defenderit, aut in alios disseminaverit &c. Nimìs enim durum est, ut reus sui ipsius accusator, Judex, & executor esse debeat. Quòdsi pœna latæ sententiæ non sit temporalis & *positiva*, nec ad sui executionem exigat factum hominis, sed sit spiritualis, ac *negativa*, qualis est præcipuè pœna excommunicationis latæ sententiæ, vi cujus Ecclesia transgressori contumaci subtrahit communionem & participationem suffragiorum favorumque spiritualium inter fideles aliàs communium; illo casu transgressor pœnam in lege latam incurrit ante omnem sententiam Judicis declaratoriam, arg. *cap. non dubium* 5. *de sentent. Excomm.* Neque hìc militat ratio prior: quia tunc aliquis non debet agere Judicem vel executorem sui ipsius: cùm tam sententia, quàm executio fiat ab ipsa lege modo velut insensibili.

## QUÆSTIO DECIMA NONA.

### *Quando obliget vel non. Lex fundata in præsumptione?*

117. Conclusio. Dicendum primò: quando lex fundatur in præsumptione *juris*, ita, ut ad aliquid statuendum moveatur propter periculum commune, ordinariumque, ejus obligatio non cessat etiamsi illa præsumptio, circumstantia, seu conjectura periculi in particulari casu & persona cesset. Explicatur: Lex irritans matrimonia clandestina, & exigens præsentiam Parochi ac testium, obligare actumque irritare non desinit, etiamsi v. g. Petrus & Petronilla tantæ sint fidei & pietatis, ut nullum videatur subesse morale periculum, quòd una pars, se cum altera contraxisse Matrimonium, sit negatura, & ad alias nuptias decursura: quia lex Tridentini Concilii, illam Parochi & testium præsentiam præscribendo, propter experientiam tot casuum commune periculum præ oculis habuit. Et eodem modo discurrendum est de aliis legibus, præsertim actum expresśè irritantibus, ut sunt illæ, quæ irritant testamenta impuberum, Professiones Religiosorum ante annum 16. completum, contractus pupillorum, vel minorennium, sine assistentia tutoris vel curatoris celebratos, alienationes rerum Ecclesiasticarum insolenniter factas &c.

118. Dicendum secundò: Quando lex non fundatur in periculo generali, & *juris*, sed in præsumptione *facti* alicujus particularis, ea non obligat in conscientia, quando hujusmodi *facti* circumstantia reverà à parte rei non datur. Et huc spectat illa juris regula, *cessante ratione legis, cessat lex* desumpta ex *cap.* 60. *de Appellat.* Dilucidatur. Ex. gr. Petrus sub spe accipiendæ pecuniæ à Paulo, emiśsô suô Chirographô, fatetur, se accepisse centum florenos, quos tamen reverà non accepit. Si Petrus intra biennium suum Chirographum è manibus Pauli non repetat, ab eodem in judicio conventus tenetur id solvere, quod in scriptura propriâ confessus est. Ita statuit *l.* 14. *Cod. de Non. Num. pecun.* Quia tamen prædicta lex fundatur in præsumptione *facti* certi & particularis, id est, in numeratione pecuniæ facta à Paule, ideo in foro conscientiæ Petrus ad solutionem non tenetur; sed potest uti occulta compensatione, ad consequendum id, quod, in foro externo Judicis sententiæ obtemperando, solvere compulsus fuerat.

## QUÆSTIO VIGESIMA.

### *Quid sit dispensatio? Et: Quis possit dispensare in Lege positiva Humana?*

De mutabilitate Legis naturalis, & dispensatione in Jure Divino positivo actum fuit in 3. quæst. usque ad sextam: Nunc de Lege positiva Humana agendum.

119. Conclusio prima: Dispensatio latissimè sumpta nihil est aliud, quàm justa distributio rei communis in singulos, juxta cujusque necessitatem ac dignitatem: at dispensatio legalis, ac prout hìc sumitur, est relaxatio juris communis in aliquo casu speciali, in gratiam unius vel plurium, vel etiam alicujus particularis communitatis publicâ aucto-

auctoritate facta, manente vigore juris communis ex parte materiæ.

120. Conclusio secunda. Potestas dispensandi in lege communi residet penes Legislatorem, & ejus successorem; item Legislatoris, si quem habet, superiorem. Ita communis. Hinc rectè notant doctores ad *tit. de Constit. n.* 31. S. Pontificem dispensare posse in toto Jure Canonico, imò & in legibus per Apostolos ipsos conditis: cùm quilibet legitimè electus Pontifex pari cum Apostolis resplendeat potestate, utpote S. Petro in munere Pastorali succedens: quódque insuper in his, quæ in Conciliis Generalibus & œcumenicis (extra materiam *fidei* & declarationem *juris divini*) statuta & approbata fuerunt, S. Pontifex dispensare valeat, vel ex ipsis verbis S. Trid. Concil. *Sess.* 25. *de Ref. cap.* 21. clarescit: ubi sic concludit: *Postremò S. Synodus omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina &c. in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper Auctoritas Sedis Apostol.* & sit, & esse, *intelligatur.*

121. Conclusio tertia. Tametsi inferior nequeat dispensare in lege superioris *cap.* 16. *de Maj. & Obed.* Dantur nihilominùs casus excepti, pro varietate circumstantiarum; sic potest inferior dispensare in lege superioris, quando aliqua materia frequenter occurrere solet, uti est materia jejunii & festorum: vel quando est periculum in mora, aut aliunde difficilis recursus ad Superiorem, & materia dispensatione indigens non est una ex causis majoribus, vel singulariter reservatis: vel quando casus est dubius, an dispensatione egeat: vel quando ista potestas dispensandi est fundata in aliquo privilegio, aut consuetudine legitimè præscripta &c.

122. Conclusio quarta. Ut dispensatio legitimè fiat, requiritur prævia discussio justæ causæ, nempe necessitatis, utilitatis, vel pietatis. Advertit verò Pirrhus Corradus in *Praxi dispensat. Apost. lib.* 1. *c.* 1. *à n.* 11. particulares causas equidem quàmplures esse, ex quibus S. Pontifex dispensare solet in sua Lege Ecclesiastica; secundùm tamen praxin notoriam esse sequentes. Prima causa est *personæ*, scil. ob ejus merita, *c. innotuit. in fin. de Eccles.* singulariter si sint personæ sublimes & litteratæ *cap. de multa. de Præbend.* Secunda *loci:* sic dicitur in *cap. ad audientiam. de Eccles. ædif.* propter distantiam loci in alterius Parochiali districtu novam Ecclesiam ædificari posse. Tertia *temporis;* sic in *cap. cùm quidam. caus.* 25. *q.* 3. fit mentio, quòd cum Anglis noviter ad fidem conversis dispensatum fuerit, ut Matrimonium cum personis in quarto gradu consanguinitatis sibi conjunctis inire potuerint. Quarta est causa *ætatis*, *cap. pœnitentes. dist.* 50. Quinta causa est *scandalum. cap. cùm teneamur. de Præb.* Sexta est majus bonum, *cap. quod scripsi caus.* 35. *q.* 3. Septima est Religio. sic in *cap. ipsa pietas. caus.* 23. *q.* 4. dispensatur cum hæreticis, ut faciliùs Cath. fidem amplectantur. Octava est *eventus rei*, quatenus faciliùs dispensatur in rebus jam factis, quàm in faciendis: *cap. discernimus dist.* 28. Nona est discretio, per cap. nisi S. personæ de renunciat.

Quamvis ex communiori sententia dispensatio absque justa causa à Legislatore supremo concessa sit valida, nihilominus est tum illicita tum invalida, quando sic dispensat inferior. Laym. de LL. tr. 4. n. 11. testificans, ita etiam alios DD. sentire. Utrùm verò ille, cum quo supremus validè quidem, sed citra justam causam, adeóque illicitè, dispensavit, licitè uti valeat sua dispensatione, sanè dubiô non caret. Negat id Cajetanus apud Suarez *de LL. lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 13. Ipse tamen Suar. affirmativam sectatur: eò quòd utens tali dispensatione jam impetratâ, non cooperetur peccato dispensantis, sed solummodo utatur effectu dispensationis, in quo usu nulla apparet malitia, quamvis petendo dispensationem, absque justa causa, fortasse peccatum commissum fuerit.

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

### *Quid sit consuetudo, & quomodo per eam leges aboleantur?*

123. Conclusio secunda: Dico primo: Consuetudo ingenere est jus moribus & tacito summæ potestatis consensu introductum. Mores populi debent esse actus diuturni, uniformes, frequentati, non interrupti, & cum consensu majoris partis de populo nec non cum animo introducendi consuetudinem exerciti: quibus requisitis concurrentibus, consuetudo saltem in *facto esse* dicitur rationabilis, & tacito summi Principis vel alterius summæ potestatis consensu tanquam causâ Principali confirmata, sive dein sit *præter* legem, ut si novus dies jejunii introducatur; sive sit *contra* legem, ut si dies jejunii Lege Universali præceptus, tandem per diuturnos actus contrarios abrogetur. Sed hac de materia prolixus sum in meo *lib.* 1. *Decretal.* impresso & Salisburgi publicè disputato, ad *tit. de Consuetudine.* Ubi specialiter etiam discutitur famosa quæstio, an consuetudo per actus formaliter malos introduci valeat contra Legem præexistentem.

In jure Canonico ad *cit. tit. de consuetud.* singulariter notabilis est tex. *in cap. ult.* ubi Gregor. IX. sic loquitur: *Cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs animam detineat alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri* (*cujus*

*(cujus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine (quæ dicenda est veriùs in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. Licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel Juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.* Quibus finalibus verbis innuitur, consuetudinem, si suis sit instructa requisitis, censeri consensu Principis Summi in hac lege sive constitutione, sicque consensu legali & generali approbatam.

# QUÆSTIO ULTIMA.

## *Quid sit notandum circa Privilegia?*

Conclusio ultima: Dico primò: Privilegium est lex privata, aliquid speciale concedens. Sumptum pro rescripto gratiæ, est responsum Principis specialem favorem vel gratiam uni, vel pluribus contra jus scripto consignans.

124. Dividitur in Privilegium in Corpore Juris clausum, & in privilegium speciali rescripto vel diplomate concessum. Privilegia in corpore Juris clausa induunt naturam legis communis, cujus ignorantia in Judice non dissimulatur: & hinc gaudens tali Privilegio in Corpore Juris *clausô* non tenetur Judici, contra privilegium ejusmodi quidpiam imperanti, parere: *cap. sanè 5. de Excess. Præl.* Privilegia in Corpore Juris clausa, seu contenta habent Clerici & Religiosi, Ecclesiæ ipsæ, studiosi pupilli, minorennes, milites &c. estque notabile, quòd ista Privilegia sint perpetua, & amplam interpretationem recipiant. Econtra alia Privilegia in Corpore Juris non contenta, cùm sint quid *facti*, nec assumant naturam legis communis, sed particularis duntaxat, ideóque à Judice ignorari possunt, saltem ex reverentia, quæ Judici exhiberi debet, siquis v. g. ejus Jurisdictionem declinare velit, juxta text. in *cap. cùm personæ 7. de Privil. in 6.* & quando est contra Jus Constitutionis, Privilegium est strictæ interpretationis, nec ultra personas expressas extendendum.

125. Dico secundò: Personarum Ecclesiasticarum Privilegia in Corpore Juris clausa præcipuè tria sunt. Primum est Privilegium *fori:* alterum Privilegium *Canonis:* tertium Privilegium seu beneficium *competentiæ.*

126. Per Privilegium *fori* intelligitur exemptio Clericorum à foro & Jurisdictione sæculari, ita, ut non solùm non alium, quàm Judicem Ecclesiasticum agnoscere teneantur, nisi ubi hoc SS. Canones specialiter admittunt, uti in causis feudalibus; verùm etiam ab oneribus, tributis, & præstationibus laicorum immunes existant. Cumque hoc Privilegium decorem & favorem publicum totius ordinis & statûs Ecclesiastici respiciat, personis hujusmodi dictæ prærogativæ renunciare minimè licèt. Tex. expressus in *cap. si diligenti. 12. de For. Compet.* ibi: manifestè patet, quòd *non solùm inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia Judicia subeant: cùm non sit beneficium personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui pacto privatorum derogari non potest.* Consonat *cap. significâsti 18. eod. tit.* in quo tit. & ego præcipue in §. 7. velut. etiam in *Tract. de SS. Ecclesiis part. 2. Dissert. 2.* fusè ago

127. Per Privilegium *Canonis* Personæ Ecclesiasticæ ab omni violenta percussione, & injuriosa corporali læsione specialiter defenduntur, percussores econtra Excommunicationis fulmine ipso facto percelluntur juxta famosum Canonem, *si quis suadente 29. Caus. 17. q. 4. Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostol. conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Sunt tamen casus, in quibus percussores Clericorum Excommunicationem non incurrunt: ùt primò, si Clericus ex præcedente delicto amiserit Privilegium *Fori;* tunc enim & Privilegium *Canonis* amittit: Secundò si soliùs correctionis causâ ab instructore, seu Magistro percussus fuerit, *cap. 1. 10. & 24. de sent. Excommun.* Tertiò, quando clericus seditiosus aut alius publicè criminosus à Magistratu sæculari in flagranti capitur eo fine, ut Curiæ Ecclesiasticæ mox tradatur: Quartò, quando percussor in Clericum aggressorem violentas manus injecit ad suî defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc autem moderamen servari censetur, si (ùt loquitur Magnif. P. Franc. Schmier *lib. 3. tr. 1. n. 204.*) servetur inprimis modus, & tanta sit propulsatio injuriæ, quanta ad defensionem est necessaria: neque enim is, ait, cui Clericus impingit unam alapam, potest repercutere, nisi probabiliter timeat, ne altera & tertia sequatur: insuper defensio vel repercussio fieri debet in continenti: quia ex intervallo nequit ampliùs locum habere defensio, ubi jam cessavit invasio. Sed de hoc Privilegio *Canonis*, & percussioni annexa censura excommunicationis in proprio meo *Tract. de censuris* plura cumulantur.

128. Privilegium seu *Beneficium Competentiæ* describitur à Magnif. P. Schmier cit. loc. n. 214. quòd sit prærogativa, qua personæ Eccle-

Ecclesiasticæ, Regulares quoque, debitis oneratæ, nec excommunicari, nec incarcerari, nec ad bonorum cessionem compelli, nec à suis creditoribus in plus conveniri valent, quàm facere possint, salvâ & deductâ congruâ sustentatione. Traditur hoc privilegium in famoso *capit. 3. de Solution.* quod incipit, *Odoardus clericus.* In hunc propter inopiam debita sua solvere non valentem Judex inferior excommunicationis sententiam promulgavit: sed causâ ejus ad S. Pontificem delatâ, hic mandavit, quat. *si constiterit, quòd prædictus Odoardus in totum vel pro parte non possit solvere debita sua*, sententia sine qualibet difficultate relaxetur, recepta prius ab eo *idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.*

129. Sunt autem casus excepti, in quibus hoc privilegium cessat, ùt si clericus rem actoris propriam retineat, & vel *rei vindicatione*, vel actione personali v. gr. *commodati*, conveniatur: vel ex delicto privilegium *Fori* amiserit: vel dolosè in fraudem creditorum versatus fuerit, se divitem jactaverit, bona malitiosè dissipaverit; vel Excommunicationem incurrerit &c.

130. Porrò, si privilegium speciale concedatur alicui sine respectu ad dignitatem, officium, vel rem aliquam, v. gr. Castrum v. g. *tibi Petro concedo facultatem celebrandi in loco interdicto*, privilegium dicitur *personale*, & cum persona privilegiata extinguitur juxta *c. 7. de R. I. in 6.* dicetur autem *reale*, si alicui intuitu rei, dignitatis, vel officii conferatur, ùt si Papa concedat alicui Episcopo privilegium dispensandi universaliter in sua Diœcesi in jejunio quadragesimali, vel dispensandi in impedimento consuaguinitatis etiam notorio, v. gr. dicendo: *Tibi Episcope Augustane concedo hanc facultatem dispensandi*, privilegium illud pro reali habetur, ideoque transit ad Successores in Sede Episcopali argumento *cap. 14. de Officio & pot. Jud. deleg.*

131. Quando concedens privilegium utitur hâc vel simili formâ: *ad beneplacitum meum*, cum morte concedentis privilegium exspirat: secus, si sub ista: *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ:* Sedes enim vel dignitas nunquam cessat vel moritur.

132. Notabile est discrimen inter privilegium *motu proprio*, & inter privilegium ad *supplicationem* partis concessum. Privilegium motu proprio concessum est magis spontaneum ac liberale, provenitque magis ab intrinseco, (& hinc ampliatur, quousque id verborum proprietas patitur) quàm si ad instantiam partis concedatur. Neque instantia partis impedit, quò minùs privilegium motu proprio censeatur collatum, quoties Princeps addit, *motu proprio*, sicque indicat, se non fuisse permotum à precibus sibi porrectis, sed ex benigno & spontaneo impulsu proprio. Sic docet Sac. Palatii Apostol. Auditor Anton. Paulucius in *Jurisprud. Sac. lib. 4. tr. 4. cap. 7. §. 4. n. 2.* Rursus notat, privilegium *motu proprio* concessum nunquam retorqueri in eum, in cujus gratiam est concessum, sicut retorquetur illud, quod datur ad instantiam partis; non enim provenit tunc à privilegiato, sed à concedente; unde non est, cur in ipsum retorqueatur, sicuti est, cùm datur ad instantiam; quia patens tunc est causa privilegii, & meritò in ipsum potest retorqueri, *l. 3. ff. quod quisque juris in alium &c.* præcipuè, si ille ipse sit, qui petiit. Hæc Paulucius.

Restarent plura de interpretatione, duratione, & amissione privilegiorum, quæ tamen apud Moralistas & Canonistas ex instituto explicantur. Clariss. etiam P. Mezger in hac ipsa materia perquàm amplè excurrit. Quæ verò toti huic Tractatui desunt, supplentur tum à jam impressis in meo *Lib. 1. Decret.* tum supplebuntur per futurum auctarium. Pro coronide & commoditate benigni Lectoris adnecto vulgatas cæteroquin Regulas Juris.

## Regulæ Juris Libro Sexto Decretalium Bonifacii Papæ VIII. adjectæ.

133. 1. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonica obtineri.

2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

3. Sine possessione præscriptio non procedit.

4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

5. Peccati venia non datur, nisi correcto.

6. Nemo potest ad impossibile obligari.

7. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

8. Semel malus semper præsumitur esse malus.

9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine gestum non est.

10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

11. Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum potiùs est, quàm actori.

12. In judiciis non est personarum acceptio habenda.

13. Ignorantia facti, non juris, excusat.

14. Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

15. Odia restringi, & favores convenit ampliari.

16. Decet, concessum beneficium à Principe esse mansurum.

17. Indultum à Jure beneficium alicui, non est ei auferendum.

18. Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.

19. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

20. Nullus pluribus defensionibus uti prohibetur.

21. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24. Quod quis mandatô facit Judicis, dolô facere non videtur, cùm habeat parere necesse.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

27. Scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus.

28. Quæ à Jure Communi exorbitant, nequaquam sunt in consequentiam trahenda.

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

30. In obscuris minimum est sequendum.

31. Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.

32. Non licet actori, quod reo licitum non existit.

33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

34. Generi per speciem derogatur.

35. Plus semper in se continet, quod est majus.

36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

39. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

40. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

41. Imputari ei non debet, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

43. Qui tacet, consentire videtur.

44. Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet.

47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

48. Locupletari aliquis non debet cum alterius jactura vel injuria.

49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

50. Actus Legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

51. Semel DEO dicatum, ad usus humanos non est ampliùs transferendum.

52. Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.

53. Cui licet, quod est plus, utique licet, quod est minus.

54. Qui prior est tempore, prior est jure.

55. Qui sentit onus, sentire debet & commodum; & econtra.

56. In re communi potior est conditio prohibentis.

57. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio est facienda.

58. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.

60. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est ei in dispendium retorquendum.

62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione Adversarii confiteri.

64. Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

65. In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.

66. Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset.

67. Quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licet.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

69. In malis promissis, fidem non expedit observari.

70. In alternativis debitoris est electio; & sufficit alterum adimpleri.

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.

73. Factum legitimè, retractari non debet, licèt casus postea evenit, à quo non potuit inchoari.

74. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

75. Frustra quis fidem sibi postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

79. Nemo

79. Nemo plus juris poteſt in alterum transferre, quàm ipſe habere dignoſcatur.

80. In toto partem non eſt dubium contineri.

81. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem non præſumitur habere.

83. Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

84. Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

86. Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.

87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

# Regulæ Juris Canonici extra Sextum.

134. 1. Omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

2. Dubia, quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda ſunt.

3. Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur: ſive: propter ſcandalum vitandum veritas non eſt omittenda.

4. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.

5. Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

6. In ipſo cauſæ initio non eſt à Quæſtionibus inchoandum: ſive: tormentis, indiciis non præcedentibus, inferenda non ſunt.

7. Quidquid in ſacratis DEO rebus, & Epiſcopis injuſtè agitur, pro ſacrilegio reputatur: quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent. Sive: ſacrilegus eſt, offendens rem, vel perſonam Eccleſiaſticam.

8. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit, & ideo jam non facit: ſive: qui facit aliter, quàm debet, facere non dicitur.

9. Defleat peccator; quia offendens in uno, factus eſt omnium reus: id eſt: Committens unum peccatum, reus eſt omnium quoad vitam æternam.

10. Non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit: ſive: Ignorantia non excuſat Prælatum in peccatis ſubditorum.

11. Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.

# Additamenta aliorum Sacrorum Canonum.

135. 1. Lex divina in ſcripturis divinis continetur. *cap. quo jure. diſt.* 8.

2. Leges factæ ſunt, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter probos innocentia, & in ipſis improbis, formidato ſupplicio, refrænetur nocendi facultas, *cap.* 1. *diſt.* 4.

3. Leges dant formam futuris negotiis, *cap. cognoſcentes.* 2. *de Conſtitutionib.* Niſi in eis caveatur etiam de præteritis. Textus: Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit. Quoties verò novum quid ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, ut diſpendiis præterita non commendet: ne detrimentum ante prohibitionem poſſint ignorantes incurrere, quod eos poſtmodum dignum eſt ùt vetitos ſuſtinere. Adde *cap. quoniam. eod. tit.*

4. Legum vigor relaxatur, attenta qualitate perſonæ, & motivo pietatis. *cap. tanta. cap. ſi qui. cauſ.* 1. *qu.* 4.

5. Lex de damnis non repetendis eſt nulla. *cap. in noſtra. de Injur. & damnis dat.*

6. Leges inſtituuntur, cùm promulgantur: firmantur, dum moribus utentium approbantur: Sicut etiam moribus utentium in contrarium, nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt: & hinc lex Clericis impoſita, ut jejunent à Quinquageſima, tali more ſublata eſt, *cap. in iſtis.* 3. *§. leges. diſt.* 4. Et officium legis eſt tum Eccleſiaſticæ, tum ſæcularis, præcipere, prohibere, vel permittere, *cap.* 3. *diſt.* 3.

7. Legis vim & poteſtatem ſervare debemus non tantùm ejus verba, *cap. quanto.* 26. *de Privileg.*

8. Legi non ſubjicitur neceſſitas, *cap. conſilium de obſervat. jejun.*

9. Legis ratione ceſſante, ceſſat Lex, *cap. quod pro remedio. cauſ.* 1. *qu.* 7.

10. Juxta Leges & Jura pronunciat Judex bonus nihilque facit ex arbitrio, *cap. Judicet.* 3. *§. bonus, cauſ.* 13. *qu.* 7. Quæque Legibus definita ſunt mutare non licet, loc. cit.

11. De legibus jam conſtitutis ac firmatis Judex non debet judicare, ſed ſecundùm ipſas. *cap. in iſtis. diſt.* 4. Et Leges Canonicæ diſpenſari non poſſunt, niſi cum magna maturitate, & diſcuſſione cauſæ; aliàs diſpenſatio

ſatio cenſetur irrita. Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 18.

12. Lex non ligat (ſcil. in actu ſecundo) ejus laborantes inculpabili ignorantiâ, *cap. ut animarum.* 2. *de Conſtitut. in* 6.

13. Legem offendens, illius auxilium amittit, *cap. in audientia.* 25. *de ſentent. Excommun. cap. bonæ.* 23. *de Electión. cap. Michaël.* 17. *de uſuris.* Et fruſtra Legis auxilium implorat, qui in legem peccat. *cit. cap. bonæ.* & *cap. ult. de Immunit. Eccleſ.*

14. Legum vim obtinent Canones, *cap.* 1. *de Jurament. Calumn.* Et ubi Jus Legale, ſeu Civile, contradicit Canonico Juri, hoc prævalet. *cap. cùm eſſes.* 10. *de Teſtam.*

15. Leges (Civiles) in ſubſidium Canonum inducuntur, *cap. in audientia.* 25. *de Sentent. Excommun.*

16. Leges (Civiles) non dedignantur Sacros Canones imitari, *cap. Clerici.* 8. *de Judiciis. cap.* 1. *de Nov. Oper. Nunciat.*

17. Leges Imperatorum Evangelicis, Apoſtolicis, & Canonicis Decretis poſtponendæ ſunt, *cap.* 1. *§. non quod. diſt.* 10.

18. Legibus poſterioribus revocantur priores, licèt illarum non fiat mentio, *cap. Paſtoralis. §. quoniam. de Reſcriptis.* Et

19. Lex particularis revocatur per univerſalem, *loc. cit. de Reſcript.*

20. Conditor Legis, licèt ſit ſolutus Legibus, tamen honeſtum eſt, ut præ cæteris ſecundùm leges quas ſtatuit, vivat, *cap. confidimus. cap. ideo. cauſ.* 25. *qu.* 1. ſi nempe materia legis ipſum quoque condeceat.

21. Præcepta DEI non ſunt impoſſibilia ſervatu, Concil. Senonen. c. 17. Concil. Mogunt. 4. cap. 9. cum divino auxilio, Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 11. & Can. 18. Innocentius X. *Conſtitutione*, quæ incipit: *Cùm occaſione*, data ult. Maji 1653. & Alexand. VII. *Conſtitut.* quæ incipit: *Ad Sanctam*, datâ die 16. Octob. 1656.

22. Præcepta DEI ſunt magis poſſibilia renatis poſt Baptismum, & juſtis, & eò magis, quò majorem habent gratiam, Concil. Mogunt. 4. c. 9. Trident. Seſſ. 6. can. 18.

23. Decretales, ſeu Decreta Sedis Apoſtolicæ omnes obligant, *cap. generali. cap. Amputato.* & *cap. Inſtitutiones, cauſ.* 25. *qu.* 1. Generali (ait Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ) Decretô conſtituimus, ut execrandum anathema ſit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei, ſemper apud DEUM reus exiſtat, quicunque Regum, ſeu Epiſcoporum, vel potentûm deinceps, Romanorum Pontificum decretorum cenſuram in quocunque crediderit, vel permiſerit violandam.

24. Decreta Romani Pontificis, *facta*, vel pro fidei diſciplina, vel pro correctione morum, vel pro correctione ſceleratorum, vel pro interdictione imminentum, aut futurorum malorum, promulgata, ſi quis contempſerit, eſt anathema. vid. *cap. ſi quis dogmata. cauſ.* 25. *qu.* 2. ex Nicolao I. in Concil. *Roman.* 3. *cap. ult.*

25. Decretales Epiſtolæ, habent authoritatem Sedis Apoſtolicæ: ſunt obſervandæ, ac ſi à S. Petro fierent, *cap. Si Romanorum. diſt.* 19. ex Nicolao I. epiſt. 42. Sic omnes Sedis Apoſtolicæ Sanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Divini Petri voce firmatæ ſint, ibid. *cap. ſic omnes.* Item

26. Decretales Epiſtolæ Sedis Apoſtol. inter Scripturas Canonicas numerari poſſunt, propter authoritatem.

# Tractatus XIV.

## De
## Justitia & Jure.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

De natura, objecto, speciebus, & subjecto justitiæ.

QUÆSTIO I.

*Quid sit Justitia? quale ejus objectum, & medium?*

QUÆSTIO II.

*An justitia rectè dividatur in legalem, commutativam, & distributivam?*

QUÆSTIO III.

*An detur in DEO perfecta Justitia commutativa erga hominem?*

QUÆSTIO IV.

*An detur Justitia commutativa hominis erga DEUM?*

## DISSERTATIO II.

De Jure proprietatis.

QUÆSTIO V.

*An detur jus mixtum, quod sit partim reale partim personale?*

QUÆSTIO VI.

*An ad acquirendum Jus proprietatis opus sit acceptatione?*

QUÆSTIO VII.

*An jus in acceptantem transferatur, si donationem primùm post mortem promittentis intellexerit, & acceptaverit?*

QUÆSTIO VIII.

*Quid, & quotuplex sit traditio?*

## DISSERTATIO III.

De principali specie juris in re, scilicet de dominio proprietatis.

QUÆSTIO IX.

*Recténe Dominium definiatur, quòd sit potestas de re immediatè disponendi nomine proprio per actiones lege permissas?*

QUÆSTIO X.

*Sitne possibile dominium duorum ejusdem rei in solidum?*

QUÆSTIO XI.

*An dominium sit separabile ab usu in rebus unico usu consumptibilibus?*

QUÆSTIO XII.

*Sintne Clerici beneficiati Domini redituum etiam superfluorum?*

QUÆ-

QUÆSTIO XIII.

*An beneficiati jure naturali, seu titulo justitiæ superfluos reditus in pauperes, aliósque pios usus erogare teneantur: & contra facientes ad restitutionem obligentur?*

QUÆSTIO XIV.

*An distributiones quotidianæ subsint liberæ dispositioni Clericorum & Canonicorum?*

QUÆSTIO XV.

*An Incapacitas dominii in Religioso proveniat ex natura voti paupertatis? vel aliunde?*

QUÆSTIO XVI.

*An Regularis in Episcopum assumptus fiat capax dominii, præsertim quoad reditus Episcopales?*

QUÆSTIO XVII.

*De Jure & Dominio filiorumfamilias, eorúmque peculio.*

QUÆSTIO XVIII.

*An per Patris professionem ususfructus adventitiorum in Monasterium transeat?*

QUÆSTIO XIX.

*Quale sit Dominium rerum inter Conjuges?*
*Quæsita residua circa pacta & bona Conjugum.*

# DISSERTATIO IV.

## De Dominio sive Jure Jurisdictionis.

QUÆSTIO XX.

*De Jure summæ potestatis in vitam civium.*

QUÆSTIO XXI.

*An Innocens hosti possit aliquando vivus extradi?*

QUÆSTIO XXII.

*An alicui competat Dominium in seipsum: & aliquando licitum sit suicidium?*

QUÆSTIO XXIII.

*Possitne supremus Princeps, aut saltem inferior, innocentem condemnare ad mortem, qui fuit probatus nocens?*

QUÆSTIO XXIV.

*An summæ potestati competat jus in famam subditorum: aut saltem quilibet privatus Dominium famæ habeat?*

QUÆSTIO XXV.

*An, & quomodò summæ potestati competat jus exigendi tributa & vectigalia?*

QUÆSTIO XXVI.

*Utrùm vectigalia & tributa solvenda sint, tametsi per Officiales non exigantur? & quid si putentur injusta?*

QUÆSTIO XXVII.

*Qualiter bona Ecclesiastica, & Clerici sint ab oneribus exempti?*

# DISSERTATIO V.

## De modis acquirendi, & amittendi rerum Dominium.

QUÆSTIO XXVIII.

*Possitne venatio privatis prohiberi? &, an venantes feræ captæ dominium acquirant?*

QUÆSTIO XXIX.

*De inventione gemmarum, mineralium, & thesauri: an & quomodò sit modus acquirendi dominium?*

QUÆSTIO XXX.

*Sitne Inventio rerum derelictarum modus acquirendi dominium?*

QUÆSTIO XXXI.

*Qualiter dominium acquiratur per accessionem naturalem, vel artificialem?*

# DISSERTATIO VI.

## De residuis speciebus Juris in re: possessione, servitute, & pignore.

QUÆSTIO XXXII.

*Quid & quotuplex sit possessio?*

QUÆSTIO XXXIII.

*Quid & quotuplex sit servitus?*

QUÆSTIO XXXIV.

*Quid & quotuplex sit pignus?*

# PROLOQUIUM.

POst Virtutes Theologicas, inter Morales eminent notissimæ illæ quatuor Cardinales, seu principales, scil. Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Justitia, quibus tanquam præcipuis actiones nostræ humanæ diriguntur, & velut quibusdam Cardinibus volvuntur, firmantúrque. *Prudentia* (quæ est habitus, quo voluntas intellectum movet, ut honestatem cujuslibet objecti vel illius turpitudinem in casu dubio investiget, vel de ea maturè judicet) dividitur in monasticam, seu particularem, quæ bonum eam habentis spectat, modúmque singulis in agendo præscribit, tam ùt sunt personæ privatæ, quàm ùt sunt membra communitatis; & in Politicam, Gubernativam, Oeconomicam, seu Legislatricem, quæ bonum commune familiæ, aut communitatis respicit. *Fortitudo* est virtus, seu quædam firmitas animi, inclinans ad superandam quamlibet difficultatem, quæ in virtutum exercitio occurrit, & quidem ex eo motivo, quia est rationi congruum. Fortitudini annectuntur fidentia, id est, Spes boni ardui consequendi, vel mali superandi: secundò Magnanimitas, quâ quis magna aggreditur sive sit aliquid externum sive internum, & parva contemnit quatenus hoc rationi consonum est, scil. in prosequenda honestate, virtutúmque tam consecutione quàm continuatione: tertiò Magnificentia sumpta pro habitu inclinante ad facienda magna opera externa, magnis pecuniis contemptis, ùt decet virum munificentissimum, juxta Arist. *6. Eth. c. 6.* & D.Thom. *2. 2. q. 134. art. 2.* Item quartò Patientia, Longanimitas, Perseverantia seu Constantia. *Temperantia*, tertia virtus ex Cardinalibus, occupatur circa refrænationem voluptatum corporis quoad cibos, potum, & venerem. Quarta demum Virtus Cardinalis est *Justitia*, aliàs secundo loco poni solita. Hanc Justitiæ virtutem Dominicus Soto (in *Procœmio de Justitia & Jure*) vocat fidei nostræ legitimam prolem, spei robur, charitatis pedissequam, cæterarúmque virtutum clarissimum jubar; quam cùm profana, tum cumprimis Divina oracula super æthera extollunt.

Divus Thomas tractationem de Jure & Justitia in *2. 2. à quæst. 57.* usque ad *quæst. 79.* protendit. Si quis Theologis succenseat, quòd hanc sibi provinciam assumant, quæ Jurisperitis accommodatior videri potest: defensoris partes subit laudatus Soto, replicando, Canonica jura ex visceribus Theologiæ prodiisse; Civilia verò ex media morum Philosophia. Theologi ergo est, inquit, Juris Canonici decreta ad normam Evangelicam exigere, Philosophique Civilia ex principiis Philosophiæ examinare. Mihi perfacile erit, à pluribus materiis calamum cohibere, cui in Libris Decretalium eas deducendi liberior campus apertus fuit. Da mihi Domine Sedium tuarum assistricem sapientiam.

DIS-

# DISSERTATIO PRIMA.

## *DE*

## *Natura, Objecto, Speciebus, & Subjecto Justitiæ.*

NOn lubet hic in vestibulo altercari, sitne priùs differendum de jure ceu objecto justitiæ, an verò de ipso habitu justitiæ. Id solùm contendo, nec Divo Thomæ nec aliis Theologis vitio vertendum esse, si præsentem Tractatum ab explicatione juris exordiantur. Nulla siquidem inconvenientia apparet in eo, quòd de potentia vel habitu tractaturus initium ab objecti contemplatione sumat. Nihilominùs methodus intentioni meæ commodior alluceścit, si naturam justitiæ cum generali, brevi, & præliminari objecti eidem correspondentis dispectione ob oculos proponam, ac postmodùm juris species singulatim decurram. Cæterùm Juris nomine in præsenti non intelligitur vel lex, vel sententia Judicis, vel Jurisprudentia: sed *debitum unius morale sive justum passivum*, supponens in altero, erga quem actus quidam justitiæ exercendus est, *jus* seu *justum activum*, cui satisfieri debet, & contraveniri non potest. Atque hoc jus seu *justum* dicitur justum specificè acceptum, ad differentiam *justi* generatim sumpti, quod justum *legitimum* vocari solet, & actiones Legibus conformes ac commensuratas denotat. Prior specifica acceptio, non ista generica posterior, locum hic sibi vendicat.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *Quid sit Justitia? Quale ejus objectum? Et Medium?*

1. REsolutio prima: Justitia accepta pro virtute speciali, est habitus, quo voluntas inclinatur perpetuò & constanter ad jus suum cuique tribuendum. Tradit hanc definitionem quoad substantiam Div. Thomas in 2. 2. *q.* 58. *a.* 1. exponendo ibi definitionem JCti Ulpiani in *l.* 1. *ff. de J. & J.* Dixi: justitia sumpta pro virtute speciali: ne definitio extensa videatur ad justitiam illam generalem, habitus complectentem omnium virtutum, quâ quis justus dicitur, quia omnibus Legibus per operationes suas ad amussim se conformat: quo sensu *Math.* 5. legimus: *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam:* & apud D. Chrysost. *Hom.* 12. *in Math.* justitia nihil aliud est, quàm *omnium mandatorum plena custodia.*

2. Resolutio secunda: Objectum *formale quod* justitiæ est jus seu justum specificè acceptum, putà, operatio exterior vel res, prout secundùm æqualitatem uni ab altero debita. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. *q.* 57. *a.* 1. ubi ex Isidoro adducit, quòd jus dictum sit, quia est justum: atqui justum (subsumit) est objectum justitiæ: dicit enim Philosophus *Eth.* 5. quòd omnes talem habitum volunt dicere justitiam, à quo operativi justorum sunt. Ergo est objectum justitiæ. Et inferiùs in *Corp.* notat, illud in opere nostro appellari justum, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri, putà, recompensatio mercedis debitæ pro servitio impenso. Prætereà *ead. q.* 58. *a.* 10. sic habet: *materia justitiæ est exterior operatio,* secundùm quod ipsa, vel res, cujus usus est, debitam proportionem habet ad aliam personam. Et ideo medium justitiæ consistit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad personam exteriorem. Horum ratio est, tum quia objectum *formale quod* denominamus, quod per se primò ab habitu & actu virtutis intenditur; hoc autem quoad virtutem justitiæ aliud non est, quàm *jus* seu *justum*, id est, actio exterior vel res ab uno alteri ob jus activum debita quà talis, ut secundùm æqualitatem exhibeatur: tum quia justitia ex assignato charactere æqualitatis rei debitæ ab aliis virtutibus secernitur, ipsaque injustitia ex violatione ejusmodi æqualitatis resultans, nil aliud quàm inæqualitatem, pro objecto habet.

3. Ex his facilè infertur primò, rectitudinem sive honestatem æqualitatis servandæ pro objecto formali *quo* aut ratione formali sub qua statuendam esse, actiones verò ùt sunt solutio, restitutio, reparatio, &c. & res illi honestati substantes pro objecto materiali: illam demum personam, cui vi juris activi ex debito præstanda est æqualitas, objectum sive finem *cui* haud incongruè appellari. Infertur secundò, ad virtutem justitiæ, præter debitum in jure activo fundatum, & æqualitatem servandam, requiri alteritatem tum personarum, ut alia sit creditor alia debitor, tum ipsorum jurium; adeoque nemo pro-

propriè erga seipsum justus esse compellatur. Justitiæ ratio (inquit Tull. in 1. *de Offic.*) est, quâ societas hominum inter ipsos, & vitæ communitas continetur. Cæterùm, ut infra videbimus, jus activum vel est reale, vel personale secundùm varietatem suæ originis.

4. Resolutio tertia, & prioribus connexa: Justitiæ medium est medium rei & non præcisè medium rationis. Est communis cum S. D. hic *q.* 58. *a.* 10. Explicatur. Virtutes morales dicuntur consistere in medio inter excessum & defectum. Medium hoc virtutis aliud vocatur *rationis*, aliud *medium rei*. Medium rationis, juxta Card. Cajet. in *cit. a.* 10. in adæquatione conditionum à recta ratione determinabilium consistit, sic, ut ad explorandum, num fuerit servatum medium, vel excessus aut defectus contra virtutem admissus, opus sit consideratione circumstantiarum, & ponderanda ratio diversitatis in subjectis operantibus. Ex. gr. oritur dubitatio, an aliqui temperantiam violârint. Petrus infirmus dimidiam carnis libram comêdit: Paulus itidem robustæ sanitatis. Quod respectu Petri videtur nimium, respectu Pauli potest esse vel medium & æquale, vel etiam nimis parum. Ad rem S. D. *cit. a.* 10. Aliæ virtutes morales (exceptâ scilicet justitiâ) principaliter consistunt circa passiones, quarum rectificatio non attenditur, nisi secundùm comparationem ad ipsum hominem, cujus sunt passiones, secundùm scil. quod irascitur, & concupiscit, prout debet secundùm diversas circumstantias. Et ideo medium talium virtutum non accipitur secundùm proportionem unius ad alterum, sed solùm secundùm comparationem ad ipsum virtuosum. Et propter hoc in ipsis est medium solùm secundùm rationem, quoad nos &c.

5. Medium rei vocatur, quod in rerum æqualitate consistit, putà pretii, & rei venditæ, damni & lucri inter socios; vel in proportionis æqualitate ad proportionem, ut ex. gr. attendatur talis proportio in distributione munerum & Officiorum, qualis datur inter personas, inter quas fit distributio. Istud medium rei observandum est in virtute justitiæ. Contra hactenus dicta

6. Argui potest primò: Omne perpetuum est constans, utpote immutabile: ne ergo superflua in definitione justitiæ censeantur posita, *ly constans* omittendum erit, ipseque Ulpianus propterea carpendus. Secundò: Jus unicuique tribuere, pertinet ad Principem & Judicem. Si ergo de ratione justitiæ sit, jus suum unicuique tribuere, sequeretur, subjectum *quod* justitiæ esse solum Principem, & Judicem. Tertiò: secundùm D. Augustinum *Lib. de Morib. Eccles. cap.* 15. justitia est amor, DEO tantùm serviens: suum igitur unicuique non tribuit. Quartò: si æqualitas esset ratio formalis justitiæ, illa in actibus justitiæ deberet intendi: at hoc non est necesse: exerceo enim actum justitiæ, dummodò alterius juri rigoroso satisfaciam. Confirmatur bifariàm. Primò in depositario, qui, si rem apud se depositam deponenti reddat in eadem specie & individuo, non reddit æquale, sed idem; & tamen justè agit. Deinde in debitore egeno, solvente suo creditori decem, cui quinquaginta debet. Hactenus contra II. priores resolutiones. Quintò arguitur contra ultimam. In aliis virtutibus ideo dicitur esse medium rationis, & non rei, quia diversimodè accipitur per comparationem ad diversas personas, in quantum quod uni est multum, alteri est parum. At hoc in justitia quoque observatur: nónne enim aliam subire debet pœnam sub justitia vindicativa, qui percutit principem, aliam, qui percutit personam privatam? Ideoque & justitia non habet medium rei, sed medium rationis.

7. Ad primum Resp. D. Th. hic *q.* 58. *a.* 1. *ad* 4. *perpetuum* in definitione justitiæ non accipi pro duratione perpetua actûs voluntatis, proinde ly *constans* superfluè non addi: sed sicut per voluntatem perpetuam designatur, quòd aliquis gerat in proposito justitiam perpetuò conservandi, ita etiam per ly *constans* designetur, quòd in hoc proposito firmiter perseveret.

8. Ad secundum Resp. ex *eod. ibid.* ad quintum, à Principe, vel Judice suum cuique reddi per modum imperantis & dirigentis (quia Judex est justum animatum, & Princeps est Custos *justi* secundùm Arist. 5. *Eth.*) à subditis verò suum unicuique reddi per modum executionis.

9. Ad tertium D. Thomas, interpretaturus Augustinum, dicit, quòd sicut in dilectione DEI includitur dilectio proximi, ita etiam in hoc, quòd homo serviat DEO, includatur, quòd suum cuique reddat.

10. Ad quartum Resp. eum, qui alterius jus rigorosum cupit adæquare, reverà æqualitatem intendere saltem implicitè & exercitè. Ad primam instantiam dico, depositarium teneri deponenti ad restitutionem rei depositæ, v. g. catenæ aureæ vi contractûs depositi: si ergo rem deponenti nec ante lapsum temporis conventi restituat, nec ultra tempus eam detineat, servat æqualitatem, & per restitutionem opportunam jus deponentis omnino adæquat. Deinde, qui reddit rem eandem, quam reddere debet, vel maximè æqualitatem observat. Ad secundam instantiam Resp. in allato casu ex parte pauperis actum solutionis exteriorem non esse perfectum, & idcirco nec ab eo poni æqualitatem cum jure creditoris nisi inchoativè talem, & affectivè, cum proposito, perfectam ponendi æqualitatem, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit.

11. Ad ult. Resp. D. Thom. hic *quæst.* 58. *a.* 10. *ad* 3. quòd injuria illata aliam proportionem habeat ad Principem, aliam ad personam privatam: & ideo oporteat aliter adæquare utramque injuriam per vindictam: & hoc pertinere, ait, ad diversitatem rei, &

non

non solùm ad diversitatem rationis. Cæterùm D. Thom. in Resp. ad 1. advertit, quòd medium rei in justitia sit etiam medium rationis, in quantùm justitia quoque, sicuti aliæ virtutes morales, est habitus secundùm rectam rationem electivus.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *An justitia rectè dividatur in Legalem, commutativam, & distributivam?*

12. SOlet justitia primò dividi in generalem, & particularem. Generalis nomine venit *legalis*, extendens se ad omnia, quæ propter bonum communitatis sunt legibus constituta. Potest definiri, quòd sit virtus inclinans constanter & perpetuò membra ad jus seu debitum communitati tribuendum. Particularis alia est commutativa, alia distributiva: ad unam prædictarum speciem reducitur justitia punitoria seu vindicativa. Commutativa inclinat singulas personas, ut singulis jus suum tribuant. Distributiva Principem, vel Magistratum, ut Officia aliàve bona communia, distribui solita, in membra Reipublicæ seu communitatis secundùm cujusque statum, dignitatem, & meritorum proportionem distribuat.

13. Resolutio: Justitia convenienter dividitur in Legalem, seu generalem, in commutativam, & distributivam. S. D. de justitia generali seu legali differens hic *q. 58. art. 5. 6. & 7.* Et de reliquis duabus speciebus in *q. 61. per 3. Articulos.* Ratio trimembris divisionis consistit in triplici diversa habitudine, qua homo in exercitio justitiæ ordinatur ad alterum: consequenter, datur & triplex diversa ratio honestatis in ponenda æqualitate, ac totuplex diversa difficultas mediantibus distinctis habitibus superanda. Nam primò datur ordo partium ad totum, quas inclinat & dirigit legalis: neque enim simpliciter est eadem virtus boni viri, & civis boni: sed virtus boni civis est justitia generalis, per quam aliquis ordinatur ad bonum commune: uti loquitur S. D. ex Arist. *cit. q. 58. a. 6. sed contra.* Secundò datur ordo partium Reipublicæ inter se: hic influit justitia commutativa. Tertiò ordo totius Reipublicæ ad partes, ubi facem præfert justitia distributiva.

Has duas posteriores species justitiæ particularis, commutantis & distribuentis Arist. explicat *Eth. 5. cap. 2. & 2. seqq.* Divisioni præjactæ

14. Obstare videtur I. quòd justitia legalis à Philosopho *Eth. 5.* non admittatur pro particulari virtute intra sphæram justitiæ, sed in omnium virtutum complexione constituatur: nam in *cap. 1.* negat, legalem esse partem virtutis, sed totam esse virtutem ait, id est, collectionem virtutum omnium. Hæc *justitia*, inquit, *non est pars virtutis, sed integra virtus est.* Et quidquid sit de ratione universalitatis, legalis justitia vix differt à pietate erga Rempublicam & obedientia, in quantum ob bonum commune ad observantiam legum inclinat. Accedit, quòd virtus, quâ perficitur operans quoad se, eundem pariter perficiat per ordinem ad communitatem, cujus est pars. Proinde ratione perfectionis hujusmodi consequendæ non restat specialis difficultas superanda per specialem virtutis habitum. Hinc, positô, quòd Petrus floreret omnium virtutum ornamentis, eò ipsò ejus actiones forent legibus consonæ non tantùm respectu proprii suppositi, verùm etiam relatè ad Rempublicam. Secundò: Divisio generis vel totius propriè dicta, fit in partes *subjectivas*, ita, ut species subjectæ genus univocè participent: veluti constat ex divisione animalis in rationale & irrationale. Atqui divisio justitiæ trimembris non fit in species *subjectivas*, genus justitiæ univocè participantes: justitia siquidem requirit sufficientem alteritatem tum personarum, tum jurium: hæc autem nec in Legali, nec in distributiva sufficienter salvatur: nam quemadmodùm pars est aliquid totius, ita quoque jura totius sunt quodammodo jura partium. Ergo &c. Tertiò: Quæ Justitiæ distributivæ tribuuntur ùt propria, etiam commutativæ conveniunt: igitur non sunt virtutes distinctæ conseq. patet. Ant. ostenditur uno modo in distributione bonorum communium, in quorum iniqua divisione distributor peccat mortaliter, & quidem contra justitiam commutativam: quandoquidem ex tacito vel expresso pacto Reipublicæ obstringitur, ut tanquam Præses Communitatis bona communia juxta æqualitatem Geometricam, seu proportionem meritorum, fideliter dispendat in cives. Altero modo ant. ostenditur in casu, quo alicui Communitati, vel Collegio ultima voluntate legantur v. gr. mille pro singulorum membrorum majori merito, ac dignitate distribuendi. Deflectat in dicto casu Superior, vel Præses Communitatis à tramite justitiæ distributivæ, non attendendo ad majoritatem meritorum: quis eum exculpabit à læsione justitiæ commutativæ, & obligatione restitutionis illis faciendæ, qui minus, quàm debuissent, acceperunt? Inde autem resultat violatio proprii & stricti juris, quod commutativa tanquam proprium suum objectum respicit, per consequens justitia distributiva ad objectum commutativæ se extendit. Ergo possunt in unam virtutem coincidere.

15. Ad primum neg. ant. ad tex. Arist. Resp. Theol. Salisb. justitiam legalem esse virtutem totam totalitate seu generalitate causalitatis & imperii, non verò generalitate prædicationis: & ad instantiam de virtute pietatis, quasi à legali non sit diversa, Resp. actus quidem eosdem, materialiter spectatos, posse ab utraque illa virtute procedere;

cedere; at intercedente diversitate formali; in quantum pietas in suis actibus erga patriam vel Rempublicam movetur, quia operans in ea habuit principium essendi, seu nascendi: justitia legalis verò eosdem actus imperat ratione debiti legalis, quo partes ad conservationem totius adstringuntur. Certè Aristot. *d. cap.* 1. de legali memorat, eam esse perfectam & præstantissimam (scil. inter morales) quia una in se omnes virtutes continet, ut neque hesperus neque Lucifer tanta homines admiratione afficiat: comparando ergo legalem cum cæteris virtutibus, supposuit, ipsam à cæteris distingui, tametsi ut virtus integra eas virtualiter contineat scil. ex parte materiæ, reliquarum virtutum actus ad bonum commune dirigendo, sicuti & charitas in ordine supernaturali dicitur virtus integra & non pars virtutis, itidem ratione materiæ: quia reliquarum virtutum operationes, tanquam materiam sibi subordinatam dirigit, ut propter DEUM exerceantur. Vid. Castropal. *de Justit. in gen. disp. un. punct.* 3. ex quo tamen minimè sequitur, charitatem non esse virtutem à cæteris distinctam: ergo nec sequitur quoad virtutem legalem. Demum meminisse oportet, secundùm Arist. non esse simpliciter eandem virtutem boni viri & civis boni, sed civis boni virtutem esse justitiam generalem, qua ad bonum commune ordinatur.

16. Ad secundum Theol. Salisb. tenet, tam legalem, quàm distributivam, esse veram, simpliciter, ac propriè dictam justitiam, adeoque speciem seu partem *subjectivam*, non merè *potentialem*: idque colligit non solùm ex D. Thoma, qui & legalem statim explicationi perfectæ justitiæ subjunxit, & *q.* 61. *art.* 1. unà cum justitia commutativa distributivam inter species & partes subjectivas justitiæ collocavit: sed etiam ex ea ratione, quòd neutri ullum ex requisitis justitiæ strictæ desit. Ubi enim objicietur defectus alteritatis in suppositis, & pendens ex ea alteritas jurium, replicabitur, utramque alteritatem salvari: jurium quidem; unum quippe, quod est penes partem civem, seu privatum possessorem, est jus *bassum* sive inferius; alterum, competens communitati in bona civium, est jus quoddam superius, diciturque altum, vel eminens. Suppositorum quoque alteritas adest perfecta, si non physica, eò quòd partes, seu cives, collectim sumptæ communitatem physicè constituant; saltem adest moralis & per fictionem juris, qua communitas pro persona distincta reputatur, habente jus distinctum à jure partium. Ita tenent multi.

17. Alii ingenuè fatentur, solam commutativam esse strictè dictam justitiam, adeoque non dari hic genus univocum. Moventur non solùm ex eo, quòd sola commutativa perfectam alteritatem respiciat, sed insuper, quòd nulla alia, præter ipsam, jus proprium, & rigorosum pro objecto habeat. Ideo quamvis justitia particularis in commutativam & distributivam ex æquo communiter dividatur, attamen distributiva à rigore & proprietate justitiæ multùm deficere censetur: nihilominùs poterit appellari justitia simpliciter, non tamen strictè, sed communiter accepta. Ad authoritatem D. Thomæ respondet Joan. de Lugo hic *disp.* 1. *s.* 3. *num.* 50. ipsum S. Doctorem aliquam improprietatem in justitia distributiva animadvertisse, quando *cit. quæst.* 61. *art.* 1. *ad* 2. ad objectionem, quòd distributiva non tribuat unicuique, quod suum est, reponit, id, quod est commune, esse quodammodo singulorum: sicque singulos accipere quodammodo, quod suum est. Quo loquendi modo tacitè insinuat, definitionem justitiæ non in omni rigore convenire distributivæ, sed *quodammodo* & secundùm quid. Verba S. Doctoris ita sonant: *Sicut pars & totum quodammodo sunt idem; ita id, quod est totius, quodammodo est partis. Et ita cùm ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit, quod suum est.* Ideo verò distributivam partem subjectivam justitiæ nominare placuit, quia saltem æqualitatem proportionum, & debitum respicit, etsi non jus rigorosum & alicui proprium: ad distinctionem distributivæ à partibus *potestativis*, ùt sunt pietas, religio, & plures hujusmodi *virtutes*, quæ aliqualiter ad justitiam *reduci* possunt, sed in æqualitate deficiunt. Tene, quod lubet: res hæc habet multum de nomine, & parum de utilitate.

18. Ad tertium neg. antec. In primo casu relatè ad ipsam communitatem distributor violat justitiam commutativam; relatè verò ad membra distributivam. In secundo dici potest, solam justitiam commutativam lædi. Neque enim distribuuntur ibi bona ad communitatem quà talem pertinentia, in quibus membra Collegii tantùm habeant jus largiùs sumptum, & meræ condignitatis, & quorum distributor sit verus superior; sed illi mille floreni sunt bona extranea seu ab extrinseco advenientia, ad quæ singuli de Collegio ex dispositione legantis acquisiverunt jus strictum (saltem post acceptationem illius dispositionis) scil. jus activum proprietatis *ad rem* seu personale, ex cujus violatione læditur justitia commutativa, & oritur ex parte lædentis, seu distribuentis, obligatio refundendi illis, quibus juxta majorem meritorum exigentiam minus, quàm oportebat, dispensavit, vel potiùs solvit, si propriè loqui velimus: nam in allato casu distributor collectorem potiùs & merum executorem legati relicti egit, quàm superiorem; nec tam actum distributionis, quàm veræ solutionis erga partes communitatis quà legatarios exercuit. Joan. Lugo *loc. cit. num.* 49. His expeditis,

19. Restat dispiciendum, quænam sint notabiliores differentiæ inter justitiam commutativam & distributivam. Resp. ad commutativæ Officium spectare, ut dirigantur, emendentur vel corrigantur commutationes consi-

consistentes in contractibus, negotiationibus, pactis, & actionibus civilibus: servetur proportio seu æqualitas arithmetica, consistens in adæquatione numeri ad numerum, rei ad rem, dati & accepti &c. Ut reparetur jus rigorosum alicui proprium, quando fuit læsum, & fiat restitutio. Præterea spectatis præsertim legibus Civilibus, ex violatione hujus justitiæ nascitur vel aliqua actio realis, putà rei vindicatio, hæreditatis petitio, &c. vel actio personalis, v. g. condictio furtiva, actio locati conducti, depositi, &c.

20. Econtra justitia distributiva residens in superiore communitatis nec respicit jus aliquod proprietatis, & rigorosum, sed solùm jus quoddam condignitatis & competentiæ in distributione bonorum communium, citra obligationem restitutionis in casu juris læsi, nec versatur circa arithmeticam, sed circa servandam æqualitatem geometricam, quæ dicitur æqualitas proportionum, & ad minimum 4. requirit terminos. Hæc proportionalitas dividitur in continuam & discretam. Continua, inquit noster Card. de Aguirre in sua *Ethic. l. 5. cap. 3.* est æqualitas duarum proportionum, in uno aliquo termino utrique earum communi convenientium. Exemplum suggerit in seq. proportionalitate: sicut se habent octo ad quatuor, ita se habent quatuor ad duo: ubi ambæ proportiones copulantur in uno aliquo termino utrique communi: hoc est in numero quaternario, qui bis reperitur, semel in ordine ad octo, & iterum in ordine ad duo. Discreta proportionalitas est æqualitas duarum proportionum in uno aliquo termino communi non convenientium: patet ex seq. exemplo: sicut se habent sex ad tria, ita decem ad quinque: nullus hic occurrit terminus utrique proportioni communis.

21. Porrò proportionalitas seu geometrica æqualitas debet esse tum personarum, tum rerum, ut justitia distributiva *justum* seu medium suum attingat, sic, ut quemadmodùm persona se habet ad personam, ita res ad rem. Probat deinde laudatus Aguirre ex Aristotele, justum sive jus distribuentis justitiæ esse medium æquale secundùm proportionalitatem seu æqualitatem geometricam *discretam*, & non secundùm *continuam*, seu copulatam termino communi utrique proportioni: affertque exemplum Eustratii, interpretis textûs Aristotelici. Sit Achilles meriti & dignitatis ut duodecim: Ajax verò ùt sex: quæ dicitur proportio dupla. Statuantur res duæ inter utrumque distribuendæ, quarum altera sit pretii ùt octo, altera ut quatuor. In hac hypothesi sicut se habet Achilles dignus ut duodecim ad Ajacem dignum ut sex; ita se habet res pretii ut octo ad rem pretii ut quatuor; quemadmodùm enim inter personas, ita & inter res proportio est dupla. Ergo perinde se habet in ea proportionalitate Achilles ad rem pretii ùt octo, atque Ajax ad rem ut quatuor. Est enim in unoquoque eorum ad rem sivè præmium proportio sesqui altera.

22. Hæc etsi ita sint, meritum tamen & dignitas personarum ex vario capite juxta varios politiæ & Rerumpublicarum mores in considerationem veniunt. Etenim in Statu Democratiæ, in quo plebs regnat, dignitas solùm attenditur penes libertatem, non verò secundùm nobilitatem, sapientiam, aut vitæ probitatem: usque adeò, ut tantum honoris & bonorum communium tribuatur opifici, quantum Themistocli, ùt loquitur Isocrates ad Nicoclem apud Card. Aguirre *cit. cap. 3. num. 6.* Econtra in Statu Oligarchiæ, id est, in quo Principatus penes plures residet, non libertas, aut dignitas, sed sola nobilitas, aut opulentia est dignitatis mensura: imperantes enim pauci veluti factione aut conspiratione quadam, se dividunt à cæteris, & iis se præferunt. In Aristocratia, ubi optimates, seu virtute conspicui ex populo ad regimen designantur, dignitas solùm ex virtute mensuratur.

23. Rogas denique, quid censendum sit de Justitia vindicativa? Resp. I. quando hæc comparatur cum reo, cui ob delictum pœna infligenda erit, clarum est, per vindicationem non exerceri actum justitiæ: quis enim dicat, ex parte delinquentis existere aliquod jus ad pœnam ipsi secundùm æqualitatem irrogandam? Resp. II. Justitiam vindicativam posse reduci tum ad Legalem (quatenus legalis in Principe, vel superiore communitatis dicitur Architectonicè residere) in quantum Judex ex motivo promovendi boni publici in homines facinorosos animadvertere & delicta legaliter punire tenetur: tum etiam ad commutativam: quia Judici, ut hoc faciat, ex tacito vel expresso, quod cum communitate inivit, pacto, obligatio incumbit. Et licet damni vel injuriæ illatio per punitionem delinquentis physicè non reparetur, reparatur tamen moraliter, & juxta communem hominum æstimationem.

# QUÆSTIO TERTIA.

## De Subjecto Justitiæ:

### *An detur in DEO perfecta Justitia commutativa erga hominem?*

24. Subjectum remotum vel *quod* justitiæ esse creaturam rationalem, nemini dubium erit. Quid pro subjecto proximo sit designandum, D. Tho. in *q. 58. art. 4.* paucis decidit, designando voluntatem. Quia *justi*, inquit in *Corp. dicimur*, quòd aliquid *rectè agimus*, *proximum autem principium actûs est vis appetitiva*, *necesse est*, *quòd justitia sit in aliqua*

*aliqua vi appetitiva, sicut in subjecto*, scil. *in appetitu rationali, quæ est ipsa voluntas.* Et in Resp. ad II. dicit, quòd voluntas feratur in suum objectum consequenter ad apprehensionem rationis. Et ideo, quia ratio ordinat in alterum, voluntas potest velle aliquid in ordine ad alterum; quod pertinet ad justitiam. Hîs tanquam certis præintellectîs, pro sententia affirmativa, quòd locum habeat in DEO justitia commutativa erga hominem:

25. Fundamentum primum subministrant sacræ paginæ, quæ justitiam commutativam in DEO non uno loco exprimunt & commemorant. Sic ad *Rom.* 4. *v.* 4. ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Atqui merces, quæ redditur ex debito, redditur ex justitia propriè dicta & commutativa: Ergo DEUS pro meritis nostris reddit mercedem ex justitia commutativa, & propriè dicta.

26. Secundum: Corona, depositum &c. redduntur ex justitia commutativa: at gloria nostris meritis à DEO destinata *2. ad Tim.* 4. *v.* 8. vocatur corona justitiæ: Et 2. *ad Timoth.* 1. appellatur depositum, quæ DEUS Judex nobis reddet in illa die. Ergo &c.

27. Tertium sumitur ex illo *Mathæi* 20. ubi DEUS se gerit retributorem gloriæ sub imagine Patrisfamil. *qui conventione facta cum operariis ex denario diurno mittit eos in vineam suam;* & peractis in ea laboribus jubet cuilibet reddi mercedem suam: hancque unicuique propriam strictèque debitam esse innuit uni operariorum dicendo: *tolle quod tuum est, & vade.* At nunquid reddens alteri ex pacto & conventione inita, quod strictè suum est ac debitum, exercet justitiam commutativam propriè acceptam? Ergo & DEUS gloriam pro meritoriis laboribus retribuendo.

28. Quartum: Verificantur in DEO præcipuæ conditiones justitiæ commutativæ, quando justis mercedem pro laboribus suis reddit. Ergo DEUS actum commutativæ exercet. Ant. ostenditur. Prima & præcipua conditio est æqualitas rei ad rem, vel juris cum re: hanc æqualitatem observat DEUS meritis dando gloriam: esto enim opera justi, quæ facit in statu gratiæ, in consideratione physica & entitativa non sint omnino æqualia gloriæ ut mercedi, sunt tamen æqualia considerata secundùm valorem moralem. In cujus confirmationem revideantur à me scripta in ultimo libello menstruo *de Merito justor.* Altera conditio est, ut fiat commutatio secundùm æqualitatem dati & accepti: commutare enim dicit unum pro alio dare: DEUS autem dat unum pro alio, gloriam pro merito; & ponitur æqualitas dati & accepti: quia homo justus *dat* merita & accipit gloriam. Hinc etiam DEUS observat tertiam conditionem, quæ petit, ut ex acceptatione oriatur debitum & obligatio justitiæ in retribuente ex vi juris comparati ab alio per opera exhibita. Hoc debitum & justitiæ obligationem DEUS non solùm profitetur apud Div. Paul. Apost. supra allegatum, sed etiam colligitur ex discrimine, intercedente inter Dona à DEO data gratuitò, & inter mercedem, quam pro meritis rependit: nonne enim dona sunt gratia? At merces non est gratia, sed datur ex debito justitiæ, radicato in jure acquisito per opera à DEO in pactum deducta.

29. Quintum: Quæcunque virtus, salvo suo conceptu, depurari potest ab omni imperfectione, formaliter in DEO adstrui debet: est enim tunc perfectio simpliciter simplex, quæ dicitur melior ipsa quàm non ipsa, veluti in Tract. de DEO Uno exponitur. At ita comparata est justitia commutativa: ergo &c. min. prob. Imperfectionum una esset *contrapassum*, id est, quòd quilibet commutantium tantum damni patiatur, quantum lucri percipit: altera, quòd justitia humana quandoque fundetur in *mutua* indigentia: tertia, quòd soleat esse inter personas privatas, subjectas, & æquales. Quòd jam possit dari depuratio justitiæ commutativæ à prædictis imperfectionibus, constat ex ejus conceptu specifico, consistente in eo, quòd sit virtus moralis adæquans præstationem strictè debitam cum jure alterius rigoroso activo: qui conceptus sanè necessariò non includit imperfectionem *contra passi*, seu damni mutui: exemplum apparet in contractu innominato *facio, ut facias*, in quo unus alteri præstat obsequia ex justitia commutativa citra illationem alicujus damni reciproci, vel privationem cujusdam juris vel dominii. Quod nec *indigentia* necessariò supponatur, liquet in eo, quando unus alteri donat rem, quâ neuter indiget: aut talis res ab uno venditur alteri: aut res aliena suo domino restituitur, quæ nec restituenti nec domino utilis est. Nec demum inter commutantes requiritur personarum æqualitas, vel unius ad alteram subjectio reciproca: nam potest privatus aliquid vendere Principi, vel ab eo emere, sicque Princeps ad pretium, vel rem tradendam ex justitia obligari privato, subdito, & inferiori, quin subjectionis notam incurrat. Ergo &c. At his non obstantibus, statuitur

30. Resolutio, DEUM non posse creaturæ rationali obligari rigorosè & ex justitia commutativa. Probat. I. Auctoritatibus: Ex. gr. D. Augustini *lib.* 4. *Confess. DEUS reddit debita*, ait, *nulli debens.* Et *Serm.* 6. *de verb. Apost.* dicit, *DEUM nobis debitorem esse factum, non aliquid à nobis accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo.* Aperta autem mens D. Thomæ elucet ex 4. *Sent. dist.* 46. *q.* 1. *a.* 1. *quæstiunc.* 1. Ubi justitia, inquit, commutativa, per quam æqualitas constituitur inter dantem & accipientem, DEO competere non potest secundùm propriam acceptionem: quia beneficia DEI semper excedunt meritum &c.

31. Probat. II. Ratione fundamentali. Si DEUS posset creaturæ rationali obligari strictè & ex obligatione justitiæ commutativæ, talem obligationem contrahere posset ex aliqua promissione, conventione seu pacto

cto cum creatura inito: sed ex hoc capite nequit creaturæ obligari strictè, & ex obligatione justitiæ commutativæ: Ergo &c. Maj. admittunt Adversarii, imò pro sua columna statuunt. min. prob. ut oriretur prædicta obligatio, deberet in creaturam transferri aliquod jus activum, ex cujus non observantia vel non impletione DEUS creaturæ inferret injuriam: at hoc repugnat: ergo & prædicta obligatio justitiæ commutativæ. Maj. continet proprietatem & effectum justitiæ rigorosæ. min. pr. Est contra rationem essentialis, perfectissimi, & infiniti dominii, ut habens tale dominium aliquod jus activum in alterum transferat, ex cujus non observantia seu impletione alteri, putà creaturæ, inferatur injuria: Ergo talis translatio juris repugnat: Atqui dominium supremi DEI est ipsi essentiale perfectissimum, & infinitum: ergo translatio talis juris est contra rationem Dominii DEI: ergo repugnat.

32. Confirmatur I. Dominium perfectissimum DEI, quod habet quà causa universalis, creator & conservator, in omnes res & actiones creatas, est inabdicabile, & invariabile nec ulli potest obnoxium esse vel diminutioni, vel augmento. At hæc non subsisterent, si jus aliquod rigorosum in creaturam transferri posset, quo creatura uti posset adversùs DEUM tanquam verum debitorem: Prob. hæc min. quia eo ipso, quòd rem, vel jus in creaturam ex obligatione per conventionem contracta transferret, dominium DEI foret variabile vel abdicabile circa talem rem, transituram in dominium & dispositionem creaturæ: consequenter & diminutioni subjaceret, non minùs ac augmento: si enim creatura juri adversùs DEUM in aliquam rem vel actionem à DEO ponendam acquisito cederet, dominium Divinum hactenus diminutum pristinæ perfectionis augmentum moraliter reassumeret.

33. Confirmat. II. Perfectissimi Dominii ratio exigit, ut dominus re aliqua sic uti possit, ut quovis modo de illa disponat, nulli fiat injuria, esto ratione promissionis cujusdam factæ de re aliqua concedenda non posset illam rem non dare propter servandam fidelitatem. Ergo licet DEUS aliquid dare aut facere promiserit, ad implementum tamen non ex vinculo quodam debiti rigorosi seu legalis obstringitur, sed solùm ex fidelitate, id est, ex sua intrinseca veracitate, bonitate, ac infallibilitate, ut sit magis debitor sibi, quàm alteri.

34. Confirm. III. Inter DEUM & creaturam rationalem deficit perfecta alteritas jurium ad obligationem rigorosam justitiæ commutativæ requisita: quemadmodùm enim liberum secundum essentialiter dependet à libero primo & universali eique subordinatur: ita pariter dominans secundum subordinatur dominanti primo & universali: eam ob causam inter servum & dominum, uti etiam inter patrem & filium non habet locum justitia rigorosa. Ergo &c.

35. Confir. IV. Sicut in DEO perfectio scientiæ non patitur, ut ea vel quoad unicum objectum possit minui aut per avulsionem à DEO in creaturam transferri, ita nec perfectio Dominii Divini patitur, ut illud quoad unicam rem, actionem, aut dispositionem à DEO avellatur, & in creaturam transferatur. Ergo &c. Quibus consideratis,

36. Ad primum contrar. Fundamentum; uti etiam ad secundum & tertium ex S. Scriptura desumptum, Respond. I. cum Theol. Salisb. *hic art.* 1. esse aliquam justitiam eminentialem in DEO admittendam, depuratam scil. ab omni imperfectione, quæque exprimat non solùm providentissimam legum & communitatum institutionem, sed etiam retributionem æquissimam vel prœmiorum pro meritis, vel suppliciorum pro delictis. Atque in hoc sensu exponendi sunt textus Sacræ Scripturæ, quibus DEI justitia commendatur, mercesque vel corona justitiæ pro laboribus & certaminibus interveniente pacto promittitur. Hinc Resp. ulteriùs, justum dici primò, qui res disponit, prout natura & ratio earundem postulat. Secundò, qui aliquid agit, ad quod non tam obligatur alieno jure, quàm ex sua rectitudine, bonitate, & veritate. Tertiò, qui aliquid agit alieno jure propriè dicto obligatus. Tam primô, quàm secundô modô DEUS est justus: tum, quia ex ordinatione sua Divina convenientiam omnibus rebus tribuit, prout cujusque dignitati congruit: tum, quia ex sua intrinseca rectitudine & veritate, & non ex alterius jure obligatur ad reddendum, quod promisit; & ideo sibi potiùs est debitor, quàm nobis, secundùm illud D. Anselmi in *Proslog. cap.* 10. Justus es (ô DEUS) non quòd reddis debitum sed quia facis, quod te decet valde bonum. Tertiô modo implicat DEUM justum esse, obstante dominio rerum omnium perfectissimo, propter quod in nullam creaturam jus aliquod strictè tale derivari potest, ex cujus læsione injuria creaturæ inferretur: reddit enim, secundùm D. Augustinum, *debita, nulli debens: sique merenti negaret, præjudicium nulli faceret.* D. Bern. *Serm.* 1. *de Annuntiat.* Ex his

37. Ad quart. Resp. neg. ant. & ad primam & secundam conditionem dico, DEUM quidem æqualitatem servare in retribuendo pro nostris operibus, iisque prœmium de condigno reddere, at sine obligatione oriunda ex justitia commutativa, correspondente alicui juri activo, quo homo DEUM pro debitore sibi devinctum habeat. Ad tertiam conditionem noto, inter dona gratuita, & alia, quæ, interveniente promissione, nobis à DEO retribuuntur, id discriminis esse, quòd illa merè liberaliter largiatur, ista verò etiam ex fidelitate. Ex instituto de hoc disserit meus Libellus Menstruus *de Merito Justorum. Thes.* 1. ubi ex 2. *Sent. dist.* 27. *q.* 1. *a.* 3. sequens

sequens Angelici Thomæ interpretatio adducitur: *In redditione prœmii ad merita magis servatur forma distributiva (cùm ipse*, scil. DEUS, *unicuique secundùm opera sua reddat) quàm commutationis: cùm DEUS à nobis nihil accipiat. Quamvis à Sanctis quandoque inveniatur metaphoricè dictum, quòd bonis operibus Regnum Cœlorum emitur, in quantum DEUS accipit opera nostra, ùt acceptans ea.* Attamen DEUS in retributione prœmii ita exercet actum justitiæ distributivæ, ut simul observet quandam similitudinem ac *modum* justitiæ commutativæ, prout explicat idem S. D. in 4. *Sent. dist.* 46. *q.* 1. *a.* 1. *quæstiunc.* 1.

38. Ad quint. repeto, nos ipsos in DEO concedere justitiam eminentialem, depuratam ab omni imperfectione etiam illâ, quæ est in justitia quà commutativa ratione juris rigorosi passivi, cujus capacitatem Dominium DEI infinitum necessariò excludit: adeoque etiam excludit omne *contra passum*, & capacitatem ad quodcunque gravamen, incommodum, vinculum, & subjectionem ad alterum: maximè etiam attendendum est, quòd alteritas jurium deficiat: quidquid sit de eo, utrùm justitiæ commutativæ exercitium semper aliquam indigentiam supponat, nec ne. Exemplum de contractu innominato *facio ut facias*, imperfectionem commutativæ non purgat: si enim creatura ex sua parte factum conventum posuisset, posset prætendere à DEO, ut ipse quoque ex sua parte factum ponendo obligationi suæ strictæ satisfaciat; cùm tamen creatura per obsequia qualiacunque, utpote DEO aliunde ex aliis titulis debita, DEUM nullatenus ad obsequium aliquod reciprocum obstrictum facere queat: quò facit Evangelicum illud *Luc.* 17. *v.* 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Tandem & illud apprimè notandum est, quòd DEUS ad omnia opera bona nobis potentias, vires, & auxilia actualia conferat, ideoque nos nihil boni quasi ex nobis faciamus.

39. Instantia objecta de Principe contractum cum privato vel subdito, ineunte, nihil convincit. Neque enim in Principis potestate situm est, subdito alicui pro libitu suo possessiones suas absque injuria adimere; licèt id possit vi alti dominii, ubi publicæ necessitates hoc flagitant: neque Principis jus, vel dominium quod in rebus quà privatus habet, & de quibus cum privato aliquo contractum init, est quid inabdicabile.

40. Colliges ex dictis, neque justitiam distributivam formalem & perfectam DEO inexistere, aut exerceri erga hominem. Neque enim assignari potest communitas, respectu cujus DEUS sit Præses, eam repræsentans, & obligatus vinculo morali seu legali, ad bona communia, ut decet, cum proportione Geometrica in homines tanquam partes unam cum DEO communitatem constituentes distribuenda, quamquam justitiam distributivam in DEO concedere oporteat secundùm aliquam rationem & modum, *quem* in remuneratione servat quoad proportionem meritorum; sicuti etiam justitiam commutativam in DEO admittere haud inconveniens est secundùm rationem & modum æqualitatis in retributione mercedis, coronæ & gloriæ juxta commensurationem cum dignitate, & valore intrinseco cujuslibet operis meritorii. Cæterùm ex eodem fere fundamento, quo distributivam, legalem quoque justitiam à DEO excludimus, præsertim, quòd penes communitatem, cujus pars aliunde DEUS dici nequit, deberet posse dari jus altum in bona Divina, quod perabsurdè sonat.

41. Vindicativa quoque, in quantum supponit pactum cum communitate de legali animadversione in facinorosos, ita, ut ex condonatione vel diminutione pœnæ à delinquente commeritæ, vel particulari alicui læso, vel toti reipublicæ fieret injuria, DEO formaliter inexistere nequit, propter imperfectionem vinculi & obligationis legalis, quæ in DEUM cadere nequit: spectato verò *modo*, quo DEUS ex libero suo arbitrio non minùs delictis æqualia decernit supplicia, quàm meritis prœmia, æquè justus scelerum vindex, ac meritorum retributor reipsa est, & dici potest. Hæc quæstio per sequentem complebitur.

## QUÆSTIO QUARTA.

### *An detur Justitia commutativa Hominis erga DEUM?*

42. SEntentiam affirmativam suadere videntur sequentia motiva. Primum: ubi dari potest virtus moralis arithmeticè adæquans præstationem debiti cum stricto jure alterius, ibi locum habet justitia commutativa. In homine talis virtus arithmeticè adæquans præstationem debiti dari potest respectu stricti juris DEO competentis. Ergo in homine respectu DEI locum habet justitia commutativa. Maj. est certa, continens conceptum justitiæ commutativæ. Min. prob. ex eo, quòd homo, si non posset arithmeticè adæquare præstationem debiti, quo juri Divino stricto devincitur, obligaretur ad aliquid impossibile.

43. Secundum: Operarius, qui se permittit conduci ad locandas suas operas pro mercede promissas, exercet actum veræ justitiæ: At omnis homo justus, mereri cupiens vitam æternam, se permittit conduci ad locandas operas, seu suscipiendos peculiares labores pro DEO: ergo exercet &c.

44. Tertium: DEO competit jus proprietatis in omnes actiones humanas: quicunque ergo actiones quatenus à DEO prætensas ponit, adæquat jus DEI, consequenter

ter exit in actum justitiæ commutativæ.

45. Quartum: In illius voluntate subjectari potest habitus justitiæ commutativæ exercendæ erga DEUM, qui verè & propriè adversùs DEUM potest esse injustus: qui enim injustus esse potest, is per justitiam vel abstinere valet ab injuria inferenda, vel satisfacere pro injuria illata. At homo verè & propriè in DEUM injustus esse potest: est quippe in potestate hominis, DEO ratione sui summi dominii proprietatis aliquam actionem, aut obsequium particulare exigenti, resistere, & actionem non ponere: Ergo vera est minor.

46. Quintum: Facilè contingere potest, ut aliquis DEO debitum honorem detrahat, DEUM incusando v. g. injustitiæ, crudelitatis, &c. idque populo persuadere: an non talis propriè dictam injustitiam in DEUM committeret, & ad reparationem honoris Divini obligaretur?

47. Sextum: Opera supererogatoria, seu quæ sunt extra præceptum, & merè de consilio, stant sub pleno dominio ac arbitrio hominis: hæc proin DEO sunt indebita. Ergo homo se obligare poterit DEO ex bonis suis propriis, atque indebitis, sicque radicari jus strictum, DEO competiturum versùs hominem, ut vi promissionis ultro factæ tale opus consilii exerceatur.

48. Resolutio: Nequit homo DEO obligari ex justitia commutativa propriè seu strictè sumpta. Prob. Ratione fundamentali. Non potest assignari aliquis actus, quo homo erga DEUM justitiam commutativam exerceat. Ergo vera est assertio. Prob. ant. Duo præcipui actus in considerationem veniunt: unus, quo homo per pactum speciale se obligavit, quòd DEO actionem vel rem præstare velit: alius, quo juri Divino læso satisfaceret. Neuter actus foret commensus & conformis justitiæ commutativæ strictè dictæ. Non primus: nam actionem, vel rem pacto promissam DEO reddere, ac reddendo pactum implere, non dicit aliud, quàm actionem illam, vel rem promissam in DEUM tanquam in finem ultimum referre. Sed hic actus non est commensus seu conformis justitiæ commutativæ; tum quia jus Divinum non adæquat vel exhaurit, eò ipsò, quòd omnes actiones humanæ seu deliberatæ sint aliunde DEO debitæ, atque ex alio titulo generali sint in DEUM (saltem implicitè & mediatè) referendæ, videlicet titulo creationis, causæ primæ, & finis ultimi, ut adeò relatio actionis in DEUM à nobis ex titulo speciali pacti seu voti ordinatæ supremo Juri DEI non commensuretur, nec obligationem hominis ad æqualitatem expleat: tum denique quia secundùm dicta in Quæst. præced. inter DEUM & hominem non datur sufficiens alteritas jurium & independentia.

49. Neque alter actus juri Divino læso satisfactorius est partus genuinus justitiæ commutativæ; partim, quia vacillat suppositum, jus Divinum propriè lædi posse, cùm DEUS nullius sit injuriæ capax, ipsumque jus Divinum sit DEO perfectio intrinseca, & immutabilis, inviolabilis, atque in exercitio suo à nulla potestate impedibilis: partim, quia nulla pura creatura pro injuria DEO illata (sumendo videlicet injuriæ vocabulum in sensu latiori, & pro mera offensa neglectæ observantiæ Supremæ Majestati debitæ) per actum justitiæ rigorosæ satisfacere valet. Offensa enim DEI est in superiori ordine, crescens ex dignitate personæ offensæ, & vilitate personæ offendentis: satisfactio verò est inferioris ordinis, decrescens ex improportione & vilitate personæ offendentis, prout fusiùs explicatur in *Tract. de Incarnatione.*

50. Ad primum motivum contrarium Resp. neg. min. ad cujus probat. falsum est suppositum, quòd DEUS à creatura exigat, vel exigere possit, ut jus Divinum per præstationem alicujus operis arithmeticè adæquet. Ad secund. dico, contractum locationis conductionis inter hominem & DEUM non subsistere: ut enim locator operarum conductorem earundem ad mercedem obstrictum habeat, præsupponi debet, operas conductori non esse aliunde debitas ex alio titulo altiori, quali titulo actiones sive operæ justorum DEO ùt creatori, & Primo principio (ex quo ùt immenso plenitudinis fonte omnis virtus creata, actio & effectus, quasi rivus suum fieri & esse participat) finique rerum omnium ultimo deberi, Christianis dubitare non licet.

51. Hinc tertium motivum contrarium seipsum evertit, & contra Adversarios decertat. Si enim actiones nostræ juri DEI aliunde subsint, quomodò, si eas prætendat, ex nostra voluntate, conventione, promissione, & positione in sensu stricto possunt DEO fieri debitæ? Cæterùm jus DEO in actiones nostras competens forsan minùs propriè potest appellari jus proprietatis: hoc namque est aliqua libera facultas ab illo, qui eam habet, abdicabilis; cùm tamen supremo & universalissimo DEI dominio abdicatio alicujus juris omnino repugnet. Ad quart. Resp. hominem dici injustum erga DEUM solùm quodammodò, scilicet ex parte modi agendi, quatenus peccat contra obedientiam, observantiam, vel religionem, DEO debitam.

52. Ad quint. Resp. Honorem ceu exercitium protestativum de æstimatione, quam habemus de altero, esse honorato aliquid extrinsecum, & in honorante: dominium verò esse in dominante: per actum igitur oppositum inhonorationis vel blasphemiæ DEUS potest à creatura inhonorari, non tamen per detractationem aliquam suo dominio vel jure eminentiali intrinseco, quod immutabile, & inimpedibile est, privari.

53. Ad sext. nego, opera consilii, ceu supererogatoria, qualia sunt v. g. vovere DEO castitatem, certas preces &c. stare sub pleno dominio & simul independenti hominis, quamvis nullo præcepto ad ea facienda

 lige-

ligetur. Dico ergo, esse quidem in cujuslibet pleno arbitrio, ponere vel omittere opera consilii, non tamen esse in arbitrio, ut, si ponantur, in DEUM referantur vel non referantur; cùm jure Dominii & creationis in DEUM referri debeant.

54. Hæc de justitiæ natura, speciebus, & subjecto. Qualis sit justitia Patrem inter & filium, Dominum & servum, uxorem & maritum, meliùs capiemus, ubi de istarum personarum dominio ex dicendis constiterit.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## DE *Jure Proprietatis.*

Visâ justitiâ ejusque speciebus, recto ordine progredimur ad considerandum Jus proprietatis, cujus Synonyma sunt jus activum, jus rigorosum, jus strictè dictum. Appositè definitur, quòd sit facultas libera disponendi, vel habendi alios obligatos ad aliquid agendum aut omittendum in commodum nostrum.

55. Dividitur communiter in jus *reale*, & *personale;* seu meliùs, in jus *in rem*, & in jus *in personam.* Vi prioris juris ipsa res nobis in commodum nostrum fit immediatè subjecta in ordine ad aliquam dispositionem: sic ex. gr. si acquisivi servitutem itineris in tuo fundo, hoc jus reale ita afficit fundum tuum, ut sit mihi subjectus ad liberum transitum: hìc tua persona non obligatur ad aliquid faciendum in meum commodum, sed solùm, ut patiatur aliquid, scilicet transitum meum: vi posterioris non ipsa res, sed persona mihi devincitur immediatè, res verò solùm mediatè, ut si Titius fundum suum mihi vendiderit, ante illius traditionem nascitur in me jus in personam Titii, quatenus eundem obstrictum habeo, ne ex. gr. ulli alteri fundum illum posthac vendat, sed mihi tradat. Species Juris in re quatuor assignari solent: prima est jus dominii tum singularis tum universalis sive hæreditarii: altera est jus possessionis: tertia jus servitutis; quarta jus pignoris. His præmissis, sit

## QUÆSTIO QUINTA.

### *An detur Jus mixtum, quod sit partim reale, partim personale?*

56. Hanc Quæstionem Juristis magis familiarem, ideo movere placuit, ut Tyrones Theologici ex ejus succincta decisione naturam juris realis & personalis eò faciliùs penetrent.

57. Pro parte affirmativa, quam inter alios defendit P. Haunold. è S. J. *loc. infra citando.* & nonnulli alii, videtur militare, quòd dari possint actiones mixtæ ex reali & personali: Ergo etiam jus mixtum ex reali & personali. Conseq. prob. quia tales sunt actiones, qualia sunt jura, ex quibus nascuntur. Explicatur: actio realis, qua immediatè persequimur rem, ideo est & dicitur realis, quia oritur ex aliqua specie juris in re: res quippe omnis, nobis subordinata, vel respicitur ùt nostra, vel ùt aliena. Si ùt *nostra*, tunc vel est *verè* nostra, vel *putativè* tantùm seu *præsumptivè:* Si verè: consurgit dominium; hocque parit actionem realem, quæ vocatur rei vindicatio: si *putativè* seu *præsumptivè* tantùm nostra sit, resultat possessio, quæ etiam parit actionem aliquam realem, v. g. interdictum retinendæ possessionis.

58. Quòd si res nobis obligata sit aliena, tunc vel subjicitur nobis in *utilitatem*, vel tantummodò in securitatem: si in utilitatem, competit nobis jus reale servitutis v. g. in fundo alieno, cum annexa actione reali, quæ appellatur *Confessoria*, quâ servitutem rei nostræ competere contendimus & asserimus: vel actione *negatoria*, quâ prætendimus, *prædium* nostrum à Judice declarari liberum ab omni servitute alteri cuicunque competente. Vel res aliena nobis subjicitur solùm *in securitatem:* & tunc jus reale dicitur jus pignoris seu hypothecarium, paritque actionem realem, quæ vocatur actio hypothecaria, vi cujus creditor pignoratitius rem sibi in pignus datam apud quemlibet possessorem persequi & ab eo repetere valet. Modò monstrati & enumerati sunt fontes omnium actionum realium, videlicet assignatæ quatuor species *juris in re*, quibus nonnemo pro quinta addit æquitatem naturalem. *Jus ad rem* sive personale nullas sub se comprehendit species, sed semper est idem, undecunque acquiratur; Hôc solùm notatô, quòd actio personalis, quæ oritur ex jure personali, sicuti & ipsum jus personale, resultet aut ex contractu vero, vel quasi contractu; aut ex delicto alterius verè tali, vel quasi delicto. Quibus prænotatis, pro jure mixto

59. Militat secundò, quòd petitio hæreditatis, quæ est actio, qua quis petit hæres declarari, & hæreditatem sibi restitui, in *l. 7. Cod. de petit. hæred.* vocetur actio *mixta:* dicitur enim, quòd petitio hæreditatis præscriptione longi temporis non extinguatur, quia mixta *personalis actionis ratio id non permittit.*

60. Militat tertiò secundùm P. Haunold. *Tract. 2. de Jur. & Just. num. 67.* quòd adhuc aliæ

aliæ actiones censeantur mixtæ, nempe fundatæ in tali jure, vi cujus nobis subordinatur res aliqua, & simul persona ad aliquid præstandum. Ex istarum actionum classe putat, esse primò actionem *finium regundorum*, qua agitur de finibus prædiorum rusticorum confinium, ut eorum tollatur confusio, & sic debitè dirigantur ac determinentur: secundò actionem *familiæ hercißcundæ*, quæ datur cohæredibus pro dividendis rebus hæreditariis, & quod alterum alteri præstare oportet. Tertiò actionem de *communi dividundo*, quæ datur inter illos, inter quos res aliqua ex causa legati, vel donationis, vel alia quacunque facta est communis, ut res vel dividatur, vel, quod præstandum est, præstetur. In prædictis tribus actionibus aliquis persequitur, quod suum est, scilicet suos fines sui agri, portionem suam hæreditariam, vel aliam partem rei singularis sibi cum alio communis: quare actiones illæ ex hoc capite reales sunt: & quia moventur contra personas, & quidem ratione quasi contractûs, ex alio capite participant naturam actionum personalium. Itaque actiones sic mixtæ tanquam effectus supponunt jus mixtum ex reali & personali tanquam causam suam. Verùm his statuitur

61. Resolutio contraria, quòd divisio in jus reale & personale sit pura, & nullum detur jus ex utroque mixtum. Ratio fundamentalis consistit in eo, quòd Adversarii istam tertiam speciem juris mixti gratis, & sine alicujus textûs, vel rationis fulcro adstruant. Imò Imperator Justinianus expressè contrarium tenet in §. 1. *Instit. de actionib.* ubi præmissa definitione actionis in genere, quòd sit nihil aliud, quàm *jus persequendi* in *judicio*, quod alicui debetur, statim subjicit: *omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud Judices Arbitrósve de quacunque re quæritur, summa divisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Namque agit unusquisque aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit adversarium ei dare aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen alicui de aliqua re controversiam;* quo casu proditæ sunt actiones in rem, veluti si rem corporalem quisquam Titius *suam* esse affirmet, possessor autem dominum ejus se esse dicat: nam si Titius suam esse intendat, *in rem actio est.* Ex quibus verbis liquidò constat, Justinianum tertiam speciem juris cujusdam mixti nullatenus agnovisse, sed summam divisionem intra duo tantùm membra concentrâsse. Nec obstant, quæ ab Haunoldo & aliis objiciuntur. Nam

62. Ad primum Resp. inspiciendum semper esse fundamentum proximum uniuscujusque actionis: quo inspecto, nulla ex actionibus objectis mixtam naturam habet. Hinc

63. Ad secund. Resp. Petitionem hæreditatis esse actionem purè realem, utpote in jure hæreditario seu dominio universali unicè fundatam. Ideo verò in *cit. l. 7. Cod. de pet. hæred.* vocatur *mixta personalis actio;* quia habet admixtas præstationes personales: quatenus hæres dicta actione non solùm res, quæ in hæreditate comprehendebantur, vindicat; verùm etiam prætendit pretia rerum ab illegitimo possessore hactenus neglectarum, distractarum, vel destructarum, ut persona conventa eorum nomine satisfaciat.

64. Ad tertium Resp. omnes tres actiones ibi relatas esse purè personales, quia fundamentum proximum, ex quo actiones illæ instituuntur, non est jus reale, puta dominii: siquidem hoc nullo modo in controversiam ibi deducitur, sed supponitur: quale ergo erit fundamentum proximum? Quasicontractus: si enim duo vel plures fiant possessores agrorum confinium, vel rem communem sive hæreditariam sive aliam singularem consequantur, de jure se obligare intelliguntur, ut patiantur fines confusos dirigi, & secundùm æquitatem cuivis vicino à Judice adjudicari, itemque rem communem dividi si in communione, utpote litium matre, stare ulteriùs non expediat. De actione finium regundorum, quòd sit personalis, adeoque immediatè ex jure ad rem descendat, id apertè asseritur in *l. 1. ff. fin. regundor.* illis verbis: finium regundorum actio *in personam est, licet pro rei vindicatione est:* sive (licet ex mente JCti) prædicta actio quoad dominii adjudicationem rei vindicationem imitetur. De actione famil. herciscundæ, & communi dividundo, quòd oriantur ex quasi contractu, non minùs clarè traditur in *§. item 3. & seq. Instit. de obligat. quæ quasi ex contr. nasc.* Ergo omnes prædictæ actiones sunt personales: petitio autem hæreditatis est actio purè realis ex dictis, & per tex. luculentum in *l. 10. §. 1. ff. de pet. hæred.* ubi dicitur, quòd præstationes habeat personales, licet in *rem sit actio.* Ex quo infertur, non dari quadrigam actionum mixtarum. His addo: non rectè te argumentari: hac actione rem nostram persequimur seu petimus: ergo est realis: nam etiam ex. gr. actione commodati vel depositi rem nostram petimus, & tamen, quia ex contractu nascuntur, & in illo me fundo, sunt purissimè personales.

# QUÆSTIO SEXTA.

## *An ad acquirendum Jus proprietatis opus sit acceptatione?*

65. Videtur, quòd non. Primò: quia in *cap. qualiter. 3. de Pact.* Pontifex dicit, studiosè agendum *esse, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Supponit proinde S. Pontifex, ad acquirendum jus proprietatis ad rem sufficere, quòd tu mihi aliquid promiseris, licet à me non fuerit positivè acceptatum. Secundò: quia juxta text. in *cap. 17. de Præbend. in 6.* absenti & ignoranti jus ad beneficium acquiritur, illi nempe, cui Episcopus se conferre professus est. Ignorans autem jus sibi oblatum, quamdiu durat ignorantia, acceptare nequit. Planè collatio beneficii, antequàm à beneficiando sit acceptata vel repudiata, à collatore non potest revocari; & si defacto revocetur, alterique beneficium conferatur, secunda collatio de jure est invalida. *d. cap. 17.* Tertiò: quia pollicitatio (quæ nihil est aliud, quàm solius offerentis promissio) facta ob Reipublicæ honorem, producit obligationem ante ullam acceptationem, *l. 1. §. 1. ff. de Pollicit.* Quartò: quia in promissionibus acceptatis obligatio suboriri censetur non ex virtute acceptationis, sed ex ipsa gratuita promissione: quandoquidem nulla tunc requiritur compensatio vel reciproca obligatio. Quintò: solius offerentis promissio posset juramentò firmari: ergo saltem tunc promissario acquireretur jus proprietatis personale: juramentum quippe toties servandum est, quoties non vergit in detrimentum animæ, aut in præjudicium tertii, nec adversatur bonis moribus, secundùm texx. vulgatos ad *tit. de Jurejur.* Attamen statuitur

66. Resolutio negativa, quòd regulariter Jus proprietatis ex alterius promissione ante acceptationem non acquiratur. Vel enim jure positivo acquireretur, vel stando juri naturali? Non illo: nam contrarium liquet ex *l. absenti. 10. ff. de Donat.* ubi, qui nescit, rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi *non acceperit, donatæ rei dominus non fit.* Neque hoc jure: enim verò jure naturali tunc consurgit obligatio, adeoque acquiritur jus activum ex parte unius, & ex parte alterius jus passivum, quando per mutuam ac moralem voluntatum unionem unus alteri vult se obligare, & alter obligantem se vult habere pro obligato: id autem fieri nequit, antequàm acceptatio subsecuta fuit. Quin imò promissio ex voluntate promittentis censetur (in prudentûm quoque æstimatione) continere tacitam conditionem: *si acceptetur*, non minùs, quàm in contractibus utrinque onerosis promissio vel oblatio onerosa primi promittentis intelligitur complecti tacitam conditionem, si etiam altera pars *vicissim se sit obligatura.*

67. Ad primum contrar. Resp. cum P. Engel ad *tit. de Pact. n. 3.* text. Jur. Canonic. intelligendum esse de promissione completa, & acceptata: ita enim dici solet, verba legum esse cum effectu sumenda, *l. 1. §. hæc autem verba. ff. quod quisque juris &c.*

68. Ad secund. Resp. in collatione beneficii, jus ante acceptationem tribuente recessum à communibus juris regulis esse prorsus singularem: fortè ideo, quia talis collatio non est propriè donatio: cùm collator non tam dominus beneficii existat, quàm dispensator. Neque collatio est actus nudæ & puræ liberalitatis, cujus naturæ est donatio, sed ex Officii necessitate procedit: unde collatio semel facta retractationi non subjacet; quia collator censetur suô functus esse officiô, & aliunde variatio in beneficiis reputatur noxia potiùs quàm utilis, adeoque eam magis prohibitam, quàm concessam esse, expedit. Faciliùs etiam admittemus, collationem beneficii sapere naturam pollicitationis, quæ si facta sit Reipublicæ vel Ecclesiæ, etsi non fuerit positivè acceptata, manet irrevocabilis. Hinc

69. Ad tertium fateor, ex speciali sanctione Juris Civilis in *cit. l. 1. & 6. ff. de Pollic.* introductum esse, ut pollicitatio facta ab aliquo Reipublicæ vel Civitati ex aliqua causa, putà, ad reparationem incendii, aut ruinæ, vel ex gratitudine ob honorem sibi decretum &c. pollicitantem statim irrevocabiliter stringat: Et quia apud JCtos orthodoxos à favoribus & privilegiis Civitati vel Reipublicæ concessis argumentum deducitur ad Ecclesias, pauperes, aliasque pias causas (prout colligitur ex *l. 19.* & *l. 23. Cod. de SS. Ecclesiis*, & ego fusiùs monstravi in *Tract. de SS. Eccles. part. 3. à dissert. 1.*) ideo pollicitatio ob DEI honorem, vel salutem animæ facta Ecclesiæ aut alteri piæ causæ, absque aliqua acceptatione pariter statim obligat: quia principaliter censetur DEO fieri, qui rem sic promissam, dummodò bona sit, adinstar voti mox acceptare creditur. Engel *loc. cit. num. 4.*

70. Ad quart. Resp. equidem ex ipsis promissionibus obligationem nasci, & jus in alterum transferri, at non nisi in volentem, & sub tacitè intellecta conditione acceptationis.

71. Ad quint. Resp. neque ratione juramenti adjecti promissionem reddi irrevocabilem, sed cùm juramentum sequatur naturam primordialem actûs, cui adjicitur, *l. fin. Cod. de N. N. Pec.* hinc quia ipse actus promissionis secundùm se & seclusô juramentô, revocari potest ante acceptationem, propterea, quia sub conditione imbibita, si alter acceptaverit, sese obligare voluit, juramentum appositum (cùm non induat rationem voti, quoniam in gratiam hominis principaliter fit, & ita nequit comparatione DEI obligatio-

ligationem inducere, nisi homo acceptet) similiter eandem tacitam conditionem imbibit. Castropal. *de Justit. Commut. disput.* 2. *punct.* 2. *n.* 6.

72. Instat aliquis, utrùm ergo ad jus proprietatis acquirendum ex sola taciturnitate promissarii præsentis acceptatio præsumatur? Negant multi, propter regulam 44. *Jur. in* 6. ubi *qui tacet nec fatetur, nec negare videtur.* Veriùs alii sentiunt, acceptationem & consensum præsumi, si ille, cui aliquid promittis, sit præsens, & taceat, nulloque signo se invitum ostendat. Nituntur regulâ 43. *Jur. in* 6. *Qui tacet, consentire videtur;* quæ cùm non procedat in actibus onerosis, gravamen, obligationem vel præjudicium inferentibus, intelligenda venit, quando de præsentis & tacentis puro favore seu commodo agitur. Quare regula anterior explicanda erit de negotiis onerosis. Consultum tamen omnino est, ut cui non placet respuere, expressis signis vel verbis promissionem acceptet.

73. Quòdsi promissarius vel donatarius absens sit, adsit autem persona vel ex jure vel ex speciali commissione potestatem habens, absentis nomine oblata acceptandi, absque dubio acceptatio valebit, & acquisitionem principali absenti operabitur. Quidsi tertius, mandatô destitutus, promissionem vel donationem promissario aut donatario intimaret, & iste acceptaret? Acceptatio talis nullum jus in acceptantem transferret: quia, ut rectè advertit Palaus *loc. cit. punct.* 4. *n.* 1. referens ille non foret medium vel instrumentum à promittente vel donante assumptum ad unionem moralem voluntatis suæ cum voluntate promissarii vel donatarii.

74. Quodnam ergo medium erit idoneum, ut acceptatio possit esse efficax ad consequendum jus proprietatis? Necesse est, ut promittens aut donans promissionem donatario aut promissario notificet vel per nuncium, vel per epistolam. Quando notificatio facta fuit per nuntium, acceptatio, ut aliquid operetur, præstari debet coram ipso, nec sufficit facta coram aliis. Less. hic *lib.* 2. *c.* 18. *dub.* 6. *n.* 43. Laym. *lib.* 3. *Summæ sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. quia ejusmodi acceptatio habet se quasi responsum, quo duæ voluntates colligantur, & exinde promittens firmiter obligatur, consequenter ipsi immediatè, vel mediante suo nuncio reddendum erit. Ex eadem ratione, si donans promissionem alteri per epistolam insinuârit, debet acceptans acceptationem donanti denuo per litteras (aut nuntium) intimare, ut censeatur offerenti respondere, & voluntatem suam coadunare; proinde acceptatio coram aliis præcisè manifestata inefficax foret & inidonea.

# QUÆSTIO SEPTIMA.

## *An jus in acceptantem transferatur, si donationem primùm post mortem promittentis intellexerit, & acceptaverit?*

75. Affirmativæ Sententiæ suffragatur primò *l. nec ambigi.* 6. *Cod. de Donat.* ubi simpliciter asseritur, donationes inter absentes validas esse; nec requiritur, ut absens rem promissam ante mortem promittentis acceptârit. Secundò suffragatur ratio: quòd promissio vel donatio ex parte promittentis jam fuerit perfecta semel, nec ampliùs revocata, uti supponitur: poterit ergo etiam post mortem promittentis acceptari: nec infertur aliquod præjudicium hæredibus: cùm neque defuncto aliquod fuisset irrogatum, quando, eo adhuc vivente, promissio fuisset acceptata. Suffragatur tertiò, quòd voluntas defuncti potuerit committi nuntio, vel litteris, & hac ratione promissario intimari: quidnî ergo in hisce mediis & instrumentis etiam post mortem promittentis & intimantis durare? Quartò, quòd gratia morte concedentis non exspiret, per *cap. si super.* 9. *de Offic. deleg. in* 6. quod maximè tenendum, si gratia ante mortem gratiam exhibentis jam sit *facta*, & non mere *facienda*, velut comprobat Palaus *tract.* 3. *de Legib. disp.* 4. *punct.* 16. *§.* 5. sicuti gratia, id est, donatio in præsenti à promittente jam ante mortem erat facta. Quintò accedit exemplum ex *l. si ego.* 9. *§.* 1. *ff. de Jur. Dot.* in quo text. refertur casus, quòd, si rem alicui tradidero, ut *secutis nuptiis, dotis efficiatur*, & ante nuptias decessero, dominium illius rei, in dotem à me destinatæ, nihilominus in maritum si hæres eam præstare noluerit, ipso jure transferatur. Cur hoc? nónne ideo, quia voluntas dotem dantis erat actus liberalitatis jam, dum adhuc viveret, perfectus? Pari igitur modo discurrendum erit, si tibi absenti promisi, quòd velim tibi v. gr. fundum meum vendere, locare, vel in feudum dare, promissio, mediante acceptatione, post mortem meam hæredem, ad promissionem adimplendam, obstringere poterit. Verùm, his non obstantibus, eligitur

76. Resolutio negativa: & Pr. ex *l. si cùm filiusfam.* 2. *§.* 6. *ff. de Donat.* ubi si quis, donaturus mihi, pecuniam dederat alicui, ut ad me perferret, *& antea mortuus est, quàm ad me perferatur*, pecunia in dominium meum transire apertè negatur. Idem docet Brunnem. ad *cit. l.* de casu, quo nuntius in via moreretur. Et ratio est ex dictis repetenda, quòd nimirum pro tempore, quo jus in acceptantem deferri intelligitur, voluntas promittentis debeat suum influxum moralem continuare, & manere conjunctio consensûs unius cum altero; iste autem influxus cesset, & interrumpatur per mortem promittentis, adeoque pro tempore, quo jus in acceptantem deferri oporteret. Regulariter (ut docet noster P. Engel ad *tit. de Pact. num.* 5.) circa

circa actus inter vivos, qui in conservari à voluntatis continuatione dependent, per mortem interrumpitur voluntas, per *cap. si gratiosè 5. de Rescript. in 6. & l. 4. ff. locati.* Nec obstant fundamenta opposita. Nam

77. Ad prim. Resp. in *cit. l. 6.* nihil favoris pro Sententia affirmativa (etsi suis Patronis non sit destituta, & sua probabilitate non careat) latitare: quando enim dicit, donationes inter absentes esse validas, loquitur de perfectis & completis per acceptationem, tempore opportuno & habili subsecutam. Hinc patet solutio quoque

78. Ad secundum: negamus siquidem, promissionem esse completam per solam voluntatem promittentis seu donantis: cùm omnis promissio regulariter censeatur esse *respectiva*, vimque suam & obligationem non producat, nisi alterius partis acceptatio tanquam forma, vel tacitè subintellecta conditio, in tempore debito accedat. Quare etiam negandum est, hæredi, si res promissa ab ipso petatur, non irrogari præjudicium: quandoquidem aliquid præstare cogeretur, ad quod nec ipse se obligavit, nec promissio defuncti se extendit. Diversa ratio est in promittente: si enim, eo adhuc vivente, acceptatio accessisset, acceptans promittentem vi juris activi, in se legaliter translati, pro debitore nactus fuisset.

79. Ad tertium Resp. causam instrumentalem non tantùm in *physicis*, sed etiam in *moralibus* pendere ab elevatione influxuque causæ principalis: mortuo igitur promittente, qui se habuit ùt causa principalis, interit & deficit vis uniendi voluntatem promittentis cum voluntate promissionem tam serò acceptantis. Instantiam cape in mandato. Si quis Titio mandatum dedisset, ut suo tanquam principalis nomine Cajo hoc vel illud donaret, deinde moreretur, voluntas mandantis per mortem abrumperetur, mandatumque in Titio exspiraret, si usque ad mortem mandantis executio mandati fuerit suspensa, sicque res manserit integra, per *l. siquidem 8. Cod. de Obligat. l. mandatum 15. Cod. Mandati.*

80. Præthereà si voluntas mandantis post hujus mortem adhuc ab altera parte potest ratihaberi, sequeretur ex. gr. hoc absurdum, quòd Titius qui Cajo mandatum dedit, ut tanquam procurator Titii nomine Matrimonium ineat cum Berta absenti, vinculum matrimoniale posset contrahere post mortem ratione consensûs in mandatario perdurantis, si Berta tunc promissionem Matrimonii acceptaret.

81. Ad quart. Resp. P. Engel *loc. cit.* quòd *cap. si super gratia. de offic. del. in 6.* debeat accipi de privilegio seu gratia *Principis*, quæ non transit propriè in *naturam pacti* vel contractûs.

82. Si instes, quòd hæres repræsentet personam defuncti, atque adeò factum vel promissum defuncti præstare teneatur: Resp. laudatus Auctor, hæredem dicto modo obligari regulariter, positô, quòd actus & obligationes in vita defuncti perfectionem & complementum suum acceperint.

83. Ad quint. Resp. ipse Ulpian. in *cit. l. si ego. §. 1.* favore dotium in adducto exemplo dominium dotis ad maritum transire: intrabit ergo axioma juris, quòd exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. *l. qui testamenta. 20. §. mulier. 6. ff. qui testam. fac. pos.* & quòd introducta à jure ob favorem alicujus non sint in consequentiam trahenda. *cap. 74. de R. J. in 6.* Plura ad hanc materiam pertinentia ex *tract. de Pact. & Contract.* sunt supplenda.

## QUÆSTIO OCTAVA.

### *Quid & quotuplex sit Traditio?*

84. ASsertio prima: Traditio requiritur in rebus, quæ alicujus sunt, occupatio verò in rebus, quæ nullius sunt. Potest definiri traditio, quòd sit actus, quo possessio, vel etiam dominium ab eo, qui potestatem transferendi habet, in alterum acceptantem transfertur.

85. Assertio secunda: Traditio dividitur in *veram*, quando res mobilis de manu ad manum traditur, aut aliquis in rem immobilem, v. gr. in fundum per realem introductionem immittitur: & in *fictam*, quæ consistit in actu ex dispositione juris vim traditionis vel apprehensionis continente. Estque hæc *ficta* traditio triplex: una *Brevis manûs*, & contingit, si res penes aliquem anteà ex titulo ad transferendum dominium vel possessionem inhabili existens v. g. ex titulo depositi, deinceps ex alia causa vel titulo, v. g. empti, tradita fingatur, ad amputandas ambages, ùt si aliqua res apud depositarium existens eidem posteà vendatur, & relinquatur. Altera dicitur *longæ manus*, cùm vel res mobilis in conspectu meo ponitur, vel immobilis illi, qui in possessionem mittendus est, à longè ostenditur. Tertia vocatur *Symbolica*: quando res non in seipsa, sed in aliquo symbolo vel signo traditur, v. g. per porrectionem clavium, annuli, instrumenti, &c. Quemadmodùm autem solæ res corporales, seu sub sensum exteriorem cadentes, uti sunt fundus, vestis, pecuniæ, &c. verè possideri possunt, non item res incorporales, hoc est, sub sensum exteriorem non cadentes, sed solo intellectu perceptibiles, quales sunt *jura*, obligationes, hæreditates, vincula moralia obligationum &c. ita res incorporales & solummodò quasi-possideri, & per quasi-traditionem acquiri, & aliquando per consequentiam in traditionem veniunt ratione connexionis cum re corporali, ut Jurisdictio adhærens territorio, vel Castro.

86. As-

86. Assertio tertia: In acquirendis juribus *affirmativis*, quale est v. g. servitus itineris, vi cujus alter tenetur pati, ut per suum fundum eam ad meum, usus unius, & patientia alterius quasi-traditionem constituunt: *Usus* nempe seu exercitium habet vim apprehensionis, *patientia* vim traditionis: At in juribus vel servitutibus *negativis* vicem traditionis habet unius prohibitio, & alterius acquiescentia: vel, ut alii dicunt, omissio actûs, nobis jure aliàs competentis, quando fit ad alterius petitionem vel stipulationem: ex. gr. ædes meas quà Dominus altiùs tollere volui, sicuti jure potui: tu propter liberiorem aërem conservandum ædium tuarum vicinarum mecum convenisti, ne altiùs tollam, vel altiùs tollere volentem prohibuisti: ego acquievi, nec sustuli: omissio actûs vicem traditionis habet, vi cujus tu jus in re acquiris, scil. servitutem negativam in ædibus meis, ne posthàc altiùs à me tolli possint, constitutam.

87. Assertio quarta: Jus proprietatis *ad rem*, ut acquiratur, nullam requirit traditionem: resultat enim ex obligatione oriunda ex pacto, contractu, vel delicto regulariter.

88. Assertio quinta: Jus proprietatis in re, regulariter, ut acquiratur, requirit traditionem, veram vel quasi. Certum id est in jure reali possessionis acquirendæ, licet cum aliqua differentia inter res corporales, quarum possessio sine animi & corporis adminiculo, apprehendi nequit, & inter incorporales, de quibus primùm dictum est. De jure reali Dominii extat text. in *l.* 20. *Cod. de Transact.* quòd in sui acquisitione traditionem exposcat: ubi tamen excipienda sunt primò hæreditas, & legatum speciei: nam horum dominium in hæredem, & legatarium transit ipso jure, prout statuitur in *l. si ager.* 50. §. 1. *ff. de R. V. l. hæres.* 37. *ff. de A. vel omitt. hæred. l. legatum* 80. *ff. de legat.* 2. *l. à Titio* 64. *ff. de furt.* Item secundò excipiendæ sunt Ecclesiæ, & domus religiosæ, in quas dominia rerum, ipsis vel ultima voluntate, vel actu inter vivos relictorum, transeunt, antequàm tradantur. *l. ut inter.* 23. *§.* 1. *Cod. de SS. Eccles.* P. Engel *de Priv. Monast. Priv.* 25. Et notabile est, quòd dominium quoque, quòd nobis competit in ipsis juribus activis nostris & personalibus, non requirat aliquam traditionem, sed statim suâpte naturâ resultet, postquàm in nobis jus activum, & in altero obligatio passiva exorta fuit: tunc enim statim de ejusmodi juribus liberè disponere possumus. De acquisitione juris realis in servitutibus per quasi traditionem paulò antè meminimus. Quoad jus reale pignoris, nobis in aliena re constituti, in majorem securitatem creditorum Jus Civile singulariter statuit, ut jus illud reale pignoris, non verò dominii, in creditorem nuda conventione, & citra aliam traditionem transferatur. Hæc generatim de Jure Proprietatis sufficiant.

# DISSERTATIO TERTIA.

## *DE*

## *Principali specie Juris in Re, scilicet de Dominio Proprietatis.*

QUatuor species juris *in re* supra fuerunt assignatæ; inter quas præcellit Dominium, cujus fusiorem discussionem suscipere magnum operæ pretium erit.

## QUÆSTIO NONA.

### *Rectène Dominium definiatur, quòd sit potestas de re immediatè disponendi nomine proprio per actiones lege permissas?*

89. RAtio dubitandi in contrarium nascitur ex ingenti contentione Theologorum & JCtorum, quorum quilibet sua definitione cæteris palmam præripere conatur. Cur enim non præferatur illa Bartoli in *l. si quis vi. §.* 4. *ff. de A. vel A. Poss.* Dominium est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Vel secundò illa Wesenbecii, dominium esse, quo res nostra est: aut Lessii: Dominium est jus in re, extendens se ad omnem usum ejus seu dispositionem, nisi lege prohibeatur. Vel tertiò illa Gletlii: Dominium est potestas, de re nomine proprio immediatè disponendi, per actiones lege permissas, non impedibilis ab aliis. Illustrissimus Reding. *b. tract. de domin. controv.* 1. *concl.* 1. præmissa divisione in dominium *Jurisdictionis*, & in dominium *proprietatis*, Dominium *Jurisdictionis* definit, quòd sit potestas gubernandi subditos, hoc est, præcipiendi, prohibendi, judicandi, puniendi, prœmiandi, &c. proprio nomine: Dominium proprietatis: quòd sit potestas disponendi de re tanquam *sua* in suum commodum. Antequàm conclusio statuatur, expedit communiter receptas divisiones dominii præmittere.

90. Dividitur primò in dominium *plenum* & minùs *plenum*. Plenum non pauci Civilistæ vocant, quando nemo alius, præter unum, facultatem & jus stabile disponendi de re habet: minùs plenum, quando non est perfectum ex eo, quia non unus solus, sed alius quoque, illa disponendi facultate gaudet.

det. Verùm præplacet descriptio Magnif. D. P. Pettschacher *de Jur. in commun. q.* 2. *art.* 1. *num.* 2. (quem etiam sequitur Magnif. P. Schmier p. m. *Jurisprud. Can. Civ. lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 28.) dominium plenum esse, quod ad omnem usum & dispositionem rei in dominio existentis extenditur: minùs plenum, quod non ad omnem usum & dispositionem extensum est, quale admitti solet in Clericis respectu fructuum beneficialium, ùt infra dicetur. Fortassis non abs re dominium plenum vocaveris, quando non est merè directum, uti in feudi Dominio directo, vel emphyteuseos, vel solùm utile, qualiter est in vasallo, & emphyteuta, sed utrumque dominium consolidatum reperitur. Ex his patet jam secunda divisio dominii minùs pleni seu imperfecti, in *directum*, & *utile*. Habens *directum*, potest disponere de nuda rei proprietate: habens *utile* de sola utilitate.

91. Dividitur tertiò in dominium *universale*, sive *hæreditarium*, quod ex titulo universali descendit, & versatur circa jura atque bona hæreditaria collectim sumpta, & in *singulare* quod ex titulo singulari oritur circa rem singularem unam v. gr. domum vel plures collectivè acceptas, ùt est grex ovium.

92. Quartò in *verum*, & *fictum*. Illud ex vero titulo subsistit, hoc à jure fingitur, veluti dum movetur actio publiciana.

93. Quintò in *naturale* sive *habituale*, quod habet illa persona, cui res secundùm se & substantiam suam immediatè subjecta est citra ullam dispositionem jure civili permissam: & in *Civile*, quod est præcisum à dominio supra rei substantiam, & consistit in facultate exercendi quasdam dispositiones jure civili concessas. Utriusque dominii exemplum est in re specifica in dotem data: nam uxor, durante matrimonio, retinet præcisè dominium naturale circa rem marito datam in dotem: maritus verò acquirit dominium quoddam *Civile* in ordine ad quosdam effectus vel dispositiones eidem de jure civili concessas, v. gr. ut in controversiis super dote coortis possit agere in judicio &c. Istæ sunt solenniores divisiones. Quibus præmissis, sequitur

94. Resolutio nostra, quòd proposita dominii definitio sit recipienda & de Dominio pleno principaliter intelligenda. Ratio est, quòd per eam dominii natura accuratè explicetur: nempe sub nomine *potestatis* indicatur, Dominium salvari & definiri secundùm actum primum, seu potentiam disponendi, ideoque non consistere in actuali dispositione: unde salvô dominiô actus secundus potest esse impeditus. Per particulas, immediatè *de re* differt à jure reali pignoris: nam ejus vigore solam securitatem in re habes, dispositionem minimè: per particulares *nomine proprio*, excluditur dominium à procuratoribus, tutoribus, seu curatoribus, nomine alieno, scil. suorum principalium tantùm disponentibus: sub gerundio *disponendi* intelligitur facultas re utendi, eam consumendi, destruendi, alienandi, &c. Postremò dicitur: *Per actiones lege permissas*: quandoque enim leges vel Magistratus aliquam dispositionem prohibent ex justa causa. Ex. gr. habes triticum in dominio: Magistratus, quia annona est in magno pretio, prohibet, ne vendas extra territorium: vel tu lege conventionali te obligâsti, quod à certa dispositione abstinere velis. Retenta igitur nostra definitione:

95. Ad primam illam Bartoli repono, dominium pro objecto respicere tam res incorporales, quàm corporales: unde nimis restrictè definitur, si facultas disponendi ad rem corporalem coarctetur.

96. Ad alteram definitionem Wesenbecii reponit Haunold hic *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. illam laborare hoc vitio, quòd addendo particulam *suâ*, definiat unum relativum per aliud correlativum: sicuti si dicerem, *paternitas* est, qua alius est noster filius: *nam dominium*, & *nostrum*, correlativa sunt non minùs, quàm dominus & servus. Ex quibus applicari potest responsio ad definitionem Redingi.

97. Ad tertiam definitionem repono, particulas, *non impedibilis licitè ab aliis*, consultiùs omitti, quàm apponi. Titius Cajo vendit agrum; ante traditionem eundem vendit Mevio, simulque tradit & transfert dominium per *l.* 15. *Cod. de R. V.* Titius mansit dominus, postquàm agrum vendidit Cajo, & tamen facultas, ne agrum venderet Mevio, fuit impedibilis à Cajo. Ergo datur dominium licitè impedibile ab alio. Sed adversùs nostram definitionem adhuc

98. Opponi potest primò: particulæ, *per actiones lege permissas*, idem significant, ac si dicam, *nisi actiones aliquæ lege prohibeantur.* Jam sic: prohibitio, quæ intelligitur supervenire alicujus pleno dominio, nihil detrahit facultati disponendi ad quoslibet usus: ergo habens dominium plenum est æqualiter dominus in ordine ad actionem, quam lex superveniens prohibet, ac erat ante prohibitionem, ant. prob. si prohibitio detraheret aliquid facultati disponendi, tunc disponens aliquid contra prohibitionem ageret formaliter ùt non dominus, & peccaret contra justitiam: supponamus enim, tibi prohiberi equitationem in equo tuo ad certum locum: si tu equitares contra prohibitionem, qua tibi auferretur aut detraheretur aliquid de dominio, peccares contra justitiam, quando equitares: quia formaliter utereris re non tua. Atqui absurdum est dicere, talem peccare contra justitiam, & agere formaliter ùt non dominum, cùm dominus rei esse supponatur: per consequens prohibitio, quæ intelligitur alicujus dominio pleno supervenire, nihil detrahit facultati disponendi ad quoslibet usus. Igitur particulæ illæ: *per actiones lege permissas*, à definitione dominii tanquam quid impertinens resecandæ sunt. Resp. ad ant. per prohibitionem legalem nihil

hil detrahi facultati disponendi, actum tamen secundum quoad unam vel alteram dispositionem impediri. Ad prob. neg. sequelam Major. ut enim rectè replicat Haunold. *tract.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. adjectio, *nisi lege prohibeatur*, non obstat, quin dominium in se sit facultas perfectè disponendi de re. Quòd si aliqua dispositio per prohibitionem impediatur, tale impedimentum non provenit ex defectu juris, quasi disponens contra prohibitionem violet jus alterius, propter quod debeat omitti talis actio: sed provenit à lege certum alium finem intendente. Unde sicut nemo me posset corrigere, dicentem, quòd visus sit potentia videndi coloratum, nisi obstaculum ponatur: quia non vellem dicere, quòd positio obstaculi minuat potentiam visivam; ita discurrendum erit, quòd prohibitio alicujus di positionis non minuat jus, tametsi obstaculum ponat. Ex quibus sequitur, equitantem in suo equo, propter prohibitionem supervenientem, adhuc agere ùt dominum, quamvis illicitè agat.

99. Oppon. secundò: Cuilibet licet disponere de qualibet re per actiones lege permissas, & nisi lege prohibeatur. Ergo quilibet foret rerum omnium dominus. Resp. ad vulgarem objectionem neg. ant. & consf. Dum enim additur permissio vel non prohibitio legis, supponitur jus dominii prævié existens in eo, cui una vel altera dispositio certis ex causis, & in bonum vel ipsius subditi seu membri, vel in bonum communitatis per legem inhibetur, sic, ut aut invalidè aut saltem illicitè exerceretur, sine nova juris acquisitione validè & licitè exercenda, quàmprimùm tollitur prohibitio. Itaque (interprete Haunoldo) particulæ præcitatæ non debent intelligi de illis legibus prohibitivis, quæ ideo dispositionem aliquam prohibent, quia aliquis alius habet jus, ne ponatur talis dispositio utpote contraria juri alterius quemadmodùm ex. gr. prohibetur furtum, quia alii competit jus ad omissionem furti. Addit, equidem per prohibitionem non tolli aliquod jus reale, tolli tamen aliquod jus personale.

# QUÆSTIO DECIMA.

## *Sitne possibile Dominium duorum ejusdem rei in solidum?*

100. Tria præmitto. Primum, quòd certum sit, plures ejusdem rei posse dominos esse *pro indiviso*, ita, ut unum dominium sit penes plures, & unus ab altero in potestate disponendi dependeat, veluti patet in pluribus cohæredibus ejusdem rei testamentô relictæ. Secundum: quòd sub nomine dominii *in solidum* intelligatur dominium adæquatum, & plenum, seu perfectum jus de tota re disponendi, utique ejusdem rationis & ordinis: constat enim, vasallo competere dominium *utile* in eandem rem, in qua competit alteri dominium *directum;* quorum tamen dominia sunt diversæ rationis: nec sunt plena. Tertium: quòd duplex possit agitari quæstio, una, utrùm saltem pro instanti donationis & translationis ejusdem rei possint duo vel plures esse domini in solidum, v. gr. donans & donatarius: altera, an sit possibile ejusmodi dominium stabile & permanens? Ego secundæ quæstionis, utpote primæ quoad utilitatem longè prævalentis, examini operam dabo.

101. Pro Sententia negativa & impossibilitate duplicis dominii permanentis ejusdem rei in solidum, argumentum profertur primò ex *l.* 5. *§. ult. ff. Commod.* ubi JCtus Ulp. quærit, an si duobus idem vehiculum fuerit commodatum vel locatum, unusquisque eorum in solidum, an pro parte teneatur? Et ait (Celsus) *duorum quidem dominium vel possessionem esse non posse. Nec quempiam partis corporis dominium esse: sed totius corporis pro indiviso pro parte dominium habere. Usum autem balnei quidem vel porticûs, vel campi uniuscujusque in solidum esse.*

102. Argumentum secundum. Titius, si excludat quocunque tempore quemcunque condominum, habet plus juris realis, quàm, datô condominô in eadem re. Ergo, datô condominô Titius non est plenus dominus. Conseq. est clara: quia Titius, habens plus juris realis habet ampliorem facultatem disponendi quoad plures usus rei. Ant. prob. qui in re aliqua excludit quocunque tempore quemcunque condominum, à nemine ullo tempore in ulla dispositione impediri potest, sed omnes habet sibi obligatos, ut ab impeditione cujuscunque usûs abstineant: econtra cui adjunctus est condominus, nullo tempore tutus est, ne fortè in aliqua dispositione à condomino impediatur: & non habet omnes sibi obligatos, ut ab impeditione cujuscunque usûs abstineant: nam potest semper præveniri à suo condomino. Plus igitur juris realis competit domino, qui solus est.

103. Confirm. primò: Si eodem tempore duo essent domini in solidum, seu totales ejusdem rei, unius dominium excluderetur per alterum. Nónne enim plenum dominium est hujus naturæ, ut nemo alius in eadem re dominium stabile prætendere valeat?

104. Confirm. secundò, & impugnatur Achilles Sententiæ adversæ, in eo consistens, quòd dominii natura & plenitudo debeat æstimari & mensurari ab actu primo, & non ab actu secundo, ad quem præventio, qua unus dominus alterius dispositionem impedire valet, spectare videtur. Contra hoc sic argumentantur: nemo potest perfectè disponere vi juris activi, qui habet obligationem & jus passivum, ut præventionem in usu

juris sui ab altero sustineat. Atqui Titius Caji condominus *in solidum* rei cujusdam v. gr. libri, equi, &c. habet obligationem & *jus passivum*, ut præventionem in usu juris sui à Cajo sustineat: & vicissim discurremus de Cajo, præveniendo à Titio. Ergo neuter condominus, si daretur uterque in solidum, haberet potestatem disponendi perfectè.

105. Argumentum tertium sumitur ex *l. 3. §. 5. ff. de aq. vel amitt. Poss.* ubi JCtus disertè negat, possessionem ejusdem rei *penes duos* in solidum consistere: *contra naturam quippe est, ut cùm ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.* Et paulò inferiùs subdit: *Non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.* Detur ergo disparitas, cur in physicis non possint duo stare aut sedere in eodem loco, possint autem in moralibus esse duo domini pleni & adæquati ejusdem rei? Profectò ipsa ratio adæquationis excludit simultatem duorum vel plurium in eodem loco, si semel sit repletus adæquatè per unum corpus: tunc enim alteri corpori nihil relinquitur, ad locum talem replendum vel adæquandum: Pariter ergo facta semel adæquatione dominii unius circa dispositionem liberam alicujus rei, alterius dominio nihil relinquitur dispositionis liberæ circa eandem rem. Hæc sunt potiora argumenta Sententiæ negativæ.

106. Rationes pro Sententia affirmante nec numero nec pondere sunt minores. Nam primò, dominium plenum, totale, seu in solidum, est facultas disponendi de re nomine proprio per actiones lege permissas, extensa ad omnem rei usum & dispositionem circa eam. At talis facultas circa eandem rem duobus vel pluribus competere potest. Ergo & dominium in solidum. Maj. si quis inficietur, & contendat, dominium plenum esse, quando nemo alius, præter unum, facultatem, & jus stabile disponendi de eadem re habet, vix est, ut cum illo in præsenti controversia signa committamus, & disputemus: quandoquidem enim in termini principalis definitione distamus & discordamus à contrariis Authoribus, id, quod maximè vertitur in quæstione, non ùt certum supponendum vel asserendum, sed tanquam nobis dubium probandum est. Adducitur autem in quæstionem, utrùm ratio dominii pleni, totalis, & in solidum, omnem condominum per repugnantiam intrinsecam excludat? Impræsentiarum ly *in solidum* accipi debet oppositivè ad jus vel dominium pro indiviso: sic, ut habens jus vel dominium in solidum non necessariò quemlibet alium à simili jure excludat, sed solam dependentiam, in quantum jus dominii ita liberum & absolutum est circa dispositiones lege aut speciali conventione non prohibitas, ut quoad actum primum à nullo alio dependeat; sicuti è contrario jus unius à jure alterius tam quoad actum primum quàm quoad exercitium dependet, quando duo vel plures habent ejusdem rei dominium solùm *pro indiviso*, uti habent plures cohæredes. His prælibatis:

107. Prob. min. Jus Jurisdictionis, id est, potestatis publicæ in causis controversis jus dicendi, seu justitiam administrandi, circa eandem rem controversam potest pluribus in solidum, adæquatè, plenè, & citra dependentiam ullam unius ab alio convenire. Ergo & jus dominii, tanquam potestas privata. Ant. est inconcussum tam quoad plures Judices delegatos in solidum, ex *cap. cùm plures 8. de Offic. deleg. in 6.* quàm quoad plures Ordinarios, per *cap. fin. de Sent. & re jud.* & praxi quotidiana firmatum, quâ constat, in variis causis Statuum Imperii Romano-Germanici Cameram Imperialem Wezlariensem cum Judicio Imperiali Aulico Viennensi habere Jurisdictionem concurrentem seu cumulativam: utique plenariam, & in solidum, seu cum mutua independentia, adeò, ut detur locus præventioni, & causa semel ex. gr. in Consilio Imperiali Aulico cœpta non possit ampliùs turbari, avocari, vel dijudicari in Camera Imperiali.

108. Similiter in causis sive delictis, quæ vocantur *mixti fori*, ut sunt ex. gr. crimen adulterii, veneficii, blasphemiæ, &c. Jurisdictio spectat cumulativè ad Judicem tum Ecclesiasticum, tum ad Principem Territorialem, plenariè quidem adæquatè, in solidum, ac sine mutua dependentia, vel pro indiviso: datur quoque hìc locus præventioni quoad exercitium & actum secundum. Antecedente stabilito, Consequentia solidè prob. ex paritate rationis. Si duplici juri dominii in solidum aliquid obstaret, esset primò, quia plenitudo dominii in uno ex natura rei nequit consistere sine exclusione omnis alterius dominii circa eandem rem: secundò quia quilibet dominus in sui juris exercitio posset præveniri & licitè impediri ab alio; ac tertiò, quia adæquatio juris, quòd unus dominus jam habet in re proprietaria, non compatitur aliam adæquationem juris circa eandem rem. Atqui hæc omnia minimè obstant: Si enim non obstent, sed verificentur è contrario in jure Jurisdictionis cumulativæ, competentis duobus in solidum plenariè & adæquatè circa easdem causas, nec ex natura rei obstabunt in jure dominii duobus competentis in solidum plenariè, & adæquatè circa easdem dispositiones.

109. Dilucidatur. Princeps, Territorialis Sæcularis, habens Jurisdictionem Criminalem potest dicere, Jurisdictionem esse *suam*, & propriam. Ergo ipsum Jus Jurisdictionis est objectum juris dominii privati. Igitur Princeps, exercendo actum Jurisdictionis criminalis exercet simul actum juris dominii, quod habet in suam Jurisdictionem: hoc jus dominii est plenum, adæquatum, & in solidum, potestque à Principe alicui in feudum dari, donari, vendi, &c. & tamen non excludit ex natura rei jus dominii, competens Principi Ecclesiastico, putà Episcopo, in suam

suam Jurisdictionem Ecclesiasticam quoad omnia delicta mixti fori.

110. Replicabitur fortasse, quòd ante præventionem nullus Judex Ordinarius, quando jurisdictio circa eandem causam duobus vel pluribus competere supponitur, plenaria Jurisdictione præmunitus sit, sed quòd Judex præveniens alterum Judicem, per actum præventionis respectu illius causæ plenam Jurisdictionem acquirat, cùm jus tunc acquirat excludendi alium ab exercitio jurisdictionis, adeoque præventione sua compleat Jurisdictionem antea minùs plenam, & imperfectam. Ita nonnemo.

111. Verùm huic solutioni non possum acquiescere: maximè quòd adæquatam essentiam jurisdictionis constituat partim in potestate, partim in exercitio potestatis: quòd dicat, jus excludendi alterum Judicem acquiri per actum præventionis: & per effectum dictæ præventionis, quem producit Jurisdictio tanquam causa, ipsam Jurisdictionem compleri, sicque causam dependere & perfici ab effectu, actumque primum ultimatò constitui per actum secundum. Deinde: vel ante actum præventionis, quo unus Judex cœpit uti Jurisdictione, inquirendo ex. gr. in crimen adulterii, potuit alterum Judicem licitè prævenire, vel non? Si non: ergo (contra suppositum) non fuit Judex præmunitus Jurisdictione *cumulativa*: si potuit prævenire, ex jure præhabito id potuit, & non ex primùm acquisito per actualem præventionem.

112. Secundò: Dominii perfectio mensuranda est ex facultate disponendi, & non ex actuali dispositione. Ergo licet per alium ex parte actualis dispositionis impediri possit, perfectioni essentiali dominii nihil decedit: ergo nec adæquationi & plenitudini. Sit itaque casus, quo Titius Cajo & Sejo ex. gr. Sylvam amplam donet & tradat ea lege, ut quilibet sit totalis dominus Sylvæ, adeoque non pro indiviso, sed in solidum & independenter, deturque quoad actuales dispositiones & usum locus præventioni, nunquid præventio actualis dispositionis totam essentiam dominii præsupponit? Ostenditur veritas hujus argumenti in illo domino, qui ex. gr. equum suum alteri ad certum, longumque tempus commodavit. In actu secundo equô suô Dominus uti nequit, sed solus commodatarius intra tempus conventum jus utendi equô habet: diminuitúrne quidpiam in perfectione vel plenitudine dominii? Omnino non. Idem esto, si dominus alteri equum ad aliquod tempus pro certa mercede locâsset. In pupillo quoque exemplum præstò est: quid enim dominium ejus de perfectione deperdit ex eo, quòd habeat manus lege ligatas, ne eas ad liberas dispositiones in actu secundo extendere valeat?

113. Neque paritatem claudicare dicas, quòd in casibus recensitis impedimentum actûs secundi solùm *ab extrinseco*, in casu verò duplicis dominii in solidum ab intrinseco proveniat. Explicandum siquidem restat, quid intelligatur per impedimentum *extrinsecum*, quid per *intrinsecum*? Quare pupillus laborat *extrinseco*, condominus verò intrinseco? Pupillum, ais, impedit ordinatio extrinseca legis à dispositione, condominum verò, qui talis esset in solidum, impedit defectus intrinsecus juris, in quantum alterum condominum excludere & prohibere nequit, ne ab ipso in sua dispositione impediatur. Non, inquam, hæc distinctio paritatem nostram claudicare facit. Nam inprimis objecta distinctio non destruit nostrum assertum, quòd dominii perfectio mensuranda sit ex facultate agendi, & actu primo: manet siquidem salvum & illæsum, sive actus secundus ob impedimentum intrinsecum inhibeatur, frustretur, vel suspendatur; sive propter extrinsecum. Deinde lis de nomine movetur, sitne impedimentum, quod pupillus patitur, magis extrinsecum, quàm impedimentum condomini in solidum, quod patitur ex alterius condomini præventione: videtur namque ex utraque parte esse solummodò extrinsecum, & per accidens. Denique constanter negandum est, condominum ex eo, quòd possit ab altero in dispositione sua præveniri, pati aliquem defectum intrinsecum juris sui: cùm æquè licitè alterum prævenire possit, quàm ab illo præveniri. Id solùm probatur, quòd non sit unicus dominus, & quòd dominium plenum non habeat *privativè*, sed tantùm *cumulativè*. Semel autem facta præventione ab uno, alter dominus quoad dispositionem præventam debet abstinere, & condominum non turbare pro ea vice: aliàs posset dari bellum utrinque justum.

114. Tertiò, Sententia affirmans roboratur ex eo, quòd licèt plerumque unus dominus in actu secundo præventus, re ad duos spectante uti non possit, propter incapacitatem objecti, attamen aliquæ res usum duorum simultaneum in actu secundo compatiantur: exemplum dedi in sylva duobus donata & tradita: possunt enim ambo & ligna cædere, & pecora ibi pascere, & feras capere &c. & sic fructibus dominii in actu secundo gaudere. Aliud exemplum est, si mare supponatur dominii capax, uti à multis docetur: si enim in certo maris districtu amplissimo duo Reges fortè ex antiquissima possessione aut præscriptione Dominium in solidum prætendant, ambo in actu secundo inimpedibiliter poterunt ibi suis navigiis tranare ad exercenda commercia, piscandum, persequendos hostes &c. Sic etiam dicitur in *l. sicut certo. §. fin. ff. Commodati.* Usum balnei, scilicet quod ad res alicujus Universitatis spectat, vel porticus, vel campi, uniuscujusque in solidum esse.

115. Quartò illustratur à jure reali pignoris, quod duobus in solidum competere posse, textus clarè edisserit in *l. si debitor* 10. *ff. de Pignor. Si debitor*, ait Ulpian. *res suas duobus simul pignori obligaverit, ita ut utrique in solidum obligatæ essent, singuli in solidum adversus extraneos*

*traneos Serviana* (actione, seu hypothecaria) *utentur: inter ipsos autem si quæstio moveatur, possidentis meliorem esse conditionem.* Certè jus reale hypothecarium cujuslibet creditoris in allegato casu datur circa easdem res in solidum, ita ut in suo genere sit adæquatum, & plenum, quamvis quoad actum secundum illius conditio sit melior, qui pignoratas res actu possidet: item quamvis is, qui adversus extraneum pignoris possessorem actionem in judicio instituit, alterum æquali jure præditum, prævenire, & pignus sibi vindicare possit: neque hic ratio adæquationis, & plenitudinis quoad jura utriusque in solidum competentia ullam repugnantiam involvunt. Cur ergo involvatur in jure dominii duorum ejusdem rei in solidum?

116. Si respondeatur, ly *solidum* appellare supra objectum pignoris, non verò supra ipsum jus pignoris; ideoque utrique creditori non competere jus plenum: Contra est, quòd textus concedat singulis *in solidum*, & non pro indiviso, facultatem utendi actione Serviana: jus itaque est etiam id, supra quod appellat ly *solidum:* sique verum est, totum objectum res pignoratas complectens posse in *solidum* à singulis per actionem vindicari, planè singulis competit jus non partiale, sed totale, adeoque *in solidum.* Hisce rationibus bene consideratis:

117. Resolutio nostra censet, Sententiam, quæ stat pro possibilitate dominii duorum vel plurium in solidum, perquàm probabilem esse, eamque post alios propugnant duo Celsiss. ac Reverendiss. Archiep. & S. R. I. Principis Salisburg. &c. &c. successivè Consiliarii Intimi & Magnifici D. D. P. P. Rectores Francisc. Schmier *Tract. de Jur. Propriet. cap. 2. §. 5.* & Cœlestinus Mayr *Tract. de J. & J. qu. 5. artic. 2. à num. 9.* & ante illos Clariss. D. D. Civilistæ Salisburgenses à Someting & Ayblinger in *Introduct. in Univers. Jus, lib. 2. tit. 1.* Ad Sententiæ oppositæ

118. Argumentum primum Resp. textum ex *cit. l. 5. §. fin. ff. Commod.* inprimis ab Ulpiano non approbari, sed referri solùm ex JCto Celso. Deinde, si aliquid probet, etiam dominia duorum pro indiviso, & diversæ rationis, ac partialia inter impossibilia reputat: generaliter enim loquitur, & duorum dominium possibile esse simpliciter negat. Convenienter etiam explicatur de casu ordinario, & quòd regulariter, ac citra specialem conventionem ejusmodi dominium duorum in solidum non eveniat, sed rariùs. Et licèt dicatur, duorum dominium *esse* non *posse*, non tamen hoc accipiendum erit de absoluta impossibilitate, sed in sensu accommodo: quia ibidem JCtus una locutione definit, *dominium duorum vel possessionem esse non posse:* & tamen id quoad possessionem simpliciter veritati non consonat: esto enim possessio naturalis ejusdem rei penes duos esse nequeat, juxta *l. 3. §. 5. ff. de acq. vel am. poss.* aliam tamen, Civilem nempe, quando duo ex titulo legitimo eandem rem solo animo tenent, penes plures esse posse, supponitur in *l. si duo. 3. in pr. ff. uti possidetis.* Quando ex. gr. duo vicini in eadem Sylva jus venandi prætendunt, & sufficientibus actibus possessoriis muniti ac pares sunt. Neque talis possessio necessariò est pro indiviso, ut unus venaturus indigeat alterius concursu vel consensu; hinc poterit esse *in solidum* ac sine dependentia unius ab alio. Quæ instantia de possessione plurium in solidum possibili ad persuadendam absolutam possibilitatem dominii duorum in solidum non parum deservit.

119. Ad secund. Argum. neg. ant. quia hoc tantùm verum est, quòd Titius, admisso per conventionem voluntariam alio condomino in solidum, non habeat dominium solus ac *privativè*, sed haberet *privativè*, si alium condominum non admisisset. Unde ad Prob. dico, solùm evinci, Titium non esse plenum dominum *privativè*, nisi omnes alii sint obligati, ne ipsum in aliquo usu impediant. Nec tamen, si solus dominus foret, haberet plus juris realis, quàm habeat, admissô condominô: quia isto etiam admisso, facultas disponendi adhuc ad omnes usus lege permissos extenditur. Deinde retorsio est in commodatario, & conductore: nam si res Titii, v. g. equus, non est commodata, vel ab altero conducta, omnes tenentur abstinere, ne Titium quà dominum in usu juris sui impediant; & tamen per hoc ex plenitudine aut perfectione dominii nihil decedit. Ex quo patet Responsio ad Confirmationem. Similiter

120. Ad Argum. tert. nego enim min. & quòd unus condominus habeat jus passivum, ut alterius præventionem sustineat, esto hoc jus passivum gravet alios quoscunque. Sanè unus dominus non tenetur expectare alterius præventionem: cùm quilibet alteri in jure activo sit æqualis ad se mutuò præveniendum. Facta autem unius præventione (quando res duorum simultaneum usum non sustinet) alter propter impedimentum extrinsecum jus suum in actum secundum redigere nequit, quod est æquè per accidens, ac si per casum fortuitum v. g. inundationem, morbum, deteriorationem, &c. rei, actualis dispositio impediatur.

121. Ad quart. respondeant ipsi Adversarii, cur duorum ejusdem rei possessio Civilis in solidum non repugnet, juxta *cit. l. si duo. in num.* 118. repugnet verò duorum dominium? Verum est, rem corporalem, cui tu adæquatè actu incumbis, me simul adæquatè tenere eique incumbere actu non posse: possum tamen ego, & alius, eandem complecti animô, adeoque tenere civiliter. Quemadmodum autem possessio civilis solùm consistit in jure & animo, non verò requirit ad sui conservationem actualem insistentiam in re; ita etiam dominium consistit in jure, quod quis animô habitualiter retinet, nec actualem dispositionem postulat. Hinc

122. Ad

122. Ad quint. Resp. paritatem petitam ab adæquatione loci per unum corpus locatum non ampliùs recipientis aliud corpus, non esse ad rem: tum, quia jura tanquam aliquid incorporale, haud eodem modo suam adæquationem possunt sumere à loco seu quantitate, sicuti eam sumunt res corporales: tum, quia adæquatio hic desumitur solummodò ab omni usu legibus permisso, quem duobus competere posse, hactenus satis ostensum fuit, & ostendunt frequentes instantiæ à nobis allatæ. Demum paritas aliquatenus nobis favet: sicut enim idem locus plures plurium corporum applicationes successivè recipit, sic, ut detur locus præventioni, & corpus in loco existentiam præveniens alteri corpori locabili hìc & nunc extrinsecum ponat impedimentum; ita etiam eadem res successivè saltem plurium dominorum dispositiones recipit; sique unus in aliqua dispositione alterum præveniat, alteri hìc & nunc ponitur impedimentum extrinsecum, ac per accidens.

# QUÆSTIO UNDECIMA.

## *An Dominium sit separabile ab usu in rebus unico usu consumptibilibus?*

123. Usus, de quo hìc loquimur, est species quædam servitutis personalis: & rectè eum definies, quòd sit jus utendi rebus alienis salvâ earundem substantiâ. Differt ab *usufructu*, quòd licèt iste pariter sit servitus personalis seu jus alicui in re aliena constitutum, non tamen sit præcisè ad utendum tali re, quantum exigit indigentia quotidianæ necessitatis, quâ indigentiâ *usus* terminatur, sed insuper potestatem includat fruendi re in usumfructum concessa, id est, omnes fructus & emolumenta percipiendi. Juristæ dividunt *usum* in propriè talem, & in usum improprium. Illum dari dicunt in rebus usu non consumptibilibus, ùt sunt domus, fundus, &c. istum in rebus usu consumptibilibus, ùt sunt vestis & varia utensilia. Inter usu consumptibilia autem discrimen est, quòd quædam unico usu, dispositione, vel actu absumantur, seu destruantur: talia sunt esculenta, & potulenta, triticum, & pecunia, utpote quæ unica expensione seu elargitione respectu nostri dominii absumi & destrui censentur. Quæstio nostra procedit de separabilitate Dominii à rebus, quæ unico statim, & ipso usu consumuntur: cui controversiæ locum dedit singularis perfectio paupertatis, quam R.R. P.P. Franciscani & Capucini profitentur, præter incapacitatem dominii etiam *in communi* quoad res immobiles, ùt sunt ipsorum habitacula, & horti, in rebus fungibilibus quoque & eleemosynis pro quotidiano victu sibi oblatis, nullum prorsus dominium vel usum *juris* acceptare, vel agnoscere volentes.

124. Pro negativa, &, quòd in hujusmodi rebus unico etiam usu consumptibilibus dominium non sit separabile ab usu:

125. Fundamentum primum esse potest, quòd rerum consumptibilium, pecuniæ speciatim, ususfructus nequeat consistere sine dominio: ergo nec usus. Conseq. patet: quia ususfructus, cùm etiam involvat jus utendi re aliena, usum necessariò includit, quamvis ususfructus vicissim in *usu* non includatur. Ant. autem prob. ex *l. si de pecunia. 2. §. 1. ff. de usufruct. ear. rer. quæ us. consum. &c.* ubi negatur, naturalem rationem Auctoritate Senatûs commutari posse, ut *pecuniæ ususfructus propriè esset*: & ratio assistit, quòd habens usumfructum pecuniæ, deberet pecuniâ uti frui posse v. gr. negotiando, aut aliter eam expendendo: & nihilominus penes illum, cui pecuniæ competit dominium, deberet ejusdem pecuniæ salva manere substantia ac proprietas, id, quod implicat. Hinc

126. Fundam. secund. Si usus est separabilis à dominio v. g. tritici, pecuniæ, vini &c. tunc usus etiam ùt separatus à dominio esset quid pretiò æstimabile; &, si quis alteri talem rem fungibilem, unicoque usu consumptibilem in mutuum daret, posset pro solo usu quatenus seorsim à dominio rei foret aliquid pretiò æstimabile, aliquod pretium constituere. Sed hoc negant tum Theologi tum Jurisperiti quandoquidem saperet vitium usurarium. Ergo in ejusmodi rebus usus non est separabilis à dominio.

127. Fundamentum tertium, & principale jactum est in *Extravag. ad Conditorem. de V. S.* ubi Joannes XXII. Papa hujus nominis, disertè pronuntiat, *usum & dominium* (in rebus prædictis) *non distingui; sed cui conceditur unum*, ait, *conceditur utrumque.* Hinc sequitur

128. Fundamentum quartum. Quibus conceditur actus perfectissimus dominii saltem restricti & revocabilis, illis necessariò in consequentiam, & in actu exercito conceditur quoque dominium saltem revocabile. At Franciscanis & Capucinis, quibus apponitur ex. gr. cibus, & potus, conceditur perfectissimus actus dominii, videlicet destructio seu consumptio rei: Ergo ipsis necessariò in consequentiam, & in actu exercito, conceditur dominium saltem restrictum & revocabile, sicuti & usus est restrictus, & revocabilis.

129. Fundamentum quintum. Dominium rerum consumptibilium deberet vel remanere penes fideles, qui eleemosynas largiuntur, vel penes Sedem Apostol. aut dicant FF. Minores, ubinam esset? Non penes fideles; quia isti res donant, & dominium abdicant: nec penes Sedem Apostolicam: quia Joannes XXII. tale dominium ut nugatorium explodit, dicens: quis *enim sanæ mentis credere poterit, quòd intentio fuerit tanti Patris*

*tris* (scil. Nicolai S. Pontificis Antecessoris) *unius ovi seu casei, & frusti panis, & aliorum usu consumptibilium dominium Romanæ Ecclesiæ, & usum Fratribus retinere?*

130. Datô etiam, non concessô, vel Nicolaum IV. vel Martinum V. vel Alexandrum VI. tale dominium in se recepisse, adhuc, si propugnetur sæpe dicta separabilitas, plura absurda exinde sequerentur: Nam primò si modernus Clem. XII. dominium illud à se abdicaret, bona Franciscanorum fierent vacantia, & primò occupantis. Secundò si penes Papam sit istorum bonorum dominium, illi, qui Franciscanis furarentur, furtum committerent respectu Papæ, quà domini; consequenter non Franciscanis, sed Papæ tenerentur ad restitutionem. Tertiò fidelium intentiones mutarentur, qui res donando Franciscanis minimè intendunt totum jus in Summum Pontificem transferre, præsertim, quando hæretici, uti frequenter solent, Mendicantibus Franciscanis, vel etiam Capucinis aliquam eleemosynam dispensant. Sequeretur quartò, convivas, quos Franciscani ad mensam invitant, fore hospites Papæ &c.

131. Fundamentum sextum. Franciscanis, si in usu victualium impedirentur ab aliquo, injuria irrogaretur; quare ex parte illorum jus strictè dictum in cibum & potum supponendum est. Quamvis hæc fundamenta non sint spernenda, attamen

132. Resolutio contraria, qua, in favorem Franciscanorum, separabilitas usûs rerum consumptibilium à dominio defenditur, est communior & retinenda.

133. Motivum primum, quo isti Auctores ducuntur, est primò: quòd (ut arguit Joan. de Lugo de *J. & J. disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 44.) nulla appareat repugnantia, quò minùs aliquis à domino accipiat facultatem utendi re, etiam ipso usu consumptibili, sic tamen, ut talis facultas dependeat semper à voluntate ejusdem domini, & revocabilitati subjaceat. Atqui hôc semel concessô, datur usus rerum consumptibilium à dominio separabilis: nam dominus in tali casu retinet dominium, & pro libitu suo vetare potest, ne alter re consumptibili actu utatur. Itaque non repugnat usus licitus rei absque dominio, usus inquam, quem Fratres Minores nominant usum *facti*, non *usum juris*.

134. Motivum alterum: Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: nequit enim idem à seipso realiter separari. Usus autem sive jus utendi *de facto*, planè distinguitur realiter à dominio, ùt patet in Religiosis universim, qui rerum, quibus vescuntur, habent legitimum usum etiam in particulari: & tamen nemo in particulari est capax dominii; sed solùm in communi: Ergo &c.

135. Motivum tertium: Dominium invito non acquiritur, sed requirit acceptationem. Hanc acceptationem recusant Fratres Minores, quando fideles aliqua ipsis offerunt: intendunt enim strictissimam profiteri paupertatem. Ergo non efficiuntur domini.

136. Motivum quartum: Conviva, cui hospes seu Paterfamiliâs apponit cibum & potum, non acquirit dominium rerum appositarum: potest enim semper ab invitante prohiberi à consumptione: ergo purum usum *factum*. Idem est in servo, qui à domino obtinet usum cibi sine dominio.

137. Motivum quintum: Pontifices acceptârunt dominium rerum, quæ Fratribus Minoribus offeruntur. Supponenda ergo est separabilitas dominii ab usu, & possibilitas distinctionis inter usum *facti* tantùm & usum *juris*. A. colligitur ex *cap. exiit*, *qui seminat. de V. S. in* 6. ubi Nicolaus III. significaturus, dominium sæpe repetitum fuisse à Sede Apostolica acceptatum, inter alia sic habet: *Nulla prorsus potest esse professio, quæ à se usum necessariæ sustentationis excludat: Verùm condecens fuit ei Professioni, quæ sponte vovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc, quòd proprietatem usûs & rei cujusque dominium à se abdicâsse videtur, simplici usui omnis rei renuntiâsse convincitur: qui,* inquam, *usus non juris, sed facti tantummodò nomen habens, quod facti est tantùm, in utendo præbet omnibus, nihil juris &c.* Et paulò inferiùs ait: *Nec sit persona, in quam loco DEI congruentiùs hujusmodi rei dominium transferat, quàm Sedes præfata vel Persona Romani Pontificis Christi Vicarii, qui Pater est omnium, & Fratrum Minorum nihilominùs specialis &c.* Si quis hanc Sententiam secundam nobiscum amplecti velit,

138. Ad prioris Sententiæ Fundamentum primum respondere poterit, distinguendo conf. Ergo nec usus consistere potest sine dominio, usus *juris*, ac independens ab alterius voluntate, conc. conf. usus *facti* & dependens ab alterius voluntate, sic neg. conf. Et sic patet responsio ad probat.

139. Ad secund. concedo, talem usum esse secundùm se aliquid pretiô æstimabile: ad reliqua distinguo sic: usus posset seorsim æstimari tanti, quanti res secundùm se & simpliciter valet, neg. sequel. quia sic esset usura: minoris, quàm res ipsa secundùm se, sic, ut ex pretio usûs, & ex pretio rei coalescat unum adæquatum pretium, quod justam rei æstimationem non excedat, hôc modô sequela conceditur.

140. Obstare, inquis D. Thomam in 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *in Corp.* ubi docet, usuram committi, si quis in rebus usu ipso consumptibilibus aliud pro dominio aliud pro usu accipiat: *Res quædam sunt*, ait, *quarum usus est ipsarum rerum consumptio: sicut vinum consumimus utendo eô ad potum, & triticum consumimus eô utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsim computari usus rei à reipsa, sed cuicunque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res.* Verùm Resp. S. Doctorem, dum pro usu seorsim citra pravitatem usurariam quidquam accipi posse negat, loqui in hypothesi, in qua usus alicui competens est irrevocabilis, & sumitur pro

usû rigoroso sive pro usu *juris* & indistincto inseparabilique à dominio in rebus unico usu consumptibilibus. Illustrissim. Reding *h. tract. q. 1. contr. 2. conclus. 2.* & Salmanticens. *cap. 2. punct. 3. num. 26.* ex Lessio, ubi addunt, ultra id, quod accipitur pro usu *facti* duntaxat, & revocabili, licitè aliquid ampliùs pro dominio accipi: quia majoris est valoris usus cum dominio, quàm usus duntaxat; dummodò minus pretium pro dominio ab usu præciso concedatur, quàm pro utroque simul; sique divisim utrumque vendatur, pretium æquivaleat valori rei, ac si simul cum usu venderetur.

141. Ad tertium respondent plures, Joannem XXII. in *cit. Extrav. ad Conditorem. de V. S.* errâsse ùt Doctorem privatum. Verùm Magnif. P. Schmier *Jurispr. Can. Civ. l. 3. tr. 2. cap. 4. num. 193.* hanc Responsionem elidit, monstrando ex *cit.* text. Joannem ibidem se gessisse ùt Legislatorem & Doctorem universalem: cùm statim ab initio significet, moderationem eorum, quæ vel ipse, vel ejus Prædecessores, statuerunt, ad se spectare, tanquam ad Conditorem Canonum, moxque Constitutionem Nicolai IV. declaret, ipsum, quando usum juris ab usu facti distinxit, id non intellexisse de usu rerum ipso & unico usu consumptibilium. Postmodùm omnia privilegia, per suos Prædecessores concessa, quatenus suæ declarationi sunt dissona, revocat. Imò & aliam successu temporis Constitutionem edidit, scil. famosam *Extrav.* quæ incipit: *Quorundam mentes d. tit. de V. S.* in qua memorat, ab aliquibus priorem *Extrav.* quæ incip. *ad Conditorem*, fuisse *insano ausu*, impugnatam, eosque tanquam contumaces & rebelles Ecclesiæ Romanæ ab omnibus haberi vult, qui aliquid contra à se definita & ordinata approbare vel defendere præsumpserint.

142. Fortasse satisfiet, si dicatur inprimis, Joannem XXII. citatis locis propriè nihil definire potuisse: quia, utrùm usus prædictus sit separabilis ab omni dominio etiam revocabili, nec ne, cùm nec contineatur sub materia fidei, nec sub materia morum, sed ad decisionem Theologorum & Jurisperitorum pertineat, rationem objecti definibilis ex Cathedra non habet. Unde Constitutio extravagans Joan. XXII. quoad præsentem difficultatem, ibi decisam, terminos probabilitatis rationibus tunc temporis ponderatis innixæ, non transcendit: nec impedire potuit, quin alii Pontifices, sive Antecessores, sive Successores ex motivis contrariis sibi magis placentibus oppositam sententiam vel ùt æquè probabilem, vel ùt probabiliorem judicarent, ac sequerentur.

143. Ad quart. dist. Maj. cui conceditur actus perfectissimus dominii &c. tanquam jure proprio & sine dependentia continuata ab alterius licentia exercendus, illi conceditur dominium saltem revocabile, conc. Maj. cui conceditur solùm precariò & cum dependentia continuata ab alterius licentia, illi conceditur dominium saltem revocabile, neg. Maj. Franciscanis in cibo & potu conceditur actus ejusmodi perfectissimus, nempe destructio seu consumptio, conceditur inquam, ùt exercendus precariò (quemadmodùm convivæ alteri ad mensam alienam invitato) & cum dependentia continuata à licentia alterius, putà, S. Pontificis, conc. min. ùt exercendus jure proprio & absque prædicta licentia, sic neg. min. & cons.

144. Ad quint. Resp. F. F. Minores, ex privilegiis constare, quòd Pontifices aliqui dominium rerum ipsis oblatarum acceptârint, perpetuò apud Sedem Apost. mansurum, nisi aliquis Pontifex posthàc dominium hoc repudiaret: repudiatione etiam factâ, maneret dominium penes fideles, qui res offerunt.

145. Neque absurda objecta quidpiam officiunt. Primò enim dominium, quod Sedes Apost. à Franciscanis in se recipit, non est nugatorium vel inutile: quia hoc conducit ad salvandum modum perfectissimæ paupertatis Evangelicæ. Secundò, non sequeretur, quòd abdicante Clemente XII. dominium Franciscanorum, bona oblata fierent vacantia, & primò occupantis: tum quia dominium remaneret penes offerentes; tum quia illa fiunt primi occupantis, quæ nullius sunt tam quoad usum quàm quoad dominium. Tertiò: Surreptor rerum committeret furtum & respectu Papæ, quà domini: & respectu Franciscanorum, quà habentium usum facti à Papa concessum: & quamvis, si Papa ita vellet, ipsi esset facienda restitutio, tamen modò, quia usum Franciscanis & totum emolumentum vult in salvo consistere, vult etiam, ut fures ipsis restituant. Ejusdem intentionis sunt offerentes: qui etiam minimè inviti sunt, quòd dominium rerum oblatarum ad Sedem Apostol. transeat, sed maximè contenti, quòd Franciscanis res in usum & consumptionem cedant.

146. Ad Sext. potest admitti cum Haun. in Franciscanis quoddam jus personale, ipsis competens, ne ab aliis, quàm Superioribus (qui nempe in rerum consumptibilium distributione vices quasi gerunt S. Pontificis) licitè impediri possint. Ex quo minimè inferre licet jus reale aliquod dominii. Vid. Haunold.

147. Pro horum complemento nota ex Wigandt in *tract. 7. Exam. 11.* Usum rei, sive sit consumptibilis sive non, à quibusdam Doctoribus bifariàm accipi. Primò per modum habitûs, quem vocant usum juris, conferturque alicui irrevocabiliter, estque habitualis facultas utendi re independenter à voluntate concedentis. Et hic non distinguitur à dominio. Secundò per modum actûs, quem vocant usum *facti*, conferturque revocabiliter, & est potestas *actualis* utendi re, dependenter tamen à voluntate concedentis. Vocatur autem *usus facti*, non quasi nihil juris habeat (aliàs enim ille usuarius foret injustus) sed quia jus, quod habet, non est

est absolutum, sed à placito alterius dependens. Et de hoc est sermo. Exemplum primi dant in pane mutuato, quem edere potes, nolente etiam eo, qui tibi mutuum dedit. Exemplum secundi assignant in pane v. gr. oblato convivæ, quem consumere potest dependenter à beneplacito apponentis, qui appositum citra injuriam convivæ iterum auferre potest. Confer Magnif. D. P. Cœlestinum Mayr *Tract. de J. & J. q. 5. art. 4. §. 2.*

## QUÆSTIO DUODECIMA.

### *Sintne Clerici Beneficiati domini redituum etiam superfluorum?*

148. Certum est, Clericos esse plenarios dominos bonorum verè Patrimonialium, quæ citra respectum ad aliquod ministerium Ecclesiæ ex titulo successionis hæreditariæ, vel alio particulari possident. Idem etiam quasi-Patrimonialium respectu tenendum, putà eorum bonorum, quæ Clerico obveniunt v. gr. ex Liberalium Artium exercitio, concionibus, stipendiis Missalibus, reditibus stolæ, vel ex parsimonia in victu & vestitu moderatiori, quàm exigeret sustentatio congrua. Controversia movetur de solis reditibus propriè Clericalibus, beneficialibus, seu proximè in titulo beneficiali fundatis, & prospectu Ecclesiæ acquisitis: non de illis, quæ ad congruam sustentationem pertinent, sed de redundantibus & superfluis.

149. Sententia negativa, quæ cum Doctoribus antiquis dominium fructuum superfluorum Clericis abjudicat, nititur primò variis sacris Canonibus, in quibus Clericorum bona vocantur patrimonium Christi, res DEI, & pauperum: Clerici verò non domini, sed administratores: sique ejusmodi bona, scil. superflua congruæ sustentationi, in pauperes distribuere intermittant, habentur pro furibus, raptoribus, & pauperum interfectoribus. Vid. *cap. 1. & c. 6. caus. XII. q. 7.*

150. Secundò nititur *Novell. Imper. Justin. 3. cap. 3.* ubi sacrosanctè cavet, ne proventus Ecclesiastici ad alia, quàm pia opera, referantur. *Congruat*, inquit, *pro tempore Sanctiss. Patriarcham & Reverendiss. Oeconomos considerare, ut aliæ expensæ, quæ sunt ex Ecclesiasticis reditibus, circa pios erogentur actus, & DEO placentes, & sic illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occasionem. Hoc enim Dominum DEUM placat: Et non patrociniis & studiis hominum Ecclesiasticas expensas hominibus locupletibus distribuant, ita, ut inde inopes necessaria non mereantur. Sciant autem DEO amabiles Oeconomi, & qui nunc & per tempora futuri sunt; quia si quid præter hæc egerint, & Divinis suppliciis subjacebunt, & ex sua substantia indemnitatem Sanctiss. procurabunt Ecclesiæ.*

151. Tertiò SS. Patribus. D. Bernard. Serm. in illud: *Ecce reliquimus omnia. Res pauperum*, ait, *non dare pauperibus par sacrilegii crimen esse cognoscitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega illis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini & possessores, ultra victum accipiunt & vestitum.*

152. Quartò Sententia negativa nititur intentione fidelium, quorum mens pia in fundationibus Ecclesiarum & beneficiorum eò collimâsse prudenter præsumitur, ut residua pauperibus cedant, & in pios erogentur usus.

153. Quintò fundatur in obligatione restitutionis, ad quam Ecclesiastici beneficiati (idem est de Prælatis Ecclesiarum) videntur obstricti, qui superflua in pauperum usus & utilitatem distribuere negligunt, veluti patet ex supra *cit. Nov. 3. cap. 3.* & locutione canonum: nec non ex Sententia *D. Antonini. 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 19.* dicentis, quòd Prælati sint domini sub certa lege, scil. si bene utantur; aliàs restituere teneantur.

154. Sextò nititur illo principio: quòd melior sit conditio possidentis. Lex olim, postquàm primævam rerum inter Christianos communionem non ampliùs expedire visum est, bona Ecclesiis oblata in 4. partes divisit, unam destinando Episcopo, alteram Clericis seu Ministris, tertiam fabricæ seu ærario Ecclesiæ, quartam pauperibus. Jam sic: Lex non minùs stat in possessione pro portione pauperum, quàm pro aliorum ex quatuor participantibus; quamdiu ostendi nequit, quòd isti legi fuerit derogatum per aliam legem. Sed quæso! ostendatur, qua Mundi ætate, qua lege, vel à quo S. Pontifice portio per legem priorem pauperibus assignata, ipsis fuerit denuo adempta, aut in alia pia opera commutata, vel applicata. Nónne potiùs præsumere licet, portionem pauperum confusam fuisse cum præbendis & portionibus Clericorum? Ita pro Sententia negativa. Nihilominùs

155. Resolutio nostra stat pro affirmativa, quòd Clerici, & Prælati Ecclesiastici non Regulares probabiliùs sint etiam redituum superfluorum veri domini. Ita cum modernis contra antiquiores: attestante Covar. Episcopo Segobiensi in *cap. cùm in Officiis. de Testam.* Sententiam istam admitti debere ex totius Orbis Christiani consuetudine, quæ si pro corruptela habenda foret, Summi Pontifices ei obviàm irent, & dispensatores superfluorum in usus non competentes ad restitutionem obligarent.

156. Moventur aliqui ad probandam conclusionem ex *cap. un. de Cler. non Resid. in 6.* Trid. Conc. *Sess. 23. cap. 1.* & *Sess. 24. de Ref. cap. 12.* decernente, Clericos, nisi resideant, fidei professionem emittant, ac Divinis Officiis intersint, fructus non facere *suos*. Quæ locutio est illimitata, & absoluta, non distinguens inter fructus necessarios, & superfluos: igitur, Clerici, præstantes præstanda,

da, absolutè omnes fructus faciunt suos. Verùm hoc argumentum à sensu contrario formatum quibusdam parum concludens videtur: potest namque responderi, Canones prædictos loqui de fructibus, quos Clerici possunt facere suos: an verò superfluos possint facere suos, hoc ipsum est in quæstione. Deinde P. Christoph. Todtfeler in *Quæst. Theol. q.* 74. instat, allegatum argumentum non esse absimile huic: Jura dicunt, Testatarium, seu hæredem, non fieri dominum rerum, quæ fuerunt testatoris, nisi testamentum acceptet. Ergo jura supponunt, hæredem, seu testatarium fieri dominum omnium rerum, si testamentum acceptet. Mala consequentia: quia multa erant testatoris, quæ non fiunt hæredis, etiamsi testamentum acceptet: nam res titulô legati aliis relictæ transeunt in dominium legatariorum mox à tempore decedentis è vita testatoris. *l. Aulo Titio* 64. *ff. de furt.*

157. Magis moveor inprimis auctoritate D. Thomæ, qui in 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *in Corp.* bonis patrimonialibus æquiparat bona usui Episcoporum deputata: Textus habet: *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de propriis bonis:* scil. quantum ad dominium. Moveor ulteriùs duplici ratione: unâ, quòd legitima rerum divisio operetur & conferat dominium. At Clericis beneficiatis, & Episcopis per legitimam divisionem fuerunt assignatæ portiones fructuum: ergo ipsis fuit collatum dominium. Altera: quòd ea, quæ alicui dantur in remunerationem, stipendium, & prœmium laboris ac ministerii, cedant in accipientis dominium. Veluti patet in stipendiis Missarum, remunerationibus concionum, & distributionibus quotidianis, quæ præsentibus in Choro obveniunt in plenum dominium. At reditus Clericales, & Episcopales præfato modo dantur Clericis & Episcopis: *cap. quatuor.* 27. *caus.* 12. *quæst.* 2. Vasq. *de Reditib. cap.* 9. *§.* 2. *dub.* 1. Vid. Mostazzo *lib.* 8. *de Piis Caus. cap.* 1. *à n.* 20. & Salmant. *Tract.* 12. *de Just. & Jur. cap.* 2. *num.* 155. ergo cedunt in accipientium dominium. His præcognitis:

158. Resp. ad tria prima opposita ex auctoritate, in texx. ejusmodi immobile fundamentum non posse statui: aliqui enim loquuntur de bonis ad ipsas Ecclesias spectantibus, quorum Clerici, etiam Prælati majores, non sunt domini, sed dispensatores & puri administratores. Quidam de statu divisionem bonorum communium, & erectionem parochiarum, aliorumque beneficiorum antecedente. Nonnulli possunt intelligi de illicita bonorum superfluorum applicatione, vel mala administratione, cum neglectu pauperum, in quos distribui deberent. Hinc patet

159. Responsio ad quartum: videlicet intentioni fidelium & menti fundatorum contraveniri, adeoque & conscientias graviter lædi, si superflua, deducta plena & congrua sustentatione, in pauperes, & pios usus non dispensentur.

160. Ad quintum negandum est, obligationi prædictæ contravenientes, pauperibus teneri ad restitutionem; cùm ipsis nullum jus competat, & Clerici fructus dispensent ùt veri domini.

161. Ad sextum dico, nullam legem pro pauperibus contra Clericos in possessione existere, postquàm semel auctoritate Pontificia beneficiatis & Prælatis Ecclesiasticis suæ quotæ, præbendæ, & reditus competentes per legitimam divisionem fuerunt assignati, & appropriati, quod contigit tempore Papæ Simplicii juxta *cap. de Reditibus.* 28. *caus.* 12. *quæst.* 2. hoc tenore: *De reditibus Ecclesiæ vel oblatione fidelium quid deceat, nescienti nihil licere permittat; sed soli Episcopo ex eis una portio remittatur: duæ Ecclesiast. fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ ministrentur: ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur.*

162. Dubium hîc annecti potest, an Prælati & Beneficiati ex reditibus suis possint Thesaurum colligere ad fundandum ex. gr. Hospitale, vel Capellaniam, &c. Aliqui negant: quia par est peccatum, retinere superflua redituum, ac illos in profanos usus expendere. Mostazzo etiam *lib.* 5. *de Causis Piis. cap.* 4. illam collectationem non concedit, si de præsenti non sit major necessitas pauperum, quàm Hospitalis, Capellaniæ, Monasterii, &c. nisi forsan pauperes essent pauci, iisque sublevatis aliqua superflua restarent. Vid. ipse Auctor *loc. cit.*

## QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

### *An Beneficiati Jure Naturali seu titulo justitiæ superfluos reditus in pauperes aliosque pios usus erogare teneantur: & contra facientes ad restitutionem obstringantur?*

163. Affirmativam amplexi sunt Navar. in *cap. ult. caus.* 16. *quæst.* 1. Alensf. 3. *p. q.* 36. *n.* 302. Henriqu. *Quodlib.* 8. *quæst.* 27. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. Lug. hîc *disp.* 4. *Sect.* 1. Castrop. *de Charit. tr.* 6. *disp.* 2. *punct.* 6. *n.* 6. Nec sinè fundamento. Nam primò bona DEI ex naturali dictamine non sunt profundenda in usus profanos: at bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum sunt bona DEI, id est, cultui Divino, & promovendæ animarum saluti destinata & consecrata.

164. Hinc secundò in S. Trident. Conc. *Sess.* 25. *de Ref. cap.* 1. cavetur & prohibetur, ne Episcopi *ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant &c.* Quæque de Episco-

piscopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam Sæcularia quàm Regularia obtinentibus pro gradûs sui conditione debere observari, sed etiam ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.

165. Ex quo pro tertio fundamento eruitur, Clericorum dominium esse ita restrictum, & inefficax in reditibus superfluis, ut tam illicitè, quàm invalidè eos in usus profanos, expendant, putà in sumptuosam suppellectilem, convivia, lusus, equos, &c. deductis tamen priùs, quæ ad congruam sustentationem pertinent.

166. Quartò: pacta obligant jure naturali, & titulo justitiæ rigorosæ: atqui fideles, qui pias functiones fecerunt, Ecclesiæ ministros, ex illis reditibus alendos, tacito pacto censentur velle obligatos, ut residuum in pauperes, & alios usus pios dispensent. Ergo &c.

167. Quintò: Puri dispensatores & administratores rerum, nihil notabile in usus non concessos erogare possunt, quin obstringantur ad restitutionem; veluti constat in tutoribus &c. At Clerici beneficiati rerum Ecclesiasticarum vocantur passim dispensatores & administratores. Ergo &c.

168. Sextò: recipientes ex donatione aliquid notabile, secundùm viri prudentis æstimationem vix excusantur ab obligatione restitutionis: multò magis ergo ipsi Clerici donatores ex motivo profano.

169. Sententiam negativam sustinent potiores moderni, asserendo, dictam obligationem reditus superfluos erogandi in pauperes, originem trahere non ex aliquo jure Divino aut naturali, vel radice justitiæ rigorosæ, sed ex solo jure positivo; ideoque malè expendentes non teneri ad aliquid compensandum ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, sed manere liberos ab omni obligatione restituendi pauperibus, Ecclesiis, &c. Ita Sotus *lib.* 10. *de Just. quæst.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 47. Haun. hic *tract.* 4. *cap.* 2. *controv.* 2. Salmantic. *eod. tr. cap.* 2. *n.* 155. ubi S. Thom. pro hac eadem Sententia referunt ex 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. suprà à nobis pro Clericorum dominio relatum in verbis: de his autem, quæ sunt specialiter usui suo (loquitur de Episcopo) *deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de propriis bonis;* ut scil. propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, *sicut requirit debitum charitatis.* Ergo (inferunt Salmantic.) obligatio oritur solùm ex debito charitatis, & non ex debito justitiæ. Et ratio fundamentalis est, quòd Clerici (secundùm communiorem hodiernam conclusionem) reditus etiam superfluos expendant, deque illis disponant ùt domini, non quidem illimitati, sed restricti. Quod ergo ex suo erogârunt, per hoc nullum jus alienum læserunt: licèt graviter peccent contra obedientiam præcepto Ecclesiæ debitam, & contra charitatem, pauperibus non subveniendo, ùt præcipit Ecclesia.

170. Confirm. obligatio juris naturalis, & justitiæ sine manifesto jure, aut ratione non est adstruenda. At tale jus, vel ratio nullibi manifestò constat: nec probatur rationibus Sententiæ oppositæ: imò praxis contrarium docet: nam SS. Pontifices contra jus naturale privilegia concedere non possunt: nec in illo dispensare: nec consuetudinem eidem adversam aut approbare, aut saltem tolerare: & tamen Paulus V. in Constitutione edita 8. April. 1606. quæ incipit *in eminenti.* & refertur in compendio apud Haunold. *tract.* 4. *cap.* 2. *contr.* 2. *num.* 85. concessit omnimodam facultatem incolis & Civibus Urbis Romæ, qui in ea vel ejus districtu infra 10. milliaria, non tamen extra debitam Residentiam decesserint, liberè & *licitè* pro libitu voluntatis disponendi *de omnibus* suis bonis, etiam provenientibus ex quibuscunque fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis Ecclesiasticis etiam decimalibus Ecclesiarum & beneficiorum quomodolibet qualificatorum . . . . tam inter vivos, quàm in ultima voluntate in favorem consanguineorum & affinium suorum, & quarumvis aliarum personarum, etiam penitus extraneorum. Insuper decrevit, ut iis decedentibus ab intestato, eorum bona ex prædictis reditibus acquisita, ad talium beneficiatorum hæredes ab intestato aliàs succedentes liberè deveniant.

171. Idipsum jam anteà à Julio III. *statutum* fuisse in Constit. quæ incip. *Cupientes in Alma Urbe nostra.* 6. Idûs Maji 1549. memorat *cit.* Haunold. concludens, quòd sicut hoc fieri poterat ex speciali indulto circa Clericos Cives & incolas Romæ, ita idem fieri possit per consuetudinem in aliis. Præmisit autem *num.* 80. in Germania & Hispania extare talem consuetudinem, ut Clerici de fructibus beneficialibus testentur. Verùm de hac consuetudine alio loco ex instituto tractabitur. His perspectis,

172. Resolutio nostra propendet in hanc posteriorem Sententiam, quòd nempe Clerici Beneficiati & in quibuscunque Dignitatibus constituti, equidem peccent graviter, superflua non erogando in usus pios, & pauperum sublevamen, sed tantùm contra præceptum Ecclesiasticum, nec sint obligati ad restitutionem. Ita ex Salisburgensibus Clariss. P. Mezg. *de Domin. Cler. artic.* 3. & Magnific. D. P. Franc. Schmier. p. m. *Tract. de Reb. Jurib. & person. Eccles. &c.*

173. Ad primæ Sententiæ tres priores rationes Resp. plus non probari, quàm beneficiatos illicitè agere, beneficiales fructus in usus profanos elargiendo: adeoque peccare non solùm contra charitatem proximi, sed, ùt observat Theologia Salisburg. etiam contra Religionem: quia Ecclesia prohibet ejusmodi elargitiones ex motivo religionis: eò quòd bona Ecclesiastica sint DEI.

174. Ad

174. Ad quart. neg. min. nam absque fundamento asseritur, quòd fideles, vel ipsa Ecclesia, illo prætenso pacto, seu onere superflua in pauperes distribuendi, Clericis suorum fructuum stipendia gravent, & conscientias indebitè distribuentium ad restitutionem ligent. Nam (ùt loquuntur Salmanticenses *cit. cap.* 2. *n.* 158.) fideles bona oblata absolutè conferunt Ecclesiæ in sustentationem Ministrorum, & in splendorem eorum statûs, ut DEO vacent expeditiùs, & ab aliis magis in honore habeantur. Prætterquam, ajunt, quòd hæc bona desumpta sint ex decimis, primitiis, & oblationibus, quæ non gratiosè, sed ut debita ex justitia à fidelibus DEO offeruntur in sustentationem Ministrorum ejus. Ergo non poterant tale onus imponere. Quòd verò nec Ecclesia ejusmodi pactum intendat vel onus imponat, colligitur tum ex eo, quòd nullus de hoc Canon sit conditus: tum quòd multoties videat, bona illa non in pios, sed in profanos usus converti, non sine præjudicio pauperum, nunquam tamen pacta vel donationes rescindi jubeat: juberet autem, si ex justitia pauperibus deberentur, aut horum actionem judicialem & querelam admitteret. Deinde pauperes possent uti occulta compensatione, vel solutionem decimarum denegare &c.

175. Ad quint. ex dictis patet, quòd in nostra Sententia Clerici non sint puri administratores superfluorum, sed etiam domini. Quòd verò Clerici malè suos fructus expendentes quandoque vocentur fures, raptores &c. id fieri per quandam exaggerationem advertunt Salmant. *loc. cit. n.* 156. & hoc ipsum à Patribus dici circa divites, qui ex superfluis non subveniunt pauperibus, colligitur ex *cap. Hospitale. dist.* 42. ubi D. Hieron. ait: aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria continere probatur. Et D. Ambros. *Tom.* 3. *Serm.* 81. *Nec minus est criminis,* inquit, *habenti tollere, quàm, cùm possis & abundans sis, indigentibus denegare.*

176. Ad sext. negatur, accipientem superflua teneri ad restitutionem, nisi dantem ad peccaminosam donationem inducat: quia, ùt loquitur P. Mezg. ista acceptatio jam supponit malitiam peccaminosæ donationis, ac proinde non est aliqua ad illam cooperatio; sed talis habet se permissivè, utens jure suo & commodo. Plura ille, singulariter notans, res Ecclesiasticas DEO sacras dici per solam denominationem extrinsecam, dependereque à constitutione positiva Ecclesiæ, ut hæc declaret, quamdiu res pro sacris, & DEO dedicatis, sint habendæ: quod patet exemplo, si aliquæ res Ecclesiasticæ Cantoribus Laicis seu Choralistis titulo debiti stipendii pro labore compensando distribuantur: nemo enim dubitat, quòd taliter distributa denominationem rerum *sacrarum*, ac bonorum DEI, amittant, & posthàc in censu rerum profanarum computentur. Eodem exemplo uti posses, si res Ecclesiasticæ semel fuerint in pauperes erogatæ. Nunc ad distributiones.

# QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

## *An Distributiones quotidianæ subsint liberæ dispositioni Clericorum & Canonicorum?*

177. PRæmittenda est Constitutio Sac. Concil. Trident. *Sess.* 21. *cap.* 3. *Cùm beneficia*, ait, *ad Div. cultum atque Ecclesiast. munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur cultus Div. sed ei debitum in omnibus rebus obsequium præstetur: statuit sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum & quorumcunque proventuum, & obventionum tam dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum, separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur: salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte recipiunt &c.* Sarmiento, Navarrus, Sanchez & nonnulli alii de distributionibus quotidianis, id est, stipendiis ob personalem præsentiam in choro, vel propter functiones alias, vel ministeria peracta distribui solitis, idem sentiunt, quod de reditibus verè beneficialibus & fixis.

178. Ajunt enim primò, fructus quotidianarum distributionum concedi ex reditibus beneficiorum, & ideo cum illa obligatione, scilicet ut superflui in pios usus erogentur, transire ad accipientes: modus siquidem accipiendi non mutat eorum naturam, nec finem, ad quem recipiuntur *l.* 1. *l. legatum* 4. *ff. de administr. rer. ad Civit. Clement. quia contingit.* 2. *de Religios. dom.* Igitur nec modus distribuendi.

179. Ajunt secundò: quando Beneficii fructus condistincti à distributionibus quotidianis ita tenues sunt, ut secundùm se non obligarent ad recitandum breviarium, obligant nihilominùs beneficiatum ad recitationem, quando superadduntur fructus quotidianæ distributionis in ea quantitate, ut congruam sustentationem efficiant. Itaque fructus distributionum censentur esse beneficiales, & quoad superfluum æquali modo expendi debent, quo modo reliqui verè beneficiales. Tertiò ajunt: eo fine propter laborem & præsentiam v. g. in Choro Clericis, vel Canonicis dantur distributiones, ut ex illis vitæ necessaria desumant, non ut liberè & licitè, si quid superfluum fuerit, disponant.

180. Re-

180. Resolutio prima: Quando distributiones quotidianæ sunt distinctæ & separatæ ab ipsis Præbendis seu à grossa, ut vocant, id est, à cumulo communi earum & massa, & dantur specialiter ob chori assistentiam, recipientes de illis possunt pro libitu disponere, ac sine onere exinde erogandi eleemosynam. Card. de Lug. *de J. & J. disp. 5. sect. 3. n. 25.* Mostazz. *de Causis Piis l. 8. cap. 2.* Barb. *J. E. U. l. 3. cap. 18. num. 5.* ex ratione, quòd distributiones sic separatæ à Præbendis non veniant propriè nomine fructuum beneficialium: sed sunt verè stipendia diurni laboris, præsentiæ, & assistentiæ personalis, ac quotidianæ. Ergo S. Trident. in supra allegato præcepto distributiones non comprehendit, eas gravando illo onere expendendi residuum in pauperes, sicuti gravavit reditus beneficiales, ceu fructus propriè tales ex titulo beneficii provenientes. Vid. *cap. un. de Cler. non Resid. in 6. cap. fin. de Præb. in 6.* & *cap. fin. de Concess. Præb. eod. lib.*

181. Resolutio secunda: quamvis secundùm plurimos DD. valde probabile sit, distributiones immunes esse ab obligatione expensionis in pios usus, quando Clericis seu Canonicis conceduntur de grossa, & cumulo communi absque aliqua separatione; vel quando etiam omnes Præbendæ fructus in distributionibus consistunt; attamen Sententia opposita, talem immunitatem negans, non minori probabilitate nititur. Ratio Sententiæ istius oppositæ est, quòd distributiones in hac consideratione acceptæ à propria ratione distributionum degenerent, sintque reverà fructus præbendarum, qui concedi solent non solùm propter præsentiam, & assistentiam in choro, verùm etiam propter alia sacra munia: sicque à titulo beneficiali pendeant. Igitur adinstar aliorum fructuum beneficialium quoad id, quod deductâ congruâ remanet, expendi debent.

182. In confirmationem accedit primò, quòd distributiones ex communi massa vel cumulo pro Præbendariis seu Canonicis asservato dari solitæ, quantum ad portiones Clericorum Divinis Officiis non interessentium, præsentibus seu interessentibus non accrescant, sed ad cumulum redeant, ut tenent Moneta, Garcia, & Trullench. apud Mostazzo *cit. cap. 2. num. 15.* & tamen aliàs id proprium est distributionibus, quòd portiones absentium præsentibus in Choro accrescant. *cap. un. de Cler. non Resident. in 6.* Accedit secundò, quòd bona sit argumentatio: Distributiones, quando sunt separatæ & distinctæ à communi cumulo, fructuum appellatione non veniunt. Ergo quando non sunt distinctæ & separatæ, fructuum nomine veniunt. Item: distributiones, quæ ex communi cumulo extrahuntur, habent se ut quid surrogatum pro parte illa, quæ danda erat illi Præbendæ: ergo sapiunt naturam ejus & reipsa vice Præbendarum funguntur, quando fructus Ecclesiarum in communi reponuntur, posteà inter Canonicos distribuendi, de quibus vid. *cap. cùm olim. 16. de V. S.* cui surrogantur. *l. si cum 10. §. qui injuriarum. ff. si quis cautionib. cap. Ecclesia S. Mariæ 3. ne lit. pend.* Unde transeunt cum obligatione, quæ fructus Præbendarum comitatur, ad suscipientes. Et ita docet allegatus Mostazzo cum Cassiodor. *decis. un. de Cleric. non Resident.* Moneta *de distrib. 3. p. q. 6. n. 16.* Trullench. in *Decal. cap. 8. dub. 10.* Barb. *d. l. 3. cap. 18. num. 86.* His stabilitis, facilè

183. Resp. ad prim. rat. contrar. Sent. argumentum illud procedere de distributionibus inseparatis & indistinctis à grossa, & cumulo communi præbendarum: tunc enim habent rationem fructuum strictè dictorum. Neque verum est, per modum & finem nihil mutari *formaliter*. Certè ex prædicto separationis modo & distributione, ipso Sanchez contrariæ Sententiæ fautore non diffidente, sequitur talis à fructibus beneficialibus mutatio & differentia, ut in supplicatione seu impetratione novi beneficii non debeat exprimi valor distributionum, etsi exprimere oporteat alios fructus beneficiales. Item Canonicus, non recitans etiam privatim horas Canonicas, non tenetur restituere distributiones ex assistentia ad Div. Officium acquisitas: quia scil. non sunt fructus aut reditus beneficiales, sed pura & particularia laboris stipendia.

184. Ad secund. Card. de Lugo *loc. cit. n. 26.* negat consequentiam, dicendo, ad obligationem recitandi horas Canonicas sufficere, quòd quis habeat beneficium, ex quo sustentetur: ad obligationem verò, superflua expendendi in pios usus, requiri reditus, qui sint meri seu veri fructus beneficiales. Inde patet solutio ad tert. rat. contrariam.

185. Dices: Fructus, qui ex Capellaniis percipiuntur, sunt in plena & libera dispositione Capellanorum secundùm Soto *lib. 10. de Just. q. 4. art. 3. concl. 3.* & Navar. *de Reditib. q. 1. num. 75.* quia Capellanis obveniunt tanquam salaria & stipendia obligationis atque oneris dicendi Missas, aut alia munia sacra peragendi: nec præsumitur Ecclesia ejusmodi stipendia velle gravare simili obligatione, quâ reditus alios Ecclesiasticos: nec contraria præsumptio capi valet de intentione fundatorum, ut censet Card. de Lug. *cit. disp. 4. sect. 3. num. 30.* Ergo multò magis distributiones quotidianæ sine discrimine erunt in libera Clericorum dispositione, qui eas ùt stipendia laboris & assistentiæ in Officiis Divinis recipiunt.

186. Resp. prædictam immunitatem equidem rectè admitti in Capellaniis laicalibus, quæque non sunt beneficia Auctoritate Ecclesiastica instituta. Loquendo autem de Capellaniis Ecclesiasticis auctoritate Episcopali legitimè erectis, distinguendum est, sintne fructus Capellaniæ ita tenues, ut solùm pro stipendiis Missarum, & oneris Capellanis impositi, sufficiant: vel sintne pingues? Primo casu probabiliùs cedunt plenæ & liberæ dispositioni eos recipientium: censentur

tur enim tunc esse tantummodò onerum salaria seu stipendia. Mostaz. *d. Causis Piis lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 10. Secundò casu seu quando fructus sunt pingues & ministerium excedunt, meritò respicitur ad voluntatem fundatoris quâ si tacitè vel expressè insinuatum fuerit, quòd omnes pro salario tantùm designaverit, ut salaria habebuntur & ab onere distribuendi superfluum ad pios usus libera. Si verò de mente aliter constiterit, aliter erit observandum, & fructus illi cum aliis beneficiorum reditibus parificandi.

## Dubia Reflexa.

187. Dubium relinquitur primò, quid judicare oporteat, ubi fundator nihil expressit, & mens ejus colligi nequit. Lugo *cit. Sect.* 3. *num.* 30. decidit, universaliter præsumptionem capi debere, quòd testator vel fundator fructus pro stipendio seu salario operis ac ministerii designare intenderit: adjecta ratione: Quia Capellaniæ perpetuæ, id est, Ecclesiasticæ, seu collativæ factæ censentur instar mobilium seu Capellaniarum non perpetuarum, & laicalium, de quibus dictum est suprà, quòd reditus earundem computentur ùt stipendia laboris personalis: Redoan. *de spoliis. quæst.* 3. *& q.* 6. Verùm quia testatores & fundatores, quoties aliud nec tacitè nec expressè statuerunt vel demonstrârunt, juri communi se conformare voluisse censentur, per *l. de illo. ff. de cond. & demonstr.* Menochius *de præsumpt. l.* 1. *præs.* 28. *num.* 2. Rota Romana apud Seraphinum *decis.* 264. *num.* 15. jus verò commune reditus beneficiorum (quibus haud dubiè Capellaniæ Ecclesiasticæ & perpetuæ accensentur, secus aliæ Capellaniæ manuales, mobiles, seu non perpetuæ, titulò carentes) pro meris salariis & stipendiis habere vel designare non solet, sed pro fructibus à titulo dependentibus, & consequenter oneri superfluum in pauperes erogandi obnoxiis, meritò recedimus ab opinione Lugonis, & pingues fructus Capellaniarum, ex fundatorum intentione, in dubio cum aliis fructibus beneficiorum parificari existimamus, illô etiam consideratô, quòd pingues fructus designando potiùs animæ suæ favorem ex pia superfluorum elargitione procurandum, quàm Capellanorum incrementa ex reditibus, respexerint. Mostaz. *d. cap.* 2. *n.* 9. Sententiam contrariam recipiens, non solùm, quando reditus soli oneri Missarum seu alteri servitio correspondérent, sicque rationem salarii præcisè & stipendii induerent; sed etiam, quando in fundatione Capellaniæ vocati essent consanguinei, quorum commodum tunc fundator intendisse censeretur: vel quando ex verbis constaret, quòd omnes fructus per modum salarii designare voluerit, v. g. dicendo: *Omnes reditus seu fructus percipiat Capellanus, ut majori cura, diligentiâ, & perpetuitate Missæ dicantur, & alia onera adimpleantur.*

188. Dubium remanet secundò: in quales pauperes sint eroganda superflua? Resp. Haunold. *Tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 89. ex Sententia omnium, apud Fagnanum, pauperum nomine intelligi quamcunque causam piam. Inter ipsas verò personas pauperum venire non solùm, quibus deest necessaria vitæ sustentatio, sed etiam, qui egent necessariis ad suum statum conservandum, quales hoc tempore non infrequenter sunt etiam Personæ Illustres. Addit, per se loquendo ab ejusmodi eleemosynis non esse exclusos pauperes extraneos; quamvis, premente gravi necessitate, præferri debeant membra illius Ecclesiæ, à qua bona redituum profecta sunt, quæque ad subveniendum pauperibus erant obstricta, antequàm bona in Beneficiarios fuerunt divisa, & collata. Qua de re fusè tractat Card. de Lug. *cit. sect.* 3. *à num.* 37.

189. Dubium remanet tertiò: quænam in congrua sustentatione comprehendantur? Inde enim sciet Clericus beneficiatus, quid superfluum sit, & in pias causas, v. g. pauperes erogandum? Volo hìc audiri sapientissimos Salmanticenses, qui nolunt neque conscientias onerare, nec eas relaxare, sed suaviter & prudenter instruere, quæ probabiliora atque selectiora sunt, in medium proferre. Asserunt ergo *dict. cap.* 2. *num.* 148. generaliter, quòd pro varietate temporum, usuum, regionum & personarum, plùs minúsve quilibet propriis usibus applicare possit: consuluntque, ut attendatur, quid timorati & prudentes similis statûs operentur, & juxta morem illorum se gerat. Episcopus (pergunt) potest plus in suam familiam, & sustentationem, & splendorem insumere, quàm Decanus; & hic plus quàm Canonicus particularis: & idem de Beneficiariis intelligas, quòd qui ditiori fungitur beneficiô, possit ampliùs in suî sustentationem insumere sic, ut in omnibus detur infimum, medium & summum, sicuti in mercibus. Et quamvis meliùs agat, qui medium tenet, potuit tamen licitè ad summum statûs & conditionis attingere; vel quidquid inde detraxerit, consanguineis vel amicis conferre, alióve modo, quo maluerit, distrahere. Lug. *supr. sect.* 4. *num.* 53. Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *n.* 40. Coninch. Palaus &c.

190. In hac congrua sustentatione clauduntur, quæ ad sui suæque familiæ honestam & decentem sustentationem requiruntur: aliqua etiam moderata convivia, quæ amicis & consanguineis sunt pro beneficii qualitate; etiam aliquæ donationes liberales moderatæ, quæ expediunt statui beneficiarii, tum ad conciliandos animos, tum ad benevolentiam ostendendam. Etiam parentibus & consanguineis aliqua donare, ut possint vivere ita honestè, ut dedecus non sit beneficiario, vel Episcopo, eos propinquos habere. Lug. *cit. l. n.* 90. Sanch. *Consil. l.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 8. Coninch. *disp.* 27. *de Cha-* rit.

*rit. num.* 177. Palaus *eod. loc. &c.* Unde dicit Lugo, posse Episcopum vel Cardinalem dare fratribus vel consanguineis ex reditibus Ecclesiasticis ad sublevandum eorum statum; quia qui Cardinalem aut Episcopum fratrem vel consanguineum habent, tametsi inferioris notæ essent, ratione conjunctionis cum illo elevantur ad alium statum altiorem, & jam in tali statu constitutis dare possunt, quæ necessaria sunt ad sustentationem ejus; quod non est dare consanguineis, ut eos *ditent*, quod prohibet Tridentinum, sed ut illorum succurrant indigentiæ secundùm illum statum.

191. Denique, quò Clericus fuerit nobilior & doctior, eò plura assignanda sunt illi pro sustentatione, per *cap. de multa* 28. *de Præbend.* ubi dicitur: *Circa sublimes & literatas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* & ex Trident. *Sess.* 24. *de Ref. cap.* 17. Quia hæ personæ ratione suæ nobilitatis & doctrinæ regulariter plus aliis Ecclesiæ prosunt, ceditque in splendorem & Auctoritatem Ecclesiæ, Ministros nobiles habere & doctos. Sed hoc intelligendum est, ut nunquam ob nobilitatem excedant limites modestiæ Christianæ; &, si notabiliter in scientia & nobilitate alios excedant, non possunt tantum insumere ex bonis Ecclesiasticis ad conservandum splendorem suæ nobilitatis, ac si ex bonis patrimonialibus essent sustentandi: quia hoc erit limites modestiæ & decentiæ illius statûs excedere; & sic filius Regis non potest tantum ex bonis Ecclesiasticis insumere, ac si expenderet secundùm suam nobilitatem, si ex bonis paternis suis vellet splendorem conservare. Hactenus Celeberrimi, ac Religiosissimi P. P. Salmanticenses. Cæterùm qui plura rescire cupit, qua ratione Ecclesiastici se gerere debeant in tractandis bonis ad Ecclesias pertinentibus & patrimoniis pauperum, amplissimam eruditionem inveniet in Ludovico Thomassino *de Veteris & Nova Ecclesiæ Disciplina, tom. 3. part. 3. lib. 3. à cap. 26.* Quid verò observandum sit in rerum Ecclesiasticarum alienatione, eruere oportet ex *Lib. 3. Decretal. tit.* proprio, & aliis concurrentibus, quam materiam ego congessi in meo *Tract. de SS. Ecclesiis &c. part. 2. Dissert. 3.*

## QUÆSTIO DECIMA QUINTA.

### *An incapacitas Dominii in Religioso proveniat ex natura voti Paupertatis? vel aliunde?*

192. Statum Religiosum definit Laym. *Theol. Moral. l. 4. tr. 5. cap. 1.* quòd sit fidelium ad Christianæ vitæ & charitatis perfectionem tendentium mediis votis perpetuæ paupertatis, castitatis ac obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.

193. Vox hæc *Regulares* (cùm omnes sub aliqua Regula viventes Regulares dicantur) latiùs patet, quàm vocabulum *Religiosi*; quo communiter soli illi intelliguntur, qui tria vota substantialia emiserunt. Esto autem diversa sint Ordinum instituta, unus tamen omnium finis & scopus est, scilicet tendere ad perfectionem vitæ Christianæ, & totum sese addicere ad servitium & cultum Divinum: Idque commendat Christus *Math.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Deinde statum perfectiorem, quis sit, indicaturus, subdit: *Si vis perfectus esse; vade, vende, quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, sequere me.*

194. Ex Doct. Angel. Religiosus non est transgressor Religionis & Professionis, si non sit perfectus; sed si contemnat ad perfectionem tendere. Est namque Religio schola virtutum, in qua, non minùs, ac in literaria, quidam citiùs proficiunt, alii tardiùs. Conveniens verò erat diversitas Ordinum, ut Ecclesia Christi circumdata esset varietate: neque idem rigor vel modus est omnibus complexionibus ac nationibus æquè accommodus: dicente Apostolo *Rom.* 12. & 1. *Cor.* 12. In uno corpore multa membra esse, omnia autem membra non eundem actum habere.

195. Vitæ religiosæ institutum dicitur incepisse à tempore Apostolorum, præsertim quoad Imitationem Christi in desertione rerum temporalium, ùt patet ex illo *Act.* 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Hinc D. Chrysost. *l. 3. cont. Monast. vit. vitup.* ait, Ecclesiam DEI ab initio fuisse veluti Monachalem Religionem, & Apostolos duxisse vitam Religiosam, imò emisisse Religionis vota, ex Suarez. & aliis tradit Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. disp. 2. quæst. 3. & 4.* Hujus rei largam deductionem texit Ludov. Thomassinus *de veteri & nova Ecclesiæ Disciplina tom. 1. part. 1. lib. 3.* ubi *cap.* 14. agit *de Confœderatione & conjunctione Clericatûs & Monasticæ Professionis secunda Ecclesiæ ætate*, hoc est, *à Clodoveo usque ad Carolum Magnum: in Italia primùm & Anglia: sub num.* 7. ita scribens: ,,Sed quæ,, vel optari fingive potest major copula, vel,, arctior Confœderatio Clericatûs, & Clau-,, strorum, quàm quæ in Palatio ipso Aposto-,, lico Gregorii mirandam se potiùs quàm,, imitandam Orbi terrarum, venturisque sæ-,, culis ostentavit. Ibi enim simul Monacho-,, rum, simul Clericorum flos delibatus, par,, virtutum fervor, par litterarum sacrarum,, studium. Inde velut ex Episcopali & Apo-,, stolico Seminario Clericorum Monacho-,, rumque, pullulârunt Episcopi complures;,, Apostoli quoque nonnulli ad debellandum,, dia-,,

,, diaboli Regnum, ad propagandum ultra ,, ipsa maria Christi imperium hinc prodiê-,, re. . . . Non facilè mihi persuaserim, Mo-,, nachorum Gregorii ea prima fuisse rudi-,, menta in Angliæ, quasi alterius Orbis con-,, versione tentanda profligendaque.

196. ,, Probabilius utique est, specimen ,, aliquod sui eos antè edidisse, & quasi prælu-,, sisse sibi in agris villisque ac vicis propè ,, Romam Verbi Divini semente conspergen-,, dis. . . . Consignavit Gregorius (in suis ,, Dialogis) victorias quas B. Benedictus con-,, cionibus suis de quibusdam Paganorum re-,, liquiis reportavit. ,, *Commorantem*, ait, *circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat.* Item: *Vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ab idolorum cultu, Benedicti fuerat exhortatione conversa.*

197. Post plurima alia laudatus Thomassinus *loc. citat. cap.* 18. quod inscribitur *de Conjunctione Clericalis & Monastici Instituti post Annum Christi Millesimum,* sub *num. finali,* ita concludit: ,, Insignia hæc summæ cujusdam Cleri cum ,, Monastico statu conjunctionis, complecti ,, paucis potuissemus Bernardi verbis, qui ,, Monachorum columen & decus semper ,, fuit, nunquam verò assentator. ,, Ordinem Monasticum cum Ecclesia cœpisse, ait, imò ab eo cœpisse Ecclesiam. *Ordinem nostrum, qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia; cujus Apostoli Institutores, cujus hi, quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores extiterunt.* ,, Apertiùs alibi ab eodem proditum ,, est, Apostolos non tantùm Clericalis Ordi-,, nis initiatores, & parentes fuisse, Divinis ,, Sacerdotii functionibus, sed etiam Institu-,, ti Monastici, observantiâ Religiosissimâ ,, Consiliorum Evangelicorum. Itaque cùm ,, in ipsa sua origine conjunctissimi fuerint ,, hi status, fieri non potest, quin in longo ,, sæculorum decursu mutuæ necessitudinis ,, vincula servent indissolubilia, ad utrius-,, que incolumitatem & gloriam sempiter-,, nam. Otto Frisingensis Episcopus in ea ,, fuit Sententia, hac Congregationum Reli-,, giosarum Sanctissimarumque multitudine ,, suspendi ac retundi tela ultricis iræ DEI, ,, in terras tot flagitiis facinoribusque de-,, mersas alioqui sævituræ. ,, *Ex peccatorum nostrorum multitudine haud diu stare posse Mundum putaremus, nisi Sanctorum meritis veræ Civitatis DEI Civium, quorum in toto Orbe copiosa variè & pulchrè distincta florent Collegia, sustentaretur. Diversos Religiosorum Ordines, quorum, ut dixi, Sanctitate à misericordissimo Judice malignitas Mundi supportatur, silentio præterire incongruum arbitramur; ut tantorum malorum turbulentiæ clarorum virorum gesta insignia metam & articulum ponamus.* Hucusque ex Thomassino. Ut jam propiùs ad propositam Quæstionem accedamus, notandum est,

198. Ex concessione Nicolai III. in *Extrav. exiit. de V. S.* & Concilii Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* omnes Religiones (exceptis Minoribus de observantia & Capucinis) capaces esse quorumcunque bonorum in communi. Neque hoc voto Paupertatis adversatur: nam vi voti tollitur à singulis Religiosis facultas bona distrahendi, vel recipiendi, nisi ex licentia Superiorum, qui nomine communitatis bonorum administrationem gerunt, penes quam communitatem dominium illorum existere intelligitur. Hinc illud notum: *Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit, cap. olim 2. de Privileg.* quapropter nulli in particulari qualecunque dominium, vel libera ac independens possessio vel administratio rerum temporalium hodie competere valet, quod disertè statuit S. Trid. Conc. *cit. Sess.* 25. *cap.* 2. *Nemini igitur, Regularium*, ait, *tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat &c.* Cæterùm pauperpatis rigor non est idem in omnibus Religionibus: alius siquidem est apud Ordines Mendicantes, alius apud non Mendicantes, alius Monachorum, alius Canonicorum Regularium. Quæritur modò, utrùm abdicatio dominii, vel etiam independentis administrationis rerum, sit ex natura rei inseparabilis à statu Religioso, & cum voto paupertatis necessariò ac ab intrinseco connexa?

199. Videtur affirmativè respondendum. Nam primò in *cap. cùm ad Monasterium 6. de stat. Monach. & Can. Regular.* Innocent. II. dicit: *Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et supra idem Pontifex comminatus est, quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.

200. Secundò: quia D. Tho. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 5. paupertatem religiosam definit, quòd sit voluntaria rerum abdicatio, per quam Religiosus earum proprietate privatur. Concordat *cap. non dicatis. caus.* 12. *quæst.* 1. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

201. Tertiò: ex allegato S. Conc. Trid. satis liquet, Religiosis nequidem aliquod peculium juris imperfecti, quo ipsis tribuatur possessio, vel administratio, à superiore etiam pro arbitrio revocabilis, concedi posse: ibi: *Nemini liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint &c. tanquam propria aut etiam nomine Conventûs possidere &c.* Quantò minùs ergo possibilis erit cum statu Religioso retentio dominii?

202. Quartò: quia ex natura statûs Religiosi, qui in Religione aliqua emittit vota substantialia, relinquit Mundum, eique toto pectore valedicit, & econtra mente à tem-

temporalium rerum affectu prorsus depurarata uni & soli obsequio DEI, quem unicè quærere debet, se mancipare intendit. Hoc autem pugnare videtur cum animo adhuc in dominia rerum terrenarum tenaciter declivi & propenso.

203. Quintò: In eo, quod auctoritate dispensationis Pontificiæ auferri nequit, meritò agnoscimus aliquid statui Religioso essentiale. At in abdicatione proprietatis, ut proprietas retineatur, vel acquiratur, ipse Pontifex in *cit. cap. cùm ad Monasterium.* Facultatem dispensandi deesse fatetur. Ergo abdicatio proprietatis statui Religioso est essentialis. Adde D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11.

204. Resolutio prima: Nullus Religiosus solenniter Professus est capax dominii rerum temporalium; quamvis capax sit ipsa Religio. Hæc Conclusio est clara, & per texx. in *num.* 198. relatos firmata.

205. Resolutio secunda: Incapacitas dominii rerum abdicabilium in Religioso Professo non provenit ex natura voti solennis, sed ex dispositione Juris positivi. Lessius *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 27. P. Totfeller in *Q. Q. Theol. quæst.* 75. *Theol. Salisb.* hic *disp.* 30. *art.* 2. *num.* 10. Clar. P. Schmalzgrueb. ad *tit. de stat. Monach. num.* 4. ubi dicit, non esse de essentia Paupertatis religiosæ, ut dominio rerum temporalium privet, sed tantùm ut privet potestate utendi citra consensum superioris: ita, ut, illo volente tenearis etiam dominium abdicare.

206. Probatur. Votum simplex paupertatis in aliqua Religione approbata emissum, non inducit ex natura voti incapacitatem dominii, sed defactò in quibusdam Religiosis relinquit verum & integrum rerum temporalium dominium. Ergo nec votum solenne illam incapacitatem ex se inducit. Ant. est certum, & constat in Scholasticis Societatis, & Coadjutoribus non formatis, qui post biennium emittunt vota substantialia statûs Religiosi, scil. simplicia, suntque pro veris (& non tantùm bullatis, aut privilegiatis ut aliqui olim perperàm dicere non verebantur) Religiosis habendi, veluti declaratum fuit à Greg. XIII. in Bullis: *Quantò fructuosiùs:* & altera, quæ incip. *ascendente Domino:* Et nihilominus retinent dominium rerum suarum; Ergo quamvis de facto omnes solenniter Professi sint incapaces dominii, & cujuslibet juris rerum temporalium, id tamen non provenit ex natura voti solennis: ex quo ergo? nihil excogitaveris, nisi jus positivum Ecclesiasticum in *cit. texx. cap. cùm ad Monasterium &c.* & Concil. Trid. *loc. cit.* Conseq. legitimè infertur ex eo, quòd secundùm *cap. un. de vot. in* 6. votum solenne & votum simplex in ratione voti non differant, sed solennitas sit inventa sola Constitutione Ecclesiastica, Ecclesia scil. acceptante & ratihabente vota ad certos effectus juridicos, speciatim ad inhabilitatem ad dominium, & impedimentum dirimens Matrimonii post Professionem contrahendi.

207. Confirmat. à pari: esto aliquis voveat castitatem perpetuam, & seria voluntate, quantum valet, se petat reddere inhabilem ad Matrimonium contrahendum, attamen voluntas earum non est virium, ut revera reddatur inhabilis ad Matrimonium validè ineundum, quamvis illicitè contrahat: econtra ex potestate Legis publicæ Ecclesiast. inhabilis reddi potest ad Matrimonium validè contrahendum, uti constat in voto solenni Castitatis, cui Ecclesia speciali Constitutione illam vim dirimendi Matrimonium indidit. Ergo similiter, esto quis seria voluntate, quantum valet, se petat reddere inhabilem ad acquirendum dominium, attamen voluntas non est earum virium, ut per votum emissum reddatur inhabilis ad illud validè acquirendum, quamvis illicitè dominium acquirat, ac de rebus disponat; econtra ex potestate legis publicæ Ecclesiast. Paupertatis votum solennizantis voluntas voventis efficax reddi potest ad inducendam incapacitatem dominii. Hæc omnia magis elucidabuntur ex Quæst. proximè sequenti. Interim

208. Ad tria priora contraria Resp. concedendo, defactò nullum solenniter Professum esse capacem dominii; at non ex natura Professionis, aut statûs Religiosi, sed virtute & auctoritate Sacrorum Canonum, illam incapacitatem pro solenniter Professis statuentium. Quod attinet ad peculium, notandum venit, illud sumi posse, vel, prout est jus quoddam perfectum cum facultate eò liberè utendi, ac cum independentia ab alio disponendi; vel prout est jus quoddam imperfectum, tribuens administrationem, detentionem, & usum ab alterius arbitrio dependentem atque revocabilem. Priori modo sumptum peculium Prælati Religionum suis Religiosis nunquam concedere potuerunt, refragante voto paupertatis, saltem post conditos Canones in *num.* 199. *citatos.* Posteriori modo sumpti peculii Religiosus jure antiquo probabiliùs non erat incapax. An nec sit incapax Jure novissimo, S. Concilii Tridentini (ex natura voti nulla apparet incapacitas) Doctores discrepant. Navar. *Commentar.* 2. *de Regular. num.* 15. *& seqq.* & *Consf.* 3. *num.* 32. *de stat. Monach.* Mirand. *tom.* 1. *Man. Præl. quæst.* 28. *art.* 8. Sanch. *l.* 7. *Moral. cap.* 22. *num.* 11. Barb. *de Offic. & pot. Episc. alleg.* 103. *n.* 6. Murga *tom.* 2. *Disquis.* 6. *dub.* 2. *§.* 3. *num.* 50. Engel *de stat. Mon. num.* 2. aliique censent, à Tridentino in supra *cit. Sess.* 25. *c.* 2. *de Regular.* nullum jus novum introductum fuisse, sed per tenorem illorum verborum *(ut deinceps nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur)* jus antiquius Decretalium, statutum jam

jam in *cap. Monachi 2.* & *cap. cùm ad Monasterium &c.* solummodò noviter declaratum: neque ulla à Tridentino fit mentio, quâ abroget peculia à nutu Superiorum dependentia. Econtra complures, novum jus in *cit.* Tridentino statutum fuisse, probant adducendo Declarationes Cardinalium, quas in forma Authentica lubens inspicerem. Hos inter refertur Suarez. *tom.* 3. *de Relig. l.* 8. *cap.* 14. Vasq. *de Redit. cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 14. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 4. *n.* 30. Pal. *tract.* 16. *Diss.* 3. *Punct.* 7. *num.* 5. Thomas *de Benefic. p.* 1. *l.* 3. *c.* 21. Monacel. *p.* 1. *formul. Legal. in Append. fol.* 291. *num.* 2. Eminentiss. Vincent. Petra *tom.* 4. *Comment. Constit. Apost. fol.* 169. *num.* 25. *& seqq.* Quidquid sit de rigore juris, ille tamen per consuetudinem temperatus cernitur; cùm Prælati Regulares passim suis subditis Regularibus, non tantùm extra Claustra Monasterii, sed etiam intra, degentibus, ad usus necessarios, moderatos, & honestos aliqua concedere soleant. Pal. *dict. Punct.* 7. *num.* 6. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de stat. Monach. à num.* 30.

209. Ad tert. dico, etiam in retentione dominii, si quis totalem rerum dispositionem abdicet, affectum à rebus temporalibus cohiberi & abdicari posse, & DEO (in quo omnium rerum creatarum & creabilium nobilitates, ac thesauri eminenter continentur) affigi. Revide Paupertatem Jesuitarum, qui emissis votis simplicibus, dominium rerum ad tempus retinent, affectu haud dubiè depurato, & DEO mancipati.

210. Ad quint. Resp. hodie ùt probabiliorem Sententiam invaluisse, quòd Sedes Apostolica in quovis voto solenni validè & licitè dispensare valeat subsistente nimirum gravissimâ causâ, qualis esset v. gr. conservatio Regni, pacis, & tranquillitatis publicæ, conversio alicujus nationis. Salmanticens. *tract.* 15. *de stat. Relig. cap.* 1. *à num.* 42. Votum simplex Castitatis perpetuæ vel paupertatis citra controversiam Dispensationi Pontificiæ subjacet. Quidnî ergo etiam votum solenne? cùm solennitas solo jure Ecclesiastico sit introducta, & solenne de cætero à simplici non differat juxta *num.* 206. Facta autem ejusmodi dispensatione, dissolveretur in dispensato status Religiosus: texx. verò in *cap. Monachi.* & *cap. cùm ad Monasterium* ac similes hanc dispensabilitatem in dubium vocant in sensu composito, ut dispensatus maneret Religiosus, quod nos non dicimus. Quò serviunt verba D. Thomæ in 4. *dist.* 38. *art.* 4. *quæst.* 1. *ad* 3. ubi in rem præsentem de Potestate Summi Pontificis loquens, sic habet: *Et ideò alii dicunt probabiliùs, si communis utilitas totius Ecclesiæ aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter & in voto Religionis, & in voto continentiæ dispensare, quantumcunque esset solennizatum.* Ita sentiunt apud Salmantic. *d. cap.* 1. *num.* 42. Cajet. in 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Lezana, S. Antonin. Barthol. à S. Faust. Pellizar. Palaus *tract.* 16. *disp.* 5. *punct. ult. num.* 5. Basil. Pont. *de Matr. lib.* 7. *c.* 10. *num.* 2. Ledesma *de Matr. q.* 65. *art.* 2. *ad* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 26. Rodriquez. *tom.* 3. *Q. Q. Regular. quæst.* 5. *art.* 5. Less. *lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 29. *à n.* 142. Sanchez. *de Matr. l.* 8. *disp.* 8. *n.* 7. & in *Summ. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. ac plures alii.

211. Nec contrarius est sibi D. Thom. quando *cit.* 22. *quæst.* 88. *art.* 11. dicit, Papam in voto solenni Castitatis dispensare posse cum Sacerdotibus, non verò cum Religiosis. Nam ad hoc Resp. Cajet. *loc. cit.* Opinio ista de indispensabilitate voti solennis Religionis, non est Authoris absolutè; sed cum duabus limitationibus, quæ habentur in littera. Prima limitatio est, quia decretum Extravagantis de statu Monachorum sentit hoc: Inchoat enim sic Author: *Sed quia Decretalis adducta expressè dicit, quòd nec S. Pontifex potest contra custodiam Castitatis Monacho licentiam dare, ideo &c.* Secunda limitatio est, quòd opinativè Author hoc sentiat: unde statim subdit: *ideo aliter videtur dicendum:* Est igitur ista, non Sententia, sed opinio Authoris, quatenus ex decretali dependet; & quoniam ejusdem est interpretari Canonem, cujus est condere illum, si Author vidisset, Summum Pontificem declarâsse, quòd decretalis illa intelligatur stante Monachatu, procul dubio non suscepisset onus hujus opinionis, ad defensionem illius Decretalis non interpretatæ. Videtur autem pluries à Romano Pontifice declarata decretalis illa, cùm dispensaverit cum multis Religiosis, ut contraherent Matrimonium.

212. Huic responsioni se conformant Salmantic. *loc. cit. num.* 45. cum Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 1. & Basil. *de Matr. cap.* 10. *lib.* 7. *num.* 3. quòd Doctor Angel. in *cit. art.* 11. solùm voluerit, non posse dispensari in voto castitatis, ut dispensatus contrahat Matrimonium, & tamen adhuc maneat Monachus: nam in *Corp.* ait: *Non posse Pontificem dispensare in hoc voto, sicut potest dispensare in voto Castitatis Clericorum. Clericus enim manet in statu Clerici, etiam ablatô votô Castitatis, & tamen omnino ablato voto Castitatis non maneret Monachus in statu Religiosi; cùm status iste tria vota essentialiter requirat.*

213. Deinde (ut alteriùs observant laudati Salmantic.) Div. Thomas impugnando opinionem contrariam notanter dicit, esse quorumdam Jurisperitorum, & ignoranter sic sentire. Si tamen de absoluta dispensatione votorum loqueretur, sine causa hanc opinionem tantùm tribueret aliquibus Jurisperitis, quam multi Theologi tempore D. Thomæ defendebant, & ipse D. Thom. *loc.* paulò ante ex 4. *Sent. dist* 38. adducto. Nec diceret, insipienter sentire, qui Sententiam à multis viris doctis, & ab ipso D. Thom. alibi traditam tenebant.

214. Si quis instet, fundamentum nostræ Conclusionis potissimùm collocari in exemplo Jesuiticæ Paupertatis, quæ, retentô etiam dominiô, cæteris cum votis simplicibus verum Religiosum constituat: hoc autem

tem intelligi debere, quòd Jesuitæ illi sint solùm Religiosi conditionatè, id est, si dominium suo tempore actu à se abdicent, & dimittant: talis redarguitur à Gregorio XIII. Pont. Max. tam in Bulla *quanto fructuosiùs*. quàm in alia, quæ incipit: *Ascendente Domino*.

215. In prima satis prolixa, quæ incipit: *Quantò fructuosiùs*, mirè extollitur Institutum Societatis, ejusque ordinatio, graduumque distinctio refertur. Deinde prope medium Pontifex sequentia ponit. *Quapropter* „Societatis Corpus in sua membra, ordinem, „& gradus idem Ignatius Divino instinctu „ita duxit disponendum, ut bienniô Novitiatûs absolutô, omnes, qui in Societate „perseverare voluerint, tria vota substantia-„lia quidem Paupertatis, Castitatis & Obe-„dientiæ, simplicia tamen, emittere debeant, „ac Novitii esse desinant. Quibus votis „emissis, in Corpus ejusdem Societatis co-„optati, & quantum ex parte ipsorum est, „perpetuò obligati remanent. Quòdsi in-„jussi discedant, Apostasiæ notam, & excom-„municationis ac alias, quibus ipsi Professi „subjacent, pœnas incurrunt; quamvis ra-„tionabili ex causa, juxta Constitutiones „easdem„ (videl. ipsius Societatis à Paulo III. & IV. confirmatas) „ab ipso Præposito „Generali dimitti, & votis hujusmodi libe-„rari possint. . . . Quod verò ad Pauper-„tatem attinet, quamvis bonorum suorum „jus atque dominium justas ob causas pro „Superiorum arbitratu ad tempus retinere „valeant, ut in pios usus, juxta Evangeli-„cum Consilium distribuant, in illorum ta-„men usu Religiosam paupertatem servant, „nec ulla re, tanquam propria & sine Supe-„rioris facultate uti possunt. Peractis igi-„tur hujusmodi probationibus & experi-„mentis, cùm dictæ Societati in Domino „per ea fuerit satisfactum, quos idem Præ-„positus Generalis idoneos judicat, eos vel „ad Professionem per vota solennia, vel ad „Gradus Coadjutorum formatorum Spiri-„tualium, si Sacerdotes, vel Temporalium, „si Laici sint, per vota eadem publicè emis-„sa, quamvis non solennia, juxta Constitu-„tiones admittit. Quibus emissis, eò ipsò „nihil omnino proprii ampliùs vel domi vel „foris habere possunt: fiuntque incapaces „dominii cujuslibet hæreditariæ successio-„nis; nec propter emissa hujusmodi vota „publica, aut per mortem ab intestato, in „illorum, sicut nec in Professorum bonis, „Domus ulla aut Ecclesia, vel Collegium di-„ctæ Societatis succedere potest. Et licet „post emensum biennium Novitiatûs tria „ista vota simplicia emittentes &c. verè & „propriè Religiosos esse compertum sit: „nonnullorum tamen animos, qui pii alio-„qui & utiles operarii existunt, sollicitari „& affligi contingit, quasi non sint Religio-„si, eò quòd non sint Professi. . . . Tandem Pontifex declarat, prædictos verè & propriè Religiosos fuisse & esse, & ubique semper & ab omnibus censeri & nominari debere &c.

216. In altera Bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino*: prælaudatus Pontifex contra omnes contradictores, qui priorem Bullam sinistrè interpretantur, vel à Papa ùt Doctore privato tantùm emanâsse comminiscuntur, non solùm suam declarationem, quòd Jesuitæ post emissa vota sint verè & propriè Religiosi, de novo roborat, verùm etiam præcipit in virtute S. Obedientiæ, ac sub pœnis excommunicationis latæ Sententiæ, nec non inhabilitatis ad quævis Officia & beneficia sæcularia & quorumvis Ordinum Regularia, eò ipsò absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem sibi & Successoribus suis reservat) ne quis, cujuscunque statûs, Gradûs & Præeminentiæ existat, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam præsentes, aut quemvis earum aut supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supra dicta concernens, quovis disputandi vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat &c.

217. Dices: Quomodò ergo religiosam se vovisse paupertatem, dicunt, si domini sunt? *Resp.* P. Christoph. Todtfeller è Soc. Jes. *quæst.* 75. §. 4. Quia Domini sunt, & nihil minùs quàm Domini faciunt. Nec utuntur, nec salva voti religione uti possunt suis bonis, debentque ita animo comparati esse, ut eo temporis punctô, quo potestas major ad majorem DEI Gloriam expedire judicaverit, ipsum quoque dominium exuere, & à se penitus abdicare velint: quæ res momenti perquàm maximè ardui & exquisitæ paupertatis insigne tormentum est; quid enim tam acerbum, quàm sitire penes aquam, & in ipsa abundantia pati penuriam? Hæc P. Todtfeller.

218. At, nunquid votum paupertatis privat potestate disponendi pro arbitrio? Scholastici Societatis nónne pro arbitrio suo validè de rebus suis disponunt? *Resp.* ille, eos ratione voti paupertatis non privari equidem disponendi potestate, impediri tamen ne (scil. licitè) pro arbitrio disponant: validè autem de suis bonis disponunt, etsi superiorum consensum prætereant: nullum siquidem jus extat, quod dispositiones irritas declaret. Sic quia ante Bullam Gregorii XIII. nullo jure erant inhabiles ad contrahendum Matrimonium, validè illud contraxerunt, licèt illicitè: ergo etiam validè jam disponunt; quia nec vi voti paupertatis, nec alio jure positivo, inhabiles sunt ad disponendum.

219. Neque per hoc perfectioni paupertatis quidpiam derogari putes: nam *Resp.* Haun. *de J. & J. tract.* 4. *cap.* 1. *contr.* 1. *n.* 12. quòd dominium ligatum, nec potens exerceri sine superioris licentia, & etiam ad ejusdem nutum abjiciendum nihil, obstet perfectioni acquirendæ à subdito, ùt docet Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 4. *cap.* 4. *num.* 12. ille enim verè

verè affectu & effectu pauper est, qui spontaneo voto reddit sibi turpem usum cujuscunque rei sine consensu & licentia superioris: in æstimatione enim morali non aliter suis bonis gaudet, quàm si illorum dominium non haberet: & in effectu censetur omnium rerum usum, qui illi conceditur, habere precariò. Tene, quod magis placuerit.

# QUÆSTIO DECIMA SEXTA.

## *An Regularis in Episcopum assumptus fiat capax dominii, præsertim quoad reditus Episcopales?*

220. PRima Sententia affirmat. Nec sine fundamento: partim, quia talis Regularis à jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvi dicitur in *cap. un. caus.* 18. *quæst.* 1. partim, quia, inspecto *cap. statutum. caus.* 17. *quæst.* 1. liberatur à voto paupertatis: cùm juxta SS. PP. à Synodo confirmatum ibi dicatur, *ut Monachus, quem electio Canonica à jugo Regulæ Monasticæ absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem posteà jure vendicandi potestatem habeat.* Certè res sibi vindicare posse, signum est capacitatis ad acquirendum dominium: partim denique, quia in tali ad Episcopatum assumptione Summus Pontifex cum Regulari censetur dispensare in voto Paupertatis: neque enim hoc votum cum independente & perpetua redituum Episcopalium administratione compatibile esse videtur. Neque monstrari poterit, ad quem rerum illarum dominium transferatur. Accedit, nimis conscientiæ onerosum fore, si Episcopus ex Regularibus assumptus, qui fortè notabiles reditus in usus profanos & superfluos dispensaverit, ad restitutionem adstringatur, deterioris conditionis futurus, quàm alii Episcopi ex Clero assumpti, qui à restitutione malè expensorum, juxta nostra asserta, deobligati sunt. Pro hac Sententia Salmantic. *Tract.* 12. *de J. & J. cap.* 2. *à n.* 159. allegant Sotum de *Justit. l.* 7. *q.* 4. *artic.* 2. *ad ult.* & *l.* 10. *q.* 5. *art.* 7. Vasquez. in 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *disp.* 165. *cap.* 8. *n.* 91. & *n.* 104. Et in *Opusc. de Reditib. cap.* 3. *dub.* 7. Mich. de Medina *de Sacra homin. continent. l.* 5. *cap.* 26. *&c.*

221. Altera & opposita Sententia, inprimis supponit, in Regulari ad Episcopatum evecto, statum Religiosum minimè dissolvi: tum, quia nulla apparet inconvenientia aut incompatibilitas inter statum Religiosum, & Episcopalem, maximè quòd in Episcopis requiratur status perfectionis, ad quam omnino conducit status Regularis, adstringens ad sectandam Christianam & Evangelicam perfectionem: tum etiam, quia Episcopus ex Regularibus assumptus habitum Regularem Ordinis sui adhuc gestare tenetur. Deinde argumenta primæ Sententiæ debiliora sunt, quàm ut non facili negotio prosternantur. Nam *cap. un. d. caus.* 18. *quæst.* 1. Episcopum Regularem nullatenus à votorum substantialium vinculo absolutum pronuntiat, sed à solis observantiis accidentalibus, quales sunt jejunia Regularia, silentium &c. In *cap. statutum. cit. caus.* 17. *qu.* 1. Episcopo Regulari permittitur vindicatio paternæ hæreditatis non quasi propria, sed quà Ecclesiæ debita, ùt interpretatur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *a.* 8. *ad* 3. Dispensatio Pontificia in voto paupertatis prudenter præsumi nequit, ubi necessitas & justa causa cessat: qualis non est administratio redituum perpetua & independens: aliàs sequeretur, Regularem quoque in aliquo beneficio stabiliter investitum (quod saltem ex speciali concessione Apostol. fieri potest) voto paupertatis tacita dispensatione Summi Pontificis solutum reddi; cùm & ipsi similis administratio competat. Quantum ad dominium, illud secundùm Salmantic. *loc. cit. num.* 161. ad Ecclesiam, cui quis fuit spirituali Matrimonio desponsatus & copulatus, spectat, sed cum libera facultate, bona illa transferendi ad aliam Ecclesiam, si ad aliam assumatur. Quòd si malè ea dissipet, vel in superfluos & profanos usus distribuat, non solùm mortaliter peccat, sed etiam ad restitutionem tenetur tam ipse, quàm recipientes: egerat enim ùt purus dispensator ad præscriptum Sacrorum Canonum alligatus, tractavitque res non suas, sine jure dominii. Atque hæc Sententia est receptior, defensa à D. Thom. *loc. cit.* Lug. hic *disp.* 3. *sect.* 11. *n.* 232. Sanch. *l.* 6. *Decalog. cap.* 6. *num.* 8. Less. *h. tract. l.* 2. *cap.* 4. *n.* 29. Barbos. *de Off. & Pot. Ep. allegat.* 114. *num.* 19. P. Engel *tit. de stat. Monach. n.* 66. & Magnif. P. Franc. Schmier p. m. *Jurisprud. Can. Civ. l.* 3. *tr.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. *à num.* 255. cum Clericato *de Regular. discurs.* 15. *num.* 2. & 18.

222. Singularis est opinio Mostazzi *lib.* 8. *de Causis Piis, cap.* 3. *à n.* 43. ubi docet, Episcopum Regularem non dispensari in ipso voto paupertatis, sed tantùm quoad modum paupertatis. Votum enim, inquit, paupertatis emissum à profitentibus Religionem, illud est, ut à se abdicent omne dominium, & quidquid proprietatem redoleat. Verùm olim votum paupertatis adimplebatur duobus modis, vel abdicando à se dominium, sed reservata administratione ex licentia superioris, prout Monachi & Moniales faciebant, qui in communitate non vivebant, sed domi relinquebantur: de quo modo vivendi sunt Clarissima Decreta, Concilium Moguntinum sub Arnulpho *Can.* 26. Carthag. III. *cap.* 33. Aurelianense V. *cap.* 19. Toletanum IV. *cap.* 8. Carthagin. I. *cap.* 3. & 4. Africanum *cap.* 11. Toletan. I. *cap.* 6. Turonense I. *cap.* 9. Parisiense I. *cap.* 41. Parisiense sub Gregorio IV. *cap.* 40. & 43. item *cap. mulieres* 31. *caus.* 27. *quæst.* 1. De quibus meminit Gregor. IV. *l.* 1. *cap.* 44. ibi: *Nobiles fœminas, quæ amissis*

*amissis viris velantur, & non tantùm in Monasteriis, sub spiritualis matris regimine, sed potiùs in domibus propriis, occasione liberorum rerumque suarum, resident &c.* Neque hæc reservatio administrationis, abdicatô dominiô, rationabilibus causis subnixa cum voto paupertatis pugnabat, ut rectè notat Basil. Pontius ad Gratian. *cap.* 4. *vers. si verò.* & *cap.* 6. *per totum.* Lantmetter *de vet. Cleric. vict.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. Hic est unus modus.

223. Alter modus constituendi & adimplendi votum paupertatis sic contigerat, ut Religiosi equidem dominium rerum suarum retinuerint, ita tamen adstrictum, ut nulla penes ipsos remaneret administratio vel dispositio, nisi in casibus à jure concessis. Constat id ex illa quarta parte hæreditatis paternæ, quam Religiosi acquirebant ex *l. DEO nobis* 56. *Cod. de Episc. & Cler. & l. generaliter* 3. *Cod. de SS. Eccles.* item ex eo, quòd ex bonis propriis testamentum condiderint, ut latè prosequitur Basil. Pontius *quæst.* 3. *Scholast. cap.* 9. & *l.* 7. *de Matr. cap.* 13. Tondutus *Tom.* 1. *quæst. benef. cap.* 51. *num.* 30. Igitur illo tempore vetusto, stante dominii retentione emissum & adimpletum fuit votum paupertatis: nec repugnabat voto paupertatis, habere dominium, dummodò administratio tota penderet à voluntate Prælati, & sub certis regulis administrationis. Unde (infert Mostazzo) Regularis creatus in Episcopum adhuc manet Religiosus, nec opus est, ut Pontifex cum eo dispenset in voto paupertatis, sed solummodò ut *mutet modum*, concedendo tali Episcopo dominium redituum Episcopalium, administrationem verò sic restrictam, ut reservata congrua portione residuum in pauperes, & alios usus pios dispenset: quòd si Episcopus ille aliter egerit, & reditus in profanos usus dispersit, peccati mortalis reatum incurrit, ad restitutionem tamen haud tenebitur, quia non minùs, quàm alii Episcopi non Regulares, redituum, etiam superfluorum, erat dominus. Lug. *Respons. Moral. l.* 5. *dub.* 12. *à num.* 15. Vid. plura in Mostaz. *d. cap.* 3. *à num.* 47.

## QUÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

### *De Jure & Dominio Filiorumfamiliâs eorumque peculio.*

224. Homo à statu familiæ dividitur in patremfamiliâs, & filiumfamiliâs. Paterfamiliâs est homo liber sui juris: filiusfamiliâs est homo liber alieno juri, scil. patriæ potestati subjectus: hæcque patria potestas, absolutè spectata consistit in facultate regendi liberos, eorumque actiones ad communem familiæ utilitatem: spectata relatè ad Leges Romanas & Cæsareas, est jus, quo filii & filiæ, ac cæteri per lineam masculinam descendentes supremo ascendentium superstiti subjiciuntur in ordine ad certos effectus jure introductos. Inter alios effectus non minimus est, quòd filiusfamiliâs acquirat patri suo, at servata peculiorum distinctione.

225. Peculium, quasi pusilla pecunia, impropriè sumptum cujuslibet patrimonium denotat: propriè & strictissimè peculium, quod tenet servus. In sensu latiori, sed adhuc proprio, Universitatem rerum, quam filiusfamiliâs à bonis patris separatam habet, significat. Summa ejus divisio fit in peculium militare, & paganum. Militare iterum vel est Castrense, vel quasi Castrense. *Castrense*, quod filius vel in ipsa militia sagata seu armata vel occasione proxima militiæ acquisivit. Huc pertinent stipendia militaria, spolia hostibus erepta, munera intuitu virtutis bellicæ obtenta: res mobiles in malitiam eunti donatæ (Vid. *l.* 1. *Cod. de Castrens. pecul. l.* 4. *Cod. famil. hercisc. l.* 3. & 4. *ff. de donat. inter. vir. & uxor.*) nec non, quæ filiusfamiliâs in Palatio Principis acquisivit, *l. un. Cod. de Castrens. omnium Palatinorum peculio:* item si à commilitone ipsi fuerit hæreditas relicta, propter cognitionem Castrensem, germanicè, wegen der Cameradschafft *l.* 1. *l.* 4. *Cod. de Castrens. pecul. l.* 5. *l.* 19. *pr. ff. eod. tit.* *Quasi Castrense* est, quod ad filiumfam. ex quasi, seu togata militia ejusve occasione pervênit, putà ex liberalitate Principis, vel ex artibus liberalibus: quò pertinent non solùm salaria publicorum Officialium, vel Professorum, & honoraria Advocatorum, sed etiam reditus beneficiales Clericorum, qui sua stipendia in militia sacra merent. *Auth. Presbyteros & Diaconos. Cod. de Episc. & Cleric. l.* 50. *Cod. eod.*

226. Peculium *Paganum* sub se continet adventitium, & profectitium. Adventitium est, quod filiofamiliâs citra respectum ad Patrem, & causam Castrensem obvênit. Et discerpitur in Regulare seu ordinarium, & irregulare seu extraordinarium. Regulare est, quod quantum ad proprietatem separatum est à rebus & rationibus paternis, non verò quoad usumfructum & administrationem: in quorum bonorum censum referuntur bona materna, & materni generis, *l.* 1. & *l.* 2. *Cod. de Bon. mat.* Lucra sponsalitia & nuptialia, *l.* 4. *Cod. de Bonis quæ liberis &c.* quæve filiusfamiliâs ex titulo hæreditatis legati, donati, &c. citra respectum ad patrem, atque extra militiam acquisivit. Talia etiam sunt, quæ lucratus est filius ex propria industria & arte extra domum paternam ùt si filius sit sartor, sculptor, filia lotrix, netrix, &c.

227. *Irregulare adventitium* appellantur illæ res, quæ à bonis & rationibus paternis tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum separatæ sunt. Huc spectant I. obtenta ex donatione Principis vel Augustæ, *l.* 7. *Cod. de bonis quæ liberis &c.* II. vel ex hæreditate sororis aut fratris germani, si & pater succedat. *Auth. item hæreditas. Cod. eod. tit. Nov.* 118. *cap.* 2. nec non filio delata ex deli-

&to Matris. *Auth.* idem est. *Cod. eod. Nov.* 143. *cap.* 11. III. Si Pater ultro renuntiet usufructui: aut eâ lege aliquid filio relictum sit, ne patri ususfructus cedat. *Novell.* 117. *cap.* 1. IV. Quoties filius aliquid consequitur, patre renuente. *l. ult. Cod. de Bonis quæ liberis &c.*

228. Peculium denique *profectitium* vocatur, quod voluntate Patris quoad administrationem ab ejusdem rebus & rationibus est separatum, profectum tamen est vel è rebus patris, vel intuitu seu contemplatione illius, ad filium pervênit. Vid. §. 1. *Instit. per quas pers. cuique acquir.* Huc spectant, quæ filius mercator, opifex, vel artifex per operas suas acquisivit in domo paterna: vel quæ filio titulo donationis propter nuptias, aut filiæ dotis nomine data fuerunt. His prænotatis, sit

229. Resolutio prima: In peculio Castrensi vel quasi filiofamiliàs (idem esto de filiafamiliàs, quia masculinum sub se comprehendit fœmininum) plenum competit dominium unà cum usufructu, possessione, & libera dispositione tum inter vivos tum mortis causâ. Vid. Bernegger *Inst. ad tit. per quas person. cuique &c. quæst.* 12. & texx. ibi allegatos, cum ratione: quod jura quoad effectum filiumfamiliàs in prædicto peculio habeant instar patrisfamiliàs. Quare, vivente filio, patri nihil juris in illo peculio competit. Quòd si filius ab intestato, nullis relictis liberis, decedat, parentes unà cum fratribus & sororibus Germanis filio mortuo succedunt. Vid. *Nov.* 118. *cap.* 2. *in fin.*

230. Resolutio secunda: In peculio adventitio ordinario seu regulari filius habet nudam proprietatem seu dominium præcisum ab usufructu & administratione, utpote spectante ad Patrem, in compensationem incommodorum, quæ in educatione liberorum sufferenda sunt. At in peculio adventitio extraordinario, seu irregulari filiusfamiliàs plenum habet dominium unà cum usufructu. Utraque pars est certa in jure. Insuper de hoc peculio irregulari validè & licitè disponit non tantùm inter vivos (si tam debitam jam attigerit ætatem) sed etiam donare potest mortis causa sine patris consensu: *Novell.* 117. *cap.* 2. *§.* 2. testamentum concedere non æquè. *arg. pr. Inst. quib. non est permiss. fac. testam. l.* 1. *Cod. qui testam. fac. poss.*

231. Resolutio tertia: Peculii profectitii dominium plenum, unà cum usufructu, seu tota utilitate, ac possessione pertinet ad patrem; ad filium verò nuda administratio pro arbitrio patris ampla vel restricta; cedens tamen in commodum & damnum patris. *§.* 1. *Instit. per quas person. &c.* Mortuô patre filius, quando instituitur collatio bonorum, vel rem vel pretium conferre tenetur, absque tamen fructibus, si quos percepit, & usuris. Bönigs in *ff. ad tit.* 25. *de pecul.* Quòd si contingat, ut patris bona, ob commissum ab eo delictum, confiscentur, peculium profectitium nihilominùs confiscationi non subjacet, sed filio salvum manet. Bernegg. *Instit. ad tit. per quas person. quæst.* 29. *ex compend.* Lauterb. *pag.* 716. *in fin.* Junct. *Nov.* 134. *cap.* 11. Sique pater sæpe dictum peculium in emancipatione filio expressè non adimat, filio donatum censetur. *l.* 31. *§.* 2. *ff. de Donat.* Lauterbach. in *Colleg. tit. de Pecul.* §. 34.

232. Dices primò contra 3. Resol. Donatio inter patrem & filium validè non subsistit. Ergo pater filio usumfructum invalidè cedit. Resp. A. procedere, quando pater aliquid de suo patrimonio dimittit; hic verò propriè nihil de illo dimittit, sed solùm non acquirit renuntiando scilicet lucro legali usufructûs patri cæteroquin debiti. Et hic casus habetur in *l. cùm oportet.* 6. *Cod. de Bon. quæ lib.*

233. Dices secundò: Nequit dici, cui peculio, profectitio num verò adventitio, adnumeranda sint dona lustralia, seu à patrinis offerri solita. Resp. præ omnibus spectari debere locorum consuetudines. His deficientibûs, si de singulari intentione & affectione donantis erga patrem infantis ex baptismo levati oblata fuisse ex conjecturis appareat, ejusmodi dona, præcipuè si sint insignia, plures Doctores peculio profectitio accensent; de cætero regulariter, & in dubio, inter adventitia ordinaria computantur: cùm infantibus pro memoriali exhibiti eisdem spiritualis Officii conferri soleant.

## QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

### *An per Patris Professionem usus fructus adventitiorum in Monasterium transeat?*

234. Videtur, quòd Pater, post emissam in Religione bonorum stabilium capaci sacram Professionem, usumfructum ex toto amittat, & in Monasterium de illo nihil transferat. Nam primò per easdem causas aliquid dissolvitur, per quas componitur, vel constituitur. Causa autem usufructûs paterni in bonis adventitiis filii quænam alia fuit, nisi patria potestas in liberos legitimè procreatos à Legibus consignata? Igitur illâ potestate semel sublatâ, tollitur & usufructus. Quòd autem tunc patria potestas solvatur, in propatulo est: quàm enim repugnat, ut is, qui in patriam potestatem sui Prælati devênit, alium in sua potestate habeat, vel retineat? Secundò: Assignanda foret justa causa, cur usufructus, qui in patre manere nequit, saltem in Monasterio hæreret & duraret. Si reponas, eam causam sufficere, quòd patet, non minùs, quàm quivis alius, omnia jura sua secum Religioni inferat: contrà est, quòd usufructus in extraneum cedi non possit. *§. finitur.* 3. *Instit. de usufr.* sed soli proprietatis domino; licèt cæteroquin jus percipiendi fructus vendi, locari, aut gratis concedi valeat,

leat, §. 1. *Inst. de usu & habitat.* quod tamen in præsenti non fit. Nam, ùt instat Fachinæus *Controvers. Jur. lib. 6. cap. 12.* quando aliquis alteri concedit jus percipiendi fructus, retinet ipse sine dubio jus utendi fruendi, & quasi per alium videtur uti frui: at nullum jus apud Religiosum Professum esse potest, propter emissum votum paupertatis. Ergo &c. Tertiò: Æquum est, ut idem juris quoad ingressum Religionis censeatur statutum, quando pater ingreditur & profitetur, ac si filius profiteatur: at filio Religionem intrante ibique profitente, pater amittit usumfructum ex toto, & tam proprietas quàm ususfructus in peculio filii (nisi hic ante Professionem aliter disponat) ad Monasterium transit: uti tenet receptior Sententia: videturque in eo positum fundamentum, quòd patria potestas cesset, atque adeò etiam ususfructus ab illa dependens extinguatur. Ergo pari modo, patre intrante & profitente, in eo extinguetur jus ususfructûs legalis; cùm & tunc patria potestas dissolvatur.

235. Resolutio: Ususfructus legalis, si pater in Religione bonorum temporalium capaci profiteatur, saltem quoad dimidiam partem in Monasterium probabiliter transfertur, duratque ad dies vitæ ejus. Ita Panor. in *cap. in præsentia 8. de Probat. num. 59.* Sylvester in *Summ. V. Religio. quæst. 6. num. 1.* P. Engel *ad tit. de Regular. n. 42.* & citati apud istum, quos etiam sequitur p. m. Magnif. P. Franc. Schmier *Jurispr. Can. Civ. lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 118.* Ratio, quâ moventur, est, quòd patri filium emancipanti, seu è patria potestate dimittenti, jura dimidiam partem ususfructûs in peculio filii adventitio assignent & reservent. *l. cùm oportet. 6. Cod. de Bon. quæ liberis &c.* Atqui, cùm pater in Religione profitetur, fit quædam emancipatio filii, haud equidem formalis, sed saltem in effectu, & ipso facto. Ergo etiam in hoc casu jura censentur patri, aut potiùs Monasterio patrem, quoad vivet, tunc repræsentanti, dimidiam partem consignare. Hinc non instes cum Fachineo & aliis, objicientibus, patri dimidium ususfructûs in præmium emancipationis non obvenire, quando emancipatio fit ab ipsa lege, & non ab ipso, sicut in præsenti. Nam pater, sicuti libera voluntate in religione profitetur, & profitendo omnia reliqua jura temporalia sponte abdicat, ita & patriam potestatem sponte & liberè dimittit, ipsoque facto suo filium emancipat.

236. Ad primum contrar. Resp. patriam potestatem per ingressum Religionis equidem exspirare quoad partem odiosam, & jura vel effectus cùm mutatione statûs incompatibiles; non item quoad partem favorabilem saltem ex toto, & quantum ad effectus juri conformes, qualis est ille, quòd in præmium voluntariæ emancipationis dimidium ususfructûs, qui certè per Officiales Monasterii non minùs ac alia bona temporalia commodè administrabitur, ad dies vitæ paternæ permanere, ac posteà cum dominio filii, aut filiæfamiliàs consolidari debeat. Deinde licèt ususfructus à patria potestate dependeat *in fieri* & acquiri, non tamen *in facto* esse & conservari.

237. Ad secund. concedo, causam subesse ibi allegatam; item, quòd ususfructus nequeat cedi personæ extraneæ, inter quam scil. & ipsum cedentem nulla est jurium communio ac moralis rerum identitas, qualis communio jurium & rerum identitas in æstimatione morali & sensu juridico intercedit inter Monasterium & Monachum Professum: ideo rectè defenditur, usumfructum in bonis adventitiis, quamdiu Pater professus vixerit, quoad dimidiam partem perdurare vel in Monasterio, quatenus patrem in Religione Professum repræsentat: vel in ipso patre Professo, quatenus est membrum seu pars Monasterii, quorumvis illius rerum atque jurium particeps. Videat. Magnif. Schmier *cit. l. 3. tract. 2. cap. 3. à num. 113.* ubi Molinam, Covar. Eng. Pettsch. &c. allegat. Huc spectat *Auth. ingressi, Cod. de SS. Eccles.* in qua dicitur: *Ingressi Monasteria ipso ingressu suo se suaque dedicant DEO:* Et *Auth. si qua mulier. Cod. eod. tit. Si qua mulier aut vir, liberis non extantibus, Monasticam vitam elegerit, & Monasterium intraverit; Monasterio, quod intravit, res ejus competere jubemus*, ait Imperator.

238. Ad tert. Resp. in casu posito quoque secundùm Sententiam, quæ inter affirmantem & negantem media est, usumfructum inter patrem in sæculo remanentem, & filium in Religione vota emittentem, dividi: ita P. Engel ad *tit. de Regular. arg. l. cùm oportet. §. 3. Cod. de bon. quæ lib. &c.* eò quòd pater, consensum præbendo in ingressum filii, in effectu idem præstet, ac si ipsum emanciparet: ubi proinde eadem est ratio, eadem quoque censetur esse juris dispositio. *l. 12. ff. de LL.* quæ opinio maximè placet, si hæc controversia, pro qua utrinque rationes & Authores decertant, in praxi nec ex consuetudine, nec amicabili compositione decidi queat. Si quis tamen ab hac Sententia divortium quærat, & cum filio usumfructum rerum adventitiarum unà cum dominio in Monasterium in solidum transferri defendat, is ad oppositam paritatem cum Magnif. P. Schmier p. m. *loc. cit.* respondeat, filium à patre, qui vota solennia emittit, sponte è sacris paternis dimitti, ideoque patrem præmiô dimidii saltem ususfructûs dignum censeri: secus, si filius fac. professionem deponat: quia tunc filius patria potestate liberatur, sive pater consentire velit sive nolit. Ex dictis

239. Colliges primò, inter patrem & filium quà talem & quoad bona filii de jure non excepta, non dari justitiam rigorosam, seu *justum* simpliciter, sed secundùm quid duntaxat. Est communis Theologorum, & indicatum apud S. Thom. 2. 2. *quæst. 57. art. 4.* ubi in *Corp.* ait: *Alio modo dicitur aliquid alterum non simpliciter*, sed *quasi aliquid ejus existens;*

&

*& hoc modo in rebus humanis filius est aliquid Patris: quia quodammodò est pars ejus &c.* Rationem dat Reding. *de J. & J. quæst.* 1. *art.* 2. *contr.* 2. quòd filius quà filius sit obligatus jure generationis ad exhibenda patri suo obsequia non solùm personalia quoad honorem & reverentiam, sed etiam realia, eidem alimenta præstando in necessitate: quæ obsequia, cùm sint aliquid consequens ad *esse* geniti, sicut fructus consequitur ad arborem, subsunt morali dominio tam patris, quàm filii, qui in illorum exhibitione impediri nequit citra injuriam. Pater vicissim filio debet educationem & alimenta: quæ pariter non sub solius patris dominio existunt, sed etiam filii, qui si, patre etiam invito, alimenta necessaria accipiat, liber est ab onere restitutionis. Unde inter prædictas personas deest perfecta dominiorum alteritas: deest quoque æqualitas: cùm filius ad obsequia patri exhibenda strictiori obligetur titulô, quàm justitiæ: & esse suæ substantiæ vitalis per viam generationis à patre acceptum nullo obsequiorum genere æquare vel compensare valeat.

240. Dixi: *Filium quà filium*, seu, quatenus est pars patris ab illo decisa, & effectus genitori suo jure naturali subjectus. Nam si filius consideretur ùt homo, & aliquid secundùm se subsistens, sic inter patrem & filium vera & rigorosa intercedere potest justitia, quam ipsi certò violarent (ultra pietatem) si unus alterum infamaret, mutilaret, occideret, &c. Vid. Reding. *d. q.* 1. *a.* 2. *contr.* 2.

241. Dixi ulteriùs: & *quoad bona filii de jure non excepta*, uti sunt bona peculii profectitii, respectu quorum jus positivum filios patriæ potestati totaliter subjecit: unde in his deficit alteritas personarum, & dominiorum: in aliis econtra jure positivo patriæ potestati nullo modo subjectis, qualia sunt bona Castrensia & quasi Castrensia, actus conformes aut difformes Regulis justitiæ rigorosæ v. gr. per contractum emptionis venditionis exerceri posse, ex dictis conjicitur & indicatur in *l.* 2. *ff. de Contrah. empt.* quare si pater filio ejusmodi bona auferret, vel diminueret, ob commissum peccatum injustitiæ teneretur per se loquendo ad restitutionem, nisi hæc obligatio remissa præsumatur. Vicissim loquere de filio è bonis paternis ultra debitam sustentationem vel educationem patri aliquas res surripienti.

242. Quæres: quid sit dicendum de Servis? Resp. primò, servos propriè dictos, & qui alieno dominio sunt contra naturam subjecti, suo domino acquirere, quidquid acquirunt: haberi pro civiliter mortuis: æquiparari animalibus: & carere personâ legitimâ standi in judicio. Resp. secundò, servos juxta Aristotelem *Polit. cap.* 13. & 4. esse aliquid domini tanquam ejus instrumentum: hincque inter ipsos quà tales & dominum moralem & perfectam alteritatem deficere: consequenter & justum simpliciter, quod pertinet ad justitiam rigorosam. Ita D. Tho. supra *cit. quæst.* 57. *art.* 4. *in Corp.* ibi: *& servus est aliquid domini, quia est instrumentum ejus: & ideo patris & filii non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum: & propter hoc non est ibi simpliciter justum, sed quoddam justum*, scil. *paternum: & eadem ratione nec inter dominum & servum; sed est inter eos dominativum justum.* Quòd si servi spectentur ùt homines, seu supposita humana, in ipsis quoque à domino violari potest justitia rigorosa, quando v. gr. eos detractionibus infamat, per fraudem in peccatum inducit, in bonis animæ lædit, in corpore mutilat, vel omnino occidit: neque enim servi quoad prædicta transeunt in potestatem dominicam. Quin imò, si dominus ipsis aliquid ultro donet, vel extraneus ea lege, ut res donata non fiat domini, sed servo acquiratur, in dominium servi transit, & quoad talia servus cum domino contractum inire poterit. Reding *cit. quæst.* 1. *art.* 2. *contr.* 2. *concl.* 2. Verùm, quia inter Christianos status servorum propriè dictorum abrogatus est, in materia obsoleta plura differere non vacat.

# QUÆSTIO DECIMA NONA.

## *Quale sit Dominium rerum inter Conjuges?*

243. De variis rebus conjugum disceptari valet. 1. De Arrhis: 2. De Sponsalitia largitate. 3. De Dotalitio: 4. De Dote: 5. De bonis Paraphernalibus, & Receptitiis.

244. Resolutio prima: *Arrhæ* Sponsalitiæ (id est, res à Sponsis sibi invicem in testimonium & pignus futuri matrimonii datæ, apud Germanos plerumque in annulis pronubis consistentes, vulgò Ja-Worts-Ring, Treu-Ring, Mähl-Schatz ꝛc.) non transeunt propriè in dominium accipientium, sed, matrimoniô secutô, dantibus sunt restituendæ. *l.* 3. *Cod. de Sponsal.* de praxi tamen hodierna non repetuntur, sed manent penes accipientes. Magnif. P. König ad *tit. de Donat. int. Vir. &c. num.* 8.

245. Resolutio secunda: *Sponsalitia largitas* est donatio quædam, quæ fit inter sponsos de futuro sub spe matrimonii: quô semel contractô, revocari nequit. *l.* 1. *§.* 1. *ff. de Donat. l. si mater.* 12. *Cod. de Donat. ant. nupt.* Quòd si nuptiæ non fuerint secutæ, tex. in *l. cùm veterum.* 15. *Cod. eod. tit.* sic decernit: *Si quidem sponsus, vel parentes ejus sortiri filium noluerunt uxorem, id, quod ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum: & si quid apud donatorem resedit, ad sponsam & hæredes ejus, submotis ambagibus, transferatur. Quòd si sponsa, vel is, in cujus agit potestate, causam non contrahendi Matrimonii*

*nii præbuerit, tunc sponso ejusque hæredibus sine aliqua diminutione per condictionem aut per utilem actionem in rem redhibeantur. Quæ similiter observari oportet, etsi ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit &c.*

246. Resolutio tertia: *Dotalitium* est, quod ex defuncti mariti bonis superstiti assignatur, ut vel lucretur illius proprietatem, vel nudum usumfructum tantùm ad dies vitæ habeat: unde & *vitalitium* vocatur, germanicè ein Leib-Geding, Leib-Zinnß &c. cujus fit mentio in *cap. plerumque. 4. de Don. int. vir. & uxor.* & *cap. ex parte. 15. de for. compet.*

247. Resolutio quarta: *Dos (objectivè* spectata, in quantum est substantia rerum vel ab uxore ipsa, vel ab alio ejus nomine, marito eum in finem expressè datarum, ut inde sustineat onera matrimonii) æstimata æstimatione faciente venditionem, transit in verum dominium mariti. Habetur in *l. 5. Cod. de Jur. dot. Quoties res æstimatæ in dotem dantur, maritus dominium consecutus Summæ, velut pretii debitor est. Si itaque non convênit, ut, solutô matrimoniô, restituerentur, & jure æstimatæ sunt, retinebit eas, si pecuniam tibi offerat.* Igitur in tali casu & pacto, quod in dotis constitutione inseritur, uxor, solutô matrimoniô, ex empto actionem habet contra maritum; Resque dotales periculo mariti deteriores fiunt, si deteriorentur; sicuti econtra & lucri augmenta eidem accedunt, ad pretium rerum dotalium restituendum obligato. *l. 10. Cod. eod. tit.* ubi in §. 4. additur: *Si ante Matrimonium æstimatæ res dotales sunt, hæc æstimatio quasi sub conditione est; namque hanc habet conditionem: si Matrimonium fuerit secutum: secutis igitur nuptiis, æstimatio rerum perficitur, & fit vera venditio.* Quare dos in ratione dotis completur per ipsum Matrimonium, sic, ut dominium, antequàm sponsalia de præsenti ineantur, ad maritum non transferatur. Haunold. hic *tract. 4. cap. 5. contr. 1.*

248. Resolutio quinta: Quando dos non fuit æstimata æstimatione faciente venditionem, sed solùm taxationis gratiâ, tunc solum dominium *Civile* ad maritum transit: *naturale* verò apud dantem, seu uxorem, manet: exceptô, si res dotales in numero, pondere, vel mensura consistant. Prima pars colligitur ex *princ. Inst. quib. alienare licet &c. Accidit aliquando, ut, qui dominus rei sit, alienare non possit &c. nam dotale prædium maritus invita muliere per legem Juliam prohibetur alienare.* Aliquod igitur dominium in prædictis rebus marito accedit: præsertim, quòd marito illarum rerum nomine rei vindicatio concedatur in *l. doce ancillam. 9. Cod. de rei vindic.* ideo autem *Civile* vocatur: quia non ex jure communi & naturali, sed ex jure singulari, id est, ex legis auctoritate, & fictione quadam competit quoad certos effectus jure expressos, veluti tradit Haunold. *loc. cit. controv. 1. num. 336.* ex Arnoldo Rath. *de Rei vindicat. Thes. 13. n. 13.*

249. Pars secunda, præter alios, docetur à D. Tho. in *4. dist. 34. quæst. 4. ad 1.* Et à Justiniano in *l. in rebus. Cod. de Jur. dot.* ubi sufficienter indicat, res dotales in dominio uxoris persistere, quando addit: *Non enim, quòd legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta vel confusa est.*

250. Pars tertia deciditur in *l. 42. ff. de Jur. dot.* his verbis: *Res in dotem datæ, quæ pondere, numerô, mensurâ constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & quandoque, solutô matrimoniô, ejusdem generis & qualitatis alias restituat.* Unde ejusmodi res fungibiles eo modo ad maritum transeunt, ac si essent in mutuum datæ: quemadmodùm ergo per contractum mutui dominium etiam naturale & periculum rei in mutuatarium quemlibet transfertur, ita & in maritum quantum ad res in conclusione exceptas tenendum est.

251. Resolutio sexta: *Parapherna*, seu bona *paraphernalia* (quæ scilicet uxor marito ultra dotem attulit, & dotalia non sunt, germanicè das zugebrachte Gut) manent in dominio pleno uxoris, nisi ea intentione marito tradantur, ut instar dotis mariti fiant. *l. 9. §. 3. ff. de jur. dot.* Solent quandoque uxores ejusmodi bona mariti administrationi committere, ad nutum tamen revocabili: quòd si tamen dominium *Civile* in *maritos* transferri velit, dotis naturam imitantur, ea limitatione, ut fructus lucro maritorum non cedant, ab ipsis tamen in communem utriusque conjugis utilitatem, vel etiam juxta voluntatem uxorum expendi possint, ac debeant. De quo lectu dignus est tex. in *l. fin. Cod. de Pact. convent. inter &c.* In dubio, si mulier, non facta mentione dotis, marito omnium bonorum suorum fructus permittat, bona non expressa, quòd debeant haberi inter dotalia, præsumuntur esse paraphernalia. Magnif. P. Schmier *Jur. prud. Can. Civ. l. 4. tr. 2. cap. 4. num. 39.* cum Struv. Miller. & Stryck. cùm enim ipsa mulier dotem constituere non teneatur, præsumptio in dubio potiùs pro paraphernis, quàm pro dotalibus capienda est. Porrò bona *receptitia* vocantur, quæ mulieres maritis administranda non committunt, sed sibi & suæ dispositioni reservant. Ut jam sciamus, quænam personæ ad dotem constituendam obligatæ sint, statuitur

252. Resolutio septima: Primò & principaliter ad Officium paternum spectat, pro filia dotem promittere vel constituere: cùm eidem de honesto matrimonio, quòd sine dote plerumque difficile est, prospicere teneatur. Ita statuitur in *l. capite 19. ff. de Rit. nupt.* & *l. fin. Cod. de Dot. promiss.* Et quia textus hic finalis non distinguit, sed generalis est, etiam filiæ jam emancipatæ, ad nuptias transeunti, dos à patre constitui debet, quidquid aliqui Juristæ in contrarium defendant. Secundô locô, & in defectum patris, forsan, quia vel inops est vel jam mortuus, neptem dotare tenetur Avus paternus. *l. dotem 6. ff. de Collat.* Tertiô locô, in patris & avi paterni

terni defectum, onus dotandi incumbit matri, si fortè, mortuis patre, & avo, filiæ legitima sua ad dotem non sufficiat. Colligitur ex *l.* 14. *Cod. de Jur. dot.* ubi mater à dotando non excusatur, nisi ex magna & probabili causa, vel lege specialiter expressa. Vid. Zoës. *ff. cit. tit. num.* 15. In priorum defectu quartô locô oneratur avus maternus, si ipse dives sit. Quintô locô, & deficientibus ascendentibus, ex collateralibus sororem germanam, seu bilaterali vinculo conjunctam, dotare obstringitur frater germanus, à quo onere Auctores apud Clariss. P. Schmalzgrueb. ad *tit. de Donat. int. vir. & ux.* allegati, nec Clericum, si ejus soror germana sit inops, excusant: similiter frater consanguineus sororem consanguineam, id est ratione ejusdem patris alicui conjunctam: non autem ista obligatio extenditur ad fratrem uterinum ut dotare debeat sororem uterinam conjunctam ratione solius communis matris: dicitur enim in *l. cùm plures* 12. *§. pen. ff. de admin. & per. tut.* quòd dotatio sororis, alio patre natæ, sit actus liberalitatis: per quod tacitè insinuari censent Juristæ, ùt Anton. Perez. *Cod. ad tit. de dot. promiss.* dotationem sororis ex eodem patre natæ, ex parte fratris esse actum necessitatis.

253. Cæterùm dos promissa, vel actu per traditionem constituta à patre, aut alio ascendente in linea recta paterna, aut etiam ab extraneo sed cum respectu & contemplatione ad patrem, dos *profectitia* vocari consuevit: *adventitia* verò quæ ab aliqua alia persona, quàm patre, aut ulteriori ascendente paterno, & sine respectu ad patrem promissa vel constituta fuit.

254. Ipsa mulier (quæ quidem nullibi in jure ad constituendam dotem obligatur: cùm absolutè loquendo, matrimonium absque dote consistere queat per *l. fin. vers. sicut autem. Cod. de Donat. ant. nupt.*) si dotem promittat, vel constituat, dos dici solet *adventitia*, quamvis juxta rigidiores propriè nec *profectitia* sit nec *adventitia*. Concertant autem DD. an pater filium aliunde divitem dotare teneatur? Affirmant Perez *cit. tit. Cod. de dot. promiss.* Fachin. *l.* 10. *contr.* 38. Clariss. de Bassis in *Decis. Justin. decis.* 23. *num.* 8. Negant alii.

255. Resolutio octava: Pater filiam etiam divitem dotare tenetur. Ita ex Theologis Haunold. *de J. & J. tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 379. cum Castropal. qui hanc Sententiam dicit esse in praxi servandam, quam ipso teste, & illi duo Celeberrimi Juristæ Practici, Andreas Gail. & Mynsingerus propugnant. Probat. primò per tex. in *l. fin. Cod. de dot. promiss.* ubi filia supponitur habere bona adventitia, id est, propria, & tamen deciditur patrem in ejusmodi circumstantia dotem, quam pro filia obtulit, dedisse non ex bonis ipsius filiæ sed ex paternis, addita ratione: quod id exigat Officium paternum: neque enim (ùt loquitur Justinianus) *leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie.* Probat. secundò à paritate legitimæ, quam Pater filiæ, etiam diviti, negare nequit. Probat. tertiò ex eo, quòd dos respiciat meliorem nuptiarum conditionem: oneraque matrimonialia leviora efficiat, idque tantò magis, quantò pinguior dos est. Prob. quartò: Juris regula dicit, introducta in alicujus favorem, fortunam & commodum, non debere detorqueri in ejus odium & damnum, *l.* 6. *Cod. de LL.* Igitur nec filiæ sua bona propria, quæ eidem aliunde advenerunt, debent esse nocumento eatenus, ut propterea jus ad petendam dotem perdat, & officium patris cesset. Sed contra

256. Dices primò: In *l. profectitia.* 5. *§. fin. ff. de J. D.* casus tanquam dubius proponitur, an, si pater filiæ diviti constituat dotem, eam ex bonis paternis, an ex bonis filiæ propriis constituisse censeatur: quæ dubitatio haud satis prudens fuisset, si Pater ex paternis bonis filiam etiam aliunde locupletem dotare teneretur. Secundò: filia bonis propriis provisa spem habet sufficientem ad honestas nuptias: cessat ergo ratio & finis dotis constituendæ à patre. Tertiò: Dos in locum alimentorum succedit: jam sic: pater liber est ab onere, filio, vel filiæ, diviti & propriis mediis vivere valenti, alimenta præstandi: *l.* 5. *§.* 7. *ff. de agnosc. & alend. lib.* Ergo nec dotem filiæ diviti, nec filio opulento donationem propter nuptias, præstare tenetur.

257. Ad primum Resp. dubitari utique prudenter potuisse in casu proposito; quia nondum erat decisum, utrùm pater filiam etiam opulentam dotare teneatur, quasi id etiam spectaret ad officium paternum: postea verò hoc dubium sat luculenter decisum fuit præsertim in *l. fin. Cod. de Dot. prom.* quidquid sit de altera *cit. l. profectitia*, quæ utique est antiquior illâ. Ad secundum Resp. negando, cessare rationem & finem dotis: nam ad quærendum meliorem maritum expedit habere pinguiorem dotem; quod fit, si præter dotem à patre constituendam mulier etiam paraphernalia afferat. Haunold. *cit. num.* 379. & 391. Ad tertium Resp. argumentum ab alimentis ad dotem inprimis non procedere universaliter affirmativè: Nónne enim filiæ naturali seu illegitimæ debentur alimenta à patre naturali, quin rectè inferas, dotem quoque deberi de rigore juris civilis: etsi interim de æquitate Canonica in alimentorum vicem filiæ naturali modicam dotem constitui debere, aliqui Auctores asseverent. Sic etiam mater inops à liberis ali debet, non tamen, si secundò nubere velit, ab eisdem dotari. Deinde argumentum nec procedit negativè: non enim est bona argumentatio: non debentur alimenta: ergo nec dos. Certè obligatio, quâ pater filium alere tenetur, supponit pro causa necessitatem & indigentiam, quæ utique cessat in filiâ bonis propriis satis provisâ: econtra obligatio dotandi supponit pro causa acquisitionem melioris ac ditioris

tioris mariti, quæ ſanè non ceſſat, ſi divitiis filiæ adjiciatur competens à patre dos; ſed cauſa filiæ eum in finem redditur melior.

## Quæsita Residua.

### *Circa Pacta, & bona Conjugum.*

258. **R**Ogas primò, quotuplicia ſint pacta dotalia? Reſp. Pacta dotalia (id eſt, mutuæ conventiones, quibus conjuges intentionem ſuam de dote conſervanda, vel retinenda, vel etiam de reliquis bonis eorumque acquiſitione declarant) vel eſſe *ſimplicia*, vel *mixta*. *Simplicia* dicuntur illa, quæ nihil continent de actu ultimæ voluntatis, ſed præciſè manent in terminis contractûs vel actûs inter vivos. De jure communi valent, niſi conditionem dotis faciant duriorem. *Mixta* verò includunt hæreditariam ſucceſſionem, adeoque actum ultimæ voluntatis: quæ quidem pacta de jure communi reprobantur, *l. 5. Cod. de Pact. convent.* attamen de hodierna conſuetudine & praxi validè ſubſiſtunt, dummodò quinque teſtes, uti etiam in aliis actibus ultimæ voluntatis de ſubſtantia requiruntur (per *l. ult. §. ult. Cod. de Codicill.*) adhibeantur. Pacta dotalia *ſimplicia* mutationi non ſubjacent, niſi interveniente utriusque conjugis conſenſu: *Mixta* verò mutari valent & revocari, ſicut quævis alia diſpoſitio ultimæ voluntatis. Talia mixta cenſeri non ſtatim debent ex eo, quòd fiat mentio mortis: cùm tempus mortis ſæpe eo tantùm fine adjiciatur, ut pactorum ſimplicium executio eousque ſuſpenſa ſignificetur: ſed ex verbis hæreditariam ſucceſſionem ſufficienter denotantibus, germanicè **einander erben, einſetzen, ꝛc.** colliguntur.

259. Rogas ſecundò: An bona, durante matrimonio, à conjugibus comparata vel aucta, de jure poſitivo ita inter eos fiant communia, ut acquirant dominium pro indiviſo, &, Matrimoniô ſolutô, ad diviſionem bonorum communium compelli queant, veluti innuere videtur tex. in *cap. ſignificavit. 2. de Don. int. vir. & uxor.* Reſp. hanc ſocietatem & communionem bonorum in Jure nullibi eſſe ſtatutam: ideoque eam non dari vel præſumi, niſi alicubi id habeat loci conſuetudo, aut ſtatuta; vel ſpecialia pacta dotalia deſuper intervenerint: in quo ſenſu intelligendum venit *cit. cap. ſignificavit.* Uno ergo ex his ſpecialibus modis non extante, velut pro regula tenendum erit, quòd acquiſita à marito ex ſuo patrimonio, pecunia, arte, vel induſtria, in ſolidum & privativè ad maritum ſpectent: & viciſſim acquiſita ab uxore ex ſuo patrimonio, bonis paraphernalibus, arte, vel induſtria, in ſolidum & privativè ad uxorem pertineant, per *l. multum. 6. Cod. ſi quis alteri vel ſibi &c. l. ex pecunia. 12. Cod. de Jur. dot.* & per AA. citatos à Magnif. D. P. Schmier in *Jurispr. Can. Civ. l. 4. tract. 2. cap. 1. num. 64.*

260. Rogas tertiò: Cui dos, ſolutô per mortem matrimoniô, ſit reſtituenda vel in natura, vel in æquivalenti? Reſp. primò quoad res dotales non ſolùm immobiles, verùm etiam mobiles extantes, quæ marito fuerunt traditæ ſine æſtimatione faciente venditionem (ſecundùm ſuperiùs diſtincta in *num. 228.*) dominium *Civile* hactenus marito competens ſtatim reſolvi, & vel ad uxorem aut illius hæredes reverti, datâ eum in finem propterea rei vindicatione in *l. in rebus. 30. Cod. de J. D.* poſitô, quòd uxor ipſa dotem conſtituerit. Si enim eam pater conſtituerit, & filia vidua necdum emancipata fuerit, ipſa unà cum patre ſuperſtite dotem repetit: ſola verò, ſi vel pater jam è vita deceſſerit, vel filiam è ſacris paternis jam dimiſerit. Quòdſi uxor deceſſerit, pater, ſpectato jure communi, indiſtinctè dotem repetere valet, *l. 4. Cod. ſolut. Matrim.* conſuetudine tamen hodierna, ſi maritus ſuperſit, & liberi ex prædefuncta uxore, dos apud ipſum remanet. Caſu autem quo non pater, ſed extraneus dotem dederit, ea ad uxorem ſuperſtitem ejusque hæredes, ſoluto per mortem matrimonio pertinet, exceptô, ſi dotator dotis reſtitutionem ſibi reſervaverit.

261. Reſponſio ſecunda: Solutô matrimoniô non per mortem & quoad vinculum conjugale, ſed ſolùm quoad thorum & menſam ratione adulterii fortè à marito commiſſi, iſte dotem prorſus amittit, eaque ad uxorem revertitur: econtra ſi uxor hoc crimen committat, maritus dotem lucratur, *cap. plerumque. 4. de donat. int. vir. & uxor. l. conſenſu. 8. §. 4. & 5. Cod. de repud. Novell. 117. cap. 8. ℣. ſi de adulterio &c.* excipitur caſus, quo (juxta ſuperiùs dicta) ex jure communi dos ad patrem reverti debet, vel ad extraneum, qui eam dedit, & reſtitutionem ſibi, poſt ſolutum matrimonium, ſpecialiter reſervavit. Liberîs tamen extantibûs, dos ab adultero conjuge amiſſa ipſis quoad proprietatem foret ſervanda, uſufructu conjugi innocenti relicto. *Nov. 117. c. 8. §. 2.* Magnif. P. Schmier p. m. *cit. lib. 4. tract. 2. cap. 1. num. 71.* cum Engel ad *tit. de Donat. int. vir. &c. num. ult.* & Stryck. *de Jure Mariti in bon. uxor. cap. 2. num. 74.*

262. Rogas quartò: Utrùm maritus ſuperſtes, dum poſt mortem uxoris, dotem reſtituere tenetur, poſſit aliquas expenſas repetere? Reſp. Maritum illas expenſas, quas fructuum intuitu fecit, aut tanquam onus reale fructibus inhærens exſolvit, repetere non poſſe, bene tamen expenſas neceſſarias, quas propter rem dotalem fecerat. Sed per qualem actionem? Per condictionem indebiti. *l. neque 13. §. fin. ff. de impenſ. in rem dot. l. quod dicitur 5. §. 2. ff. eod. tit.* aut certè interim per retentionem dotis velut per indirectum

rectum dictas expensas consequi valet, donec ipsi satisfiat. Impensas *utiles* si quas Maritus in rem dotalem fecerit uxore sciente, soluto Matrimonio, repetit actione mandati; si uxore ignorante, repetitio fit per actionem negotiorum gestorum, *l. un. §. 5. Cod. de R. U. A.* Impensas verò merè *voluptuarias* marito solùm tollere licet, dummodo res ad voluptatem seu ornatum applicatæ, v. g. à domo in dotem data, sine corruptione rei dotalis auferri queant. *cit. l. un. §. 5.* Subnota, in restitutione dotis venire, quidquid maritus dolo, culpa lata, vel levi in rebus dotalibus deliquit. *l. 17. ff. de J. Dot.* Si quid culpa levissima vel casu interiit, aut deterius factum sit, maritus ad nil tenetur: nisi res fungibiles servando non servabiles pro dote accepisset, v. gr. vinum: quia tunc debet tantundem ejusdem generis & qualitatis restituere: cùm sit debitor generis, quod non perit. Facit *l. 42. ff. eod.*

263. Rogas quintò: Quid sit *donatio propter nuptias*, seu contrados? Item, an mulier ejus acquirat dominium, vel fructus? Resp. primò, quòd sit donatio uxori facta in securitatem & remunerationem dotis, germanicè die Widerlag, Gegen-Steuer etc. spectato Jure Romano, maritus tenetur pro contradote tantam afferre quantitatem, quantam mulier in dotem attulit. At moribus hodiernis hoc non attenditur in Germania; sed illud bene, ut uxori aliquid certum determinetur, ex quo post mortem mariti sustentari valeat. Resp. secundò per donationem propter nuptias, id est, quoad res pro contradote assignatas, cùm solùm tendant ad assecurationem dotis, juxta variorum sententiam uxori nullum tribui dominium, vel naturale, vel civile: multò minùs usumfructum: juxta alios tamen tribui dominium quodammodò *Civile*, licèt sine fructibus; qui si uxori essent concessi, Maritus in effectu ex fructibus dotalibus nullo lucro gauderet. Colligitur hoc quale quale dominium rerum propter nuptias donatarum ex *Nov. 61. c. 1. in pr.* ubi earum nomine uxori datur rei vindicatio. Vid. Magnif. P. Schmier. *l. 3. tract. 2. c. 3. num. 114.* ubi in *num. seq.* concludit, dominium dictarum rerum penes uxorem fore quidem *civile*, at sine usufructu, utique & sine administratione; penes maritum verò manere dominium *naturale* unà cum usufructu; quare hoc dominium civile longè debilius est, quàm illud, quod marito in rebus dotalibus competit.

264. Rogabis sextò: Quid sit, & ad quem spectet Morgengeba? Resp. esse res à marito donatas uxori altera post nuptias die, propter concreditam virginitatem; easque transire in dominium uxoris. Hæc de jure & dominio inter conjuges quoad res temporales.

265. De cætero status conjugalis confert marito potestatem in uxorem; uxori verò subjectionem imponit erga maritum, juxta illud, quòd DEUS post luctuosum lapsum ad Evam. Gen. 3. v. 16. dixit: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:* & Apostolus Ephes. 5. v. 22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est Caput Ecclesiæ.* Minimè tamen marito concessum putes, ut uxorem sicut servam tractet, quamvis eam post delictum commissum contumacem & admonitionis impatientem discretè castigare non prohibeatur. Apostolus Paulus ad Coloss. Viris commendat, ut uxores suas diligant. Societatem quandam, licet inæqualem maritum inter & uxorem admittendam esse, saniores tenent Doctores, insinuatque inter reliquos Div. Ambrosius mulier, inquiens, viro deferat, non serviat; regendam se præbeat non coërcendam: indigna est conjugiô, quæ digna est jurgiô. Vir quoque uxorem tanquam Gubernator dirigat, & tanquam consortem vitæ honoret: participet ùt cohæredi gratiæ &c.

# DISSERTATIO QUARTA.
## *DE*
## *Dominio sive Jure Jurisdictionis.*

266. POst recensitas varias Dominii proprietarii species, lubet modò aliqua de Dominio Jurisdictionali, ac Summa Potestate politica delibare. Sit igitur,

## QUÆSTIO VIGESIMA.
### *De jure Summæ Potestatis in vitam Civium.*

267. SUpponimus, tam in statu Democratico & Aristocratico, quàm in Monarchico penes Summam Potestatem jus existere, ut cives malefactores, atrocium delictorum reos ultimo supplicio è medio tollere valeat. Quæritur solùm, an sit casus assignabilis, in quo innocentem occidere liceat:

268. Videtur affirmativè resolvendum. Enimverò D. Tho. 2. 2. *quæst. 64. art. 5. in Corp.* ait, eum, qui se ipsum interficit, injuriam facere Reipubl. quia id, quod est, est com-

communitatis, cujus est pars. Item in Respons. ad I. asserit, talem peccare contra justitiam comparativè ad suam communitatem. Igitur communitas supponitur habere jus in vitam civium quà membrorum unius corporis. Deinde: Casus evenire potest, quòd Tyrannus obsidens civitatem, omnes illius cives se interempturum comminetur, nisi caput cujusdam nominati, licèt innocentis, sibi tradant, & per hunc actum vitam suam salvent atque redimant. Nónne in tali casu Princeps, vel Magistratus, innocentem, cujus caput petebatur, truncari, hostique tradi jure Summæ Potestatis licitè juberet: Satius quippe esset, unum innocentem pro salute Reipublicæ mori, quàm omnes perire. Audi Ciceronem 2. *de Legib. Reipubl. nomen universæ civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus.*

269. Adhæc: Cives ad Corpus politicum comparantur sicut membra ad corpus naturale: si ergo pro salvando corpore naturali licitum est amputare membrum: æquum non minùs erit, ut Civis, licet innocens, interficiatur pro salvando corpore politico, vel Republica. Sed nihilominùs contraria statuenda est

270. Resolutio: Ne quidem pro salute totius Regni, Principatûs, vel Reipublicæ fas est occidere innocentem. Probamus ex Divino oraculo Exod. 23. v. 7. *Insontem & justum* (dicit DEUS) *non occides: quia aversor impium.* Textus loquitur indistinctè; nec igitur limitandus est ad cursum ordinarium, & casum, quo Respublica non subit periculum, si insontem non interimat. Est quoque doctrina satis expressa D. Tho. *cit. quæst. 64. art. 6. in Corp.* ibi: *Occisio peccatoris fit licita per comparationem ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur: Vita autem justorum est conservativa & promotiva boni communis: quia isti sunt principalior pars multitudinis. Et ideò nullo modo licet occidere innocentem.* Ratio est, quòd vitam innocentûm Supremus Dominus vitæ & necis nullibi potestati humanæ subjecisse legatur, hincque sibi soli reservâsse censeatur. Objectiones, Resolutioni præpositæ, commodiùs post decisionem quæstionis mox subsequentis dissolventur.

## QUÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

### *An innocens hosti possit aliquando vivus extradi?*

271. Resolutio: Nec pro salute Reipublicæ innocens Tyranno v. g. Civitatem obsidenti, & certam personam petenti, vivus tradi potest si de vita periclitetur. Hæc Sententia quamvis receptior, tutior, & probabilior, suos patitur Antipatronos, quos *citat* Magnif. D. P. Franc. Schmier *Jurispr. Univers. publ. lib. 3. cap. 3. n. 38.* defenditur autem post Sotum de *J. & J. l. 5. quæst. 1. art. 7.* ab Anton. Thoma Schiara in *Theolog. Bellica tom. 1. lib. 1. difficult. 19.* Præter rationem mox datam, non tantùm ad jus naturale, manifestatum nobis in Decalogo per præceptum *non occidas*, confugimus, sed etiam perpendere oportet, traditionem innocentis inviti in manus hostium ad necem eum petentium, repugnare intentioni Societatis plurium inter se eo fine initæ, ut virtus coadunata pro mutua defensione, vitæ præsertim, sit fortior. Adducit etiam laudatus Schiara exemplum, quòd in Æthiopia Schismatici, comparato exercitû, aggressi sint Estazela Christiano-Catholicum Imperatoris fratrem ac Proregem, petendo sibi tradi quinque Patres Societatis, Catholicæ fidei Præcones. Catholici hanc traditionem recusârunt, initoque cum Schismaticis prælio, circa sex millia ex eis trucidârunt. Et dicitur, factum istud etiam Romæ fuisse approbatum. His breviter decisis, pro stabilimento utriusque resolutionis,

272. Ad rat. primam ex D. Thom. priori Resolutioni præmissam Resp. ex eo, quòd aliquis per suicidium Reipublicæ injuriam inferat, minimè sequi, Reipublicæ jus in vitam innocentis competiisse: nam & privatus privato infert injuriam, si eum occidat, quin inferri possit, occisum jus veri dominii in membra & vitam suam habuisse. Ad secund. Resp. in casu proposito, caput innocentis Tyranno extradi non posse: quia innocentem absque DEI speciali permissione occidere, est quid intrinsecè malum, quod neque prætextu periculi salutis publicæ cohonestari valet. Neque Authoritas Ciceronis ad evertendum jus naturale & Divinum efficax & apta est. Imò nihil dicit de potestate Reipublicæ in vitam innocentis; sed loquitur de affectu, quo quis pro patria certare debet. Ad tertium Resp. illam similitudinem valde claudicare: disparitatem dat Magnific. P. Schmier *cit. l. 3. cap. 3. num. 31.* quòd cives & membra politici Reipublicæ Corporis sint supposita per se subsistentia ac personæ inter se distinctæ; indeque sigillatim, ac separatim etiam considerati sint injuriæ justitiæque capaces, utpote cùm & extra Rempublicam vivere &, si Respublica cujus fuerant membra, destruatur, nihilominus superstitare suaque jura singularia retinere valeant: Membraècontra, corpus naturale humanum integrantia, neque subsistunt per se, neque considerantur secundùm se; neque ulla jura considerationem aut æstimationem aliter quàm in ordine ad totum compositum habent. Inde fit, ut membra corporis humani, tametsi videantur esse sana, citra injuriam possint abscindi, eum duntax. in finem, ut homo, cujus gratiâ sunt condita, supervivat: cùm econtra Civis innocens citra gravem injuriam nequeat per mortem à corpore Reipublicæ ad hujus incolumitatem propa-

propagandam, separari, ne violetur illud præceptum naturale de non interficiendo innocente, in corde creaturæ rationalis signatum.

273. Instabis primò contra secundam Resolut. traditionem hominis vivi, licèt innocentis, in manum Tyranni id petentis, rem de se esse indifferentem; cùm traditum possit non interficere, sed ex alio fine secum retinere. Resp. traditionem innocentis non posse actionem indifferentem censeri, quando ad necem tradito inferendam prætenditur, etiamsi possibile sit, ut mortis supplicium suspendatur. Sic & violatio virginis, quam Tyrannus ad libidinem sibi tradendam ab obsessis petit, posset per accidens non sequi: quis autem dicat, virginem licitè tyranno extradi? In ejusmodi circumstantiis tam mors innocentis, quàm violatio pudicitiæ virginis moraliter certa est: ergo tradentes non minùs moraliter in flagitia illa influunt, quàm qui vel furi scalam admovet, vel sicario gladium porrigit. Nihil interest, ait JCtus in *l. 15. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Occidat quis, an causam mortis præbeat.* Hinc non placet, quod docet Molina, in tali casu malum non esse, si Respublica Tyranno petenti innocentem statim directè tradat, non ut is occidatur, sed ut Respublica servetur: eò quòd hæc non sit cooperatio formalis ad homicidium, sed permissio tantùm.

274. Instabis secundò: Periclitante salute publica, quæ per traditionem innocentis ab hoste postulati conservaretur, postulatus saltem ex charitate & pietate erga patriam & civitatem, vel Rempublicam tenebitur se ultro sistere: videt enim, sibi unaque toti civitati ruinam & mortem ante oculos versari, & nihilominùs sua particulari morte omnium vitam salvari: in tanto rerum articulo vel Ethnicus Tucydides *lib. 2. in Orat. Periclis*, lumine naturali ductus, ego existimo, ait, *meliùs agi cum civibus privatim, si tota Civitas fortunata sit, quàm si per singulos cives felix sit, publicè verò labefactetur. Nam cùm evertitur patria, is, cui privatim bene est, nihil tamen minùs & ipse evertitur: cui autem malè, is in illa prosperè agente multò magis incolumis est.* Quasi Ethnicus ille laudaret cum Cicerone *de finib. lib. 3. eum, qui mortem appetit pro Republica: quia docet, chariorem esse patriam nobis, quàm nosmetipsos.* Resp. hanc charitatis obligationem à nobis facilè admitti, qui solùm potestatem Principis, innocentem tradendi, in dubium vocamus. Sed contra

275. Instab. tertiò: Princeps vel Respublica ad id, quod Civis ex charitate facere obstringitur, compellere potest: ùt patet in casu, quo defectus annonæ est; tunc enim frumentum in horreo habentes cogi possunt, ut illud in forum proferant. Resp. negando assert. & paritatem institutam de annona: quòd enim bona particularium, quoties id salus & necessitas publica postulant, imperio Summi Principis vel Reipublicæ subjaceant, provenit ex dominio alto, cui particularia dominia subordinantur; dominio autem alto hominum vitam innocentûm non esse subordinatam, docemur ex sacris paginis; sed soli DEO Creatori.

276. Instab. quartò: Saltem talis civis, qui seipsum ultro ex charitate hosti tradere nollet, sed cum tota communitate perire mallet, posset à Civitate deseri, sicque permitti, quò magis Tyrannus eum apprehendat, utpote Reipublicæ tutelâ indignum, qui illius salutem procurare detrectat. Resp. id ita ex data ratione equidem fieri posse; minimè verò positivam ejectionem, & traditionem in hostium manus permissam esse.

277. Quòd si Civis invasioni vel obsessioni suâ culpâ causam dederit, Respublica ad ejus tuitionem non erit obstricta, sed poterit talem Tyranno petenti extradere, ut delicta non insontes, sed reos teneant, itaque boni cives malorum commeritas pœnas non incurrant. Quam in rem Horat. *lib. 1. Epist.* dicit:

*Quem sua culpa premit, deceptus omitte tueri.*

278. Similiter auctoritate Principis Summi vel Magistratûs cives ad arma capessenda cogi possunt, ut pro patriæ defensione pugnent, vitamque, non minùs, quàm bona, periculo exponant. Ex quo tamen (ùt ùt id teneant plures) non inferas, cives hostibus quoque in obsides tradi posse, eo pacto, ut, si promissa hostibus non serventur, interfici possint. Lata siquidem est disparitas: cùm milites non conducantur, ut ab hostibus interficiantur, sed ut pro patria pugnando, hostes quovis modo, etiam per internecionem, repellant, sternantque: obsides verò per prædictum pactum hostibus in mortis victimam offerrentur.

# QUÆSTIO VIGESIMA SECUNDA.

## *An alicui competat dominium in seipsum: & aliquando suicidium sit licitum?*

279. Resolutio: Neque homo ipse habet dominium in vitam & membra sua: ideo in nullo casu permissum est suicidium. Ita communis quoad 1. *part.* quamvis quoad secundam aliqui dissentiant. Primam partem S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *a.* 5. probat primò: quia sui ipsius occisio est contra inclinationem naturalem: scil. contra legem naturæ, & contra charitatem: cùm quilibet debeat seipsum diligere: Secundò quia fit injuria communitati, cujus aliquis est pars: Tertiò: quia suicida peccat in DEUM, eò quòd vita sit quoddam DEI donum. Atque prætacta secunda & tertia ratio etiam alteram Resolutionis partem probant. Nam pro casu licito mortis sibi inferendæ quidam auctores assignant veneni sumptionem, quæ reo condemnato ad mortem præciperetur; quod

quod sanè charitati suî ipsius adversatur, ipsaque natura horret: adversatur & juri Divino, nullibi in Sacra Scriptura licentiam concedenti, ut in aliquo casu hominis fas sit, vitam sibi eripiendi.

280. Nec Resolutionem infringit primò, quòd homo, venenum sumere jussus, publica Authoritate, & ob Sententiam legitimè à Judice latam, seipsum interimeret. Nam hoc ipsum, negamus quòd summa potestas facultatem à DEO accipiat, jubendi, ut reus ipse Sententiam pœnæ Capitalis in seipso exequatur: neque id justitiæ punitivæ conforme esset, cujus exercitium actuale tendit in alterum: cùm nemo à seipso puniri valeat, sed à Judice, ejusque ministro.

281. Nec Resolut. infringitur secundò, si dicas, nullam monstrari posse rationem, cur homo non possit esse suiipsius dominus, & destructor; imò, quòd sit, constare ex eo, quia homo potest seipsum vendere alteri, ejusque potestati dominicæ subjicere, adeoque etiam circa seipsum disponere. Nam in oppositum facit discursus Lugonis ex Molina, quòd dominus sit aliquid relativum, sicuti pater, & Magister: quemadmodùm ergo repugnat, ut aliquis sit suiipsius pater, vel Magister; ita, ut sit suiipsius dominus: proinde dominium competere debet in res à nobis distinctas. Insuper dominium dicit superioritatem respectu illius, qui dominio subjacet: ea de causa nec DEUS suiipsius potest esse dominus, licèt perfectissimè seipsum possideat. Quod autem dictum fuit, hominem seipsum vendere posse, non venit intelligendum strictè & propriè: cùm ista venditio non operetur jus in emptore, quod iste in vitam se vendentis obtineat, estò domini olim in servos capitale supplicium decreverint & exercuerint, non utique aliter, quàm ut in reos criminis capitalis, & pœnæ: potiùs itaque illa suiipsius venditio est ratione operationum liberarum, quarum homo est dominus, earumque nomine, sicuti & respectu rerum externarum, in potestatem dominicam transit.

282. Occurres: Quando suicidium v.g. per sumptionem veneni, Judicis authoritate porrecti, à peccato gravi non excusatur, ex eo, quòd homo nunquam fiat dominus vitæ suæ, & seipsum occidere sit simpliciter malum intrinsecè, tunc neque ex mandato DEI v. gr. veneni sumptione posset seipsum occidere: quia neque ex mandato DEI potest fieri dominus vitæ: hoc autem veritati maximè dissonum est. Resp. Lug. *de Just. & J. disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 10. Negando sequelam: quia vita etiam innocentûm subest plenissimo DEI dominio, cujus mandantis ministrum tunc ageret homo veneno seipsum interimens. Exemplum cernis, si e. gr. libros Petri ejus mandato comburas: nullum tunc exerces dominii actum, sed minister solùm & instrumentum Petri es.

283. Urges: D. Apollonia in rogum sibi præparatum, se ultro præcipitem egit: Samson quoque, quem D. Paulus ad *Hebr.* 11. Sanctis annumerat, se ipsum interfecit: ita enim legitur *Judic.* 16. *At ille invocato Domino*, ait: *Domine DEUS memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam DEUS meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam: & apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextrâ & alteram lævâ tenens*, ait: *Moriatur anima mea cum Philistiim: concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Resp. solet communiter, factum utriusque exempli ex speciali instinctu Spiritûs Sancti contigisse. Quando autem referuntur quædam historiæ de Ethnicis, v. gr. de Lucretia, quæ propter violatam pudicitiam mortem sibi consciviт, non sunt illi actus laudandi, tanquàm à virtute fortitudinis procedentes; sed ùt illiciti vituperandi; cùm ex vano motivo, vel pusillanimitate ignominiæ sufferendæ quandoque processerint.

284. Neque mulier Christiana, ut oppressionem luxuriosam evadat, mortem sibi licitè infert: hoc enim malum minus est, quàm mors, ùt dicit Lugo *loc. cit. num.* 26. mortem tamen licitè patitur, ut corporis integritatem conservet, etsi non versaretur in proximo periculo consensûs ex stupri illatione: si verò proximo periculo consensûs dandi se expositam existimaret, potiùs mortem sustinere deberet quàm peccare. *Theol. Salisburg.* hic *disp.* 28. *art.* 3. *num.* 10. ubi varios adducit casus, in quibus aliquis per remediorum applicationem mortis accelerationem evitare non tenetur: ùt si Medici Novitio dicant, per rigorem Ordinis, quem ingressus est, fore abbreviandos vitæ dies, non tenetur propterea exire: nec Carthusiani, dum morbus instat periculosissimus, pro sanitate recuperanda carnes comedere obstricti sunt. Et ratio est, quòd vitæ conservationi quidem studere debeamus, at non nisi mediis ordinariis; alioquin nec ille culpâ vacaret, qui aërem sibi salubriorem non quæreret.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

## *Possitne Supremus Princeps, aut saltem inferior, innocentem condemnare ad mortem, qui fuit probatus nocens?*

285. PRopter connexionem materiæ hæc controversia satis famosa hic statim subjungitur, cæteroquin alibi tractanda. Casum pono. Cajus à Titio gladiô transfoditur, nemine vidente. Mevius, cùm esset anteà Caji inimicus, apud Judicem accusatur ùt homicida Caji, tribus corruptis testibus, cæteroquin viris honestis, convictus. Judex illo die vel nocte, qua homicidium accidit, cum Mevio ad locum dissitum profectus erat: evidenter ergo scit, Mevium esse innocentem. Quæritur, an nihilominùs Mevium, tanquam publicè probatum nocentem, ad mortem condemnare possit? Utraque Sententia opposita est probabilis.

286. Negativam absolutè propugno in meo *Lib.* 2. *Decret. tit. de Sent. & re judicat. à num.* 9. ex sequentibus Rationibus: Primò: quia Judex judicare debet, prout ipsi *suggerit religio*, id est, dictamen conscientiæ, consideratis omnibus, *l.* 79. *ff. de Judic.* Secundò: debet secum pensare, quanta sit testibus habenda fides, *l.* 3. *§.* 1. *ff. de Testib.* ac ex Sententia animi sui æstimare, quid aut credat, aut quantum sit probatum, *§.* 2. *ead. l.* 3. Item, debet sequi ea, quæ probabuntur, *l.* 6. *§.* 1. *ff. de Offic. Præsid.* Tertiò: juxta *cap.* 1. *de Sent. & re judic. in* 6. in ferendis Sententiis DEUS est præ oculis habendus. Quartò: quia præceptum naturale vetat occisionem innocentis, tanquam aliquid intrinsecè malum. Quintò: unicum fundamentum Sententiæ affirmativæ consistit in eo, quòd Judex scientiam publicam sequi debeat: hoc autem fundamentum nimis salebrosum est: debet enim subintelligi: si scientia publica sit ex probationibus veris, & possit Judici fidem facere. Sextò: Jura non cogunt Judicem ad judicandum secundùm allegata & probata, sed secundum leges & jura: hæc autem volunt, ut unicuique jus suum reddatur: allegata autem & probata quandoque volunt, ut jus vitæ vel membrorum vel rerum, innocenti auferatur. Nihilominùs Sententia affirmativa docetur à D. Thoma in 2. 2. *q.* 67. *a.* 2.

287. Resolutio prima: Judex, qui est Supremus Princeps, seu non alium superiorem recognoscens in terris, in casu posito non potest condemnare quà probatum publicè nocentem, quem privatim scit innocentem. Ratio est, quòd hoc esset directè occidere innocentem, utpote quem Princeps supremus potest servare, & absolvere: si enim per *jus aggratiandi*, potest (ex rationabili causa) absolvere reum, qui est absolutè & reverà nocens; cur non possit, imò debeat, quem scit certò esse innocentem? Neque Princeps tenetur in tali casu servare ordinem juris positivi; tum quia est supra jus positivum humanum & in illo dispensandi facultatem habet, dummodò saltem talis dispensatio in præjudicium tertii non vergat; tum quia leges potest interpretari, quòd, detecta falsitate, condemnationem ad mortem non jubeant, licèt duo vel tres testes contra reum deponant.

288. Resolutio secunda: admodùm probabilis est Sententia D. Thomæ, quòd Judex inferior possit innocentem, quà probatum nocentem ad mortem condemnare: si talem alio medio liberare nequeat. In hoc omnes convenient, Judici omnibus modis laborandum esse, ne Officium suum exercere cogatur, v. g. offerendo se, ut agat testem, & causam remittendo ad Judicem superiorem &c. quòd si hoc non acceptetur, sed juridicè procedere jubeatur, suoque fungi officio, in isto sensu & hypothesi.

289. Prob. Resolut. authoritate D. Th. *cit. quæst.* 67. ubi *art.* 2. quærit: utrùm Judici liceat judicare contra veritatem, quam novit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur? Et concludit sequenti modo: *Cùm judicium ad Judices spectet, non secundùm privatam, sed publicam potestatem, oportet eos judicare non secundùm veritatem, quam ipsi ùt personæ privatæ noverunt, sed secundùm quod ipsis ùt personis publicis per leges, per testes, per instrumenta, & per allegata & probata res innotuit.*

290. Ejusdem mentis est D. Augustinus super *Psal.* 118. Bonus Judex, inquit, nihil ex arbitrio suo facit, sed secundùm leges & jura pronuntiat. Atqui hoc est judicare secundùm ea, quæ proponuntur & probantur. Ergo Judex debet secundùm hujusmodi judicare, & non secundùm proprium arbitrium. Probatio

291. Restauratur primò: Judex publicè probatum nocentem nequit absolvere; nec, uti supponitur, potest eum alia viâ liberare: ergo talem debet condemnare. Conseq. patet: quia debet fungi suô Officiô publicô, & Sententiam pronuntiare vel absolutoriam vel condemnatoriam. Antec. probat. Nemo gerens personam privatam potest publicè nocentem & reum mortis absolvere: atqui omnis Judex, qui notitiâ privatâ scit, aliquem esse innocentem, gerit personam privatam: hoc enim non scit ùt Judex per informationes Judiciales: ergo nullus Judex eum, quem privatâ scientiâ innocentem scit, potest absolvere. Major prob. Posse absolvere, supponit Jurisdictionem ad absolvendum: atqui Judex ùt gerens personam privatam non habet Jurisdictionem: ergo Judex ut persona privata non potest absolvere.

292. Restauratur secundò: Persona, potestas, scientia, & voluntas, hujusque præceptum in Judice sunt aliquid publicum: ergo

go & actus, cujus sunt causæ, debet esse publicus: item ipse usus jurisdictionis & Officii Judicis est publicus: ergo, quando Judex impertitur suum Officium, non potest Sententiam ex scientia privata pronuntiare, propriæque & privatæ voluntatis præcepto criminaliter accusatum & publicis testimoniis convictum, à pœna absolvere, sed publicè allegata & probata sequi necesse habet.

293. Restauratur tertiò. Eò maximè peccaret Judex, quòd innocentem condemnaret, quod est aliquid intrinsecè malum, contra jus naturale, & Divinum: quodque injustè ageret, & pronuntiando, hunc esse reum mortis, mentiretur, falsis allegatis inductus: cùm deberet interim attendere illud Exod. 23. *Non suscipies vocem mendacii, neque in judicio plurimorum acquiesces Sententiæ, ut à veritate devies &c.* At hæc omnia non obstant: quia, licet per accidens sequatur mors innocentis, tamen Judex mortem innocentis non intendit: sed quod intendit, est, ut sequatur jura & leges, quæ Sententiam mortis in eum ferri præcipiunt, qui juridicè fuit probatus reus mortis. Neque hoc injustum dicere potes, si Judex suo officio publico utatur, postquàm omni curâ, conatu, & prudentiâ innocentem liberare studuerat. Probatur hoc à pari. Quando invasus occidit suum invasorem, non peccat, nec est homicida, si se solùm voluit defendere, & occidere non intendit; adeoque homicidium, quod secutum est, habet se per accidens, & defensio erat per se intenta. Ergo etiam quando Judex vult & debet uti suo Officio publico pronuntiando & condemnando secundùm jura & leges, & juxta publicè allegata & probata, non peccat, nec est homicida; quia homicidium subsecutum habet se per accidens. Quibus addo argumentum Gregorii Valentia *Tom. 3. Commentar. Theol. disp. 5. quæst. 11. punct. 2.* Judex non potest censeri rectè facere aliquid ex suo Officio, nisi id ipsa etiam communitas censeri possit facere & approbare. Sed si Judex privatâ suâ ductus scientiâ, & postposita testificatione publica, ferat aliquam Sententiam, non potest tunc censeri communitas id facere aut approbare. Maj. est manifesta. Nam idipsum est, Judicem esse personam publicam, & posse eum facere, quæ privatis non licet; quia videlicet est *quasi ipsa Communitas*, quæ ad vitandam confusionem cedit uni suas vices. min. prob. Scientia privata Judicis nequit censeri scientia certa communitatis: cùm sit tantùm scientia unius partis, quæ faciliùs potest falli, quàm plures: ergo quod ex illa fit, non censetur factum à tota communitate. Atque hanc Sententiam tuetur eruditissimus S. Thomæ Interpres Cardin. Cajetanus ad 2. 2. *cit. quæst. 67. art. 2.* cum Alexandro de Ales, Richardo, & aliis pluribus. Ex quibus non adeò difficile est, respondere ad rationes primæ Sententiæ. Nam

294. Ad tres priores conc. Judicem debere judicare, prout ipsi suggerit religio: pensare, quid testibus credat: DEUMque præ oculis habere, regulandô tamen suam Sententiam secundùm potestatem, scientiam, probationem, & veritatem publicam, non verò stando in propria & privata notitia. Instantiam habes in causis Civilibus. Sciat Judex privatim, Titium domi instrumentum habuisse authenticum illudque perdidisse, ex quo doceri potuisset fundum Caji eidem venditum fuisse: eritne in potestate Judicis, fundum Caji Titio adjudicare, Titio actore nihil probante? Nequaquam; sed è contrario, actore non probante, reus absolvi debet. Addit Card. Cajet. *loc. cit. ad tertium*, Judicem humanum non teneri judicare, sicut judicat DEUS; sed tenetur judicare, sicut vult DEUS, ut homo judicet. Statuit autem ipse DEUS, ut homo judicet secundùm veritatem publicam: dixit enim, quòd in ore duorum stet omne verbum. Cæterùm Div. Thom. notat *loc. cit. ad secundum*, DEO competere judicare secundùm propriam potestatem, & ideo in judicando informari secundùm veritatem, quam ipse cognoscit, non quam ab aliis accipit. Ad quartam satisfacit confirmatio tertia *num. præced.* Ad quintam & sextam Resp. Jura & leges velle, ut cuilibet jus suum à Judice tribuatur secundùm allegata & juridicè probata, quæque vera sint in foro externo, & publica consideratione.

295. Postremò nostræ Sententiæ reluctari videtur tex. in *cap. Inquisitioni. 44. de Sent. Excommunic.* ubi conjux, sciens pro certo impedimentum Matrimonii, non debet reddere debitum; sed potiùs *excommunicationem humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.* Nunc sic: conjux hic debet sequi scientiam privatam, nec potest sequi Sententiam Judicis ex scientiâ publicâ per testes v. gr. acquisitâ latam: quia privata est veritati consentanea, secus scientia publica. Ergo eodem modo Judex, quando scit privatim, accusatum esse innocentem, non poterit sequi suam scientiam publicam: quia privata est vera, publica verò falsa. Resp. magnum intercedere discrimen. Conjux in casu posito sustinet præcisè personam privatam, quæ consequenter in conscientiæ suæ directione non potest sequi Sententiam Judicis, quam certò scit falsam; sed debet sequi certum suæ conscientiæ dictamen, ceu regulam proximam, quo judicat, in nullo casu, etiam jubente Judice quocunque humano, posse committi peccatum mortale fornicationis, incestûs &c. cum magis oporteat DEO obedire quàm hominibus. Judex econtra, ex suo Officio publico, debet judicare secundùm scientiam publicam, tanquam regulam proximam: nec propriè, condemnando innocentem ad mortis supplicium, occidit, sed solummodò ad hanc determinatam facti speciem applicat, deciditque quod leges publicæ in ejusmodi casu

casu decîdi præcipiunt. Revideatur responsio Cajetani in *num.* 293. adducta, dicentis, homicidium subsecutum habere se per accidens. Si magis arrideat Valentia *loc. cit.* dic cum ipso, in nostro casu non occidi innocentem nisi judicio Communitatis quodam moraliter certo: quod facere non est malum, sed debitum. Ex quo idem tex. *Exod.* 23. interpretatur, scil. eum loqui, quando Sententia plurium jure potest repelli per juridicam exceptionem: ùt poterat à Pilato, quando, clamante populo, *crucifige, crucifige eum*, respondit: *nullam invenio in eo causam.*

Pondus nostræ Sententiæ admodùm grave addit sanct. mem. Benedictus XIII. Pont. Max. in Sermonibus Biblico-Ecclesiasticis, *Serm.* 37. *n.* 17. sic loquens: Optimo proinde fundamento Schola mea Sententiam tuetur affirmantem: & D. Thomas 2. 2. *qu.* 60. *art.* 5. recensitis è Legibus deducit necessitatem, qua Judex eam exercere teneatur: *Necesse est, quòd judicium fiat secundùm legis Scripturam: alioquin judicium deficeret:* Et in *qu.* 67. *art.* 2. docet: *Ideo Judex informari debet in judicando, non secundùm id, quod ipse novit, tanquam persona privata; sed secundùm id, quod sibi innotescit, tanquam personæ publicæ.* Antea verò Pontifex *num.* 14. adduxit Patrem de la Haye Minorum è familia, qui in sua *Bibliæ Maximæ Compilatione* Judicem adstringit, ut potiùs suum officium deserat, quàm innocentem condemnet, seque *humana cæde polluat*, contra pronunciatum D. Augustini *de liber. arbit. c.* 5. Cui dein reponit ex Abulensi, verum esse, quòd non debeat aliquis polluere se homicidio, ut aliquam rem de istis contemnendis salvet: Judex autem non occidit innocentem pro salvanda aliqua re temporali, sed pro salvanda Lege: & sic dictum Augustini non militat contra hoc. Lex igitur occidit, non Judex: quoniam Lege præcipitur, ut Sententia feratur secundùm *allegata & probata.*

# QUÆSTIO VIGESIMA QUARTA.

## *An Summæ Potestati competat jus in famam subditorum: aut saltem quilibet privatus Dominium famæ habeat?*

296. RESolutio prima: Nulla potestas summa habet aliquod dominium in famam & existimationem privatorum innocentûm. Probatur Fama est illæsæ dignitatis status, legibus & moribus comprobatus. Hæc definitio est de fama in genere data in *l. cognitionem. ff. de Extraord. cognit.* Fama autem bona, prout hic accipitur, est multorum existimatio de vita & moribus alterius, Lessius *de J. & J. l.* 2. *cap.* 11. *disp.* 1. *num.* 1. advertens, famam bonam potissimùm consistere in opinione virtutis & sapientiæ, functionibusque exinde procedentibus: quia ob ista bona ceu propria homo est laude dignus: secundariò autem consistere etiam in opinione ingenii, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ, opum, & similium: nam & ista apud homines magni æstimantur: cùm etiam ex illis fama quæratur. Quidquid sit de fama accepta secundum hæc bona posteriora, saltem quoad priora & præcipua nullum supremæ potestati competit dominium vel imperium: cur enim inficiamur, aliquod competere in vitam innocentum, & in famam concedamus; cùm tamen in sensu adducto fama & vita pari passu ambulent, nihilque in utroque genere pro felicitate Reipublicæ, Civitatis, vel alterius communitatis suppositum talis imperii aut dominii conducat; sed magis noceat, si Communitas, sublato inter probos & improbos discrimine, flagitiosorum agmine corrumpatur, & Principi vel Magistratui potestas monstrosa nimis concessa supponatur, eos videlicet tanquam criminibus sordidos per infamiam arguendi, qui non tantùm sceleris puri sunt, sed actionibus virtute conspicuis, laudeque ac imitatione dignis optimum nomen sibi conciliârunt?

297. Resolutio secunda: Homo est quasi Dominus famæ suæ & honoris. Ita communis fere contra Cajet. & Sylvest. Colligitur autem ex Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 4. *ad* 1. respondente, *in cujuscunque arbitrio esse, pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Et ratio est, quòd homo suâ industriâ virtutem & sapientiam, in qua bona fama principaliter consistit, comparet, earumque auctione famam suam augeat: quandoque etiam (quando nimirum alterius honori detraxit) cum suî ipsius infamatione, famam alienam reparare teneatur scil. deprecando, revocando, &c. Confirmatur exemplô bonorum spiritualium, ùt sunt gratia sanctificans, habitus supernaturales, & operationes ad ordinem gratiæ spectantes; quæ omnia in quasi-dominio hominis existere censentur, quatenus hominis cum Divino adjutorio conjunctâ & cooperante industriâ, vel *meritoriè*, vel saltem *dispositivè* comparantur; quod secus se habet quoad *gratias gratis* datas, quæ ideò non subjacent quasi-dominio hominis; quia absque ipsius cooperatione, industria, & dispositione, à DEO communicantur, & quoad usum libero hominis arbitrio non subduntur; sed DEO moventi.

298. Dices primò: cont. primam Resol. Homo privatus est dominus famæ suæ utpote per actiones suas comparata, uti mox in secund. Resolut. dictum fuit. Ergo etiam admitti debet in summa potestate aliquod dominium in famam privatorum, quod vocari solet *eminens:* cur enim admittatur dominium eminens in cætera jura & bona subditorum, & non similiter in famam & existimationem? Secundò: Summa Potestas innocentibus potest occludere viam, ne pertingant

tingant ad honores, officia, & dignitates: exemplo sunt liberi parentum reorum criminis læsæ Majestatis usque ad secundam generationem, per *l. 5. Cod. ad Leg. Jul. Majest.* Simile quid dispositum est quoad illegitimos, *cap. si gens* 10. *dist.* 56. Resp. ad primum negando parit. rationis. Salus namque publica exigit, ut Supremæ Potestati pro conservando bono communi, & emergenti necessitate, dominium aliquod altum seu eminens in jura temporalia & bona privatorum sit reservatum: quod secus se habere quoad dominium eminens in famam & existimationem, ex *num.* 296. satis constat. Vid. *Jurispr. publ.* Magnif. P. Francisc. Schmier p. m. *lib.* 3. *cap.* 3. *sect.* 2. *§.* 3.

299. Ad secund. Resp. ex eodem *ibid.* quòd existimatio cujuslibet hominis, secundùm se atque ex naturali jure considerata, sit illa bona opinio, quam alii de nobis ob facta & gesta laudabilia concipiunt. In qua consideratione verissimum est, vitam & famam pari passu ambulare, Potestatique supremæ non melius vel potius jus in existimationem & famam civium innocentûm competere, quàm in vitam innocentûm. Si verò existimatio spectetur civiliter, seu prout involvit honores, jura, & favores, quibus in Civitate gaudent, qui nominis integritate enitescunt, penes summam Potestatem est, posse justis de causis effectus Civiles, qui cæteroquin ex illæsa existimatione naturaliter fluunt, tollere: cùm pertineat ad tranquillum & auspicatum Regimen, ut portæ honorum ac dignitatum quandoque etiam illis, qui improbi non censentur, occludantur. Hôc modô accidit cum liberis ex maculato seu inhonesto thoro progenitis: & cum illis, quos procreârunt rei perduellionis vel criminis læsæ Majestatis. Neque existimes, hanc esse pœnam propriè dictam, pro liberis directè statutam; sed est solùm impropria, atque indirectè in liberos resultans. Nam (loquendo de posteriori exemplo) liberi ad bona patris in ea solùm hypothesi jus strictum consequuntur, quando bona apud ipsum etiam tempore mortis extant: at, post tam immane delictum, patris bona adhuc in vita ejus confiscantur, & ab eo avelluntur: nullum proinde jus strictum ad talia bona liberis remanet. Sed neque ad honores jus propriè dictum obtinent, si à Republica quæ est honorum libera dispensatrix, justis ex causis, non admittantur. Vid. plura *cit. loc. l.* 3. *cap.* 2. *à num.* 95. Et *cap.* 3. *num.* 69. ubi ad quæstionem hic incidentem an Princeps, aut alius, cui summa Potestas incumbit, infamiam, quæ in ipsum redundat, possit in civem probum & honestum transferre, quorumdam refertur distinctio inter delicta Principis domestica seu privata: & inter publica: quoad prioris generis delicta negat, vel à Principe honestè postulari, vel à cive acceptari posse, ut se Principis locô reum fateatur, maculam illius sub plausibili sceleris commentitii prætextu in se recipiendo: quoad delicta verò posterioris generis nonnemo tenet, bonum civem non detrectaturum, quin in casu, quo ex mandato Principis suscepto, & executioni dato damnum in Rempublicam dimanaturum prævidetur, simulet, proprio se motu tale quid attentâsse: cùm hoc modo & saluti publicæ consulatur, & nota, quam civis fortè patitur, facilè eluatur. Attamen huic Sententiæ minimè adstipulari possum: non enim video, qualiter civis sine mendacio per ejusmodi simulationem factum à Principe demandatum, se auctore contigisse, asserere & fingere valeat.

300. Dices ulteriùs cont. secund. Resolut. Non licet homini famam negligere juxta illud Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm thesauri pretiosi & magni.* & Augustinum relatum in *cap. nolo.* 10. *caus.* 12. *quæst.* 1. ubi *crudelem* vocat, *qui famam negligit.* Ergo homo privatus non est dominus famæ. Resp. tex. (ùt explicat eum Lugo mox citandus) non tam de ipso honore habendo, quàm de illo promerendo per bona, & laudabilia opera, intelligi. Igitur neg. conseq. quia etiam culpâ non vacat, qui pecunias, aliâsve res suas neglectim & prodigè expendit vel dilapidat: éstne ipsi propterea denegandum dominium? In memoriam revocemus Clericorum dominium in reditibus superfluis. Concedo igitur, famam non esse negligendam, præsertim si illius integritas & conservatio necessaria sit ad statum alicujus, & munus, quod gerit, debitè administrandum. Refero hic doctrinam Cardinalis de Lugo, quam tradit *de Just. & Jur. disput.* 14. *sect.* 10. *à num.* 153.

301. Ait primò, infamare seipsum, per se loquendo, non esse peccatum contra justitiam, nisi adsit alia peculiaris circumstantia: ab hac siquidem peccati specie se ipsum infamans, & famam prodigens, ex capite quasi dominii, quod in famam suam habet, non minùs excusatur, quàm alius dominus facultates suas projiciens: idque procedit, etsi aliquis crimina falsa de seipso publicet: ejusdem quippe ad seipsum non datur justitia vera vel injustitia. Molin. *tom.* 5. *disp.* 2. apud *cit.* Auctorem. Si quis instet, Reipublicæ cujus infamans est pars, injuriam inferri: replicat, ex hoc sequi, quòd infamatus infamanti injuriam condonare nequeat, quin & Respublica eam condonet. Et cur non infertur injuria Reipublicæ à membro illius, quando pecuniam prodigit, vel in flumen projicit? Fortiori titulo Respublica posset restitutionem rerum, in quas eminenti saltem pollet dominiô, prætendere, quàm si membrum famam suam, in qua Reipublicæ nullum dominium competere docuimus, prodigere non dubitet. Cæterùm non apparet, quomodò graviter lædatur fama Reipublicæ ex infamia alicujus civis privati: nec ratio, quòd privatus se tacitè obligaverit Reipublicæ ad bonum illius ex conservatione famæ procurandum.

302. Ait

302. Ait secundò: nec, per se loquendo, per hoc graviter peccari contra charitatem: tum, quòd aliàs idem sequi deberet in dilapidatione pecuniæ: tum, quòd dilectio suî non obliget ad ejusmodi bona externa procuranda vel retinenda, nisi quando vel ad spiritualem vel ad corporalem salutem sunt necessaria.

303. Ait tertiò: hoc esse intelligendum *per se loquendo*: nam grave peccatum committitur per accidens v. g. si quis sibi cum perjurio falsum crimen imponat: vel occultum de se manifestet cum jactantia vel complacentia in illo: vel cum scandalo, aliis præbendo exemplum ad peccandum: vel cum subsequente infamia v. gr. redundante in certam communitatem, vel Ordinem. Vel si fama erat necessaria aliis; v. gr. si Prælatus se infamet cum magno detrimento subditorum, quibus posthàc utiliter præesse non posset.

304. Ait quartò: quòd infamans seipsum sine causa sufficienti, ad minus peccet venialiter. Nam si crimen manifestatum sit falsum, ad minus committitur mendacium leve: sin verum, erit quædam prodigalitas culpabilis saltem venialiter, eò quòd absque causa fiat, sicuti contingit in prodigalitate quoad pecunias. Alia valde notabilia dubia circa præsentem materiam laudatus de Lugo *cit. disp.* 14. *sect.* 10. resolvit, speciatim, an quis possit sibi crimen falsò imponere, ut alium innocentem, aut saltem non juridicè condemnatum à morte liberet: qua de re videatur ipse Auctor. Quid porrò de detractione alienæ famæ, ejusque reparatione sit observandum, in *seq. Tract.* dispicietur.

# QUÆSTIO VIGESIMA QUINTA.

## *An, & quomodò Summæ Potestati competat jus exigendi Tributa & vectigalia?*

305. TRibuta sunt pensitationes, contributiones, sive collectæ publicæ, quæ à subditis ad commune utilitatem, & necessitates publicas sustinendas, vel ordinariè & statis per annum temporibus, vel extraordinariè seu pro casibus noviter emergentibus præstari debent.

306. Resolutio: Tributi exactio licita est non tantùm, quotiescunque publicæ securitatis, utilitatis, aut necessitatis gratiâ sumptus extraordinarii faciendi sunt, ex. gr. dum purganda est provincia à latronibus, aut defendenda contra hostilem assultum &c. verùm etiam pro decenti & congrua sustentatione Principis, & Ministrorum suorum. Utraque pars Resolutionis traditur etiam ab ipso D. Thoma *lib.* 3. *de Regim. Princip. cap.* 11. ait enim: *Cùm Societas humana sit naturalis, omnia necessaria ad ejus conservationem sunt de Jure naturæ: igitur ad conservationem & bonum commune Reipublicæ poterit Rex justè à subditis pecuniam exigere.* Rursus, *nemo*, inquit, *militat suis stipendiis unquam; & quodam jure naturæ unusquisque de suo labore debet reportare mercedem*, *ut probat* Apost. in 1. Epist. ad Cor. *Hinc est*, *quòd licet Principibus à suis subditis tributa & annuos census percipere.* Unde cùm Apostolus in ea Epistola, quæ est ad Romanos, probâsset, omne dominium à DEO esse provisum, tandem suadet eisdem retribuere pro labore: *ideò* (ait) *& tributa præstatis; Ministri enim DEI sunt, in hoc ipsi servientes.*

307. Dices primò contra primam part. Resol. cum Summatum adulatoribus: non solùm Math. 23. legi: *Omnia ergo*, *quæcunque dixerint vobis*, *servate:* Verùm etiam Samuelem Divino instructum mandato populum Israëliticum 1. *Reg. cap.* 8. ita alloqui: *Hoc est jus Regis*, *qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet*, *& ponet in curribus suis; facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos*, *& centuriones*, *& aratores agrorum suorum*, *& messores segetum*, *& fabros armorum & curruum suorum . . . sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit &c. greges quoque &c.* Ex quibus texx. evincere tentant, Summates potestate nullis terminis circumscepta in subditos pollere, cumque eorum bonis, etiam extra casum salutis publicæ pro arbitrio suo disponere posse: Et, ùt nonnemo protérve docuit, regulas boni & mali, justi & injusti esse leges civiles, ideoque quod legislator præceperit, pro bono, quod vetuerit, pro malo habendum.

308. Resp. Negando conseq. nec probant textus allati pseudo-politicorum intentum. Nam illô apud Mathæum Christus Dominus aliud non docet, quàm ut circa doctrinam & legem sacram illa, quæ authenticè & ex Cathedra à Superioribus docentur, sequi conemur; secus ea, quæ in vita & doctrina privata reprehendi merentur. In altero tex. Samuel tyrannicum seu despoticum Regalis Regiminis morem ibi populo Hebraico, volenti à DEO caput Regium extorquere, delineat, & ad terrorem commemorat, minimè verò approbat. Subdit enim: *Clamabitis in die illa à facie Regis vestri*, *quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa; quia petistis vobis Regem.*

309. Dices secundò contra secundam partem Resolutionis: concedi posse Regibus, ut tributa colligant, si vel bona eorum propria pro congrua statûs sustentatione deputata, deficiant, vel olim assignata, pro moderni temporis ratione & mutatione non sufficiant: At si luxu excessivo aut bello injusto &c. bona coronæ dissipâssent, eos culpam suam luere debere, nec ex tributis aliis sustentationem congruam prætendere posse. Resp. nihilominùs adhuc urgere præceptum naturale ac Divinum, ut ejusmodi Regi aut alteri Principi pro labore, sollicitudine, & Officio publico, quo fungitur, congruæ sustentationis stipendium contribuatur, juxta illud Christi oraculum Math. 22. *Reddite, quæ*

*sunt Cæsaris, Cæsari:* ubi tamen duo notamina non sunt dissimulanda: primum, quòd in hac hypothesi Rex, vel Princeps, contentus esse debeat sumptibus mediocribus, sique ad meliorem suo tempore fortunam pervenerit, subditis recompensare, quod culpâ suæ prodigalitatis, vel luxûs, ab illis propterea immoderatè exactum fuit. Vid. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 667. *n.* 7. Alterum notamen est, tributa eum in usum finemque præcisè esse applicanda in quem fuerant indicta atque præstita: æqualiter enim à justitiæ tramite deflectitur, si ex causa injusta exigantur, ac si exacta in finem & usum illicitum impendantur. Neque, quod necessitate instante in ærarium inferre licuit, hac cessante, sine justitiæ læsione continuari valet. In Romano Germanico Imperio Collectarum, seu Tributorum Provincialium exactio ad Statum illum Imperii, qui Jurisdictione Superioritatis Territorialis decoratus est, spectat; non verò ad illos, qui in Territorio alieno jurisdictionem criminalem exercent.

310. Vectigalium quoque usus (quæ & gabella nominari solent) jam ab antiquissimis temporibus introductus est. Comprehenduntur sub genere tributi tanquam species: describuntur apud Molin. hic *tract.* 2. *disp.* 662. quòd sint tributum, quod præstatur ob asportationem, aut exportationem rei alicujus, vel ob transitum, aut propter venditionem, vel contractum sive actum alium. Differunt à tributis strictè sumptis maximè in eo, quòd vectigalia etiam ab exteris, si alicubi v. gr. per pontem transeant, aut merces in Provinciam vel Civitatem invehant, solvi debeant: Tributa verò à solis indigenis, seu subditis, eorumque bonis exigantur.

311. Neque moderata vectigalia injustitiæ argui possunt: non enim Princeps, vel Respublica pontes, & vias reparare, & transeuntibus commoditatem, vel etiam securitatem, gratuitis sumptibus præstare tenentur.

312. Sub tributis, vectigalibus & gabellis continentur etiam accisiæ, germanicè Umbgeld, Auflag, quæ rebus utensilibus, maximè autem usû consumptibilibus, ùt cerevisiæ, vino, frumento, carni, &c. imponuntur. Sine dubio neque istæ accisiæ absque legitima potestate, moderatione, justaque ac urgenti causa imponi valent. Si enim Domini Territoriales pro suo tantùm arbitrio vel ex sola lucri cupiditate, aut ad continuandum luxum, non habita ratione statûs ac temporis, rebus hujusmodi, victualibus præsertim, accisiæ onera imponerent, difficulter ab injustitia excusarentur, uti Illustrissimus D. B. ab Andlern *Constit. Imper. verb. accisia.* sapienter observat. Liberior potestas concessa censetur, gabellis onerandi illas res peregrè advectas, quæ magis nocivæ sunt Civibus, quàm utiles, & ad splendorem, libidinem, vel ostentationem duntaxat pertinent.

313. Porrò pro augendis in Romano Imperio gabellis, vel noviter introducendis, consensum Statuum quoque Provincialium requiri, non verò quoad accisias imponendas, docet idem Andlern cum aliis ex *Capitulat. Josephina. artic.* 21. ibi: Doch denen ohnmittelbaren Reichs-Ständen auf ihre angehörige Burgerschafften wegen der Consumptionen etwas zu schlagen ꝛc.

314. Quamvis autem accisiæ rebus subditorum duntaxat imponi valeant, inspecta Capitulatione Cæsareo-Leopoldina, & Josephina, propter verba: ohne Berührung, Schaden, oder Nachtheil der Frembden: non erit tamen illicitum, si etiam exteri, qui in Territorio imponentis edunt & bibunt, ad eadem pretia rerum solvenda, in consequentiam graventur: quia subditorum temperaneorum rationem habere videntur, & commodis illius Territorii perfruuntur. *Aliud* tenendum quoad exteros (quòd *scil. sint liberi* ab istis accisiis) dum res aliquas vel merces soluto ordinario vectigali, vel ex alieno Territorio exportant, vel ad illud advehunt, vel transvehunt: tunc enim induunt novam speciem vectigalium, quæ in Romano Imperio sine August. Cæsaris, Electorumque consensu nec institui nec augeri possunt, veluti ex Capitulatione Augustiss. Caroli VI. *Art.* 8. clarè constat. Archiducibus Austriæ competere privilegium nova vectigalia instituendi vel vetera augendi docet Magnif. D. P. Franciscus Schmier in *Jurispr. Publ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 30.

315. Imò in Bulla Cœnæ (sicuti ego memini in *Tract. de Potestate Clavium circa Censuras Eccles. part.* 2. *sect.* 6. *num.* 181.) *excommunicantur & anathematizantur omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquàm in casibus sibi in Jure, seu Sed. Apost. licentia permissis, imponunt, seu imponi vel augeri exigunt.* Est autem *pedagium* à pede dictum: & *pedagia* significant exactiones, quæ pro transitu in aliquo loco ratione personarum, vel rerum ibi transvectarum solvi debent, sicuti alibi solvenda sunt *guidagia*, sic dicta *à guida*, seu ductu per aliquem locum. Notavi etiam *cit. meo Tract.* ex Mario Alterio, *Gabellam* esse vocabulum, usû hominum potiùs introductum, quàm latinum, eoque tanquàm sub genere tributi comprehendi omnes tributorum species, quales sunt pedagium, guidagium, vectigal, telonium, duana, datium, salinarium, portorium, tallia, collecta, pensio, census, decima, munus, angaria, & perangaria, &c. nomenque illud gabellæ S. Pium V. Canoni præsentem excommunicationem statuenti addidisse, ac propterea hodierno tempore vix locum dubitationi superesse, quin generaliter quæcunque injusta cujuscunque tributi exactio fulmen excommunicationis Bullæ Cœnæ in exactores provocet: finis enim hujus excommunicationis est, populum à nimiis exactionibus Principum liberare, qui finis à SS. Pontificibus non fuisset obtentus, si sola pedagia in

in propria & stricta significatione sub excommunicatione prohibuissent.

316. Quibus prætereà addendum ex Lessio de *J. & J. lib. 2. cap. 33. num.* 17. eos, qui sine legitima potestate in suis terris nova pedagia seu gabellas imponunt, vel veteres augent, vel eas, quæ prohibitæ sunt, imponi vel augeri exigunt, teneri ad restitutionem; quia rapinam committunt, extorquentes alienum sine legitima potestate. Quinam autem potestate extraordinaria, id est, vel ex privilegio, vel antiqua consuetudine jus exigendi pedagia aliaque tributa habeant, nostrûm non est disquirere: quoad habentes potestatem ordinariam ex dictis sufficienter constat.

## QUÆSTIO VIGESIMA SEXTA.

### *Utrùm vectigalia & tributa solvenda sint, tametsi per Officiales non exigantur? Et quid ipsi putentur injusta?*

317. NOn levis momenti hæc quæstio est, sed multorum, præsertim negotia & commercia exercentium, conscientias quandoque in angustias redigit, maximè ratione dubii de justitia. Sit

318. Resolutio prima: Quando constat, vel probabiliter præsumi debet, vectigal, seu tributum aliud, justo titulo exigi, obligatio solvendi stringit in conscientia, esto Officiales vel per errorem, vel ex alia simili causa, exactionem omittant. Laym. *l. 3. de Just. tract. 3. part. 1. cap. 1. num. 5.* præcedente Lessio *d. cap. 33. dub. 8. à num. 56.* cum Sylvest. *V. Gabella*, & pluribus Summistis. Probantque hanc conscientiæ obligationem ex Apost. ad *Rom.* 13. dicente: *Ideò & tributa præstatis: Ministri enim DEI sunt* (putà supremam in terris potestatem habentes) *in hoc ipsum servientes: Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Elucidatur. Quod debetur ex justitia rigorosa, seu commutativa, debetur in conscientia. Tributum, & vectigal, quando constat, aut probabiliter præsumi debet de ejus justitia, debetur ex justitia rigorosa &c. Nam ex dictis tributum ordinarium, & interdum, prout urgent graves circumstantiæ, etiam aliquod extraordinarium, Principibus debetur in stipendium curæ, sollicitudinis, & administrationis publicæ; nec non ad congruam & decentem sustentationem: vectigal exigitur propter conservationem tranquillitatis publicæ, viarum, pontium reparationem &c. ut adeò tacitum pactum intervenire censeatur inter Principem pro bono publico vigilantem, & inter cives vel alios subditos, ut Principi præstentur quæ sunt necessaria & debita. Facit & illa paritas apud Lessium, quòd post semel determinatam decimam partem, pro stipendio, sustentatione, & gubernatione spirituali Ministris Ecclesiasticis solvendam, ex justitia rigorosa decima pars à singulis solvi debeat: ergo etiam post factam semel justam determinationem tributi & vectigalis, in tanta quantitate, & ex certis rebus, in Principis sustentationem, stipendium, & pro publica administratione in temporalibus & politicis, justitia rigorosa conscientias singulorum ad suam partem solvendam stringit. Quòd econtra, qui vectigal rebus venditis, vel in proprium commodum comparatis, imponi solitum, defraudant, non peccent mortaliter, nec ad restitutionem obligentur, docet

319. Sententia opposita quorumdam cum Angelo *V. Pedagium. num.* 6. & Navar. *cap.* 23. *num.* 55. & 60. apud Lessium *cit. cap.* 33. *num.* 53. & Layman. *cit. cap.* 1. *num.* 4. qui posterior saltem forenses, si quoad impositionem vectigalis probabili ignorantiâ, quam juramentô confirmant, laborent, etiam in foro externo excusat *ita*, ut illorum merces in pœnam *commissi* non cadant, nec confiscari queant: quoad forum verò pœnitentiæ simplici assertioni ignorantiæ habitæ statur.

320. Argumentum Angeli palmare consistit in illo supposito, quòd leges vectigalium non sint præceptivæ, & sic determinatè ad actum non obligent, sed sint purè *pœnales*, sub disjunctione obligent, ut vel præstetur vectigal, vel, si defraudantes deprehendantur, pœnam solvant, scil. post Sententiam. Colligunt hoc ex forma Decretorum, quæ emanant circa vectigalium solutionem: nam in his reperiuntur illa verba, *statuimus, ordinamus, &c.* ut solvatur vectigal pro hac vel illa re: & defraudantes, præter amissionem rerum, tali vel tali pœnâ plectantur. Nihilominùs nostræ Sententiæ Patroni constanter negant, suppositum illud de lege purè pœnali in tributis & vectigalibus firmo talo subsistere: fundantur siquidem in debito justi stipendii pro Principis sustentatione, & subsidiis ad onera publica necessariis: hinc non minùs, ac aliæ leges, quibus pretia rerum determinantur, conscientias stringunt, sive verba expressè præceptiva apponantur, sive non. Less. *d. cap.* 33. *num.* 59.

321. Resolutio secunda: à Layman. *cit. cap.* 1. sub *num.* 5. statuitur sequenti modo: si vectigal aut tributum probabiliter existimetur iniquum; ùt quia est noviter impositum, & de ejus auctoritate, titulo, aut omnimoda justitiæ causa non satis constat; quia fama est & persuasio in populo, quòd tributa sub prætextu alicujus necessitatis imposita, in non necessarios usus convertantur, vel asserventur, tunc solutionem subterfugere, aut clandestina compensatione uti, non est illicitum; modò absit scandalum; itemque mendacium & perjurium, quæ nunquam licita sunt. Ita ille, allegans Summistas, Sylvestr. Cajetan. &c. item Molinam *Tom. 3. tract. 2. disp.* 674.

322. Nec aliter sentire videtur Lessius *cit. cap.* 33. *num.* 64. sequentem Conclusionem statuens: verius est, ut subditi teneantur ad solutionem vectigalis novi, non esse necessarium, ut ipsis constet, esse justum, sed satis est, ut non habeant probabiles rationes, ob quas probabiliter possint judicare, esse injustum: si tamen tales rationes habeantur, non tenebuntur in conscientia solvere. Ita Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 263. Priorem partem Resolutionis tenet contra illos Doctores, qui affirmare non sunt veriti, nisi constet de justitia, omnia nova vectigalia, & veterum vectigalium nova incrementa (id est, quæ ab hominum memoria sunt instituta) præsumi injusta, ac proinde in conscientia non deberi, modò scandalum absit. Contra quos Authores, pro ratione adducit, quòd subditus in dubio *negativo* (id est, cùm quis dubitat ex ignorantia, eò quòd in neutram partem rationes habeat, ex quibus probabile judicari & determinari possit, vectigalia laborare injustitiâ, vel justa esse) judicio superioris se conformare teneatur, cùm nulla suppetat causa, cur contrarium sentiat. Prætereà, Princeps, ait, ut possit imponere vectigal, non necessariò debet esse certus speculativè: sed sufficit adesse rationes probabiles: quilibet enim in actionibus suis Sententiam probabilem sequi valet &c. Ergo subditus, ut obligetur solvere, non debet esse certus, sed sufficit, ut non habeat probabilem rationem credendi, vectigalia esse iniqua.

323. Posteriorem partem Resolutionis, quam & nos ex Laymanno ùt probabilem amplectimur, idem Lessius inprimis firmatam dicit ex communi Doctorum, ac speciatim receptam à Div. Antonino 2. *part. tit.* 1. *cap.* 14. §. 8. Deinde probat ex eo, quòd subditis se opinioni probabili conformare licitum existat: & quòd in tali dubio melior sit conditio possidentis. Sed contra

324. Opponitur primò *cap. quanquam de Censib. in* 6. ex quo colligitur, juris præsumptionem militare contra justitiam vectigalium, saltem ubi hæc sunt nova: ait enim Pontifex: *Pedagiorum exactiones tam Jure Canonico quàm Civili regulariter meritò sunt damnatæ:* quia tot conditiones requiruntur ad justitiam vectigalium, ut difficile fortè sit justa invenire, subdit Cajetanus. Ergo vera est Sententia illorum, qui docent, nova vectigalia in foro conscientiæ non esse solvenda, nisi de illorum justitia constet. Secundò: hìc quoque procedere censetur regula illa, quòd in dubio melior sit conditio populi possidentis suam pecuniam, & immunitatem. Tertiò: Saltem forenses & extranei non sunt obligati in foro conscientiæ: quandoquidem tributi, cujus species est vectigal, impositio fundatur in Jurisdictione imponentis, & in subjectione eorum, quibus imponitur. Quartò: ideò esset solvendum vectigal, de cujus justitia non constat, quia præsumptio in dubio stat pro superiore, seu pro Principe, quòd justè præcipiat, & petat: atqui ex hac ratione infertur, etiam tunc in foro conscientiæ vectigal solvi debere, quando adsunt rationes probabiles de injustitia: nam etiam in tali rationum probabilium concursu non habetur certitudo de injustitia, adeoque hæc remanet dubia, & standum erit pro justa prætensione Principis.

325. Ad primum Resp. Vasquez. & alii apud Lug. *de Just. & Jur. disp.* 36. *sect.* 6. *num.* 88. Pontificem in *d. cap. quanquam.* non loqui de omnibus pedagiis, sed de iis solùm, quibus quandoque gravari solent etiam personæ Ecclesiasticæ. Verùm hæc responsio repulsam fert propter generalem textûs locutionem: cùm dicat: *pedagiorum exactiones &c.* Magis arridet Lugoni, si tex. intelligatur de pedagiis, quæ jam olim etiam de rebus, ad usus proprios spectantibus, & non ad negotiationes, exigebantur, & quæ à Clericis petere prohibebatur. Talia autem pedagia regulariter, & citra causam gravissimam ea justificantem, fuisse prohibita, patet ex *l. universi.* 5. *Cod. de Vectigal.*

326. Ad secundam Resp. Lessius, stante dubio *negativo*, subditum non habere causam, cur contra Principis potestatem sentiat, seque opponat: proinde judicio superioris suum debere conformare.

327. Ad tert. Resp. Laym. *cit. l.* 3. *de J. tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 4. extraneos solùm indirectè & per accidens ad vectigal sufferendum adigi. Nam si vectigal (seu accisia) sit impositum alicubi cerevisiæ, vino, carni, &c. & ibi vel peregrini quicunque, vel etiam Clerici divertant, res illæ æquali pretio & communi omnibus petennibus carnem vel vinum &c. venduntur. Si autem forenses, dum res aliquas in territorium alienum important vel invehunt, vectigal dare coguntur, in effectu non forenses & negotiatores gravantur, sed subditi Territoriales, qui proptereà ab invectoribus ejusmodi res vel merces cariori pretio emere debent. Dum verò aliquid moderatum à non subditis exigitur ratione rerum, ex Territorio alieno evehendarum, id fit propter concessum jus mercimonii & negotiationis, uti & propter sumptus impendendos in viarum, pontiumque reparationem, vel etiam ad præstandam securitatem. Hæc quoad tres Objectiones intellecta sunto contra eos, qui etiam in vectigali moderato conscientias subditorum liberas esse contendunt in dubio negativo de justitia vectigalis, & dum non apparet sufficiens ratio.

328. Ad quart. neg. min. admetior verba Lugonis *cit. sect.* 6. *num.* 90. ubi ait, præsumptionem pro Superiore (Principe) & pro lege magnam quidem esse; quando non adsunt circumstantiæ, quæ præsumptionem illam magna ex parte non extenuent, prout sunt in casu tributorum, in quibus experientiâ constat, multa tributa de facto injusta à probis & prudentibus censeri, ut dixit Diedro *lib.* 2. *de libertat. Christ. cap.* 5. *&c.* & quia, ùt

ùt notavit Molina, rari sunt, qui in hac materia Principibus vel dubium movere ullum audeant, cupientes nimirum eis placere, aut eorumdem odium extimescentes: nec populus, cujus hìc interest, audet se Principibus opponere ea in re, neque sufficienter auditur. Imò videmus, non raró ipsos Civitatum & populorum procuratores ob easdem rationes tributa contra conscientiam acceptare. Non est ergo præsumptio illa ita fundata in hoc casu, ut dubium valeat expellere; cùm tot gravissimi Doctores dicant, pauca esse tributa, in quibus conditiones omnes, ad eorum justitiam necessariæ, de facto concurrant: quod tamen dictum in universum non probo. Hactenus Card. de Lugo.

329. Et quando urgetur, superiori præcipienti in dubio parendum esse à subdito: consequenter etiam in solutione tributi regula eadem sit servanda: replicat ille, prædictam regulam explicari sic debere, quando non agitur de interesse ipsius Regis, veluti docet Joan. de la Cruz in *Director. conscient. part.* 1. *quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. *Concl.* 2. Plura adhuc de eadem Regula addit laudatus Lugo: Lessius quoque *d. cap.* 33. *n.* 67. illud dictum: in dubio præsumendum pro Sententia superioris, intelligit, quando non agitur de interesse seu damno subditi.

330. Si instes: quando igitur concurrunt tum rationes probabiles pro justitia tributi ex parte Summæ Potestatis, & aliæ pro injustitia ex parte subditorum, nónne sequeretur bellum utrinque justum? Respondent Lugo & Lessius, tunc tributum à Summa Potestate licitè exigi, & à subditis licitè negari: quia utraque pars insistit suæ Sententiæ probabili: nec incongruè quandoque bellum utrinque justum admittitur: quia ignorantia veritatis facit, ait Lessius, ut uterque propter rationes speciem veritatis habentes, bona fide justitiam à se stare, putet. Cavendum tamen est scandalum, & major Reipublicæ turbatio. Sic illi. Layman. quoque *cit. cap.* 1. loquens ex ore aliquot classicorum sibi non displicere, ait, quòd accidere possit, ut existente publico dubio de justitia impositi tributi, aut vectigalis, Officiales licitè exigant; illi autem, à quibus fit exactio, si sine mendacio possint, licitè subterfugiant. Videlicet si sit in vulgo probabilis, aut certa suspicio, exactionem esse iniquam; &, re diligenter examinatâ, non possit probabilis adduci causa pro Principe, ob quam novum vel auctius tributum exigat: tunc enim subditi negare possunt: cùm potior hìc sit eorum, præsertim bona sua adhuc possidentium, conditio. Ita ille.

331. De Officialibus subdit, quòd & ipsi exactionem tributi hujusmodi justè exequantur, si præceptum exigendi commodè declinare nequeant. Quamdiu enim non occurrit moralis certitudo de injustitia causæ, præsumere possunt, quòd Princeps ita præcipiens justâ nitatur causâ, ipsis incognita: quemadmodum in simili doceri solet de subditis, Principi bellum dubium gerenti, parentibus. Consiliariis econtra, cùm ad eos spectet de causæ justitia cognoscere & deliberare, non licet tributi impositionem vel augmentum Principi proponere, nisi tum tributi imponendi potestatem, tum causæ justæ probabilitatem affirmativè cognoscant.

332. Demum ex Sà *Ver. Gabella.* idem Laym. notat, tributum, si nimis durum sit, non esse solvendum, nisi exigatur: hac tamen subjuncta limitatione: nisi quis solvere possit partem tributi, quatenus spectata conditione & facultate personæ, causæque justitiâ, justum videtur, retinendo interim excessum. Vid. Suarez. *de LL. lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 7. Prætereà subnotat, prædictos Officiales seu Executores quoad tributi seu vectigalis exactionem posse connivere & dissimulare quoad illos pauperes, quibus deest in ære, ut solvant. In cujus confirmationem allegat *Gloss. in l. omnes pensitare. Ver. compelletur. Cod. de Annon. & tributis lib.* 10. & Abbatem in *cap.* 2. *num.* 22. *de Immun. Eccles.*

333. Denique P. Engel ad *tit. de Constit. num.* 46. Confessariis sequens præbet consilium: si, consideratis omnibus, dubitetur de justitia tributi aut vectigalis, maximè si fuerit noviter impositum & non antiqua consuetudine introductum (juxta monitum Sylvestri & Molinæ) Confessarii ante factum inclinent populum ad solutionem faciendam, ne se periculo injustitiæ erga Principem exponant, sicut & aliàs in dubio ad obedientiam & reverentiam Principi præstandam inducendus est populus: post factum autem nec semper gravis peccati arguant, nec cogant restituere: quia in dubio melior esse potest conditio possidentis. Minor plerumque videtur esse difficultas cum extraneis & forensibus, quibus ob solum transitum per aliquem locum vectigalia & pedagia imponuntur: His enim minor est obligatio conservandi alienum Principem, quàm subditis suum proprium, nisi in quantum cura alieni Principis etiam in istorum commodum redundat, videlicet ex reparatione viarum, pontium, securitate itinerum, vel quòd in tali loco tutò merces emi & evehi possint.

## QUÆSTIO VIGESIMA SEPTIMA.

*Qualiter Bona Ecclesiastica, & Clerici sint ab oneribus exempti?*

334. Immunitas Ecclesiastica triplex est, una *localis*, quæ afficit Ecclesias & alia loca DEO sacrata, ne illuc confugientes violenter possint extrahi. Altera *realis*, pertinens ad bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum: Tertia est *personalis*, eximens ipsas personas Clericales à Jurisdictione & oneribus sæcularium.

335. Resolutio prima: Immunitas Ecclesiastica personarum in genere, in thesi, & quoad substantiam suam originem ex Jure Divino trahit. Probat. ex *cap. quamquam.* 4. *de Censib. in* 6. ubi Bonifacius VIII. clarè dicit, quòd Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quin imò & Divino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes. Cui consonat SS. Trid. Conc. *Sess.* 25. *de Ref. c.* 20. ibi: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas DEI ordinatione & Canonicis sanctionibus dicitur constituta.* Quòd autem non solùm res, vel bona Ecclesiarum, sed etiam Ecclesiasticarum personarum, præsertim quæ prospectu Ecclesiæ & titulo ministerii spiritualis acquisiverunt, ab exactionibus Potestatis laicalis, sint exemptæ, ostenditur exinde, quòd ea, quæ religiosis adhærent, religiosa censeantur, *l.* 43. *ff. de R. V.* Res namque sequuntur conditionem personæ, *l.* 28. *§.* 1. *ff. de Usur. & fruct.* Atqui res & bona Clericorum religiosis, id est, personis in sortem Domini, & Cultûs religionis specialiter adlectis adhærent. Adhæc: tributorum impositio (ac solutionis obligatio) fundatur in subjectione quadam personæ, juxta illud ad Rom. *subditi estote: ideò enim & tributa præstatis.* Eodem igitur Divino jure, quo Clericales personæ, res quoque illarum in consequentiam exemptionem participant. Neque vera, sed imaginaria tantùm ac facillimè elusoria foret Ecclesiasticorum exemptio, si laici in eos jurisdictionem exercere possent non tanquam in Clericales personas, seu Ministros DEI Altissimi, sed tanquam in bonorum possessores.

336. Resolutio secunda: Clericorum & Ecclesiarum exemptio à tributis in particulari, & in hypothesi seu quoad omnia bona, & quasvis circumstantias, non est juris Divini. Pro Resolutionis elucidatione ponderandum est, bona feudalia, si ad Clericos, Ecclesias, vel Monasteria fuerint translata, similiter & emphyteutica, aliaque hujusmodi, quibus certa onera temporalia imposita sunt, non fieri à pristinis & consuetis contributionibus exempta. Liquet hoc non solùm ex *cap.* 6. & 7. *de for. comp.* sed etiam ex ratione: quia collectæ prædictis bonis impositæ debentur vi contractûs feudalis, aut emphyteuticarii; adeoque ex justitia rigorosa; non verò debentur ex aliqua *jurisdictione* propriè dicta, quæ laicis competat in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, eorúmve bona: nisi (quod bene notandum) Princeps investituram in bonis ita concesserit, ut sibi jurisdictionem (Sede Apostol. approbante) jusque imponendi collectas expressè reservaverit. In hac igitur hypothesi contractuum, vel reservatæ jurisdictionis, conditiones sunt exactè servandæ, & res ad Ecclesias, Ecclesiæque Ministros cum suo onere transeunt.

337. Dices primò: Clerici sunt membra Reipublicæ. Ergo & ipsi ex justitia saltem legali pro sublevandis communibus necessitatibus censentur adstricti. *Resp.* non esse membra qualiacunque, & *subditorum* instar cum subordinatione ad Jurisdictionem Laicalem: sed honoraria, & privilegiata. Habent Clerici suos superiores Ecclesiasticos, quibus statutos pendunt census, procurationes, subsidia charitativa &c. prætereà in spiritualibus pro communi sæcularium bono atque utilitate singularia sustinent onera: non ergo vel duplicatis, vel paribus, quibus sæculares subduntur, sunt oneribus gravandi.

338. Dices secundò: si sint contributiones colligendæ, v. gr. pro avertenda aquarum inundatione, Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ quarum agri & campi communi periculo exponuntur, non minùs contribuere tenentur, quàm laici, quemadmodùm *ipsa* Sac. Congreg. Cardin. declaravit, teste Jacob. Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 50. *n.* 5. Cur non similiter pro viarum, aut pontium reparatione? Resp. quoad posteriorem casum in viarum publicarum, vel pontium reparatione proximè & directè respici emolumentum publicum totius Reipublicæ, licèt remotè ac indirectè etiam Clerici tali emolumento fruantur: in priori verò casu contributionum agi immediatè & directè de commodis privatorum, quorum agri devastationi sunt expositi. Æquum proinde fuerit, ut si commodum per aversionem periculi & damni, in agros Ecclesiæ, vel Ecclesiasticarum personarum immediatè defluat, onus quoque ab iisdem sentiatur. Attamen neque in isto casu, si Ecclesiasticæ personæ contribuere renuerent, compulsio à potestate sæculari erit attendenda, sed adiri deberet Judex Ecclesiasticus.

339. Dices tertiò: sat multi negant, exemptionem Clericorum quoad bona esse juris Divini: Ergo in illorum supposito Potestas sæcularis vi Jurisdictionis territorialis Clericorum uti & Ecclesiarum fundis, vel rebus tributum, gabellam, aut accisiam imponere valet. Resp. neg. conseq. nam etsi exemptio illa non esset juris Divini, saltem esset juris humani Ecclesiastici. Neque enim

S. Pon-

S. Pontifici, quà Vicario Christi in terris, hæc potestas eximendi res Ecclesiarum Clericorumque à jurisdictione Sæcularium in dubium vocari potest. Quin imò Imperatores quoque tempore antiquissimo exemptionem præfatam suâ assistentiâ honorâsse, constat ex *Auth. Item nulla. Cod. de Episc. & Cler.* ubi sic cavetur: *item nulla communitas vel persona publica vel privata, collectas vel exactiones, angarias vel perangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis, imponere aut invadere Ecclesiastica bona præsumat: quodsi fecerint, & requisiti ab Ecclesia vel Imperio emendare contempserint, triplum refundant, quod absque satisfactione debitâ nullatenus remittatur.*

340. Cæterùm immunitatis realis æquè ac personalis violatores in excommunicationem latæ Sententiæ incidunt, non tantùm in illam, quam decernunt SS. Canones in Decretalibus v. g. in *cap. non minùs. 4. de Immunit. Eccles.* verùm etiam in eam, quæ statuitur in Bulla Cœnæ, *§. 19.* & S. Pontifici reservatur, prout videre est in *tract. de Potestate Clavium circa Censur. part. 2. sect. 6. à n. 259.* ubi octava Bullæ Cœnæ excommunicatio sic sonat: *Quive collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt &c.* Sed notanter ibidem addidi, gabellas Personis Ecclesiasticis, quæ negotiationi sæcularium instar insistunt, licitè imponi, prout colligitur ex *Clem. ult. de Censibus &c.* ubi tanquam excommunicati vel interdicti publicari debent, qui pedagia vel quidagia exigunt ab Ecclesiis vel personis Ecclesiasticis pro earum rebus propriis, quas NB. *non negotiandi causâ deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt*, uti sonant verba Textûs. Hæc de jure: quid in praxi & de facto fiat, meum non est explorare, vel taxare: sed libentiùs principiis generalibus auctoribusque Classicis inhæreo. Plura ex instituto de materia Immunitatis localis, realis, & personalis examino in *Tract. de SS. Ecclesiis part. 2.* Quæ porrò malevoli, præsertim non-Catholici, contra Exemptionem Clericalem lividè obganniunt, forsan alibi in medium proferentur. Satis de spectantibus ad dominium jurisdictionale.

# DISSERTATIO QUINTA.

## *DE Modis acquirendi, & amittendi rerum Dominium.*

341. Egredimur ad Dominium proprietarium, modos quosdam ostensuri, quibus acquiritur vel amittitur: ubi diversitatem & divisionem rerum prænoscere juvat. Aliquæ dicuntur *Divini*, aliæ *humani* juris. Divini Juris verè tales dicuntur res *sacræ*, quæ ritè per Pontifices aut Sacerdotes DEO sunt consecratæ vel unctione sacri olei, vel sola benedictione verbali: huc spectant ædes sacræ, calices, vasa, vestimenta, & reliqua utensilia Divinis usibus immediatè dicata: unde commercio humano, & contractibus onerosis sunt exemptæ, ita, ut homines circa eas usum aut proprietatem nec actu habeant, nec habere possint. Quòdsi casus necessitatis eveniat, ut vel Ecclesia sit ab ære alieno liberanda; vel captivi redimendi; vel pauperes, quibus aliunde succurri nequit, sint juvandi, res sacræ possunt alienari & distrahi, sic tamen ut priùs confringantur, conflentur, alióve modo forma sacra, ipsis moraliter inhærens destruatur: quô factô, respectus in venditione habebitur ad materiæ valorem, & ex illo pretio necessitatibus prædictis consuletur.

342. Ex quo colliges res sacras modernis temporibus dici posse sanctas in sensu Theologico, & per respectum ad cultum veri DEI, & non merè in sensu Civili, in quo sanctitas in *§. 10. Inst. de R. D.* illis rebus tribuitur, quæ speciali sanctione, seu constitutione pœnali à violatione & abusu hominum proteguntur, proque civiliter *sanctis* habentur, quales sunt muri civitatum, qui ideo sancti dicuntur, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint, eos transcendendo animo hostili seu proditorio: item Persona Principis, *l. fin. Cod. de LL.* Legati. *l. fin. ff. de Legationib.* Personæ parentum & Patronorum, *l. 9. ff. de Obsequiis parentib. &c.* Nec non Magistratus, & Ministri publici, dum sua obeunt munia; etiam apparitores & lictores, Nuntii Camerales, nocturni vigiles &c. quorum violatores aut pœna capitali, pro delicti gravitate, aut alia gravi pœna plectuntur. Plura de hoc Institutionistæ. Veteres quoque apud gentiles sepulchra res religiosas appellabant, scilicet loca illa, quæ per illationem cadaveris humani sepulturæ causâ factam, piæ cuidam reverentiæ dicabantur. Verùm hodie apud Christiano-Cathol. talibus locis nulla peculiaris exhibetur reverentia, sed pro cadaveribus in communione cum Ecclesia decedentium, constituta habentur publica cœmeteria, seu dormitoria, authoritate & consecratione Episcopali erecta, & ideò ad res sacras pertinentia dominioque & commercio humano exempta.

343. Porrò à rebus *sacris* diversum quid sunt res *Ecclesiasticæ*, putà fundi, vineæ, agri, ædes

ædes Parochiales &c. in Dominio vel patrimonio Ecclesiæ, Monasteriorum, Collegiorum, &c. suo modo existentia, & DEO saltem mediatè, in quantum ad usum, sustentationem, & commodum Ministrorum DEI ordinantur ac deserviunt, dicata: quæ quidem res immobiles, similiter & mobiles pretiosæ, à commercio & contractibus onerosis non sunt exemptæ, attamen pro illarum alienatione, ut sit valida & licita, SS. Canones certam solennitatem & conditiones præscribunt; putà Tractatum Capitularem, causam justam necessitatis, utilitatis, vel pietatis, & consensum superioris Ecclesiastici. Hæc de rebus Divini Juris. Multa huc accommodanda tradidi in *cit. Tract. de SS. Eccles. part.* 1.

344. Res humani juris sunt aut in patrimonio alicujus, quia nimirum à nobis bona fide actu possidentur, vel saltem per actionem, nobis ritè competentem, peti possunt: aut sunt in nullius patrimonio, sic tamen, ut vel usu vel proprietate hominum necessitatibus deserviant. Posterioris classis res, si tales sint, ut ab ipsa natura in usum promiscuum generis humani ordinentur, adhuc tamen in nullius dominium pervenerint, vocantur *res communes*, quales sunt lux solaris, aër, mare, flumina, aqua profluens, feræ bestiæ, &c. vocantur verò *res publicæ*, quæ quidem subsunt jurisdictioni certi alicujus populi, usum tamen omnibus præbent: cujusmodi sunt flumina perennia, id est, quæ semper fluunt: quæ licèt subsint jurisdictioni certi Principis vel populi, in quantum certis ripis coërcentur (quo respectu res publicæ dicuntur) nemo tamen prohibetur illa accedere ad lavandum vel potandum. Considerata materialiter & secundùm aquas continuò motu decurrentes etiam inter *res communes* referuntur.

345. Res *publicæ* à rebus *universitatis* in eo distinguuntur, quòd illarum usus sit omnibus hominibus concessus: istarum verò usus illis tantùm, qui ùt membra certam universitatem, id est, civilem societatem, seu communitatem, ad quam proprietas spectat, constituunt. Inter res *universitatis* computantur forum, curia, nemora, pascua & balnea publica &c. Interim aliquas res universitatis reperire est, quarum usus ad singulos de communitate non pertinet, quales sunt v. gr. armamentaria, horrea, officinæ, cellæ vinariæ, cerevisiariæ, &c. quæ ab administratoribus civitatum, servata debita solennitate, alienari possunt. Vid. p. m. Clariss. D. Doct. Bonaventura Franz meus quondam in Jure Professor, posteà Collega, *Jurispr. Element. lib.* 2. *tit.* 1. §. 7. Hîs præmissîs rerum diversitatibus, nos parumper scrutabimur modos acquirendi dominium rerum, quæ nullius sunt, aut sunt derelictæ. Hic ergò tractandum erit de Venatione: deinde de inventione &c.

## QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA.

### *Possitne venatio privatis prohiberi? Et, an venantes feræ captæ Dominium acquirant?*

346. VEnatio est occupatio feri animalis, quod nullius est: & quamvis dividatur in venationem in specie, quæ pro objecto habet feras terrestres, & in aucupium, quæ tendit in volatilia, & in piscationem, quæ respicit aquatilia, magis propriè tamen venatio dicitur respectu ferarum terrestrium.

347. Resolutio prima: Potestate publica v. gr. Principum jus venandi privatis potest adimi, & venatio justè prohiberi. Est hodie Sententia communior contra aliquos antiquiores, quibus adhærent Menoch. *Consil.* 298. *lib.* 3. & Gravetta *Cons.* 298. Ratio fundamentalis consistit in causis justis, ex quibus expedit vagam & promiscuam venandi licentiam inhiberi & jus adimi: has inter Clariss. D. D. Gletle in *Jurisprud. Terrib. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. §. 6. *de fericidio* adducit primò, quòd illâ licentiâ concessâ, homines à laboribus & functionibus, ad vitam humanam necessariis abstrahantur: secundò, quòd cives tunc armis instruantur, & ad quodvis facinus expediti reddantur: tertiò, quòd periculosis conventiculis occasio præbeatur: quartò, quòd ad prædandum & latrocinandum alliciantur: quintò, quòd venatio Principibus reservata eorum conditioni valde conveniat, maximè ut pro curis publicis, quibus onerantur, convenienti relaxatione recreari possint. *Germaniæ populi* verba sunt Grotii *lib.* 2. *cap.* 8. *§.* 5. *cum Principibus ac Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem sustinerent* (animum à curis relaxarent) *sapienter existimârunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusque tribui possint; ejusmodi sunt, quæ in dominium nullius pervenerunt.*

348. Neque contra dicta instes primò, feras capere licitum esse jure naturali; huic proinde prohibitionem venationis obsistere. Nam Resp. juri naturali *permissivo* per Legislatores, leges, & conventiones derogari posse. Quid certius, quàm hoc jure naturali permissivo cuivis licere de bonis suis testamentum condere? Et tamen Jus positivum filiosfamiliàs, & patresfamiliàs adhuc impuberes ad testandum ineptos reddit. Instantiæ aliæ innumeræ dari possent, uti in servitute personarum contra libertatem jure naturali permissam introductâ: in matrimonio sine testibus hodie non contrahendo &c. Aliud est, si quid contra jus naturale *præceptivum*, vel *probibitivum* & quidem absolutum in materia ab intrinseco honesta, aut inhonesta attentetur: ut si pietas & reverentia

erga

erga parentes prohiberentur, vel occisiô innocentûm præciperetur, vel concederetur.

349. Neque instes secundò, olim apud Romanos jus venandi civibus, prout natura reliquerat, indultum fuisse: adeoque rationes allatas parum roboris habere: nam Resp. à moribus Romanorum universales regulas & normas pro omnibus temporibus, nationibus, & statibus efformari haud posse. Neque rationes, quæ hodie afferuntur pro Principibus, sunt tantæ immobilitatis, & necessitatis, ut, si illis placeret & publicè expedire arbitrarentur, venatio tanquam res (remotis abusibus) de se indifferens, privatis concedi non valeat.

350. Neque instes tertiò, per restrictionem juris venandi ad jus & Regalia Principum, præjudicari juri privatorum; cùm quilibet per ferarum capturam vel jaculationem suæ culinæ & œconomiæ consulere posset. Nam Resp. ex libera venandi facultate Reipublicæ varia quoque imminere mala; illique bono & juri privatorum præponderare bona longè majora pro tranquillitate publica, ex prohibitione venationis promanantia. Certè parum compendii (ut loquitur Gletle) affert singulis, promiscuè omnibus indulta & vaga venandi licentia, utpote quæ necessariò post se trahit solitudinem ingentem nemorum, ac maximam ferarum inopiam: hinc magis tum bono publico tum privatorum commodo prospectum videtur, si jus venandi solis Summatibus relinquatur; quia & conditio Principum hoc modo redditur melior, & species animalium conservantur, privatisque, quibus dentes in carnem ferinam pruriunt, æquô pretiô eandem emere licebit.

351. Resolutio secunda: qui feram in libertate naturali existentem occupat, fit dominus illius, non obstante Principum prohibitione: neque tenetur ad illius restitutionem ante Sententiam Judicis. Est denuo communis hodie. Ratio primæ partis est, quòd occupatio rei communis, seu quæ nullius est, sit modus naturalis acquirendi dominium, si non desit animus ad illud acquirendum. Loquimur autem de feris bestiis, quæ naturali impetu huc vel illuc feruntur, nullo hominum commerciô mansuefactæ, vel imperio domitæ, & sic naturali libertate fruuntur. Neque enim animalia domestica, seu mansueta, qualia sunt gallinæ, oves, & cætera pecora gregatim pasci solita, pro objecto venationis statuimus: etiamsi enim in Sylvis circumerrent, dominium nostrum non exeunt, sicque sine furti vitio ab aliis, dominum non ignorantibus, retineri nequeunt, etiam in casu, quo luporum faucibus fuissent erepta. *§. 16. Instit. de R. D.*

352. Ratio secundæ partis consequitur ex prima: quia nimirum per hoc, quòd aliquis rem communem, & in nullius dominio existentem, occupet, nemini per se loquendo, infert damnum vel injuriam. Sed contra præmissa,

353. Obstat primò, quòd Principum saltem Supremorum (qui scilicet supra jus commune sunt) potestatem non excedat, venationem ita prohibere per constitutionem aliquam, ut occupantes dominium feræ captæ non acquirant. Ergò de facto tales prohibitiones statui existimandum est: sic enim cives, & populares à venatione efficaciùs cohibentur. Antec. prob. à paritate usucapionis: quia hæc ex legibus vim habet extinguendi dominia jam antehàc ab aliquo acquisita: unde cùm plus sit, jus quæsitum alicui adimere, quàm impedire acquirendum, à fortiori mediante lege impediri valet, ne venantibus dominium feræ captæ obveniat. Imò per legem publicam voluntas subditorum ita potest subigi, & infirmari, ut sit prorsus inepta ad dominium in alios transferendum, veluti constat in voluntate sic infirmata pupillorum, & minorennium: cur non similiter, ut sit inepta & infirmata quoad acquirendum?

354. Obstat secundò, quòd Principes jus venandi persæpe possideant non ex eo tantùm, quòd illud sibi pro sua sustentatione & oblectatione reservârint, sed ex aliis titulis acquisiverint, ex. gr. jure belli in terris à se occupatis, jure præscriptionis, vel cessionis sibi à subditis factæ, aut titulo contractûs v. g. emptionis, permutationis, &c. In istis ergo circumstantiis illi, qui feras etiam in naturali libertate existentes capiunt, vel occidunt, peccabunt contra justitiam, ad restitutionem devincti.

355. Obstat tertiò, quòd absurdum sit dicere, jus dominii in feram captam acquiri ex actione injuriosa, qualis est venatio contra prohibitionem, & cum violatione juris alieni instituta.

356. Obstat quartò, quòd, datô etiam, dominium feræ acquiri, ex hoc tamen capite non inferatur excusatio à restitutione vel feræ, vel pretii æquivalentis: nam etiam inventor thesauri, in solo alieno reconditi, efficitur dominus, & hoc non obstante, thesaurum vel pro parte vel in totum domino soli vel agri restituere tenetur.

357. Ad primum Resp. transmisso antec. negando consequentiam: in dubio enim, & quando venatio simpliciter prohibetur, Principes non censentur velle incapacitatem inducere quoad acquirendum dominium rerum illarum, quæ aliàs jure naturæ & gentium, cùm hactenus sint nullius, per occupationem in dominium occupantium veniunt: tum quia contra eum facienda est interpretatio, qui legem apertiùs dicere potuit, *cap. 57. de R. J. in 6.* tum quia in dubiis & obscuris benignior est facienda explicatio *cap. 30. eod. tit.*

358. Ad secundum Resp. in illo casu, quo Principes venationem prohibent ex jure sibi quæsito antecedenter ad prohibitionem, à subditis interdicto contravenientibus equidem peccari contra justitiam, quemadmodùm contra eam peccarent, si venarentur

in

in loco, in quo privatus quidam ex justo titulo jus venandi obtinuit, quia scilicet læderent jus strictè dictum: attamen, ut in terminis respondet Haun. *tr.* 5. *cap.* 1. *contr.* 3. *num.* 78. non oritur ex hoc obligatio, ut capiens feram restituat, sed ad summum tenetur, in quantum interest Principis, jus suum non fuisse læsum: nam Princeps nunquam fuit dominus feræ utpote stabilem in regione situm non retinentis: & quia ante apprehensionem dici nequit, certi cujusdam dominio contineri. Imò probabile esse subdit ex Less. Mol. Palao & aliis Theologis, nullam deberi restitutionem: quia Principes & Magnates hanc non solent curare nec urgere, sed contenti sunt, si solvatur pœna imposita in casu deprehensionis. Idem censet Martin. Bonac. *Tract. de Contract. & Restit. disp.* 1. *q.* 111. *punct.* 7. *sub num.* 22. inquiens: venator, cui prohibita est venatio, tenetur ad restitutionem damni, quod patitur is, ad quem jus venandi pertinet; non quidem habita ratione valoris animalium, sed habita ratione damni & lucri cessantis; nisi fortè ille, cui competit jus venandi, nihil aliud requirat, præter solutionem pœnæ, quæ solvenda est post Sententiam Judicis; aut non curet sibi restitutionem fieri ex quadam magnificentia & generositate, ut regulariter præsumendum est de Principibus & Magnatibus. Deinde allegat Vasquem, asserentem absolutè, venatorem non teneri ad restitutionem; quia capit rem communem, nec alterum impedit, quin utatur jure sibi concesso, quamvis faciat contra legem prohibentem, ne quis venetur: quam Sententiam Vasquis laudatus Bonac. dicit probabilem, sed oppositam esse probabiliorem sub data tamen clausula, nisi Principes restitutionem remittere censeantur.

359. Ad tertium Resp. Layman. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 34. fatendo, per actionem injuriosam jus à nemine acquiri, si actio illa sit injuriosa formaliter & intrinsecè: cùm implicet contradictionem, ut acquisitione injusta acquiratur, quod justum est: quando verò actio solùm extrinsecè est injuriosa, & non quatenus formaliter est juris acquisitiva, tunc negat, per actionem injuriosam nullum jus acquiri posse: cujus rei exemplum commonstrat, si tu aliquem cogas ad vendendum tibi equum: nam tunc ex tua parte contractus est injustus, & tamen, si debitus præstetur consensus circa mercem & pretium, contractus valet, & per traditionem in te transfertur dominium, veluti docuit idem Laym. *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Simile exemplum erit, si auctoritate Magistratûs justa de causa prohibeatur, ne quis aliquid emat de frumento, quod pro militibus advectum fuerat: tunc enim emptio ab alio celebrata est injusta, & nihilominùs valida, dummodò non constet, emptores subditos lege publica fuisse inhabiles redditos, ne dominium aliquod in frumento empto acquirant; sed solùm extrinsecè jus emendi subditis fuisse ademptum; quemadmodùm in nostro casu jus venandi privatis extrinsecè solùm ademptum supponitur sine inducta incapacitate ad acquirendum dominium.

360. Ad quart. Resp. Thesaurum, in agro alieno inventum, hactenus fixæ glebæ inhæsisse, & non de naturali, sed solùm de jure positivo humano totum vel pro parte agri domino cedere: feras econtra ab una statione ad aliam identidem vagari, sicque ante apprehensionem in nullius certi dominio contineri, sed primùm mediante occupatione ceu modo naturali acquirendi dominium. Cæterùm, quæ dicta sunt de dominio animalium terrestrium per occupationem acquirendo, cum proportione intellecta volumus de captura piscium in mari, flumine, vel lacu spatioso, natantium: nam & isti, cum hactenus in libertate naturali extiterint & res nullius fuerint, piscantibus, ceu primò occupantibus cedunt in dominium. Pro totius hujus celebris materiæ dilucidatione aliquot casus configurabimus.

361. Casus primus. In Sylva circumsepta, sive, ùt vocant, in vivario, germanicè Thier-Garten, feræ inclusæ asservantur: vel pisces in stagno, aut piscina. Capis ibi feras, vel pisces: erísne dominus? Secundum Assertionem Caroli V. *in Ordinat. Crim. Artic.* 169. ejusmodi animalia sine furti crimine non possunt amoveri, quasi nimirum hic cesset requisitum libertatis naturalis dominio illorum acquirendo necessarium. Adde *l.* 3. *§.* 14. *ff. de acquir. vel amitt. Possess.* Et tamen JCtus Paulus *cit.* §. 14. dicit, eos pisces, qui in stagno sunt, aut feras, quæ in sylvis circumseptis vagantur, à nobis *non* possideri: addita ratione: *quoniam relictæ sunt in libertate naturali: alioquin etiam, si quis sylvam emerit videri eum omnes feras possidere: quod falsum est.* Resolutio distinguit, inter sylvam peramplam, sepe cinctam, stagnúmve perquàm spatiosum aggere vallatum: & inter sylvam non ita amplam, stagnúmve notabiliter minoris spatii: feræ inclusæ sylvæ vel pisces stagno habentibus tantam amplitudinem, ut difficulter capiantur, ac in naturali libertate adhuc mansisse censeantur, fiunt primò capientium: neque enim tunc ob circumjectam sepem, vel aggerem, animalia singulatim spectata, per factum aliquod videntur occupata fuisse, & in alicujus dominium devenisse. Si verò spatium non fuerit tantæ amplitudinis, ut feræ adhuc potuerint liberè vagari, quò volunt, manusque ac retia venantium piscantiumque effugere; sed feræ v. g. cervi, jam priùs captæ alicui spatio parato adinstar custodiæ fuerint immissæ, aut pisces in similem angustiorem piscinam conjecti, tunc non manent res nullius: sicque non fiunt capientium, nec sine furti vitio contrectantur: quia per præviæ occupationis factum, & per inclusionem vel conjectionem in tam commodam, & arctam custodiam, scil. vivaria, & piscinas, in dominium v. gr. Principis jam transierunt, & naturalem libertatem omnino amiserunt.

runt. Sic combinantur discordes opiniones. Confer Haunold. *t. 5. c. 1. à n.* 70. ubi piscinam appellat locum, in quo pisces quasi in custodia asservantur & aluntur, jam alibi capti & naturali libertate privati, piscinæ hominis operâ impositi: stagnum verò locum ampliorem, ubi pisces per se crescunt, & inundatione importantur, & adhuc naturalem libertatem habere censentur, nec ita facilè possunt ad libitum extrahi: & sicut se habet piscina ad vivarium seu barchum (in quo feræ includuntur) ita stagnum se habet ad sylvam etiam circumseptam; & ideo pisces in stagno necdum dicuntur à Domino stagni possideri, juxta *cit. l. 3. §. 14. ff. de A. vel A. poss.* Hinc notanter dicit Carol. V. in *cit. Ord. Crim.* welcher aus Weyern und Behaltnuß Fisch stihlet, loquens scil. de piscinis, non de lacubus naturalibus, perennibus, & grandioribus. Vid. Illustr. D. Herz in *Cive Beato. part. 2. cap. 1. §. 1. à num.* 14.

362. Casus secundus. Titius feram lethaliter vulneravit: Sempronius eam apprehendit: cujus erit dominium? Resp. quando morali prudentûm æstimatione fera ex vulnere accepto ita vires amisit, ut ampliùs manum vulnerantis effugere non potuerit, censetur velut longa manu ab ipso occupata, atque adeò quoad dominium vulneranti subacta: si verò adhuc evadere potuerit, spectat ad apprehendentem: quia libertatem naturalem amisisse non censetur. *§. 13. Inst. de R. D. l. 5. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* Ajunt nihilominus, alibi usum receptum esse, ut vulneranti, etiam extra sylvam propriam, animal vulneratum in alieno saltu persequi liceat, nec ab aliis impediri, seu anteverti possit.

363. Casus tertius non multùm priori absimilis. Absque jure venandi laqueo à te posito intra fundum alienum fera se intricavit: dominus fundi laqueum tulit. Cujus est fera? Resp. laqueum jure tollentis domini, cui tu fundum ingrediendo, ibique laqueum ponendo, injuriam intulisti, *l. 13. ff. de Injur. §. ult.* Quia per laquei ablationem fera libertatem recuperavit, & primò occupanti cessit. Si verò laqueum posuisti in proprio tuo fundo vel etiam in loco publico, & fera se ita intricaverit, ut morali prudentûm æstimatione luctando se extricare ampliùs non potuerit, facta est tua, quasi longa manu occupata per instrumentum à te positum: secus si adhuc eluctari potuerit: neque enim tunc ipsi adempta fuit libertas: dominus ergo fiet, qui feram eximendo sua libertate privavit. In dubio, an evadere potuerit, præda inter ambos litigantes dividi poterit. Vid. Haunold. *d. l. à num.* 67. Generaliter quoque notandum est, animalia de se fera, sed mansuefacta, denuò fieri primò occupantis, si nostram custodiam evaserint sic, ut sit valde difficilis eorum persecutio & comprehensio.

364. Casus quartus: Columbas extra proprium columbarium vagantes cepisti, vel occidisti? Licitène egeras? Resp. quòd non: estò enim feram naturam habeant, propter consuetudinem tamen redeundi ad proprium columbarium, quam retinent, prioris domini manent, nisi forsan consuetudo contraria, & non improbata, alicubi vigeret. Ita colligitur ex *§. pavonum. 15. Instit. de R. D. Pavonum & columbarum fera natura est: nec ad rem pertinet, quòd ex consuetudine volare & revolare soleant: nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam &c. In iis autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est, ut eousque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant: nam si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere tum, cùm revertendi consuetudinem deseruerint.*

365. De cætero columbaria, tametsi vicinorum agris noxia sint, licitè teneri, defendit Haunoldus *d. cap. 1. num.* 81. ex ratione, quòd omnes vicini quoad hoc paris sint conditionis, & consuetudo jam invaluerit: ac prætereà damnum, quod columbæ agris depascendo inferunt, stercorando eosdem compensent. Negat verò, licitum id fore, si quis directè intenderet allicere alterius columbas ad suum columbarium, exponendo certam escam aliámve rem eum in finem; quemadmodum nec tibi licet fistulando alterius aviculas allicere: per quod tamen non prohiberis, meliori esca columbas tuas pascere, vel altiori è loco columbaria erigere, etsi indirectè & per accidens columbæ alienæ exinde alliciantur, & ad tuum columbarium advolent.

366. Casus quintus est de apibus, an tuæ fiant, si ex fundo illius domini, cujus anteà erant, in tuum fundum avolent, ibique in tua arbore consedeant? Resp. negativè si consuetudinem redeundi ad priorem fundum retineant. Affirmativè verò, si eam consuetudinem non retineant: cùm tunc in naturalem libertatem se recepisse intelligantur, adeoque, si eas tuo alveario incluseris, tuum in dominium cedunt, utpote per factum inclusionis à te occupatæ. Traditur hic casus in *§. apium. 14. Inst. de R. D.* ubi inter animalcula fera referuntur. Itaque apes (dicitur in textu) *quæ in arbore tua consederint, antequàm à te alveario includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quàm volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Favos quoque, si quos effecerint, eximere quilibet potest. Planè, integra re, si videris ingredientem fundum tuum, poteris eum jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alveo tuo evolaverit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est; alioquin occupantis fit.*

367. Quales pœnæ in feripetas seu in violatores prohibitæ venationis à Principibus decerni possint, examinat Haunoldus *d. cap. 1. à num.* 80. & fusè Doctor Gletle p. m. *Jurispr. Terrib. tom. 1. part. 2. cap. 2. à num.* 19. nec non D. Doctor Braun *Tract. de Domin. disp. 1. part. 2. cap. 1. §. 2.*

368. Ad quæstionem illam, an Magnates obligati sint ad cavenda vel resarcienda damna, quæ subditi patiuntur ex venatione prohibita, & ferarum multiplicatione exorbitante, inter alios articulatè agit Layman. supra *cit. l.* 3. *de Just. tract.* 1. *cap.* 5. *sub num.* 16. Strictim respond. Haunold. *loc. cit. n.* 79. Magnates ad prædictam cautelam & satisfactionem obligari, quia, dum damnum infertur prædiis, violatur jus rigorosum dominis illorum competens, Reding *hoc tract. quæst.* 9. *art.* 2. *contr.* 3. *concl.* 3. nisi subditi prædia sua vicina sub ea conditione & pacto obtinuissent, ut hujusmodi detrimenta sufferrent; vel media ipsi neglexissent, quibus se ex indulto Principis indemnes servare potuissent.

# QUÆSTIO VIGESIMA NONA.

## *De inventione Gemmarum, Mineralium, & Thesauri: An & quomodo sit modus acquirendi Dominium?*

369. SUperiori quæstione actum fuit de occupatione rerum, seu specierum animatarum, quæ nullius sunt, sed in naturali libertate existunt. Supersunt aliæ res inanimatæ, quæ nullius unquam fuerunt, ùt margaritæ in littore maris inventæ; aliæ, quæ si in alicujus dominio extiterunt, vel modò à nemine possidentur, sed ob temporis longævitatem possideri desierunt, & jam omni domino carent, uti est Thesaurus: vel à domino pro derelictis habentur: aliæ demum dominum adhuc habent, qui tamen ignoratur, uti sunt bona fortuitò amissa, ab aliquo posteà inventa & apprehensa.

370. Resolut. prima: Inventio rerum inanimatarum, quæ hactenus erant nullius, ùt sunt lapilli, gemmæ, margaritæ (quorum omnium diversam esse naturam constat ex *l.* 19. *§.* 17. *& seq. ff. de aur. & arg. legat.*) aliæque res in littore maris repertæ, est modus acquirendi dominium: quia fiunt primò occupantis, & ùt dicitur in *§.* 18. *Inst. de R. D. jure naturali statim sunt inventoris.* Hodie, ut sic testantur moderni Juristæ, Principes littora Regalium jure sibi vendicant, adeoque & res illas, nisi aliud consuetudine observetur, sicque investigare vel quærere prohibitum est, nisi habito prævio consensu.

371. Petes: ad quem ergo spectabit gemma in littore ab uno priùs visa, ab altero autem priùs apprehensa? Resp. ad apprehendentem: nam usque ad apprehensionem gemma mansit nullius. Sed urges cum Schambogen ad Instituta *citat. §.* 18. secundùm *l.* 1. *§.* 21. *ff. de A. vel A. Poss. non est necesse, corpore & actu apprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu*, subintellige, tradi & capi potest. At contra est, quòd JCtus ibi loquatur de acquisitione *derivativa*, seu de traditione & occupatione rerum, quæ jam alicujus sunt: in his enim traditio fieri potest per Symbolum aliquod corporale, putà visûs & ostensionis longinquæ, aut clavium porrectarum, lege supplente actualem rei attactum seu apprehensionem; & sic intelligere oportet *l.* 18. *§.* 2. *ff. eod. tit.* Resolutio verò nostra loquitur de occupatione strictè sumpta, seu modo acquirendi *originario*, respectu scil. rerum inanimatarum, quæ hactenus nullius erant. Verum igitur erit, fundum alicui tradi posse per solam visionem & ostensionem, non item res, quæ nullius sunt, sine occupatione acquiri. Vid. *l.* 1. *§.* 1. *ff. cit. tit.*

372. Resolut. secunda: Spectato Gentium & jure communi, mineralia, & venæ metallicæ, in loco publico seu communi detecta, & reperta, cedunt dominio inventoris, utpote res nullius; adeoque fiunt primò occupantis: inventa autem in fundo alieno ad dominum fundi pertinent: sunt enim pars fundi æquè ac herbæ, creta, lapides &c. quamvis aliqui in hoc dissentiant. Ita communis. Hodierno tempore etiam prædictas res sibi vendicare solent Principes Territoriales.

373. Resolut. tertia: Similiter Thesaurus (id est, pecunia, aliàve res mobilis pretiosa, de cujus depositione & domino nulla extat cognitio & memoria) jure gentium & naturæ quocunque in loco inventus fuerit, spectat ad inventorem, tanquam res nullius: jure verò positivo civili distinguitur ita, ut inventus in fundo proprio, ad inventorem totus spectet; nisi arte magica quæsitus fuerit: tunc enim in pœnam criminis mediante Sententia Fisco seu ærario Principis adjudicabitur. Navar. in *Man. cap.* 27. *num.* 195. si tamen ars magica fuerit adhibita in fundo alieno, Fisco non cedit: quia domino loci sui beneficium propter maleficium authoris auferri non convenit. At in loco alieno, non datâ operâ, sed fortuitò, quoad dimidium domino soli concessus sit, alterum dimidium manet inventori. *§.* 39. *Instit. de R. D.* Casu inventus dicetur in fundo alieno, si v. g. à mercenario conducto ad effodiendam terram alterius absque causa quærendi Thesaurum, insperatò inveniatur. Vid. *l. un. Cod. de Thesaur.* Quòd si datâ operâ Thesaurus in fundo alieno fuerit inventus, totus cedit domino fundi, *d. l. un. Cod. de Thesaur.* quia tamen *d. l. un.* quoad restitutionem illius partis, quæ cæteroquin inventori per casum fortuitum remaneret, est pœnalis (in quantum persecutio thesauri de industria facta per eam punitur) ideò inventor datâ operâ illam dimidiam partem ante Judicis Sententiam relinquere & restituere non tenetur. Less. *de Justit. & Jur. l.* 2. *cap.* 5. *dub.* 3. *n.* 59.

374. Dices primò: Mineralia indistinctè (præscindendo ab hodiernis moribus, quibus Principes ea inter Regalia sibi vendicant) spectant ad fundi dominum: cur non & thesauri? Resp. ex dictis, id sic esse, quia mineralia accensentur fructibus fundi: Thesaurus econtra

econtra nec est pars, nec fructus fundi. Lectu dignus est tex. *d. l. un. Cod. de Thesauris*, ubi Imperator Leo sic loquitur: *Nam in suis quidem locis unicuique, dummodò sine sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa thesaurum* (id est, condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia) *quærere & invento uti, liberam tribuimus facultatem: ne ulterius DEI beneficium invidiosa calumnia persequatur &c. In alienis verò terrulis nemo audeat invitis, imò nec volentibus vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari. Quòdsi nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter hujus tenorem legis in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur, & velut temerator legis saluberrimæ puniatur. Quòdsi fortè arando, vel aliàs terram alienam colendo, vel quocunque casu, non studio perscrutandi, in alienis locis thesaurum invenerit, id quod repertum fuerit, dimidiâ retentâ, altera dimidia data, cum locorum domino partiatur.*

375. Dices secundò: concesso semel, thesaurum esse rèm nullius, erit primò occupantis ex toto: ergo etsi in alieno fundo fuerit repertus, sive mediis licitis sive illicitis, non est aliqua pars domino tribuenda, sed totus cedet inventori: paritate ducta à venatione in alieno fundo: ubi præda capta cedit solius venatoris dominio. Resp. nonnemo, dando discrimen, quòd feræ bestiæ utpote stabilem situm non habentes, nullo respectu magis ad agri, in quo sunt, dominum, ac ad alium quemvis pertineant, prout cætera in superficie soli reperta. Contrà thesaurus immoto situ non pariter afficit fundum, è cujus etiam visceribus eruitur, & in quo tot annis reconditus fidam custodiam habuit, ut non tantùm fortunæ vel industriæ, sicut reliqua occupata, sed & loci beneficium videatur. Accedit, quòd & effossio fundi præcedere debeat, & ab antecessoribus præsentis possessoris reconditus credi possit.

376. Dices tertiò: quidsi Thesaurus inveniatur in loco sacro, cujus erit? Resp. Haun. *tr. 5. cap. 1. num. 17.* hodie, cùm nullus locus sit sacer aut Religiosus, cujus dominium non spectet ad Prælatum aliquem Ecclesiæ, vel communitatem, de thesauri inventione in tali loco eodem modo judicandum esse, sicuti de inventione thesauri in loco proprio alicujus privati locuti sumus. Confer D. Franz *Instit. de R. D. part. 3. num. 40.*

377. Dices quartò: si thesaurus in loco proprio repertus cedat loci domino, maritus sibi vindicare poterit thesaurum in fundo dotali effossum: quia fundi dotalis est dominus: & tamen magis æquum est, ut ad uxorem spectet tanquam beneficium loci, cujus dominium naturale penes uxorem persistit. Resp. neg. seq. quia appellatio domini hic strictè accipitur. Hinc non sufficit habere dominium solùm civile fundi, sed requiritur dominium majus, quale est naturale. Multò minùs usufructuario jus ad thesaurum inventum competit, utpote qui in fructu non est, *l. 63. §. 3. ff. de A. R. D.* Nec creditori, cui fundus pignoratus est. *d. l. 63. §. 4.* Pragmatici tamen (teste Illustr. D. Consiliario Intimo Salisburgensi, D. Franc. Joseph. Herz, Codic. & Juris Publ. Clarissimo Professore in *Cive Beato, part. 2. cap. 1. num. 38.*) emphyteutæ & Vasallis, propter dominium utile, thesaurum adjudicant, quamvis, ùt ait, sine textu propitio.

378. Quidsi scias, in agro alieno, quem emis, thesaurum latere, éstne pretium propterea augendum? Resp. Laym. *l. 3. de J. tr. 1. cap. 5. num. 23.* & Haun. *cit. cap. 1. num. 19.* agrum licitè emi eo pretio, quo emeretur, secluso thesaurô: cùm enim thesaurus non fuerit natus è fundo, sed facto hominum in eo reconditus, nec pars sit, nec fructus agri, proindeque hactenus in nullius extiterit dominio, ager non censetur esse majoris valoris propter thesaurum ab aliis ignoratum.

379. At nunquid dominus agri, si thesaurum reconditum cognovisset, pretium majus exegisset? Ita forsan exegisset: sed hoc non gravat emptorem non ignarum thesauri, cùm nec gravet alios, qui cum ignorantia thesauri reconditi fundum eodem illo pretio emissent.

380. Illud etiam advertit Laym. *loc. cit.* nomine thesauri non intelligi inventionem auri v. g. in superficie terræ vel in aliquo angulo domûs, etiamsi dudum ibi fuerit repositum; sed requiri depositionem seu defossionem, cujus scil. non extat memoria: hinc aurum ejusmodi, si ejus dominus ignoretur, cedet inventori. Rursus non habebit rationem thesauri, quod incolæ forsan ob metum militum defodiunt; unde inventor illud suo domino restituere debebit; aut si bellum justè geratur, militibus inventoribus in prædam cedet. Nec ille fiet auri dominus, qui v. g. togam, in qua latuit, emit: quia, cùm nihil constiterit de auro latente, in contractum venditionis minimè venit, per *l. tutore. ff. de R. V.* Et quia, qui nescit, non possidet, emptor aurum in veste per triennium bona fide possessa latens non præscribet, per *l. 3. §. Neratius. ff. de A. vel A. Poss.*

381. Dices ultimò: hodie in Imperio Romano-Germanico Thesauri ubicunque inventi trahuntur ad Cameram Principum & aliorum Statuum vigore scil. Superioritatis Territorialis: estque talis lex vel consuetudo rationi conformis: eò quòd per defossionem pecuniæ committatur in Constitutiones Principum, *l. 4. §. 6. ff. ad Leg. Jul. peculatûs.* adeoque sepelientes pœnam mereantur, & privationem thesauri defossi saltem quoad partem: maximè etiam in compensationem defraudationis tributorum pro sustinendis oneribus publicis, ipsaque Principum sustentatione necessariorum: cúmque ejusmodi à veteribus deposita pecunia sit res nullius, & lege positiva potuerit addici loci domino, quid obstet rationabilitati Constitutionis vel consuetudinis, quâ Principes Territorii Thesauros noviter repertos in totum prætendant, sibique approprient? Ergo hodie privatis nulla

nulla lucri spes superest, si thesaurum aliquem in suo quoque agro inveniant. Resp. me transmittere, thesauros, ex rationibus allatis, vel expressa Constitutione, vel consuetudine diuturna, fisco, & ærario publico Principum vindicari posse: quia tamen meritò dubitatur de existentia tum Constitutionis tum consuetudinis, & hanc vel illam allegantibus onus probandi incumbit, interim juri scripto antiquiori, quo privati à thesauri consecutione neutiquam excluduntur, inhærendum erit: quod enim nescitur mutatum vel innovatum, cur stare prohibeatur? *arg. l.* 27. *Cod. de Testam.* & *l.* 32. *in fin. Cod. de Appell.*

## QUÆSTIO TRIGESIMA.

### *Sitne inventio rerum derelictarum modus acquirendi dominium?*

382. RESolutio: Inventio rerum derelictarum est modus acquirendi dominium. Prob. res derelictæ, si mobiles sint, dicuntur illæ, quæ à domino fuerunt abjectæ: aut, si loquamur de immobilibus, quas dominus in suo patrimonio deinceps non vult habere, eâque de causa rerum ejusmodi possessionem animo dimittit: §. 47. *Inst. de R. D.* Cùm igitur incipiant esse nullius, cedent primò occupanti: quod satis elucet ex *cit.* tex. ibi: Verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis, statim eum dominum effici. *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus ejus esse desinit.*

383. Dices primò: si quis per ipsam occupationem rei derelictæ efficeretur dominus, ad quid *l.* 4. *ff. pro derelicto*, ait: id, quod pro derelicto *habitum est, & haberi putamus, usucapere possumus, etiamsi ignoramus, à quo derelictum sit.* Nónne, quod ex modo occupationis jam nostrum esset, non deberet ampliùs fieri nostrum per alium dominii acquirendi modum, qualis est usucapio? Resp. similes leges interpretandas non esse de casu, quo ipse dominus rem suam abjecit, sed de illo, quo aliquis non dominus rem alienam aliquamdiu à se detentam, denuò relinquit & abjicit, ne forsan in furti suspicionem veniat: ut enim tunc tertius aliquis contra verum dominum, qui fortè rem pro derelicta non habuit, dominium præscribat, titulo *pro derelicto* juvari, & in dominio stabiliri potest. Sed contra

384. Dices secundò, difficulter intelligi *l.* 6. *ff. eod. tit.* ubi nemo potest pro derelicto usucapere, *qui falsò existimaverit, rem pro derelicto habitam esse.* Resp. Haun. *cit. tract.* 5. *cap.* 1. *§.* 1. *n.* 9. cum Glossa, in allegato textu subintelligi, usucapionem non procedere, nisi justus error concurrat, & bona fides.

385. Dices tertiò: Bona naufragantium esse res derelictas, & tamen non fieri primò occupantium: imò in occupantes talia bona detonat excommunicatio latæ Sententiæ in Bulla Cœnæ, ubi anathematizantur, *qui detinent* Christianorum *quorumcunque navibus tempestate seu in transversum ut dici solet, jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex iisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona &c.* Adde Ludwellum ad *Instit. Exercit. thes.* 5. juxta quem bona naufragantium nec inventori, nec domino Territoriali acquiruntur, sed ipsis naufragis restituenda sunt, uti jubet Imperator Frider. in *Auth. Navigia. Cod. de Furt.* & Carol. V. in *Constit. Crim. art.* 218. Resp. bona naufragantium, cùm à dominis minimè derelinquantur vel ejiciantur in mare, animo ea non ampliùs habendi in suo patrimonio, sed ex metu gravi & periculo submersionis, malè accenseri rebus derelictis, veluti per authoritatem optimè probatum fuit. De cætero, si etiam bona naufragorum eum in desperationis statum devenissent, ut domini, moraliter loquendo, illa recuperare nequeant, vel ex longinquitate temporis, dominii æstimabilitas ita decrevisset, ut vix aliquis quocunque tandem pretio illud emeret, illa quoque bona pro derelictis haberentur, & cederent primò occupantibus absque ulla excommunicationis incursione, secundùm notata in *tract. de Potest. Clav. circa Censur. part.* 2. *num.* 180. Illa Controversia, utrùm res inventæ, domino non comparente, sint in pios usus convertendæ, in *tract. de Piis causis* ventilabitur.

## QUÆSTIO TRIGESIMA PRIMA.

### *Qualiter dominium acquiratur per accessionem naturalem vel artificialem?*

386. PRæter occupationem in specie sumptam supersunt adhuc alii modi, de jure naturæ vel gentium acquirendi dominium, scil. accessio, perceptio fructuum, facta à bonæ fidei possessore, nec non traditio.

387. Resolut. prima: accessio est modus acquirendi dominium juris gentium, quo id, quod rei nostræ quacunque ratione inseparabiliter adhæret, nostrum efficitur. Estque vel *naturalis*, quæ fit solâ naturâ *operante*, vel *artificialis*, quæ fit industria hominis operante.

388. Ad accessionem *naturalem* pertinent alluvio, fœtura animalium (quia partus ventrem sequitur) insulæ productio, cùm in mari vel flumine certa pars terræ enascitur: & alvei derelictio, quando flumen, relicto pristino cursu, alveum veterem destituit.

389. Resol.

389. Resol. secunda: Alluvio est incrementum latens, germanicè Zufluß, Zuwachs, Anflössung, quo naturali vi fluminis ita sensim & latenter aliquid adjicitur fundo nostro, ut non intelligatur, quantum quoquo tempore adjectum sit §. 20. *& seq. Inst. de R. D.* Alluvionis itaque commodum acquiritur ei, cujus fundus alluvione auctus fuit paulatim, quoad proprietatem scil. proprietario fundi, quoad usumfructum usufructario, *l.* 9. *§.* 4. *ff. de usufr.* Quale enim dominium fundi est, scil. *directum*, vel *utile*, tale etiam est accessorium. Quòd si fluminis violentia *de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam est, eam tuam permanere.* Si tamen *longiori tempore* fundo vicini tui hæserit, arboresque, *quas secum traxit in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicino fundo acquisitæ esse.* Ita Justin. *d.* §. 20. *&.* 21. Hicque modus acquirendi dominium vocatur avulsio.

390. Resolut. tertia: ad accessionem artificialem spectant *inædificatio:* cùm quis vel ex sua materia in alieno solo, vel ex aliena materia in suo solo aliquid extruit: *Specificatio:* cùm quis ex rudi materia novam efficit speciem, sic, ut ista species fiat aut ex sua materia tantùm, aut partim ex sua, partim ex aliena: *Confusio:* quando corpora liquida inter se commiscentur, idque aut utriusque consensu, aut casu, aut unius facto. *Commixtio*, aliis consolidatio, quando solida inter se commiscentur. *Afferruminatio*, quando materiæ ejusdem naturæ invicem conglutinantur: *Applumbatio*, quando materiæ diversæ naturæ per aliquod tertium conglutinantur. *Satio*, quando quis vel suum semen in alienum fundum, vel alienum semen in suum fundum immittit. *Plantatio*, cùm quis vel suam plantam in alieno horto, vel alienam plantam in suo horto radicitùs posuit. *Pictura:* cùm quis in aliena tabula pinxit, modò non sit pictura celeberrimi artificis. *Scriptura:* cùm quis in aliena charta aut membrana aliquid scripsit.

391. Resolut. quarta: circa inædificationem dicendum primò: quòdcunque solo inædificatur, solo cedit. §. 29. *Inst. de R. D.* & quidem sive mediatè, sive immediatè ædificatum fuerit: modo ædificatum solo cohæreat. *arg. l.* 60. *ff. de A. R. D.* & solum plenè sit in nostro patrimonio. Dicendum secundò: si quis ex aliena materia in suo solo ædificans fit dominus ædificii, *d. §.* 29. dummodò sit immobile. *arg. l.* 60. *ff. d. tit.* Materia tamen in se considerata manet prioris domini. *d.* §. 29. & *l.* 23. §. *fin. ff. de R. V.* Dicendum tertiò: si quis ex materia aliena in solo alieno ædificaverit, tunc ædificium cedit solo: neque domino materiæ competit actio contra dominum soli, nisi post dirutum ædificium: competit tamen ei actio contra ædificantem. Quando aliquis, domino materiæ pristino sciente, in solo alieno ædificavit, contra ædificantem datur actio in simplum. *l.* 36. *ff. de don. int. vir. & uxor.* si domino materiæ ignorante: tunc ædificans vel erat in bona, ignorans scilicet materiam esse alienam: vel in mala fide: si in bona: stante ædificio, domino pristino materiæ datur actio de tigno juncto in duplum respectivè ad materiæ valorem consequendum, ita, ut contineat rei persecutionem, simúlque interesse: quod quidem æquitas suadebat: ratione ædificantis, ne ædes iterum destruere teneatur; ratione domini pristini materiæ: quia contra voluntatem suam, & communes juris regulas, re sua propter commodum publicum carere debet: Sciendum enim, quòd Lege XII. Tabularum sancitum fuerit, ne tignum (id est materiam ædificationi aptam) alienum ædibus nostris semel junctum eximere liceat: tum propter conservandum decorem urbis, tum, ne ædificia summo cum ædificantis damno rescindantur: nihilominùs ædificanti prohibitum non est, si malit, tignum eximere, quàm duplum præstare *cit.* §. 29. *l.* 7. §. 10. *ff. de A. R. D.* Quòd si ædificium fuerit dirutum, domino materiæ competit rei vindicatio, licèt ædificium jam esset usucaptum. *l.* 23. §. *fin. ff. de R. V. l.* 7. §. 11. *ff. de A. R. D.* dummodò duplum nondum sit consecutus: nam hoc semel præstito, ædificans tigni seu materiæ junctæ dominium irrevocabile sortitur. *l.* 57. *ff. de R. J. cap.* 83. *eod. in* 6. & *arg. l.* 63. *ff. de R. V.*

392. Dicendum quartò: Mala fide si quis ex aliena materia in alieno solo ædificaverit, contra ipsum, stante ædificio, datur actio de tigno juncto in duplum (quod tamen isto casu meram pœnam continet) cum qua electivè concurrit actio furti, §. 26. *Inst. de R. D.* cumulativè verò concurrit condictio furtiva vel rei vindicatio, vel ad exhibendum actio, *l.* 23. §. 6. *ff. de R. V. l.* 2. *ff. de Tign. junct.* nam scienter jungens convenitur non quasi-possidens, sed quasi dolo malo desierit possidere, ad hoc ut contra ipsum in litem juretur. Vid. Bernegg. ad *Inst. l.* 2. *tit.* 1. *à quæst.* 146.

393. Dicendum quintò: si quis ex sua materia in alieno solo ædificaverit, ædificium fit illius, cujus est solum. §. 30. *Inst. de R. D.* Quantum tamen ad materiam, distinguitur inter bonam & malam fidem. Bona fide, id est cum opinione ad se pertinere si quis ædificet in alieno, & simul sit in possessione, competit ipsi beneficium retentionis, donec dominus, qui ædificium tanquam suum petit, pretium materiæ solvat, & mercedes fabrorum; alioquin per exceptionem doli mali repellendus. *d.* §. 30. *&c.* Si dominus soli sit in ædificii possessione, pristinus materiæ dominus habet utilem negotiorum gestorum actionem: item actionem in factum: nec non conditionem indebiti. Malæ fidei ædificator, id est, sciens, solum seu fundum esse alienum, materiæ junctæ dominium amittit, sæpe *cit.* §. 30. & propter temeritatem suam nihil consequitur, ita, ut nec exceptio ei suffragetur. Tollere tamen ei licet

cet ædificium, si id fieri queat sine prioris statûs læsione. Quòdsi ædificium dirutum fuerit, materia revertitur ad suum dominum, etsi mala fide ædificârit, dummodò non animo donandi ex sua materia ædificium erexerit: qui animus donandi in malæ fidei possessore præsumitur, §. 30. *Inst. de R. D.* nisi ex circumstantiis aliud conjiciatur.

394. Resolut. quinta: Specificatio est modus acquirendi dominium, quo aliena materia, per inductionem novæ formæ subacta, nobis acquiritur. Si nova species reduci possit ad pristinam & rudem materiam, dominus speciei est, qui est dominus materiæ: si non: specificans suo nomine & bona fide, habetur pro domino, sic tamen, ut materiæ pretium solvere debeat, ne cum damno alieno fiat locupletior. §. 25. *Inst. de R. D.* ubi exemplum reductionis possibilis apponitur, in vase conflato, quod utique reduci potest ad rudem materiam æris, vel argenti vel auri: Vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas vel olivas vel spicas reverti non potest: nec mulsum ad vinum & mel resolvi. Quòdsi quis partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit, veluti si ex suo vino & alieno melle mulsum miscuerit; vel ex suis & alienis medicamentis emplastrum, vel collyrium; aut ex sua lana & aliena vestimentum fecerit: dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum, qui fecerit: cùm non solùm operam suam dederit, sed & partem ejusdem materiæ præstiterit. Ita in *cit.* textu.

395. Quæres ultimò: Quid sit notandum circa scripturam & picturam? Resp. primò quòd in aliena charta vel membrana scriptum est, spectat ad chartæ dominum, estò litteræ sint chartis pretiosiores, v. g. aureæ, & inscripta fuerit historia, oratio &c. §. 33. *Instit. de R. D.* Accessio enim cedit principali. *cap.* 42. *de R. J. in* 6. Si tamen à Titio petas tuos libros tuásve membranas, nec impensas solvere scripturæ paratus sis; poterit se Titius defendere per exceptionem doli mali, quando earum chartarum vel membranarum possessionem bona fide nactus est. *cit.* §. 33. Resp. secundò: si quis in aliena tabula pinxerit, tunc tabulam picturæ, adeóque & pictori cedere: quia pictura ob artis & formæ nobilitatem atque præstantiam tabulam ad se trahit: Ridiculum siquidem esset, picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. §. 34. *d. tit.* Si tamen prior tabulæ dominus tabulam, in qua posteà pictura fuit facta, possideat, poterit novo domino directa vindicatione tabulæ agenti exceptionem doli mali opponere, donec pretium tabulæ exsolvat. Sin ipse pictor tabulam possideat, priori domino tabulæ adversus novum datur utilis vindicatio, ut tabula eidem restituatur, vel pretium solvatur, *dict.* §. 34. & *l.* 9. §. 2. *ff. de A. R. D.* Quòdsi tertius sit tabulæ possessor, & tam dominus prior quàm pictor pretium tabulæ offerant, pictor vincet, utpote cui directa competit actio.

396. Restaret aliquid memorandum de famoso Modo acquirendi vel amittendi dominium, aliúdve jus, per Præscriptionem seu Usucapionem. Scripsi ea de re in meo *Lib. II. Decretalium.* Scripsit antehàc de eadem materia in nostra Salisburgensi Universitate integrum numerisque omnibus absolutum Tractatum atque à me publicè *defensum* Magnif. D. P. Franciscus Schmier p. m. *meus* olim ex sanguine Germanus frater, à Religione Confrater, Professor in Jure Sacro, Thesium Præses, posteà Rector Magnificus, Promotor ad Gradum Doctoratûs Juridici, ac tandem in Cathedra Juris Canonici Conprofessor ac Collega. Novissimè idem scriptionis argumentum peculiari Tractatu, scilicet *de Præscriptionibus in Genere*, illustravit, & paulò pòst alio *in Specie* excoluit Clariss. D. P. Placidus Böckhn modernus Universitatis nostræ Procancellarius, meus quondam in prædicta Cathedra Canon. Collega Colendissimus. Concludimus jam quinta dissertatione discursus de Dominio pro qualiquali Tyronis Theologici manuductione constructos. Juristis placere poterit insignis Tractatus à Clariss. D. Doct. Braun in nostra Universitate de Dominio plurimis abhinc annis publici juris factus.

# DISSERTATIO SEXTA.

## DE

## *Residuis Speciebus Juris in re: Possessione: Servitute: & Pignore.*

397. Dominium, ut præcipua species juris in re, unà cum Summa Potestate, sat amplè expensum fuit. Reliquæ tres species strictim & de plano (cùm prolixiorem analysin in præsenti non patiantur) explanabuntur.

QUÆ-

# QUÆSTIO TRIGESIMA SECUNDA.

## *Quid & quotuplex sit Possessio?*

398. DOminium rerum à possessione naturali cœpisse, ait JCtus Paulus in *l.* 1. §. 1. *ff. de A. vel A. Poss.* eámque sic appellatam esse quasi positionem à pedibus: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit. Variè accipitur possessio: primò propriè vel impropriè: propriè talis supponit affectum: rem detentam sibi habendi: impropriè significat & importat quamlibet rei detentionem quocunque nomine, affectu, vel intentione. Ejusmodi improprii possessores sunt commodatarii, depositarii, conductores alieni fundi &c. Secundò in acceptione propria possessio accipitur vel *objectivè*, seu pro re ipsa, quæ possidetur: vel *formaliter*, sive pro actuali rei detentione & insistentia: vel *effectivè*, id est, pro ipso *jure* possidendi rem, quod nimirum ex rei detentione legitima resultat, & singularem speciem juris in re constituit: in qua postrema acceptione sit

399. Resol. prima: Possessio rectè describitur, quòd sit jus reale præsumptum, temporarium, competens ei, qui rem quampiam quietè detinet, nec tamen ab ipso adversario vi, clam, vel precariò accepit, ad hoc, ut tamdiu defendatur, donec adversarius jus aliquod possessionem superans debitè deduxerit. Breviùs definies, quòd sit jus reale, seu potestas, rem sibi detinendi, & commodis inde venientibus fruendi.

400. Resolut. secunda: Possessio in *naturalem*, & *civilem* dividitur. *Naturalem*, prout præscindit à *Civili*, habet, qui rem actu detinet, eique corporaliter insistit, vel insistere potest, at sine opinione dominii, & titulo ad acquirendum dominium de se habili: *Civilem*, prout sejuncta est à naturali, habet, qui rem solo animo & affectu, saltem habituali, detinet cum opinione dominii sibi competentis, & ex titulo ad transferendum dominium ex se habituali. Cúmque dominium in re feudali, & emphyteuticaria sit aliud penes dominum proprietarium, quod vocatur *directum*, aliud penes Vasallum, & emphyteutam, quod appellatur *utile*, quilibet habet possessionem civilem, seu cum opinione dominii, sed diversô modô: unus videl. rem tenet animo eandem habendi sibi cum opinione dominii proprietatis: alter eandem habendi sibi cum opinione dominii *utilis*. Simili ratione maritus fundum dotalem, sine æstimatione faciente venditionem sibi traditum, possidet possessione Civili cum opinione dominii Civilis: uxor cum opinione dominii naturalis. Propter evitandam æquivocationem in vocabulo possessionis, subtiliores Juristæ possessionem tam naturalem quàm Civilem subdiviserunt, ita, ut unam appellent *à modo* possidendi; alteram à *forma vel causa* possidendi. *Naturalem* à modò nominant, quando quis naturaliter & corporaliter rei insistit, quæ possessio quandóque est solùm impropria, uti in commodatario: Civilem *à modo*: quando aliquis solo affectu seu animo, sine naturali vel corporali insistentia rem detinet. Deinde *à forma & causa* possidendi possessionem naturalem vocant, si quis rem quampiam suo nomine sibique detineat at sine animo sive opinione dominii: qualis possessio naturalis admittitur in usufructuario: tenet quippe rem usufructuariam sibi ac in suum commodum, at citra opinionem dominii, utpote quod ipsi non competit: Similiter in creditore pignoratitio possessio naturalis à forma seu causa possidendi agnoscitur: nam & ipse rem pignori acceptam detinet sibi & in suam securitatem ratione pecuniæ alteri creditæ; at sine opinione vel animo dominii. Cæterùm possessor bonæ fidei dicitur, qui, consideratis rei & personæ circumstantiis, prudenter existimat, rem suam esse, aut illum, à quo rem accepit, jure eam distrahere potuisse: malæ fidei, qui scit, aut saltem culpabiliter ignorat, rem alienam esse, vel illum, à quo accepit, jus eam distrahendi non habuisse.

401. Possessionem acquirere possumus non tantùm per nosmetipsos, verùm etiam per nostros procuratores, tutores &c. nomine nostro possessionem apprehendentes. Et licèt in rebus corporalibus (quæ solæ in proprio sensu possidentur, cùm res incorporales, ut sunt jura, actiones &c. non nisi impropriè apprehendi, & quasi possideri queant) ad possessionem acquirendam solus animus non sufficiat, sed apprehensio aut traditio vera, ficta aut Symbolica intervenire debeat: solus tamen animus sufficit ad possessionem amittendam: nam si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem, *l.* 3. §. 6. *ff. de A. vel A. poss.*

402. Possessoribus plures favores atque commoda concedi, inter Juristas notissimum est: ex. gr. quòd præsumptio juris pro possessore stet, & is tanquam conditione melior præferatur alteri, qui de dominio litem movet: atque hinc regulariter onus probandi in suum adversarium rejiciat: nec teneatur edere titulum, quo possessio fulciatur, nisi in causa beneficiali, & petitione hæreditatis: Litéque pendente super re possessa, possessionem continuare valeat, cum perceptione fructuum, commodorum, juriúmque connexorum. Ego cum canonistis materiam possessionis unà cum *remediis*, & *interdictis possessoriis* tracto in *lib.* 2. *Decretal. tit.* 12. *de caus. Possess. & Propriet. tit.* 13. *de Restit. Spoliator. tit.* 16. *ut lite pendente &c.* & *tit.* 17. *de sequestrat. Possessionum & fructuum.*

QUÆ-

# QUÆSTIO TRIGESIMA TERTIA.

## *Quid, & quotuplex sit Servitus?*

403. Resolutio prima: Servitus rerum, quatenus per analogiam res rei, vel personæ servire dicitur, activè denotat jus quasi imperandi: germanicè eine Gerechtigkeit: passivè verò vinculum quoddam quasi obediendi, vulgò eine Dienstbarkeit. Secunda: Servitus rerum, prout est una ex quatuor speciebus jurium *in re*, & activè spectatur, est jus in re aliena, vi cujus possessor illius rei cogitur aliquid pati vel non facere in utilitatem certæ personæ, vel prædii. Hinc dividitur in *realem*, *personalem*, & *mixtam*. Servitus *realis* vocatur, quando res rei, v. gr. prædium unum alteri prædio vicino servit, seu utilitatem præstat: talis est servitus itineris concedendi per fundum tuum ad meum: *Personalis*, quando prædium vel alia res personæ servit, uti & servitus ususfructûs alicui in re aliena constituti, usûs, & habitationis: *Mixta:* quando pro diversitate circumstantiarum tum prædio tum personæ utilitas præstatur, ut in servitute aquæ haustûs, aquæ ductûs &c. Dividitur ab effectu ulteriùs in *affirmativam*, & *negativam*: vi prioris possessor rei servientis cogitur aliquid pati v. gr. transitum per suum fundum: vi posterioris tenetur aliquid non facere v. g. ædes altius non tollere, stillicidium non avertere. Item in *continuam* & *discontinuam*: de quibus divisionibus & aliis difficultatibus videndi sunt Civilistæ. De actionibus circa servitutes vid. *num.* 58.

# QUÆSTIO TRIGESIMA QUARTA.

## *Quid & quotuplex sit Pignus?*

404. Pignus objectivè acceptum ipsum objectum, id est, rem pignoris nexu & onere affectam denotat. *Formaliter* spectatum significat contractum, realem, nominatum, bilateralem, bonæ fidei, & accessorium, quo debitor suo creditori aliquid in securitatem crediti tradit, eâ lege, ut creditô restitutô, res pignorata cum omni causa restituatur.

405. Resolutio: Pignus effectivè sumptum (quæ acceptio hujus loci est) est jus reale creditori in re oppignorata pro securitate crediti constitutum. Inter pignus & hypothecam vix aliud discrimen intercedit, quàm quòd pignus dicatur res actualiter tradita, maximè si fuerit *mobilis*: hypotheca verò res (latissimè intellecta) quæ nuda conventione absque actuali traditione creditori in pignus obligata fuit. In quo casu ex juris dispositione jus reale pignoris seu hypothecarium, ac si res tradita fuisset, in creditorem transit, licet cæteroquin ad hunc effectum traditio rei requiratur: creditorique exinde actio realis seu hypothecaria tribuitur, quâ rem sibi hypothecatam contra debitorem ejúsque hæredes 40. annis, contra extraneos verò possessores 30. annis persequi & vindicare valet. Datur prætereà ex contractu pignoratitio debitori ejúsque hæredis actio *pignoratitia directa*, & personalis, quà, post solutum debitum, pignus traditum à creditore ejúsque hæredibus reluere seu repetere possunt: vicissim creditori & ejus hæredibus actio *pignoratitia* personalis *contraria*, ad indemnitatem quoad sumptus in pignus factos, à debitore vel hæredibus ejusdem consequendam. Egi de pignore in meo *Lib. III. Decretal. in tit.* proprio.

# Tractatus XV.

## De

## Justitiæ, ac Juris læsi reparatione: sive de Restitutione.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

De pertinentibus ad Reſtitutionem in Communi: & in particulari de Contractibus.

### QUÆSTIO I.

*Qualis ſit actus reſtitutio? An neceſſarius neceſſitate medii?*

### QUÆSTIO II.

*De Ordine Reſtitutionis, & circumſtantiis: item, an, qui juravit, ſe ſoluturum, poſſit compenſare?*

### QUÆSTIO III.

*An litteræ moratoriæ debitoribus licitè concedantur?*

### QUÆSTIO IV.

*An inter cauſas à Reſtitutione excuſantes ſit ingreſſus in Religionem? Corollaria quædam.*

### QUÆSTIO V.

*Detúrne obligatio reſtituendi id, quod ex contractu, ſub conditione operis turpis inito, acceptum fuit?*

### QUÆSTIO VI.

*An ſine læſione Juſtitiæ in contractu innominato liceat pœnitere, & datum repetere?*

### QUÆSTIO VII.

*An teneatur damnum compenſare, qui in communi periculo v. g. incendii res proprias præ alienis, commodatis, depoſitis &c. ſalvavit?*

### QUÆSTIO VIII.

*An uſuræ merè lucratoriæ, vi mutui perceptæ, ſint Reſtitutioni obnoxiæ?*

### QUÆSTIO IX.

*An SCtum Macedonianum in foro quoque Animæ à Reſtitutione excuſet?*

### QUÆSTIO X.

*An etiam SCtum Vellejanum pro foro conſcientiæ à ſolutione excuſet?*

DIS-

# DISSERTATIO II.

## De Reſtitutione oriunda ex damnis culpa Theologicâ aut illatis, vel delictis.

### QUÆSTIO XI.

*An, ut obligatio Reſtitutionis ex delicto pro foro conſcientiæ conſurgat, ſufficiat ſola culpa Juridica?*

### QUÆSTIO XII.

*An ſaltem ex Jure poſitivo Legis Aquiliæ damnificans ſine culpa Theologica ad Reſtitutionem teneatur?*

### QUÆSTIO XIII.

*Quæ ſit gravis materia furti: & an res furtiva ab emptore poſſit furi reſtitui?*

### QUÆSTIO XIV.

*Quid ſit detractio? & qualiter obliget ad Reſtitutionem?*

### APPENDIX.

*Diſputationis menſtruæ de culpa Theologica & Juridica occaſione Reſtitutionis.*

---

# PROLOQUIUM.

ORdinis concinnioris gratiâ XV. Tractatum efformare, & nominare placuit, etſi parva ejusdem moles hanc nominationem vix non demereri videatur. Agit de Reſtitutione Doctor Angelicus 2. 2. incipiendo à Quæſtione ſexageſima ſecunda in octo Articulos diviſâ. Agunt etiam de eadem præcipuè Theologales Moraliſtæ. In Tractatu priori plura habentur anticipata, quæ huc rejici potuiſſent. Contractuum, quos nonnulli cum Reſtitutione cumulant, alii præmittunt, deductionem eò lubentiùs omitto, quò liberiùs in meo Libro III. Decretalium per plures Titulos ex inſtituto eosdem explanavi: quibus addi poſſunt, quæ in *Tract. de SS. Eccleſiis* ſpeciatim pro favore Eccleſiarum in prædicta materia delegi, & digeſſi. Nihilominùs etiam in præſenti Tractatu quædam generalia de ea intermiſcebuntur. Benevolus Lector, utì confido, etiam hos breves conatus boni conſulet.

# DISSERTATIO PRIMA.

## *DE*

## *Pertinentibus ad Restitutionem in communi: Et in particulari ex Contractibus.*

IN limine statim, ut fundamentum maturè jaciatur, *radices* Restitutionis, quæ ad duas revocari solent, explicare aggredior. Una est & dicitur radix *ex re accepta*, quæ est nihil aliud, quàm obligatio restitutionis, stringens eum, qui rem alienam domino scilicet rationabiliter invito, tametsi eam bona fide, & justo titulo acquisierit v. gr. à non domino emerit, quem dominum esse putavit, detinet. Altera appellatur radix *ex injusta acceptione*, éstque nihil aliud, quàm obligatio restitutionis consurgens ex eo, quòd quis alterum injustè læserit, aut damnificaverit. Nec refert, an ad damnificantem ex damno alteri illato aliquid pervenerit, nec ne: ut si alienas ædes combusserit, fruges devastârit &c. Nam in moralibus damnum alteri inferre denotat idem, ac si damnificans quidpiam ab eo injustè acceptisset, quòd restituere vel resarcire teneatur. Quandóque obligatio restituendi oritur ex utraque radice, ùt si quis detineat rem, alteri injustè ablatam. Hæc de radicibus restitutionis.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *Qualis sit actus Restitutio? An necessarius necessitate Medii?*

1. RESolutio prima: Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur. Salmanticenses *Tract.* 13. ad mentem D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. Liquet Resol. tum ex eo quòd restitutio intendat respiciátque æqualitatem inter rem ablatam, & rem reddendam: inter jus læsum, & reparationem ejus: quod ùt dictum est in *Tract. priori Dissert.* 1. non ad justitiam legalem vel distributivam, sed ad commutativam ac rigorosam pertinet.

2. Resolutio secunda: Præceptum restitutionis, quamvis secundùm formam explicitam sit affirmativum; attamen *implicitè* & velut *radicaliter* est negativum. Colligitur ex S. Th. *cit. quæst.* 62. *art.* 8. *ad* 1. & ratione: quia inprimis præcepto restitutionis jubemur cuilibet reddere suum, & actum positivum exercere: sub quo respectu importatur præceptum affirmativum: prohibemur quoque rem alterius rationabiliter inviti detinere: consequenter illud præceptum ita est *explicitè* & secundùm formam affirmativum, ut simul etiam implicitè sit negativum.

3. Resolut. tertia: Restitutio rei ablatæ est equidem ad salutem necessaria necessitate *præcepti*: non tamen necessitate *medii*. Colligitur prima pars iterum ex S. Thom. *loc. cit. artic.* 2. *in Corp.* Nec non ex illo Math. 27. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari &c.* Et ad Romanos: *Reddite omnibus debita.* Consonat Regula 4. *juris in* 6. ex Div. Augustino translata: non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: itémque ratio, quòd nemo salvus fiat nisi existens in statu gratiæ sanctificantis, at nolens restituere rem ablatam, non potest esse in statu gratiæ sanctificantis, sed est in statu peccati mortalis injustitiæ, supposito, quòd materia sit gravis. Ergo restitutio ad salutem necessaria est necessitate *præcepti.*

4. Altera pars constat ex definitione necessitatis *medii* ad salutem: hæc quippe tanta est, ut tali medio vel ex ignorantia quoque invincibili vel ex impotentia prætermisso, salus æterna secundùm legem DEI modernam obtineri nequeat: cujus exemplum exhibetur in baptismo. At nemo dixerit aut docuerit rationabiliter, propter ignorantiam invincibilem, vel impotentiam ad restituendum & reparandum damnum illatum, vel alias ob causas non dari excusationem à restitutione, & hujus omissione salutem æternam secundùm legem DEI modernam impediri aut amitti; Ergo restitutio non est necessaria necessitate medii.

5. Dices primò contra primam Resol. Restitutio est quædam recompensatio ejus, quod subtractum est: at potest homini subtrahi non solùm in commutationibus, sed etiam in distributionibus: veluti id accidit in eo, qui præmia secundùm meritorum pondera non distribuit: tenetur quippe refundere ei, qui minus justô recepit. Igitur restitutio non erit actus solius justitiæ commutativæ,

tativæ, verùm etiam distributivæ. Resp. D. Thom. *cit. quæst. 62. artic.* 1. *ad* 3. quòd recompensatio, quam facit distribuens ei, cui minùs dedit, quàm debuerat, fiat per comparationem rei ad rem, ut scil. quantò minùs habuit, quàm debuit, tantò plus ei detur; & ideò jam pertineat ad justitiam commutativam. Quod explicans Domin. Soto *de Just. & Jur. l.* 4. *quæst.* 6. *art.* 1. ait, restitutionem illius, quod per justitiam distributivam conferri omissum fuerat, ad justitiam commutativam spectare: quamquam enim illud nunquam fuerit ab eo, cui dandum erat, possessum, fuerat tamen debitum; & ideò quodammodò sublatum; ac proinde functio justitiæ commutativæ est, idem rependere. Ex quo Cajetanus deducit, quòd Princeps aut alius dominus, qui distributionem inter cives ex debito faciendam, & aliquot annis intermissam, pœnitentiâ ductus, resarcire intendit, non debeat præsentibus tunc civibus restitutionem facere, sed hæredibus civium jam defunctorum, quibus viventibus debebatur. Nota, hanc objectionem non loqui de distributione officiorum, ex cujus violatione in priori *Tract.* obligationem privatis aliquid restituendi nasci negavimus; sed de distributione rerum, ad quas cives jus rigorosum habent.

6. Dices secundò: contra sec. Resolut. Præcepta negativa id habent præ affirmativis, quòd obligent semper & pro semper: affirmativa autem non obligent pro semper: at præceptum de non retinendo, vel de restituendo, non obligat semper & pro semper, veluti ex causis excusantibus dignoscitur. Ergo non est aliquo modo negativum, putà *implicitè* & *radicaliter*. Resp. neg. min. quia præceptum restitutionis sumitur *concretivè* & cum circumstantiis, in quibus dominus, cui facienda restitutio, rationabiliter invitus esse potest, nisi res restituatur, injuria tollatur aut damnum reparetur. Sic autem obligat pro semper.

7. Dices tertiò: contra eand. Resol. Dum præcipitur restitutio, idem est, ac si imperaretur, ne res aliena detineatur: quemadmodùm idem est, dicere, jejunia, ac dicere: ne binam refectionem eodem die accipias: Ergo quemadmodùm præceptum jejunandi est merè negativum, ita & præceptum restituendi. Ita Illustriss. Reding. *tract. de J. & J. quæst.* 10. *art.* 2. *contr.* 2. Resp. cum *Theol. Salisb. tract.* 12. *disp.* 31. *art.* 2. §. 1. *num.* 4. Neg. ant. quia non est connexio necessaria inter non retentionem, & restitutionem: nam si ædes alienas, aliámve rem mobilem, mala fide detentas possidere desinam, non ampliùs alienum retineo, quin propriè & formaliter restituam: & contra, si cui famam detraxi, & detrahere posthàc desino, nihil exinde apud me retineo, & tamen per hoc famam non restituo. Nec paritas urget ducta à jejunio: finis quippe proximus præcepti restitutionis est actio positiva, scil. redditio: præcepti autem jejunii non est positiva actio, sed abstinentia, seu secundæ refectionis omissio.

8. Dices quartò cont. tert. Resolut. Necessitas *medii* colligitur etiam ex eo, quando aliquid ad salutem necessarium est saltem *in voto*, si non possit fieri vel haberi *in re*, sicuti patet in baptismo fluminis, qui in re haberi nequit: nam tunc ejus votum requiritur: igitur cùm etiam respectu restitutionis, cujus in re datur impotentia, votum saltem & propositum implicitum requiri videatur ad restituendum, restitutio quoque erit necessaria necessitate *medii*. Resp. negando assertum cum paritate: tum quòd Theologi hanc voti necessitatem, ubi impotentia restituendi subest, non expetant: tum etiam, quòd variæ adhuc aliæ circumstantiæ concurrere possint, in quibus actus voluntatis explicitus non restituendi sine peccato injustitiæ elicitur. Baptismus fluminis ex *opere operato* peccatum originale tollit, & sic januam non tantùm Ecclesiæ, sed etiam Regni Cœlorum baptizato aperit. Baptismus flaminis, consistens in actu contritionis, & dilectionis DEI super omnia, cum proposito saltem implicito implendi omnia præcepta, peccatum originale, ac quodlibet personale ex opere operantis delet, & contrito januam Cœli recludit.

# QUÆSTIO SECUNDA.

## *De Ordine Restitutionis, & Circumstantiis: item, an, qui juravit, se soluturum, possit compensare?*

9. PRo cognitione ordinis servandi in restitutione juvat inprimis notâsse, quòd quandóque vel unus vel plures physicè ùt causæ principales simul & executivæ damnum alteri inferant, quandóque verò plures solùm moraliter cooperentur & influant, juxta notos versiculos, legendos apud D. Tho. *cit. quæst.* 62. *art.* 6.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus:*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Pro aliis circumstantiis dignoscendis inserviunt seqq. versiculi:

*Quis, cui restituet, quid, quantum, quomodo, quando,*
*Ordine, quóve loco: quæ causa excuset iniquum.*

Ut jam breviter ejusmodi faciliora expediamus, sit

10. Resolut. prima: Restituere, & damnum illatum reparare tenetur primò is, qui ejus erat causa physica & moralis principalis

lis, atque simul executiva: sique plures fuerint, secundùm proportionem influxûs seu concursûs majoris vel minoris quilibet ad restituendum obstrictus erit. Præ cæteris tamen onus restitutionis incumbit illi, penes quem res aliqua aliena extat vel formaliter, vel in æquivalenti: quia vel ex re accepta vel saltem ex injusta acceptione tenetur. Ita communis.

11. Secundò: in defectum causæ principalis putà Mandantis, aut per minas cogentis (quando vel res non extat, vel nihil ablatum fuit, sed alio modo damnum irrogatum) tunc cooperatores non principales solummodò quasi in supplementum & per substitutionem damnum reparare tenentur. Quòdsi causa principalis integrè restituerit, cæteri domino, utpote cui jam satisfactum est, ad nihil ampliùs tenentur: nec damnificanti principali, quia reliquos ad condamnificandum principaliter inducendo juri suo cedere, & reliquos indemnes servare velle videtur. Salmantic. *h. tract. cap.* 1. *Punct.* 5. *num.* 141. Vid. Div. Thom. *cit. quæst.* 62. *art.* 7. *ad* 2. sic loquens: *Principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto, principaliter quidem præcipiens: secundariò verò exequens, & consequenter alii per ordinem. Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur: sed illi, qui sunt causæ principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere, qui restituerunt &c.* Colliges, Ducem, qui ut Superior vel per se, vel mediante aliquo Tribuno militi imperavit, ut incendat, mutilet, occidat, rapiat &c. principaliter & primariò ad satisfaciendum obligari injustè læsis.

12. Inter causas secundarias, in defectum principalis ceu mandantis ad satisfactionem obstrictas, referuntur inprimis *positivè* concurrentes, quales sunt *consulens* & damni illationem efficaciter suadens: item *palpans*, id est, laudans malefactorem, & laudando eum ad nocendum inducens: aut etiam deridendo & exprobrando timiditatem alicujus in vindicanda contumelia, vel patrando aliqua delicta: utèrque enim modus tum laudandi tum deridendi censetur esse causa efficax damni posteà illati. Vid. Bonac. *de Restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *Punct.* 9. Item *recipiens*, seu recursum & receptationem præstans malefactori, ejúsque res malè ablatas asservans, sic ut exinde injuriæ majori securitate repetantur, aut res ablatæ tantò minùs compensentur, vel restituantur.

13. Item *participans*, cujus nomine intelligitur socius criminis, mediator vel explorator, aut quoquo modo ad injustam actionem juvans; talis itaque tenetur ad restitutionem ex radice injustæ acceptationis, uti v. gr. faber ferrarius conficiens alteri clavem ad furandum. Quandóque cooperatio participantis solùm est remota; & tunc ei nulla incumbit restitutio. Exemplum habes in famulo usurarii, qui numerando præcisè pecunias usurarias, absque eo, quòd ad pactionem usurariam concurrat, remotè solùm ad crimen usurarium operam sui famulitii exhibet. Quando autem cooperatio est proxima, videndum est, sitne opus intrinsecè malum nec ne? Si sit intrinsecè malum, etiam ex metu gravis mali incurrendi cooperatio est illicita, & cooperans tenebitur ad restitutionem: v. gr. si prædo diceret: aut occide hunc viatorem, aut ego te occidam: interemptio foret intrinsecè mala, & tu occidens esses obligatus ad restitutionem faciendam v. gr. uxori occisi. Si verò actio de se non est intrinsecè mala, metus gravis damni cooperantem & à peccato, & à restitutione excusat: ex. gr. si tibi furiosus mortem intentaret, nisi relinqueres ensem, quo jamjam percussurus esset inimicum. Grandin. *de Rest. in gen. cap.* 2. *sect.* 5. ubi quærit, an Petrus, si Joannem in socium adsciverit ad interficiendum Paulum, & Joannes occisus fuerit, teneatur ad restitutionem? & Resp. negativè: Joanni quippe in culpam imputatur, quòd se adjutorem Petro ad patrandum homicidium junxerit: sicuti si rogante altero projiceret merces suas in mare, sibi hanc jacturam imputare deberet. Eodem modo, ait, Princeps excusatur à restituendo militibus, qui nec vi nec dolo, sed sponte venerunt ad bellum injustum & damnum in eo passi sunt; secus esset, si herus famulum, vel Princeps subditum reluctantem ad bellum injustum compelleret.

14. Inter negativè ad damna cooperantes, & ad restituendum obligatos sunt *Mutus, non obstans, non manifestans*, ille scil. qui ex officio, contractúve ad damna impedienda obligati, illa non impediunt clamando, obstando damnificatoribus, vel illos manifestando. Sic damnis non obstando ad restitutionem tenentur Magistratus, Duces belli, Ministri justitiæ, custodes nemorum & vinearum, aliíve stipendiò conducti, aut aliàs specialiter obstricti, ut aliorum saluti & damnorum evitationi prospiciant.

15. Loquendo de subjecto, cui fieri debet restitutio, pro regula sit, bona, quæ ad certum dominum spectant, ipsi domino ordinariè esse restituenda. Nonnullæ tamen hìc exceptiones occurrunt. Sic enim primò res non est ipsi domino restituenda, quando ille non est capax administrationis, uti pupillus. Secundò potest quis creditori creditoris sui restituere, secundùm Gloss. *Ver. Solutio Inst. quib. mod. tollitur oblig.* si nempe debitum ex eadem causa proveniat: exemplum ponit Grandin, si Sempronius mei gratiâ se Titio debitorem centum aureorum constituat, tunc potero Titio totidem aureos solvere; quia ex una eadémque causa, videl. mutui, debitum illud contractum fuit, de quo vid. tex. in *l. si liber homo.* 36. *ff. de negot. gest.* Illud mirèris, quòd juxta *cap. in litteris.* 5. *de rest. spoliat.* rigore juris spectato etiam prædoni sit restituendum. Verùm hoc vel intelligendum est de casu, quo nondum

dum certò constat, an sit prædo: vel quoad forum externum, in quo ille, quem tanquam prædonem in judicio convenisti, anteà in possessionem rei restitui debet, priusquàm admittatur probatio, quòd sit prædo, & res ad ipsum non pertineat. At in foro interno rem iniquè ablatam restituere non teneris prædoni, quem talem esse novisti: cùm ipse prædo eam suo domino reddere teneatur: imò, etsi velles, non posses rem prædoni restituere, si domino periculum exinde immineat. Nomine autem domini intelligitur quilibet legitimus rei possessor, seu detentor, etsi non sit proprietarius, sed fortè depositarius, vel solùm commodatarius, custos &c. quibus res ablata fuit: faceres enim v. g. commodatario injuriam, ipsi rem commodatam ad certum tempus non restituendo, ita, ut damnum, ex rei subtractione emergens, lucrúmve cessans eidem compensare tenearis.

16. Bona, quorum dominus ignoratur, & inveniri nequit, si fuerint injustè acquisita, in pias causas erogari debere, constat ex *cap. cùm tu. 5. de usur.* Si autem absque injustitia ad aliquem pervenerint, doctrina in priori *Tract.* de rebus inventis à nobis tradita, præ oculis habenda erit.

17. Si quis sit debitor plurium creditorum, & fortassis unica tantùm res v. g. Scyphus aureus apud ipsum extet, quæ tamen mansit in dominio certi creditoris, hoc debitum reale primò exsolvendum est, & res illi creditori restituenda, estò pro reliquis creditoribus prorsus nihil remaneat: quomodò autem in debitis personalibus unus creditor privilegiatus vel antiquior præferatur alteri, & quis ordo servandus sit in solutione, Juristæ tractant in *tit. de Pignor. & Solutionib.* quibus locis meus quoque *Liber III. Decretalium* varia, hic non repetenda, accumulat.

18. Quoad locum restitutionis observandum est discrimen, ex qua radice quis sit obligatus. Si præcisè ex re accepta sine injusta acceptione vel læsione, res in eo loco creditori seu domino restitui debet, ubi ea v. g. custodiæ causâ reperitur; nec debitor obstrictus est, rem suis expensis propriis domino alibi habitanti transmittendi: neque enim debitor cum damno proprio dominum, cui nil injuriæ intulit, in pristinum statum reponere tenetur; sed monere solùm, ut indicet, qua ratione velit illam rem (suis sumptibus) transmitti. Quòdsi restitutio sit debita ex radice injustæ acceptionis, seu damnificationis, facienda est impensis debitoris, & quidem eo in loco, in quo dominus eam possessurus erat, si ipsi non fuisset subtracta: quod dictat lex justitiæ, ne scil. dominus ex iniqua alterius actione damnum sentire debeat. Neque obstat, exinde debitorem ad plures sumptus, quàm res ablata æstimetur, gravari: nam replicatur, hoc fieri per accidens: quia alioquin non superesset medium, læso damnum illatum secundùm justitiæ commutativæ æqualitatem resarciendi. Quidsi autem restitutio hic & nunc statim facienda magnos sumptus exigeret? Tunc debitori ex æquitate naturali concedenda est aliqua dilatio, dummodò hæc domino nullum vel parvum duntaxat damnum pariat.

19. De cætero quoad tempus restitutionis ulteriùs advertendum est, an obligatio sit orta ex contractu v. gr. mutui: an verò ex re aliàs accepta aut injusta acceptione. Si ex contractu: tempus adjectum observandum est, tametsi creditor solutionem non urgeat: quia tunc ipsum jus & dies interpellant pro homine, *l. magnam. 12. Cod. de Contr. & committ. stipul.* Quòdsi nullum tempus solutioni vel restitutioni designatum fuerit, debitor potest expectare, donec creditor solutionem petat. Ex re accepta vel injusta acceptione restituere obligatus obligationi suæ satisfacere debet, quamprimùm datur moralis oportunitas, & commodè potest. Neque dominus censetur esse invitus, si debitori desit moralis oportunitas ad statim restituendum. Hac autem oportunitate restituendi supposita, non restituens, si materia sit gravis & brevitas temporis non excuset, manet in statu peccati mortalis: sique Confessarius adverterit debitorem non habere firmum propositum, quamprimùm restituendi, non debet ipsum absolvere: sicuti nec illum, qui restitutionem primùm post mortem per hæredes fieri vellet: aut in sacro Tribunali jam aliquoties monitus, & pollicitus fuit restituere, tamen non restituit, etsi potuerit. Lug. Salmanticenses &c.

20. Resol. secunda: quando debitor, ineundo contractum, promissione juratoria se tacitè vel expressè obligavit, quòd nolit uti compensatione, hac nec in foro interno uti valet, nec eam objiciens in foro externo audiri debet. Molin. *de J. & J. tom. 2. disp. 560. num. 12.* Ratio est, quòd juramentum hoc, utpote de re licita (cuivis enim non usui sui remedii, juris, vel actionis renuntiare permissum est) servari possit: ergo etiam debet, ne jurans fiat perjurus. Salvum de cætero renuntianti manet remedium, reconveniendi suum debitorem & respectivè creditorem, nisi & huic remedio renuntiaverit.

21. Resolut. tertia: qui simpliciter juravit, se soluturum, nihil cogitando de compensando, potest debitum activum, tametsi juramentum præcesserit, nihilominùs in utroque foro compensare. Prob. & explicatur. Compensatio est debiti & crediti inter se mutua contributio, qua unum debitum alio debito proposito absumitur. *l. 1. ff. de compensatione,* requirit igitur, ut concurrant duo debita, & duo sint sibi invicem debitores ac creditores.Ættereà ex juris dispositione stilóque recepto habetur pro vera solutione, *l. 4. §. solvisse. ff. de re judic.* nihilque interest, *solverit quis, an pensaverit l. si* debi-

*debitor. 4. ff. qui potior. in pign.* Et in *l. dedisse ff. de V. S. dedisse intelligendus est, qui compensavit.* Unde sic: quando per compensationem nec verbis nec menti jurantis contravenitur, is, qui simpliciter juravit, se soluturum, quod debet, in utroque foro licitè compensat. At per compensationem nec verbis nec menti jurantis contravenitur. Ergo licitè compensat. Min. prob. quoad prim. memb. verbis si contraveniretur compensando, compensatio non foret solutio: at ex legibus ostensum est, quòd sit solutio. Ergo compensando (vel compensationem creditori, qui debitum sibi exsolvi petit, per modum exceptionis opponendo) jurans verbis juramenti non contravenire censetur. Prob. ead. min. quoad secundum memb. inprimis (uti supponi hic debet) mens jurantis non erat, sibi per juramentum adimere facultatem compensandi: aliàs, si hæc ejus mens fuisset, haud dubiè compensationi renuntiâsset. Deinde, sive debitum compensandum juramentum præcedat, sive illud subsequatur, semper procedit illius extinctio per compensationem: quia semper in juramento subintelligitur: si jurans obligationem habuerit solvendi, veluti ex Molina advertit Castropalaus *de Just. Commutat. disp. 1. Punct. 16. §. 2. num. 17.* Hinc, quia, posita compensatione, nulla adest obligatio solvendi, cessat vis juramenti, ait ille.

22. Res exemplo elucidetur. Petrus accipit à Paulo mutuos centum, juràtque, se certò totidem soluturum. Paulus eidem Petro posteà fit debitor similiter centum florenorum. Si Paulus solutionem apud Petrum urgeat, quia eam juratò promisit, Petrus poterit respondere, debita utrinque compensata & extincta esse. Pro confirmatione notâsse juvabit, juramenta, cùm sint accessoria ad obligationem principalem, eo fine adjici, ut prior obligatio magis firmetur, non autem, ut aliquid novæ obligationis (v. g. ne quis suo juris remedio utatur) velut per extensionem adaugeant.

23. Dices primò: Servandum est juramentum, quoties absque præjudicio tertii & dispendio salutis servari potest; sique servandum sit in casu, quo quis juratò promisit solvere usuras juxta *cap. debitores. 6. de Jurejur.* quidni à fortiori tunc servandum sit, quando quis juratò promisit, se debitum principale soluturum esse? Secundo: In *cap. ad nostram. de jurejur.* S. Pontifici fuit casus propositus, quòd quidam, datis pignoribûs, mutuum acceperint, & juraverint, nullam se mutuanti molestiam illaturos, donec mutuam pecuniam denuò solverint. Pontifex posteà illos condemnat, ut solvant non deductis anteà fructibûs, quos creditor intereà ex possessionibus sibi oppignoratis perceperat, quique aliàs fuissent deducendi, & in sortem principalem computandi: aliàs contractus fuisset usurarius. Nec potest ista Pontificis Sententia in aliam causam refundi, nisi quia mutuatarii se juramentô obstrinxerant, quòd nullum gravamen mutuanti inferre velint. Tertiò: juramentum promissioni appositum debet impleri in forma specifica: adeóque factum promissum præstari debet, nec potest redimi dando interesse; quod tamen redimi sic posset, nullo juramento adjecto.

24. Ad primum Resp. juramentum servandum esse, quoties servari potest, ita tamen, ut non obliget ultra intentionem jurantis: at jurantis intentio, uti supponimus, erat solùm, ut debitum solvatur, id est, vel solutione actuali formali; vel virtuali, quæque apta est & sufficiens secundùm jus tam naturale quàm secundùm positivum: talis autem est compensatio, quæ se exerit (extra casus jure exceptos) quamprimùm meus creditor mihi tantumdem debet, quantum ego illi debui, vel debeo. Vel dic brevissimè, juramentum servandum esse, at non sine tacitè subintellecta conditione, si jurans habuerit adhuc obligationem solvendi. Ad secundum Resp. Palaus, in *cit. cap. ad nostram.* non agi de compensatione, sed solùm de vindicatione pignoris ante pecuniæ debitæ solutionem: quæ vindicatio à mutuatariis immeritò prætendebatur, priusquàm totam quantitatem pecuniæ mutuo acceptæ creditori refuderint: quia fructus ex pignore à creditore percepti quantitatem mutui dati nondum exæquaverant. Ad tertium dico, compensationem ex dispositione juris non esse solutionem fictam, sed veram & propriam, veluti patet ex supra adductis texx. Ad id, quod additur, jurantem præstare factum, non liberari præstando interesse, sed propter juramentum teneri factum præstare, à quo præstando se posset liberare solvendo interesse, si juramentô se non obstrinxisset, Resp. negando parit. quia præstatio interesse loco facti promissi ad summum ex benignitate juris admittitur & quidem non regulariter: quia Jure Canonico & in causis piis locum non habet. Econtra compensatio regulariter, & solùm paucis causis exceptis, in jure admittitur & tanquam solutio agnoscitur; idque provenit non ex mera conniventia vel benignitate juris, sed ex natura primordiali? quia scil. ex natura rei ille, qui mihi debet 20. cessat respectu mei esse debitor, quando vicissim ego ipsius sum debitor, vel incipio esse ejusdem quantitatis.

25. Advertendum primò: in hac utili materia, nomine debiti, quod cum alio compensari potest, intelligi omne debitum, sive sit ex contractu, sive ex delicto, dummodò sit liquidum, vel non merè conditionatum: & utrumque debitum sit ejusdem rationis, atque objectum debiti res fungibilis, videl. ut consistat in quantitate, & per adnumerationem, apponderationem, vel admensurationem in commercium veniat, quales res sunt pecunia, vinum, oleum, triticum &c. alioquin si objectum debiti non essent res fungibiles, non daretur effectus solutionis; quia, moraliter loquendo, idem non solveretur, sed una res pro altera creditori invito

vito obtruderetur. Ex quo sequitur, non posse te compensare quantitatem cum specie ex. gr. si mihi debeas equum valentem 100. & ego tibi debeam 100. mutuos: multò minùs speciem cum specie utrinque debita, v. g. equum cum bove: quia ejusmodi res non recipiunt functionem, quasi essent ejusdem qualitatis & bonitatis, idemque reddi censeatur: posses tamen compensare, si species essent peremptæ, & earum æstimatio duntaxat deberetur.

26. Advertendum secundò: specialiter in jure Civili caveri, ne compensatio admittatur respectu Principis, Civitatis, vel alterius communitatis: per consequens quod à subditis exigitur in refectionem aut constructionem murorum, fontium, pontium &c. vel in subsidium belli, vel tanquam aliud tributum aut vectigal, id in natura solvere necesse habeant, nec opponere possint, Principem, vel Communitatem pariter sibi debere tantam vel tantam pecuniæ summam. Singulariter quoque prohibetur compensatio in re deposita, etsi esset pecunia; idque ita dispositum fuit propter exuberantem fidem seu fiduciam, quam deponens habet in persona depositarii. *cap. 2. de depos. & l. pen. Cod. eod.* Neque admittitur in debitis alimentorum, propter istorum maximam necessitatem.

27. Licèt autem in istis & aliis specialibus casibus compensatio in foro externo sit prohibita; nihilominus secundùm tradita apud Palaum, in foro interno, quando debitum aliter recuperari nequit, & scandalum abest, compensatio, vel rei retentio non est illicita.

28. Idipsum tenet Layman. *Theol. Mor. l. 3. tr. 2. cap. 9. num.* 10. inquiens: sed hæc omnia præcipuè ad forum externum spectare videntur: in conscientiæ autem foro, si, quod mihi ex quacunque causa liquidò debetur, consequi alio modo non possum, tunc jus naturæ ac gentium permittere videtur, ut compensatione, vel saltem retentione alterius cujusque à me debiti mihi prospicere possim, donec satisfiat, nisi vel scandalum timeatur, vel Judex aliud præcipiat. Ita docet Sylvest. *Ver. compensatio. quæst.* 2. & *ver. furtum. quæst.* 13. Navarrus *cap.* 17. *num.* 112. & 115. &c. Quid autem isti Auctores respondebunt ipsis objicienti, leges justas in foro externo censeri quoque justas in interno, adeóque conscientias stringere, nisi fuerint pœnales, vel in præsumptione fundatæ, quales non sunt illæ, quæ in quibusdam casibus compensationem denegant? Forsan replicari poterit, præfatas leges, quantum ad forum internum, se non extendere ad casus illos extraordinarios, in quibus nullum remedium superest ad consequendum debitum: nisi fortè bonum publicum communitatis urgeat, suadeatque, ut ejus intuitu privati à persequendo jure suo abstineant.

29. Advertendum tertiò, quantum ad retentionem rei alienæ minorem esse difficultatem: hæc enim, uti docet Palaus *loc. cit. Punct.* 16. in casibus, in quibus res mutuam functionem non recipiunt, adeoque nec compensationem (quia debita sunt diversæ rationis) concessa est: hinc, si tu mihi centum debeas, & ego tibi equum debeam, equum etiam plus valentem retinere possum, donec centum nomine mihi satisfacias: cuivis enim licet adhibere diligentiam, quâ se indemnem servet, & consequenter, ne suum debitum activum amittat. An enim jure conquereris, rem tibi debitam injustè detineri, cùm & ipse debitum, quod alteri hactenus non solvisti, vicissim retineas? Exceptionem aliqui faciunt in deposito, cujus retentionem neque in foro interno permissam esse censent, ex ea ratione, quòd depositarius ad reddendum depositum tacitè & ipso facto se obliget, & contractus depositi regulariter commodum seu favorem deponentis respiciat: si autem depositarius occasione rei apud se depositæ posset aliquo modo compensare per retentionem, depositum in depositarii favorem verteretur, qui hâc vice suum debitum consequeretur in æquivalenti: Attamen Lessius de *J. & J. l. 2. cap. 27. dubit.* 4. citans Sylvest. & Panormitanum, pro foro conscientiæ etiam rei depositæ retentionem non improbat, dummodò nulla alia ratio obtinendi debiti suppetat.

30. Illud certius est, quòd depositarius rem depositam, v. gr. equum, in quam aliquas impensas facere debuit, in utroque foro servare possit, sicuti & commodatarius rem commodatam in simili casu, donec ipsi impensarum nomine satisfiat: quod enim contrario judicio (id est actione contraria, quæ in consequentiam competit depositario, si quid in rem depositam impenderit, contra deponentem, cui competit actio principalis & directa ad repetendum depositum) *consequi quisque potest, id etiam recto judicio, quo cum eo agitur, potest salvum habere jure pensationis*, uti dicitur in *l.* 18. §. 4. *ff. commodati.* Qui pleniorem instructionem de compensationibus (maximè pro foro externo) desiderat, inter alios legat Tractatum Juridicum de illa materia in lucem editum à Clarissimo Viro, D. Francisco Ignatio de Wolleren, Nobili in Wollersfeld p. m. meo quondam Salisburgi in Jure Professore & postmodùm Collega.

# QUÆSTIO TERTIA.

## *An Litteræ Moratoriæ debitoribus licitè concedantur?*

31. RESolutio prima: Illis debitoribus litteræ, seu rescripta Moratoria licitè conceduntur, quibus citra culpam suam, novercante fortuna, ad inopiam redactis remedium ordinarium non suppetit, creditoribus satisfaciendi. Vocantur germanicè Anstands-Brieffe: oder eyserne Brieffe, quasi iis debitores velut scuto & ferro contra creditorum importunas exactiones (saltem usque ad certum tempus) muniti sint. Ratio licitæ concessionis declaratur à Magnif. D. P. Francisco Schmier p. m. in *Jurisprudentia Publica Imperii Romano-Germanici lib. 2. cap. 3. num.* 88. quòd ejusmodi gratiosa rescripta non tantùm Clementiæ & misericordiæ signum debitoribus acerbè afflictis aperiant, sed etiam creditoribus jus suum in meliori statu collocent, utpote quibus debitores cæteroquin in impotentia relinquendi) satisfacere possunt, cùm tractu temporis ad pinguiorem fortunam pervenerint.

32. Resolut. secunda: in Imperio Romano-Germanico Rescripta Moratoria concedere spectat fontaliter ad Augustissimum Imperatorem, *l. 2. Cod. de precibus Imperatori offerendis &c. Ordinat. Imper. Polit. de Anno* 1577. *tit.* von verdorbenen Kauff-Leuten 23. *§.* 4. Neque hujus potestatis exercitium inhibet vel restringit Instrumentum Pacis Westphal. *Art.* 8. §. 5. vel Recessus Imperii de Anno 1654. §. 170. Nam, ùt §. §. illos exponit *cit. Jurisprudentia num.* 92. ibi sermo vertitur solummodò de debitoribus, qui occasione tricennalis belli Germanici ad incitas fuerunt redacti, aut nimiis usuris gravati. His ergo, ob singulares rationes, non debent suffragari Rescripta moratoria. Quoad alios ergo non exceptos Majestati Cæsareæ Supremæ potestatis exercitium manet incircumscriptum, ut eorum inopiam non tantùm per quinquennales inducias (ad quod tempus litteræ moratoriæ contra creditorum importunitatem concedi solent) sed etiam per longiores, pro circumstantiarum diversitate, alleviare, ac pro toto Imperio tutamen validissimum & generale concedere valeat: alii autem Principes Imperiales ad summum similibus rescriptis debitores contra solos creditores suo Territorio subjectos munire & protegere possunt.

33. Cæterùm hæc moratoria rescripta, tanquam indignis, non conceduntur decoctoribus, qui nimirum dolo, culpa, ludo, luxu aut ex delicto in egestatem prolapsi sunt: cùm malitiis hominum non sit indulgendum *l. 37. ff. de Minorib.* nec debitoribus, qui se tales esse, mendaciter *inficiati sunt*: cùm leges mendacia detestentur, *l. 10. §. 1. ff. de fidejuss.* nec illis, qui fugæ se accingunt, *arg. l. 38. pr. ff. de Solutionib.* Et quia sunt beneficium personale, quod personæ cohæret, alii, v. gr. fidejussores contra creditores debitoris principalis illis minimè defenduntur, per *l. 7. ff. de exceptionib.* Brunnem. ad *l. 2. Cod. de Precib. Imperatori offerendis.*

34. Neque contra omnes creditores effectum suum sortiuntur: ùt si sint opifices, mercenarii, aut alii homines, labore quotidiano victum sibi suisque procurare coacti, sicque moram solutionis sustinere nequeant. Idem est de illis, quibus debentur alimenta, ad quotidianam vitæ sustentationem necessaria. Nec effectum habent contra Ecclesiam, vel pias causas, utpote summo favore dignas: Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. cent. 3. cas. 203. n. 20.* nec contra creditores, pari vel graviore necessitate *pressos*. *Plura* dabit Clariss. D. Doct. Bonav. Franz *Selectar. Q. Q. qu.* 14.

# QUÆSTIO QUARTA.

## *An inter causas à Restitutione excusantes sit ingressus in Religionem?*

35. INter causas à restitutione excusantes prima est inopia seu impotentia debitoris non solùm physica, quando nihil habet (in quo casu creditor nequit esse rationabiliter invitus) verùm etiam impotentia moralis; quæ quidem potentiam restituendi non omnino tollit, attamen restitutionem valde difficilem reddit propter debitoris, ejusque conjunctorum necessitatem: quæ in triplicem distingui solet: una dicitur *extrema*, estque illa, quando aliquis in sua persona, vel in personis sibi conjunctis, puta parentibus, liberis, conjuge &c. ex restitutione conjiceretur in grave periculum vitæ, membrorum, vel morbi &c. Hac necessitate quemlibet à restitutione excusari, patet ex eo, quia tunc respectu meæ necessitatis extremæ redit communio rerum: si ergo possum aliquid ab altero propria authoritate accipere, possum licitè, quod hactenus debui, non solvere, vel non restituere. Sique fueram obligatus restituere ex re accepta, hæc verò non ampliùs penes me extet, absolutè liber sum à restitutione, etsi ad meliorem statum pervenerim: nam illam rem titulo dominii consumpsi, quamvis forte eam, antequàm necessitas extrema supervenerat, mala fide possederim. Quòd si res non fuerit usu consumptibilis, sed cessante necessitate, cui per solum rei usum subveniri poterat sine illius destructione, ùt si v. gr. equo tuo usus sim, ut latronis insidias eva-

evadam, sine dubio, denuò restituenda erit; quandoquidem illa necessitas non ipsam rem, sed usum illius duntaxat exegerat. Ex injusta acceptione ad restituendum obligatus, putà, quia alteri damnum injustè intulit, propter instantem gravem necessitatem ab obligatione sua non absolvitur, sed obligatio interim manet solùm in suspenso: & quia personalis est, non nisi cum persona extinguitur. Sayr. apud Clarissim. P. Mezger hic *disp.* 35. *art.* 1.

36. Altera dicitur necessitas *gravis* sive propria sive suorum, quando aliquis miserè vitam ducere deberet, atque ex restitutione mox facienda, grave damnum in bonis propriis (sive sint bona fortunæ, sive altioris ordinis, qualia sunt bonum famæ, honoris, vitæ, & animæ) sustinere deberet: in qua hypothesi restitutio ex creditoris rationabiliter præsumpto consensu differri potest, nisi creditor in pari necessitate existat. Dilatio ejusmodi juxta Grandin. *hoc tract. part.* 2. *cap.* 2. *quæst. postrem. art.* 1. procedit, si debitor, ut solvere posset, deberet vendere v. gr. aliquod prædium longè viliori pretio, quàm valeret: item si solutio à debitore sine periculo mortis aut magnæ infamiæ fieri non posset. Damnum autem illud, quod debitor sentiret ex rei alienæ adhuc extantis restitutione, titulum dilationis non fundaret. At cur in gravi necessitate non licet accipere alienum, licet verò retinere, seu restitutionem differre? Responderi solet, dominum non censeri rationabiliter invitum, si re non ampliùs existente, restitutio ex capite gravis necessitatis propter damnum tam grave, debitori imminens, aliquanto tempore differatur; præsumitur autem rationabiliter invitus, si quis, etiam in gravi necessitate constitutus, ipsi dominium & possessionem rei suæ propria statim authoritate aufferre non vereatur. Quod si semel liceret, ob amorem & cupiditatem habendi, ostium infinitis propemodum furtis aperiretur. Hæcque ratio fuerit, damnandi sequentem propositionem: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

37. Tertia necessitas, quæ vocatur *communis*, quaque laborant pauperes mendicato victitantes, à restitutione non excusat: aliàs pauperes raro ad constitutionem rei alienæ tenerentur.

38. Cæterùm duæ regulæ sequentes notari merentur: prima: nemo tenetur restituere cum suo notabiliter majori detrimento, quàm sit creditoris commodum: altera: quotiescunque dominus sive creditor rationabiliter contentus esse debet, ut restitutio differatur, potest differri, licèt dominus invitus sit, *arg. cap. ne quis. caus.* 22. *quæst.* 2.

39. De cessione bonorum dubitari potest, an & quomodò debitorem à restitutione excuset? Cessio hæc, dicta remedium *flebile & miserabile*, consistit in eo, quòd debitor, ex contractibus ære alieno gravatus, creditoribus omnia sua bona residua, ut inter ipsos dividantur, cedat. Cessione ista facta, debitor hoc gaudet beneficio, ne possit in carcerem *tædialem* detrudi, aut aliter à creditoribus molestari. *l.* 4. *ff. de Cess. bon.* Dixi, ex contractibus: qui enim debitor est ex delicto, v. gr. furti &c. aut aliàs de industria dissipator bonorum extitit, hoc beneficio cessionis non gaudet, per *l. fin ff. quæ in fraud. credit.* Cùm autem spectato jure civili & foro externo, cedens suis bonis, etsi ad meliorem fortunam posteà devenerit, à creditoribus non possit conveniri, ut plus solvat, quàm commodè possit, servatis ipsi alimentis juxta qualitatem & statum personæ, quærunt DD. utrùm id etiam in foro interno ita procedat, ut debitor jam non sit ampliùs obligatus in conscientia, ad procurandam creditoribus integram totius debiti solutionem. Ad quod communiùs respondent, hanc obligationem manere quoad forum internum, ut debitor conetur saltem per media ordinaria ad meliorem pervenire fortunam, & acquirere, unde totum solvat. Nec enim credibile est, quòd Legislator Civilis per flebile cessionis beneficium jus creditoris radicitùs perimere intenderit, sed debitori pro statu durantis inopiæ inducias concedere.

40. Magnif. P. Pettschacher *de circumstant. restit. quæst.* 2. *art.* 5. ex Laym. Mol. & aliis debitores monet, quòd per cessionem bonorum à restitutione in foro conscientiæ non excusentur, nisi verè impotentes sint: hæc enim impotentia ad solvendum à Jure Civili, à quo privilegium liberationis profluit, supponitur. Addit, debitorem bonis cedentem, alimenta, ex quibus secundùm statum suum parciùs vivat, in foro conscientiæ retinere posse, imò & occultare, tum ex bonis ante cessionem, tum post cessionem acquisitis. Similiter posse uxores, & filios, quorum mariti parentésque sive ex culpa sive sine culpa ad magnam egestatem sunt redacti, ita ut debita contracta solvi nequeant, ex bonis relictis tantum subtrahere atque occultare, quantum satis est ad vitam, & statum suum honestè conservandum: sique in judicio desuper inquirantur, possent, ait, cum æquivocatione congrua jurare, se nihil occultare. Verùm hoc altioris indaginis est. Notat autem ex Lug. & Herink, privilegia cessioni concessa debitori non prodesse in conscientia, quando occultat & retinet sibi necessaria ad alimenta: quia jura privilegia iis concedunt, qui omnia bona præsentia creditoribus cedunt.

41. Resolut. prima: probabilius est, quòd, spectato jure naturæ, debitor, qui non nisi longo tempore in sæculo manendo, spem solvendi habet, bona sua creditoribus cedendo possit licitè & validè Religionem ingredi. Est contra multos RR. speciatim cont. Mol. Valent. Suarez. Palaum Layman-

num &c. Prob. autem ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 6. *ad* 3. ubi sic docet: *Ille, qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licitè prætermittere, facultate existente. Et ideò, si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licitè prætermittere, ut Religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat, unde reddat, tenetur facere quod potest, ut scil. cedat bona sua creditori.* Ratio fundamentalis S. Thomæ est, quòd licèt ex contractu oriatur jus & actio in personam, persona tamen per se, & ratione suî non fiat subjecta alteri, quocum contraxit, ad modum scilicet, quo mancipia instar rerum dominicæ potestati subjiciuntur; sed fit subjecta seu obligata ratione bonorum duntaxat: propter pecuniam persona (ait S. Doct.) liberi hominis secundùm jura civilia non obligatur, sed solùm res; quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Per hoc igitur, quòd debitor bonis omnibus cedat in favorem creditorum, persona liberatur ab illo nexu personali, nisi iterum alia bona sibi comparet, & sic obligatio sopita reviviscat. Hoc autem ita supposito, nihil ampliùs debitorem impedit, quò minùs de sua persona in obsequium DEI disponere valeat, tradendo se alicui Religioso Ordini, ibique profitendo.

42. Confirmant Salmanticenses *de Rest. cap.* 1. *Punct.* 18. *num.* 289. quòd satisfactio in re temporali & inferioris ordinis, quæ præstari nequit nisi cum magna difficultate, ac post longum tempus & quidem in præjudicium boni spiritualis, altiorisque, reputetur pro impossibili: talis autem esset illa satisfactio, ob quam præstandam debitor in sæculo per longum tempus exspectare deberet. Ergo reputatur pro impossibili, sicque ingressus in Religionem redditur tum validus tum licitus, eodem modo, ac si debitori nulla ad satisfaciendum spes superesset. Aliunde etiam contractui cuilibet tacita inest conditio: nisi contrahentes ad *statum perfectiorem incompossibilem transierint*, uti constat in contractu oneroso sponsalium. Quòd si obligatio ex delicto nata fuerit, sicque ex intentione debitoris non pendeat, etiam tunc non censetur obligatus tanto cum onere, ut statum suum in melius mutare, & salutem suam majori cum securitate procurare ipsi non liceat. Hoc siquidem onus Salmanticensibus videtur esse gravissimum.

43. Resolutio secunda: quando debitor spem habet rationabilem, quòd suis creditoribus intra tempus breve possit satisfacere, debet ingressum in Religionem differre. Ita communis. Ratio est: quòd quilibet satisfacere teneatur, quantum tum potest: hinc etiam creditores in tali circumstantia præmaturum Religionis ingressum animo rationabiliter invito & ægrè ferrent. Licèt autem tunc debitor illicitè profiteretur in religione ante factam provisionem de restitutione, valida tamen esset Religiosa Professio: quia debitor quoad personam suam manet sui juris, quamvis creditori devinctus sit ratione bonorum, si quæ habeat. Aliud dicendum foret de professione mancipii sine consensu domini, & mariti sine consensu uxoris: quia jus in his aliquod datur in ipsas personas sine respectu ad bona. Quódque novus Professus fieret liberatus à debitis, tradit D. Antonius, & Sylvester apud Wigandt *tract.* 8. *Exam.* 6. *sub num.* 130. ex repetitione illius rationis, quia moraliter censetur impossibile, quod est valde difficile, ac honestè, & decenter fieri nequit. Atqui (si debitor forsan artem aliquam calleat) ex consensu superioris Monastici horis successivis laborare, ut ex mercede solvantur debita Professi, est valde difficile, & honestè ac decenter fieri nequit. Ergo solutio, post illicitè factam professionem, ex parte debitoris censetur moraliter *impossibilis:* At ubi datur moralis impotentia *ad solvendum* in futurum, ibi etiam datur liberatio à debito, & excusatio à restitutione. Ergo &c. Illud indubitanter admisero, quòd Monasterium, cui neo-Professus hæreditatem, legatum, aut aliam donationem secum intulisset, pro facultate rerum illarum creditoribus ex æquitate satisfacere deberet.

44. Resol. tertia: spectato etiam Jure positivo Constitutionis à Sixto V. 1585. circa ingressum debitorum obœratorum in Religionem editæ, hodie, postquàm aliud Decretum à Clement. VIII. emanavit, Professionis valor tenet. Ratio est, quod equidem Sixtus V. ejusmodi graviter obœratos debitores ad professionem deponendam *inhabiles* reddiderit, Clemens tamen VIII. *subsequenti* Decreto seu *motu proprio* Constitutionem Sixtinam mitigaverit, & ad terminos juris communis quoad nullitatem Professionis revocaverit, ita ut valeat Professio; pœnæ autem à Sixto statutæ non fuerint abolitæ. Cæterùm in prædicta Constitutione Sixtina primò non erant comprehensæ fœminæ obœratæ, Monasterium Monialium ingressuræ, prout ipse Sixtus in aliquo *motu proprio* declaravit, teste Sanch. *l.* 4. *Decal. cap.* 19. *n.* 22. Lugone *hoc tract. disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 87. *&c.* Secundò, nec debitores illi, quorum debita ex substantia relicta successivè, debitore jam existente in Religione, expungi valent. Tertiò, nec tales, qui ex delictis ad aliquam satisfactionem condemnati sunt, vel ad satisfactionem pecuniariam pro injuria alteri irrogatâ: hujusmodi namque debitores, cùm nihil æris alieni usurpârint, nimis impropriè dicerentur ingenti ære alieno gravati, de quibus Sixtus V. loquitur. Quartò non comprehenduntur, qui, utut ingenti ære alieno sint pressi, attamen in impotentiam solvendi citra suam culpam devenerunt, licèt spem habeant, creditoribus intra breve intervallum debitum solvendi: quia Sixtus loquitur de dilapidantibus bona sua ludis, luxu, luxuria &c. in verbis: *Multi decoctores*

*ctores post dilapidatam rem familiarem & contractam vim æris alieni.* Quinto non comprehenduntur debita incerta: utpote quæ pauperibus aut aliis piis causis applicanda sunt: imò ipsi debitori graviter obœrato quà pauperi vel à se vel à suo Confessario applicari possunt ad finem ingrediendi Religionem, ut notat Anton. à Spir. S. in suo *Director. tract.* 3. *disput.* 2. *sect.* 1. Sanch. & Lug. apud Salmant. *loc. cit.* Plures exceptiones perhibent Salmanticenses *loc. cit.* §. 2. Sed contra Resol.

45. Opponitur primò. Stando in jure naturæ, quilibet omnia sua debita solvere tenetur: ergo ingressus Religionis neminem liberat & excusat à restitutione. Secundò: id, quod est de præcepto, juxta omnes præferendum illi, quod solùm est de Consilio: ingredi Religionem est solùm de consilio, solvere debita, est de præcepto & quidem naturali. Ergo potius oportet curam habere de solutione, quàm de Religionis ingressu. Tertiò: non licet facere malum, ut eveniat bonum: etiamsi hoc bonum in lucro spirituali consistat: Item: nemini permissum est locupletari cum jactura aliena: at non solvere debita est malum; cùm importet damnum creditoris: licèt ergo religionem ingredi de se sit quid bonum; quia tamen exinde sequitur malum, id est, damnum creditori ex non solutione debitorum, ingressus ille erit prohibitus. Quartò: si non liceat furari aliena, ut v. g. Monialis, dote inde comparatâ, faciliorem sibi paret aditum ad Monasterium, qua ratione omissio restitutionis permissa erit propter ingressum Religionis? Certè non magis illicitum est, aliena rapere, quàm, quod debetur, non solvere. Quintò: qui usum corporis à puella eblanditus fuit sub spe & promissione matrimonii, absque defloratæ licentia Religionem ingredi nequit, ob grave præjudicium & injuriam, quam puellæ inferret: ergo nec debitor sine licentia creditoris ob similiter grave præjudicium, quod ipsi inferret.

46. Resp. ad primum, jure naturæ quemlibet debere solvere debita, si sit potens, conc. si adsit moralis impossibilitas, nec ant. & conseq. Revid. confirmatio in *n.* 42. posita. Ad secund. redit ead. responsio: nimirum id, quod est de præcepto moraliter non impossibili, hic & nunc, debere impleri, & rebus, quæ sunt merè de consilio, præferri. Ad tertium dist. rat. minori adjectam: non solvere importat sive infert damnum, *indirectè* & *negativè*, conced. *directè* & *positivè*, nego: neque verum est, quòd non solvere semper sit malum: potest enim solutio aliquando esse moraliter impossibilis ac nimiùm difficilis, ejúsque procuratio cedere in præjudicium boni gravioris altiorisque ordinis, quale in præsenti contingeret, si status Religiosus inter tot salutis quotidiana discrimina, mundanis impendentia, tempore diuturno solutionis procurandæ causâ differri deberet. Eodem modo Resp. ad illud argumentum: qui facit alteri, quod sibi fieri non vellet, contra legem naturalem peccat, scilicet qui facit *positivè*, conced. si solùm *negativè*, propter evitandum longè majus damnum proprium in bonis altioribus, neg. &c. Ad quart. itidem Resp. per furtum & rapinam domino damnum *directè* ac *positivè* inferri, quod nequidem in gravi necessitate, sed solùm in extrema licitum est ex dictis: secus esse in non restituendo, quando nihil est modò in facultatibus, & futura restitutionis procuratio debitori damnum longè gravius inferret, privarétque libertate eligendi statum toto ordine meliorem & altiorem.

47. Neque urgeas: sic ergo secundùm vestrum fundamentum posset debitor graviter obœratus liberari à debito, si pauperibus & languidis in aliquo Xenodochio sua obsequia dicaret, & posthac pia opera exercere statueret, vel orationi vacare: hic autem modus liberandi se à debito videtur apud neminem approbatus. Respondent enim Salmantic. *d. cap.* 1. *num.* 293. hoc minimè esse concedendum: quia ille, qui Xenodochii servitio se mancipat, non se collocat in statu quodam novo & perfectiori, liberóque à sæculi periculis, quorum fuga maximæ hic considerationis est; adeóque non præcisè lucrum spirituale ex piorum operum exercitiô acquirendum.

48. Ad quint. Resp. Theol. Salisb. tam Scholast. quàm Moralis, quòd deflorator Virginis in casu allato defloratam ducere & extra Religionem manere teneatur: quia implicitè & tacitè se obligavit, quòd statum perfectiorem Religionis amplecti nolit: neque enim extra hanc implicitam & generalem promissionem usum corporis à puella impetrâsset. Ille verò, qui debita contraxit, libertati, statum meliorem eligendi, nec tacitè nec expresè renuntiavit. Vid. Salmantic. *cit. cap.* 1. *num.* 294. Obiter hic adnoto, quòd Theologi practici eos, qui obligati sunt ad ratiocinia reddenda, interim pro irregularibus quoad Ordines suscipiendos habeant, donec rationes reddiderint. De quibus mentionem feci in *Tract. de Potestate Ecclesiast. circa irregularitates. num.* 146.

## COROLLARIA QUÆDAM:

### *De Restitutione ob impeditum ingressum Religionis.*

49. PRimum: An teneatur ad aliquam restitutionem, qui aliquem Candidatum vel Novitium ab ingressu in Religionem retrahit? Resp. primò: si retractio contigerit solis precibus aut consiliis, retrahens non peccavit contra justitiam; adeóque nec ad aliquam restitutionem obstrictus est. Neque enim læsit Candidatum in

in suo jure, neque Monasterium, quod ingredi decreverat, aliquod jus suum læsum fuisse queri valet. Teneri verò seductorem ex charitate & æquitate seu decentia, ut retractum hortando ad pristinum propositum reducat, sicque spirituale damnum reparet, docent passim Theologi nostri. Resp. secundo: nec tenetur ad restitutionem ex justitia, qui Religiosum jam Professum, sine dolo, vi, vel fraude à Religione retraxit. Cui enim deberet aliquid restitui? Religioso? non: quia volens exivit. Monasterio? neque. Jus quippe, Monasterio competens in persoam Professi, non est jus strictum ex titulo justitiæ, eo ipso, quia Religioni se mancipat solùm ex voto obedientiæ: adeóque obligatio est solùm Religionis & obedientiæ: Nec alio titulo Monasteriis competit jus in emolumenta, quæ sperari possunt à Professo: quandoquidem Monasteriis jus illud competit intuitu personæ, à qua proveniunt. Resp. tertiò: si vis vel fraus interveniat, tunc propter injuriam strictè dictam, ac injustam damnificationem, datur obligatio, ut seductor fraudem aut vim removeat, seductúmque suæ libertati restituat, ut possit, si velit, ad Religionem redire: ac prætereà, ut seducto omnia damna tam in spiritualibus quàm temporalibus inde eventura resarciat, saltem nisi hæc ab ipso seducto Candidato, Novitio actuali vel Professo retracto reparari possint. Pettsch. *de Restit. pro injur. in Spirit. quæst.* 1. *pag.* 256. Tenetur porrò ejusmodi seductor qui vi vel fraude aliquem Professum à Religione abduxit, Monasterio damna utpotè à se injustè causata, compensare secundùm æstimationem emolumenti temporalis, posthàc Monasterio decedentis. Quòd si damnum reverà nullum fuisset propterea Monasterio illatum, fortè, quia Religiosus ille tantumdem consumpsit, quantum utilitatis suo labore comparavit; aut si alius paris utilitatis absque notabili incommodo in ejus locum substitui potuit, nulla opus est restitutione. Less. hic *l.* 2. *cap.* 8. *num.* 17.

50. Secundum: An qui sine rationabili causa Novitio, Professionem Religiosam emissuro, votum in Capitulo negat, non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam graviter peccet? Peccare contra charitatem, docet Suar. *de Relig. tract.* 3. *l.* 4. *cap.* 4. *num.* 7. Lug. hic *disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 55. & varii *citt.* apud Pettschach. *p.* 262. Ratio est primò, quòd negatio voti quandóque ex sinistro affectu erga Novitium vel ejus propinquos aut amicos, aut ex aliis invidiosis motivis procedere queat. Secundò: quòd Novitium magnô bonô privet tum spirituali suæ vocationis, tum temporali futuræ sustentationis; & econtra sæculi periculis denuò exponat, nil dicendo de præjudicio apud homines, qui in expulso vel defectum naturalem vel moralem suspicantur: in praxi siquidem ex his causis dimissio regulariter contingit.

51. Resp. probabiliter etiam peccari contra justitiam. Lug. apud Pettsch. *cit. pag.* Mezg. Babenstuber &c. Ratio est primò: quòd sine causa legitima dimisso competat facultas reclamandi coram competente Judice: ideóque jus violatum præsupponat: Secundò: quòd Capitulares, quando tractatur de Novitio ad Professionem recipiendo aut dimittendo, gerant Officium Judicum & testium: nisi ergo de Meritis, qualitatibus, & idoneitate Novitii Sententiam ferant, pro ut ipsis dictat vita ejus antè acta, atque coram DEO sentiunt, innocenti per iniquam Sententiam aut testificationem, injuriam gravem & notabile damnum contra justitiam inferunt, tantò magis, quò probabiliùs insuper inter Professos Capitulares & Novitium ab ipsis susceptum tacitus initur contractus, vi cujus ille se subjicit Religionis examini, subit annum probationis, simúlque periculum ejectionis, si notabilis defectus in moribus, vel in naturalibus requisitis se prodat: Capitulares verò, nisi hujusmodi defectus emergant, admissionem ad Sac. Professionem sufficienter probato tacitè adpromittunt. Quod Magnif. P. Pettschacher confirmat paritate desumpta, quando beneficia per concursum conferuntur: tunc enim, qui in examine fuerit inventus ùt dignior præ aliis, ex quasi contractu jus strictum acquirit, vi cujus in beneficii vacantis collatione ex justitia cæteris anteferri debet.

52. Illud dubiô caret, quòd contra justitiam agant, & consequenter ad damni reparationem teneantur, qui de Novitio falsos defectus spargunt, ut inde ab aliis ùt inidoneus æstimetur, & suffragiis Capitularibus privetur. Quod P. Pettschacher à fortiori intellectum vult de iis, quorum Officium est, veritatem testari de Novitio: secus enim testando, obligationi sui Officii contraveniunt. Nec Prælatum, penes quem solum potestas Novitium ad Professionem admittendi resideret, à peccato contra debitum sui Officii excusat, si citra rationabilem causam S. Professionem deneget: tenetur enim subditos suos, quos inter numerantur Novitii, tanquam Judex & Minister impartialis fideliter judicare. Cæterùm ad dimissionem sub causa rationabili non sola gravissima intelligitur, verùm etiam quæcunque gravis, in quantum ex retentione Novitii vel ex aliqua culpa morali ejus, vel defectu physico quoad vires corporales, vel labefactæ sanitatis, Monasterio grave incommodum, onus, aut damnum sive in ordine spirituali sive in temporali immineret.

53. At cur, inquis, Novitius, non obstante quasi-contractu absque violatione justitiæ & restitutionis alicujus obligatione Monasterium deserere potest, etiamsi nulla subsit causa rationabilis, & non similiter potest sic dimitti? Laudati nostri Salisburgenses hanc reddunt disparitatem, quòd vi quasi-contractûs illius probationi solùm se subsubjiciat, Professionis verò futuræ emissionem

nem nullatenus promittat: quia ipsum Jus Canonic. maximè Tridentinum Concilium, libertatem Novitio ad egrediendum nullo modo vult esse præclusam: nec ostendi potest damnum vel nota, quæ Monasterio ex reditu Novitii ad sæculum inuratur. An autem ex levitate egrediens expensas victûs & vestitûs solvere obligetur? Negativè resolvitur, nisi in ingressu speciale pactum adjectum fuerit, aut animo fraudulento, pro lubitu ad sæculum redeundi, intraverit: quo posteriori casu dolosè alimenta ex Monasterio perciperet: igitur deducto valore operæ impensæ, reliquum compensare tenebitur, nisi monasterium compensationem remittat.

54. Tertium: quid sit dicendum, si nocumentum alteri inferatur in bonis animæ naturalibus, vel supernaturalibus? Resp. primò: qui alterum privat usu rationis v. g. maleficiô, philtrô &c. peccat contra justitiam: infert enim læsionem in bonis animæ, quorum homo jus rigorosum habet: hinc tenetur ejusmodi maleficia, potiones damniferas, si adhuc durent, amovere, & damna, quæ possunt resarciri, reparare mediis licitis. Idem est, si quis alienum intellectum errore aliquo decipiat, tenetur ipsum errorem conceptum dedocere; præsertim Magister tradens (contra obligationem sui Officii) falsa principia, Sententias improbabiles &c. Nam in errorem inducere est intellectui malum inferre contra jus alterius, quod habet, ne hoc malum ipsi inferatur. Pettsch. *pag.* 248. *cum citt.* advertens, in errorem contra veram fidem, saltem circa præcipua mysteria, esse mortale contra justitiam: cùm sit malum grave. Similiter contra justitiam peccat, qui vi vel fraude aliquem à litterarum studio impedit. Adnotant autem Mezg. & alii (extra materiam fidei) inducere in errorem solùm speculativum, vel non notabilem, non censeri gravem injuriam, esséque rariùs peccatum mortale. Si error, in quem culpabiliter alterum inducis, sit practicus, teneris illum revocare, & damna inde secuta resarcire: præterea etiam ille, qui ex officio veritatem docere obstringebatur, non satisfacit pro injuria errorem tantùm revocando, sed veritatem insuper docere debet. Resp. secundò: qui per vim vel fraudem alterum in peccatum mortiferum inducit, ex justitia tenetur procurare media, quibus peccator seductus gratiam sanctificantem cæteráque dona supernaturalia & virtutes cum gratia connexas recuperet. Talis quippe seductor est causa injusta gravis damni: secus dicendum, si inductio in mortale fuerit sine vi, vel fraude, solis precibus vel blanditiis procurata. Resp. tertiò: Esto vi vel fraude inducere alium in peccatum veniale, ordinariò & regulariter loquendo, non importet gravem injuriam; ideóque fines peccati venialis non excedat: quandóque tamen respectivè ad personam in venialia seductam, si hæc sit in gradu perfectionis & sanctitatis excellenti constituta, & proptereà notabiliter de statu suo cadat, seductor in venialia graviter etiam contra justitiam peccat: quia talis persona propter vim vel fraudem sibi illatam haud immeritò est rationabiliter invita. Mezger *disp.* 63. *art.* 1. *à num.* 7. & Babenstub. hic *disp.* 5. *art.* 1. *à num.* 11. inferentes duo notabilia, quorum primum est, eos, qui pueros innocentes, vel integræ vitæ adolescentes dolosè ad levia aut turpia colloquia inducunt, causam sibi de peccato mortali timendi habere, propter grave damnum, quod huic ætati exinde evenire potest. Alterum est, quòd Superiores Regularium à mortali non sint excusandi, qui nimiùm connivendo transgressionibus venialibus vel neglectui observantiarum Regularium, etiam sub nullo cæteroquin peccato obligantium, causam præbent laxandæ Disciplinæ. De Regularibus egi in *Lib. III. Decretal. in tit. proprio.*

# QUÆSTIO QUINTA.

## *Detúrne obligatio restituendi id, quod ex contractu, sub conditione operis turpis inito, acceptum fuit?*

55. UT pro Theologis generalia quædam de pactis & contractibus materiæ de Restitutione inserantur, prælibandum est, quòd *Pactum* sit duorum pluriúmve in idem placitum consensus de aliquo præstando, vel non faciendo. Præter divisionem pacti in *expressum*, quod consensum expressum litteris, nutibus aut verbis involvit: & *tacitum*, quod vel est præsumptum, aut facto declaratum, aut legis dispositione inductum, apud Legistas illa celebrior est divisio in pactum *nudum* & *vestitum*. *Nudum* nullam de jure civili producit actionem sive jus persequendi in judicio id, quod alicui ex pacto debetur, consistítque in nudis placiti terminis absque aliqua verborum solennitate, olim apud Romanos in stipulationibus usitata, & sine nomine speciali & causa. *Vestitum* de jure actionem parit: & dicuntur pacta vestiri vel primò per specialem legem, quæ ex quibusdam pactis actionem concedit, uti patet in pacto donationis, vi cujus donatarius ante traditionem pro acquirenda re donata agere valet: *l. si quis* 35. *§. fin. Cod. de Donat.* Similiter in pacto dotis promissario, *l.* 6. *Cod. de dot. promiss.* dicuntur ista pacta *legitima*: vel secundò vestiuntur per adjectionem ad contractum in continenti: & tunc censentur Contractibus inesse, communémque cum illo contractu participare actionem: tale est pactum addictionis in diem, quòd adjicitur immediatè ad emptionem ven-

venditionem, ut si quis intra certum tempus majus pretium offerat, res sit inempta. Deinde pactum dividitur in pactum in specie, & in contractum.

56. Est autem Contractus conventio speciale habens nomen, vel eo deficiente causam. Per speciale nomen intelligitur illud, quod de negotiis solo numero differentibus prædicatur, ex. gr. emptio venditio de hac & illa, scripta, & non scripta &c. Et talis contractus vocatur *nominatus*: qui verò nomen solum genericum habet, de pluribus negotiis specie differentibus prædicabile, vocatur contractus *innominatus*, de cujus essentia est, ut saltem habeat *causam*, per hanc intelligendo aliquam dationem aut factum: Ejusmodi innominatus contractus est permutatio, quæ ita in propria specie de singulis permutationibus prædicatur, ut simul etiam de specie differentibus sit prædicabilis tanquam nomen genericum: nam & in emtione venditione datur mutatio pretii pro merce, & in locatione conductione datur permutatio mercedis pro operis, vel pecuniæ pro usu vel fructibus. Ex quo duplici notamine scil. nominis specifici in Contractu *nominato*, & *causæ* in contractu *innominato*, utérque differt à pacto, quod nec nomen habet, nec dationem. Ex. gr. placuit inter me & te permutare nostros libros: hactenus pacto obligamur: quamprimùm tu tuos mihi desti, jam intervenit datio, & ex pacto fit contractus innominatus, ut sim tibi obligatus, ad vicissim tradendos meos libros: quod si morosè negligam, potes tuos libros per conditionem repetere. Contractibus innominatis accensentur contractus do ut des, facio ut des, facio ut facias, do ut facias.

57. Divisio ulterior est in contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*. Prior aut supponit pactum bilaterale, aut obligationem bilateralem actualem: habétque Judex ibi lationem interpretandi facultatem, ut in locatione conductione &c. posterior est, in quo resultat obligatio solùm unilateralis, uti in mutuo &c. & Judicis potestas ad terminos conventionis, absque latiori interpretationis facultate, manet restricta.

58. Notabilis adhuc restat contractûs divisio in *consensualem*, *realem*, *verbalem*, & *scriptum*. Omnes contractus veri consensum verum, ac sufficienter deliberatum essentialiter exposcunt, in eóque à quasi-contractibus discernuntur, quòd isti consensum solùm præsumptum, & à jure fictum involvant, veluti patet in quasi contractu negotiorum gestorum. Sunt autem quatuor speciales in jure contractus veri, qui solo consensu utriusque contrahentis ante traditionem rei in contractum deductæ, in sua essentia perficiuntur: indéque dicuntur *consensuales* scil. emptio venditio, locatio conductio, mandatum, & societas: quibus meritò additur contractus feudalis, emphyteuticarius, & sponsalitius. Alii quatenus contractus veri sunt *reales*, qui præter consensum reciprocum etiam rei traditionem & acceptationem ad substantialem perfectionem requirunt: nempe commodatum, depositum, mutuum, & pignus. Contractus verbalis & stricti juris est stipulatio, tum principalis, tum accessoria, quæ fidejussio vocatur, olim apud Romanos in pretio habita, quæ præcedente verbali interrogatione & in continenti subsequente congrua responsione perficitur. Ista verborum cæremonialia in hoc contractu unilaterali, hodie vix ampliùs in usu sunt. Contractus *literalis* seu *chirographarius* est ille, qui ante literarum confectionem suam perfectionem substantialem non habet: definitur, quòd sit contractus, constans literis, nominatus, unilateralis, & stricti juris, quo quis promittit, se pecuniam, quam spe numerationis faciendæ in chirographo se fatetur accepisse, soluturum. Hîs prænotatîs,

59. Resolutio statuitur negativè. Prob. & explicatur. Cajus Titiæ promisit certam pecuniam pro usu corporis: Titia consentiente contra Divino-naturale Decalogi præceptum, opus turpe peractum fuit. Acceptam pecuniam nemini tenetur restituere. Similis casus est, si Sicario promiseris & dederis, ut necaret tuum inimicum, vel malefico, aut veneficæ, ut per maleficium vel incantationem alteri noceret. Ratio fundamentalis est, quod Cajus opere turpi secuto, Titiæ teneatur implere rem promissam: Ergo si Titia eam acceperit, cessat obligatio restituendi. Conseq. est perspicua: qua ratione enim Titia Cajo restituere teneatur id, quod ipse Titiæ debet? Ant. prob. ex eo, quòd opere turpi expleto, nulla appareat turpitudo in solutione pecuniæ promissæ, licet ipsa promissio ante opus peractum fuerit turpis, illicita, & irrita. Petitur etiam disparitas, cur is, qui ad obtinendum usum corporis puellæ matrimonium spopondit, opere secuto, eam ducere ac promissionem implere teneatur, & non pariter ille, qui pecuniam certam promiserat?

60. Confirmatur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Et in 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæst.* 2. ibi: *Si autem lex prohibuit actum, ex quo lucratur, sed non lucrum, supposito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit: tamen retinendo non facit contra legem, sicut cùm quis de lenocinio vel meretricio lucratur; & ideò hæc retinere possunt.* Reclamas primò: Quodcunque promissorium pactum, quod fit ob rem seu causam turpem, cùm provocet ad malum, tam jure positivo quàm naturæ est irritum, tametsi juramento firmetur: nam temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur: sicut ait D. Augustin. *Serm.* 10. *in novis Sermonibus* de juramento Herodis, quod fecerat puellæ saltanti. Secundò: Titia, quæ, acceptô pretiosô, usum corporis non præbuit, vel in tali concessione impedita fuit, Cajo pretium restituere tenetur: ergo etiam, si usum corporis præbuit: alioquin post peccatum actuale externum opere completum

esset

esset melioris conditionis meritique majoris, quàm antea; & ex delicto commodum reportaret. Tertiò: Peccatum propter suam vilitatem nequit esse aliquid pretio æstimabile. Ergo, quod illius intuitu datum fuit, est obnoxium restitutioni. Quartò: Sequeretur, datum Judici, ut ferat injustam Sententiam, vel testi, ut falsum testimonium perhibeat, posse ab ipsis justè retineri: cur enim potiùs jus adstruamus turpi prostibulo, quàm iniquo Judici vel testi? Atqui sequela nequit admitti: Prob. Quod Judex accepit, ut veram proferat Sententiam, vel testis, ut verum dicat testimonium, pertinet ad restitutionem: ergo multò magis, quod ob iniquam Sententiam, vel falsum testimonium acceptum fuit. Quintò: Secundùm SS. Can. & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 2. lucrum temporale ex Simoniaca pactione circa beneficia & alias res spirituales acceptum debet restitui, quia non potest fieri accipientis, & hoc ideò, quia tam datio quàm acceptio est contra legem. Idem dixero in nostro casu.

61. Resp. ad primum: jus petendi vel retinendi acceptum ex turpi opere non fundari in pacto turpi, sed in contractu innominato, qui tum primùm consurgit, quando opus jam peractum fuit, & una pars promissum jam implevit: tunc enim etiam altera pars implere tenetur, quando implementum non est peccaminosum, nihilque illicitum apparet, si Cajus pretium condictum solvat; cum solutio ad peccatum non invitet. Huc spectat *l. idem ob stuprum.* 4. *§.* 3. *ff. de condict. ob turp. caus.* ibi: *Meretrix turpiter facit, quòd sit meretrix, non autem turpiter accipit, cùm sit meretrix.* Ex quo Resp. ad secundum negando conseq. quia usus corporis actu concessus tanquam opus onerosum in gratiam alterius indebitè exhibitus, & implementum non jam pacti, quod omni jure nullum erat, sed contractûs innominati est illa causa seu titulus pretium acceptum retinendi, aut nondum acceptum exigendi. Turpitudo ergo & ipsa malitia peccati non est quid vendibile, pretióve æstimabile: ratione tamen consensûs (ùt loquuntur Salmanticens. *cit. cap.* 1. *Punct.* 6. *num.* 157.) illius, qui operas in usu corporis locat, rationeque voluptatis, quam conductor flagitiosus intendit, peccata possunt mercede & pretio redimi, & aliqualiter compensari. Hinc responsum jam est ad tertium. Ad quart neg. min. ad prob. conc. ant. neg. conseq. Quia in primo casu deficit titulus accipiendi vel retinendi: nam Judex Sententiam justam aliunde, scil. ex justitia & vi officii proferre tenetur: testis quoque ex jure naturali & positivo veritatem dicere; sicque damnum ex iniquo testimonio in alium dimanaturum avertere. Occisio autem inimici, quam patrat Sicarius ab alio conductus, vel usus corporis ad oblectamentum carnale, minimè sunt aliquid debitum aliunde ex justitia. Ad quint. Resp. jure positivo Canonico dona Simoniaca esse specialiter reprobata, ut accipientis non fiant. Colligitur ex *cap.* 11. 41. & aliis *de Simonia.* Nec tamen accepta danti sunt restituenda post Sententiam; sed in pœnam criminis sunt in pios usus eroganda. Ante Sententiam verò debent restitui ipsi danti: quia accipiens nullo titulo fulciebatur.

62. Dubium restat, an, extra materiam justitiæ, acceptum pro opere bono vel illius omissione debita ex alia virtute, restitui debeat, ex. gr. si quis pecuniam ab altero acceperit, ut in die festo sacrum audiat, ad quod audiendum & non omittendum obligat præceptum & virtus Religionis. Variæ variorum hac in re sunt distinctiones & assertiones. Magnif. P. Pettschach. *de Restit. quæst.* 1. *pag.* 148. cum Lug. hic *disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 67. Serra *quæst.* 62. *art.* 5. *disp.* 3. Tamburino & aliis absolutè negat, acceptum danti restitui debere: Cur enim vel ex re accepta vel ex injusta acceptione tenearis illi restituere, qui aliquid voluntariè, & citra omnem præviam injuriam sibi illatam, tibi dedit aut donavit? Certè extra materiam & objectum justitiæ non nascitur restitutionis obligatio, etiamsi opus aliunde sit debitum v. gr. ex charitate; veluti patet exemplo Medici & Advocati, qui pauperi extremè indigenti succurrere & patrocinari tenentur ex charitate; & tamen, si officium illud præstent acceptô pretiô, fortè ab alio ipsis propterea dato, ad restituendum non censentur esse obligati. Vid. Pettschach. *loc. cit.* dissentit aliquo modo Mezger *disp.* 32. *artic.* 5. *§.* 2. *num.* 9.

## QUÆSTIO SEXTA.

### *An sine læsione justitiæ in Contractu innominato liceat pœnitere, & datum repetere?*

63. RESolutio est affirmativa quòd primò implenti liceat pœnitere, spectato saltem Jure Romano. Prob. ex *l.* 5. *pr. ff. de condict. caus. datâ, caus. non secutâ,* ibi: *Sed cùm liceat pœnitere ei, qui dedit, procul dubio repetitur id, quod datum est &c.* Ex. gr. convênit inter nos pactô nudô, ut permutemus nostros Codices. Ego dedi meum tibi: at tu non vicissim: parvâ morâ interpositâ, possum meum Codicem repetere per condictionem causâ datâ, causâ non secutâ: quia meum dando Codicem non id feci vel intendi, ut me alteri obligarem, sed ut alter mihi obligaretur ad dandum suum Codicem: aut saltem non censeor me voluisse irrevocabiliter obligare, nisi etiam alter ex sua parte contractum mox impleat. Sed contra

64. Repones primò: hoc nihil singulare esse in contractibus innominatis: quia etiam in contractibus nominatis pœnitentiæ locus est: uti patet in contractu cistæ à me apud te depositæ: nunquid statim pœnitere possum, & cistam revocare? Sic & mandatum pro libitu revocare possum. Resp. concedendo, etiam in contractibus nominatis pœnitentiæ & revocationi locum esse, quotiescunque alterius nihil interest: negando, quando alterius contrahentis interest, ne fiat revocatio: prout rectè probatur in allatis exemplis: Contrarium est v. gr. in emptione venditione: non enim concedunt jura, ut si ego pretium jam numeraverim pro re vendita, possim pretium condicere seu repetere, antequàm venditor rem venditam tradiderit. At in contractibus innominatis quod datum fuit, potest per pœnitentiam repeti, etiamsi alterius contrahentis intersit, ne revocetur.

65. Repones secundò: Contractus *facio ut des*, est innominatus, & tamen, si factum positum fuerit, non datur locus pœnitentiæ: ergo Resol. non subsistit. Resp. neg. conf. Pœnitentiæ locus est in contractibus innominatis, ubi ab una parte jam aliquid datum fuit: non item, ubi *factum simplex* positum fuit, v. gr. si iveris Monachium, ut tibi dentur sex floreni: factum enim infectum fieri nequit; bene autem datum repeti valet.

66. Repones tertiò: Hodie non minùs apud Germanos ex pacto nudo competit actio, dicta aliàs *condictio ex moribus Germanorum*, quàm si contractum præcessisset strictè dicta stipulatio cum adhibitione verborum solennium: adeoque pactum nudum præcedens contractum innominatum æquipollet stipulationi: atqui, ubi præcessisset stipulatio, cessaret jus pœnitendi & datum revocandi: ergo etiam hodie cessat de moribus & usu forensi Germanorum. Resp. quosdam defendere, ex hoc discursu formato hodie jus pœnitendi cessare: hinc adjunxi in conclusione: saltem de Jure Romano. Nihilominùs existimo, etiam hodie jus pœnitendi non ubique abrogatum esse: neque ex eo, quòd actio ex moribus hodie *in pactis nudis* recepta sit, necessariò connexum dixeris, facultatem pœnitendi in Contractibus innominatis abruptam vel sublatam esse. Confer Illustr. D. Franciscum Josephum Herz, meum quondam in Jure Collegam Colendissimum *Tractat. de fide Pacta. cap. 3. §. 3. per tot.*

## QUÆSTIO SEPTIMA.

### *An teneatur damnum compensare, qui in communi periculo v. gr. incendii res proprias præ alienis, commodatis, depositis &c. salvavit?*

67. SUpponitur, non potuisse salvari res tam alienas, quàm proprias. Quòd si res tuas omnes in tuto collocâsses, & alienas neglexisses, in foro externo præsumeris dolosè versatus esse, & ad damni compensationem compelleris. *l. quod Nerva ff. de pos. cap. bona fides. eod. tit. l. 5. §. 4. ff. commod.*

68. Commodatum est contractus realis (quia perficitur traditione rei) nominatus, bilateralis, ac bonæ fidei, quo res ad usum certum gratuitò conceditur ea lege, ut usu finito eadem in individuo (Juristæ dicunt *in specie*) restituatur. Dicitur primò: ad *usum*: igitur non etiam ad abusum & consumptionem: per quod differt à mutuo, in quo res fungibiles traduntur non tantùm ad usum, sed etiam ad abusum, seu consumptionem cum translatione dominii in mutuatarium. Et quia res fungibiles, ut sunt pecunia, farina, vinum &c. in usum non veniunt salvâ earum substantiâ, aliter objectum commodati esse nequeunt, nisi ùt commodatarius eas habeat pompæ, ostentationis, & *dicis gratiâ*. De reliquo res immobiles æquè ac mobiles, incorporalesque non minùs ac corporales, propriæ & alienæ, sacræ & profanæ in contractum commodati venire possunt. Dicitur secundò: *certum*: quò innuitur tum modi tum temporis determinatio vel explicita vel implicita: si enim usus foret incertus, commodatum in precarium deflecteret. Dicitur tertiò: *gratuitò*: quia, si pro usu merces exigatur, non commodatum, sed locatio conductio est. Ex eo tamen, quòd commodanti aliquid per modum honorarii detur, natura contractûs non mutatur.

69. Quantum ad culpam, *jure Civili in* commodato, respiciente utilitatem solius comodatarii, præstatur non tantùm dolus verus tanquam culpa latissima, & latior tanquam dolus præsumptus, & lata, quæ est omissio diligentiæ communis, sed etiam levis & levissima: lata & levis, si utriusque utilitatem respiciat: v. g. si mihi commodâsti libros, ut in nostrum commodum commune responsum Theologicum vel Juridicum conficiatur: si solius commodantis, v.g. ut pro commodante ejusmodi responsum conficiam, solùm culpa lata & dolus præstari debet. Isti gradus culpæ concernunt potissimùm culpam Juridicam, à Theologica separabilem, veluti pluribus de hac materia infra *de Culpa Theologica & Juridica* ostendam.

70. Depositum formaliter acceptum, est contractus realis, nominatus, bonæ fidei, quo res gratis custodienda traditur & recipitur. Objectum ejus sub se comprehendit non solùm res proprias deponentis, verùm etiam alienas, corporales, & incorporales, imò etiam res immobiles in veriori Sententia: quid enim impediat, quo minùs res immo-

immobiles alienæ curæ, fidei, & custodiæ commendentur, hacque ratione deponantur? Regulariter in isto contractu præstatur culpa lata: cùm depositarius, tanquam principaliter obligatus, ordinariò nihil commodi exinde habeat, sed merum onus. Quid sit pignus, in *tract.* 1. circa finem, explicatum fuit.

71. Resolut. prima: Quando res alicujus propriæ sunt pretiosiores, aut æquè pretiosæ ac alienæ, derelictio & interitus rei alienæ commodatarium, depositarium, vel creditorem pignoratitium nullat. ad damni compensationem gravat saltem pro foro interno, & ante Sententiam Judicis. Card. Lugo hîc *disp.* 8. *sect.* 10. *num.* 129. & Tamburinus, quos sequitur Pettschach. *de Rest. quæst.* 3. *art.* 5. *pag.* 204. Rationem assignant, quòd nemo res alienas sumptibus extraordinariis conservare teneatur, nec quovis contractu ad hoc onus se obstringere præsumatur, sed solùm expensis ordinariis & communibus.

72. Dices primò, commodatarium, vel depositarium teneri sumptus extraordinarios facere in res alienas, quando adest spes de sumptibus illis refundendis. Atqui potest talis spes adesse. Ergo &c. Resp. min. esse valde ambiguam: quia spes illa recuperandi sumptus prudenter haberi nequit, nisi domini negotium utiliter geratur: at hoc prudenter & utiliter non censeretur gestum, si dominus, propter liberationem rerum suarum, totum pretium rerum ad commodatarium, vel depositarium pertinentium, ac incendio vel tempestate consumptarum, refundere deberet: supponitur enim, istas res fuisse pretiosiores vel æquè pretiosas, ac erant illæ commodatæ, aut depositæ.

73. Dices secundò, commodatarium vi contractûs ad majorem in re aliena teneri diligentiam, quàm in re propria. Ergo res commodatæ potiùs sunt salvandæ, quàm propriæ. Resp. primò: ant. non esse verum loquendo de foro interno, & ante Sententiam; vel prout gradus culpæ juridicæ à legibus distributi sunt usu recepti. Resp. secundò, neg. conseq. & suppositum, quòd commodatarius pro casibus fortuitis cum præjudicio & jactura rerum propriarum ad singularem aliquam diligentiam & majorem sese obstringere voluerit. Interim adnotat Pettschach. quòd res alienæ pretiosiores debeant præ propriis liberari à ruina, si liberans sumptuum refusionem pro rebus propriis amissis sperare possit. Verùm, ex primùm data nostra ratione hæc obligatio ex vi contractûs, vel debito justitiæ vix deduci poterit.

74. Resolut. secunda: Quando ex liberatione rerum alienarum ùtùt magis pretiosarum, quàm sint tuæ, notabile damnum timeres, quia moraliter certus non es de recuperatione pretii, alienas propriis præferre non teneris. Sequitur ex dictis: eò quòd nemo cum tanto suo præjudicio ac detrimento, aut probabili illius periculo tam strictè obligari velle præsumatur. Nunc aliquid dicemus de usuris.

# QUÆSTIO OCTAVA.

## *An usuræ meræ lucratoriæ, vi Mutui perceptæ, sint restitutioni obnoxiæ?*

75. USura (de qua cum Canonistis in *Lib. V. Decretalium ad tit.* 3. *de Usuris* latiùs ago) formaliter accepta, seu pro conventione, est pactio, quâ ultra sortem principalem, lucri gratiâ aliquid ex mutuo percipitur: objectivè spectata denotat ipsum lucrum, seu emolumentum. Unde non quæritur hîc de usura *punitoria*: quando in pœnam moræ, in solutione commissæ; aliquid ultra sortem principalem prætenditur; nec de *compensatoria* lucri cessantis, aut damni emergentis ex carentia pecuniæ alteri mutuo datæ; vel ratione periculi sortis, aliόve titulo extrinseco: nec de contractu censuali, à mutui contractu distincto, sed de usura merè lucratoria, vi mutui prætensâ, & perceptâ. Est autem mutuum contractus realis, quo res pondere, numero, mensuráve constantes in alterum transferuntur, in eodem genere, quantitate & qualitate restituendæ. Sit jam

76. Resolutio: probabilius est, tale lucrum usurarium esse restitutioni obnoxium. Prob. tum de jure positivo Divino ex *cap.* 4. *de Usur.* ibi: *Cùm usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc aliquam dispensationem posse fieri non videmus &c.* Hinc illud Christi Domini *Luc.* 6. Mutuum date, *nibil inde sperantes:* ubi mutui datio commendatur ùt res consilii; *nibil inde sperantes*, proponitur ùt præceptum, sicuti exponit D. Thom. *loc. mox citando art.* 1. *ad* 4. Nec aliter declaravit Concil. Lateran. sub Leone X. *Sess.* 10. ibi: *Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem principalem sperare debeamus.* Cæterùm mutuum sub præcepto dare tenemur iisdem planè in casibus, in quibus incumbit obligatio dandi eleemosynas: de quo in *sequent. Tract.* agetur. Tum de jure naturali: Quia Translatio Dòminii centum aureorum non valet nisi centum aureos jure naturæ, & spectata contractûs æquitate, atque æqualitate: usus verò *juris* & propriè dictus (aliud dixi de *usu facti* in *tract.* 1. *à n.* 123.) sive potiùs jus utendi pecuniis traditis (vel alia re fungibili, quales sunt vinum, oleum, triticum &c.) est aliquid indistinctum à dominio pecuniarum: Ergo si tu, mutuum dans, ultra centum restitutos post annum petas à mutuatario aliquod actuarium v. gr. 5. 6. aut plures florenos, non servatur æquitas & æqualitas inter datum & acceptum: ergo læditur justitia commutativa, & resultat obligatio restituendi illum excessum usurarium.

77. *Accipere usuram* (verba sunt. D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *in Corp.*) *pro pecunia* mu-

*mutuata est secundùm se injustum; quia venditur id, quod non est. Ad cujus evidentiam sciendum est, quòd quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei à reipsa, sed cuicunque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res. Et propterea in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & vellet seorsum vendere usum vini, venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non est; unde manifestè per injustitiam peccaret . . . Pecunia autem principaliter est inventa ad commutationes faciendas, & ita proprius & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, seu distractio secundùm quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundùm se est illicitum, pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura.*

78. Obloquêris primò, hoc jus naturale prohibitivum non esse absolutum, sed conditionatum, id est, non licere aliquid ultra sortem principale admittere, nisi à Legislatore Civili ratione boni publici (cujus interest, debitores egenos invenire in necessitate mutuum dantes) aliquod lucrum moderatum approbatum fuerit. Auctoritate autem Legislativa in Recessu Spirensi de Anno 1600. §. 139. & Ratisbonensi de Anno 1654. §. 174. quinque pro centum concessa fuisse. Secundò: nunquid in commodum alterius suis carere pecuniis (quarum usus cum dominio in mutuatarium transfertur) est quid pretio æstimabile? Igitur erit titulus legitimus accipiendi peculiarem compensationem. Tertiò: Majoris æstimationis est pecunia præsens quàm futura: illa enim quotidianis servit necessitatibus, secus ista. Quartò: Idem est, utrum ineam contractum mutui cum Titio, stipulatione adjecta, ut quot annis interesse loco, seu usurarum consuetarum nomine solvat quinque vel sex florenos pro centum ac si emam censum annuum, ut vi contractûs censualis Titius quot annis totidem scil. quinque pro centum solvere obligatus existat. Atqui iste contractus censualis cum lucro superaddito est omni jure, & præsertim consuetudine Germaniæ permissus. Ergo non minùs contractus Mutui sub usuris quincuncibus. At his argumentis non moveor: Sed

79. Ad primum Resp. negando, sub potestate legislatoris humani esse, ut nummus tanquam res sterilis pariat nummum: item ut non sit iniquum, quando inter datum & restituendum deficit æqualitas: nihil dicendo, quòd emunctio debitorum per tot usuras eos in majorem & majorem egestatem conjiciat. Quantum ad consuetudinem Germaniæ, percipiendi quinque vel sex pro centum, id aliter non intelligendum est, quàm ex suppositione damni emergentis, aut lucri cessantis, aut ratione moræ, vel periculi sortis, qui tituli sunt extraordinarii. Ad secundum Resp. mutui dationi, quæ debet esse actus benevolentiæ, esse quid intrinsecum, ut mutuatario aliquod congruum spatium à restitutione liberum sit concessum. Semel ergo liberè concessâ pecuniâ mutuâ, carentia illius ex parte creditoris nequit dici aliquid pretio æstimabile, quod singulariter compensari debeat. Ad tert. Resp. distinguendo: majoris æstimationis est præsens pecunia, quàm futura, loquendo de pecunia necessaria & reposita pro indigentiis quotidianis, vel de pecunia negotiationi destinata: Transf. loquendo de pecunia superflua, otiosè in cistis jacente, seu non necessaria, sic negatur. Creditor perpendat, pecuniam in arca domi reconditam nullum ex se fructum afferre, ac prætereà furtis, incendiis, aliisque fortuitis casibus obnoxiam esse: quando econtra (sub accepto pignore) in mutuum datur, periculum interitûs transfertur in mutuatarium, quæ periculi translatio est etiam consideranda.

80. Ejusmodi argumenta concidunt, si per instantiam de vino, oleo &c. refellantur. Nunquid enim etiam majoris æstimationis dici posset vinum præsens, quàm futurum vi mutui restituendum? Potéstne ex hoc titulo fucato vinum sub mutuo dans, à mutuatario, qui tempore debito aliud simile vinum in eadem quantitate & qualitate restituit, aliquid supra exigere? Quis hoc defendat? Quidquid autem hisce ratiunculis extorquere putent Adversarii, ipsis objicitur contemplanda duplex propositio damnata ab Innoc. XI. prima: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit, quàm numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Altera ab Alexandro VII. *licitum est mutuanti, aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

81. Ad ult. ratione contractûs Censualis advertendum est primò, censum hic non sumi pro publicis præstationibus, in signum subjectionis faciendis: sed pro reditu aliquo, qui vel ex re, vel industria aliena percipitur. Igitur ex contractu censuali resultat aliquod jus percipiendi reditum, v. gr. certos fructus naturales mixtósve ex prædio alieno; & tunc census est *realis*, utpote fundatus super re certa frugifera, illique rei, ad quemcunque possessorem devenerit, passivè inhærens: vel civiles fructus, ex certæ personæ, à qua census personalis fuit emptus, industria aut negotiatione provenientes. Advertendum secundò, in contractu censuali veram reperiri emptionem & venditionem, non fructuum sive realium, sive civilium seu industrialium, sed ipsius tituli & juris percipiendi fructus annuos: illeque, qui ex. gr. centum florenos dat, vocatur Censualista & emptor, alter verò, qui quinque annuatim solvere tenetur vocatur Censuarius & venditor: vendit enim Censualistæ jus percipiendi ex re vel industria personali sua partem fructuum. Quare nihil hic vi mutui accipitur. Hinc Resp. negand. paritat. inter contractum mutui, & resultantem ibi pravitatem usurariam, & inter contractum Censualem. Imò Carolus V. An. 1545. in Comitiis Augustanis Autho-

Authoritate publica pro emendo Censu personali taxavit pretium centum florenorum, ut pro illo possit jus, percipiendi annuos quinque, emi tanquam merx. Neque obstat, quòd post 20. annos, si singulis annis fuerint percepti quinque floreni, Capitale centum florenorum jam sit compensatum: tum quia reditus illi annui non debent ad pretium comparari ùt collectivè sumpti, sed ùt debentur & præstantur successivè: in qua posteriori consideratione non sunt tanti valoris, quanti sunt in priori collectiva acceptione: tum quòd, ùt anteà dictum fuit, non emantur fructus, vel præstationes pecuniariæ, sed jus exigendi & percipiendi eas. Quæ omnia in usufructu retorqueri possunt: nam & usufructuarius emit jus percipiendi fructus annuos, qui intra viginti annos Capitale 100. florenorum absumere & æquare possunt, non verò censetur ipsos fructus emere.

82. Pro justitia contractûs Censualis Theol. Salisburg. *tract.* 13. *disp.* 43. *art.* 2. *num.* 10. allegat generalem praxin personarum tum Clericalium tum Laicalium in integris Provinciis, non solùm, inquit, tolerantibûs, sed etiam approbantibûs virîs piîs & doctîs: summisque tribunalibûs: testatúrque Layman, sine maximo negotiationum & commerciorum detrimento tolli non posse. Hócque ita Authoritate publica & vigore Dominii Alti concedi seu introduci potuisse, argumentum ducitur ab usucapione integra dominia in præscribentes transferente: & putant Tanner. Haunold. & alii, usum communem & consuetudinem Provinciarum censûs annui perceptionem in quinque pro centum constanter practicantium, titulum esse sufficientem, ad depellendos scrupulos, circa subtilitatem dicti contractûs occurrentes.

83. Nota verò, hunc contractum Censualem ex cupiditate & malitia contrahentium per quarundam conditionum appositionem facilè ita vitiari posse, ut reddatur usurarius, & injustus: v. gr. si pactum adjiciatur, ut Censuarius sive venditor juris Censualis ab obligatione pensionum ad certum tempus se liberare possit, hoc verò elapso, non ampliùs. De cætero contractus censualis maximè etiam in eo differt à mutuo, quòd in hoc periculum sortis seu Capitalis transeat in mutuatarium, adeò, ut pecuniâ per infortunium aut quomodocunque peremptâ, damnum sit mutuatarii, nihilominùs ad solutionem obligati: periculum verò in emptione censûs transferatur in Censualistam seu in emptorem: nam si res fructifera, super quâ census realis fundabatur, pereat, cessant pensiones: nec tamen Censualista potest pretium repetere: ita enim constituta est natura emptionis venditionis, ut post ejus perfectam celebrationem periculum totaliter in emptorem transferatur: Similiter, si aliquo anno ob sterilitatem, aut tempestatis intemperiem res censualis fructus pauciores, quàm qui pensionem debitam æquent, ferat, Censuarius seu debitor non obligatur ad solvendam totam pensionem, nisi sterilitas illa annorum anteriorum aut sequentium ubertate compensetur.

84. Sic etiam in censu personali, super personæ industria, opera, seu negotiatione fundato, periculum transit in emptorem, creditorem, seu Censualistam; quia si contingat, personam nihil ampliùs suâ industriâ lucrari posse, exspirat jus petendi quinque pro centum, & repetendi pretium. Vid. Wigandt in *Tribunal. tract.* 9. *Exam.* 8. *à num.* 70. ubi probabilius ipsi videtur, nec Censum ex parte emptoris redimibilem (ex parte venditoris redimibilitas non est suspecta de intentione usuraria) esse illicitum: maximè quòd secundùm consuetudinem Germaniæ & Galliæ tale pactum pro licito habeatur, & consequenter contractus hoc modo vestitus interpretationem suæ justitiæ desumat.

85. Quando autem objicitur Bulla Pii V. quæ incip. *Cùm onus*, & prohibet redimibilitatem censûs ex parte emptoris, ut periculum usurarium removeatur, Resp. Laym. apud Mezger, eam apud Ultramontanos neque promulgatam neque usu receptam esse, veluti quotidiana testatur experientia.

86. Si quis pro usuris ex mutuo percipiendis urgeat, tutores à Judicibus condemnari, quando pupillorum pecunias passi sunt esse sine fructu, nullúmque ex illis interesse exigere studuerunt: licitum proinde fore aliquod lucrum usurarum vi mutui: Resp. Illustriss. Episcopus Franciscus Genettus *Theol. Moral. tom.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 9. Tutores illis pecuniis (si fuerint in manibus illorum) teneri uti ad emendum fundum frugiferum, aut ad contrahendam cum Mercatore societatem, & hujusmodi: qua ratione damnum proprium vitabunt, utilitérque res pupillares administrabunt. Cùm autem isti modi utendi pecuniis pupillaribus non raró periculis expositi sint, consulit ille tutoribus (ad se in talibus casibus indemnes servandos, atque securos in tribunali externo) ut supplicem libellum Judici porrigant, & quod ejus authoritate circa collocationem pecuniæ pupillaris dernitur, exequantur. Laudatus Genettus usurarium interesse nec viduis ùt licitum concedit ex pecuniis dotalibus in mutuum alteri datis, dicente Innocentio IV. in *cap. salubriter. de usur. Si mulier habet pignora dotis suæ post mortem mariti, debet fructus illos in sortem computare.* Neque nobilibus interesse usurarium tanquam licitum adstruit: quia jus naturale & Divinum inter statum nobilem & ignobilem non distinguit, licet illi commerciis attendere non possint. Rationem horum adducit ex S. Thom. *Opusc.* 73. *cap.* 6. sic docente: *Regula generalis apud omnes Doctores, & firma esse debet, quòd nulla conditio sive circumstantia potest excusare aliquem actum vitiosum, sive habitum, nisi secundùm quod potest tollere rationem vitiositatis ab eo; & quia in mutuis vitium usuræ annexum est ex eo, quòd fiant spe lucri, quod est contra naturam mutui, non excusatur, nisi tollatur spes lucri.*

87. Quid demum tenendum de pacto Antichrestico? quo contra naturam pignoris inter mutuantem & mutuatarium id agitur, ut mutuanti seu creditori liceat uti re pignorata, donec debitum fuerit exsolutum. Pactum hoc (quod quandóque tacitè adjectum censetur, nempe si res frugifera absque fructuum reservatione in pignus detur, *l.* 8. *ff. in quib. caus. pignus &c.*) licèt Jure Civili non sit improbatum, uti elucet ex *d. l.* 8. Juri Divino, naturali, & Canonico adversatur, nisi fructus percepti in diminutionem sortis principalis imputentur: manifestò enim istud lucrum est usurarium, utpote vi mutui percipiendum.

88. Singularis casus excipitur, indicatus in *cap. insinuatione* 1. *de feudis.* ubi dominus directus (à cujus dominio directo ususfructus causalis per fundi infeudationem nunquam fuit separatus) in re frugifera sibi à suo Vasallo in pignus datâ, fructus licitè percipit, absque eorum imputatione in sortem principalem. Notat autem Genettus, eo tempore quo Dominus rem sibi oppignoratam possidet, Vasallum non teneri ad præstanda servitia.

89. Alius casus exceptus est, quando socer genero promissam pro filia dotem non tradidit, sed rem frugiferam dotis nomine oppignoravit: tunc enim gener, seu maritus, pro sustentandis oneribus matrimonialibus fructus perceptos in dotem imputare non tenetur. Tex. expressus in *cap. salubriter* 16. *de Usuris.*

## QUÆSTIO NONA.

### *An SCtum Macedonianum in foro quoque animæ à restitutione excuset?*

90. BEneficiô hujus SCti (ab improbo quodam fœneratore Macedonio, juventutem per mutui dationes seducente, Macedonianum dictum) creditoribus denegatur efficax actio, petendi in judicio id, quod filiis vel filiabusfamiliàs jam puberibus, citra consensum patris expressum, vel tacitum, titulo mutui crediderunt: si enim actionem vel condictionem intentent, exceptione opposita SCti Macedoniani repelli possunt.

91. Resolutio: Hoc SCtum etiam in foro animæ à restitutione excusat. Ratio enim ejus introducendi fuit omnino justa, scil. amotio periculi, ne juventutis mores, non sine magna Reipublicæ pernicie, mutuatis hinc inde pecuniis corrumpantur: néve liberi vitæ parentum insidientur, quando à creditoribus (in quorum etiam odium seu coërcitionem prædictum SCtum introductum fuit) ad solvendum molestè compelluntur.

92. At, inquies, filiusfamil. solutum creditori non potest repetere, *l.* 9. §. 4. & *fin. ff. de SCto Maced.* addita ratione, quia naturalis obligatio manet, desumpta ex *l.* 10. *ff. de Oblig. & Act.* Supponitur ergo, filiumfamiliàs in foro interno ab obligatione solutionis non esse absolutum. Resp. ideò solutum repeti non posse, quia spontanea solutio semel facta supradictis incommodis & periculis non subjacet: prætereà obligationem *naturalem*, in *cit. l.* 10. allegatam, non esse intelligendam in sensu Theologico, quasi in conscientia relinquatur; sed *in sensu* juridico, in quantum obligatio *naturalis,* ex qua filiusfamil. (si lex positiva justis ex causis eam quoad solutionem primùm faciendam non sustulisset) aliàs solvere debuisset, quoad hunc determinatum effectum naturalis obligationis, *quòd solutum repeti nequeat*, per jus Civile sublata non fuit. Hoc tamen SCtum in variis casibus non prodest.

93. Cessat primò SCtum Maced. quando filiusfamil. ab initio alium contractum iniit, & mediante illo ad mutuum pervenit: quia initium contractûs inspicitur. *l.* 12. *ff. d. tit.* Secundò, quando mutuum in utilitatem patris versum est: vel pater illud scivit, & non continuò contradixit. Tertiò, quando ad probabilem usum in studia vel legationes pecunia mutuò accepta fuit. Quartò, dum adest sufficiens peculium Castrense. Quintò, cùm quis eum, cui pecunias dedit, nec vana simplicitate nec ignorantia juris deceptus patremfamil. esse credidit &c.

## QUÆSTIO DECIMA.

### *An etiam SCtum Vellejanum pro foro conscientiæ à solutione excuset?*

94. SEnatusconsultum Vellejanum est beneficium à Jure Civili sub Consulibus Romanis Silano & Vellejo tutore propter imbecillitatem sexûs fœminei introductum, vi cujus cavetur, ne contra illum sexum, quando pro aliquo debitore principali fidem interponit, illéque solvendo non est, efficax actio detur. *l.* 2. §. 1. *ff. ad SCtum Vellejanum.* Nec distinguitur, sitne fœmina, quæ fidejussit pro alio, soluta, nupta, plebeja, vel nobilis.

95. Resolutio; SCtum Vellejanum mulieres etiam pro foro interno à solutione excusat. Probatur. Quando obligatio naturalis, quâ aliàs mulieres ex fidejussione in defectum debitoris principalis ad solutionem tenerentur, per legem civilem justam fuit penitus perempta, mulieres vigore SCti etiam pro foro interno à solutione sunt excusatæ: sed ita esse, probatur ex eo, quia ubi solutum repeti potest, nulla subest obligatio naturalis, per *l. naturales.* 10. *ff. de Obligat. & Action.*

*Action.* At mulieres solutum ex fidejussione repetere possunt, *l. qui exceptionem.* 40. *pr. ff. de condict. indeb.* Igitur nulla subest obligatio naturalis. Casus exceptos, in quibus fœminæ hoc beneficio non juvantur, recensent Juristæ, disceptantes etiam speciatim, an fœminæ suo beneficio renuntiare valeant? Quibus de rebus aliqua notabilia adduxi in meo *Lib. III. Decretalium ad tit. de Fidejussorib. à numer.* 17.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *DE*

## *Restitutione oriunda ex damnis culpa Theologica aut Juridica illatis, vel Delictis.*

96. CUlpa est omissio diligentiæ debitæ. Utque ex ea nascatur obligatio restitutionis, debet aliquid fuisse omissum, quod ex justitia rigorosa faciendum erat: unde non sufficit debitum aliquod ex pietate, charitate, aut simili virtute. Alia est culpa *Theologica*, scil. omissio diligentiæ debitæ conjuncta cum advertentia & reatu conscientiæ, hoc est peccati vel mortalis vel venialis: alia culpa est merè *juridica*, quæ est omissio diligentiæ ex lege vel conventione debitæ, at sejuncta sufficienti advertentia: dividitúrque in latam, levem, & levissimam.

## QUÆSTIO UNDECIMA.

### *An, ut obligatio restitutionis ex delicto pro foro conscientiæ consurgat, sufficiat sola culpa juridica.*

97. REsolutio prima: ut restitui debeat, requiritur concursus culpæ Theologicæ. Prob. & explicatur. In ædibus alienis cibos cocturus ignem custodivisti, adhibitâ diligentiâ communi, quam solent homines simpliciter diligentes adhibere. Ortum posteà incendium ædes absumpsit. Nulla hîc intervênit culpa Theologica. Unde pro foro conscientiæ nulla consurgit restituendi obligatio. Duæ namque pro hoc foro, & spectato jure naturæ, sunt restitutionis radices. Una ex re accepta, id est, rei alienæ detentione: altera ex injusta acceptione, seu alterius injuriosa læsione. Atqui ex neutra restituere teneris: nec enim quidquam alienum detines: nec dominum ædium injustè, & cum advertentia læsisti.

98. Non obstat, quòd Gregorius IX. Pont. Max. in *cap. fin. de Injur. & damn. dato* non excuset *eum, cujus imperitiâ vel negligentiâ dammum datum est:* sed illum duntaxat, qui, ut non occideret, *nihil de contingentibus omisit.* Nam Resp. Pontificem loqui de tali imperitiâ vel negligentiâ, quæ cum culpa Theologica, advertentia periculi, & reatu conscientiæ conjuncta erat. Præmittitur enim in *cit.* textu: *Si culpâ tuâ damnum est datum, vel injuria irrogata.*

99. Resolut. secunda: quando ex culpa, propter imperfectam advertentiam ad realem damni secuturi gravitatem, Theologicè levi, damnum grave datum fuit, damnificans nec sub mortalis, nec sub venialis peccati reatu incurrendo, ad totius damni reparationem tenetur, spectato solo jure naturæ. Ratio est: quòd secundum jus naturæ, sivè dictamen rectæ rationis debeat servari proportio inter culpam & pœnam, tanquam inter causam & effectum. At si in posita hypothesi totum damnum foret reparandum (stando in jure naturæ) illa proportio non servaretur. Ergo &c.

100. Dices: Radix injustæ læsionis obligationem reparandi totum damnum fundat. Resp. id verum esse, si injusta læsio fiat cum voluntario pleno, & actu injuriæ perfectæ: secus erit, si voluntarium fuerit imperfectum.

## QUÆSTIO DUODECIMA.

### *An saltem ex jure positivo Legis Aquiliæ damnificans sine culpa Theologica ad restitutionem teneatur?*

101. LEx Aquilia, olim, rogante Tribuno Aquilio, à Romana plebe lata, in primo capite ita statuit: *Si quis alienum hominem, alienámve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuriâ occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur.* Ita in *princ. Instit. ad Leg. Aquil.* Quid secundum caput in se clauserit, incertum est. In tertio capite sic ulteriùs decernitur: *In cæteris quoque animantibus, item in omnibus rebus, quæ animâ*

*animâ carent, damnum injuriâ datum, hac parte vindicatur, quanti in 30. diebus fuerit.*

102. Resolut. prædicta lex damnificantem, absque culpa Theologica, in foro conscientiæ ad restitutionem non obligat ante Judicis sententiam. Probatur. Lex verè vel quasi pœnalis, ante Judicis Sententiam in conscientia non obligat. Lex Aquilia est saltem quasi pœnalis; imò in quantum simplex rei pretium excedit, est verè pœnalis, juxta tex. in §. *Inst. d. tit.* ibi: *qua ratione creditum est, pœnalem esse hujus legis actionem: quia non solùm tanti quisque obligatur, quantum damni dederit; sed aliquando longè pluris. Ideóque constat, in hæredem eam actionem non transire, quæ transitura fuisset, si ultra damnum lis nunquam æstimaretur.* Accedit, quòd Lex Aquilia, si ante Sententiam, nullo præsupposito reatu conscientiæ, tam grave onus restitutionis imponeret, nimis rigida foret, humanæque conditioni minùs accommodata. Deberet enim (qui damnum dederat ex culpa merè juridica etiam levissima, & omissione diligentiæ exactissimæ) mox se bonis suis spoliare, suique ipsius Judicem simul & executorem agere, ac damnificato ex toto satisfacere. Hinc magni nominis Theologi censent, obligationem tam duram, quam damnificans etiam ante Sententiam subire & in fore conscientiæ explere deberet, aut nunquam fuisse usu receptam, aut certè usu contrario esse abrogatam.

103. Dices primò: Quando jura per Legem Aquil. damnum injuriâ datum reparari præcipiunt, eo nominis complexo *damnum culpâ datum etiam ab eo, qui nocere noluit*, intelligunt, *l. 5. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* prætereà culpam etiam levissimam attendunt, per tex. expressum in *l. 44. ff. eod.* Resp. primò, ex hoc non inferri, quòd Lex Aquilia ante Sententiam Judicis conscientias generaliter & absolutè stringat. Resp. secundò: nolle nocere dupliciter accipi posse: *formaliter* & in *actu signato:* ac iterum *interpretativè* & in actu exercito. Potuit v. gr. is, qui ignem tractavit in loco valde periculoso, secundùm actum voluntatis formalem nolle domum incendere nullámque injuriam, aut injustam læsionem alteri causare: quia tamen in facto suo cautelam sive diligentiam pro tali circumstantia requisitam adhibere noluit, in actu exercito & interpretativè habetur pro eo, qui nocere voluit.

104. Dices secundò: Lex Aquil. in quantum vindicat simplum damni dati etiam ex culpa levissima, ac merè juridica, in æquitate naturali fundatur: tum quia Legislator Civilis, in cohibitione damnorum fortuitorum, utilitatem publicam pro fine intendit: tum quia ratione naturali consentaneum est, ut factum suum cuique, non alteri, noceat, nec alteri per alterum iniqua conditio inferatur. Ergo Lex Aquil. in consequentia obligat ante Sententiam. Resp. Legem Aquil. in æquitate naturali fundari, sed non nisi ex præsumptione culpæ Theologicæ. Quod non obscurè eruitur ex *l. 5. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* ubi Pegasus negans, contra furiosum, qui damnum intulerat, actionem Legis Aquil. procedere, & rationem refundens in defectum deliberationis, *quæ enim*, ait, *in eo culpa, cùm suæ mentis non sit?* Factum autem suum cuique, non alteri, nocere oportere, equidem regulariter, ac cæteris paribus, abnuere non possumus; attamen ubi cætera non fuerunt paria, & velut per casum fortuitum, inadvertentiámque inculpabilem ex facto unius alteri damnum infertur, sicque longè abest injustitia ac læsio formalis, in foro interno (saltem ante Judicis Sententiam) nulla nascitur restitutionis obligatio: ea siquidem est rerum natura, ut, *quæ præter industriam negliguntur, ignoscenda ducantur.*

105. Notanter dictum fuit, *ante Sententiam Judicis:* nam post Sententiam, qui damnum ex culpa etiam levissima, puréque juridica dedit, ad evitandum contemptum Judicis, & scandalum populi, restituere debet. Quia tamen Sententia tunc in falsa præsumptione culpæ Theologicæ fundata censebitur, condemnatus occulta compensatione in foro interno uti poterit, & recuperare, quod sine præcedente culpa Theolog. solvit, vel resarcivit. Hæc omnia mox infra peculiari discussione, de Culpa Theologica & Juridica latiùs deducuntur: ubi etiam ventilatur, qua ratione Lex quadrupedaria ante vel post Sententiam Judicis in foro poli obstringat, ut damnum (quod *pauperies* dici solet) ab animali quadrupede mansueto, contra naturam generis sui, in corpus seu bona alicujus datum, compensetur, scil. vel per dominum, vel per possessorem animalis noxii. Item: si quid effusum ex ædibus, vel dejectum prætereunti nocuerit, cum aliis similibus quæstionibus.

# QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

## *Quæ sit gravis materia furti: Et, an res furtiva ab emptore possit furi restitui?*

106. RESolutio prima: In furto (quod est fraudulenta contrectatio rei alienæ rationabiliter invito domino) gravitas materiæ nequit uniformiter determinari, sed dependet ex circumstantiis. Ita communis. Pro praxi ex Lessio *de J. & J. lib. 2. cap. 2. dub. 6.* (quem allegat & sequitur Reverendiss. DD. Gregorius Kimpfler Abb. Schyrensis, olim in hac Univers. Salisburg. SS. Canon. Professor in *Tract. Theologico-Morali in decem Præcepta Decalogi casu 106.*) censetur materia gravis, si alicui prædiviti (Reges & Principes hoc nomine comprehendo) auferatur aureus, tribus constans flore-

florenis: tum, quòd hanc quantitatem homines etiam opulenti pro notabili habeant, nec facilè sine speciali causâ alicui donent: Rex quoque vel alius Princeps uno aureo aliquid notabile præstare possit, v. gr. per tres hebdomades unum militem sustentare. Respectu mediocriter divitum censetur sufficere dimidius aureus, seu talerus: alii statuunt florenum. Ratio est, quod hæc quantitas tali domino ad victum unius diei comparandum sufficiat. Respectu opificum & mechanicorum statuitur medius florenus, vel medius thalerus: attentô, quòd ex tanta quantitate per unum diem se commodè sustentent, sæpeque nihil majus pro mercede lucrentur. Tandem respectu pauperum jactura & quantitas notabilis videtur esse ablatio 15. cruciferorum, quibus victum unius diei non infrequenter conquirunt.

107. Resolutio secunda: qui emit rem furtivam bona fide, non potest, rescisso contractu eam reddere furi, sed tenetur restituere domino, si probabile videatur emptori, furem domino rem non esse restituturum. S. D. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *in C.* ubi dicit, quòd aliquis ratione rei acceptæ eam teneatur restituere, quamdiu eam apud se habet: *Quia quod habet ultra id, quod suum est, debet ei subtrahi, & dari illi, cui deest, secundùm formam justitiæ commutativæ.* Et ratio est, quòd, salvâ justitiâ, nemo rem alienam possit occupare ad se servandum indemnem: ergo nec distrahere & alteri tradere, permutando rem cum pretio, quod emptor à fure recipit, ad se servandum indemnem.

# QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

## *Quid sit detractio: & qualiter obliget ad restitutionem?*

108. Resolutio prima: Detractio est alienæ famæ injusta denigratio per verba occulta: sive sint propriè talia, sive æquipollentia, id est, signa, gestus, scriptura, ùt si alicui ad januam appendantur cornua. Contumelia differt à detractione, quòd sit dehonoratio injusta, seu læsio honoris alterius per verba manifesta.

109. Resolut. secunda: Detractio per se & ex suo genere est peccatum mortale. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *nam auferre alicui,* ait, *suam famam, valde grave est: quia inter res temporales videtur fama esse res pretiosior: in individuo tamen potest esse veniale, videl. vel propter parvitatem damni & materiæ, vel propter insufficientem advertentiam: imò quandoque nullum est peccatum, ut si tantùm materialiter, ac sine animo detrahendi seu dehonorandi proferatur, sed fortassis animo corrigendi proximum (dummodò absit excessus in modo) sicuti Christus Dominus post Resurrectionem suam Apostolos vocavit stultos: & S. Paulus Galatas vocavit insensatos.*

110. Resolutio tertia: Detractor honorem & famam restituere tenetur cum omnibus damnis inde injustè illatis, ut si v. gr. alter propterea fuerit à suo officio, vel beneficio amotus. Detrahi autem alicui potest aut *directè*, scil. vel per impositionem falsi criminis: vel per veri exaggerationem: vel per occulti manifestationem: vel per facti alieni interpretationem in partem deteriorem: juxta illum versum:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

Aut *indirectè*: scil. negando dotes & merita alterius: ea extenuando seu minuendo: vel reticendo eo loco & tempore, quo taciturnitas acceptatur pro vituperatione, & pro defectûs narrati confirmatione: vel alium frigidè & simulatè laudando: juxta alium versiculum:

*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.*

111. Resol. quarta: Detractio excusatur à mortali, non solùm ratione imperfectæ advertentiæ, sed etiam primò, si vel malum sit in se leve, aut saltem respectivè ad hanc personam in prudentum judicio, quamvis aliàs in se sit grave: ùt si de milite manifestes, quòd duellaverit: secundò: si detrahenti non adhibeatur fides, aut quia non habetur pro fide digno, aut quia putatur ex joco aliquid effutiisse. Tertiò: si persona, cujus vitium aliquod detegitur, in eo genere jam sit infamis: v. gr. si de publica meretrice quis diceret, quòd iterum turpi commercio vacârit, quamvis non esset verum. Quartò: Si persona non sit nota, vel in notitiam ventura. Quintò: si malum narratum vel jam notorium sit, vel proximè sit futurum notorium. Sextò: Si defectus alterius reveletur ex rationabili causa, ut avertatur damnum grave, sive publicum sive proprium, sive alienum, quod alio medio averti nequit, ùt si Medicus imperitus se fingat & jactet peritum.

112. Resolut. quinta: Excusatur quis à restitutione, primò, quando ex necessitate defensionis propriæ infamiam sibi injustè irrogatam aliter à se removere nequit, nisi crimen occultum infamantis manifestando. Secundò, quando adest impotentia moralis: quia non potes restituere aut sine periculo vitæ, aut sine jactura famæ propriæ longè præstantioris: dum nempe persona infamata est vilis, infamans autem celebris & Reipubl. necessaria. Wigandt in *Tribun. tract.* 8. *Exam.* 5. *n.* 103. Tertiò: si infamatus condonavit restitutionem. Quartò: si damnum illatum aliunde cesset, vel per oblivionem, vel per evidentiam contrarii ex. gr. ex Sententia Judicis.

Scripsêre in hac materia ex nostræ Universitatis Theologis Magnif. P. Benedictus Pertschacher, & Clarissimus P. Alanus Pfeiffer. Non ita pridem in Venerab. Conventu Salisburgensi Fratrum Minorum Recollectorum eandem materiam practicis casibus illustravit Eximius D. P. Benjamin Elbel, ibidem SS. Theolog. Ordin. ex meritis & Lecturæ annis cum Jubilatis comparandus, jam tunc & modò exequatus.

# APPENDIX
# DISPUTATIONIS MENSTRUÆ
## DE
## *Culpa Theologica & Juridica occasione Restitutionis.*

## PROLOQUIUM.

*Culpa hic est omissio alicujus diligentiæ debitæ. Utque ex ea obligatio restitutionis nascatur, requiritur omissio alicujus facti, quod ex justitia rigorosa debebatur: unde non sufficit debitum aliquod ex pietate, vel charitate, aut simili virtute. Propterea nec Medicus, gratis infirmo curationem impendens, ad restitutionem tenetur, si iste propter medicinas incongruè adhibitas in statum pejorem incidat, vel omnino è vita decedat. Vulgaris & satis nota divisio culpam in* Theologicam & Juridicam *dispescit. Illa (quam Theologi in foro interno considerant) est omissio diligentiæ ex justitia debitæ, conjuncta cum reatu conscientiæ, id est, cum peccato vel lethali vel veniali: hæc (quam Juristæ pro foro externo attendunt) est omissio diligentiæ ex lege vel conventione debitæ, potestque esse vel conjuncta cum culpa Theologica, vel separata, & accidere propter distractionem naturalem, inadvertentiam, inconsiderationem vel oblivionem damnum inferentis. Subdividitur culpa Juridica in* latissimam, *à dolo indistinctam:* latiorem, *sub qua Haunold. intelligit dolum præsumptum, seu intermissionem diligentiæ in re aliena, quâ quis suam curat: huic etiam ignorantiam juris communis adnumerat:* latam, *quæ est omissio diligentiæ, quam homines illius status aut conditionis communiter adhibere solent:* levem, *ortam ex omissione diligentiæ, quam diligentiores, ac prudentiores: & in* levissimam, *natam ex omissione diligentiæ, quam prudentissimi, solertissimique adhibere student. Exempla ex dicendis patebunt.*

## Quæstiones Thesibus decidendæ.

*I. An, ut obligatio restitutionis ex delicto consurgat, sufficiat culpa Juridica?*

*II. An de jure naturæ ex culpa Theologicè levi totum damnum restitui debeat?*

*III. Quid dicendum de Jure positivo Legis Aquiliæ?*

*IV. An per sententiam condemnatus, etiam pro foro interno obligetur damnum reparare, si non subsit culpa Theologica?*

*V. Quomodo Lex quadrupedaria stringat conscientiam, non præcedente culpa Theologica?*

*VI. An damnificans graviter per culpam Theologicè levem juxta proportionem voluntarii partem damni sub mortali resarcire teneatur?*

*VII. An, ut ratione officii cum damno alterius administrati obligatio restituendi oriatur, requiratur culpa lata Theologicè gravis?*

*VIII. An idem statuendum sit quoad quoscunque contractus?*

## THESIS I.

### *Ut obligatio restitutionis ex delicto pro foro conscientiæ consurgat, non sufficit culpa Juridica, sed requiritur Theologica.*

113. PRob. & elucidatur exemplô. In ædibus alienis cibos cocturus ignem accendisti, diligentiâ, ne incendium oriatur, adhibitâ, quam solent homines communiter adhibere, non autem eâ, quam solent diligentiores, vel diligentissimi. Qualem culpam commisisti? Non latam theologicè, & mortiferam: sed levem & levissimam Juridicè spectatam. Hinc ad damni reparationem non es obstrictus. Vel enim obligatio restitutionis esset nata ex radice, quæ dicitur *res accepta:* vel ex radice, quæ dicitur *injusta acceptio?* Non ex illa: quia nihil rei alienæ, Domino rationabiliter existente invito (ùt petit illa radix) detines. Neque ex ista: tum, quia positâ diligentiâ, quæ ab aliis ad præcavendum incendium communiter adhiberi solet, nulla diligentiæ debitæ culpabilis omissio intervênit; tum quia actione tuâ, quatenus injustâ, Domino ædium nulla injuria, læsio, vel destructio in re sua irrogata fuit, quod tamen obligatio restituendi, ex injusta acceptione orionda cæteroquin exigit. Hæc est communior Theologorum sententia. At contra

114. Arguitur I. Demus, culpam hic theologicè non esse latam, aut gravem, adeoque mortiferam; stabit nihilominus obligatio restituendi ex culpa theologicè levi. I. Ex levi negligentia rectè infertur culpa Theologicè levis. At in relato casu datur negligentia levis: datur enim omissio diligentiæ mediocris, quam homines diligentiores in custodiendo igne intermittere non solent: Ergo datur culpa Theologicè levis: ergo & obli-

& obligatio restituendi. II. Gregorius IX. Pont. Max. in *cap. fin. de injur. & damn. dat. non excusat eum, cujus imperitiâ, vel negligentiâ damnum est datum:* sed solummodò illum, qui, *ut non occideret, nihil de contingentibus omisit.* Ergo neque excusat eum, cujus imperitiâ vel negligentiâ in tractando igne damnum datum fuit: sed illum, qui ut ædes non incenderet, nihil de contingentibus omisit. III. Stephanus Papa in *cap. consuluisti. caus. 2. quæst. 4.* severè parentes monet, *ne infantes tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocetur, vel opprimantur, unde ipsi rei homicidii inveniantur.* Certè Pontifex de negligentia generaliter loquitur: proinde ab injusta læsione ut innocuos non excusat eos, qui per culpam levem, diligentiæ mediocri oppositam, damnum alteri intulerunt, vel inferendi periculo se exponunt.

115. Resp. ad 1. Stando intra limites juris naturalis, & in foro conscientiæ extra causam incumbentis officii, specialisque pacti, vel contractûs, per omissionem diligentiæ mediocris, aut maximæ non committi culpam levem theologicè, licèt in ratione culpæ juridicæ levis esse queat, modò is, ex cujus facto damnum secutum erat, diligentiam communem non intermiserit. Ad II. & III. Resp. Joan. de Lugo de *restit. disp. 8. à n. 50.* cum Lessio & aliis, in utroque loco Pontifices loqui de culpa lata Theologicè sumpta, quæ regulariter est cum peccato lethali conjuncta. Nam primus textus incipit: *si culpâ tuâ damnum est datum, vel injuria irrogata;* & subditur: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere.* In secundo autem textu reprehenditur negligentia, sive injuria parentum, qui ex collocatione tenellorum infantium penes se in lecto magnum periculum eos opprimendi, aut suffocandi prudenter prævenire possunt, & vitare tenentur.

## THESIS II.

*Quando ex culpa, ob imperfectam advertentiam ad realem damni gravitatem, Theologicè levi damnum datum fuit, damnificans nec sub mortali nec sub veniali peccato, stando in jure naturali, ad totius damni reparationem tenetur.*

116. PRob. Jus naturale, sive dictamen congenitum rectæ rationis, votumque commune creaturæ rationalis non vult pœnam majorem, & obligationem graviorem delinquenti imponere, quàm quæ delicto, culpæ, vel injuriæ sit commensurata, atque adeò vult proportionem inter culpam ceu causam, & inter obligationem restitutionis tanquam effectum culpæ. At, contrarium eveniret, si, qui ex culpa theologicè levi dictô modô damnum dederat, ad totius damni reparationem teneretur. Ergo talis secundùm jus naturale ad totalem damni reparationem non tenetur.

117. Arguitur I. cum Molina *de J. & J. tr. 2. to. 3. poster. disp. 698.* & Laym. *eod. tr. par. 1. cap. 6. num. 4.* Altera radix, unde obligatio restituendi oritur, & injusta acceptio vel læsio: qui autem per venialem injuriam & noxam damnum infert, is injustè lædit. Ergo etiam ex injuria & noxa veniali oritur obligatio restitutionis. Sed éstne obligatio isthæc sub mortali, an veniali? Sub mortali, ait Laymann, si materia restituenda notabilis fuerit: constat enim, mortaliter peccare eum, qui notabilem quantitatem ex justitia restituere obligatus, sine justa causa restituere recusat.

Resp. D. Maj. altera radix &c. est injusta læsio, cum voluntario sufficienti & perfecto, Conc. M. cum insufficienti & semipleno, N. M. Ad min. dico, eum, qui per venialem injuriam & noxam damnum infert, injustè quidem lædere, sed cum voluntario insufficienti, & semipleno: & sic N. conseq. Audiatur Lessius *loc. cit. cap. 7. n. 27.* Quando solùm culpa venialis commissa est (ait) non est actus perfectus in ratione injuriæ, sed imperfectus. Ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, quâ adstringat sub peccato mortali: non enim potest obligatio major esse in suo ordine, quàm fuerit injuria, ex qua nascitur.

118. Arguitur II. Si semper servanda esset proportio inter culpam, & restitutionem, vel quasi pœnam, eum à damni gravis restitutione absolvemus, qui singulis diebus e. g. per unum mensem uni eidemque modicum quid surripuit, seque ad notabilem quantitatem pervenisse posteà primùm advertit, quamvis ne quidem in ultimo furtulo, quo damnum grave complevit, peccati gravis malitia menti occurrerit: favebit enim huic furi nostra palmaris ratio, quòd ex culpa levi, per se loquendo, nemo ad reparationem totalem damni gravis obligandus sit. At reclamat Innocentius XI. diris devovendo illam propositionem: *non teneri quem sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Sanè hæc damnatio ineptè restringeretur ad casum tantùm, quo fur animum ad summam gravem perveniendi habuit, & mortaliter peccavit: vel ad casum, quo cumulus minutim ablatorum adhuc penes furem extat: quis enim quoad ista contrarium antehàc vel sensit, vel docuit? Resp. furem illum à nobis ab onere restitutionis neutiquam absolvi. Casus pro-

propositus à nostra Thesi est prorsus alienus; hinc nec ratio palmaris nostra eidem patrocinatur. Nam Thesis, formata de culpa Theologicè levi, loquitur de levitate proveniente ex imperfecta advertentia ad damni gravis illationem, ejusque periculum: vel ex defectu sufficientis diligentiæ in evitando damno proximi. Quando autem aliquis ablationes minutas notabili tempore prosecutus fuit, absque dubio sufficienter & plenè gravitatem damni proximo illati advertere potuit, ac debuit. Nec ipsum relevat excusatio, quòd nihil de committendo peccato mortali, adeoque de malitiæ gravitate formali menti objectum fuerit, & conscientiam roserit: quia (ut pro more suo fundamentaliter docet meus quondam in Theologia Salisburgensi observantissimus Professor, Clariss. P. Ludov. Babenstuber *tr. de J. & J. disp.* 4. *a.* 3. *sub n.* 15.) „materia obligationis ad restituendum nec „est præcisè realis gravitas, aut levitas „damni, nec formalis gravitas, vel levitas „injuriæ: sed quantitas damni scienter & „voluntariè dati; ita, ut lex naturalis justi„tiæ lædentem gravet ad refundendum tan„tundem alteri, quantum scienter, & vo„luntariè lædendo nocuit. Quodque ad obligationem restitutionis non requiratur præcedens vel concurrens peccatum mortale, laudatus Doctor duobus exemplis commonstrat: Uno, in furante Principi tres aureos ex plena advertentia, simul tamen bona fide existimante, quantitatem istam, ut ut de se notabilis sit, comparativè ad dominum opulentum, cui aufertur, ad peccatum lethale non sufficere. Nónne communis sententia ejusmodi furem ad damni refusionem condemnat, licèt gravi peccato conscientiam suam nôn maculaverit, & pecunias fortè jam consumpserit? Alterô exemplô inducit jaculantem e. g. alienos anseres, sed cum proposito damnum resarciendi. Excusatur iste à mortali culpa ratione prædicti propositi: secus à restitutione: quia domino anserum sciens ac volens damnum grave intulit.

119. Arguitur III. Peccatum veniale, in hac vita quoad culpam non expiatum, acerbissimâ in flammis piacularibus pœnâ vindicari: item excommunicationem minorem, quantumvis in se sit gravis pœna, utpote privans passiva Sacramentorum perceptione secundùm dicta in *tract. de Potestate Clavium circa censuras &c. part.* 2. *n.* 135. etiam pro peccato levi communicationis factæ cum excommunicato excommunicatione majori de Jure Canonico infligi. Fallit igitur nostrum principium, quasi inter culpam & pœnam sit semper servanda proportio. Resp. ad primum Lugo hic *disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 70. hoc argumentum omnibus solvendum esse: omnes siquidem fatentur, à nullo Judice in isto Mundo pœnam tam acerbam v. g. ob mendacium decerni posse. Quare aliô modô levitas & gravitas pœnæ consideratur in ordine ad hanc Rempublicam humanam, ejusque quietem temporalem procurandam, aliô modô in ordine ad Rempublicam æternam & immortalem. Illa enim pœna (ait) quæ in ordine ad nostram Rempublicam & hanc vitam gravis judicatur, judicatur meritò levis in ordine ad Rempublicam æternam; ideoque peccatum veniale etiam in altera vita leviter punitur in purgatorio, attendendo ad pœnam illius fori, licèt comparatione facta ad pœnas nostri fori pœna *illa* gravis & acerbissima existimetur. Ad secundum dicitur, singulare esse, quòd excommunicatio minor tanquam pœna medicinalis non tam tendat ad vidicandam culpam, quàm ad revocandum errantem in viam rectam, & ad desistendum à contumacia: *qua* cessante, talis excommunicatus mox *à quolibet* approbato Confessario absolvi potest. Conveniens itaque visum erat, ut prædicta pœna medicinalis etiam ob leve peccatum communicationis incurreretur. Econtra obligatio restitutionis non *habet rationem* pœnæ medicinalis: quare conveniens non est, ut is, qui ex culpa levi damnum grave dedit, totam gravitatem sustineat, & compenset.

## THESIS III.

***Jure etiam positivo Legis Aquiliæ, ex culpa levissima propter defectum advertentiæ, & sufficientis voluntarii damnificans, ante Judicis sententiam ad restitutionem non obligatur.***

120. PRobationi explicatio præludat. Lex Aquilia est aliquod plebiscitum rogante Aquilio Tribuno à plebe olim in statu Democratico apud Romanos latum, in cujus primo Capite ita statuitur: *Si quis alienum hominem, alienámve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuriâ occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur, princ. Inst. ad Leg. Aquil.* Et in *l.* 2. §. 1. *ff. eod. tit.* cavetur, ut adversùs inficiantem in duplum detur. Quapropter (quô exemplô utitur Haunold. *tr.* 2. *controv.* 4. *n.* 156.) si equum occideris, qui quidem tempore occisionis cœcus & claudus, sed intra annum proximum elapsum integer erat, & tunc valuisset 100. Judex te in 100. condemnabit: sique damnum à te datum fuisse neges, & mendacii convincaris, in duplum condemnâberis. In tertio Capite præfati plebiscitj Aquilii (de secundo Capite, quid in se clauserit, incertum est) ulteriùs sic decernitur: *In cæteris quoque animalibus,*

*libus*, *item in omnibus rebus*, *quæ animâ carent*, *damnum injuriâ datum hac parte vindicatur*, *quanti in 30. diebus fuerit*. Præterea ultra prædictam pœnam reus ad omnia damna ex læsione sua consecuta condemnatur, §. 10. *Inst. eod.* ibi: *item si ex pari mularum unam, vel ex quadrigis equorum unum occiderit*, *non solùm occisi fit æstimatio*, *sed eò ampliùs id quoque computatur*, *quanti depretiati sunt*, *qui supersunt.*

121. Jam videndum est, quibus rationibus persuadeatur, præexplicata lege neminem, qui absque sufficienti advertentia & voluntario, damnum grave intulit, in conscientia ad damni reparationem teneri. Illarum una est, quòd lex pœnalis ante sententiam in conscientia nòn stringat: lex autem Aquilia sit saltem quasi pœnalis; imò in quantum simplex rei pretium excedit, verè pœnalis est, juxta *tex. in §. 9. Inst. d. tit.* ibi: *qua ratione creditum est*, *pœnalem esse hujus Legis actionem: quia non solùm tanti quisque obligatur*, *quantum damni dederit*; *sed aliquando longè pluris. Ideóque constat*, *in hæredem eam actionem non transire*, *quæ transitura fuisset*, *si ultra damnum lis nunquam æstimaretur.* Altera: quòd lex illa nimis videretur rigida, humanæque fragilitati minùs accomodata, si quis ex culpa merè Juridica, atque involuntaria, in foro conscientiæ onus tam grave subire, se bonis suis spoliare, sui ipsius Judicem simul & executorem agere, & damnificato ex toto satisfacere deberet. Tertia: quòd sinè culpa Theologica nullus reatus coram DEO incurratur; proindéque nec in foro animæ propriæ. Quarta: quòd ejusmodi restitutionis obligatio (ùt volunt AAres adversi) in jure naturali radicaretur: cùm tamen, si certa & non dubia esset, talis obligatio creaturæ rationali foret passim nota ac manifesta, nec Scholasticorum subtilitatibus pro sua probatione indigeret. Quinta: quòd non sit prudenter credibile, sæpe dictam legem quoad istam fori interni obligationem, quæ conscientiam ante Judicis pronunciationem afficiat, unquam fuisse usu receptam; aut certè contrario usu fuit abrogata. Sextam rationem, suóque judiciô apodicticam Haun. *loc. cit. n.* 173. ex fine prædictæ legis eruit, qui erat, civium animos ad majorem vigilantiam & cautelam in præcavendis damnificationibus fortuitis exstimulare, cui providentiæ, finique per hoc satis prospectum videtur, quòd damnificans ex quavis culpa etiam Juridica coram Judice conveniri, juxta legem statutam condemnari, & mediante sententiâ obligatio in conscientia induci possit, quæ anteà non fuerat inducta, nisi conditionatè. Sed contra

122. Arguitur I. Plebiscitum Aquilium damnificantes ex culpa involuntaria ad reparationem compellit. Colligitur id ex *l. 5. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* ubi Ulpian. injuriam, ait, *hic nos accipere oportet*, *non quemadmodùm circa injuriarum actionem*, *contumeliam quandam: sed quod non jure factum est*, *hoc est*, *contra jus*, *id est*, *si culpâ quis occiderit. Igitur injuriam hic damnum accipiemus culpâ datum etiam ab eo*, NB. *qui nocere noluit.* Addes *l.* 44. ubi expressè dicitur: *In Lege Aquilia & levissima culpa venit.* Sanè nec fit distinctio inter injuriam seu culpam Juridicam & Theologicam, nec obligatio primùm ex sententia Judicis derivari asseritur. II. Arundineum & fallibile suppositum est, quòd Lex Aquilia ex omni parte sit pœnalis: quis enim legem illam non dicat præceptivam, quâ non coërcitio, sed utilitas publica in cohibitione damnorum fortuitorum intenta pro fine proximo respicitur? III. Nec illud suppositum firmiter stat, quòd Lex Aquil. in præsumptione, quæ potest esse falsa, sit fundata: quin potiùs censeri debet justa, æquitatique conveniens: cùm factum suum cuique, non alteri, nocere oporteat, nec alteri per alterum iniqua conditio inferenda sit, ùt loquuntur juris regulæ.

123. Resp. ad I. Datô, non concessô, Legislatori Civili potestatem non defuisse, quò minùs ex culpa merè Juridica ante sententiam in foro conscientiæ ad restitutionem obligare potuerit, defactò tamen, quòd sic obligare voluerit, non constare, aut saltem dubium esse, ob rationes superiùs allatas. Itaque in dubio id præferendum, & præsumendum, quod benignius, & conscientiis minùs onerosum, nocivum, aut periculosum est, *arg. l. Arrianus.* 47. *ff. de oblig. & Act.* Quòd verò in *cit. l.* 44. in Lege Aquilia culpa levissima venire dicatur, fortasse ea distinctione, quâ infra *num.* 40. utimur, suam moderationem recipit, ut talis culpa in se & absolutè spectata sit levis, gravis tamen respectivè ad circumstantias & singulare periculum v. g. dum tractatur ignis, in loco, ubi adest v. g. materia straminis, sulphuris, pulveris tormentarii &c. in quo casu homines aliàs communiter diligentes ex ipso dictamine rationis ad exactissimam diligentiam se graviter obstrictos censent, talémque adhibere solent.

Ad II. Resp. Legem Aquiliam saltem esse quasi pœnalem, eâque coërceri homines culpabiliter aliis damna inferentes. Aut (sicut loquitur Magnif. D. P. Franc. Schmier p. m. *tr. de delict. cap.* 1. *num.* 84.) si pœnalis non sit, saltem non est absolutè sed conditionatè præceptiva, & in præsumptione culpæ Theologicæ fundata, quod non obscurè colligi putat ex *l. 5. §. 1. & 2. ff. ad L. Aq.* ubi Pegasus negans, contra furiosum, qui damnum dedit, actionem Legis Aquiliæ procedere, rationem in defectum deliberationis & advertentiæ refundit, dicendo: *quæ enim in eo culpa*, *cùm suæ mentis non sit?* Ex quo patet solutio ad III. Factum suum alteri nocere non debere, regulariter & cæteris paribus verum est: Si tamen velut per casum fortuitum ex facto unius alteri damnum inferatur, in foro conscientiæ nulla oritur restituendi obligatio, quando in illo foro nulla fuit commissa injuria. Huc pertinet illud Symm. *l.* 1. *ep.* 20. *Ea est rerum natura, ut quæ præter industriam negliguntur, ignoscenda ducantur.* Certè

D 3 lex

lex seu æquitas naturalis non magis dictat & gravat, ut jus alterius læsum reparetur, quàm ne lædatur: sicuti ergo non dictat vel gravat, ne proximus noster inculpabiliter (Theologicè) & per injustitiam solùm materialem lædatur; ita nec dictat vel gravat, ut jus, inculpabiliter & solùm per injustitiam materialem læsum, à lædente reparetur.

Claudo hanc Thesin discursu P. Joan. Sbogar *Theol. radical. tr.* 48. *cap. un.* quando damnum grave non infertur cum plena advertentia & culpa mortali, non est simpliciter delictum, & injuria volita: sed quando non fit cum injuriâ volitâ, non contrahitur obligatio restituendi in conscientia: ergo quando damnum grave non infertur cum plena advertentia & culpa mortali, non contrahitur obligatio restituendi. Corroborat discursum paritate (quam etiam lege in Joan. de Lugo) desumpta ex contractu, qui si fuerit initus absque plena advertentia, non obligat ultrò citróque: ergo nec ad aliquid obligat injuria citra plenam advertentiam commissa. Rursus: ex eodem fonte, scilicet Juris gentium, promanat restitutio bonorum, ex quo promanavit distinctio Dominiorum: Gentes autem hanc obligationem inducere non possunt, ut ex culpa levi oriatur obligatio gravis restituendi: quia ad id non possunt obligare, quod difficulter evitari valet, infert magnam jacturam bonorum, secúmque trahit inæqualitatem. Atqui culpa levis difficulter evitari valet, maximè, quæ committitur ex inadvertentia, inferret magnam bonorum jacturam in damni compensatione cum non modica inæqualitate inter injuriam ejusque reparationem &c. Ergo &c.

## THESIS IV.

***Per Sententiam Judicis ex Lege Aquil. condemnatus ad damnum reparandum, equidem in foro conscientiæ parere tenetur, non tamen pro foro conscientiæ, si non sit reus culpæ Theologicæ.***

124. PRobatur quoad secundam partem per connexionem ad præcedentia. Si enim Lex Aquilia pro foro conscientiæ aliter non stringat, nisi ex suppositione culpæ Theologicæ, Sententia quoque pro foro conscientiæ aliter non stringit. Nam, si culpa Theologica reverà non subsit, & damnum sine injuriosa advertentia datum fuerit, Sententia à Judice lata erit fundata in præsumptione falsa & quidem particulari, culpæ nimirum Theologicæ à damnificante commissæ. At Sententia Judicis fundata in præsumptione falso pro foro conscientiæ obligationem non inducit, sed obedientia præcepto Judicis exhibenda hanc determinatam circumstantiam, si Sententia sit justa, supponit. Hinc est, quòd hæres pro foro conscientiæ Judici, solutionem creditoribus hæreditariis ultra viris hæreditatis faciendam ob neglectam inventarii confectionem præcipienti, parere non teneatur, si præsumptio, quasi aliquid surripuerit, sit falsa. Ergo à pari &c. siquidem culpæ præsumptio excluditur per probationem diligentiæ, *l. si vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vend.* & præsumptio cedit veritati; quia veritas prævalet præsumptioni: de qua veritate & præsumptione elisa si Judici constaret, reum conventum condemnare nec auderet, nec deberet. Hanc Sententiam ùt probabilem apud Recentiores contra oppositam communiorem defendit Haunold. *cit. tract.* 2. *cap.* 2. *à num.* 178. quem etiam sequitur Magnif. P. Franc. Schmier *cit. cap.* 1. *à num.* 89. Quantum ad primam partem, Thesis nostra vix ab ullo in dubium vocabitur: cùm in foro externo præsumptio veritatis stet pro Sententia Judicis; cui proin condemnatus, saltem ob scandalum inobedientiæ vel contemptûs in foro exteriori evitandum, etiam pro foro conscientiæ obtemperare necesse habet, licèt deinde occulta compensatione, ut solutum recuperet, sibi consulere queat. Ita cum Rebell. & aliis Haunold. *loc. cit.* Hucque facit effatum D. Augustini *Epist.* 154. ubi, *absit*, inquit, *ut ea*, *quæ propter bonum aut licitum facimus*, *aut habemus*, *si quid per hæc contra nostram voluntatem cuipiam mali accideret*, *nobis imputetur.*

125. Arguitur I. Absurdum est, & justitiæ dissonum, quòd damnificans pro libitu possit non parere Judici, ejusque Sententiam eludere, occultè, quod solvit, sibi ex rebus damnificati compensando. II. Ex omnium confessione Lex Aquil. est justa & rationabilis: ergo parit obligationem in conscientia: atqui non ante: ergo post Judicis Sententiam. III. Si quis Legem Aquiliam, ipsamque sententiam illi conformiter latam, in præsumptione fundatam esse præsumat, cur non dicamus, potiùs fundari in præsumptione *generali*, quàm *particulari?* Omnes autem conspirant, quòd Lex fundata in *præsumptione generali* obligare non cesset, tametsi præsumptio in casu particulari cesset, & fallat, veluti patet in nullitate Matrimonii clandestini, sine mala intentione & fraude contracti &c.

126. Resp. ad I. Judici ex præsumptione falsa culpæ Theologicæ restitutionem imperanti pro foro externo parendum esse, ut contemptus & scandalum evitetur: de reliquo, si spectetur forum internum, nullatenus absurdum est eludere seu effugere gravamen falsæ culpæ innixum, pœnámque coram DEO & in foro conscientiæ indebitam. Insto

ex

ex *num. priori* in hærede, qui inventarium conficere omisit. Ad II. Resp. Legem Aquiliam esse sine dubio justam & rationabilem, attamen vel verè vel saltem quasi pœnalem, & in præsumptione culpæ non merè juridicæ, sed Theologicæ juxta *num.* 11. fundatam. Itaque parit quidem obligationem in conscientia tam ante, quàm post Judicis Sententiam, at non absolutè, sed conditionatè, id est, quando damnificans sentit reatum conscientiæ. Cúmque Sententia Judicis sit regulanda secundùm naturam, intentionem, & intellectum Aquiliæ Legis, Sententia pro foro conscientiæ plus ponderis non habebit, quàm intenderit mens Legislatoris. Ad III. Resp. nec Legem Aquiliam, nec Sententiam Judicis eidem conformiter latam, in præsumptione generalis juris, seu *periculi communis* fundatam esse; sed in præsumptione particulari.

127. Illa namque Lex in *generali præsumptione* fundatur, quæ aliquam actionem prohibet tanquam obnoxiam periculo nocumenti publici: quia Legislator lege sua ex fine primario bono publico consulere intendit absque respectu ad casus particulares, in quibus motivum legis quoad periculum avertendum cessat. Ejusmodi legibus meritò accensetur illa, quæ matrimonia clandestina generaliter abrogat & irrita declarat. In *præsumptione particulari* fundatur Lex, quæ prohibet actionem aliquam, tanquam unicè periculo nocumenti privati obnoxiam: vel quæ considerat aliquam singularem circumstantiam seu qualitatem, quæ unicè concernit bonum privatum singulorum: licèt ergo talis Lex remotè etiam bonum publicum respiciat, immediatè tamen casus particulares respicit eóque tendit, ut vel bonum particulare promoveatur, vel damnum particulare præcaveatur. Exemplum dedimus in non confecto inventario. Conferatur Magnif. P. Franc. Schmier *Tract. de Jure Legali, cap.* 1. *à num.* 284. Quòd enim Lex Aquilia, dum implicitè damnificationes malitiosas, voluntarias, seu culpatas prohibet, nocumenta privata eorúmque pericula amoliri unicè intendat, vix dubitare oportet: in Sententia quoque Judicis implicitè involvi illam circumstantiam, si *malitia* seu *culpa Theologica intervenerit*, vel ex eo colligimus, quòd extra sphæram prædictæ legis vagari non debeat, sed illi omni meliori modo consonare.

## THESIS V.

### *Neque Lex Quadrupedaria ante Sententiam pro foro conscientiæ stringit, quando damnum à quadrupede abs Domini culpa Theologica datum fuit.*

128. PRobatur & explicatur. Damnum ab animali, quod ratione caret, datum, appellari consuevit *pauperies.* Sique hoc damnum illatum fuerit ab animali quadrupede mansueto, contra naturam generis sui, e. gr. si equus calcitrosus calce percusserit, nullo concurrente hominis facto, Jure civili introducta noscitur actio *de Pauperie, quadrupedaria* aliàs nominari solita, competens ei, qui ab animali mansueto & contra naturam sui generis sponte commoto damnum aliquod in corpore, vel bonis passus est, contra dominum animalis & quemvis ejus tempore litis contestatæ possessorem, ut vel damnum resarciat vel animal *noxæ* dedat, id est, damni compensandi nomine actori cedat. Dicitur hæc actio, cùm quadrupes mansueta damnum intulit, *directa* descendens nimirum ex verbis Legis noxalis quadrupedariæ: superest alia *utilis,* descendens ex mente & ratione legis, illisque in casibus competens, in quibus vel animal mansuetum bipes, v. gr. gallus gallinaceus, vel animal naturâ ferum, posteà mansuefactum; aut manens ferum hactenus custodiâ coërcitum, damnum dedit. Quibûs obiter prænotatîs,

129. Ratio Thesis nostræ innititur illorum supposito, qui Legem & actionem quadrupedariam inter quasi pœnales connumerant, ducti maximè textu in §. *un. Inst. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Postquàm enim Imperator ibi præmiserat, Ædilitiô Edictô prohiberi nos Canem, Verrem, Aprum, Ursum, Leonem, ibi habere, quà vulgò iter fit: sique adversùs ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur, quod bonum & æquum Judici videtur, tanti dominum condemnandum esse: cæterarum verò rerum, quanti damnum datum sit, dupli: subdit notanter: *Præter has autem Ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.* Magnif. P. Franciscus Schmier p. m. *cit. tract. de Delict. d. cap.* 1. *num.* 194. ex illis terminis, *præsertim pœnales*, argumentum sumit, ipsum Imperatorem actionem quadrupedariam inter pœnales retulisse: alioquin non appareret, cur actionem de pauperie cum ædilitia compatibilem dicendo, causalem subjunxerit istam: quia actiones, *præsertim pœnales*, in suo concursu alia aliam non consumit. Huc jam ex doctrinæ consequentia solutiones & rationes in Thesibus præambulis productæ adaptari poterunt.

130. Arguitur I. deesse fundamentum, ex quo lex & actio quadrupedaria inter leges & actiones pœnales collocentur. Potiùs æquitas, ut hanc legem & actionem introduceret, Legislatorem moverit, quatenus in duorum certamine de damno vitando, ille patia-

patiatur incommodum, qui ex bestiæ suæ alteri noxiæ utilitatem sentit. II. Si vel minima culpa Domini accesserit, actio noxalis ex lege quadrupedaria cessat, prout docet tex. in *l.* 1. §. 4. *ff. si quadrup. pauper. fecis. &c.* ibi, *quòdsi propter loci iniquitatem aut propter culpam* (cujus nomine glossa adjecta imperitiam intelligit) *mulionis, aut si plus justo onerata quadrupes in aliquem onus everterit, hæc actio cessabit, damnique injuriæ agetur*, id est, ex Lege Aquilia, veluti subdit eadem Glossa. Igitur Lex quadrupedaria ante Sententiam quoque ad damni reparationem obligat, licet id ex nulla culpa domini contigerit: ergo non est ullo modo pœnalis. III. Noxa sequitur caput; & Lex quadrupedaria actionem suam protendit in quemvis possessorem animalis, etiam illum, ad quem post causatam pauperiem pervenit, ùt certi juris est. Quid autem culpæ huic novo possessori imputabimus? Si nihil culpæ imputetur, nihil etiam pœnæ eidem imponetur. IV. Ex § *un. Inst. d. tit.* nihil evincitur: eadem quippe formalia, quòd una actio aliam (præsertim pœnales) non consumat, in *l.* 130. *ff. de R. J.* continentur: nemo autem dixerit, eo loco quadrupedariam actionibus pœnalibus accenseri. V. Jus sacrum, quô nullum aliud majori sollicitudine pro foro conscientiæ vigilat, damnum ab animalibus datum generaliter resarciri jubet, uti videre est in *cap. fin. de injur. & damn. &c.*

131. Ad I. Resp. transmittendo, quòd Lex quadrupedaria non sit propriè pœnalis, ob speciem, quam præsefert, æquitatis: poterit nihilominùs esse quasi pœnalis etiam quoad simplum damni præstandi, in quantum jura ex parte domini animalis aliquam culpam fingunt, imputando eidem negligentiam quoad insufficientem custodiam, & damnorum præcautionem, tametsi à parte rei frequentissimè nulla culpa interveniat. Cæterùm de illa prætensa æquitate multi non immeritò dubitant: siqnum igitur est, quòd sit minùs clara; nec generatim verum, animalia pauperiem causantia, dominis suis utilitatem afferre. Et dato, quòd aliquam afferant, deerit tamen non raró proportio inter utilitatem animalis & damni dati compensationem.

132. Nec dicas, culpam merè fictam gratis adstrui, nec illius ullum in jure vestigium extare. Replicatur enim, actionem quadrupedariam in *cit.* §. *un.* pœnalem aut dici aut supponi: cùm ergo contra Dominium animalis noxii intentetur, ut animal noxæ damnificato tradat, aut aliter satisfaciat, nónne dominus in effectu quasi locò animalis pœnam præstat? Factum itaque animalis nocivi domino imputatur. Hæc autem facti seu nocumenti imputatio, & illa pœnæ præstatio pernecessariò culpam aliquam ante se habet: non veram (quam nos vocamus Theologicam) ergo juridicam, fictam saltem, seu à jure præsumptam, hoc est, in omissione diligentiæ, curæ & custodiæ exactioris fundatam. Hinc ad II. resp. quadrupedariam cessare, quando culpa vera & Theologica intercessit, & tunc ex Lege Aquilia agi: non item cessare, quando culpa est solùm præsumpta & juridica. Ad III. Resp. Magnific. P. Schmier, quadrupedariam esse actionem *personalem in rem scriptam*, ac propterea etiam contra tertium quà animalis possessorem procedere.

133. Ob hujus igitur actionis naturam in tertio & novo quadrupedis possessore culpam aliquam præsumptam aut fictam admittere nullo modo necessum est. Considera actionem *quod metûs causâ:* videbis, eam ex delicto nasci, darique ad persequendam rem metu extortam contra illum, qui metum intulit: & tamen eadem actio ad tertium rei illius possessorem, delicti non participem extenditur: quia non est purè personalis, sed simul (ùt vocant) in rem scripta, in quantum effectum quemdam vel proprietatem communem cum actione reali habet, persequendi scilicet rem metu extortam apud quemlibet illius possessorem.

134. Ad IV. resp. in objecta *l.* 130. *ff. de R. J.* non esse locum proprium, ubi de qualitate actionis quadrupedariæ tractetur: esse autem in *cit.* §. *un.* quare rectissimè dixeris, ex illa generica locutione de actionibus pœnalibus, quòd in concursu *una alteram* non consumat, pro pœnalitate *quadrupedariæ* in specie nihil concludi.

135. Ad V. resp. ex supra dictis, de Jure Canonico damnum ex culpa vera domini per animalia datum ante Sententiam resarciri debere: secus, quod datum fuit ex culpa præsumpta solùm & juridica. Hæc defensa sint ex suppositione, quòd lex quadrupedaria sit quasi pœnalis.

136. Quòdsi aliquis, secutus Sententiam oppositam, sustinere nolit, aut non possit, legem quadrupedariam aliquid pœnalitatis (saltem quoad simplum damni reparandi) in pectore gerere, nihilominùs eo ex capite ante Sententiam à damni reparatione & noxæ deditione excusabitur, quòd sæpe dicta lex in tanto rigore, ut etiam ante Sententiam pro foro conscientiæ ad restitutionem obliget, non videatur ullibi usu recepta, veluti notant Theologi Salmanticenses *Tr. de restit. cap.* 1. *n.* 12. & latiùs deducunt Molina *de delict. dis.* 713. Lugo *de restit. disp.* 8. *sect.* 3. *n.* 47. aliique graves Doctores, existimantes, nec Legislatoris mentem fuisse, ut pro foro interno animalium dominis, culpâ verâ vacantibus, tam molestam rigidámque obligationem imponeret, vi cujus toties Judicem & executorem sui ipsius agere compellerentur, quoties per casum fortuitum ab animalibus ipsorum rebus alienis aut personis nocumentum, quod *pauperies* appellatur, causatum fuisse intelligerent, tametsi nemo ullam satisfactionem exigeret. Neque hoc praxi conscientiosorum conforme dixeris, ùt si alicujus felis tertio damnum dederit, dominus hujus animalis ad damni

repa-

reparationem ultrò offerendam se se in conscientia obstrictum esse judicet.

137. Ex pari ratione prælaudati DD. discurrunt circa alias leges, quæ emanârunt de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur juxta *Tit.* 5. *Inst. lib.* 4. Primus casus est, si quid ex cænaculo vel ædibus dejectum aut effusum prætereunti nocuerit: tunc læso datur actio adversùs inhabitatorem ædium illarum (etiamsi ipse nihil dejecerit, aut effuderit, sed alius, qui fortè ibi est hospes) ut duplum damni præstet; vel si liber homo perierit, 50. aureos: aut si aliter ei nocitum fuerit, quantum Judici æquum videbitur. §. 1. *ib.* Secundus: Si quis in eo loco, ubi vulgò fit iter, aliquid posuerit, vel suspenderit, datur contra eum actio popularis, ut, etiamsi nihil ceciderit, in pœnam 10. aureos persolvat. §. 2. *ib.* Tertius continetur in §. *fin.* ubi vectoribus & hospitibus contra Exercitorem navis, cauponæ, aut stabuli, propter furtum & damnum ipsis in navi, stabulo, vel caupona factum ab illis, qui ibi habitandi, vel operarum præstandarum gratiâ sunt, datur actio ad duplum petendum & persequendum. Cùm enim contra exercitorem (ad quem emolumentum pertinet) neque ex maleficio, neque ex contractu sit constituta actio, & aliquatenus culpæ reus sit, quòd opera malorum hominum uteretur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur. *d.* §. *fin.* In his tribus posterioribus casibus (quos alius prior de Judice per imperitiam malè judicante præcedit) damnum est resarciendum ab aliquo, qui nullam prorsus culpam commisit. Sed quia leges, unde actiones oriuntur, concernunt quasi delicta, & cum eo indiscreto rigore nec latæ nec usu receptæ videntur, ut ante judicialem interpellationem damna à non damnificantibus reparari debeant, primùm mediante Sententia ea reparandi obligatio consurgit. Quod hactenus de actione noxali ex pauperie disceptatum & resolutum fuit, ad alteram actionem noxalem usu hodierno rariorem, quæ propter damnum à mancipio datum competit, cum proportione trahi poterit

# THESIS VI.

***Damnifians graviter per culpam Theologicè levem ex defectu sufficientis advertentiæ, probabiliter non tenetur juxta proportionem voluntarii partem damni resarcire sub mortali: sed ad summum sub veniali.***

138. PRobant hanc Thesin quoad primam partem nostri Salisburgenses, Reding, Mezger, Babenstuber &c. cum Lessio ex ratione Thesis proximè defensæ, quòd nimirum æquitas pati non videatur, ut obligatio restituendi excedat culpam, & plus sit in effectu, quàm in causa. Quoad secundam partem res in bivio hæret: haud enim ignobiles DD. cum Lessio *cit. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 27. cordatè negant, damnificantem per culpam venialem ad aliquam partem damni gravis reparandam obstrictum esse, sed requirunt negligentiam, seu culpam latam Theologicam, quæ sit peccatum mortiferum. Ratio eorum est, quòd obligatio in materia gravi non possit esse, nisi sub gravi peccato: at, si quis partem gravem damni illati reparare teneretur, obligatio esset in materia gravi: ergo non potest esse obligatio, ut quis partem gravem damni illati reparare teneatur, nisi sub peccato gravi.

139. Confirmatur I. ex eo, quòd obligatio restitutionis supponat actum injuriæ perfectum: hic autem actus cum defectu plenæ libertatis & advertentiæ stare nequit. Hinc damna ex tali inconsideratione, aut animi distractione alteri illata eodem ferè modo se habent, ac si vel ab aliquo fatuo, vel à casu fortuito provenissent. Quis in hujusmodi rebus periculosis (ait Lessius) non aliquando aliquam negligentiam admittit? Rarissimè tamen exinde talia damna accidunt: quare meritò quasi fortuita videri debent. Confirmatur II. ab instantia de voto (& similis est in juramento) quod sine plena deliberatione & voluntario perfecto emissum, ne quidem ad partem rei promissæ ut ut gravis, & divisibilis, etiam sub veniali adimplendam obligat. Dixi in secunda parte Thesis: *sed ad summum sub veniali*, videl. damnificantem ad partem damni restituendam teneri, propter illos Auctores, qui talem obligationem, admissâ culpâ theologicè levi, statuunt, Sententiámque illam ut omnino probabilem defendunt. Pro praxi, & majori tranquillitate conscientiæ, exemplo aliorum ita sentientium, damnificanti suaderem, ut cum damnificato de quota seu parte præstanda, ultrò transigat.

140. Arguitur I. Potest contingere, ut quis apponendo diligentiam ab aliis communiter adhiberi solitam advertat, nihilominus periculo damni inferendi non esse satis præcautum. Si ergo sequatur damnum, ipsi majorem præcautionem negligenti imputabitur; per consequens etiam onus restituendi incumbet. Hæc culpa levis erit; utpote opposita diligentiæ mediocri, vel etiam exactissimæ. Pr. quia culpa lata non intervenit,

venit, nisi ex omissione diligentiæ ab aliis paris conditionis communiter adhiberi solitæ. Resp. Illustriss. Reding *de Restit. qu.* 10. *a.* 2. *n.* 6. equidem in tali casu obligationem restituendi damnificanti incumbere, at non ex levi, sed culpa theologicè lata. Qua ratione enim diligentiam communiter adhiberi solitam ille apposuisse dicetur, qui periculum imminens, atque à se prævisum præcautione proportionata amoliri neglexit, idque curare omisit, quod prudentes communiter curæ habere, præstare, & præcavere solent?

141. Arguitur II. Effectus obligationis ad restitutionem regulatur, & causatur juxta virtutem, influxúmque culpæ vel injuriæ ceu causæ suæ: ergo sicuti perfectæ injuriæ illatæ per damnum, cum plena advertentia datum, pœna perfecta, ac totalis compensationis correspondet; ita injuriæ imperfectæ cum imperfecta advertentia illatæ pœna imperfecta, atque adeò partialis compensationis correspondere debet.

142. Resp. sistendo in sententia probabili, tam parum ex advertentia imperfecta & voluntario insufficienti rationem injuriæ cum effectu obligationis ad restituendum consurgere, quàm parum sine plena advertentia & voluntario perfecto, substantia voti, aut juramenti cum effectu alicujus obligationis adimplendæ consurgit. Ex quo negatur suppositum factæ divisionis, quòd injuria (etiam latissimè, ac pro illatione cujusvis damni sumpta) alia sit perfecta, alia imperfecta, pro qualitate perfectæ vel minùs perfectæ advertentiæ ac deliberationis ad periculum damni gravis inferendi. Neque hic ad injuriam, seu læsionem materialiter sumptam attenditur; sed, ut obligatio restitutionis oriatur, requiritur injuria, sive læsio *formalis*, cum sufficienti scilicet præcognitione damni, & voluntario saltem interpretativo. Cæterùm haud necesse erit, ut damnificans ad fundandam restitutionis obligationem, gravitatem malitiæ cognoscat, sed suffecerit, si ad realem damni gravitatem adverterit v. g. in projectione pecuniarum, gemmarum &c. ad alterum spectantium.

143. Arguitur III. Esto non advertam, sed ignorem, equum, quem occido, valere 100. aureis, existimando, valere 100. florenis, nihilominùs 100. aureos resarcire teneor. Ergo pariter, estò in aliis damnis ad illorum gravitatem non adverterim, attamen ad damni totius reparationem obstrictus ero: utrinque enim ponderandum est damnum grave re ipsâ tertio innocenti irrogatum. Resp. Discrimen satis esse apertum: quia in antecedenti sum in culpa lata theologicè tali, imò in dolo versor, malitiosè & ex proposito equum alienum necando: econtra in casu consequentis supponitur concurrisse culpa theologicè levis duntaxat sine animo grave damnum proximo inferendi: in primo casu itaque adest injuria formalis, & tum prævisa, tum intenta gravis damni illatio, quod sufficit ad obligationem reparandi damnum totaliter in secundo omnis abest injuria &c.

## THESIS VII.

***Seclusò pactò de adhibenda diligentia extraordinaria ratione officii cum alterius damno administrati, non oritur obligatio restituendi, nisi ex culpa lata theologicè seu moraliter tali.***

144. PRobatur ratione communi. Ex illa solùm culpa nascitur restituendi obligatio, cujus diligentia opposita in susceptione officii vel muneris ab aliquo promitti intelligitur. At hæc diligentia culpæ, opposita solùm est illa moralis & humana, quam alii frugi homines ejusdem conditionis regulariter & communiter adhibere solent: nemo enim (ait Lessius hic *l.* 1. *c.* 7. *n.* 31.) tenetur in officio vel artificio esse diligentior aut prudentior, quàm passim ejusdem conditionis homines esse solent: Ergo obligatio restituendi non nascitur, nisi ex culpa opposita diligentiæ morali & humanæ, quam alii frugi homines ejusdem conditionis regulariter & communiter adhibere solent. Hæc autem est culpa lata theologica & gravis. Itaque obligatio restituendi ratione officii cum alterius damno administrati non nascitur nisi ex culpa lata theologica & gravi, seu lethali. Ita Lug. Less. Reding. Petsch. Mezg. Babenstub. ex quorum doctrina Advocati, Medici, Chirurgi, Confessarii, & alii similes ab obligatione restituendi damna aliis illata immunes sunt, nisi ex culpa theologicè lata in suis officiis nocuerint.

145. Arguitur I. Nónne obligatus ex officio intuitu cujus accipit stipendium, tenetur ex contractu? Atqui obligatus ex contractu plerumque tenetur etiam ex culpa levi. Ergo. II. Petrus Advocatus fortè ex culpa levi clientis sui causâ cecidit, victor evasurus, si oppositâ diligentiâ mediocri spartam suam egisset. Fortè etiam cæteris se diligentiorem, aut peritiorem, vel omnino diligentissimum jactavit, quæ jactatio instar hami erat causas litigantium ad se trahendi. Quis talem ab obligatione restitutionis absolvat?

146. Ad I. Resp. Obligatum ex officio teneri quidem ex contractu, non tamen præsumi ad majorem se velle diligentiam obstringere, quàm quæ ab aliis in talis officii acceptione tacitè promitti, & adhiberi solet. Ad II. Resp. Advocatum communiter diligentem, qui seclusô pactô speciali de singulari quadam diligentia in lite succubuit, ex nulla culpa theologica ad damni restitutionem clienti devinctum esse. Quòd si jactatio diligentiæ extraordinariæ adhibendæ in pactum transierit, Advocatus (idem cum proportione intelligas de Medico, Chirurgo &c.) omissâ summâ diligentiâ injustitiæ se reum facit, obligatus ad resarciendum damnum, non quidem totum, sed quanti æstimatur spes victoriæ, mediante majori diligentia, & Advocati peritiâ obtinendæ. Quòd si Advocatus ex ignorantia crassa & imperitia, ceu culpâ theologicè *latâ* in causa succumberet, non minùs ad restitutionem obstrictus maneret, ac Consiliarius Officialis, qui ex tali ignorantia crassa suô malô consiliô causa gravis damni extitisset, & Confessarius, qui ex simili ignorantia pœnitentem ad aliquam restitutionem induxisset, ad quam ille non erat obligatus.

## THESIS VIII.

***Sive contractus tendat in commodum tui solius, ut in Commodato; sive in commodum alterius tantùm, ut in Deposito; sive in commodum utriusque, ut in Pignore, probabiliter non teneris restituere, nisi ex culpa lata, quæ sit conjuncta cum culpa theologicè gravi.***

147. PRobatur I. auctoritate tot gravium Doctorum, quos inter adduco Sotum *l.* 4. *de Just. q.* 7. *a.* 2. & 10. Lug. *disp.* 8. *sect.* 8. Tolet. Ledesma. Henriq. Less. Filliuc. Dian. Haunold. Tambur. allegatos apud Salmanticens. *de Rest. cap.* 1. *n.* 32. quos etiam ex nostris sequuntur Magnif. P. Petschacher *de Restit. q.* 3. *a.* 4. & Clariss. P. Babenstub. *ibid. disp.* 4. *n.* 34. Prob. II. ratione. Jure naturæ satisfacit, qui in re commodata, pignorata, conducta &c. eam custodiam & diligentiam adhibet, qualem ipse Dominus adhibuisset, & quâ adhibitâ, culpâ vacâsset, nec posset reprehendi ùt negligens, prodigus, malus œconomus, rerúmque administrator incurius. At, dominus fortè adhibuisset diligentiam non summam, vel summæ proximam, sed moralem, humanam, seu communem, quâ adhibitâ, si res deteriorata fuisset, aut periisset, culpâ vacâsset, & non posset reprehendi ùt negligens &c. Ergo suæ obligationi satisfacit, qui, seclusô pactô de accuratiori diligentia adhibenda, in re commodata, pignorata, conducta &c. moralem, humanam, seu communem custodiæ diligentiam adhibuit. Prætereà jure naturæ nemo censetur (etiam interveniente contractu) obligatus, ut rem alienam majori cura conservare studeat, quàm rem propriam: in re autem propria obligatur ad curam, custodiam, & diligentiam, quam communiter alii ejusdem statûs adhibere solent. Jure quoque positivo quoad forum internum prædictâ diligentiâ obligationi satisfit, ùt quis eâ adhibitâ saltem ante judicialem interpellationem, vel condemnationem non teneatur ad resarciendum damnum sine culpa lata & gravi theologica datum. Nam leges, quibus culparum gradus in contractibus ita discriminantur, aut sunt quasi pœnales (uti censent aliqui) pro stimulo accuratioris diligentiæ in avertendis damnificationibus etiam fortuitis introductæ: vel (ut loquuntur Salmanticenses, Petschacher, Babenstub. &c.) non intendunt obligationem in foro interno, & ante sententiam. Et datô, quòd Legislatores in conscientia quoque ante sententiam ad reparandum damnum obligare intenderint; nihilominùs tamen recensitæ leges quoad forum conscientiæ usu receptæ non videntur: nemo siquidem, inquit Petschacher, sibi scrupulum facit in foro externo, quòd propter damnum ex omissione diligentiæ maximæ adeóque ex culpa levissima in re commodata causatum, ad aliquam restitutionem obstrictus sit, dummodo talem diligentiam, qualem solent adhibere diligentiores, non intermiserit. Rari erunt etiam ex Doctis & Jureperitis, qui se in sacra Exomologesi de culpa levissima in rebus sibi commodatis commissa accusent.

148. Confirmatur. Demus, Petrum admisisse culpam levissimam in precario, Paulum in re commodata. Precarium à commodato in eo præcipuè differt, quòd illud ad lubitum concedentis repeti valeat: istud non nisi post lapsum temporis certo usui indulti. Item, quòd in precario solùm culpa lata & dolus, in commodato etiam levissima ex legum præscripto præstari debeat. Sciat uterque hoc discrimen. Certè Paulus, si res commodata ex culpa levissima detrimentum passa fuerit, tam parum sentiet in conscientia aliquem aculeum, qui ad compensationem stimulet, quàm parùm aliquem sentiret, si res precariò accepta deteriorata fuisset. Card. de Lugo *loc. cit. n.* 110. dicere non veretur, etiam in praxi quoad forum externum ita receptum esse, ut, nisi culpa theologica intervenerit, nemo ad damni repa-

reparationem adstringatur: culpæ enim, ob quas ex capite contractûs restitutio peti solet, semper aut ferè semper sunt culpæ latæ, in quibus culpa gravis theologica præsumitur. Deinde, qui ex officio obligati suæ obligationi non satisfaciunt, non nisi ob culpam latam condemnantur: igitur nec rigorosiùs tractabuntur illi, qui in contractibus observandis, per minorem, quàm per culpam latam deficiunt. Magnif. P. Petschach. *cit. q.* 3. *a.* 4. duplicem Thesi nostræ confirmationem subnectens: unam: quòd leges statuentes certos gradus culparum in contractibus non censeantur aliter obligare, quàm illæ, quibus damna à mancipio, vel domesticis illata resarciri jubentur: at horum recompensatio culpam latam theologicè gravem supponit: ergo etiam &c. alteram: quòd neque sit mens legum, nec intentio contrahentium, ut imponatur obligatio ad restituendum illud damnum, quod per casum fortuitum accidisse censetur. Est autem casui fortuito haud absimile, si res aliena apud commodatarium vel depositarium citra culpam theologicam per solam oblivionem naturalem, & propter inadvertentiam, aut plenam aut semiplenam deterior fiat, vel pereat: quemadmodùm casui fortuito adscribitur, si quis hactenus rem alienam sufficienti diligentia custodiverit, & subitò in amentiam plenam vel semiplenam incidens eandem corruperit. Atque hæc sententia in Thesi nostra propugnatur ùt probabilis.

149. Arguitur I. Lex *ut certo* 5. *§.* 2. *ff. commodati*, junctâ *l.* 23. *ff. de R. J.* quibûs in contractu commodati, regulariter in solius commodatarii utilitatem vergente, culpa etiam levissima imputatur, & in locatione conductione, tanquam in utriusque contrahentis commodum tendente præter culpam latam etiam levis, est justa, & consentanea rectæ rationi: igitur absque fundamento pro pœnali habetur, eòque titulo post interpellationem & sententiam ad restitutionem obligat. II. Ad id tenetur contrahens ante Judicis Sententiam, ad quod præstandum suómet consensu vel implicitè vel explicitè se obstrinxit: at se dicto modo obstrinxit v. g. in commodato ad custodiam rei diligentissimam, per consequens ad evitandam, &, si fortè eveniat, compensandam culpam etiam levissimam: consensus namque ferri præsumitur in naturam, formam & obligationem contractûs, sicuti est Legibus præscripta. Ergo commodatarius in re commodata tenetur ad custodiam diligentissimam. III. Dum contractus initur, in quo leges diligentiam exquisitissimam præscribunt, illi, in cujus favorem culpa etiam levissima præstanda venit, hoc ipso est jus quæsitum exigendi ejusmodi diligentiam, & damni reparationem, si talis diligentia non fuerit præstita: unde ex parte alterius, qui diligentiam exactissimam non præstitit, statim consurgit obligatio legalis, damni nomine satisfaciendi: quid ergo opus est exspectare interpellationem vel Judicis Sententiam? IV. Nihil frequentiùs in Scholis & foris auditur, quàm internum cum foro externo conformari debere, nisi leges statuentes quid quoad externum falsæ præsumptioni innitantur: tantò minùs autem leges, quæ pro damnis ex culpa levi aut levissima in hoc vel illo contractu secutis satisfactionem pro foro externo imperant, præsumptioni culpæ latæ commissæ nituntur, ut potius talem culpam non intervenisse supponant, eò quòd pro culpa levi aut levissima onus restituendi imponant. Ergo qua ratione quoad reparationem damni in foro exteriori proceditur, simili ratione forum internum conformari debet. V. Cùm commodatum regulariter solius commodatarii commodum respiciat, ipso jure naturæ & juxta dictamen rectæ rationis contractus ille commòdatarium *ad majorem* diligentiam obstringit, quàm contractus depositi, regulariter solius deponentis utilitatem respiciens. Ergo quia depositarius tenetur ad communem & moralem diligentiam, & ex culpâ latâ illi oppositâ, hæc diligentia manifestò erit insufficiens quoad commodatarium, cui proinde, spectato etiam jure naturali, minor & levior culpa imputabitur.

150. Resp. ad I. etiam leges verè vel quasi pœnales esse rectæ rationi consentaneas, quin ante sententiam conscientias stringant. Similiter & leges conventionales, adjectas contractibus de culpis *quoad* diversos gradus præstandis. Exem*plum in*duco de Emphyteuta, qui si intra biennium vel triennium Canonem suum non solvat, non tenetur ante Judicis Sententiam luere culpam, & fundum Emphyteuticum Domino Directo ultro restituere, *quamvis ab ipso* mediante interpellatione vel Judicis Sententia fundo privari queat. Colligitur hoc assertum ex eo, quòd in Emphyteusi Ecclesiastica mora non soluti Canonis celeri satisfactione purgari valeat. *cap. ult. de locat. conduct.*

151. Ad II. Resp. neg min. Ad probat. dico, consensum contrahentium ferri equidem in naturam, formam & obligationem contractûs, prout est à legibus præscripta, sic tamen, ut quandóque aliquæ leges vel solùm sint positæ pro foro externo ad tuendam pacem publicam & acuendam diligentiam in rerum alienarum custodia, aut executione muneris, excludendámque omnem fraudem in servandis contractibus. Leges sunt Reipublicæ nervi, *eoque fine instituuntur, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia.* Isidor. *lib. Etymol.*

152. Ad III. Resp. illi, in cujus favorem secundùm leges etiam culpa levissima præstanda venit, hoc ipso esse jus quæsitum,

talem

talem diligentiam exigendi in foro exter-go, per Sententiam Judicis, & prout leges sunt usu receptæ; item in quantum alter contrahens se obligare voluisse præsumitur: non autem præsumitur se obligare voluisse (nisi aliter, & ex speciali pacto vel assecuratione constet) quàm ad ordinariam diligentiam, qualem in rebus propriis custodiendis adhibere solet, ita ut omnem dolum & culpam gravem evitare tacitè promittat.

153. Ad IV. reponunt Salmanticenses, illam conformationem fori interni cum externo veram esse, quando leges secundùm formam aut materiam illarum, aut spectatis circumstantiis pro solo foro externo obligationem non intendunt, sed indifferentes sunt ad forum utrumque: negari verò haud posse, quòd plures leges pro solo foro externo statuantur: quibus ita statutis, forum internum non est alligatum ad observandum id, quod in externo observatur, estò hujusmodi leges in falsa præsumptione non fundentur. In cujus doctrinæ elucidarium recolantur leges noxales, quibus domini servorum vel animalium, etsi nullam culpam admiserint, ad damni restitutionem sine adstrictione quoad internum pro solo foro externo compelluntur, ut in mancipiorum & animalium custodia cautiores reddantur: pariter leges pro culpa levi aut levissima ad restitutionem pro foro externo tantùm stringunt, ut unusquisque in custodiendis rebus alienis vigilantior reddatur.

154. Ad V. prolixè respondent Salmanticenses *de Restit. cap.* 1. *à num.* 37. ex Bonac. *disp.* 1. *de Restitut. quæst.* 2. *punct.* 7. & Lugone *disput.* 8. *à num.* 115. bifariàm posse culpam dici levem vel levissimam: primò absolutè & in se spectatam: secundò respectivè: sæpe enim in uno casu reputatur levis, in alio gravis: sic aliquæ culpæ graves sunt in filio respectu patris, quæ respectu aliorum essent leves, nimirum propter majorem obligationem, quâ filius bonum & obsequium parentum curæ & cordi habere debet. Similiter defectus, qui in sæculari leves reputantur, in Religioso vel Episcopo sunt graves: quia major in his est obligatio ad illos defectus evitandos: ex quo proinde non sequitur, eandem culpam quæ formaliter in sæculari est levis, in Religioso vel Episcopo esse formaliter gravem: sed hæc diversitas culpæ levis in uno & gravis in altero provenit ex diversitate obligationis, ut culpa seu omissio diligentiæ, quæ aliàs levis esset secundùm materiam in utroque, in uno possit dici formaliter gravis ob peculiarem circumstantiam, quæ majorem circumspectionem requirit.

155. Veniendo jam ad rem nostram, hæc duo bene componuntur, nempe quòd ille, qui ex officio & contractu ad rei alienæ custodiam obligatur, non teneatur nisi ex culpa lata & mortali; & quòd nihilominùs aliquando teneatur etiam de culpa levissima, quæ nimirum talis sit secundùm se, absolutè & materialiter spectata: at respectu talis subjecti sit formaliter gravis & lata propter illius majorem obligationem, quâ consideratâ, ipsum jus naturale dictat, majorem diligentiam esse adhibendam in talis rei custodia; ex cujus diligentiæ omissione incurritur culpa lata & gravis, consequenter gravis quoque obligatio ad restituendum damnum. Unde cum omnes homines prudentes, solertes, ingenuæque indolis ratione usûs & commodi, quod ex contractu commodati percipiunt, ad majorem diligentiam in rei commodatæ custodia se obstrictos profiteantur, quàm in custodia rei depositæ, nullum prorsus commodum vel usum tribuentis, omissio illius majoris diligentiæ, ex qua damnum secutum fuit, est opposita diligentiæ communi & morali, consequenter culpam latam & gravem constituit, quæ comparativè ad depositarium, si ejusmodi diligentiam in re deposita omitteret, levis vel levissima foret. Sic etiam negari non potest, majorem diligentiam requiri in custodia v. g. gemmæ, quàm vitri, eamque diligentiæ omissionem, quæ in vitri custodia censeretur esse culpa levis, respectu gemmæ fore gravem: nónne enim prudentes & timorati homines communiter vigilantiores sunt in custodia rei pretiosæ, quàm non pretiosæ? Et quamvis fortassis hæc differentia in foro externo non ita attendatur, attenditur tamen in foro conscientiæ, prout docet Magnif. P. Petschach. *de restit. de culpa qu.* 3. *a.* 4. qui licèt nostram Thesin defendat, in praxi contrariam sententiam commendat, ut videlicet damna secundùm gradus culparum in legibus distinctos ante sententiam reparentur. Interim P. Sporer *de restit. c.* 2. *num.* 234. nostram vocat probalissimam. P. Claud. la Croix *de restit. num.* 177. consulit, ut spectetur praxis, an nempe viri prudentes & timorati soleant restituere, antequàm feratur sententia, vel restitutio exigatur, & credit, praxin communiorem esse, ut restituatur ante sententiam, si ille, qui damnum passus est, exigat.

# Resolutiones Casuum in Materia Restitutionis.

156. I. Titius, ne vectigalium summam ex toto solvere cogatur, pretiô gratis oblatô Præfectum rei vectigalis corrumpit, & sic onus solvendi ordinarium vectigal feliciter evadit. Quis horum ad restitutionem tenetur.

Resp. Suppositâ justitiâ Gabellæ primariò quidem Titium; secundariò autem, & in defectum illius Præfectum teneri ad restitutionem defraudati. Nihilominùs cùm multi Doctores dubitent, imò negent, leges tributorum & vectigalium obligare in conscientia ad actum, præsertim quando vel justam quantitatem excedunt, vel à Præfectis non exiguntur; hinc cum Molina Lugo, Marchantio Sporer, la Croix, & aliis sapientibus viris hujusmodi pœnitentes Confessarius ex post facto non facilè condemnabit ad restitutionem, tametsi ante factum omninò inducendi sint & admonendi ad exactam solutionem imposterùm faciendam.

157. II. Sempronius Feripeta contra prohibitionem Principis feras majores non paucas globô trajecit, aliisque vendidit: obligatúrne ad restitutionem?

Resp. Nec Sempronius, neque alii, quibus feras illas vendidit, tenentur ad restitutionem pro ipsis feris; Ratio est: quia Princeps in ipsas feras adhuc vagabundas & in naturali libertate constitutas nullum habuit dominium; ergò cessêre in dominium Sempronii primò capientis, seu occupantis. Si tamen Sempronius venando Principi intulit grave damnum ex eo, quòd fortè ob venationis frequentiam vel feras fugâsset, vel sobolem ferinam notabiliter extinxisset &c. teneretur resarcire damnum hujuscemodi, arbitriô viri prudentis, & rem intelligentis dimetiendum.

158. II. Cajus Collator beneficium curatum confert digno, prætermissô digniori; ad quid tenetur?

Resp. Cajum peccare quidem contra justitiam, & quidem graviter, non tamen teneri ad restitutionem. Ratio est: quia lædit solam justitiam distributivam: At verò si instituto concursu, relictô digniori conferat beneficium curatum digno, tenetur ad restitutionem, quia hôc modô lædit justitiam commutativam; eô ipsô enim, quòd concursum instituat, facit contractum quemdam innominatum, *dandi scilicèt beneficium illi, qui inventus fuerit cæteris dignior*: Ergò Clericus ad examen admissus, & pensatîs omnibûs suîs competitoribûs inventus dignior, acquirit jus strictum ad tale beneficium, pro quo tam strenuè decertavit.

159. IV. Titius prædium quoddam à Caja vidua 1000. florenîs emptum integrô quadrienniô bonâ fide possedit; eô elapsô jam à Privigno dictæ viduæ nunc defunctæ coram judice convenitur de prædio. Cumque idem Privignus probâsset, testamentum paternum, vi cujus hoc prædium ad manus viduæ immediatè pervenerat, inofficiosum fuisse, & penitùs nullum, tandem ipsum prædium evicit. Interroganti Titio quid, vel quantum tum de fundo, tum etiam de fructibus inde perceptis restituere teneatur?

Resp. Titium teneri nedum ad restitutionem fundi, ceu alieni, & jam evicti; verùm etiam ad restitutionem fructuum, quos percepit ultimô trienniô ante litis contestationem, si tamen adhuc extent; etenim si eos jam consumpsisset bona fide, non teneretur ampliùs ad illorum refusionem; sicuti nec illorum, quos primô annô possessionis suæ pacificæ collegit, ac velut possessor bonæ fidei statim post elapsum triennium, tanquam rem mobilem, præscripsit. Ita tenent Palao, Laymann, Haunold, quos refert, & sequitur Illsung *tr.* 4. *disp.* 3 *n.* 49. probatur id tum ex *L. bonæ fidei* 48. *ff. de* A. R. D. tum & clariùs adhuc ex *L.* 22. *C. de rei vindicat.* ubi habetur, quòd possessores etiam bonæ fidei post litis contestationem præstare debeant fructus exstantes universos, *quamvis* ante litis contestationem eorum dominium acquisiverint. Justè tamen poterit Titius à Privigno illo prætendere omnes expensas necessarias, &elioramenta in prædio & fundo excolendo vel necessariò, vel saltem utiliter facta.

160. V. Officialis quidam pro obtinendo servitio in aula Principis multas fecit expensas; eô obtentô cum ordinario salario à Principe sibi constituto uxorem, liberos, & familiam suam honestè & juxta rationem statûs alere non valens, annuatim ad minùs 100. florenos Domino suo clam subtraxit, ratus, Principem suum faciliùs posse carere 100. florenis annuatim subtrahendis, quippe quorum defectum nunquam animadverteret, & hoc ipso non admodùm ægrè ferret. Quæres, an hoc liceat?

Resp. Non licere; Ratio est primò, quia nullus prorsus titulus suffragatur dicto officiali aulico, vi cujus Principi suo licitè aliquid subtrahere, aut prætendere posset ab eo propter expensas illas, quas non intuitu Principis, neque in illius, sed in proprium commodum fecit, pro acquirendo scilicèt servitio. Secundò: quia Princeps neutiquam tenetur alere totam familiam suorum ministrorum, nequè iisdem dare salarium juxta quantitatem familiæ aut liberorum, sed juxta proportionem servitiorum, ac meritorum: esto proin Officialis ille nequiverit alere suam familiam ex suo ordinario salario, minimè tamen licuit subtrahere Principi; parcendum erat potiùs sumptibus minùs necessariis, neque enim opus est, ut talis in omnibus se aliis sibi similibus officialibus

parem

parem gerat in vestium præsertim pompa, famulorum famularúmve aut equorum copia &c. Neque ex eo capite excusandus est, quòd existimaverit Principem faciliùs posse 100. aut pluribus carere, quorum subtractionem nunquam sentiret; Nam, si iste prætextus justam præberet causam surripiendi alienum, planè cuilibet pauperum liceret subtrahere ditioribus, modò hi non adverterent subtractionem. At quæ, amabo! tunc foret reipublicæ facies? Liquet proin clarè, officialem nostrum per se loquendo esse obligandum ad restitutionem omnium, quæ hactenus annuatim iniquè subtraxit suo Principi: esto fortè per accidens ob impotentiam physicam aut moralem excusetur, si nihil habeat, quod reddat.

161. VI. Famulus domesticus jussus ab Hero suo quædam victualia assignatô certô pretiô emere à Mercatore B. hôc prætermissô illa minori pretiô coëmit apud Mercatorem C. & illud, quod de pretio supererat, non amplius suo Hero, sed sibi velut lucrum singularis industriæ attribuit ac reservat. Unde jam quærit 1. An Mercatori B. aliquid restituere teneatur? 2. An lucrum illud tutâ conscientiâ sibi reservare valeat?

Resp. ad primum. Famulus iste nihil tenetur restituere Mercatori B. Ratio est: quia huic nihil ademit, quod jam suum erat: & licèt videatur quodammodo illum defraudâsse justô lucrô, quod inde percipere potuisset; quia tamen ad ejusmodi lucrum Mercator nullum jus actuale, nec in re, nec ad rem habuit: hinc famulus iste respectu Mercatoris B. non egit contra justitiam commutativam, ex qua sola, si læsa fuerit, oritur restituendi obligatio.

Resp. ad secundum. Famulus nequit tutâ conscientiâ sibi reservare id, quòd de pretio supererat. Ratio hujus est: quia pecunia, quamdiu pro mercibus non expenditur, manet sui domini, qui non censetur renuntiâsse, aut voluisse renuntiare dominio pecuniæ, quæ remaneret in manibus famuli sui, utpote aliunde obligati ad fideliter gerendum domini sui negotium. Pro praxi tamen in hoc casu Confessarius gnaviter advertat: An famulus talis pecuniam sibi reservaverit ex quodam speciali & extraordinaria Domino indebita industria? An merces à Mercatore C. comparatæ fuerint ejusdem bonitatis cum illis à Mercatore B. comparandæ? An Dominus sit valdè dives, generosus, liberalis, ita ut non soleat de similibus minutiis multùm curare? Si sic: faciliùs poterit dissimulare onus restitutionis ob rationabiliter præsumptum consensum domini; idque præsertim tunc, si famulus nihil ampliùs habeat, & totum jam consumpsit: E diverso autem, si ista, aut similia, non concurrant, certò præfatam pecuniam tutâ conscientiâ neutiquam sibi poterit reservare, quandoquidem hæc reverà sit aliena, & his stantibus Dominus credi debeat rationabiliter invitus. Multò minùs permittendum erit famulo, ut idipsum deinceps denuò practicet.

162. VII. Sempronius munus Advocatiæ in se suscipiens causam clientis sui perdidit, partim quòd causam ipsius non satis penetraverit, partim etiam quòd eidem penetrandæ non satis studuerit. Quærit ergò ex Confessario, an, & quid clienti restituere debeat?

Resp. Sempronium ex eo, quòd causâ ceciderit defectu sufficientis studii, teneri ad restitutionem omnium damnorum, quæ cliens per illius negligentiam incurrit. Ratio est; quia regulariter loquendo quivis Advocatus ære conducitur (nam secùs dicendum, si ex mera charitate patrocinium suscepisset) cum pacto saltem implicito, ut suo clienti fideliter patrocinetur; ergo, si hoc non faciat ex negligentia graviter culpabili, tenebitur ad recompensanda damna suo clienti ex hujuscemodi negligentia suborta. Imò ad eandem restitutionem teneretur non solùm clienti, sed etiam actori, si scienter injustam causam suscepisset, aut injustitiam causæ culpabiliter ignorâsset.

163. VIII. Cajus testis in judicio juridicè interrogatus, veritatem non manifestat, & ex hac non manifestatione innocens alter causâ cadit, damnumque sentit injustè. Quid judicii?

Resp. non teneri Cajum ad restitutionem innocenter ac injustè læso. Ratio est: quia testis non tenetur ex justitia aperire veritatem, sed solùm ex charitate erga innocentem, & ex obedientia erga judicem interrogantem, aut denique ex virtute religionis, casu quo juramentô sese adstrinxisset ad aperiendam veritatem: At qui non peccat contra justitiam, non tenetur ad restitutionem damni; ergo &c. Secùs dicendum foret, si positivè dixisset falsum testimonium contra innocentem cum damno illius; quia tunc exstitisset positiva causa hujus damni injusti. Vid. Molin. de justit. to. 1. tr. 2. disp. 83.

164. IX. Caupo in loco solitario habens tabernam suam, fatetur, se aliquos hospites, jam pridem sibi de furtis suspectos, excepisse hospitio, eisdemque nedum administrâsse potum, verùm etiam carnes ab iisdemmet allatas (probabiliter furtivas) præparâsse: adhæc nuper eos à ministris justitiæ conquisitos in domo sua abscondisse, & occultâsse. Idque invitus licèt nihilominùs timore majoris mali incurrendi, ne scilicèt vel domum sibi comburerent, vel aliud grave damnum inferrent, se fecisse ait. Jam verò scire cupit, an peccet eos in domum recipiendo? & an peccârit, eos abscondendo?

Resp. ad primum. Si caupo iste rationabiliter timuit hujuscemodi grave damnum, & præcisè animô illud evitandi eos recepit hospitio, neutiquam peccavit, ne quidem coquendo & præparando carnes, quas probabiliter credere licuit furtivas. Ratio est: quia

quia tam receptio in hospitium, quàm carnium præparatio est actio de se indifferens. At, qui actionem de se indifferentem exercet, compulsus gravi necessitate, ad evitandum scilicèt grave damnum, non peccat, veluti communissimè tradunt DD. Ad secundum Resp. cauponem equidem tam facilè excusari non posse ex eo, quòd conquisitos à ministris justitiæ occultaverit; si enim eos prodidisset, nullum utique, aut certè exiguum periculum ab iisdem habuisset timendum: Dato tamen, & supposito, quod illos ex vero & fundato timore præfati, vel aliunde ab illorum sociis fortè sibi imminentis periculi, in domo sua absconderit, dicendum, quòd non peccâsset. Ratio est: quia occultando illos ex dicto motivo neutiquam dici potest, quòd ad aliorum damna per ulteriora furta inferenda, intenderit cooperari: quæ, si posteà sequantur, non cauponi recipienti & permissivè tantùm se habenti, sed potiùs malitiæ receptorum imputanda sunt. Imò, etsi fortè caupo iste ex charitate pro possibili avertere damna aliis innocentibus imminentia potiùs obligatus fuisse, & propterea graviter contra charitatem peccâsse, supponatur, quia tamen charitas incipit ab *Ego*, & ipse non fuit obligatus ex justitia ad avertenda damna innocentium; hinc planè non video, cur condemnari posset ad compensationem damnorum: cùm contra justitiam non peccaverit?

165. X. Titius Cajæ jam à se imprægnatæ suasit, ut alteri cuidam Sempronio illicò potestatem sui corporis faceret, eumque apud Judicem nominaret patrem suæ prolis. Ad quid obligabis utrumque?

Resp. Titius gravissimè peccavit nedum contra charitatem peccatô scandali, suadendo, & inducendo Cajam ad novam fornicationem cum alio; verùm etiam contra justitiam, dum eandem induxit ad graviter decipiendum Sempronium, quatenus is falsò haberetur pro Patre prolis, & ad hujus sustentationem cogeretur, utique non sine gravi detrimento, ut de se satis liquet. Quare, etsi Sempronius fortè à judice compulsus, huic proli alimenta necessaria hactenus administrâsset, propterea tamen Titius minimè fuit liberatus ab onere sustentandi prolem, aut Sempronio ea, quæ expendit, refundendi. Ratio est: quia Titius fuit verè causa injusta omnium illorum damnorum, quæ Patri putatitio per sententiam judicis, utpote erroneam & materialiter saltem injustam, secuta fuêre. Deinde, estò Caja supponatur ex instinctu Titii Sempronium nominâsse parentem, & certè sine evidenti periculo gravioris damni in fama propria huic putatitio parenti nihil ampliùs restituere possit, vel ob impossibilitatem moralem, aut periculum notabiliter majoris damni rationabiliter prævisum, ab onere restitutionis excusetur: Nihilominùs certum est, Cajam teneri pro possibili ad impedienda damna Sempronio imminentia, aut deinceps per ulteriores expensas emersura; quòd sine periculo infamiæ suæ fieri poterit, si Sempronio dicat, deinceps nihil ampliùs se ab eo postulaturam, sed de propriîs suîs bonîs proli suæ prospecturam esse vel saltem sub prætextu, quòd ab alio vel alia benefactrice alimenta necessaria obtineat &c. ulteriorem exactionem dissimulet.

166. XI. Sempronia famula cujusdam œnopolæ verrendo popinam tres dugatos papyro involutos, quos, utpote ignorans cujusnam essent, vel quisnam ex hospitibus, copiosè illuc confluere solitis, eos perdidisset, per unam alteramve septimanam reservavit; & quia hactenus nemo de pecunia perdita inquisivit; hinc suscitatur ex Confessario: An sine ulteriori indagine tutâ conscientiâ possit sibi reservare dictos tres dugatos? An hero suo de hac inventione teneatur aliquid dicere, vel ex eo, quòd in ipsius popina invenerit, ultrò eosdem, vel medietatem saltem offerre, præsertim si hanc prætendat? Quid respondendum Semproniæ?

Resp. ad primum: Sempronia illos tres dugatos non potest sibi illicò reservare ex eo præcisè, quòd hactenus nemo inquisiverit, sed tenetur eos ulteriùs adhuc conservare ad minus per annum integrum, vel saltem dimidium, & interea apud alios, præsertim tales hospites, de quibus rationabiliter dubitare licet, an non aliquis ipsorum perdiderit? saltem in terminis generalibus interrogare, *An nihil perdiderint?* Ratio est: quia juxta *communissimam* DD. inventor rei alienæ tenetur indagare dominum diligentiâ morali & humanâ, scilicet proportionatâ gravitati rei inventæ; cùm enim inventor rei alienæ teneatur ad restitutionem illius, ad hanc exequendam etiam necessè est inquirere dominum: hac de causa in *cap. si quid. caus.* 14. *q.* 5. dicitur: *si quid invenisti, & non reddidisti* (culpabiliter scilicet) *rapuisti.*

Resp. ad secundum: Sempronia per se loquendo nihil tenetur dicere hero suo de dugatis inventis, nisi probabiliter liceret suspicari, eos fuisse ab illo perditos; multò minùs tenetur eos dare hero suo, sed potest tutâ conscientiâ sibi reservare, si post factam congruam inquisitionem nulla ampliùs spes appareat inveniendi dominum &c. Ratio est: quia bona incerta (uti sunt taliter inventa) fiunt primò occupantis, juxta *l.* 1. *ff. pro derelicto.* At primo occupans fuit Sempronia inventrix, non autem Dominus Taberna; ergo &c. Et quamvis eos invenerit in fundo, vel potiùs in superficie soli, heri sui nullatenus tamen dici possunt thesaurus; ideoque nec medietatem prætendere valet herus, neque Constitutiones *l.* 1. *Cod. de thesaur. & §. Thesaurus. instit. de R. D.* loquentes duntaxat de thesauris, huc extendi debent, vel possunt. Imò, etsi post unum vel duos annos primùm compareat dominus & rem deperditam repetat, si tamen Sempronia eandem jam bona fide consumpsit, nec inde

inde evasit ditior, ad nihil amplius adstringi potest; quia nullus potest ostendi titulus, vi cujus teneretur quidquam restituere, ut consideranti patebit.

167. XII. Titius cum suo vicino incidit in rixas, unde à verbis tandem ad verbera ventum est, ita, ut Titius alterum ligone in capite percussum occiderit. Jam verò vidua relicta cum prolibus pro damno ex occisione sui mariti illato sibi satisfieri postulat. Quæritur, utrùm Titius in conscientia ad hoc teneatur?

Resp. Quoad forum internum à Confessario attendendum esse, an Titius habuerit intentionem verè mortaliter peccaminosam occidendi suum vicinum, aut saltem graviter lædendi illum, vel non? Si primum; tenebitur resarcire damna viduæ prolibusque parente jam orbatis illata: Nam cùm percussio ligone in capite facta sit valdè periculosa, & communiter quasi connexa cum homicidio, meritò imputabitur ei hoc homicidium velut indirectè saltem voluntarium, etsi forsan habuisset solummodò intentionem graviter lædendi, & non occidendi. Econtra tamen, si Titius fateatur, se nullam habuisse intentionem graviter lædendi, multò minùs occidendi, hocque accidisse præter, imò contra intentionem suam, eò quòd ex mera indeliberatione, aut motu iracundiæ prævertente, & rationi prædominante alterum percusserit, in foro conscientiæ (quidquid sit de foro externo, cui post Judicis sententiam omninò parendum) absolvendus est ab onere restitutionis seu resarcitionis. Ratio est: quia nemo in conscientia tenetur ad reparationem damni gravis, nisi hoc sit illatum modo directè vel saltem indirectè voluntario, & quidem cum culpa Theologica gravi, quam in secundo casu probabiliter non incurrit Titius; ergo absolvendus erit in foro interno ab onere compensandi damna, uti communiter tenent DD. nominatim Sanchez, Tambur. Sporer, Reiffenstuel aliique plures.

168. At, inquies, demus, hoc homicidium fuisse Titio voluntarium, quid, vel quantum tunc viduæ prolibusque ejus in individuo tenebitur dare?

Resp. Quantitatem hujus compensationis illicò determinari non posse; cùm enim divinari non possit, quamdiù maritus vixisset, neque etiam sciri, quantum, demptîs expensîs, fuisset lucraturus, hinc pariter impossibile erit, rem hanc exactè decidere. Neque opus est, ut Confessarius illicò aliquid determinet, aut decidat, sed sufficit, pœnitentem obligare ad diligenter indagandum, quantum maritus, subtractîs expensîs, annuatim suæ familiæ lucratus fuerit, vel quantum alii ejusdem conditionis homines lucrari soleant, quô compertô, jubeatur tantum solvere, quantum, pensatîs omnibûs circumstantiîs, viduam & proles fuisse damnificatas viri probi ac prudentes judicaverint. Quin etiam contingere potest, ut hujusmodi homicida obligationem restituendi & aliquid compensandi omninò evadat, quando ejusmodi viduæ & prolibus jam aliunde provisum fuit aliis mediis, si illa v. g. alium maritum æquè bonum, vel fortè meliorem & chariorem priore sortita sit: istæ verò jam adultæ se ipsas alere natæ; talibus enim defunctus ex justitia non ampliùs tenebatur providere de necessariis, ideò morte sui parentis revera non fuerunt damnificatæ. Idipsum dicendum, si occisus prolibus suis, vel uxori, nihil ampliùs meruisset, tametsi diutiùs vixisset. Adhæc; licèt homicida injustus teneatur refundere expensas factas in Medicos & Chyrurgos; quia harum verè exstitit causa injusta: non tamen tenetur ad refundendas expensas factas pro funeralibus seu exequiis, nisi ratione loci vel aliarum circumstantiarum solitô majores fieri debuissent. Ratio est: quia illas hæredes facere debuissent, quocunque demum tempore, aut morbo defunctus obiîsset. Ita Reiffenstuel Theolog. moral. tr. 9. dist. 3. n. 51.

169. XIII. Caja saga incarcerata & torturæ subjecta Magiæ crimen ingenuè confessa, aliam fœminam innocentem ejusdem criminis complicem mendaciter ream agit, quæ pariter à Judice comprehensa, & torturæ subjecta est; & quia nihil fateri voluit, certè nec potuit, vi illius ad extrema deducta fuit: postulavit proin Confessarium; quem cùm negâsset Judex, ante hujus adventum exspiravit; quod ubi Caja intellexit, candidè fassa est, defunctam fuisse innocentem, à se verò partim ex invidia partim verò ex instinctu diaboli injustè velut criminis complicem delatam fuisse. Quæritur jam in hoc casu, quomodo tam Judex quàm Caja deliquerint, & ad quid teneantur?

Resp. ad primum. Judex graviter peccavit, ob solam depositionem sagæ procedendo ad torturam defunctæ. Ratio est: quia ad hanc prærequiritur saltem semiplena probatio criminis, quam sola depositio sagæ facere non potuit, præsertim cùm aliunde constet pluribûs exemplîs, quòd sagæ soleant alios innocentes sæpè deferre & nominare, vel ut processum differant, vel ut aliis noceant; Graviùs adhuc peccavit idem Judex: eam torquendo in tantùm, ut ad extrema deducta fuerit; gravissimè verò per se loquendo deliquit negando Confessarium constitutæ in mortis periculo, ùt de se clarum, & inter omnes Catholicos receptum est. Unde resolvendum videtur, Judicem (saltem in defectum Cajæ injustæ delatricis) teneri non solùm ad publicandam innocentiam defunctæ, quatenus huic coram mundo

do fama reſtituatur: verùm etiam ad reſarcienda omnia damna realia in bonis fortunæ hæredibus forſan inde ſecuta: Ratio eſt, quia tanta ruditas, ignorantia, imò crudelitas in Judice Chriſtiano inexcuſabilis eſſe videtur à peccato injuſtitiæ mortalis, & per conſequens neque ab onere reſtituendi, ſeu etiam reſarciendi damna aliis innocentibus inde illata. Videantur de hoc Gobat in *ſuo Clypeo tr.* 11. *n.* 311. *Delrio lib.* 5. *ſect.* 5. *n.* 4. La Croix *l.* 4. *n.* 14. *&* 48.

Reſp. ad ſecundum. Caja graviſſimè deliquit diffamando innocentem: unde etiam nedum ante torturam & mortem illius, ſed etiam poſt mortem tenebatur adhuc revocare iniquiſſimam ſuam delationem, etiamſi Caja prævideat, ſe propterea gravius puniendam eſſe. Ratio eſt: quia in pari cauſa debet eſſe melior conditio innocentis: atqui delata fuit innocens; non item Caja; ergo hæc tenetur revocare ſua dicta, non obſtante, quòd prævideat, ſe graviùs eſſe puniendam; quia exceſſus hujus pœnæ aliàs commeritæ non eſt tanti æſtimandus, ut propterea adeò malitioſa delatrix excuſari poſſit, aut debeat à revocanda infamia innocenti tam iniquè inuſta, & nedum in defunctam duntaxat, ſed etiam in totam ipſius familiam redundaturâ.

170. Dices. At, quid agat Confeſſarius, ſi Caja nolit revocare falſam ſuam delationem metu gravioris torturæ, aut ſupplicii perferendi?

Reſp. omni quidem poſſibili modo inducendam eſſe, ac perſuadendam, ut revocet falſum crimen alteri impoſitum: nihilominùs caſu quô Confeſſarius ab hujusmodi malefactrice cæteroquin ad moriendum &c. diſpoſita obtinere nequit, ut revocet, eidem perſuadeat, ut ſaltem privatim præſentibus duobus teſtibus & Confeſſario id faciat, aut ſi ne hoc quidem fieri poſſit, in loco ſupplicii coram populo proteſtetur ſincerè, ſe ſuo Confeſſario aliquid crediddiſſe, ſpectatoribus poſt mortem ſuam mox aperiendum, & ab ipſis infallibiliter credendum: tunc verò nomine malefactricis jamjam defunctæ Confeſſarius de licentia priùs obtenta revocet, & declaret innocentiam illius, quicunque demum injuſtè delatus fuit. Videatur etiam de hoc Laymann *l.* 3. *tract.* 6. *c.* 5. *§. un. n.* 25. *& ſeqq.*

# Tractatus XVI.

De

# Piis Causis.

# SYLLABUS QUÆSTIONUM.

## DISSERTATIO I.

Quid ſit diſpoſitio ad piam cauſam? quæ ejus requiſita?

QUÆSTIO I.

*Quomodò pia cauſa ſtrictè ſumpta definiatur?*

QUÆSTIO II.

*An pro pia diſpoſitione ſufficiat cauſa exiſtimata?*

QUÆSTIO III.

*An ſit pia cauſa, quod eſt relictum diviti ob bonum animæ relinquentis?*

QUÆSTIO IV.

*Sìtne diſpoſitio piæ cauſæ, ſi aliquid pauperi conſanguineo relinquatur?*

QUÆSTIO V.

*An relictum pro redemptione Captivorum ſemper ſit pium?*

QUÆSTIO VI.

*Sìtne pia cauſa, dum puellæ pro dote aliquid relinquitur?*

QUÆSTIO VII.

*An relictum ſtudiorum gratiâ ſit pia cauſa?*

QUÆSTIO VIII.

*An hoſpitalia, licèt non ſint authoritate Eccleſiaſtica erecta, inter loca pia habeantur?*

## DISSERTATIO II.

De Privilegiis piæ cauſæ in Teſtamentis & Legatis.

QUÆSTIO IX.

*Qualia privilegia piæ cauſæ competant in Teſtamentis & Legatis?*

QUÆSTIO X.

*An præſentia teſtium ſit de forma Teſtamenti ad pias cauſas?*

QUÆSTIO XI.

*Valeàtne Teſtamentum pium, nutu & ſignis factum?*

QUÆSTIO XII.

*Valeàntne pia legata, quando facultas teſtandi jure Civili non erat conceſſa?*

*Varia alia Privilegia piæ cauſæ præſertim in relictis Eccleſiæ.*

QUÆSTIO XIII.

*Poſsìtne legatum, pro puella maritanda relictum, dari religionem ingreſſuræ?*

QUÆSTIO XIV.

*Si Puellæ legentur mille, ſi nupſerit, ducenta, ſi monialis fiat, an moniali factæ debeantur mille?*

QUÆSTIO XV.

*An legatum, Virginibus maritandis relictum poſſit peti ab occultè deflorata?*

## DISSERTATIO III.

De Piis Legatis quoad Anniverſaria & Miſſas.

QUÆSTIO XVI.

*Quid agendum cum relictis pecuniis pro Anniverſario perpetuo?*

QUÆSTIO XVII.

*Valeàtne legatum pro Miſſis relictum Eccleſiæ, at ſine expreſſione Eccleſiæ: & cui debeatur?*

QUÆ-

# DISSERTATIO IV.

## De Legatis relictis pro malè ablatis: detractione quartæ: & ultimarum voluntatum commutatione.

QUÆSTIO XVIII.

*Quid sint malè ablata? qualiter restituenda*

QUÆSTIO XIX.

*Quænam sint privilegia in legatis relictis pro malè ablatis, ut eorum restitutio tantò magis promoveatur, & saluti animæ consulatur?*

QUÆSTIO XX.

*An à legatis piis possit detrahi quarta Falcidia? vel Trebellianica?*

QUÆSTIO XXI.

*An & qualiter S. Pontifex pias dispositiones possit commutare?*

QUÆSTIO XXII.

*Possintne etiam Episcopi intra suam Diœcesin pias ultimas voluntates, causa subsistente, commutare?*

# DISSERTATIO V.

## De Pia Causa Oblationum.

QUÆSTIO XXIII.

*Utrùm oblationes cadant sub præceptum?*

QUÆSTIO XXIV.

*Valeàtne consuetudo, vi cujus Ecclesiastici Laicis oblationes facere tenentur?*

QUÆSTIO XXV.

*Utrùm Parochiani ad oblationes compelli possint, si Parochus, non habens congruam, aliquo artificio se juvare possit?*

QUÆSTIO XXVI.

*Ad quem regulariter oblationes spectent?*

QUÆSTIO XXVII.

*Quorsum spectent oblationes factæ imagini existenti in domo alicujus Laici?*

QUÆSTIO XXVIII.

*An etiam Regulares oblationes, in suis Ecclesiis factas, recipere possint?*

QUÆSTIO XXIX.

*An oblata ad unum usum, ad alium publicum, & proficuum converti possint? & cujus authoritate?*

QUÆSTIO XXX.

*Quid requiratur ad oblationem piam? & quales res?*

# DISSERTATIO VI.

## De pia causa Eleemosynæ.

QUÆSTIO XXXI.

*An Pia Eleemosynæ largitio sit actus charitatis?*

QUÆSTIO XXXII.

*An opus Eleemosynæ cadat sub præceptum?*

QUÆSTIO XXXIII.

*An Eleemosyna danda sit non solùm in extrema, sed etiam in gravi vel communi necessitate?*

QUÆSTIO XXXIV.

*Utrùm singuli divites, quibus nota est alicujus indigentia, ad subsidium teneantur?*

QUÆSTIO XXXV.

*Utrùm Eleemosyna danda sit etiam de injustè acquisitis?*

QUÆSTIO XXXVI.

*Quinam Eleemosynas facere prohibeantur?*

QUÆSTIO XXXVII.

*Qua ratione Clerico pauperi beneficiô competentiæ subveniatur?*

QUÆSTIO XXXVIII.

*An Parentum paupertas Filium ab ingressu Religionis impediat?*

# PROLOQUIUM.

POstquàm Justitiæ & Juribus cùm discernendis tùm reparandis gemino Tractatu vacavi, calamum ad Pias causas verto, à rigore ad favorabilia. Potuissem cum aliis Theologis, de Jure & Justitia tractantibus, explanationi Testamentorum profanorum, contractuum, vel rerum judicialium immorari: sed consultius fore duxi, si piis causis exponendis operam meam navarem; non tam ea ratione, quòd prænominatas materias in Libris Decretalium in compendium redegerim, quàm quòd Theologis junioribus, quibus piarum causarum cognitio suo tempore non solùm utilis, sed etiam scitu necessaria erit, mellificare intenderim. Nec me à scribendi proposito absterrere passus fui, quòd alicubi quidam egregii viri hac in re non exigua stipendia apud litteratos promeruerint: memineram siquidem, D. Augustinum dixisse: *Utile est, plures libros à pluribus diverso stylo etiam de eisdem quæstionibus fieri:* neque erubesco, in pluribus bonorum Interpretum cumulatorem agere, qui hebetudini ingenii proprii in rebus tam ambiguis fidere & inniti nolo. Si facienda non debeant sine consilio fieri, ne post factum nos pœniteat (secundùm illud: quæcunque geruntur, publicis viribus, sed privatis consiliis administrari debent: &: bonum uti consiliô in rebus arduis, celeritate in urgentibus, morâ in periculosis, experientiâ & robore in dubiis) nec scribenda incipere tutum erit, nisi docti Interpretes, tanquam optimi consiliarii consulantur, qui scriptis authoritatem concilient.

---

# DISSERTATIO PRIMA.

## *Quid sit Dispositio ad Piam Causam? Quæ ejus requisita?*

DUm de Piis Causis scribendi provinciam assumo, non solùm affectum internum pietatis, quæ ad omnia utilis esse dicitur, pensabo, sed opus quoque externum, privilegiis peculiaribus dignum. Dixit nonnemo, plus apud bonos pietatis jura valere, quàm omnes opes: factis tamen eam magis exercendam esse, quàm solis verbis jactandam: dicam ego, ejusmodi tunc plurimùm valere, si ad meritum supernaturale eleventur; quod fiet, si ab aliquo constituto in statu gratiæ & pia pura mentis intentione in DEUM ut finem ultimum referantur.

## QUAESTIO PRIMA.

### *Quomodò Pia Causa strictè sumpta definiatur?*

1. CArdinalis Tuschus *Practicar. Conclus. Lit. P. Conclus.* 332. piam causam dicit, quando verè & simpliciter contemplatione causæ piæ aliquid relinquitur: alii causam piam definiunt, esse quidquid intuitu DEI relinquitur. At neutra definitio placet: non prima: quia nihil aperit de natura definiti, sed est nuda definiti repetitio: nec altera: quia non sola intentio, seu motivi pietas causam piam facit: sequeretur enim, quòd Principi donans inter vivos, vel relinquens mortis causâ aliquam pecuniæ summam, dispositionem ad piam causam exerceret. Prænôsse juvat, piam causam, si latissimè sumatur, includere quamlibet causam favorabilem, quæ pietatem aliquam & humanitatem præsefert; quo sensu etiam quælibet dispositio ultimæ voluntatis, cujus executio citra nefas impediri nequit, *l. contra voluntatem. Cod. de Testam. manumiss.* nomen piæ causæ participat. Largè sumpta complectitur omnes dispositiones, quibus jura speciales favores & privilegia indulgent: quales causæ sunt Civitatis, Fisci, mulierum circa dotes, pupillorum, minorennium, militum.

2. Re-

2. Resolutio: Pia Causa strictè, & ùt est hujus loci, accepta, est dispositio facta ex motivo cultûs Divini, alteriùsve pii operis, pro bono spirituali animæ. De his piis causis agere hujus instituti est: in quibus tria sunt perpendenda: ex parte disponentis *intentio* exteriùs significata: opus aliquod, seu dispositio: deinde etiam *causa*, seu *ratio*, in qua operis pietas vigeat.

# QUAESTIO SECUNDA.

## *An pro pia dispositione sufficiat causa existimata?*

3. DOnatur vel inter vivos, vel per viam legati aliquid homini diviti, quem donans vel legans pauperem esse existimavit. Valètne in vim dispositionis ad piam causam?

4. Resolutio: Valet ejusmodi dispositio tanquam ad piam causam, sic tamen, ut res non debeat tradi personæ diviti, quæ pauper esse existimabatur, sed alteri verè pauperi: non tamen potest hæc dispositio converti in aliam piam causam, v. gr. ut relictum applicetur Ecclesiæ. Ita post alios Bossius *de Testam. Piis tit.* 12. §. 4. *nu.* 259. & alii quos sequitur Mostazzo *lib.* 1. *de Caus. Piis cap.* 1. *à num.* 8. Ratio est, quòd in causis piis donatum vel legatum, etiam impersonaliter relictum, valeat; & interpretatio voluntati disponentis conformari debeat, in quantum prudentum judicio ad illius intentionem quàm proximè acceditur. Intentio autem seria donantis vel legantis erat, ut subveniatur pauperi: igitur res relicta exitum sortiri debet intra causam paupertatis, & non in dissimilem converti. Quare in tali casu Ecclesiæ non debet applicari.

# QUAESTIO TERTIA.

## *An sit pia causa, quod est relictum diviti ob bonum animæ relinquentis?*

5. REsolutio fit sub distinctione: vel enim relinquens præfato modo aliquid, voluit absolutè, ut dives rem relictam acquirat, & sibi habeat: vel hoc ita determinatè voluisse non apparet, aut non præsumitur? Primo casu nequit dici pium. Nam si ad causam piam, prout inter Doctores sumitur, sufficeret solum motivum Divini amoris, aut salutis animæ ex parte disponentis, quælibet opera ex prædictis motivis suscepta favore & privilegiis piarum causarum gauderent. Quamobrem, præter motivum præexplicatum, aliqua particularis causa seu ratio, in qua vigeat pietas, requiritur, adeòque non sufficit pietas, quæ simulatur, sed in substantia veritatis consistere debet. *l.* 1. *Cod. de Mendicant. valid. lib.* 11. *l. cùm bi.* 8. *§. sed in annos, ff. de Transact.* In præsenti autem casu manifestum est, & rationem personæ deficere, quæ nempe esset pauper, & rationem causæ, in qua honestas operis pii v. gr. misericordiæ fundaretur.

6. Nec obstat, quòd pium censeatur, quod relinquitur Ecclesiæ etiam diviti. Nam cultus Divinus, ad cujus augmentum res v. gr. legata destinatur, est causæ piæ veritas in substantia consistens: minimè verò persona dives, si ipsi aliquid relinquatur, reverà fundamentum pietati præbet; cùm res v. gr. pecunia relicta in utilitatem profanam convertatur.

7. In secundo casu secundùm Bartol. in *l.* 1. *Cod. de SS. Eccles. num.* 33. apud Mostazzo *cit. c.* 1. *num.* 16. relictum diviti ob amorem DEI, vel pro salute animæ, habendum erit pro *pio*, & dives cogi debet, ut rem illam vel in pauperes vel in aliam piam causam distribuat: relinquens enim ita comparatus est, ut dispositio in bonum spirituale animæ singulariter cedat: quod fieri nequit, si res apud divitem maneat. Neque decet in dubio præsumptionem capere, potiùs utilitatem divitis, quàm profectum propriæ animæ menti disponentis obversatam fuisse. Imò, licèt regulariter, & in dubio, id, quod pauperi verè indigenti relinquitur, pium censeatur; attamen, si constaret, disponentem non fuisse ductum ex motivo pietatis, & propter causam indigentiæ, sed puro affectu v.g. amicitiæ, aut familiaritatis, pia causa non foret. Vid. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 115. *n.* 6. Velasc. *de Privil. pauper.* 1. *part. quæst.* 52. *num.* 19. Barbos. *J. E. U. l.* 3. *cap.* 27. *num.* 8. *& seq.* ubi sic loquitur: Si pauperi legâsset aliquis non intuitu pietatis, non esset legatum pium: quia deficiet pietas in causa: in dubio tamen censetur intuitu pietatis relictum. *l. id quod pauperibus. Cod. de Episcop. & Clericis.*

# QUAESTIO QUARTA.

## *Sitne dispositio piæ causæ, si aliquid relinquatur pauperi Consanguineo?*

8. NEgativam opinionem succollare videtur tex. in *cap. requisiti.* 15. *de Testam.* ubi Innocent. III. subtiliter indagat, fueritne Episcopo aliquid relictum à propinquo, an ab extraneo. Priori modo relictum intelligitur intuitu consanguinitatis, non intuitu pietatis & cum ordine ad Ecclesiam Cathedralem. Propthereà & ille testator, qui pauperi consanguineo aliquid legat, ratione sanguinis, non ex commiseratione considera-

tæ paupertatis, motus fuiſſe dicetur. Facit etiam illa ratio, quòd in concurſu cauſæ naturalis cum accidentali, præſumptio præponderet pro cauſa naturali, qualis in præſenti eſt propinquitas, contra paupertatem, quæ ſe habet ùt cauſa accidentalis. Tiraquel. in *præfat. ante privileg. Piæ Cauſ. num.* 16.

9. Reſolutio : præ omnibus attendendæ ſunt conjecturæ, quæ ſit voluntas diſponentis : his deficientibûs, ſi aliquid ſimpliciter fuerit pauperi conſanguineo relictum, ſtandum erit pro diſpoſitione pia. * Ratio eſt, tum quia in concurſu plurium cauſarum meritò præfertur & prævalet illa, quæ eſt dignior, aut potentior, quæque favorem animæ reſpicit: at in noſtra hypotheſi cauſa pietatis in paupere dignior eſt cauſa propinquitatis, cùm favorem animæ reſpiciat: tum quia ratio propinquitatis minimè impedit voluntatem ſubveniendi indigentiæ pauperis; quandoquidem & inſtinctu velut naturali, & lege charitatis magis afficimur ac quandòque obſtringimur ad ſuccurrendum & benefaciendum pauperi conſanguineo, quàm pauperi extraneo. *cap. non ſatis. diſt.* 86. Et ideo executor deputatus ad diſtribuendum pauperibus, poteſt eligere pauperes conſanguineos teſtatoris, ùt tenent Baldus, Angelus, & Immola in *l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit.* apud Tiraqu. in *cit. præfat. pag. m.* 5.

10. Ex quo enervata manet ratio pro defenſione opinionis negativæ allata; quam negativam tunc demum ſequerer, ſi ſumma, v. g. per viam legati relicta tanti foret excelsûs vel pretii, ut potiùs ad conſanguineum ditandum, quàm ejus inopiam refocillandam collimaret : tunc quippe ratio pietatis ceſſaret, & ſtatus augendæ cognationis prævaleret.

11. Neque tex. *cap. requiſiſti.* contrariæ opinioni aſſiſtit. Nam ibi non dabatur concurſus paupertatis & conſanguinitatis: ſed ſimpliciter legatum erat relictum Epiſcopo à ſuo propinquo, adeòque ex cauſa profana propinguitatis: hìc verò ambæ cauſæ in eandem perſonam ita coincidunt, ut conſanguinitas opus pietatis erga pauperem non tam *impediat*, quàm fortiter promoveat.

## QUAESTIO QUINTA.

### *An Relictum pro Redemptione Captivorum ſemper ſit pium?*

12. Reſolutio : pium eſt regulariter : magna ſiquidem in hoc opere relucet pietas; charitas, & miſericordia: hinc & in *l. ſi quis pro redemptione. 36. Cod. de Donat. piiſſima* dicitur *adminiſtratio*, quæ pro captivis ſuſcipitur. Procedit quoque in captivis ex crimine, ut notat Tiraquel. *cit. præfat. pag.* 5. adductâ Gloſſâ in *cap. ſacrorum. cauſ.* 12. *quæſt.* 2. & Bald. in *Authent. ſimiliter. Cod. ad Legem Falcid.* Item in captivis detentis etiam apud Chriſtianos. Monet. *de Commut. ult. volunt. cap.* 4. *num.* 40. qui cum aliis redemptionem captivi ſub ea ſolùm conditione pro cauſa pia admittit, quando eſt pauper, nec habet, unde ſe à ſervitute redimat.

13. Huic piæ cauſæ affine eſt relictum pro excarcerandis pauperibus. Eſt quippe carcer quædam ſepultura vivorum, & ſpecies tormenti; hinc carcerati inter miſerabiles perſonas numerantur: per conſequens excarcerare pauperem, eſt ipſum à magno malo liberare, & opus maximè pium exercere, ſi quis pro anima ſua id faciat.

## QUAESTIO SEXTA.

### *Sitne pia cauſa, dum puellæ pro dote aliquid relinquitur?*

14. Reſolutio eſt affirmativa, dummodò puella ſit pauper: quia ſic eripitur è periculo, ne, dum præ egeſtate deberet manere innupta, ab improbis venatoribus ad venerem pelliceatur. Diana *tr.* 6. *reſ.* 31. & alii apud Moſtaz. *dict. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. Quòd ſi puella non eſſet pauper, ideòque cauſa pietatis & miſericordiæ ex parte recipientis deficeret, relictum non foret cauſa pia propriè ac ſtrictè, & ſecundùm quod à ſacris Canonibus conſideratur : ſed latiùs duntaxat & ſecundùm ſenſum Juris Civilis, in quo intelligi debet *l. cùm is.* 32. *§. mulier. ff. de condict. indeb.* ubi dotare pietatem eſſe dicitur. Cùmque à dote legitima ſit argumentatio ad alimenta, hæc pauperi relicta piis cauſis cum communi accenſebimus. Dixi: *pauperi:* nam ſi diviti relinquantur, ex parte recipientis cauſa pietatis deficit; quapropter non niſi largo modo, & propter favores ac privilegia, quibus alimenta à Jure Civili foventur, nomen cauſæ piæ ferunt.

15. Præterea pium dicetur, quod legatum fuit meretrici pauperi, ut ad meliorem vitam redeat, maritum inveniat, vel in Religione aliqua profiteatur. Tiraquel. *cit. præfat.* & alii. Similiter, quod concubinæ ex tali fine relictum fuit, niſi oſtendi poſſet, concubinarium ſolùm ſimulatè ſic legâſſe, & ad hoc blanditiis & illicito ſuæ amaſiæ amore permotum fuiſſe. Moſtaz. *d. cap.* 2. *à num.* 19.

QUAE-

# QUAESTIO SEPTIMA.

## *An relictum studiorum gratiâ sit pia causa?*

16. RESolut. prima: absque dubio hæc causa pia censetur, si pauperes fuerint nominati, vel subintellecti; sive quis deinde vacaturus sit scientiæ profanæ, quales sunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Philosophia, Jus Civile &c. sive Scientiæ sacræ, quales sunt Theologia & Jurisprudentia Canonica: Ratio patet ex dictis: quia causa paupertatis est pia.

17. Resol. secunda: Si quid legatum fuerit absolutè pro expensis ad studia profana prædicta, nihil addendo de pauperibus, videndum erit, an expensæ illæ cum ordine ad Theologiam addiscendam, aut Jurisprudentiam sacram, relictæ sint, vel sine tali ordine? Priori modo relictæ propriè & strictè ad causam piam pertinent: nam in Theologia viget exercitatio in agnitione, & expositione Divinorum, nec non respicitur doctrina Christiana, animarùmque cura & salus æterna: in Jurisprudentia verò sacra respicitur Ecclesiarum Regimen, & pendens ex illo animarum utilitas: ergo dispositio expensarum relictarum ex isto ordine induit naturam causæ piæ, tametsi studia ad scientiam sacram intenta & ordinata in se sint aliquid profanum. Posteriori modô expensæ, studiorum profanorum gratiâ relictæ, rationem causæ piæ non assumunt, strictè hoc nomen accipiendo; sed largè duntaxat, in quantum sunt causa quædam favorabilis. Barbos. *J. E. U. cap.* 27. *num.* 18. *l.* 3.

18. Dubium restat, quid comprehendatur in legato expensarum ad studia relicto? Bartol. in *l.* 1. *§. ff. de condit. & demonstr.* allegatus apud Mostaz. *de caus. Piis lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 46. docet, comprehendi, quidquid in matriculam, & in libros necessarios pro illa facultate, in qua Scholaris versatur, expendendum est. Quando verò alimenta legantur, legatum comprehendit non tantùm cibaria, sed etiam vestimenta, & habitationem, ac præterea necessarias medicinas ad vitæ conservationem. *l. verbo victûs.* 43. *ff. de V. S.* & *t. t. ff. de Cibar. & aliment. legat.* Adnotat Mostaz. *loc. cit. num.* 47. Scholari, in Universitate studiis vacanti, pinguiora deberi alimenta, quàm domi studenti: quia secundùm qualitatem personæ debentur. Major autem est Scholaris, in Universitate studens, majorique ornatu indiget, quàm alius.

19. Si in singulos annos certa quantitas v. gr. pecuniæ pro meliori Scholaris sustentatione fuerit relicta, aliqui tenent, ipsi mox ab initio anni & sic anticipatò totum esse exsolvendum; at longè in praxi consultius est, ut expensæ successivè, & pro necessitatis exigentia subministrentur, ne pecuniæ periculo dilapidationis subjiciantur.

20. Adnotat insuper allegatus Author, pro capaci ad capiendum legatum ad studia relictum, haberi, qui capax est eundi ad studia, eàque addiscendi, quando Grammatica fuerit imbutus; adeòque ad dictam effectum non est opus, ut quis actu alicujus Universitatis sit adscriptus: hæc quippe adscriptio non facit Scholasticum absolutè, sed tantùm privilegiorum atque immunitatum participem.

21. Et licèt varii Doctores majorem viginti quinque annis à Legato relicto ad studia exclusum velint tanquam illuc inhabilem, allegantes illud *Eccles. cap.* 6. *Fili à juventute excipe doctrinam:* & *l. un. Cod. de Studiis Urb. Romæ. lib.* 11. & quod dixit Joan. Fab. in *Procem. Inst.* (Scholaris barbatus in alio Sæculo erit advocatus) contrarium tamen à Rebuffo in *Authent. Habita. num.* 93. defenditur, negante suppositum, majorem viginti quinque annis inhabilem esse ad litteraria addiscenda; cùm Scholæ quamlibet ætatem suscipiant, Seneca docente *Ep.* 77. *Omnis ætatis homines Schola hæc admittit, in hac senescimus, hanc ut juvenes sequamur. In Theatrum senex ibo, & in circum deferar, & nullum par sine me depugnabit. Ad Philosophiam ire erubescam?* Et rectè dixit Seneca, dubio procul loquens de majoribus, ruditate & hebetudine intellectûs non impeditis: majores enim, & alii ætate provecti intellectu atque judicio vincunt juvenes, licèt ab his in facilitate addiscendi superentur.

22. Aliud dubium movet Mostazzo *lib.* 4. *cap.* 13. *n.* 56. utrùm legatum ad studia certo Scholari relictum, cum hoc in Religione bonorum capaci vota emittente, ad Monasterium transferatur? Et resolvit affirmativè. Probatur tum à legato relicto alicui ad contrahendum Matrimonium, quod profitens (matrimoniô non contractô) in religione secum in Monasterium transfert: tum quòd jus rei legatæ in legatarii dominium jam transierit: quapropter ex generali regula, Professus, sicut omnia alia bona & jura (specialiter non excepta, & cum statu Monastico non incompatibilia) secum Religioni infert (quod & jus Cæsareum agnoscit in *Authent. Ingressi Cod. de Sacrosf. Ecclesiis*) ita & jus ad legatum sibi jam acquisitum. Accedit, quòd etiam in Religione studia non tantùm litteraria, sed etiam Ascetica cum peculiari animarum fructu frequententur: & ita menti legantis specificè satisfiat.

QUAE-

# QUAESTIO OCTAVA.

## *An Hospitalia, licet non sint Auctoritate Ecclesiastica erecta, inter loca pia habeantur?*

23. HOspitale derivationem nominis ab hospitibus sortitur, differtque ab hospitio & diversorio, quòd in hoc hospites pro mercede, in hospitali verò gratis recipiantur. Ad hanc receptionem tanquam opus pientissimum hortatur nos D. Petrus *Ep.* 1. *cap.* 4. *Hospitales invicem, sine murmuratione.* Estque hospitalitatis opus omnibus, præcipuè tamen Clericis injunctum, *cap. volumus. dist.* 89. *cap. Presbyter dist.* 91. *cap. fin. caus.* 16. *quæst.* 1. *cap. de Monachis.* 12. *de Præbend. cap.* 1. *de Celebr. Missar.* Concil. Trident. *Sess.* 15. *de Ref. cap.* 8.

24. Quemadmodùm autem Hospitalia & Xenodochia dicuntur, quæ pro peregrinis recipiendis eriguntur, ita & aliæ domus intuitu quarumdam personarum miserabilium erectæ, exinde suis nominibus compellantur. Primò veniunt Nasocomia, seu domus, ubi ægroti curantur: Secundò Brephotrophia, ubi infantes aluntur & enutriuntur: Tertiò Procotrophia, in quibus mendici & pauperes, ad quærendum victum labore proprio impotentes: Quartò, Orphanotrophia, in quibus orphani, id est, parentibus orbati alimenta obtinent: Quintò Generentozomia, in quibus senes pauperes & infirmi suscipiuntur: Sextò Grotophonia, in quibus fœminæ debilium sustentatrices habitant: Septimò, Leprosaria in gratiam separatæ habitationis pro illis, qui contagioso lepræ morbo laborant: Octavò, Eleemosynaria, seu loca pro reditibus eleemosynæ recipiendis vel distribuendis deputata. Hæc omnia sub communi vocabulo Hospitalium censentur comprehensa.

25. Resolutio fit sub distinctione: Hospitalia etiam Auctoritate Episcopali non erecta annumerantur locis piis, quando pro miserabilium vel peregrinorum exceptione in perpetuum destinantur: quia tunc loca illa, eorùmque usus, ac sumptus pro exercendis piis operibus DEO ter Optimo Maximo in perpetuum consecrantur: ergo sunt verè pia. Cardin. Tuschus *Lit. P. Conclus.* 163. *num.* 2. & ibi Castr. *Cons.* 167. Rom. *Cons.* 477. *num.* 21. declaratùrque ibi, quòd Hospitale laicorum, sine Episcopi Auctoritate erectum, licet non sit Ecclesiasticum, sit tamen pium, propter exercitium Hospitalitatis stabile, tanquam operis pii. Si verò deputatio non esset perpetua, sed pro libitu in talibus ædibus hospitalitas erga indigentes modò exhiberetur, modò non exhiberetur, Hospitale pro profano & laicali haberi deberet. Qua distinctione in concordiam rediguntur dissidentes inter se Sententiæ. Mostaz. *lib.* 4. *cap.* 11. *à num.* 7. Ex quo sequitur, quòd v. g. legatum relictum ad pias causas, ejusmodi hospitali equidem privato, sed perpetuò ad opera misericordiæ deputato, licitè distribuatur. Tirquel. *de privil. piar. caus. in præfat.* Barbos. *de Offic. Episc.* 3. *part. alleg.* 75. *num.* 28. Imò etiam hospitali profano distribui posse, si legatum ea conditione ipsi consignetur, ut in pia opera impendatur, asseverare non dubitat Valasco *consult.* 105. *num.* 38. quem citat & sequitur laudatus Mostaz. *d. cap.* 11. subdens, hospitale etiam auctoritate Episcopali non erectum, dummodò sit locus pius, subesse Jurisdictioni Episcopi: quod & Barbos. fatetur in *cap. adhæc.* 4. *de Relig. domib. num.* 2. inquiens: „licèt hospitale, quod,, non est erectum & approbatum authoritate,, Episcopi, locus religiosus & sacer non sit,,, adhuc tamen videtur esse locus *pius*, & de,, Jurisdictione Ecclesiastica. Idem scribit de,, *U. J. E. l.* 2. *cap.* 11. *n.* 21. Quamvis aliud doceat *de Off. & Pot. Ep. cit. alleg.* 75. Rationem subjicit Mostaz. *loc. cit. n.* 35. quòd causæ piæ sint mixti fori: adeòque etiam ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertineant. Tale quoque hospitale pium Episcopali visitationi subjacere, tametsi Princeps laicus Administratores vel Rectores illius constituat, idem Mostaz. *num.* 42. subnotat.

26. Plura de Hospitalibus vide apud Cardin. Tuschum *Lit. H. Conclus.* 163. ubi Hospitalis Episcopali auctoritate erecti aliquot privilegia refert: ex. gr. quòd æquiparetur Ecclesiæ, & disposita quoad Ecclesiam procedant quoque in hospitali: relictum Hospitali pro anima sit pia causa: in ejus immobilium alienatione requiratur solennitas Ecclesiastica: restituatur in integrum, sicut Ecclesia: emphyteusis concessa ab Hospitali dicatur Ecclesiastica: valeat donatio omnium bonorum, etiam futurorum, facta Hospitali, sicuti valet facta Ecclesiæ: non subsit potestati Sæculari, sed Ecclesiasticæ: gaudeat immunitate Ecclesiastica, etiam locali quoad asylum. Item secundùm eundem Tusch. *d. l. Concl.* 164. Hospitalia pauperum, & alia loca deputata ad usum pauperum sunt exempta à quarta Episcopali vel Parochiali, debitâ à legatis factis occasione sepulturæ. Frideric. de Sen. *Cons.* 101. Baldus *Cons.* 5. Allegat tamen idem Tuschus, Fridericum *Cons.* 111. ubi contrarium tenet. Transeo ad alia,

DIS-

# DISSERTATIO SECUNDA.

## *DE* Privilegiis Piæ Causæ in Testamentis & Legatis.

27. TEstamenta pia vel legata dicuntur, cùm aliquid ultima voluntate ex motivo pio culûts Divini, vel alterius pii operis, v. g. misericordiæ erga pauperes exercendæ gratiâ relinquitur pro salute animæ. Sùntque testamenta pia species aliqua testamenti insolennis. Insolennia cætera sunt testamentum Principi, vel Judici ad acta oblatum: Parentum inter liberos: militare: rusticorum: & testamentum tempore pestis confectum.

## QUAESTIO NONA.

### *Qualia Privilegia Piæ Causæ competant in Testamentis & Legatis.*

28. REsolutio: Varia sunt ejusmodi privilegia, inter quæ eminet illud, quòd testamenta & legata pia non subjaceant legum Civilium tum subtilitatibus tum gravaminibus, sed secundùm sacros Canones, qui requisita juris Divini, naturalisque observant, regulentur: prout decidit Alex. III. Pontif. Max. in celebri *cap. relatum* 11. *de Testam.* Cùmque maximum in hoc textu hujus Tractatûs sit positum fundamentum, ejus tenor peraccomodè attexitur. *Relatum est auribus nostris*, ait, *quòd, cùm ad vestræ discussionis examen aliqua super testamentis relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos secundùm humanam, & non secundùm Divinam legem in ea vultis procedere, & nisi septem aut quinque idonei testes producti fuerint, omnino postponitis exinde judicare. Unde quia hujusmodi causa de judiciis Ecclesiæ non secundùm leges, sed secundùm Canones debet tractari, & his, Divinâ Scripturâ testante, duo aut tres idonei testes sufficiunt:* Discret. V. *mandamus, quatenus, cùm aliqua causa super testamentis Ecclesiæ relictis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta tractetis, & tribus aut duobus legitimis testibus requisitis; quoniam scriptum est, in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Hinc sequitur primò, in testamento pio non requiri pro basi & fundamento hæredis institutionem: Tiraquel. *de Privilegiis Piæ Causæ privil.* 15. inquiens: licèt non valeat testamentum sine institutione hæredis (est enim hæc institutio caput testamenti, ùt patet *t. t. ff. de hæredib. instituend. &c.*) valèt tamen testamentum ad pias causas sine iustitutione hæredis. Bart. in *l.* 1. *Cod. de SS. Eccles.* Sequitur secundò, testamentum paternum, in quo pia causa fuit hæres instituta, subsistere, quamvis filiis sua legitima non titulo institutionis, sed legati tantùm fuerit relicta: cùm tamen aliàs de jure testamentum patris, nisi filius legitimam titulo institutionis acceperit, non valeat. Sequitur tertiò, quòd licèt hæres institutus hæreditatem non adeat, tamen debeantur legata pia. Mostaz. *l. cit. cap.* 6. *num.* 40. Ratio harum sequelarum est, quòd hæredis institutio ùt basis testamenti, relictio legitimæ titulo institutionis, & *aditio* hæreditatis, ad valorem legatorum, jure Divino, naturali, Canonico vel gentium non postulentur, sed Civili duntaxat. Ergo ex prædictorum omissa observantia valori piorum legatorum non derogatur.

## QUAESTIO DECIMA.

### *An præsentia testium sit de forma testamenti ad pias causas?*

29. REsolutio est negativa. Ratio primùm explicata repetitur: Quidquid enim sapit solennitatem juris positivi Civilis, id omne in testamentis abesse potest: Testium præsentia (si de voluntate testatoris aliunde constare queat) pro forma testamenti quà tali requiritur solùm tanquam solennitas juris Civilis: de jure verò Canonico de eorum præsentia mentio fit solummodò ad habendam voluntatis ultimæ probationem: recurritur enim ad Oraculum Divinum, quod effatur, in ore duorum vel trium stare omne verbum, id est, testimonium concludens. Si ergo supersit alius modus probandi voluntatem piam, v. gr. per scripturam propriæ manûs testatoris, aut subscriptionem, valor testamenti pii subsistet, etsi nullus testis ultimo elogio fuerit adhibitus. Ita sentiunt Tiraq. *Privil. P. C.* 4. Covarruv. in *cap. relatum* 11. *de Testam. num. pen.* P. Engel *eod. tit. num.* 18. & *ad eand. Rubr.* Magnific. P. P. König & Schmier. Certè major est favor testamenti pii, quàm militaris, vel patris inter liberos: si ergo in his testes non sunt præscripti pro formâ & substantia, multò minùs in illo. Vid. Layman. *Theol. Moral. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. Dissentit inter alios Fachin. *lib.* 4. *Controv. cap.* 3.

30. Quid si testamento profano solennitatibus destituto legata pia inserta inveniantur? Equidem legata profana, quando in testamento insolenni non privilegiato persona extra-

nea instituta fuit, corruunt tanquam aliquid accessorium corruentis principalis scil. testamenti. Quia tamen testamentum ipsum, in quo pia causa hæres instituitur, ad sui valorem nulla indiget solennitate, sed sola certitudine de seria testatoris voluntate, rectè concluditur, nec ad valorem legatorum piorum ultra illam certitudinem aliud quidpiam prætendi, etiam considerato Jure Civili, licèt ejus Authoritas & contraria dispositio hac in materia (in qua agitur de re secundùm finem spirituali, & spectante ad forum animæ Theologico-Canonicum) apud veros orthodoxos Ecclesiæ ordinationi prævalere non deberet. Vid. P. Engel *tit. de Testam. num.* 20. ubi *num. præced.* cum Layman. *Theol. Moral. l.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 10. & Covar. in *cap. relatum* 11. *eod. tit.* sustinet, in testamento principaliter ad pias causas, omissis solennitatibus, condito etiam profana legata salva consistere, eò quòd hic procedat illa regula, quòd accessorium trahatur ad principale: confirmàtque hanc assertionem ex valore legati, alicui extraneo relicti in testamento patris inter liberos facto, propter *Authent. Quod sine. Cod. de Testam.* per illa verba: *In quo & aliis legari, & fidei committi, & libertas relinqui potest.*

# QUAESTIO UNDECIMA.

*Valeàtne testamentum Pium, nutu & signis factum?*

31. Negativa placet Stephano Duranto in *Quæstionibus Notissimis, quæst.* 25. Primò, quia nec miles nutu hæredem validè instituit Gloss. in *l. in fraudem.* 15. *§.* 1. *ff. de testam. milit.* nec pater inter liberos. *Argum. Auth. quod sine*, ibi: *non signis. Cod. de Testam.* Secundò: quia testamentum est dispositio voluntatis nostræ. At voluntas aut verbîs aut scripturâ declaratur: & licèt signis quoque ac nutu aliquo modo mentem alterius conjiciamus, hæc tamen demonstratio non est satis aperta, & univoca: quinimò omnis nutus regulariter dubius est, per *l.* 1. *§. si quis ita* 2. *ff. de V. O. si quis ita interrogat*, dabis? *Responderit*, quidni? & *is utique in ea causa est, ut obligetur. Contra, si sine verbis annuisset. Non tantùm autem civiliter, sed nec naturaliter obligatur, qui ita annuit: & ideò rectè dictum est, non obligari pro eo, nec fidejussorem quidem.* Proptereà nec mutus delinquens ex confessione, quam Judex ex signis arguit, condemnari potest, sed testibus convinci debet. Bald. in *l. un. Cod. de Confess.* Nec leges patiuntur hæreditates conjecturis dari vel adimi. *l. jubemus.* 29. *Cod. de Testam.* ibi: *ut sit manifestum, secundùm illius* (testatoris nempe) *voluntatem hæreditatem esse transmissam.* Quibûs tamen non obstantibûs,

32. Resolutio nostra tale testamentum pro valido & licito agnoscit cum Tiraquel. *de Privileg. Piæ Caus. Priv.* 8. & citatis ibid. dummodò supponatur casus, quo signa, vel nutus, voluntatem testantis sufficienter exprimere valent. Cujus ratio fundamentalis est, quòd testamenta pia nullis legibus Civilibus coarctentur, sed jure solùm Divino vel gentium, quo nulla extat prohibitio vel irritatio testamenti ad causam piam conditi. Adde, quòd supremi Principis potestatem non supergrediatur, facultatem concedendi, ut aliquis nutu suam ultimam voluntatem indicet, eàque dispositio suo polleat robore. Prætereà laudatus Tiraquellus *Privil.* 9. defendit, mutum & surdum simul à natura non prohiberi ad pias causas testari, suppositò, quòd intelligat, ejùsque voluntas testamentaria ex signis & indiciis sufficienter constet: sub qua clausula discordantes circa mutum simul ac surdum opiniones in concordiam redigi, nonnulli existimant. Consentit Navar. in *Tract. de malè ablatis, Privileg.* 60.

33. Illud in dubium vocare non videtur supra adductus Steph. Durantus, quòd testamentum pium notis scriptum subsistat: cùm & militi sub notis testari liceat, *l. bujus.* 40. *pr. ff. de testament. milit.* ubi Lucius Titius *miles notario suo testamentum scribendum notis dictavit, & antequàm literis præscriberetur* (plenioribus scilicet) *vità defunctus est: quærebatur: an hæc dictatio valere possit?* Responsum: *Militibus quoquo modo velint, & quomodo possunt, testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse legitimis probationibus ostendatur.* Cæterùm notis hujusmodi, pro occultandis consiliis, & propter hostium insidias, milites utebantur: earùmque notarum certa significatio haberi potest ex declaratione & communicatione illorum, quibuscum de talium signorum valore & significatione priùs conventum fuerat. Præter dictas dabantur adhuc aliæ notæ, scil. literæ singulares, ex quibus verba conficiuntur, *l.* 1. *§. ludi. ff. de Extraord. cognit.* Apuleius *lib.* 7. *de Asino aureo.* Cicero *Epist.* 14. *ad Atticum.* Inde specialis aliqua Ars, *Notaria* dicta floruit, illiùsque periti Notarii, id est, Amanuenses privati vocari consueverunt, quorum tanta in scribendo, & formandis compendiis erat velocitas, ut celeritatem linguæ manus notarii sequeretur. Qui verò publico ex officio publica Instrumenta confecerunt, Tabularii vel Tabelliones fuerunt appellati. Vid. Durantus *loc. cit. quæst.* 25.

QUAE-

# QUAESTIO DUODECIMA.

## *Valeántne pia legata, quando facultas testandi jure Civili non erat concessa?*

34. PAsqualigo *de Sacrificio. To. 2. quæst. 993. num. 3.* negativam sustinet: quia, ùt dicit, facultas testandi originem suam trahit à jure Civili, non autem à naturali vel gentium. Estò enim quilibet rerum suarum arbiter sit & moderator, déque illis liberè disponat, id tamen aliter intelligi nequit, nisi de tempore, quo disponens est dominus: alioquin fas esset alicui, disponere de re non sua. Atqui dispositio testamentaria eo fit tempore, quo disponens non est dominus (in cujus probationem allegat *l. quod sponsæ 4. Cod. de Donation. ant. nupt.* in qua tamen de translatione dominii per ultimam voluntatem nullatenus agitur, sed tenor legis est: quod sponsæ ea lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiscatur, cùm nuptiæ fuerint secutæ, sine effectu est) hoc ipso, quòd testatoris voluntas dispositioni testamentariæ nullum conferat vigorem, quamdiu ille spiritum vitalem ducit, sed testamentum primùm mortis tempore, quo dominium testatoris jam solvitur, confirmatur. Ea propter Jus Civile intercedere necessum erat, quo ultimæ voluntatis dispositio sustineretur, & conferendi in hæredem dominii robur acciperet. Hinc ex æquitate & gratià tantùm Leges Civiles testatorem habilem reddidêre, ut de bonis suis post mortem disponere posset, secundùm Accursium in *l. illa institutio. ff. de hæred. instituend.*

35. Et hoc ergo concludit Pasqualigo, quòd si Jus Civile cuipiam potestatem testandi adimat, ille incassum post mortem disponere attentet, etiam per legata: quia (ait) caret tota illa facultate, quam alius habet ex gratia ac beneficio, & remanet in eo statu, in quo esset, si lex talem indulgentiam non concederet. Et ideò legata etiam pia sunt nulla defectu facultatis ad legandum. Nec sustineri possunt à Jure Canonico: quia per ipsum non conceditur facultas testandi, sed supponitur concessa à Jure Civili, nec sanat defectum potestatis. Sic ille. Sed statuenda est

36. Resolutio contraria, quòd valeant legata pia, si testamentum sit nullum præcisè, quia Jus Civile facultatem testandi non concedit. Probatur per eversionem suppositi, cui innititur Pasqualigo, quasi testamenti factio esset purè creatura Juris Civilis; cùm tamen hoc gratis asseratur, & exemplis constet, quòd jam tempore legis naturæ Patriarchæ aliqui per viam testamenti liberis suis bona sua addixerint, post mortem testantium capienda.

37. Quare minùs fixe subsistit fundamentum adversum: imò invertitur hoc modo: Jure naturæ & gentium valet dispositio de re propria, quæ perfectionem suam sortitur pro statu & tempore, pro quo aliquis est dominus, licèt executio cadat in tempus, quo non erit dominus: At dispositio testamentaria perfectionem suam sortitur pro statu & tempore, pro quo testator est dominus, estò testamenti executio cadat in tempus mortis, quo jam cessat esse dominus: nunquid enim apparatus solennitatis quantum ad præsentiam testium in vita testatoris, dum mortis contemplatione de rebus suis actualiter disponit, adhibetur? nunquid jam ab eo tempore testamentum suum valorem, & essentiam juridico-moralem assumit? Illud opinioni oppositæ lubens tribuo, testamenti factionem Juri Civili originem suam debere quoad modernam formam; quoad substantiam verò à jure quoque naturali vigorem capere: quod inprimis apparet in legitima, quæ de jure naturæ, saltem in quantum necessaria involvit alimenta, à parentibus ex hac vita decedentibus pro sua progenie relinqui debet; prout Innocentius III. liquidò supponit in *cap. Raynutius. 16. de Testam.* ibi: *ut legitima portio jure naturæ debita &c.* id autem fieri nequiret, si de jure naturæ voluntati non inesset ea vis & facultas, ut dependenter à dispositione seria adhuc ante mortem confectâ, bona relicta ad alium non devolverentur, sed statim à morte disponentis vacantia, & nullius esse inciperent, & sic primò occupanti in prædam cederent.

38. Deinde colligitur ex communi voto omnium hominum moratiorum, utpote qui ante casum particularem quæsiti, annuissent, debere esse in potestate domini cujuslibet, ut res suas ultimæ voluntatis elogio, morte ipsa confirmando, in suos liberos, bene meritos, amicos, vel egenos transferre possit: quod votum maximè inter Christianos orthodoxos vigere & vivere censendum est, ut ea ratione non sit præclusa via, exercendi charitatis opera, animæque saluti pro statu sequentis vitæ prospiciendi. Tale autem votum generale est indicium, hoc vel illud jure naturæ conforme esse, & ex illo efficaciam trahere, uti fusiùs ostendit Magnif. D. P. Franc. Schmier p. m. *Jurisprud. Canon. Civ. lib. 1. tr. de Jure Legali cap. 2. à num. 91. & num. 137.* Et *lib. 3. tract. de Testament. part. 1. cap. 1. num. 24.* in confirmationem nostræ Sententiæ adducens, quòd, præscindendo à Jure Civili, possim aliquid donare, tam purè quàm conditionatè, irrevocabiliter aut revocabiliter, retento interim pleno fruendi possidendique jure; cùm quivis rei suæ legem modùmque apponere valeat. Similiter itaque præscindendo à Jure Civili, testamentò donationem revocabilem facere, jure fruendi possidendique usque ad tempus mortis reservato.

39. Neque hoc in casu dispositio, utpote in

in vita disponentis substantialiter jam perfecta atque valida, dicetur collata *formaliter* in tempus mortis: sed *executive* duntaxat, in quantum executio ultimæ voluntatis primùm post mortem subsequitur. Pro exemplo ulterius affertur, quòd rectè mihi reservem servitutem in fundo meo pro casu, quo ille fuerit à me venditus; cujus reservationis executio primùm post venditionem redditur possibilis, quæ anteà erat impossibilis; cùm nemini res sua serviat, sed servitus fundum alienum sufficiat. *l. quidquid.* 10. *ff. Communia Prædior.*

40. Si quis reponat, valorem dispositionis interire, quando devenit ad casum, à quo non potuerat incipere, *l. existimo.* 98. *ff. de V. O.* replicatur, id solùm exaudiendum esse de dispositione hactenus imperfecta, cujus executionem casus superveniens impedit, ut in exemplo, quando res aliqua fuit promissa, & antequàm traderetur, facta est sacra, de quo loquitur tex. in l. *inter.* 83. *§.* 5. *ff. cit. tit.* nobis intereà favet altera regula scil. 73. *lib.* 6. docens, *factum legitimè non retractari, licet casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.*

41. Postremò Pasqualigo videtur seipsum oppugnare: nam tractans de legatis piis Missarum, quoties ab aliis per argumentum à testamentis vel legatis profanis piarum dispositionum valor impugnatur, confugit ad Jus Canonicum, & Jus Civile repellit, tanquam impertinens, & in tali materia incompetens. Ex. gr. in *qu.* 983. an legatum annuum pro Missis debeatur, hæreditate non adita: *num.* 4. resolvit, illud deberi, etiam nòn adita hæreditate, sive hæc absolutè non adeatur, proindéque testamentum careat vigore suo, sive aditio in suspenso maneat, donec deliberetur. Quare? quia aditio hæreditatis, quæ cæteroquin pro testamenti subsistentia requiritur, est solennitas Juris Civilis, quam negat ibi, ad legata ad pias causas extendi: hæc quippe legata tanquam ordina„ta ad salutem animæ sunt in eodem ordine, „& ideo tanquam necessaria saluti anima„rum, non debent regulari regulis juris civi„lis, sed regulis, quibus regulatur salus ani„mæ, atque adeò Jure Canonico; & sicut „potestas Civilis non habet facultatem di„sponendi de salute animæ, ita neque leges „ipsius extenduntur ad ea, quæ à testatore „ordinantur ad salutem. Sic ille: & rectè; at minùs consequenter. Et quando contrarium tenentes instant, in regulam juris transiisse, quòd, nemine hæreditatem testamento relictam adeunte, relicta in eo valore destituantur; ac prætereà nullus Canon vel lex monstrari possit prædictam regulam enervans, respondet Pasqualigo, regulam illam se non extendere ad pias causas, utpote *ad quas se non extendit dispositio juris Civilis: & proinde, cùm hujusmodi dispositiones ex natura sua sint exceptæ, non est opus lege aliqua aut Canone, qui eas corrigat. Accedit etiam, quòd in testatore præsumatur enixa voluntas, ut solvantur ista legata; cùm agatur de interesse animæ propriæ; & quòd nolit ea perire ex aliena voluntate, aut ex defectu ejus, qui adeat hæreditatem, & proinde ejus voluntas in quacunque specie successionis locum habere debet.*

42. Ex quibus infert contra Doctores quosdam contrarium defendentes, quodsi pro legato annuo ad Missas celebrandas sit relictum aliquod corpus, statim debeatur independenter ab aditione hæreditatis, per *l. à Titio* 64. *in fin. ff. de furt.* ubi legatum rectâ viâ dicitur transire ab hærede ad legatarium, quod intelligitur, quando legatum consistit in certo corpore. Et quamvis Gloss. ibid. intelligat secundùm fictionem, & non secundùm veritatem, eò quòd debeat adiri priùs hæreditas; attamen cùm secundùm veritatem morte confirmetur voluntas testatoris, cujus voluntas est transferre in legatarium rem legatam; ideò secundùm veritatem statim transit ad legatarium, & solùm expectari debet aditio hæreditatis inducta à Jure Civili, requirente hujusmodi solennitatem. Ita denuò *cit.* Author. Mox repetit, *independenter* ab aditione hæreditatis solvenda *esse* legata, quorum dilatio vergeret in præjudicium animæ, idque admitti passim à Doctoribus: „quia in his non sunt attendendæ solen-„ nitates juris: cùm enim anima tanquam re-„ rum omnium charissima rebus omnibus præ-„ ferenda sit, *l. sancimus. Cod. de SS. Eccles.* & *cap.*„ *præcipimus. caus.* 2. *quæst.* 11. non debent atten-„ di apices juris, Tiraquel. *de Privileg. piæ caus.*„ *Privil.* 164. sed omni meliori modo est im-„ plenda voluntas defuncti. Quæ ratio mili-„ tat etiam in omnibus legatis piis: siquidem„ habent pro causa finali salutem animæ.„

43. Infert secundò: in *quæst.* 984. Legatum pium, jacente hæreditate, obtineri posse per implorationem Officii Judicis Ecclesiastici. Licèt enim de rigore juris non detur actio ex defectu personæ, contra quam dirigatur tempore jacentis hæreditatis: quia tamen constat de voluntate defuncti, ut voluntas illa sortiatur effectum, *Officium Judicis* Ecclesiastici implorari potest: cùm enim simus in legatis piis, quæ spectant ad Religionem & salutem animæ, materia est Ecclesiastici Tribunalis; & ideò Judex Ecclesiasticus se intromittere potest, & exhibere imploratum Officium.

44. Infert tertiò: in *quæst.* 985. legatum pro Missis peti posse, currente tempore pro conficiendo inventario: quia (ait) ùt in superioribus dictum, dispositio Juris Civilis (qualis est illa, quòd intra tempus trimestre hæredibus pro confectione inventarii concessum legata peti nequeant, juxta *l. fin. §. donec. Cod. de Jur. deliber.*) non habet locum in dispositis ad pias causas. Neque in his procedit ratio, ob quam Lex Civilis tres menses concessit, ut scil. hæres, intereà tutus à conventione contra ipsum aliàs instituendâ, in res & vires hæreditarias inquirere valeat: quæ ratio in legato pro Missis relicto vel ideò cessat: quia cum sit institutum in beneficium ipsius testatoris, præferendum est secundùm ejus voluntatem omnibus aliis legatis &c. Hòcque ex eo magis deducit: quia conjectura,

ctura, quæ sumitur ex ordinata charitate, præfertur cæteris, ùt notat inter alios Mantica *de Conjectur. ult. volunt. lib.* 12. *tit.* 17. *num.* 27. Ordinata autem charitas exigit, ut in eodem ordine præferamus nos ipsos cæteris, & potiori modo nostram utilitatem spiritualem temporali proximi, veluti tradunt communiter Theologi cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 4. *&* 5. Unde cùm legatum pro Missis ordinetur ad salutem animæ defuncti, consequenter ad spirituale bonum, ex ordinata charitate desumitur, quòd testator potiori modo voluerit executionem talis legati, quàm commodum hæredum ex hæreditate; quia hoc est bonum temporale, quod secundùm ordinatam charitatem postponitur bono spirituali testatoris, atque adeò legatum erit solvendum ex conjecturata mente testatoris.

45. Infert quartò, quòd adita hæreditate, licèt non ex testamento adeatur, sed hæredi scripto hæreditatem repudianti succedat hæres alius ab intestato, debeantur legata pro Missis: quia (ut iterum loquitur Pasqualigo) in relictis ad pias causas non jus Civile, & ejusdem solennitates, sed NB. *tantùm jus Divinum & naturale*, attenditur.

46. Omnes has illationes cum toties repetita ratione recipio; quibus tamen & meam contra Pasqualigum subnecto, quòd nimirum valeant legata pia, si testamentum sit nullum præcisè, quia jus Civile facultatem testandi non concedit. Per consequens, tametsi jure Civili pupillus infra annos pubertatis, & filius familiàs jam pubes, ad testamenta conficienda pro inhabilibus declarentur, ille quoad omnia sua bona, iste quoad peculium saltem adventitium, ipsis tamen ad pias causas testandi, & per pia legata disponendi facultas non poterat adimi: quia in his attenditur facultas, quæ ex jure Divino, naturali & Canonico concessa & salva manet; quod tam sæpe & constanter à Pasqualigo asseritur, & satis exprimitur in *cap. cùm esses.* 10. & *cap. relatum* 11. *de Testam.* Adde *cap. penult. de Sepultur. in* 6. ubi filius familiàs, licèt extra peculium Castrense vel quasi de jure Civili testari nequeat, de *reliquis peculiis pro anima sua posse judicare* dicitur, id est, ultima voluntate disponere juxta *tit.* 55. *feud.* 2. *in pr.* Et ita speciatim Riccius in *Praxi aurea part.* 4. *Ref.* 89. noster P. Engel ad *tit. de Testament. num.* 4. P. Reiffenstuel *eod. tit. numer.* 321. post Mostazzum *de Piis Caus. lib.* 1. *cap.* 5. *numer.* 6. quos sequitur Magnific. P. Francisc. Schmier *Tract. de Testam. part.* 1. *cap.* 3. *à num.* 13. & ego in *Tract. de SS. Ecclesi. part.* 2. *&c.*

## *Varia alia Privilegia Piæ Causæ, præsertim in relictis Ecclesiæ.*

47. PRimum: Legatum relictum Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, si cancellatum reperiatur, casu & inconsultò præsumitur deletum. Velasc. *de Privil. Miserab. Personar. part.* 2. *quæst.* 8. *num.* 423. per argumentum desumptum à causa libertatis, ex *l. proximè.* 3. *in fin. ff. de his quæ in Testam. delent.* Tiraq. *Privil.* 16. & alii. Secundum: Statutum mandans, mulierem non posse testari sine consensu mariti, non habet locum in Testamento pio. Bal. *Conf.* 93. *lib.* 2. apud Card. Tusch. *Lit. P. Concl.* 333. *num.* 29. Tertium: Statutum, quòd ultima voluntas non possit probari, nisi per testamentum, se non extendit ad piam causam. Joan. de Anan. *Conf.* 57. apud Tusch. *lit. P. Conclus.* 333. *num.* 48. Quartum: Legatum pium non recipit interpretationem, quæ illud minuat, sed absolutè est præstandum. Cald. *Conf.* 342. apud Tusch. *loc. cit.* ubi addit, legatum, pro incertis relictum, pauperibus absolutè deberi, etiamsi appareant illi, à quibus est ablatum: quia hoc legatum est ultra particularem restitutionem faciendam illis, qui apparerent. Verùm hoc additamentum non libenter approbo. Quintum: Legatum rei alienæ, quod aliàs non valet, nisi legans sciat, rem legatam esse alienam, valet favore piæ causæ, etiamsi legans ignoret, esse alienam. Rom. *Conf.* 235. quem sequitur Tusch. *dict. Conclus.* 333. *num.* 54. Sextum: Sustinetur testamentum favore piæ causæ, etsi testator decedat pro parte testatus, pro parte intestatus. Abbas *Conf.* 32. apud Tusch. *loc. cit. num.* 58. Septimum: Quamvis legatum ab instituto non censeatur repetitum à substituto, hoc tamen fallit favore piæ causæ. Jason in *l. licet Imperator. ff. de Legat.* 1. *& Conf.* 95. *lib.* 1. Illud etiam Tiraq. *Piæ Caus. Privileg.* 51. tradit, quòd verba generalia in piis causis vim dispositionis habeant, licèt aliàs verba generalia honoris & humanitatis, sive (ùt vulgo dicunt) complacentiæ & assentationis prolata ad eum, quem honorare volumus, directè non inducant obligationem vel dispositionem, ùt si quis dicat: Frater mi, omnia bona mea tua sunt: vel: de meis bonis facias, quod tibi libuerit. Argumentum sumit Tiraquel. cum citatis à favore libertatis, cujus intuitu verba adulatoria, etiam ad honoratum relata, inducunt dispositionem per tex. in *l. Paulus respondit. §. Paulus. ff. de fidei commiss. libertat.* Octavum: Fisco comparatur Ecclesia ejùsque privilegiis utitur, adeòque à fisco argumentum procedit ad Ecclesiam affirmativè ex *tit. Cod. de SS. Ecclesi.* Tiraq. *Privil.* 143. Everhard. in *locis Legalib. loco à fisco ad Ecclesiam.* Tusch. *Pract. Conclus. Lit. F. Concl.* 395. Tametsi aliqui asseverent, argumentum illud valere tantummodò in casibus jure expressis. Imò validior est Ecclesiæ favor, quàm fisci: cùm hic privilegiatorum sit ultimus, Ecclesia primus. Julian. Viviani in *Praxi Jurispatronat. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. præcipuè, quòd in dubio

contra fiscum judicetur, *l.* 10. *ff. de Jur. fisci.* Econtra pro Ecclesia judicandum sit in dubio: cùm sit summa ratio, quæ pro religione facit, *l. sunt personæ.* 43. *ff. de Religiof. & sumpt. funer.* Nonum: Quamvis à minoribus ad Ecclesiam per æquiparationem argumentum rectè duci, negent relati apud Velasc. *d. qu.* 8. *num.* 8. attamen in materia restitutionis in integrum generaliter valere, Ecclesiàmque omnibus minorum privilegiis gaudere, docet apud eundem Sfort. Odd. *de Restitut. in integr. quæst.* 3. *num.* 17. *& seq.* Decimum: Reipublicæ etiam Justinianus Imper. comparat Ecclesiam in *l. fin. Cod. de SS. Eccles.* Everhard in *Topic. loco à Republ. ad Ecclesiam.* Imò Ecclesiæ favorem Reipubl. præponderare, dixit Felinus in *cap. nonnulli. num.* 53. *de Rescript.* Velasc. *dict. quæst.* 8. *num.* 42. cum citatis: dummodò saltem casus sit applicabilis, contrariùmque de jure non decernatur. Undecimum: Militum quoque privilegiis, ubi inæqualitatis ratio non adest, Ecclesia gaudet. Everhard. in *Topicis, loco à milite ad Ecclesiam.* Marcus Anton. Genuensis in *Practicabil. Ecclesiast. quæst.* 185. *num.* 3. Quod non solùm pro dote Ecclesiæ, sed pro cæteris quoque illius bonis (disparitate non existente) procedere videtur Gabrieli de Velasco *de Privil. Miserabil. personar. part.* 2. *d. quæst.* 8. *num.* 43. Duodec. Dotis item privilegiis Ecclesiam frui in quibusvis suis bonis, tradit Everhard. *loco à dote ad piam causam,* ita, ut sicut mariti bona uxori, Prælati quoque seu Administratoris bona sint Ecclesiæ tacitè oppignorata. Decim. tertium: Illo insuper speciali privilegio Ecclesia potitur, ut quas actiones *aliàs decennalis, aliàs vicennalis* præscriptio excludit, hæ, si loco Religioso competant, quadraginta annis excludantur. Justinian. Imper. in *Auth. quas actiones. Cod. de SS. Eccles. pro temporalibus autem præscriptionibus decem, & viginti, & triginta annorum, Sacrosanctis Ecclesiis, & aliis universis venerabilibus locis, solam* 40. *annorum præscriptionem opponi* præcipit: *Novell.* 131. *cap.* 6. *hoc ipso servando & in exactione legatorum, & hæreditatum, quæ ad pias causas relicta sunt.* Videat etiam *cap. de quarta.* 4. *cap. ad aures.* 6. *cap. illud.* 8. *de Præscription.* Decim. quartum: In concursu plurium piarum & favorabilium causarum præferri debet magis pia. Tusch. *Lit. P. Concl.* 336. cum citatis, *num.* 7. notans, piam causam, quæ immediatè respicit animam, ùt sunt Sacramenta, Sacrificia Missæ, eleemosynæ, & similia, esse magis piam illâ, quæ respicit corpus, ùt est sepultura cadaveris honorifica. Castr. *Cons.* 187. Dec. quint. Major habetur ratio piæ causæ, quàm imbecillitatis muliebris. Tiraq. *Privil.* 113. dicens, mulierem obligari ex fidejussione in favorem piæ causæ, per texx. loquentes in dote, & libertate, in *l. si dotare.* & *l. pen. ac ult. Cod. ad SCtum Vellejan.* Dec. sext. quamvis res empta ex pecunia mea non sit mea, si tamen fuerit ab administratore comparata ex pecunia Ecclesiæ, aut alterius piæ causæ, favore piæ causæ censetur esse Ecclesiæ, aut alterius piæ causæ. Tiraq. *Privil. P. C.* 120. cum Gloss. in *l. si ut proponis. Cod. de Rei vind.* Dec. sept. Condictio indebiti non competit ob indebitum piæ causæ solutum, per tex. loquentem de dote in *l. cùm is. §. mulier. ff. de condict. indeb.* & meliùs in *§. ult. Inst. de obligat. quæ ex quasi contract. nascunt.* Dec. octav. Licèt non valeat donatio inter patrem & filium, pater tamen non prohibetur donare filio ad pias causas, Tiraq. *Privil.* 119. per tex. loquentem in causa dotis in *l. Pomponius Philadelphus. ff. famil. bercisc.* Dec. nonum. Licèt Constitutiones pœnales non sint extendendæ ex paritate rationis, fallit tamen hoc in piis causis: in harum enim favorem sunt latissimè interpretandæ. Tiraquel. *Privileg.* 161. cum citatis, & Gloss. in *cap.* sciant cuncti. in *verb. alios. de Elect. in* 6. quæ extendit illum textum pœnalem, loquentem de electione, ad præscriptionem, favore, ùt dicit, Ecclesiarum: & cum illa simpliciter transit Dominic. ibi. *ad fin.* Joannes Andr. in *cap. ex tenore.* & ibi Panorm. *qui fil. sint legit.* Viges. Licèt aliàs confessio extra judicium facta non probet, nec præjudicet confitenti, tamen pro pia causa valet, probat, aut saltem illius favore vehementer adminiculatur, ùt voluit Bald. *in l.* 1. *col.* 2. *Cod. de fals. caus. adject.* allegans *cap. quoties cordis, caus.* 1. *quæst.* 7. & *cap. Parochianæ. de sepult.* apud Tiraq. *piæ caus. Priv.* 112. allegantem tex. *cap. dilectus. de success. ab intest.*

48. Quàm etiam veteres Imperatores pietatem suam monstraverint erga Ecclesias quoad testamenta in earum favorem facta, amplè perhibet Thomassinus *Veter. & Novæ Ecclesiæ Disciplina, tom.* 3. *cap.* 20. referens primò Constantinum, qui annuerat, ut testamentò fideles Ecclesiis largirentur sine limite, quidquid religio, quidquid pietas suaderet. *Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo Catholico Venerabilique Concilio decedens bonorum quod optavit, relinquere.* Ita in Codice Theodosiano. At suo Justinianus Codici illam inseruit à se editam Constitutionem, qua declarat, plura jam sibi testamenta occurrisse (*jam enim in complura hujusmodi testamenta incidimus*) quibus hæres ex asse, vel ex semisse, vel ex parte aliqua nuncupabatur Christus, vel Archangelus quispiam, aut Martyr, non designatâ peculiari Ecclesiâ: & tum eam hæreditatem addici debere vel primariæ ejus loci Ecclesiæ, vel Ædi sacræ Archangeli, vel Martyris &c.

49. Gentiles Romani suas hæreditates non poterant quibuslibet Diis transscribere, sed iis, quos Senatus vel Principes designâssent, ùt Jovi Capitolino, Marti Franciæ, Herculi, Dianæ Ephesiæ &c. id Justinianus à superstitione & mendacio traduxit in germanam DEI Religionem. Testamenta quoque, in pauperum & captivorum solatium condita, Imp. Justinianus noluit irritari ob juris solennitates minùs scrupulosè servatas. Theodosius Junior, & Valentinianus jam suo tempore hanc Sanctionem ediderant: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Diaconissa, seu Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est,*

*est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque sexûs, vel liberi, vel qui agnationis cognationisque jure junguntur, vel uxor extiterit: bona, quæ ad eum vel ad eam pertinuerunt, Sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui fortè fuerat destinatus, vel destinata, omnifariàm socientur.* Thomassin. ex *Cod. Theodos. l. 5. tract. 3. cap.* 1. & *Cod. de Episc. & Cleric.* Prosequitur deinde in seqq. capitibus idem Thomassinus recensere, qualiter laici (præsertim sub Imperio Caroli Magni) fundos, terras, domos, Principatus & Ducatus &c. Ecclesiis obtulerint: & *cap.* 35. agens de Amortizatione *num.* 8. ostendit, plenissimam fuisse libertatem donandi Ecclesiæ ex legibus Francorum Francicis, Alemannicis, & Bavaris: his enim gentibus Franciæ Reges præerant. Confer *cit.* Thomassinum.

## QUAESTIO DECIMA TERTIA.

### *Possitne legatum, pro puella maritanda relictum, dari Religionem ingressuræ?*

50. NEgabis ex eo, quod distributio illa aberraret à mente testatoris, qui eam voce vel scriptura de matrimonio carnali expressit. Et utique standum erit proprietati verbi, quod de solo matrimonio carnali verificatur? Præterea testatori liberum est, legatum relinquere pro eligentibus statum matrimonialem, & ab illo excludere præoptantes statum matrimonii spiritualis ineundi cum DEO per Professionem Religiosam. Nam licèt concedatur, legatum fore magis pium, quod vel determinatè respicit matrimonium spirituale, vel, dum exprimitur matrimonium absolutè, saltem tacitè ad matrimonium spirituale extenditur; nulla tamen testatori lex vel necessitas censetur imposita, ut bonum magis pium eligat, vel non excludat, sed poterit bonum minùs pium ex peculiari ratione præferre, & in ejusmodi legato v. gr. certæ familiæ propagationem intendere.

51. Resolutio: Si legatum relictum fuerit pro maritandis puellis pauperibus intuitu seu ex motivo pietatis, puellæ Religionem ingredienti licitè & piè distribuitur, nisi aliter constiterit de voluntate testatoris. Moveor ad hanc Sententiam non solùm ex illo principio, quòd à matrimonio carnali argumentum à fortiori procedat ad spirituale, per *cap. cùm inter. de Elect.* juncto *cap. pen. & ult. de Translat. Episcopi.* Verùm etiam ex fine intento à testatore, ut puella, legato provisa, per matrimonium tanquam medium idoneum insidias Lenonum, id est, pudicitiæ tentandæ, & carnalis illecebræ pericula evadat. Atqui iste finis, licèt carnali matrimonio mediante obtineatur, nobiliori & tutiori modo obtinetur per matrimonium spirituale Professionis Religiosæ: igitur in casu legati relicti ad maritandas puellas intuitu pietatis, & semovendi periculi salutis ex parte recipientium, & ob bonum animæ ex parte relinquentis promovendum, minimè à mente & voluntate testatoris deflectitur, si puellæ ad matrimonium spirituale statûs Religiosi seriò anhelanti consignetur.

52. Ex his manet soluta ratio in tutelam Sententiæ contrariæ adducta. Nam testaturus ad piam causam, in dubio præsumitur in majorem & nobiliorem causam pro bono animæ disponere voluisse. Quòd si legatum ejusmodi fuisset profanum, lubens consentio, testatorem de alio, quàm carnali matrimonio, non sensisse. Æqualis capienda erit præsumptio pro solo carnali, quando aliquid reliquit consanguineis puellis intuitu consanguinitatis: quia propagationem familiæ præcisè intendisse censetur. Ubi verò legatum divitibus destinâsset, nuptias favorabiliores amplissima dote promovere voluisse crederetur. Conferatur Mostazzo *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 26. ad legatum pium in nostra Sententia etiam illas puellas admittens, quæ Ordini Tertiario adscribuntur; quæ verò solummodò vitam cœlibem ducunt, cùm per istum vivendi modum conditionem non adimpleant, nec finem à testatore intentum consequantur, ab ipso excluduntur. Castillo *decis. Siciliæ* 88. Thoro in *Summa, privilegio* 74.

## QUAESTIO DECIMA QUARTA.

### *Si puellæ legentur mille, si nupserit, ducenta, si Monialis fiat, an Moniali factæ debeantur mille?*

53. LEgatis mille, si nupserit, ducenta verò, si Monialis fiat, puella Monialis facta acquirètne nihilominus mille? Mostazzo cum Menochio, & aliis in negativam propendet ex ratione, quòd hic clarè reluceat voluntas testatoris, expressè nolentis, ut puella Religionem ingressura plùs, quàm ducenta acquirat. Háncque voluntatem rationabilem esse colligit ex eo, quòd major dos requiratur ad contrahendum matrimonium carnale, quàm spirituale, ideòque testator prudenti ratione motus fuerit, ut pro carnali plus legaret, minùs econtra pro spirituali.

54. Resolutio: Stante illo legandi modo, puella Monasterium ingrediens ab hærede mille probabiliter petere potest, posito, quòd puellæ pauperi & quidem intuitu pietatis seu pro bono animæ ipsius testantis legatum relictum fuerit. Ratio primaria est, quòd con-

conditio, *si nupserit*, in quantum ingressui Regionis præjudicat, sit habenda pro non adjecta seu non scriptâ. At ingressui prædicto præjudicat, si puella non nuptura, sed Religionem intratura, solùm ducenta prætendere valeat. Igitur conditio, *si nupserit*, habetur pro non adjecta seu pro non scripta: consequenter idem erit, ac si puellæ Religionem ingressuræ mille relicta fuissent. Major. non inficiantur ipsimet Adversarii: ultrò siquidem fatentur, conditionem habendam esse pro non scripta, si constiterit, testatorem ducenta in odium Religionis, ut ab ejus ingressu puellam retrahat, mille verò pro nuptiis præferendis legâsse. Min. prob. nam (si loquamur de hodiernis moribus) dos ducentorum florenorum facilè despicitur tanquam insufficiens pro congrua sustentatione Monialis Professæ: eapropter puella aut omnino repulsam feret, si alicubi fores pulset, aut ipsi difficillimè aperietur, aut denique pro voto suo non poterit susceptionem impetrare in eo gremio, vel Ordinis Instituto, quod sibi optaret. Aperietur econtra longè faciliùs, optionémque habebit, pinguiore dote mille florenorum instructa. Ergo conditio, *si nupserit*, in comparatione ad dotem consistentem in mille, ingressui Religionis præjudicat, quia eum retardat, & nimis difficilem facit.

55. Fortasse regeres, hoc impedimentum tanquam purè *negativum* testatori non imputari, utpote quem nulla urget obligatio, ut ingressum Religionis faciliorem reddat: cùm enim nequidem ducenta eo fine legare teneatur, imò nec nummos aliquot, cur restringendo mille legatos ad nuptias, Religioni præjudicium intulisse incusetur? Actus liberalitatis exercetur in legato, ceu donatione à defuncto relictâ, & ab hærede præstandâ. Quare restrictio præfata ingressum Religionis *positivè* non retardat, sed *negativè* duntaxat, in quantum testator eundem non faciliorem reddit, nullo tamen impellente debito. Verùm data responsio versatur extra rhombum. In præsenti quippe controversia non certamus de potestate testatoris, & quid absolutè facere possit. Clarum est, puellam tacita vel expressa voluntate à legato mille florenorum licitè excludi posse; neque eo casu *positivè* ab ingressu Religionis retardari, sed purè *negativè* hoc est, minùs adjuvando per majorem liberalitatem. Cardo difficultatis in eo hæret, quid testator in dubio secundùm pietatis affectum disponere voluisse censeatur, & quid secundùm interpretationem juris in favorem Religionis piæque causæ in hujusmodi facti specie præsumendum sit?

56. Quòd autem testator piæ causæ puellam, si malueric in Religione profiteri quàm nubere, non præsumatur à legato mille florenorum excludere, colligitur primò ex ratione superioris Sententiæ, ubi testaturus pro bono animæ suæ à legato, pro maritandis puellis relicto, matrimonium spirituale non excludit: quia licèt voluerit ad matrimonium carnale ex pio motivo allicere; attamen æquè gratum, imò gratius ipsi est, si puellæ matrimonium spirituale præponant, tanquam bonum apud Catholicos majus, & statum conjugali meliorem, perfectiorem, ac securiorem: & quia per hoc bonum animæ ipsius testantis excellentiori modo promovetur: nec aliam afferes rationem, cur testator, *si mille leget pro dote puellarum*, præter matrimonium carnale etiam spirituale sacræ Professionis comprehendisse judicetur.

57. Jus Civile Ethnicorum quoque huc adminiculari videtur in *l. Titiæ. 99. ff. de condit. & demonstr.* ubi JCtus ad casum, quo puellæ legantur ducenta, *si non nupserit*, & centum, *si nupserit*, respondet, nubenti nihilominùs danda esse ducenta: cur ita? quia Ethnici statum conjugalem tanquam bonum majus propter liberorum procreationem, statui cœlibatûs vel virginitatis prætulerunt, sicque de voluntate testatoris præsumebant, eum noluisse ita allicere ad statum cœlibatûs, quin, si iste non placeret, æquè ad conjugalem allicere cuperet tanquam ad bonum de se melius in ipsorum opinione erronea: nam qui apud Christianos dixerit, *statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis vel Cœlibatûs, & non esse melius ac beatius manere in Virginitate vel Cœlibatu, quàm jungi Matrimonio, anathemate* percellitur à S. Concil. Trident. *Sess. 24. de Reform. Matrimon. Can.* 10. pariter itaque, imò majori ratione voluntas testatoris quoad præsentem dubitationem duplicis legati, conformiter ad jus Sacrum tali interpretatione explicanda est, ne testator Christiano-Catholicus bonum majus scil. Religionis bono minori statûs conjugalis *postposuisse*, & hoc modo animæ suæ bono spirituali minùs prospexisse arguatur.

58. Si quis contraponat, in *d. l. Titiæ.* illam conditionem, *si puella nupserit*, haberi pro non scripta, adeòque legatum esse purum, non conditionatum, consequenter puellæ non posse denegari, etsi ad nuptias provolet: replicabo, similiter in nostra facti specie conditionem nuptiarum, quando à puella respuuntur, in favorem Religionis & bonum animæ ipsius legantis, haberi debere pro non scripta: paritas rationis, imò majoritas, jam fuit ostensa. Hinc

59. Ad fundamentum Mostazzi & aliorum rotundè negandum est, testatorem Catholicum, qui ad piam causam pro bono animæ disponere intenderat, ex illa formula testandi puellam Religioni mancipandam à mille legatis simpliciter & satis expressè exclusisse. Cur ergo, inquies, testator pro maritanda, quàm pro monachanda plus reliquit, si favorem Religionis respexit? Respondeo, rariores esse puellas, quæ statum Monasticum matrimoniali præferunt: imò longè plures pro Monastico ineptæ sunt, quàm pro Matrimoniali: ergo in nostro casu testator sat rationabiliter egit pro matrimonio pinguius legatum relinquendo, tum ut pericula impudicitiæ eò magis antevertantur, & mariti faciliùs

ciliùs inveniantur; tum etiam, ne dum è converso plùs legâsset pro ingressura Religionem, à statu matrimoniali ad statum difficiliorem fortiùs allicere videretur. Atque huic nostræ Sententiæ adhæret Bonacin. *de Restit. disp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 4. *num.* 20. *vers. idem judicium.*

# QUAESTIO DECIMA QUINTA.

## *An Legatum, Virginibus maritandis relictum, possit peti ab occultè deflorata?*

60. RESolutio: nisi testator expresserit, ut legatum detur virginibus, & non aliis, puellæ occultè corruptæ non censentur exclusæ. Ratio est, quòd inprimis mens testatoris non videatur affixa qualitati virginitatis, sed magis intenta, ut puellæ mediante matrimonio è periculo peccati, in quo earum versatur pudicitia, eripiantur. Deinde sub verbis (*puellis Virginibus*) simpliciter positis nulla fit restrictio ad eas, quæ tales sunt tam à parte rei, quàm in existimatione hominum; sed simpliciter omnes vocavit, quæ communiter inter virgines honestè se gerentes reputantur. Nec præsumendum, testatorem voluisse, ut occultè corrupta, cui legatum offertur, peccatum impudicitiæ profitendo seipsam infamet, & pro indigna seu incapaci ad legatum acceptandum propalet.

61. Quid si testator dicat: *lego ducenta*, ad maritandas orphanas: an tunc etiam subintelligantur orphanæ impropriè sumptæ, quæ quidem patrem habent, sed inutilem?

62. Resolutio: Licèt orphanæ propriè dicantur puellæ in ætate pupillari existentes, quæ patrem non habent, non item, quæ matre tantùm carent; attamen etiam ad legatum vocatæ censentur orphanæ impropriè dictæ, id est, patrem inutilem habentes. Mostaz. *lib.* 4. *cap.* 6. *à num.* 45. Ratio est, quòd satis inter orphanas (spectata pia intentione testatoris) reputetur illa, quæ licèt patrem habeat, omnî tamen præsidiò paternò destituta est ad inveniendum maritum. Quò faciunt duæ paritates: prima de Ecclesia, quæ pro viduata habetur, etsi Prælato non careat, is tamen sit inutilis, fortè propter infirmitatem corporis vel animi, *cap. inter.* 2. *de Translat. Episc.* quemadmodùm & Universitas Syndicò destituta censetur, quæ inutilem habet *l.* 1. §. *quod si nemo. ff. quod cujusque Universitat.* Altera paritas consistit in viduis, quibus proficiunt privilegia intuitu viduitatis concessa, sive sint verè tales, id est, maritis orbatæ, sive maritis inutilibus associatæ, secundùm Covar. *Practicar. cap.* 7. *num.* 2. & Gailium *lib.* 1. *Observat.* 1. *num.* 44.

63. Hæc autem Sententia sic limitanda est, ut si orphanæ propriè dictæ, seu parentibus orbatæ, concurrant cum aliis inutilem patrem habentibus, illæ istis præferantur: cùm voluntas testatoris, quando meliori modo, & proprio in sensu adimpleri valet, per æquipollens non ritè impleatur. At hoc ipsum Mostazz. denuò sublimitat, ut cum orphanis propriè dictis orphanas, inutilem patrem habentes, non solùm admittat, sed etiam has illis præferat, si in paupertate majori & urgentiori necessitate existerent: testator enim non minori sed majori pietate ergà urgentiorem necessitatem motus fuisse præsumitur. Et scribit Guttierr. *Conf.* 26. *num.* 11. in casu, quo quis suis consanguineis pauperibus legavit, respiciendo tamen plùs ad indigentiam quàm consanguinitatem, pauperem remotiorem gradu præferri gradu proximiori, quando remotior majori egestate premitur; hoc enim ratio pietatis exigit: cur non similiter in casu nostro discurramus? maximè, quòd in piis causis larga sit facienda interpretatio, quando singularis pietas urget, Tiraquel. *Privileg.* 23. ita, ut etiam quandòque verba impropriare, & per æquipollens adimplere oporteat vel deceat, pro consequendo effectu per ordinem ad voluntatem testatoris.

64. Licèt prætereà dubitari possit, utrùm sub orphanis puellis maritandis etiam expositæ veniant, eò quòd istæ patre suo non careant: quia tamen patrem per justas nuptias cum matre nunquam initas demonstrare nequeunt, nec patris præsidiô fruuntur, *l. vulgo concepti. ff. de stat. Hom.* ideò non immeritò inter orphanas numerantur, sic tamen, ut, cùm solùm fictè sint orphanæ, orphanis verè talibus in concursu pro legato pio cedere debeant. Illud certius est, reipsa orphanam dicendam non esse, quæ matre caret, nisi simul & pater vel propter infirmitatem, vel ob bonorum dilapidationem inutilis esset.

65. Quòd si legatum relinquatur certæ puellæ cum ordine ad nuptias, eáque ante nuptias, decedat, legatum extinguitur; nisi aliud constet de mente testatoris. Conferatur Riccius *part.* 7. *Collectan.*

# DISSERTATIO TERTIA.

## DE

## *Piis Legatis quoad Anniversaria & Missas.*

66. NOmine Anniversarii veniunt hic Missæ annuatim secundùm voluntatem testatoris, qui reditum seu stipendium eum in finem reliquit, celebrandæ. Cùmque specialia dubia de illis non raró occurrant, nullum erit operæ dispendium, si singulari Dissertatione excutiantur, quamquam in aliis meis Tractatibus, ùt in *Potestate Clavium circa Indulgentias* (ubi *part.* 3. *sect.* 15. *de his, quæ ad Defunctorum Indulgentias generatim pertinent*, *sect.* 16. *de Altaribus Privilegiatis, eorùmque Indulgentiis, in Suffragium Defunctorum concessis:* & *Sect.* 17. *de obligatione celebrandi Missas de Requiem, & applicandi fructum tum Indulgentiæ tum Sacrificii pro Defunctis in Altarib. Privilegiatis* amplè agitur) & in *Sacra Liturgia Sacrificii & Sacramenti Evcharistici Dissert.* 5. *de Missis pro Defunctis* diversas quæstiones resolverim. Instituuntur autem Anniversaria Missarum vel relictis bonis stabilibus, quorum reditus annuatim pro Missis dicendis exhauriuntur & ab aliquo distribui jubentur: vel sic, ut certa pecuniæ quantitas alicui Ecclesiæ, Monasterio &c. destinetur, quæ in bonis eorum collocetur, ut exinde annua stipendia pro celebrandis Anniversariis in perpetuum suppeditentur. De his jam breviter dicendum.

## QUAESTIO DECIMA SEXTA.

### *Quid agendum cum relictis Pecuniis pro Anniversario perpetuo?*

67. REsolutio: Talia mobilia debent in res immobiles fructiferas converti: sic enim Decretum fuit sub Urbano VIII. à Sac. Congregat. Concilii *de Celebrat. Missar.* nimirum, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam Sæcularibus quàm Regularibus, atque illorum, personis in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœnâ interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrendâ à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem sacram, vel personam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quàmprimùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa individua mentione oneris quod illi annexum reperitur. Ita S. Congr.

68. Quâ verò Purpurati Patres fuerint nixi ratione, ita statuendi, facilè est conjicere: enimverò obligatio dicendi Missas quot annis duraret in perpetuum; & sic successores, post pecunias jam ab antecessoribus consumptas, tenerentur portare onera Missarum sine temporali commodo & remuneratione, ac tandem tractu temporis Anniversaria neglectui haberentur: unde, ut compendia seu commoda cum oneribus in uno velut perpetuo alveo fluerent, per Decretum de comparandis immobilibus & fructiferis optimè prospectum fuit.

69. Nec replices, Patres Concilii utilius prospecturos fuisse, si decretam commutationem mobilium in immobilia & fructifera non in solis Missis perpetuis ordinâssent, verùm etiam in aliis Missis longissimo tempore, putà usque ad triginta vel quadraginta annos duraturis, idipsum statuissent: quod tamen ita statutum fuisse, nullum fundamentum ex verbis apparet, sed potiùs contrarium; quia in *§. præterea cit.* Decreti dicitur expressè: *ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt &c.* tempus autem perpetuum est, quod certum finem non habet. *l. jurisperitos. ff. de excusat.* Nam Resp. sub memorato Decreto contineri quoque legata mobilium pro Missis tempore longissimo, licèt finem habituro, annuatim dicendis. Pro quo comprimis considerare oportet rationem Constitutionis legalis *arg. l. cùm pater* 77. *§. dulcissimis. ff. de legatis* 2. quæ proinde si adsit, quoad casum non expressum lex procedit tam intensivè quàm comprehensivè: ratio autem Decreti relucet ex ipsius fine, qui erat *impedire* segnitiem in explendis Anniversariis, ut piæ voluntates testatorum felicem exitum sortiantur: nam *Sacerdotes* (sic sonant verba in dict. §. prætereà) *in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores ac segniores redduntur, quòd onera bujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta.* Cùm igitur, nisi pecuniæ aliâve bona mobilia relicta pro Anniversariis usque ad tempus tricennale, vel longiùs continuandis, in bonis immobilibus & fructiferis collocarentur, denique illa Missarum onera cum parva aut nulla forent utilitate conjuncta, immeritò Decretum Sac. Congregationis ad solas Missas perpetuas restringere attentamus: maximè, quòd perpetuitas non semper accipiatur pro tempore, certum finem non habituro, sed secundùm subjectam materiam per *l.* 1. *ff. pro socio*, ubi dicitur: *Societas coiri potest vel in perpetuum, id est, dum vivunt, vel ad tempus &c.* & etiam actiones, quæ 30. vel 40. annorum spatio intentari possunt, in jure *perpetuæ* appellentur: prout colligitur ex *princ. Instit. de perpet. & temporal. action.* ubi de actionibus legimus, eas aliquando in *perpetuum extendi, id est,*

*est, usque ad finem ex Constitutionibus introductum &c.* Tuschus *Lit. D. Conclus.* 326. *num.* 6. quem sequitur Mostaz. *de Piis Caus. l.* 2. *cap.* 11. *à num.* 8. *num. seq.* adnotans, nostram Sententiam admittendam esse, etiamsi spatium sit minorum annorum, in quibus probabiliter utilitas pecuniæ, aliorùmve bonorum mobilium ad Successores non perveniret.

70. Quantum ad illa verba Decreti: *statim deponi debeant*, equidem Pasqualigus existimat, obligationem investiendi pecuniam in rebus immobilibus fructiferis tum primùm currere, quando pecunia, aliáve mobilia, ad manus legatarii pervenerunt. Alii tamen ex mente Sacræ Congregationis esse censent, ut Administratores & Ecclesiarum Prælati statim, post habitam legati relicti notitiam, maturè deliberent, sitne acceptandum, nec ne (quia fortè quantitas pecuniæ legatæ obligationibus præscriptis non foret proportionata) illùdque sine ulteriori mora vel respuant, vel acceptent, acceptandùmque mox realiter acquirere, deponere, atque in bonis stabilibus fructiferis collocare studiosè curent; ne iis, quibus Sac. Missæ Sacrificia sunt destinata, ex dilatione præjudicium inferatur. Verba autem illa, *à die realis acquisitionis*, putant referri ad effectum pœnæ interdicti ab ingressu Ecclesiæ incurrendi, ut scil. anteà locum non habeat, quàm si negligentia committatur post realem pecuniarum acquisitionem. De cætero Administratores Ecclesiarum, cùm pecuniæ in quibusdam locis faciliùs quàm in aliis in aliqua re frugifera investiri queant, non sunt præcipiti judicio negligentiæ arguendi, sed hæc est probanda; quod fieri valet per indirectum, si nempe compertum sit, eos oblatam pecuniæ investiendæ occasionem prætermisisse. Quòd si legatum in actionibus & nominibus consistat, similiter, statim post acceptionem, ad illius recuperationem procurandam obstringuntur, & in casu deperditionis, cui ipsorum negligentia culpam dedit, ad satisfactionem, per *l. si tutor* 15. *ff. de Administr. & per tut.* & *l. nomina* 2. *Cod. arbitr. tutelæ.* Quia verò debitores, antequàm judicialiter conveniantur, extrajudicialiter & urbanè interpellari debent, *l. debitores* 10. *Cod. de Pignor. l.* 23. *ff. de Usur.* Administratores culpâ vacabunt, si debitores intra terminum solutioni extrajudicialiter assignatum non solvant, & non solvendo fiant. Aliud dicendum, quando debitores noscuntur esse decoctores, vel de fuga suspecti: tunc enim administratores, ne negligentiæ reos se faciant, celeri remedio ad assecuranda debita, eáque recuperanda uti tenentur.

71. Sub nomine bonorum stabilium & fructiferorum, in quibus pecunia pro Anniversario relicta investiri debet, veniunt non solùm, quæ ex cultura perpetua fructus reddunt, uti sunt prædia, horti, pomaria, vineta &c. verùm etiam secundùm probabiliorem Sententiam, census perpetui, utpote bonis stabilibus æquipollentes. Et licèt non facilè suadendum sit, ut in censu redimibili investiatur; attamen ita nonnunquam rectè fieri, ex praxi testatur Mostazzo *loc. cit. num.* 19. eò quòd post census redemptionem & cessationem, iterum in alia re stabili collocari valeat.

72. Obligatio Missas adimplendi currere incipit non à tempore acceptationis legati, sed à tempore investitæ in fructiferis pecuniæ, utpote à quo fructus currunt, & ad legatarium spectant. Tamburin. in *Meth. dicendi Miss. lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 6. *num.* 4. Si legatum foret annuum, vel ab hærede, vel ab aliis à testatore obligatis præstandum, obligatio celebrandi Missas statim à tempore, quo solvitur, currere inciperet: nam legatum annuum correspondet toti anno ab initio usque ad finem, & debetur à primordio cujusvis anni secundùm se totum, esto legatarius toto anno non vivat. Pasqual. *dict. tom.* 3. *quæst.* 1069. *num.* 1. Vid. *l. in singulos annos. ff. de legat. annuis.*

# QUAESTIO DECIMA SEPTIMA.

## *Valeàtne legatum pro Missis relictum Ecclesiæ, at sine expressione Ecclesiæ? Et cui debeatur?*

73. Resolutio: Valet ejusmodi legatum, quamvis cæteroquin legata, quorum legatarius est incertus, secundùm jus Civile pro nullis habeantur. Ratio discriminis est, quòd incertitudo legatarii in legatis profanis ideò vitium inducat, quia habent se ùt donatio quædam erga legatarium ex singulari benevolentiæ affectu exercita: unde requirunt personam electam ac determinatam: quomodò enim sine tali determinatione in legati executione obtineri posset ostensio affectûs? Econtra in legatis piis pro causa finali respicitur salus animæ legantis, ad cujus finis consecutionem nihil refert, huic an alteri legatum obveniat, & applicetur.

74. Quoad alterum quæsitum refert, utrùm legatum concernat Missas manuales, id est, pro unica vice tantùm celebrandas, num verò perpetuas? Primo casu celebrari debent in Ecclesia sepulturæ, in qua exequiæ celebrantur; & si propter Missarum numerum, aliùdve impedimentum, in die exequiarum omnes ibi persolvi non possent, reliquæ secundùm electionem hæredum vel executorem testamenti in alia Ecclesia celebrari poterunt. Ita praxis, & observantia docet. Secundo casu videndum est, an conjectura aliqua adsit, ex qua colligatur, testatorem speciali affectione erga certam Ecclesiam motum fuisse; & tunc pro Missis perpetuis illa Ecclesia censetur electa & præferenda: sine ejusmodi conjectura Missæ debentur Ecclesiæ sepul-

sepulturæ, utpotè quam testator præ cæteris dilexisse præsumitur; quia ibi corporis sui quietem elegit: ac præcipuè Anniversaria ibi esse celebranda, firmavit Rota coram Cavalerio *decis.* 494. *num.* 3. Quòdsi in legato perpetuo, seu Anniversario nullus fuerit designatus Missarum numerus, determinatio regulabitur juxta qualitatem defuncti, ejùsque facultates, arbitrio boni viri, maximè Episcopi. Tiraqu. *piæ caus. Privil.* 55. argumentum sumitur ex *l. si cui.* 14. *ff. de annuis legat.* ubi, *si cui annuum fuerit relictum sine adjectione Summæ*, verior dicitur Sententia, id, *quod testator præstare solitus fuerat, videri relictum: si minus, ex dignitate personæ statui oportebit.*

75. Subnoto hìc primò: emolumentum Legati pro Missis relicti Capellæ, pertinere ad illum, cui illius regimen seu cura principalis incumbit. Sic decîdit Rota apud Cavalerium *decis.* 405. quem citat Pasqual. *de Sacrif. tom.* 2. *quæst.* 998. *num.* 2. Informantes ibi pro una parte adduxerunt unionem Capellæ, in qua erat erectum beneficium, ad Capellam Confraternitatis: Respondit Rota, quòd unio extinctiva tituli non præsupponatur, sed fuisset probanda: quæ si subsisteret, quià ad Confraternitatem esset devoluta superioritas, ad ipsam quoque pertineret legatum. Quia tamen non constabat de hac unione, ideo ad ipsam (Confraternitatem) non pertinebat legatum, sed ad beneficiatum, ùt resolvit Rota. Ratio est, quòd jura Capellæ non minùs ac Ecclesiæ, quoad utilitatem transeant ad illius Rectorem: atqui legatum, Capellæ relictum, pertinet ad istius jura. Ergo transit ad Rectorem Capellæ, qui nempe illam sub sua administratione habet, sive dein sit beneficiatus, sive Confraternitas, sive Conventus Regularis. Et quia Capella quandòque est pars alicujus Ecclesiæ, ita, ut utriùsque sit unus Rector principalis, eo casu legati emolumentum, pro Missis in Capella dicendis relictum, tunc non ad beneficiatum vel Confraternitatem, sed ad Rectorem principalem spectat, utpote cujus jura se extendunt etiam ad Capellam, ceu partem Ecclesiæ. Genuens. in *Prax. Archiepiscop. cap.* 72. *num.* 4. Redoan. *de Reb. Eccles. non alienand. quæst.* 14. Rota *decis. un. de Reb. Eccles. non alien.* apud Pasqual. *d. quæst.* 998. *n.* 4. Semper tamen inspicienda sunt verba & mens fundatoris, *arg. cap. porrò. de Privileg.* à qua prætextu jurium ad Rectorem Capellæ vel Ecclesiæ cæteroquin spectantium, non est recedendum. Rota in *Soletana Capell.* 16. *Jun.* 1631. coram Merlino.

76. Hinc etiam, si testator, qui tam tempore conditi testamenti quàm mortis suæ duabus Parochiis subjectus erat, Ecclesiæ Parochiali indeterminatè legatum pro Missis relinquat, primitus explorandum erit, an erga unam majorem ostenderit affectionem, v. g. in ea Sacramenta frequentiùs percipiendo, aliquam fundationem faciendo, vel considerando ibidem suam suorùmque majorum sepulturam: ex talibus enim & similibus signis particularis affectionis satis videtur ejus certificari voluntas, quòd Missas suas potiùs ad illam Ecclesiam destinârit, quàm ad alteram suam Parochialem. Nullis verò signis pro captanda conjectura extantibûs, quidam censent, legatum pro Missis inter utràmque Ecclesiam esse dividendum, quemadmodùm portio *canonica* dividi debet inter Parochias, juxta tex. in *cap. cùm quis.* 2. *§.* 1. *de Sepult. in* 6. quando defunctus sepulturam alibi extra illas sibi elegit: nonnulli distributionem arbitrio Episcopi committunt, cui Parochiali maluerit gratificari: Pasqualigus tamen probabilius esse censet, legatum Missarum deberi Ecclesiæ, in qua testator habet sepulturam, ac postremò Sacramentis provisus fuit: cùm ex tali ultimorum Pastoralium Officiorum receptione illi Ecclesiæ, à cujus Ministris ea recepit, ampliori benevolentia favere voluisse censeatur: idque præsumendum est, tametsi in neutra suarum Parochialium, sed in alia Ecclesia, sepulturam sibi constituerit.

77. Difficultas restat, quando testator in alia Parochia fuit tempore conditi testamenti, & in alia tempore mortis, ad qualem Ecclesiam tunc legatum pro Missis pertineat? Probabiliùs censeo, spectare ad Ecclesiam Parochialem, sub qua testator tempore mortis domicilium jam anteà contractum continuavit. Cujus rationem affert Pasqualigo *cit. tom.* 2. *quæst.* 102. *num.* 4. quòd testatoris dispositio effectum non sortiatur, nisi secuta morte: & proinde testator disponens non disponat de tempore præsenti, sed pro tempore mortis: ergo quando contemplatur Ecclesiam tanquam Parochialem, contemplatur illam, quam habiturus est pro tempore, in quo testamentum habiturum est suum effectum; per consequens in testamentis attenditur tempus mortis, uti desumitur ex *l. si ita.* 7. *ff. de aur. & arg. leg.* Quia tamen pro declaranda mente testatoris etiam respiciendum est ad tempus conditi testamenti; cùm tunc suam ultimam voluntatem circumspectè ordinet, & non primùm tempore mortis, velut colligitur ex *d. l. si ita legatum. ff. d. t.* & ideo relictum cognato, intelligitur de eo, qui tempore conditi testamenti erat cognatus, *l. cognatis. ff. de reb. dub.* contra Pasqualigum inferri posset, Ecclesiæ Parochiali legatum Missæ deberi, cujus Parochianus erat testator tempore conditi testamenti. Malo dicere, testatorem (nisi aliter mentem declaraverit) jam tempore conditi testamenti, quo Legatum Missarum reliquit, illam Ecclesiam prædilexisse censeri, quæ tempore mortis & sepulturæ erit sua Parochialis, maximè si in ea sepeliatur: ita enim & praxis habet, ut ibi pro defuncto Missæ dicantur: & magna concurrit convenientiæ ratio, à qua testatorem deflexisse minùs verosimile est.

78. Subnoto secundò, legatum Missarum pro Ecclesia Collegiata, sive sit per modum annui emolumenti relictum, sive pro Missis unica vice celebrandis, distribui debere non inter solos Canonicos, sed etiam inter reli-

quos

quos illius Ecclesiæ beneficiatos. Nam licèt ista legata de se non sint veræ *distributiones* (cùm non sint dismembratæ à fructibus beneficialibus, & pro illis, qui choro intersunt, ac Divinis personaliter assistunt, reservati, prout Sac. Trid. eam separationem fieri mandavit). Nihilominùs ad modum distributionum quotidianarum regulantur, per tex. in *cap. un. de Cleric. non resid. in 6.* in verbis: *de distributionibus pro defunctorum Anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.* Cùm itaque distributiones quotidianæ non solis Canonicis, verùm etiam cæteris Beneficiatis, celebrationi Divinorum assistentibus, & collaborantibus obveniant, Beneficiati nec à reditibus Anniversariorum sunt excludendi: servanda proinde erit proportio in distributione hujusmodi, quæ aliàs observari solet in Ecclesiis Collegiatis. Quòd si verò stipendia Missalia in legato secundùm modum consuetum sint pro singulis Missis deputata, adeòque habeant se ùt *manualia*, non est habenda ratio aliqua proportionis, ut Canonici plus accipiant, sed quoad legatum æqualitas servanda inter omnes Sacerdotes celebrantes, juxta Decreta quæ circa eleemosynam manualem, quoad celebrationem Missarum emanârunt, ut scil. quilibet integrum stipendium accipiat; qua de re fusiùs scripsi in *Sacra Liturgia Sacramenti & Sacrificii Evcharistici Dissert.* 16.

79. Porrò, cùm nomine Capituli Præbendarii alii non veniant, quàm Canonici, circa Missarum legatum Capitulo expressè relictum, eo casu cæteris Beneficiatis nullum jus participandi de emolumentis competit, sicuti nec onus aliquod tunc ipsis incumbit ad peragenda sacra & Anniversaria. Dixi, *expressè*: nisi enim *taxativè* seu *restrictivè* ad Capitulum relictum fuerit, quamvis testator Capituli mentionem fecerit, ex ipsa natura oneris impositi, putà Anniversarii, toti Clero talis Ecclesiæ relictum censetur, ùt observat Pasqual. *d. tom.* 2. *quæst.* 997. *num.* 8. cum Canonistis in *cap. requisisti. de testam.* Mantica *de Conjectur. ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 12. *n.* 4. & *tit.* 14. *num.* 6. Lara *de Anniversar. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 2. Merlin. *decis.* 685. *num.* 37. Cui præsumptioni & piæ voluntatis interpretationi fundamentum præbet, quòd, quò plures ad sacrificandum concurrunt, eò nobiliori modo ac magis appretiabili Sacrificia ab Ecclesia offerantur, indèque fructus saltem accidentalis offerentium incrementum capiat.

# DISSERTATIO QUARTA.

## *DE Legatis relictis pro malè ablatis: Detractione quartæ: & ultimarum Voluntatum commutatione.*

PLura hìc conjunguntur, & succinctè expediuntur. De malè ablatis quà restituendis egissem in *Tract.* 2. nisi commodiùs isto loco sub rubrica Legatorum piorum collocari existimâssem.

## QUAESTIO DECIMA OCTAVA.

### *Quid sint malè ablata? Qualiter restituenda?*

80. REsolutio prima: Male ablatum dicitur hìc, quidquid alteri cum offensione juris rigorosi alieni, sive justitiæ commutativæ, vel per vim extortum, aut quibuslibet figmentis, cavillationibus, deceptionibus &c. subtractum fuit. Quò etiam pertinent injustè retenta: jura in re vel ad rem, aut quæ probabiliter sperabantur, impedita. Novarius in *Tract. de Relictorum ex causa malè ablatorum privilegis Sect.* 1. *Prælud.* 1. *à num.* 3. ubi cum Navar. in *Manual. cap.* 17. *num.* 12. malè ablata *verè* talia vocat, quæ furto, aut rapina auferebantur, *virtualiter* talia, quæ injustè detinentur. Huc faciunt texx. in *cap. sæpe.* 18. *de Restit. spol.* cujus rubrica habet: recipiens scienter rem invasam à spoliatore, tenetur eam restituere spoliato, licèt non probet dominium: & in textu dicitur, quòd non multùm intersit *quoad periculum animæ, injustè detinere, ac alienum invadere. cap. fin. de Sepult.* ubi *hæredes & propinqui, ad quos bona pervenerunt* (scilicet à defuncto injustè acquisita aut detenta) *ut pro eodem satisfaciant, censura sunt Ecclesiastica compellendi.* & *cap. in literis* 5. *de Raptorib* ubi debent moneri & compelli hæredes (defuncti incendiarii) ut his *quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condignè satisfaciant, ut sic à peccato valeat liberari.* Mihi videntur hæc reduci posse ad debita justitiæ, quarum origo ex re accepta, & injusta acceptione tanquam duplici radice restitutionis deducitur.

81. Resolutio secunda: Fur, raptor, vel alius injustus damnificator per hoc à restitutione malè ablatorum non excusatur, quòd res ablatæ casu fortuito, & sine culpa etiam levissima apud ipsos perierint. Ratio est: quòd

quòd existenti in mora restituendi omnis casus fortuitus imputetur: at fur, raptor, aut quivis alius injustus damnificator, à die illati damni in mora existere censetur: Vid. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. excipi solet à compensatione rei peremptæ casus, quo res eodem modo peritura fuisset apud dominum. Novar. *cit. Prælud.* 6.

82. Resolut. tertia: Cùm præceptum restitutionis saltem *radicaliter* & *implicitè* sit negativum, atque adeò obliget *semper* & *ad semper*, prout nimirùm creditor censetur rationabiliter invitus, ideò malè ablata statim, ùt possunt, restitui debent. Sed quibus? utique veris dominis, si certi sint, eorùmve hæredibus.

83. Quidsi dominus esset quidem certus, accessus tamen ad illum sine periculo, aut scandalo non pateret? Reponit Novar. *loc. cit. Prælud.* 4. *num.* 5. ex Azor. *Institut. Moral. part.* 3. *l.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 15. in tali hypothesi restitutionem fieri posse pauperibus, potiùs tamen illius loci, ubi res subtracta fuit, quàm extraneis. Generatim autem malè ablata, quarum domini ignorantur, piis locis dispensari debere, exprimitur in *cap. cùm tu.* & in *cap. quanquam de Usur.* tradìque debere in beneficium animæ, cujus res erat, docet Abbas *Cons.* 34. *lib.* 1. & Spin. *de Testam. Rub.* 13. Domino autem qui priùs sufficienti diligentia quæsitus, & competenti tempore exspectatus fuerat, tandem comparente, postquàm ex. gr. res pauperibus jam fuit restituta, ambiguum est, an debitor denuò & ipsi solvere vel compensare teneatur? Negat Ugolin. *de Usur. cap.* 18. *§.* 2. *num.* 6. cum Lopez in *Rub. de donat. int. vir. & uxor. §.* 65. *num.* 61. apud Novar. *dict. Prælud.* 4. *num.* 6. Alii tamen apud Francum in *cap. fin. de Usur. in* 6. *in Gloss. satisfieri.* notant, tunc à pauperibus, quod acceperunt, condictione sine causa repeti posse. Secundùm consilium Ugolin. malè ablata piis locis sub ea conditione sunt tradenda, ut domino comparenti salva maneat restitutio.

# QUAESTIO DECIMA NONA.

## *Quænam sint Privilegia in legatis relictis pro malè ablatis, ut eorum restitutio tantò magìs promoveatur, & saluti animæ consulatur?*

84. Resolutio tradit varia privilegia: quæ videre licet in iis, quæ generatim de relictis ad *pias causas* hactenus proposita fuerunt, ac insuper ex congestis & observatis à Novario *loc. cit. Sect.* 2. *per tot.* Primum est, quòd Legatum pro malè ablatis restituendis velut æs alienum à substantia relicta detrahatur: non enim tam titulo legati (quod est quædam donatio à defuncto relicta, ab hærede præstanda) quàm debiti relinqui videtur. Gloss. & DD. in *cap. quanquam. de Usur. in* 6. nec præstat beneficium, qui impendit debitum.

85. Secundum: Quamvis aliàs legatum in dubio sit strictè interpretandum; quia testator in dubio censetur minùs gravare hæredem, quàm sit possibile: relictum tamen pro incertis & malè ablatis latissimè interpretandum est: tendit námque singulariter ad exonerationem conscientiæ in favorem animæ, quæ cunctis rebus est præponenda.

86. Tertium: Legatum pro malè ablatis, etiam portionem legitimam, filiis cæteroquin de jure debitam, diminuit, éstque ante omnia præstandum: tum quia hoc exigit salus animæ: tum quia (ut paulò antè dictum) non tam est donatio quàm debitum, consideratúrque ùt æs alienum; & bona hæreditaria aut legitimæ obnoxia, non alia dicuntur, nisi quæ supersunt deducto ære alieno. *l. subsignatum. §. bona. ff. de V. S.* & *l. Papinianus. §. quarta. ff. de Inoffic. Testament.* Unde non est audiendus Surdus in *Tract. de Aliment. Privil.* 95. *num.* 9. *tom.* 8. contrariam opinionem sustinens, quasi nempe ratione ejusmodi legati pro malè ablatis nullæ legitimæ diminutio fieri debeat. Nam advertere debuisset, potentius esse jus creditorum, quàm filiorum, ùt meliùs notavit Seraphin *decis.* 416. *num.* 5. nec certam esse legitimam, quamdiu æs alienum manet illiquidum. Idem *decis.* 669. *num.* 3.

87. Quartum: Favor pro malè ablatis est potentior favore legati ad causas pias simpliciter, & ideò in concursu utriusque legati favor pro malè ablatis prævalet. Ratio est, quòd potentius sit privilegium illius, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando. Jam verò legatum relictum pro restituendis incertis & malè ablatis eò tendit, ut exoneretur conscientia defuncti, atque ab eodem damnum spirituale animæ, quod aliàs propter usurpationem bonorum alienorum sufferendum esset, evitetur: alterum verò legatum piæ causæ collimat quasi ad lucrum aliquod pro anima acquirendo, ut scil. intuitu doni DEO oblati pœnæ temporales in altera vita abbrevientur, & cœlestis beatitudo tantò celeriùs obtineatur. Procedet igitur hîc illa Regula, quòd, licèt cæteroquin privilegiatus contra æqualiter privilegiatum suo privilegio uti non valeat, per tex. in *l. verùm. §. fin. ff. de Minorib.* nihilominùs privilegiatus privilegio potentiori, præferatur alteri minùs privilegiato. Bartol. in *Auth. quas actiones. Cod. de SS. Eccles.* Et hinc si uni Ecclesiæ fuerit legatum pium v. gr. mille florenorum simpliciter relictum, alteri verò pro incertis malè ablatis, hæc posterior (proter majorem defuncti utilitatem, animæque favorem) tanquam potentiùs privilegiata, legatum capiet præ illa. Novar. *loc. cit. Privileg.* 9. *num.* 4.

88. Quintum, priori connexum: In legato

gato relicto ad exonerationem conscientiæ pro malè ablatis & incertis, contra hæredem debet fieri major interpretatio, quàm quæ fieri debet in simplicibus legatis piis. Et post tres distinctos gradus Novarius superaddit quartum in eòque constituit legatum relictum pro restituendis malè ablatis & incertis, ita, ut in hoc amplissima contra hæredem sit facienda interpretatio, cum prælatione supra quævis alia legata pia.

89. Sextum: Donatio facta pro incertis & malè ablatis non revocatur ob supervenientes liberos. Hoc privilegium derogat vulgato textui in *l. si nunquam.* 8. *Cod. de revoc. donat.* ubi si Patronus filios non habens, libertis bona omnia vel partem facultatum *fuerit donatione largitus, & posteà susceperit liberos,* totum *reverti* dicitur, in *ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum:* ex quo DD. simile argumentum formant positò, quòd pater post donationem ejusmodi procreaverit liberos: nam sicuti Patronus, si liberos sperâsset, ita nec pater fuisset notabilem partem bonorum donaturus. Revocationem autem, si quid propter malè ablata & incerta pauperibus v. g. donatum fuerit, cessare, colligitur ex eo, quod non fuerit exercita mera liberalitas, sed rei debidæ restitutio, nec tam donatio, quàm solutio. Porrò allegatus textus non in onerosa, sed in gratuita dispositione locum habet. Vid. Mascard. *de Probat. Concl.* 280. *num.* 155. & Tiraquel. ad *cit. l. in verb. donatione largitus.*

90. Septimum: Donatio facta à Novitio pro restitutione incertorum & malè ablatorum absque solennitate Concilii Tridentini est valida. Memoratum Concilium *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 16. in favorem Novitiorum statuit: ut nulla quoque *renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, irrita sit.* Explicatione & limitatione præsentis Constitutionis ad alium locum dilata, impræsentiarum solùm id adnoto, quòd donationem pro malè ablatis & incertis intra ambitum suum ideò non contineat, quia, uti sæpius tactum est, hic non fit donatio propriè dicta & gratuita, sed solutio quædam debiti. Cenedus in *quæst. Canon. cap.* 6. & Rodriq. in *Summa cap.* 7. apud Novar. *loc. cit. Privileg.* 14. *num.* 9. qui in *quæst. forens.* 53. *n.* 3. *part.* 1. ad rem nostram appositè docuit, ne quidem donationem remuneratoriam sub præfata Constitutione Conciliari comprehendi, cùm à propria ratione donationis recedat, ac speciem quandam permutationis debitique compensationem non sine titulo oneroso secum ferat; indéque ab aliquibus donatio *ob causam*, & non *simplex*, nuncupetur; & proptereà ne quidem propter insperatam liberorum nativitatem revocationi subjaceat.

91. Octavum: Tametsi damnati ad mortem naturalem (abstrahendo à praxi hodierna) testari prohibeantur, *l. ejus §. si cui.* & ibi Gloss. in *ver. ad ferrum. ff. qui testam. fac. poss.* cùm per Sententiam capitalem servi pœnæ efficiantur *l. qui ultimo. ff. de pœn.* ita quidem, ut nec testamentum anteà factum subsistat, prout tenent allegati apud Novar. *cit. loc. Privil.* 31. quorum plures eam prohibitionem etiam ad pias causas extendunt: attamen prædicta prohibitio non obtinet in condentibus testamentum pro restituendis incertis & malè ablatis, veluti tradunt Peregrin. *de Jur. Fis. lib.* 3. *tit.* 2. *in fin.* Barbos. *de J. E. U. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 28. & alii apud *cit.* Novar: qui posterior *Privileg.* 32. cum ibi congestis idem tuetur quoad damnatos ad mortem civilem per amissionem civitatis & libertatis, exemplum afferendo de deportatis.

92. Nonum: estò usurarius publicus per ultimam voluntatem disponere prohibeatur, per *cap. quamquam. de Usur. in* 6. nisi de restituendo priùs caveat: hæc tamen facultas ei minimè est adempta, si pro restitutione incertorum & malè ablatorum disponere velit: quia tunc formam præscriptam in *dict. cap.* omnino adimplere censetur. Novar. *loc. cit. Priv.* 60.

93. Decimum: de legatis, quæ pro incertis & malè ablatis ad exonerandam conscientiam Ecclesiis, aut aliis piis locis relinquuntur, Episcopus non detrahit quartam partem, quæ cæteroquin in legatis piis eidem competit juxta *cap. conquerente. de Offic. Ordin.* ubi Gloss. in *ver. mortuariorum. cap. requisisti. cap. fin. de testam.* 1. *& seq. caus.* 10. *quæst.* 3. *cap. de quarta. de Præscript.* Ita Novar. *loc. cit. Privil.* 45. *n.* 7. sine dubio sæpe dicta ex ratione, quòd ejusmodi legatum non sit gratuitum, sed ex justitia exsolvendum, ut defuncti conscientia per restitutionem rei alienæ, seu compensationem injustæ læsionis exoneretur. Imò citati apud Novar. tradunt, quartam Episcopalem non detrahi, quoties aliquid pauperibus personis v. g. studiosis, puellis &c. relinquitur. per *cap. ex parte* 31. *de V. S.* Contrarium esset tenendum, si aliquid relinqueretur pauperibus certi hospitalis authoritate Ecclesiastica erecti: tunc quippe loco relictum censeretur: unde Episcopo deberetur sua quarta portio Canonica (quæ de consuetudine modò minor est v. g. tertia, modò major & dimidia pars. *cap. antiquos. caus.* 10. *qu.* 1. & Episcopo intra suam Diœcesin ab omnibus obventionibus bonorum mobilium & immobilium, Ecclesiis inferioribus, cæterisque locis sacris & religiosis, ultima voluntate à defunctis relictorum, regulariter competit, Molin. *tract.* 2. *de J. & J. disp.* 215.) titulò scil. superioritatis & spiritualis Jurisdictionis, onerisque Pastoralis incumbentis, nec non communicationis, inter Episcopum & Ecclesiam, cui aliquid relictum est, intercedentis. Barb. *U. J. E. l.* 3. *cap.* 19. Prædicta portio specialiter detrahi prohibetur à relictis pro ornamentis, fabrica, *luminaribus anniversario, septimo, vigesimo &c.* juxta *cap. fin. de Testa-*

*Testament.* Plura quoad hoc dabit Novarius *de Priv.* 45.

94. Quòdsi quæras, quisnam sit legitimus executor, & Judex competens in restituendis incertis & malè ablatis? in promptu responsio est, hoc sub Officio & Jurisdictione Episcoporum contineri, sicuti & alia, quæ pietatem, charitatisque & humanitatis Officium concernunt, *cap.* 1. *&* 2. *dist.* 87. *cap. super quibusdam. in fin. de V. S.* Concil. Trid. *Sess.* 22. *de Ref. cap.* 4. *&* 8. Pertinet autem executio ad illum Episcopum, sub cujus Diœcesi & Jurisdictione sita sunt bona, quæ titulô incertorum & malè ablatorum pauperibus sunt distribuenda, non verò ad illum, cujus Jurisdictioni suberat testator. Roman. *Conf.* 250. apud Novar. *loc. cit. Privil.* 56. Qui plura desideranti satisfaciet.

# QUAESTIO VIGESIMA.

## *An à Legatis piis possit detrahi quarta Falcidia? Vel Trebellianica?*

95. IN testamento, in quo ex testatoris dispositione tot legata fuerunt designata, ut hæredi instituto non maneat salva quarta pars hæreditatis (v. gr. mille, si ex hæreditate constante quater mille florenis ultra tria millia legatariis fuerint destinata) hæredi licet ex legatis tantum detrahere, quantum sufficit ad suam quartam 1000. florenorum integrandam *pr. Instit. de Leg. Falcid.* Dubitatur, an si hæreditas foret præfato modo legatis piis emuncta, eadem hæredi deductionis licentia censeretur concessa?

96. Resolutio est negativa. Covar. ad *cap. Raynaldus.* 18. *de Testam.* Tiraquel. *P. C. Privil.* 26. Velasco *de Privileg. Miserabil. person. &c.* Mostaz. *lib.* 1. *de Caus. Piis. cap.* 11. *à num.* 32. Magnif. D. P. Franscisc. Schmier *Jurispr. Can. Civ. tr.* 4. *p.* 1. *cap.* 1. *à n.* 446. cum P. Engel *de Testam. num.* 20. & And. Gail. 2. *Observat.* 119. aliique. De Jure Can. vix potest esse dubium. De Jure Civili consonat *Novell.* 131. *cap.* 12. cujus inscriptio habet, *ut in Legatis piis cesset Falcidia:* ejusdémque toni est *Auth. Similiter. Cod. ad Leg. Falcid.* Cùmque Imperator citato loco generaliter loquatur, séque cum jure naturali Divinóque conformet, nulla urget ratio, ut dispositio animæ legantis tam favorabilis ad denegatam falcidiæ detractionem restringatur pro casu, in quo vel hæres mendacium protulit, vel moram commisit. Antehàc Jus Civile aliud statuerat, veluti constat ex *l.* 1. *§.* 5. *ff. ad Leg. Falcid.*

97. Quoad quartam Trebellianicam, ut nec illa detrahi possit, quando hæredi gravato, ad restituendum fideicommissum piæ causæ, quarta integra non maneret, docent ex allegatis Velasc. *d. q.* 8. *num.* 293. Tiraquel. *Privil.* 72. & P. Engel *loc. cit. num.* 21. sic loquens: neque enim detractio Falcidiæ vel Trebellianicæ tam est ex mente testatoris, quàm ex Juris Civilis dispositione, tex. in *cit. cap. Raynaldus in fin.* quæ lex piis causis præjudicare non valet: & utique testator in defectu bonorum maluit decedere aliquid hæredi extraneo, quàm piis causis, quarum patrocinium post mortem quæsivit. Instat insuper argumentum applicando à testamento militari, in quo tam Falcidiæ, quàm Trebellianicæ quartæ detractio cessat, *l. in Testamento. Cod. ad Leg. Falcid. l.* 1. *§. denique. ff. ad SCt. Trebell.* quod argumentum pro idoneo approbat Everhardus in *Topicis*, in *Loco à milite ad Ecclesiam.* Quando autem opponitur *l. si quis.* 49. *Cod. de Episc. & Cler.* ex qua colligi videtur, pro evitanda detractione Falcidiæ debere institui piam causam: Resp. in *cit.* tex. quoad Falcidiam tantummodò contineri narrationem ubi v. gr. testator in narratione veteris juris fuit, principaliter verò ibi decidi, quòd dispositio, in qua captivi redimendi in genere instituuntur, non possit expugnari ex eo capite, quasi hæres incertus institutus esset.

98. Pro Coronide materiæ de Testamentis & Legatis Piis addo adhuc duo specialia: primum. Quando, piâ causâ hærede institutâ, quædam legata profana in tali testamento fiunt inutilia, ut ad legatarios devenire non possint, non obveniunt hæredibus ab intestato, sed piæ causæ accrescunt ex gemina ratione: primâ: quia non est locus successioni ab intestato, quamdiu patet aditus ex testamento, *l. quamdiu.* 39. *ff. de A vel O. hæred. l.* 89. *ff. de R. J.* Secundâ: quia relictum personæ extraneæ, dum pater testamentum inter liberos confecit, accrescit liberis. supra *cit. l. hâc consultissimâ.* 21. *§.* 1. *Cod. de Testam.* Ergo idem erit tenendum quoad accrementum ad piam causam hæredem institutam, utpote quæ non minoris favoris est, quàm sint liberi. Mostaz. *lib.* 1. *de Piis Caus. cap.* 11. ubi etiam respondet ad tex. ex *l.* 74. *ff. de Condit. & demonstr.* quòd ibi mulier, cui legatum sibi sub conditione (si non nupserit) relictum, partem legati perceperit beneficiô legis, non beneficio seu voluntate testatoris: quia de jure Civili illa conditio, si *mulier* non *nupserit*, pro non adjecta habetur, *l.* 62. *§. fin. ff. eod.* propterea non habuit locum jus accrescendi, dum Titius (cui similiter sub dicta conditione, *si uxorem non duxerit*, legatum relictum fuerat) à nuptiis non abstinuit.

99. Alterum addendum est, quòd pia causa, v. gr. Ecclesia in testamento, quod pro filio impubere condit velut provisorio modo, si in statu impubertatis post mortem patris decesserit, pupillariter substituta, excludat matrem filii impuberis, tenent Card. Tusch. *Lit. P. Conclus.* 333. cum citatis, Mostaz. *de piis caus. lib.* 1. *cap.* 8. Clariss. D. Doct. Gletle *part.* 5. *quæst.* 8. *num.* 140.

QUAE-

## QUAESTIO VIGESIMA PRIMA.

### *An, & qualiter S. Pontifex pias diſpoſitiones poſſit commutare?*

100. UNa Sententia ſuſtinet, illam commutandi facultatem pertinere quidem ad Poteſtatem S. Pontificis abſolutam, non tamen ad Ordinariam: Abſoluta autem eum uti poteſtate, quando leguntur illæ clauſulæ: *Non obſtante: Ex certa ſcientia: Motu proprio:* quibus loquendi formulis Papa de ſua Suprema Poteſtate legibus poſitivis, voluntates ultimas concernentibus, derogat.

101. Altera commutandi poteſtatem extra concurſum cauſæ juſtæ S. Pontifici omnino abnegat: ex ratione, quòd talem commutationem ultimarum voluntatum ipſa lex naturæ averſetur; & Pontifex absque cauſa eas commutando rectus piarum cauſarum adminiſtrator non foret.

102. Tertia Sententia eo ſaltem caſu illam commutandi facultatem absque juſta cauſa impeditam exiſtimat, quando ex commutatione piarum voluntatum jus tertii læderetur. Moſtazzo, *de Piis Cauſ. l.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. ubi pro cauſa juſta commutandi requirit publicam. Cujus ratio eſt, quòd alterum non lædere, habeatur ex dictamine rationis, sicque præceptum juris naturalis. *§. Juris præcepta. Inſt. de J. & J.*

103. Nihilominùs, oportet hic diſtinguere, ac diſpicere, utrùm res piæ cauſæ relicta, jam poſſideatur ab aliquo ratione juris quæſiti per voluntatem teſtatoris: vel an jus ſit primùm acquirendum, & quidem perſonis hactenus incertis? Prioris conſiderationis exemplum capies, ſi teſtator fundaverit Capellaniam, eámque certæ perſonæ deſtinaverit: quo caſu Pontifex cauſam piam citra graviſſimam, & quidem publicam cauſam (id eſt, quæ concernat bonum publicum Religionis, cui denique bonum privati cedere deberet) commutando, & jus alterius lædendo, contra jus naturale peccaret. Conſiderationis poſterioris exemplum eſt, ſi teſtator legatum pium pro maritandis puellis reliquiſſet, non determinando aliquas in individuo: iſto caſu poterit S. Pontifex diſpoſitionem piam in aliud opus etiam absque cauſa commutare: nam hic non læderetur aliquod jus tertii, utpote nemini adhuc quæſitum, ſed primùm per aſſignationem certis puellis quærendum ſeu acquirendum: éſtque in poteſtate S. Pontificis perſonas, quæ juris acquirendi capaces erant, incapaces facere, sicque absque cauſa commutationem efficere. Secus dicendum foret, quando jus quærendum ad certas perſonas pertineret; tunc enim ad privationem talis juris cauſa præcedere deberet. Ita Sarmiento, & Peregrin. apud Moſtaz. ex hoc inferentem, ob cauſam publicam à S. Pontifice tolli poſſe vocationes & nominationes ſucceſſionum, quæ ordinatæ fuerant in diſpoſitionibus piis, v. gr. in Capellaniis, aut aliis memoriis Miſſarum, argumento ducto à paritate in Majoratibus, Fideicommiſſis, ac ſubſtitutionibus, utpote in quibus Princeps Summus ex cauſa publica circa vocationes, à teſtatore ordinatas, commutationem facere poteſt, tam in jure quæſito, quàm in quærendo. Oliva *de For. Eccleſ.* 3. *part. quæſt.* 41. *num.* 1.

104. Quid ſi autem cauſa pia nullum jus tertii contineret, fortè quia teſtator arbitrio executoris commiſit, ut in remunerationem operis pii, ab ipſo deſignandi, annuatim aliquid certum erogetur: tunc commutatio taliter facienda vel facta, ut in detrimentum animæ teſtatoris vergeret, fortè quia non ampliùs Oratio vel Sacrificium pro eo fieret, neceſſariò cauſam prærequireret: Commutatio verò facienda à S. Pontifice in bonum æquale vel melius pro anima teſtatoris cauſam non exigeret: nam hæc non tam eſſet commutatio, quàm voluntatis defuncti interpretatio. Immola in *Clem. quia contingit* 2. *de Religioſ. Domib.*

105. Pro praxi notandum, quòd Sedes Apoſtolica commutationes piarum diſpoſitionum non niſi ex cauſa juſta concedat, hujusque Summariam & præviam cognitionem ſeu diſcuſſionem per commiſſiones ad locorum Epiſcopos decretas fieri curet, eo fine, ne in precibus ob- vel ſubreptitiè contra veritatem aliquid lateat. Vid. Mol. *Tr.* 2. *de Juſt. diſp.* 249. *n.* 5. & S. Trident. Conc. *Seſſ.* 22. *de Ref. c.* 6.

## QUAESTIO VIGESIMA SECUNDA.

### *Poſsìntne etiam Epiſcopi intra ſuam Diœceſin pias ultimarum voluntates, cauſa ſubſiſtente, commutare?*

106. DIxeris cum una Sententia, Epiſcopis injunctum legi, ut ultimarum voluntatum pias diſpoſitiones exequantur, *cap. tua.* 17. *de Teſtam.* & ibi Covar. *num.* 7. Trident. *Seſſ.* 7. *cap. ult.* & *Seſſ.* 25. *de Ref. cap.* 8. Ergo penes Epiſcopos non ſtat commutandi facultas: alioquin commutando illas voluntates obligatio exequendi ab ipſis facilè declinari poſſet. Nihilominus

107. Reſolutio affirmans eſt non paucorum & gravium Doctorum: ſaltem ſi commutatio fiat in æquale, vel melius. Pro hac Sententia Moſtaz. allegat inter alios Monetam *de Commut. ult. vol. cap.* 5. *num.* 322. Vasq. in *Opuſc. de Teſtam. cap.* 8. *§.* 5. *dub.* 3. Barboſ. *de Off.*

*Off. & Pot. Episc.* 3. *part. alleg.* 83. *num.* 5. & *de Univ. Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 56. nec non decisionem Rotæ *lib.* 2. *divers. decis.* 1122. *p.* 3. Et ratione moventur illâ, quòd, causa subsistente, Episcopi non agant contra voluntatem testatoris, sed secundùm illam: nam si causam ejusmodi rationabilem & urgentem (præsertim publicam, quam hic supponimus) prævidisset, ipsemet commutationem fecisset. Addit Mostaz. causâ subsistente, commutationem in æquale vel melius non tam esse commutationem, quàm interpretationem ultimæ voluntatis.

108. An hæc commutandi potestas, Sede Episcopali vacante, ad Capitulum Cathedrale devolvatur, non est omnino in comperto. Tenent quidam, in prædicta commutatione Episcopos procedere tanquam Sedis Apostol. delegatos: adeòque eam ad Capitulum minimé transire. Veriùs autem ad Jurisdictionem Ordinariam pertinet, in quam Capitulum succedere, certi juris est; qualiter autem hoc intelligendum sit, cum Canonistis latiùs deduxi in meo *Tract. de SS. Ordin. Episc. & Eccles. Cathedral. part.* 2. *diss.* 2. min. prob. quia spectat ad Officium Ordinarii, ut ultimas voluntates exequatur, *cap. tua nobis.* 17. *de Testam.* consequenter & facultas exequendi illas omni meliori modo, & magis conformi juxta intentionem testatoris, quo id fieri potest.

109. Nec obstat S. Trid. Concil. *de Ref. Sess.* 22. *cap.* 8. ubi sic legimus: *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos sint executores &c.* Nam simillima verba conspicimus in *præced. cap.* 6. atqui in hoc *cap.* 6. sermo est solùm de commutationibus, quæ Sedes Apostolica Episcopis pro summaria & extrajudiciali causæ cognitione committere solet, ne forsan in precibus tacita veritate, aut suggesta falsitate aliquid narratum fuerit, velut occurrit Mostaz. *cit. cap.* 14. *n.* 29. Igitur ejusdem tenoris fore *cap.* 8. existimandum erit. Demum notatu dignum est, quòd in *cap.* 8. ponatur particula *etiam*; *Episcopi etiam tanquam Sedes Apost. Delegati &c.* quæ sanè particula est ampliativa & augmentativa, atque adeò supponens quandam aliam in Episcopis potestatem: qualem autem, nisi ordinariam?

110. Datô quòque, Episcopos in commutandis piis voluntatibus sese gerere ùt Delegatos Apostolicos, fatendum nihilominùs, quòd ista Delegatio ex Lege proveniat, & Jurisdictionem Ordinariam excitet: quia (ut loquitur Mostaz. *ibid. n.* 30.) similes delegationes magis censentur esse ad excitandam Jurisdictionem Ordinariam, quàm ad delegandam, *cap. nuper.* 29. *vers. in secundo. de Sent. excom.* Henriq. in *Summ. l.* 2. *cap.* 35. *§.* 2. Et ideò cum Jurisdictione Ordinaria (à Vicario Capitulari exercendâ juxta tradita in *cit.* meo *Tract. de SS. Ord. Episc. part. ult. dissert.* 2.) ad Capitulum, Sede vacante, transire potest. Quòdsi Sedes Apostol. Episcopo adhuc viventi per specialem commissionem commutandi potestatem delegaverit, facilè concedent omnes, delegatam hanc potestatem, Sede vacante, ad Capitulum non transire, sed ad Successorem. *cap. quoniam Abbas.* 14. *de Offic. & pot. delegat.*

111. Cùm autem hactenus ex hypothesi causæ justæ commutandi facultatem penes Episcopos residentem defenderim, meritò inquirendum restat, quotuplex hæc sit causa? Moneta *d. Commut. ult. volunt. cap.* 6. *num.* 83. causas ad quatuor reducit apud Mostaz. *d. cap.* 14. *num.* 32. scil. necessitatis, utilitatis, pietatis, & incommodationis; aut majoris utilitatis. Exemplum allegatur, quando relicta à testatore pecunia ad usum intentum non sufficeret: nam tunc licebit Episcopo ejusmodi pecuniam in aliquid aliud impendere, quod menti testatoris sit propinquius. Riccius *Collectan.* 558. *vers. tertia causa.* Barbos. *de Off. Episc. allegat.* 83. *n.* 7. quod tamen Mostaz. sic limitat, si pecunia à testatore fuerit *taxativè* relicta, id est, ut hæredem nollet in plus gravare: si autem esset *demonstrativè* relicta, adeòque hæres ad defectum supplendum maneret obstrictus, commutatio non foret concedenda.

112. Aliud causæ sufficientis exemplum adducit pro casu, quo legatum relictum non valet adimpleri, sive propter impedimentum *facti*, ùt si testator jusserit Monasterium ædificari in loco, ubi difficulter id fieri potest: sive sit impedimentum *juris*, ut si mandaverit Monasterium extrui in loco campestri, quod non licet: erit igitur tunc in arbitrio Episcopi alium designandi locum. Sanch. *Consil. l.* 4. *cap.* 2. Layman. in *Sum. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *n.* 13.

113. Porrò tales commutationes ab Episcopis fieri nequeunt, quoties ipse testator in casum, quo legatum adimpleri non possit, provisionem fecit: dicendo ex gr. *si hoc opus pium fieri non valeat*, fiat tale vel tale. Alia commutandi causa sufficiens esset, quando testator aliquid Ecclesiæ legâsset ad usum non necessarium, & illa in alia re defectum pateretur: ex. gr. ille dixisset: *lego hanc summam, ut fornix Ecclesiæ depingatur, & exornetur:* Ecclesia autem ruinam minitaretur: hoc casu testator, qui ornatum exoptavit, multò magis ruinæ Ecclesiæ succurrere voluisset, si ejus notitiam habuisset: consequenter applicatio pecuniæ pro reparatione domûs DEI potiùs consonat voluntati testatoris, quàm quòd ab ea discrepet: *arg. l. penult. ff. de Oper. Publ.* Riccius *Collectan.* 1270. *vers. limita.* 2. Similiter, ubi legatum assignatum fuisset ad ædificandam Capellam, jámque erectæ starent plures, & Ecclesia reparationem exposceret, in hunc finem & usum commutari valeret. Refert itidem Riccius *dict. Collect.* 558. *vers. quinta causa*, decisum fuisse, auctoritate Episcopi reditus alicujus Capellæ, pro Missis dicendis relictos, pro una vice converti posse in emptionem sacrorum paramentorum, quorum datur indigentia.

114. Pos-

114. Posse etiam Episcopum, si Patroni vel hæredes consentiant, pro unica vice ultimam voluntatem alterare, tradit Barbos. *de Off. & pot. Episc. allegat.* 83. *num.* 14. Denique hanc potestatem commutandi in Episcopo agnoscit Mostazz. *cit. l.* 1. *cap.* 14. *num.* 39. quando urget necessitas, & non patet aditus ad S. Pontificem: tunc enim, ait, Episcopus facere potest, quidquid fecisset S. Pontifex, & quidem ex istius voluntate præsumpta.

# DISSERTATIO QUINTA.
## *DE Pia Causa Oblationum.*

115. INter causas pias memorari merentur oblationes, quas fideles in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis spontaneè ac liberè offerre solent. Illarum usum jam in Lege Mosaica non incognitum fuisse, ex Synodo Romana sub Gregorio VII. refertur in *cap. omnis.* 69. *de Consecrat. dist.* 1. ibi: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid DEO offerre, & ducere ad memoriam, quod DEUS per Moysen (Exodi cap.* 32.*) dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus.* In lege gratiæ quoque hujusmodi actus Religionis, ac piæ liberalitatis, neutiquam abolitos esse, ex illo ad *Hebr. cap.* 5. innotescit: *Ut offeras dona & sacrificia pro peccatis:* dona Apostolus (teste Cornelio à Lapide *ad cit. cap.* 5.) vocat oblationes primitiarum aliarùmque rerum, putà panis, vini, & frumenti, quæ non adolebantur, sed integra DEO offerebantur ad usum Sacerdotum & Templi. Porrò, si oblationis nomen latè & genericé sumatur, sub eo venit, quidquid ad cultum Divinum offertur, sive sint decimæ, sive primitiæ, sive aliud quidpiam: strictè & magis specificè oblationes acceptæ denotant ea dona ac munera, quæ à fidelibus intuitu Religionis, at citra immolationem ac obligationem justitiæ, DEO immediatè exhibentur, ut in Ecclesiæ alicujus usum aut Ministrorum sustentationem cedant. Ab ista acceptione excluduntur non solùm decimæ, verùm etiam Primitiæ; quia non sunt dona præcisè & gratuitò oblata, sed ex justitia & præcepto præstari debent. In strictiori sensu oblationes accipiuntur pro actibus, quibus fideles donum aliquod vel per se vel per manus Diaconi ab Altare deferre solent. Hæc præliminariter.

## QUAESTIO VIGESIMA TERTIA.
### *Utrùm oblationes cadant sub præceptum?*

116. INvestigatio procedit de piis oblationibus, prout sumuntur in strictiori acceptione, & spectatis saltem diebus Dominicis aut aliis Festivis? Aliqui affirmativam tenent, primò propter varios texx. ex Decreto Gratiani congerendos, quibus harum oblationum obligatio insinuari videtur, ùt sunt *cap.* 7. 8. 13. 14. & 15. *caus.* 10. *quæst.* 1. Præcipuam speciem obligationis præbet supra *cit. cap. omnis* 69. *de Consecrat. dist.* 1. juxta quod omnis Christianus *procuret ad Missarum solennia aliquid DEO offerre.* Secundò juxta Clementem Pontificem *lib.* 4. *Constit. Apostol. cap.* 7. oblationes populi fiunt ad victum Sacerdotum: igitur debentur ipsis tanquam alimenta; adeòque oblationes hoc respectu cadunt sub præceptum & debitum. Tertiò huc facit, quòd D. Ambrosius *Serm.* 8. *de Ascens.* inter opera boni Christiani consideret, quòd, *quando ad Ecclesiam venit, oblationem, quæ Altari debetur, exhibeat.* Sed

117. Resolutio cum Sententia communi est negativa. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. Abbas in *Rubr. de Parochiis. num.* 3. Marian. Socin. *Tract. de Oblationib. libello.* 3. *num.* 6. & moderni tum Theologi tum Canonistæ. Ratio est, quòd nulla extet lex, quæ fidelibus onus quoddam oblationum imponat: imò obligatio naturæ oblationum potiùs adversatur, quàm quòd lege aliqua præceptæ supponantur: oblatio enim spontanea esse debet, juxta illud, quod dicit Scriptura: *Voluntariè sacrificabo tibi, Psal.* 55. & *Exod.* 25. dicitur: *Ab homine, qui offert ultroneè, accipietis eas.* Nec illa verba *Math. cap.* 5. *Si offers munus tuum ante Altare*, necessitatem ullam important & imponunt.

118. Ad textus objectos Resp. in illis non contineri præceptum, sed consilium, honestatem, convenientiam, pietatem. Neque oblationes per se loquendo ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ordinantur, sed decimæ & primitiæ: quòd si hæ præstationum species ad congruam Clericorum sustentationem non extarent, aut non sufficerent, tum demum per accidens, & propter indigentiam vel Ecclesiæ vel ejus Ministrorum, oblationes tanquam debitæ indici & exigi possent, interveniente scil. Auctoritate Episcopali, & non ex privato arbitrio Ministrorum. Certè si Parochiani ad oblationes ex debito tenerentur, singuli ad offerendum censuris aliisve pœnis possent compelli; nec tolerandum foret, si magna vel major pars communitatis huic obligationi se subtraheret, sicuti defacto passim

passim plurimos sese subtrahere compertum habemus.

119. Nec dicat aliquis, saltem ex consuetudine introductum nosci, ut in festis solennioribus v. gr. Nativitatis Domini, Paschatis, B. Virginis &c. oblationes intermitti non possint: idque in Hispania lege peculiari stabilitum esse, indicant sequentia verba apud Mostaz. *de Piis Caus. lib. 5. cap. 12. num.* 30. expressa: Cada buen Christiano de su buena voluntad deber ofrecer à lo menos en las tres Pascuas, en la de Natividad &c. id est, quemlibet bonum Christianum ex bona sua voluntate debere offerre ad minus in tribus feriis Paschalibus, Nativitate &c.

120. Estque hæc doctrina recepta apud Hostiens. in *tit. de Paroch. §. in quibus. vers. sed nunquid.* ubi eam consuetudinem quoad oblationes in festis majoribus quàm plurimis in locis observari tradit, ideòque veram obligationem inductam esse supponit. Layman. quoque *Theol. Moral. lib. 4. tract. 6. cap. 7. num. 5.* cum Halensi, Sylvestro, Covar. & Suarez. ibi allegatis longa consuetudine oblationum præstandarum obligationem introduci valere, asserere non dubitat: sive id accidat, ait, quia populus longo tempore, videl. annis decem, oblationes in certis solennitatibus frequentat, quasi ex obligatione, aut intentione obligationis contrahendæ, faventibus Prælatis; sive ipsi Ecclesiarum Rectores longo tempore à Parochianis oblationes, quasi debitas, bona fide exigant; ideòque per modum præscriptionis jus sibi acquirant.

121. Verùm, non facilè ex frequentatione diutina oblationum propriè dictam consuetudinem, quæ vim legalem in fideles exerat, introductam censeri existimo, eò ipsò, quòd oblationes ejusmodi piæ de sua natura sint actus omnino voluntarii, spontanei & liberi, adeòque, ùt vocantur, merè facultativi, & sic ex singulari devotione, haud verò ex animo introducendi obligationem, longi temporis spatio continuentur, Rota 4. *p. recent. decis.* 501. maximè, quòd nec in quantitate uniformi, nec à singulis de communitate, sed solùm ab iis, qui ultro volunt, frequententur.

122. Unde non juvat urgere, in piis & ad Divinum cultum pertinentibus causis, materiam non præsumi merè arbitrariam, seu facultativam ac gratiosam: quia hoc principium tunc solùm procedit, quando versamur in dubio, ac judicandum est ex præsumptionibus, utrùm actus ex mero arbitrio vel ex admixta obligatione processerint. Hic autem ipsa natura difformium oblationum, quæ (secundùm Exod. *cap.* 25.) ab homine, qui ultroneus est, accipiuntur, nos in claris constituit, & fundamentum præsumendæ obligationis destruit, longi temporis cursu non suffragante.

123. Eo tamen casu consuetudinem obligatoriam non inficiarer, quando fideles uniformiter, ac in certa quantitate seu specie, per longi temporis intervallum oblationes præstitissent, sicque consuetudo per tempus saltem decennale præscripta esset, *arg. cap. ad Apostolicam.* 42. *de Simon.* Tunc enim, licet natura oblationum de se necessitatem nullam involvat, præsumerentur animum se obligandi habuisse, vel ex suppositione obligationis præexistentis egisse. Vid. Suarez. *de Relig. lib. 1. cap. 5. à num.* 19. & Mostaz. *cit. lib. 5. cap. 12. à n.* 34.

124. Quòdsi hypothesis formetur, consuetudinem equidem fuisse uniformiter à populo observatam, non tamen in re certa quia fortè nunc panis, nunc aliud in Missa oblatum fuerat, difficultas specialis remanet, an tunc obligatoria censeatur? Affirmativa, & quòd tunc continuatio oblationum sit necessaria, quamvis quoad speciem & quantitatis determinationem arbitrio fidelium maneat relicta, D. Thomæ placere videtur in *cit. quæst.* 86. *art.* 1. *in Corp.* Ejusdem mentis est D. Antoninus 3. *p.* Summæ, *tit.* 12. *cap.* 2. & Rebuff. *de Decimis. q.* 13. *num.* 66. eò quòd generalis obligatio & actio non curet multùm de diversitate specierum (*l. nec refert.* 11. *ff. quand. dies legat. ced.*) quin principalis obligatio in sua substantia subsistere queat.

125. Contrarium tamen sentit Mostaz. *loc. cit. num.* 37. atque eruere tentat ex *l. Sejo. §. Medico ff. de Annuis legat.* ubi aliquis Medico legaverat, quidquid annuum ei præstari solebat: & Jure-Consultus, quid sub illo legato comprehendatur vel non, respondit, *videri relicta, quæ certam formam erogationis haberent, non quæ incertam liberalitatis voluntatem habuerunt:* quia nimirum (ùt exponit Gomez. *to. 2. var. cap.* 11. *num.* 48. apud Mostazum) in obligatione legati nequit venire res incertæ liberalitatis, sed tantùm ea, quæ certam habet præstationem: similiter in oblatione generali, etiam per consuetudinem præscriptâ, nequeunt esse inclusæ liberalitates *incertæ, sed solæ* certæ. Sanè hoc ipso, quòd oblationes, quæ variantur secundùm rerum species & quantitatem, fiant ex arbitrio & pro lubitu offerentium, involvunt ùt plurimum liberalitatis, uti nemo non videt: ergo ex sola generali oblationum observantia cum variatione diversarum specierum ad libitum longo tempore protracta, nulla consurgit obligatio, sed manent intra lineam devotionis & liberalitatis: rectè enim argumentum formatur à partibus ad totum, ex quibus essentialiter componitur, *l. in toto.* 114. *ff. de R. J.* Sicuti proinde in generali oblatione species ipsæ, & partes sunt liberales; ita & tota seu generalis oblatio manet exempta ab obligatione, & aliquid liberale.

126. Signa consuetudinis legitimè introductæ à Mostaz. *dict. cap.* 12. *num.* 40. sequentia adducuntur. Primum: si offerentes ad oblationes non fuerint coacti, sed eas ex devotione tanquam causa principali solverint. Secundum: si nullum factum intercesserit, aut pignus ad solutionem: tertium: si res offerendæ sint certæ: quartum: si tota communitas aut saltem illius pars, in tali consuetudi-

tudine saltem per decennium (quod tempus in hac materia pia & favorabili sufficere existimandum est) perstiterit, tametsi unus aut alter in præstatione sua defecerit: quo casu tamen Parochus talem negligentem, vel etiam renuentem spiritualium administratione privare non poterit; censeretur enim aliàs spiritualia pro temporalibus concedere non sine magna suspicione animi simoniaci, *cap. Emendari. caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. ea quæ.* 15. & *cap. sua.* 29. *de Simonia.* Nec propterea jacturam in jure quæsito sustinere debebit: quia habet recursum ad Superiorem Ecclesiasticum, qui suum Officium imploratus impertietur, & negligentes vel refractarios Parochianos remediis convenientibus compellet.

# QUAESTIO VIGESIMA QUARTA.

## *Valeàtne consuetudo, vi cujus Ecclesiastici Laicis oblationes facere tenentur.*

127. EXemplum afferri potest de consuetudine, quâ candelæ in Festo Purificationis, Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum impensis, distribui debent. Negativa fundatur in *cap.* 1. *de consuetud.* ubi consuetudines, quæ Ecclesiis *gravamen* inducere dignoscuntur, remitti, hoc est, aboleri debent: atqui consuetudo, quæ Ecclesiasticos stringeret, ut laicis v. gr. in prædicto Festo quot annis candelas offerant, Ecclesiis gravamen induceret. Ergo &c.

128. Resolut. tenet primò, ejusmodi consuetudinem sustinendam esse, si, spectatis Ecclesiæ facultatibus, ex illius exercitio v. g. candelarum oblatione seu distributione leve solùm Ecclesiis gravamen inferretur: quod accideret, si candelæ solùm certo ordini laicorum, v. gr. Magnatibus, vel Senatui duntaxat & non toti populo, offerrentur: cùm enim tunc Ecclesiæ non foret valde onerosa, sed in eo potissimum proficua, quòd in laicis excitaret tum amorem ad Ecclesiam, tum etiam devotionem, consuetudo talis foret rationabilis atque honesta. Tenet secundò, consuetudinem non esse sustinendam, si, ponderatîs Ecclesiæ facultatibûs, magnum gravamen inferat: tunc quippe honestate & rationabilitate deficeret, consequenter degeneraret in corruptelam, procederétque adductum *cap.* 1. *de consuet.*

129. Excipitur consuetudo immemorialis, quæ, etiam stante notabili gravamine, est servanda. Nam immemorialis non censetur sublata, quando jura simpliciter consuetudinem (dummodò non versetur in materia intrinsecè mala, & juri Divino, aut naturali, vel Ecclesiasticæ disciplinæ non contrarietur, uti latiùs cum Canonistis dissero in *lib.* 1. *Decretal. ad tit. de Consuetud.*) removent, vel prohibent: & ratio est, quòd immemorialis, cæterîs paribûs, privilegio æquiparetur, ac pro ejus subsistentia titulus quicunque melior, v. g. contractûs auctoritate Ecclesiastica approbati, præsumatur vel supponatur. Quò faciunt vulgati texx. in *cap. super.* 26. *de V. S.* & *l. hoc jure.* §. *ductus aquæ.* 40. *ff. de Aqua quotid. &c.* Vid. Mostaz. *d. cap.* 12. *à num.* 42. & Suarez. *de Legib. lib.* 7. *cap.* 18. *& seq.* quorum prior rectè advertit, illam consuetudinem esse rejiciendam, quâ Parochiani decimas persolvere detrectant, antequàm Parochus ipsis v. g. certas libras carnis suillæ vel bovillæ præbeat: quia hoc gravamen intolerabile reputat ea de causa, quòd ansam daret Parochianis, decimarum præstationi sese subducendi, non sine gravissimo Ecclesiarum præjudicio.

# QUAESTIO VIGESIMA QUINTA.

## *Utrùm Parochiani ad oblationes compelli possint, si Parochus, non habens congruam, aliquo artificio se juvare possit?*

130. SI Parocho desit congrua sustentatio ex decimis, primitiis, aut aliis reditibus, supplementum autem ex aliquo artificio comparare sibi posset, possùntne Parochiani Auctoritate Ecclesiastica nihilominùs ad oblationes, aliásve contributiones subsidiarias compelli ad integrandam Parochi congruam? Videtur, tunc Parochum ex suo artificio congruam integrare debere, nec quidquam à Parochianis exigi posse: primò, propter tex. in *cap.* 3. *dist.* 91. ubi dicitur: *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura, absque Officii sui detrimento paret:* Secundò, propter normam, formam, & exemplum Apostoli de se *Actor. cap.* 20. dicentis: *Quæ mihi opus erant. & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Hùcque conducit eruditio D. Hieronymi ad *Rusticum. in cap.* 33. *de Consecrat. dist.* 5. ubi sic habet: si Apostoli *laborabant manibus suis*, ne quem gravarent, *cur tu in usus tuos cessura non præpares? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cùm olearum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ: Inserantur infructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, ut parvo pòst tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monasteriorum Ordinem ac Regiam disciplinam in parvis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus, scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus.* Nostra

131. Resolutio est, Parochum non teneri

ex artificio vivere, & suam congruam supplere, sed in defectu decimarum, & primitiarum &c. posse supplementum suæ congruæ vel à Parochianis, vel ab aliis, qui decimas percipiunt, exigere. Prob. ex *cap.* 16. *de Præbend. & Dignit.* ubi Innocentius III. sic exorditur: *Cùm secundùm Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio JESU Christi, cujus obsequio deputantur &c.* Qui textus ad amussim concordat cum illo Oraculo Christi apud Matth. *cap.* 10. & alibi: *Quòd dignus sit operarius mercede sua:* & nemo propriis stipendiis militet.

132. Neque obstat tex. in *citat. cap.* 3. *dist.* 91. quia Clericum supponit ita egestate pressum, ut nec ex oblationibus, nec aliâ via reditus congruos invenire possit: in qua extremitate utique ei incumbet, potiùs ex artificio aliquo seipsum alere, quàm sustentationem mendicando procurare. Exemplum D. Pauli aliter quàm *de Consilio* objici nequit; erit nempe ad majus meritum, si Clerici honesto manuum labore sua alimenta ultroneè quærere velint, quemadmodùm & D. Paulus solius virtutis instinctu, pióque consilio, ne tunc noviter ad Christianam fidem conversis Religionem nostram odiosam redderet, suo labore victum quæsivit. Idque ipse D. Hieronymus, non integrè & genuinè relatus, commonuit, quando *loc. cit.* sic incipit: *Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu &c.*

133. Quòd si decimæ vel primitiæ sufficientes quidem forent ad congruam Parochi, percipiantur autem ab alio, substantia sustentationis congruæ, vel illius supplementum, non à Parochianis (ne duplex gravamen ipsis imponatur) petenda erit, sed ab illo decimatore. Suarez. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Si demum nec ex decimis nec ex oblationibus, aliísve contributionibus sustentatio Parochi procurari queat, provisio de congrua ad Episcopi providentiam pertinebit. Suarez. *ibid. num.* 9.

## QUAESTIO VIGESIMA SEXTA.

### *Ad quem regulariter oblationes spectent?*

134. Resolutio: Spectant ad Parochum vel Rectorem Ecclesiæ: adeóque censentur esse de jure Parochiali, & Parochus eorum nomine intentionem in jure fundatam habet, Colligitur ex *cap. Pastoralis.* 11. *de his, quæ fiunt à Prœl. sin. consf. cap.* Et ratio est, quòd ob Sacramentorum administrationem debeantur. Barbosa *J. E. U. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 5. cum Hostiensi in *Summ. tit. de Paroch. num.* 3, & aliis communiter. Argumentum quoque sumitur à Decimis, quas propter curam animarum Sacerdotibus competere, docet etiam D. Tho. 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 2. & 3. De oblationibus autem in specie P. Engel ad *tit. de Decimis, Primit. & oblat. num.* 68. tradit hanc regulam: nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine, vel præscriptione aliud introductum sit, omnes oblationes intra limites alicujus Parochiæ factæ censebuntur esse de jure Parochiali, & pertinere ad Parochum. Zerol. in *Prax. Episc. part.* 1. *V. Parochia. vers. ad quintum.* Notanter dixit: *nisi offerentes aliud intenderint.* Est igitur in oblationibus extraordinariis maximè inspicienda fidelium pia intentio.

135. Hinc, si oblationes fiant alicui Capellæ, Altari, vel Imagini, interpretatio voluntatis offerentium etiam ex conjecturis, ac variis circumstantiis desumi debet. Cùm enim quilibet, rem suam donaturus, certos possit intendere fines, honestásque suæ dispositioni adjicere conditiones, utique liberum ipsi quoque erit, intentionem suam in oblatione pia ita ordinare, ut res oblata v. g. Capellæ, Altari, aut Imagini, in istorum reparationem, ornatum, augmentum, decorem &c. impendatur, vel Clerico Capellæ inservienti peculiariter applicetur. Atque hujusmodi intentio (uti dictum est) quandóque ex circumstantiis colligitur, ex. gr. si Ecclesia, vel Capella, cui fiunt singulares oblationes, indigeat ædificatione, restauratione, aut (quia exiguam habet dotem) necessaria conservatione, in dubio, intuitu talis Ecclesiæ, vel Capellæ, factæ censebuntur, atque adeò ad eam, non ad Parochum spectare. Engel *cit. loc. num.* 68. cum Riccio, & Rebuffo.

136. Testantur etiam Doctores apud Barbos. *de Offic. & potest. Paroch. part.* 2. *cap.* 24. *num.* 31. in præsenti materia consuetudinem ùt plurimùm attendi debere. Sic videmus perpetuam observantiam, quòd oblationes, in Solennibus Primitiarum Missis Altaribus imponi solitæ, Neomystis etiam in Ecclesia Parochiali prima vice celebrantibus tam ex intentione offerentium quàm ex locorum usu relinquatur. Similiter, teste Barbosa *d. loc. num.* 28. oblationes factæ in Missa, in qua sponsi copulantur, Sacerdoti illam celebranti etiam in aliena Parochia debentur, quia contemplatione sacrificantis tunc afferri censentur & relinqui solent.

137. Circa oblationes & eleemosynas, quæ frequenter apud sacras Imagines v. gr. Christi Domini, DEIparæ, aut alterius Sancti, relinquuntur, denuò maxima consideratione exploranda est mens offerentium, nec non consuetudo. Si in capsam, quæ pro fabrica Ecclesiæ conservanda aut pro Missis dicendis prostat, ab offerentibus projiciantur, hunc in finem applicari debent. Mostaz de *P. C. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 10. ibi asserens, idem ser-

servari de consuetudine, nimirum, ut tales oblationes Sanctis destinatæ ad ornatum illius imaginis vel Altaris pertineant. Rebuffus de *Decim. quæst.* 1. *num.* 29. Barbos. *de Offic. Paroch.* 3. *part. numer.* 30.

## QUAESTIO VIGESIMA SEPTIMA.

### *Quorsum spectent oblationes factæ Imagini existenti in domo alicujus laici?*

138. CErtum est, regulariter ejusmodi donaria, licèt maneant in se res profanæ, à laico domûs possessore in usus suos converti non posse: quia hoc nec intentioni offerentium conforme esset, nec fini ipsius oblationis quæ DEUM respicit ultimatò. Limitat tamen hoc Barbosa *de Off. & Pot. Paroch. part.* 3. *cap.* 24. *num.* 26. ut oblationes factæ Imagini, in pariete domûs alicujus privati depictæ, possessori laico obveniant, si offerentes contemplati essent indigentiam possessoris, vel scirent, quòd de consuetudine tales oblationes in suas necessitates, aut pios usus convertat, Consuetudo enim, quæ laicis suffragari nequit, concernit tantùm oblationes in locis Religiosis, non verò in profanis, præsentatas. Concertant Doctores in eo, utrùm in dubio, potius in usum Episcopi seu Ordinarii quàm Parochi cedant? Inprimis autem mihi videtur, hic vix dubitationi locum esse, quin ex mente offerentium oblationes illæ ad ornatum & cultum talis imaginis ordinentur: nulla siquidem apparet ratio, cur respectus ad Parochiam habeatur. In hypothesi autem, quâ constaret, intentionem offerentium non tendere ad ulteriorem exornationem Imaginis, sed solùm ad contestandam devotionem, aliqui opinantur, tales oblationes ad Episcopum pertinere, primò propter tex. in *cap. quæcunque.* 5. in quo quæcunque res Ecclesiæ jubentur gubernari & dispensari *cum judicio & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ videntur commissæ.* & *cap. de his.* 7. *caus.* 10. *quæst.* 1. ubi præcipitur, ut *de his, quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiqua Canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant &c.* Deinde ex ratione Murian. Socinus *Tract. de Oblationib. dub.* 4. pro Episcopis sic instat: cui competit dispositio ejus, quod majus est, multò fortiùs debet competere dispositio ejus, quod est minus, per *cap. cùm in cunctis. de Elect.* Sed Episcopo competit dispositio regulariter omnium Ecclesiarum suæ Diœcesis, *cap. omnes Basilicæ. caus.* 16. *quæst.* 7. quod utique est quid majus dispositione circa oblationes, quæ fiunt ad Imagines, ubicunque in Diœcesi in domo privata laici sint positæ: Ergo istæ oblationes subsunt dispositioni Episcopi Diœcesiani. At, meliùs alii

139. Resolvunt, quòd oblationes in posito casu in usum Parochi cedant. Nam, ut sæpiùs recoctum, Parocho est jus quæsitum cum intentione in jure communi fundata, de percipiendis omnibus obventionibus, oblationibus, decimis &c. quò usque fines Parochialitatis ampliantur, nisi huic juri per limitationem contrarii usûs, vel textûs restringentis, probetur derogatum. Igitur oblationes imagini factæ, nisi ad ejus ornatum conjiciantur destinatæ, Parocho in utilitatem cedunt, dummodò imago intra fines Parochiales posita reperiatur. Textus in oppositum allati aut sunt explicandi de statu antiquo, præcedente nimirum divisionem Parochiarum, velut advertit Troylus Maluit. *de Oblation. dub.* 4. *n.* 69. aut veniunt intelligendi de Jurisdictione Episcopis competente, quâ in controversiis circa oblationes aliásve Ecclesiasticas obventiones exortis litem dirimant. Sanè non solùm textus, verùm etiam ratio adversa textui subjecta, per auxêsin probarent, Episcopis omnia jura Parochialia deberi. Episcopus (inquit Mostaz. *de P. C. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. licèt sit in tota sua Diœcesi Parochus, cuivis tamen Parochiæ particularis, proprius & immediatus Parochus præponitur, ad quem jura Parochialia & emolumenta spectant. Huc facit *cap. quoniam.* 13. *de Decimis.* ubi habetur casus, quòd decimæ Novalium debeantur Ecclesiæ, in cujus Parochia surgunt: Secùs, si non sint in certa Parochia: tunc enim Episcopo debentur. Ergo idem dicendum de oblationibus in loco nullius Parochiæ factis, utpote quæ decimis æquiparantur, uti patet ex *Rubric. de Decimis.* & *cap. quamvis. eod. tit.* Cæterùm Barbosa *J. E. U. cap.* 23. *num.* 30. cum aliis Doctoribus administrationem oblationum Parocho loci defert, sive illorum commodum ad ipsum attineat, sive non. An id passim in praxi ita obtineat, locales consuetudines inspicere oportet.

## QUAESTIO VIGESIMA OCTAVA.

### *An etiam Regulares oblationes, in suis Ecclesiis factas, recipere possint?*

140. DE affirmativa vix dubitandum est, si Regularibus vel Consuetudo, vel præscriptio, vel privilegium adminiculetur. Idem esto, quando donaria ejusmodi offeruntur in Ecclesiis Parochialibus, quæ Monasterio alicui sunt unitæ, & ab illo administrantur.

141. Resolutio: Regulares possunt recipere oblationes, quæ in ipsarum Ecclesiis intuitu Ministerii ad Altare, aut aliàs respectu cul-

cultûs Divini exhibentur. Vid. Mostaz. *d. l.* Engel ad *tit. de Decim. &c. n. ult.* P. Wiest. *eod. tit. num.* 143. & P. Schmalzgrueb. *num.* 90. Prob. ex. *cap.* 1. *de Stat. Monachor.* ubi Pontifex Archiepiscopo Neapolitano ita rescribit: *Alicui Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui aliquid molestiæ inferatis: Aut si quid illic pro diversorum devotione accesserit, vobis vendicare æstimetis. Cùm Monachis ibi servientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus taliter offerri contigerit.* Cònsonat perspicuus tex. in *cap. nimis iniqua.* 16. *de Excessib. Prælator.* ubi Gregorius IX. inter gravamina illis temporibus illata Religiosis, recenset ponderátque illud specificum, quòd *oblationes, dum Missarum solemnia celebrant, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatas*, recipere & servare prohibeantur: Mandat deinde, ut Prælati Majores tam ab hoc quàm ab aliis gravaminibus inferendis desistant. Accedit, quòd Ecclesiæ Monasteriales equidem sint in Parochia, non tamen de Parochia, præsertim, quòd illarum Superior, seu Prælatus respectu suorum Regularium Officium Parochi & Pastoris sustineat. Illud tamen non probandum foret, si Regulares peculiaribus modis eleemosynas à fidelibus extorquerent. Vid. Engel ad *tit. de Decim. num. ult.* ubi specialem abusum redarguit.

## QUAESTIO VIGESIMA NONA.

### *An oblata ad unum usum, ad alium publicum, & proficuum converti possint? Et cujus Authoritate?*

142. RESolutio: Quoad primum membrum, justa causa suadente, est affirmativa. Casus esto de oblatis in aliquo Templo Thaumaturgo ex fidelium copiosè confluentium intentione pro reparanda aut exornanda v. g. Imagine miraculosa, cujus ornamenta jam redundant: quis non videat causam subesse justam, oblationes redundantes alium in usum pium commutandi, & applicandi ibi, ubi Ecclesia ex defectu indiget, & cultûs Divini promotio augetur?

143. Nec dicas primò, standum esse præcisè intentioni fidelium offerentium: Nec secundò, quòd in Clementina, *quia contingit* 2. *de Religios. domib.* expressè jubeatur, ut fidelium largitione ad certum usum destinata in alium usum non convertantur. Nam Resp. attendi debere non solam *formalem* atque expressam fidelium intentionem, verùm etiam *interpretativam* ac *virtualem*, quæ in eo consistit, quòd quoad oblationes, quæ ad unum certum finem utiliter impendi nequeunt, suam voluntatem prudenti ac providenti dispositioni Auctoritatis Ecclesiasticæ conformare præsumantur.

144. Quoad alterum membrum conclusio decîdit, illam commutationem authoritate Ordinarii fieri posse. Ratio est, quòd ex primùm dictis voluntati & intentioni interpretativæ fidelium non contraveniatur, sed consulatur, eáque impleatur. Accedit, quòd hæc potestas in Episcopis ad debitum regimen Diœcesium, Româ valde distantium, ob difficilem recursum ad Sedem Apostolicam frequentérque occurrentes casus, valde utilis, aut etiam necessaria esse videatur. Denique, si Episcopis juxta plurium stabilem Sententiam ex S. Trid. Concil. *Sess.* 22. *de Ref. cap.* 6. cujus contextus est (*in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa causa fieri debent, Episcopi tanquam Sedis Apostol. Delegati summariè & extrajudicialiter cognoscant &c. priusquàm commutationes prædictæ executioni demandentur*) ultimas voluntates commutandi, exigente seu suadente causâ justâ, concessa legatur, sic, ut possit legatum quodcunque pium ad certum usum relictum, in alium usum pium commutare, etiamsi tale legatum de jure & de facto impleri valeat, uti docet Sylvest. *V. Legatum.* 4. *quæst.* 12. aut saltem cum limitatione supra in *num.* 93. à nobis adducta: validum inde deducetur argumentum, in rationabiliter commutandis oblationibus Episcoporum Potestatem minimè esse enervatam, vel suspensam.

145. Hinc non refragatur Clementina *quia contingit* 2. *de Relig. domib.* communiter in contrarium objici solita propter verba: *Ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ Auctoritate) converti*: non refragatur, inquam, quasi nimirum hæc potestas sit unum ex reservatis Sedis Apostolicæ; idque colligatur ex eo, quòd expressio & exceptio unius Regulam in contrarium firmet in non exceptis & expressis, *arg. l. quæsitum.* 12. *§.* 43. *V. denique. ff. de Instruct. & instrum. Leg.* Nam Resp. reassumendo argumentum ex allegati Conc. Tridentini *cap.* 6. tanquam Jure noviori, in quo cùm Episcopis sub certæ formæ præscriptione fuerit concessa facultas commutandi, justa causâ exigente aut suadente, ultimas piorum legatorum voluntates, potestas circa oblationes, quæ minor esse censetur, à fortiori non videtur denegata. Oppositam Clementinam hypothesi nostræ resistere non existimo: quia conversionem oblationum in alium usum solùm prohibet, quando ille alius usus est à mente fidelium omnino alienus: in nostra autem hypothesi juxta intentionem saltem virtualem & interpretativam offerentium applicantur, & uti suppono, ad bonum publicum, ac cultum Divinum. Si urgeas, hoc modo inutilem fore exceptionem, quâ in *cit. Clement.* commutatio Auctoritatis Sedis Apostol. reservatur. Resp. S. Pontificem ex potestatis plenitudine processurum, existente præsertim rationabili causa, ultra mentem offerentium progredi posse: quotusquisque enim orthodxus non minùs

nùs in rerum ſuarum oblationibus, quàm in votorum nuncupationibus Supremo Eccleſiæ Capiti voluntatem ſuam reſignare atque ſubmittere præſumitur.

146. Quantum ad Principes, Magnates, ſeu Poteſtates Sæculares certum eſt, eos aliter in ſimilibus ſeſe intromittere non poſſe, niſi ſpeciali Privilegio Pontificio ſint præmuniti. Quòdſi laici citra tale Privilegium quandòque oblationum adminiſtrationi aut applicationi manum admovere cernantur, & permittantur, id non ſua authoritate iuréque proprio, ſed ex deputatione legitimi ſeu Eccleſiaſtici adminiſtratoris commiſſa ſibi miniſteria exhibere noſcuntur; quod pariter in decimarum, proventuùmque aliorum ad Communitates Religioſas vel Eccleſiaſticas pertinentium collectatione, vel diſtractione accidere, praxis docet.

## QUAESTIO TRIGESIMA.

### *Quid requiratur ad oblationem piam? Et quales res?*

147. RESolutio: Quoad primum membr. dico, tria requiri. Primum, ut res, quæ offertur, ſit DEO accepta. Secundum: ut offeratur alicui Eccleſiæ Capellæ, Altari, vel Imagini publicæ venerationi expoſitæ, & quidem contemplatione DEI, qui primariò etiam in Sanctis ſuis colitur. Hinc, ſi quid privatæ perſonæ offeras, etſi Sacerdos fuerit, non erit actus piæ oblationis, ſed donationis aut eleemoſynæ. Vid. Barb. *de Offic. Paroch. part.* 2. *cap.* 24. *n.* 13. Tertium: ut res oblata ſit ab offerente honeſto modo acquiſita vel poſſeſſa. Unde quoad alter. memb. patet, res illicitè acquiſitas v. gr. ex rapina, furto, uſuris, commercio meretricio &c. illicitè & inutiliter DEO offerri. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 3. ponit ſequentem concluſionem: *De injuſtè acquiſitis & poſſeſſis non licet oblationes facere: de aliis verò omnibus juſtè poſſeſſis, quia ſecundùm legem novam omnis creatura eſt munda*, quantum *ex ſe eſt*, *oblatio fieri poteſt: per accidens autem ùt putà, ſi quippiam vergat in detrimentum alterius*, *de eo oblationem facere non licet.*

148. Gloſſa quoque in *cap.* 2. *diſt.* 90. *Ver. dona.* ſeptem perſonarum genera, quarum oblationes ad Altare non ſunt admittendæ, recenſet: ſcil. fratrum diſſidentium: raptorum pauperes opprimentium: Sacrilegorum: uſurariorum: publicè pœnitentium: & ſervos ab Eccleſia extrahentium. Latè hæc examinat Marian. Socinus *Tr. de Oblat. libello.* 4. Barboſ. *de Offic. Paroch. d. cap.* 24. *num.* 29. ex *cit.* Gloſſa notat, publicas meretrices (idem dicito de aliis peccatoribus publicis) in veteri lege oblationes facere non potuiſſe juxta *Deut.* 23. propter immunditiam: in nova autem lege non poſſe propter ſcandalum, & reverentiam ne ſcilicet peccatum publicè approbari cenſeatur, S. Thomas *d. q.* 86. *art.* 7. *ad* 2. Remotô igitur ſcandalô, tanquam impedimentô, ex opinione Suarii apud Barboſ. non erit illicitum, oblationes peccatorum publicorum occultè admittere, dummodò non ſint de rebus ita malè partis, ut veris dominis reſtitui debeant, aut pro aliis charitatis operibus impendi, v. gr. pro ſuſtentandis parentibus, filiis &c. Quod tamen ſic limitarem, ut publicorum peccatorum proprie dictæ oblationes, quas videl. Altari, Capellæ, vel Eccleſiæ aut ſponte, aut ex obligatione offerre vellent vel deberent, non recipiantur, bene tamen minùs propriè dictæ (quæque ſe habent inſtar eleemoſynæ ad ſubveniendum v. gr. Hoſpitali; vel fabricæ Eccleſiæ, vel ipſi Parocho ex neceſſitate ad ſuam congruam ſuſtentationem præſtandæ ſunt à Parochianis) etiam à publicis peccatoribus exigi vel recipi valeant, dummodò ex propriis pendantur. Ita docere videtur Marian. Socin. *cit. loc.* Cogi etiam poſſunt, ut oblationes neceſſarias vel in natura vel in æquivalenti extra Eccleſiam tradant.

# DISSERTATIO SEXTA.

## *DE*

## *Pia Cauſa Eleemoſynæ.*

TAndem ad coronidem feſtinat hic Tractatus, cui in favorem pauperum pium opus eleemoſynæ velut mantiſſæ locò adnectere placuit. Huc referri poſſunt, quæ in Tract. primo de Clericalium redituum diſpenſatione in pauperum aliòsque pios uſus anticipata fuerunt.

# QUAESTIO TRIGESIMA PRIMA.

## *An pia eleemosynæ largitio sit actus charitatis?*

149. Videri posset, quòd sit actus justitiæ, cùm sit satisfactio, quâ peccata redimuntur, juxta Dan. *cap.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Deinde Apostolus dicit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. Supponit itaque largitionem seu distributionem eleemosynæ sine charitate subsistere posse. Demum potiùs actum liberalitatis includit, quàm Charitatis. Nihilominùs

150. Resolutio affirmativè statuitur à D. Thoma 2. 2. *qu.* 32. *artic.* 1. ubi sic concludit: *Eleemosynam dare actus charitatis est, interveniente misericordiæ affectu.* Probatur autem tum ex illo. 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas DEI manet in illo?* tum ex natura & definitione eleemosynæ: est namque opus vel actus, quo indigenti ex compassione aliquid fit vel donatur propter DEUM:

151. Ad primum oppositum Resp. S. Doct. *loc. cit. ad* 2. nihil obesse, quò minùs actus, qui est propriè unius virtutis *elicitivè*, attribuatur etiam alteri virtuti sicut ordinanti & imperanti ad suum finem: & hoc modo dare eleemosynam poni inter opera satisfactoria, in quantum miseratio in defectum patientis ordinatur ad satisfaciendum pro culpa. Sic etiam in quantum ordinatur ad placandum DEUM, eleemosyna habet rationem Sacrificii, imperatùrque à latria.

152. Ad secundum Resp. ex eod. S. Doctore *ibid. ad* 1. actum eleemosynæ *materialiter* consideratum esse quid separabile à charitate: quia actus virtutis potest esse sine virtute. Sic multi, non habentes habitum justitiæ, justa operantur ex naturali ratione vel ex timore, vel spe aliquid adipiscendi. *Formaliter* verò spectatus, id est, quat. propter amorem & bonitatem DEI sublevatur miseria proximi, promptéq; delectabiliter, & omni modo, quo debet, exercetur, sic actus eleemosynæ non est sine virtute, sed imperatur à charitate, & ex proprio motivo elicitur à virtute misericordiæ. Demum ad virtutem liberalitatis pertinet, in quantum per hanc aufertur impedimentum istius actûs pii, quod eidem obstare posset ratione superflui seu immoderati affectûs ad divitias, propter quem illarum nimia tenacitas causatur & retentio. S. Doct. *loc. cit. ad.* 4. Colliges, actum eleemosynæ *elicitivè* procedere à virtute misericordiæ, cujus motivum formale est, alieno defectui seu indigentiæ subvenire: à charitate verò procedere tam *imperativè*, quàm *effectivè*, interveniente scil. misericordiæ affectu: quia misericordia est effectus charitatis, veluti S. Doct. ostendit suprà *quæst.* 30. *art.* 2. & 3. in quorum priori dicit, quòd defectus proximi possit alicui esse ratio miserendi, vel quatenus aliquis malum ùt suum reputat *propter unionem amoris;* vel quia possibile est, ipsum quoque similia pati: cùm enim amans reputet amicum tanquam seipsum, malum ipsius reputat tanquam suum malum, & ideò dolet de malo amici, sicut de suo. Inde est, quòd Philosophus 9. *Ethic.* inter alia amicabilia ponat *condolere amico:* & Apostolus ad Rom. 12. gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus.

153. Opera misericordiæ sive eleemosynarum genera D. Thomas distinguit in corporalia, & spiritualia. Corporalium septem enumerat: scil. pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere seu excipere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum, juxta versiculum:

*Visito, poto, cibo, tege, colligo, condo.*

Spiritualium eleemosynarum pariter septem commemorat, videl. docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos & graves, & pro omnibus orare: juxta alium versiculum:

*Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.*

Ad dubium verò sibi propositum, quænam eleemosynarum classis alteri sit præferenda, resolvit S. Doctor, quòd quidem spirituales eleemosynæ, simpliciter & cæteris paribus loquendo, corporalibus præferri mereantur, ex triplici quidem respectu: quia nimirum donum spirituale præeminet corporali: & Spiritus, cui subvenitur, præstantior ac nobilior est corpore, & actus spirituales corporalibus prævalent: Attamen in casu particulari quandòque eleemosyna corporalis spirituali sit eminentior ac præstantior: ex. gr. melius opus est, præ fame morituro cibum præbere, quàm eundem ignorantem hìc & nunc docere: sicut & indigenti (secundùm Philosophum *Topic.* 3. *c.* 2.) melius est ditari, quàm philosophari, quamvis hoc sit simpliciter melius. S. Doct. *cit. quæst.* 32. *art.* 3. *in Corp.* Si quis opponat, quandòque pauperi magis gratam esse eleemosynam corporalem, quàm spiritualem, sicque illam hâc potiorem censeri: replicat; *Meritum dantis eleemosynam attendi secundùm id, in quo debet rationabiliter requiescere voluntas accipientis; non in eo, in quo requiescit, si sit inordinata.*

154. Dices adhuc: In eleemosynis spiritualibus semper est recompensatio: quia, qui orat pro alio, semper sibi proficit, juxta illud Psal. *Oratio mea in sinu meo convertetur:* quique alium docet, ipse quoque in scientia proficit: jam autem recompensatio beneficii laudem & meritum eleemosynæ minuit: quod Dominus apud Luc. *c.* 14. nobis insinuat dicendo: cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare vici-

vicinos divites, ne fortè & ipsi te reinvitent. Ex quo colligere est, plus meriti inesse eleemosynæ corporali, utpote quæ recompensationem de se nullam hic in tempore habet, quàm spirituali, quæ aliquam habet. Resp. ex S. Doct. *cit. art.* 3. *ad.* 2. per recompensationem meritum ac laudem eleemosynæ non minui, quando recompensatio non fuit intenta: quemadmodùm nec humana gloria, nisi intendatur, rationem virtutis evacuat, vel minuit. Sicut & de Catone Salustius dicit, quòd, quò magis gloriam fugiebat, eò magis eum fuerit gloria secuta. Ita contingit in eleemosynis spiritualibus.

155. Movet S. Doct. peculiarem quæstionem, utrùm eleemosynæ corporales spiritualem effectum habeant? Et concludit sequenti modo: *Quanquam corporalium eleemosynarum secundùm suam naturam non sit spiritualis aliquis, sed corporalis effectus, in quantum scil. supplent corporales defectus proximorum: ex parte tamen motivi* (quia dantur propter dilectionem DEI & proximi) *aliqua ex ipsis exspectanda est spiritualis utilitas, seu fructus.* Huc collimat illud Eccles. 29. *Perde pecuniam propter fratrem: pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Deinde sibi objicit S. Doctor: „Dare corporale propter spirituale, vitium est simoniæ.„ Sed hoc vitium est omnino vitandum. Non„ ergo eleemosynæ corporales habent spiritua-„ les effectus. Resp autem, ab eo, qui eleemosynam dat, non intendi emptionem rei spiritualis per corporale: quia scit, spiritualia in infinitum corporalibus præeminere: sed intendit, ait, per charitatis affectum spiritualem fructum promereri. Aliud quoque argumentum adducit: „Multiplicatâ causâ,„ multiplicatur effectus: si ergo eleemosyna„ corporalis causaret spiritualem effectum, ma-„ jor eleemosyna magis spiritualiter proficeret:„ quod pugnat contra Evangelistæ Lucæ *cap.* 21. ubi sic legitur: *Respiciens autem* (JESUS) *vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium: vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo: Et dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit.* Resp. ad hoc D. Thom. quòd vidua, quæ minus dedit secundùm quantitatem, plus dederit secundùm proportionem: ex quo pensatur in ipsa major charitatis affectus, unde eleemosyna corporalis suam efficaciam attrahit.

# QUAESTIO TRIGESIMA SECUNDA.

## *An opus eleemosynæ cadat sub præceptum?*

156. NEgativa videtur suaderi primò, quòd consilia à præceptis differant. At eleemosynæ largitio spectat ad res consilii, secundùm illud Dan. 4. *Consilium meum Regi placeat. Peccata tua eleemosynis redime.* Igitur largitio eleemosynæ erit res consilii, non præcepti. Secundò: cùm quilibet rei suæ sit dominus ac moderator, licebit cuilibet re sua uti, eámque retinere. At nemo, cui rem suam retinere eâque uti licet, alteri in eleemosynam dare sub præcepto tenetur: Ergo &c. Tertiò: quòd cadit sub præceptum, aliquo tempore determinato obligat sub peccato mortali: hoc quippe est de natura præcepti affirmativi. At hic tempus determinatum non valet assignari: quia quilibet semper probabili rationi duci valet, pauperi aliter subveniri posse: quódque illud, quod in eleemosynam esset erogandum, sibi necessarium esse possit vel in præsenti vel de futuro. Ergo &c. Sed contraria statuenda est

157. Resolutio: Eleemosynam de superfluo dare necessitatem patienti, cadit sub præceptum: cæteris verò eleemosynam dare consilii potiùs quàm præcepti est. S. Doct. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. Prob. propter omissionem eleemosynæ plurimi æternis cruciatibus subjiciuntur. *Matth.* 25. Ergo eleemosynam dare simpliciter non est res meri consilii. Deinde: Cùm dilectio proximi sit nobis præcepta, nónne omnia sub præceptum illud cadunt, sine quibus dilectio proximi non conservatur? Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut ei non solùm velimus bonum, verùm etiam ut bonum operemur, quo ipsi subveniamus, quod fit per eleemosynam. Consequenter eleemosyna sub præceptum cadit. Patet ex his, prædictam obligationem esse juris Divini: ac etiam juris naturalis, uti convincit nos illud dictamen legis naturalis: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Vid. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 61. Nunc

158. Resp. ad primum ex S. Doct. ad Danielem *loc. cit.* sermonem habuisse *ad Regem, qui non erat legi DEI* (positivæ) *subjectus. Et ideò ea etiam, quæ pertinent ad præceptum legis, quam non profitebatur, erant ei proponenda per modum consilii. Vel potest dici, quòd fuerit locutus de casu illo, in quo dare eleemosynam non est de præcepto,* id est, extra casum necessitatis.

159. Ad secundum oppositum Resp. ex *eod. ibid. ad* 2. bona temporalia, quæ DEUS homini confert, in istius quidem dominio & proprietate existere, usum eorum tamen non esse ita incircumscriptum, ut nulla ex superfluis in sustentationem aliorum indigentium erogari debeant. Unde Basilius (in Serm. ad divites avaros) ait: *Si fatearis, ea tibi divinitus provenisse, an injustus est DEUS inæqualiter nobis distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris; ille verò patientiæ braviis decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas, discalceati calceus, qui penes te marcescit, indigentis argentum, quod possides, inhumatum.* Videat. Decretum Gratiani *distinct.* 47.

160. Ad tertium ex *eod.* Resp. ex omissione eleemosynæ lethaliter peccari ex parte recipientis, quando apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte verò dantis, quando habet superflua, quæ ipsi secundùm statum præsen-

tem non sunt necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Neque oportet omnes casus, qui in futurum emergere possunt, considerare: nam hoc esset cogitare de crastino, quod Dominus prohibet *Math.* 6. sed superfluum & necessarium dijudicari debent secundùm ea, quæ probabiliter & ùt in pluribus occurrunt.

161. Si roges, ad quale præceptum Decalogi hoc præceptum naturale pertineat? Replicat idem Angelicus Magister, quòd omnis subventio proximi ad præceptum de honoratione parentum reducatur. Sic enim & Apostolus interpretatur 1. *Timoth.* 4. dicens: Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ: quod dicit, quia in præcepto de honoratione parentum additur promissio, ut sis longævus super terram. Sub pietate autem comprehenditur omnis eleemosynarum largitio. Revide *num.* 157.

162. Si roges ampliùs, utrùm quis eleemosynam erogare teneatur de sibi necessariis? Concludit S. Doct. *Art.* 6. in terminis, de eo, quod simpliciter ad vitam vel ad personæ statum necessarium est, non esse dandam eleemosynam ex gr. si quis in necessitatis articulo constitutus haberet solúm, unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad ipsum pertinentes. Nam de hoc necessario ait S. Doct. eleemosynam dare, est sibi suísque vitam subtrahere. Excipitur à S. Doctore casus, in quo quis id, quod sibi aut suis subtraheret, magnæ personæ, per quam Ecclesia vel Respublica sustentaretur, præberet: cùm enim bonum commune privato sit anteponendum, an non laudabiliter faceret, qui ex illo motivo suam suorúmque vitam mortis periculo exponeret?

163. Quòdsi loquaris de necessario tali, sine quo convenienter vita transigi potest secundùm conditionem & statum propriæ personæ aliorúmque appertinentium, eleemosynæ dispensatio similiter laudabile opus virtutis erit, cadens sub consilium, non verò sub præceptum. S. Doct. *ibid. art.* 6. ubi subdit, inordinatum fore, si quis daret eleemosynam ea in quantitate, ut posthàc vitam secundùm proprium statum & negotia occurrentia convenienter transigere nequeat. Nullus enim, ait, inconvenienter vivere debet. Tres autem casus hic excipit. Primum, si aliquis, relictô Mundô, Religionis ingressum amplectatur. Secundum, si subtracta pro redintegranda statûs convenientia de facili resarciri queant. Tertium: si extrema instet necessitas alicujus personæ privatæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ. In hisce enim casibus laudabiliter quis prætermitteret id, quod ad statûs sui convenientiam pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.

# QUAESTIO TRIGESIMA TERTIA.

## *An eleemosyna danda sit non solùm in extrema, sed etiam in gravi vel communi necessitate?*

164. Necessitatem *extremam*, vel quasi (uti ex alibi dictis constat) pati dicitur, qui vitâ periclitatur, nisi tu ei succurras, v. gr. nisi panem porrigas, fame peribit: *Gravem*, qui vitam difficulter sustentabit, aut statûs vel dignitatis suæ jacturam subibit, nisi ipsi subvenias: ordinaria sive *communis* est illorum pauperum, qui stipem ostiatim quærunt, vel in nosocomiis aluntur. Cæterùm rectè hic distinguuntur tria bona eleemosynarum, nempe necessaria naturæ, hoc est, ad propriam cujúsque & suorum sustentationem, sine quibus vita transigi nequit: necessaria ad statum decentem proprium alicujus & suorum; ac demum bona superflua, quæ scil. attento proprio & suorum statu supersunt.

165. Resolutio: Probabilis ac pia Sententia est, quòd habens superflua vitæ & statui, etiam gravi vel communi egestate pressis eleemosynam sub præcepto elargiri teneatur. Bonacin. ad *primum Decalog. Præcept. disp.* 3. *quæst.* 4. *Punct.* 6. *num.* 7. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Mostaz. *de P. C. l.* 7. *cap.* 2. *num.* 25. & alii probant ex illo Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Et ex 2. ad Tim. ult. *Divitibus hujus sæculi præcipe facilè tribuere.* Hæc loca scripturæ absolutè designant superflua, nec distinguunt inter necessitates pauperum. Igitur obligationem inferunt quoad superflua, ut pauperibus exinde subveniatur etiam in gravi & ordinaria seu communi ipsorum necessitate. Eámque esse Sententiam Div. Thomæ observat Layman. *loc. cit. num.* 5. nam D. Tho. *d. q.* 32. *art.* 5. concludit: *Dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto; & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate:* ubi duo casus discernuntur: unus, in quo adsunt superflua: alter, in quo extrema necessitas apparet. In primo S. Doct. eleemosynam simpliciter præceptam asserit, ut nempe de superfluis detur pauperibus gravi aut communi sive ordinariâ penuria laborantibus, qui nunquam desunt: in secundo præceptum dicit, emergente alicujus extrema necessitate, in qua subveniendum est, tametsi nulla superflua adsint. Eadem S. Doct. mens relucet ex 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. *in Corp.* ibi: Et ideò res, *quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi... Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri: committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Rationem adjicit Layman. quòd ex charitate obligemur succurrere proximo in quavis miseria constituto, si facilè sublevari possit: scriptum siquidem est: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Jam verò opulenti, & qui bonis abundant, facilè, id est, citra æstimabile incommodum suum, pauperum miseriam seu penuriam sublevare possunt: Ergo ad succurrendum censentur obligati. Subdit dein, hanc

hanc esse DEI providentiam ac voluntatem, terrenas divitias inæqualiter distribuentis, ut qui eis abundant, per opera misericordiæ; qui autem carent, per patientiam æternæ gloriæ mercedem sibi comparent: ut proinde tam divitiæ quàm paupertas dona DEI sint, de quibus & pauperes & divites rationem ipsi reddituri sunt, an illis secundùm Divinum propositum ac voluntatem usi fuerint.

166. Dices primò cum Sententia opposita: negare eleemosynam pauperi, in gravi vel etiam communi tantùm necessitate constituto, aut esset peccatum mortale: aut veniale? Non veniale: quia pauperum penuria vel miseria etiam in communi necessitate censetur esse graviter onerosa. Nec mortale: quia quàm plurimi divites communi pauperum necessitati non succurrentes, eorúmque Confessarii, à quibus nihilominùs absolvuntur, lethalis culpæ forent damnandi. Secundò: si pauper ea, quæ non sunt sibi necessaria ad vitæ sustentationem, procurare omittat, non peccat, saltem lethaliter: ergo nec dives peccat, si ejusmodi pauperibus, necessitate extrema non laborantibus, nullam eleemosynam distribuat. Tertiò: Ex Sententiâ à nobis delectâ sequeretur, in divitum superflua possidentium arbitrio non consistere, ut pro cultu Divino, v. gr. ad reparandas Ecclesias, ornamenta Altarium &c. disponant, sed ad elargitiones in pauperes alligati forent, quod dicere perabsurdum est.

167. Ad primum Resp. Laym. solùm levem videri culpam, si dives absque rationabili causa pauperi in *communi* miseria existenti auxilium, aliàs commodè præstandum, denegeт, eò quòd talis miseria levis ac tolerabilis esse soleat. Inter justas causas autem ejusmodi pauperi eleemosynam negandi, illam quoque computat, si dives propositum habeat aliis dandi loco, aut tempore commodiore, vel magis indigentibus: vel si superflua, quæ habet, ad alium pium usum conferre velit, uti notat Medina *quæst. 3. de Eleemos.* Cæterùm nec divites, qui quoad prædictam necessitatem negligenter se gerunt erga pauperes, nec Confessores, qui ipsos absolvunt, culpæ damnari debent ab iis Doctoribus, qui Sententiæ contrariæ, obligationem eleemosynæ in communi necessitate erogandæ inficiantis, probabilitatem agnoscunt. Porrò eum divitiis abundantem Euclionem, qui absque rationabili causa omnes pauperes vel mendicos inhumaniter repelleret (nec alio modo compensaret, v. gr. contribuendo ad collectas communes pauperum) in malo statu versari existimat idem Laymannus, eò quòd affectu nimis inordinato in divitias propensus, & DEI proximíque charitate exutus, illud Math. 6. *Non potestis DEO servire & Mammonæ*, præ oculis non haberet. Attamen ex Medina & Turriano advertit, tali absolutionem Sacramentalem haud facilè esse denegandam, tametsi monitus pauperum communes miserias eleemosynæ subsidiis sublevare detrectet: tum, quia, an & qualis sit hæc obligatio, Doctores non conveniunt: tum, quia moraliter vix accidit, nullam à divite recusatæ eleemosynæ causam afferri posse, quæ speciem veritatis præbeat.

168. Quòdsi alicujus penuria aut egestas pro circumstantia loci, aut temporis subsidium equidem exigat, attamen alio medio quàm gratuita largitione tolli valeat, fortè per contractum mutui, permutationis, aut venditionis, dives ad donandum, præsertim in quantitate notabili, non obstringitur. Sic Josephus *Gen.* 41. tempore famis Ægyptios affligentis, frumentum eis vendendo actum misericordiæ exercuit. Hinc Psalmista ait: *Jucundus homo, qui miseretur* & *commodat:* Et Eccles. c. 29. jubemur *proximo fœnerari*, id est, mutuum dare, *in tempore necessitatis illius.* Nec semper necessitas aliena translatione dominii sublevanda est, sed quandòque solus usus sufficit, ut si spoliato ab hostibus vestem commodes, qua utatur, donec aliam sibi procuret.

169. Ad secundam rat. oppositam nego paritatem. Quotusquisque enim amore perfectionis Christianæ seipsum potest spoliare rebus temporalibus, salvis ad vitæ sustentationem necessariis; & multò magis superfluas sibi ab aliis ultro oblatas respuere, ac nolle acquirere: quod sanè ad virtutem spectat. At perfectioni Christianæ virtutique tum charitatis tum misericordiæ repugnat, si quis divitum ex superfluis proximi indigentiam miseriámve sublevare recuset, recedendo ab illo principio in Moralibus primo: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*, & à præcepto Divino tam novi quàm veteris Testamenti. Certè licét in creditoris libera sit facultate, creditum, quod ipsi solvere cupit debitor, acceptare, vel remittere: nihilominùs ex hoc malè intuleris, debitori liberum esse, debiti solutionem procurare, vel negligere.

170. Dictum fuit notanter in Resolutione proxima, *habens superflua vitæ & statui.* Nam si quis habeat superflua, spectata sola vitæ sustentatione, sed non decentis statûs sui vel suorum, tenetur equidem in extrema, vel quasi extrema necessitate constitutis, eleemosynam elargiri, non tamen constitutis in gravi tantùm aut communi necessitate. Bonacin. ad *primum Precept. Decalog. disp.* 3. *quæst.* 4. *Punct.* 6. *sub num.* 8. eò quòd recta ratio non dictet, aliquem teneri statui suo necessaria contemnere, ut alteri in communi vel gravi necessitate suppetias ferat. Cajetan. in *Summ. Verb. Eleemosyna.* Reginald. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 256. contra Valentiam, Bannez, & Turrianum ibi relatos. Dictat econtra recta ratio, ut proximi in extrema necessitate constituti vita ab eo, qui habet superflua quomodocunque, statûs sui decentiæ præferatur: quod posterius Bonacina limitat, ut talis in extrema necessitate constituto per eleemosynam subvenire non sit obstrictus, si se similem indigentiam paulò pòst incursurum, prudenter timeat.

171. Quidsi persona publica, Reipublicæ valde necessaria, v. g. Princeps gravi necessitate prematur? Eo casu laudatus Bonacin. *ibid. num.* 12. etiam eos, quibus nulla extant

 super-

superflua vitæ vel statui, oneri præstandi eleemosynam substernit: quia bonum publicum privato præponendum est. Cajetan. *d. ver. eleemosyna. cap.* 5. Valent. Becan. & alii contra Sylvestrum *Ver. Eleemosyna. quæst.* 4.

172. Illud exploratum est, habentes superflua vitæ & statui non teneri pauperes inquirere: sed sufficere, si ultro occurrentium necessitates sublevent. Bonacin. *loc. cit. num.* 9. rationem adjicens, quòd præceptum charitatis tam strictè non obliget. De Episcopis autem dicit, ipsos, cùm Patres pauperum nuncupentur, illarúmque necessitatibus occurrere teneantur, in pauperes ex speciali obligatione inquirere debere. In cujus asserti robur allegat D. Thomam 2. 2. *quæst.* 21. *artic.* 1. Malderum, Cordubam, Vasq. & Laymannum *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. Attamen, inspectô D. Thomâ, eô loco nihil reperi. Citanda erat *quæst.* 71. *art.* 1. ubi tamen nihil meminit de obligatione Episcoporum: sed in *Corp.* sic dicit: non tenetur homo per Mundum quærere indigentes, quibus subveniat; sed sufficit, si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat. Ad quæstionem ibi principaliter motam, utrùm Advocatus causæ pauperum patrocinium præstare teneatur, sequentem statuit conclusionem: „ubi pauperum causis aliter subveniri non„ potest, tenentur Advocati eorum suscipere„ causas, & illis patrocinari, sicut tenentur o-„ mnes, necessitatem patienti misericordiæ o-„ pus impendere. Quâ in re Bonacina *loc. cit. sub. num.* 8. cum Azor. Vasq. Filliuc. & Corduba contra Cajetan. in *cit.* 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1. Advocatum mortalis peccati reum arguit, si pauperis patrocinium non suscipiat; Medicum quoque vel Chirurgum, si operam suam indigenti non præstent: quod tamen limitandum venit, si opera sua ipsi Medico vel Chyrurgo ad congruam vitæ & statûs sustentationem non fuerit necessaria, eo proportionaliter modo, quo discurrimus de danda eleemosyna in communi vel gravi *necessitate* ex superfluis vitæ & statui. His succedit

## QUAESTIO TRIGESIMA QUARTA.

### *Utrùm singuli divites, quibus nota est alicujus indigentia, ad subsidium teneantur?*

173. RESolutio est affirmativa, quod singuli, per se loquendo ad subsidium teneantur. Ita Vasquez. Azor. Reginald. & alii apud Bonacin. *cit. loc. sub n.* 12. ex ratione, quòd præceptum charitatis de proximo juvando singulos afficiat; nec suppetat fundamentum, cur potiùs unus quàm alter ad præstandum auxilium obligetur: esto per accidens obligatio in reliquis cesset, quando unus pauperis indigentiam jam sublevavit. Imò præfati Auctores illum à prædicta obligatione exemptum pronuntiant, cui certò aut probabiliter constat, pauperis indigentiam ab alio sublevandam fore: nam perinde videri, ajunt, ac si pauper ab alio esset adjutus; cùm paratum habeat subsidium, quo ipsius necessitas sublevetur.

## QUAESTIO TRIGESIMA QUINTA.

### *Utrùm eleemosyna danda sit etiam de injustè acquisitis?*

174. NEgativam assertionem dubiam reddere videtur illud *Luc.* 16. facite vobis amicos de Mammona (quo vocabulo divitiæ significantur) iniquitatis. Deinde, meretricia lucra sunt turpia atque illicita, hócque non obstant possunt esse materia apta eleemosynæ: idémque tenendum de acquisitis per Simoniam.

175. Resolutio trimembris est conformiter ad doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. Itaque dicendum primò: de rebus, quæ debentur ei, à quo fuerunt acquisitæ, v. gr. furtivis, cæterísque restitutioni, quæ certæ personæ vel communitati fieri debet, subjectis, non est danda eleemosyna: qui enim ipse dominus nullô modô alienæ rei effici potest, quomodò pauperes dominos faciet, & plus juris, quàm ipse habuerit (cum injuria quidem & præjudicio tertii) in alios transferet? Dicendum secundò: de illicitè acquisitis, & restitutioni obnoxiis, quorum domini, vel creditores ignorantur, rectè fit erogatio in pauperes: In hoc autem casu negatur, verum actum eleemosynæ vel misericordiæ ab erogante exerceri; quandoquidem ex justitia ad erogandum in usus pios obligatur. Laym. *lib.* 2. *tract. cap.* 6. *num.* 7. Dicendum tertiò: de illicitè acquisitis ratione operis tantùm prohibiti, si ipsa acquisitio non sit turpis seu illicita retentio, veluti contigit in lucris lenonum, meretricum, histrionum &c. licitè dantur eleemosynæ. Ratio est, quòd ejusmodi turpia lucra transeant in dominium turpia facientium: ergo possunt de illis disponere: nec ostendi valet, quid turpitudinis dispositio ad pauperes in se contineat. Vid. S. Doct. *loc. cit. in Corp.* ubi sic loquitur: & hoc vocatur propriè turpe lucrum: quòd enim mulier meretricium agat, turpiter agit & contra legem DEI: sed in eo, quod accipit, non injustè agit, nec contra legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna dari. Cur autem ista turpia lucra pro oblationibus ad Altare, & pro Missæ Sacrificio non sint admittenda, ob reverentiam rebus sacris debitam introductum est; ùtque removeatur scandalum, quasi Ecclesia talia commercia quodammodò approbet, prout paulò supra adnotatum fuit.

176. Ad rationem dubitandi præmissam Resp. ex D. Thom. *cit. art.* 7. *ad* 1. quòd secundùm D. Augustinum omnes divitiæ sub Mammona iniquitatis intelligantur; non utique eo sensu, quasi divitiæ sint iniquæ in se, sed

sed illorum respectu, qui in diviciis spem suam constituunt. Secundùm D. Ambrosium verò Salvator iniquum Mammona vocavit, quia variis illecebris nostros tentat affectus: vel, quia in pluribus prædecessoribus, quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur, qui injustè usurpavit aliena, quamvis tu nescias, ùt S. Basilius loquitur: vel denique omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, id est, inæqualitatis: quia non æqualiter sunt omnibus distributæ, uno egente, & alio superabundante.

177. De acquisitis per Simoniam, licèt turpissima sint, quia fit injuria Spiritui Sancto, quòd res spirituales in commercium pro re temporali quasi venales trahantur, ideò potest & debet fieri eleemosyna, quia, ùt loquitur D. Thomas, & datio & acceptio est contra legem, scilicet tam Divinam, & naturalem, quàm humanam; & tum dans, tum accipiens contra justitiam egit: sic, ut nec data possint danti restitui, nec ab accipiente retineri. Qua de re plura cum Canonistis tractavi in meo *Lib. V. Decret. ad tit. de Simon.*

# QUAESTIO TRIGESIMA SEXTA.

## *Quînam eleemosynas facere prohibeantur?*

178. Resolutio: In aliena potestate constituti de his solùm rebus, quas in dominio suo habent, possunt eleemosynas facere; secus de illis, quæ ad dominum suum pertinent, nisi cum istius consensu expresso aut præsumpto, aut speciali causa interveniente. Explicatur ad mentem D. Thomæ. 2. 2. *cit. q.* 32. *artic.* 8. ubi ad 2. dicit, quòd uxor habens alias res (præter dotem, quæ marito fructificare debet pro sustinendis Matrimonii oneribus, prout deductum est in *Tract.* 1. *à quæst.* 19.) vel ex proprio lucro, vel alio quocunque licito modo, de illis possit dare eleemosynas, etiam irrequisito viro, quoad dotalia verò tunc demum licita ipsi erit dispensatio aliqua moderata in pauperes, si accedat consensus mariti expressus aut præsumptus: vel maritus bonorum dotalium administrationem relinquat, fortè quia est absens: vel sit prodigus, aut mente captus: vel adsit opum abundantia: vel gravis pauperum necessitas instet: aliáve causa justa eleemosynæ largitiones (idem esto de donationibus remuneratoriis) postulet, maritus verò aut ex avaritia aut imprudentia eas intermittat, uti cùm Navar. in *Manual. cap.* 17. *à num.* 154. & aliis docet Laym. *lib.* 3. *de Just. tr.* 4. *cap.* 12. *num.* 6. probabilem prætereà judicans Sententiam Medinæ *Cod. de Eleemos. qu.* 4. quòd uxor, etiam invitô, maritô, facere possit eleemosynas moderatas, aliásve donationes, præsertim remuneratorias, spectata qualitate status sui, & quantitate allatæ dotis, præcipuè si bo„na in conjugio acquisita, secundùm morem „regionis, aut pactum dotale, communia sint. „Ratio assignatur, quòd uxor non sit mariti „ancilla vel famula, sed socia, & domesticæ „administrationis particeps, ac quasi compar; „ut proinde maritus ea in re invitus meritò „esse non possit. Quia tamen ipsa marito tanquam capiti subjecta esse debet (juxta illud 1. ad *Cor.* 11. *Vir caput est mulieris*) ideò pro arbitratu suo, & contra voluntatem mariti eleemosynas, aliásve superfluas donationes facere nequit. Quòdsi urgeas, Beatam Luciam, ignorante sponso, eleemosynas fecisse. Respondet D. Tho. *loc. cit.* Beatam Luciam sponsum habuisse, non maritum, & de consensu matris eleemosynas facere potuisse.

179. Addit Laym. ex Molina, Medina & Pet. Navarro, marito injuriam non inferri, si uxor absolutas donationes, aliósve sumptus, quos in largiores eleemosynas, suî ornatum, vel honestam recreationem facere potuisset, propriâ parsimoniâ collectos, in pauperem v. gr. consanguineum, vel nutricem suam, quamvis invitô maritô, conferat. Deinde si uxoris parentes, aut filii ex priore matrimonio geniti, miserè victitent, & maritus eis succurrere nolit, potest uxor, etiam eo invito, ex dote sua vel communibus lucris necessarium ac debitum ipsis subsidium afferre; dummodò, cùm ad partitionem ventum fuerit, hæc in partem suam conferat. Hæc Laymannus; cautum tamen esse jubens Confessarium, ne majorem in hisce rebus, quàm par est, fœminis licentiam tribuat, sed eas potiùs moneat, ut virorum suorum voluntati se accommodent, quatenus justè possunt. De Marito verò subnectit, quòd tanquam bonorum administrator ex communibus lucris (societate bonorum inter conjuges initâ) pro suo arbitratu, ac sine restitutionis onere, eleemosynas, aliósque sumptus, etiam superfluos facere valeat, dummodo dos & alia bona propria uxoris salva maneant.

180. Quantum ad filios vel filias familiàs, extra peculium *Castrense* vel *quasi Castrense* (in quibus bonis libera talibus competit administratio, saltem quoad mobilia) de rebus ad patrem spectantibus eleemosynæ ipsis sunt prohibitæ, nisi forte modicæ, in quantum videlicet de beneplacito patris præsumere possunt; aut nisi alicujus rei dispensatio eisdem sit commissa. D. Thom. *loc. cit. ad.* 3. Attamen non dubitandum, quin respectu peculii *adventitii extraordinarii* (secus tenendum quoad regulare seu ordinarium) in quo scil. patri non est reservatus ususfructus, liberalitatem per eleemosynas exercendi facultas eisdem concessa sit; cùm de illis bonis non solùm inter vivos, verùm etiam per donationem mortis causâ (non tamen per testamentum: quia illorum intuitu non habentur pro patrefamiliàs) disponere valeant per tradita superiùs in *Tract.* 1. *à quæst.* 17. *n.* 227.

181. De Monachis & Religiosis D. Thom. *cit. quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. docet, eis permissas esse eleemosynas de rebus Monasterii, quando habent dispensationem à Prælato sibi commissam, aut aliunde licentiam ab ipso expressam, vel probabiliter præsumptam: vel si id sua-

suadeat necessitatis articulus. Confer. Mostaz. *lib.* 7. *de Eleemos. cap.* 11. *& seq.*

182. Pro clausula præsentis materiæ subnotandum venit, eleemosynas dari oportere non solùm Christianis, justis, & amicis, sed etiam infidelibus, injustis & inimicis: quia omnes beatitudinis capaces nomine *proximi* subintelliguntur, ac inimici quoque diligendi sunt, secundùm doctrinam & præceptum Christi *Matth.* 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos:* & Apostolum Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi:* quod sanè radicatur in præcepto naturali, ut nimirum, qui nobis in necessitate succurri cupimus, aliis idipsum faciamus. Distinguendum autem inter inimicos: nam inimicis privatis, necessitate pressis, subvenire tenemur ex primùm adductis, dummodò ex subsidio præstando grave damnum inde nobis inferendum non metuamus. Inimicis verò Reipublicæ pro eo tempore, quo ab ipsis Reipubl. imminet damni periculum, non tantùm non obligati sumus subsidium ferre, sed nequidem subvenire possumus: cùm bonum commune sit præferendum bono privato. Quòdsi periculum damni inferendi cesset, veluti tempore induciarum, tunc subveniendo præceptum charitatis implere tenemur. Bonacin. ad *prim. præcept. Decal. disp.* 3. *quæst.* 4. *Punct.* 6. *sub num.* 18. cum Bannez &c.

183. Postremò, servandus est ordo inter indigentes, quando omnibus subveniri nequit, ut inter constitutos in extrema necessitate, si cætera sint paria, præferantur propinquiores, sic nempe, ut non sola conjunctio attendatur sed etiam differentia sanctitatis & utilitatis. Nam multò sanctiori, magisque indigenti, vel pro bono communi magis utili subveniendum est præ propinquiori, nisi inter dantem & indigentem valde magnum propinquitatis vinculum intercederet. S. Doct. *cit. quæst.* 32. *art.* 9. De plurib. huc spectantibus piis doctrinis, præsertim, quid liceat in necessitate extrema, quid in gravi: quid faciendum in necessitatibus publicis: item de subsidio charitativo vide omnino Mostazzum *tot. lib.* 7. *de Piis Causis:* & *lib.* 8. *de obligatione Ecclesiasticorum dandi eleemosynas ex reditib. Ecclesiasticis.* Ea de re in *Tract.* 1. *de Justitia &c. à q.* 12. quædam præmisi, & *tract.* 2. *de Restitut. à quæst.* 4.

## QUAESTIO TRIGESIMA SEPTIMA.

### *Qua ratione Clerico-Pauperi Beneficiò competentiæ subveniatur?*

184. Ante resolutionem de nominibus paupertatis quædam prælibanda sunt. Omnis scientia à cognitione vocabulorum incipit, secundùm Bald. in *l. liberti. num.* 9. *Cod. d. Oper. libert.* Quidam paupertatem à parva potentia, à parva pecunia, parvo ære, parva penu, parvâque possessione denominant, ut pauper sit ille, qui parum habet. Non enim pauper dicitur, qui nihil habet, uti facetè cecinit Martialis *Epigram. lib.* 11. *Ep.* 17. in Nestorem:

*Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,*
*Nec tibi de bibula sarta palude teges:*
*Nec puer aut senior, nulla est ancilla, nec infans,*
*Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix.*
*Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri*
*Pauper, & in populo quæris habere locum;*
*Mentiris, vanóque tibi blandiris honore,*
*Non est paupertas, Nestor, habere nihil.*

Simulatè quandóque divites substantiam suam paupertatis nomine adumbrant, prout in *l. Lucius.* 78. *§. Hæredum. ff. ad SCt. Trebell. paupertate relicta* tota intelligitur hæreditas, tametsi sit pinguissima. Nempe avari usque ad ultimam vitæ periodum divitiis inhiant, opulentámque hæreditatem, quam jamjam deserere coguntur, tanquam paupertatem judicant, ut verum faciant illud Horatii:

*Semper avarus eget.*

185. Licèt autem his vocabulis, *paupertas, inopia, mendicitas, penuria, egestas,* promiscuè utamur, eorum tamen discrimen, Juristis præsertim pro legum interpretatione, scitu necessarium, notat & probat famosus Author Gabriel Alvarez de Velesco *Tract. de Privileg. Pauperum, & Miserabil. personar. part.* 1. *quæst.* 1. dicendo, per *inopiam* denotari omnimodam paupertatem, extremámque indigentiam, per paupertatem verò non omnimodam aut extremam indigentiam: ita, ut pauper vocetur, qui parum; inops, qui nihil habet. Differentiam inter hæc duo indicat Ecclesiasticus *c.* 31. *Laboravit pauper in diminutione victûs, & in fine inops fit.* Mendicus strictè dicitur, qui victum ostiatim quærit, quasi manu dicens: latè etiam pro paupere accipitur. Egenus, qui non est solvendo. Penuria cum paupertate coincidit, sic dicta à parva penu, seu à carentia rerum, quæ ad penum pertinent. Inter meliores paupertatis definitiones Velasco *d. loc. quæst.* 4. *num.* 9. eligit istam: paupertas est carentia pecuniæ, secundùm personæ, vel etiam negotii qualitatem: *pecuniæ* appellatione intelligendo quamlibet rem, quæ in patrimonio est, vel esse potest.

186. Quemadmodum verò is, qui actionem suam judicialem in divitiis alterius fundat, divitiarum qualitatem tanquam fundamentum intentionis suæ probare tenetur: ita quoque paupertatem suam probare debet, non quidem qui excipit, sed qui fundamentum intentionis suæ in ea constituit. Et dicit Card. Tuschus *Lit. P. Conclus.* 162. paupertatem esse difficilis probationis: nec ad eam probandam opus esse plena probatione, sed sufficere, si probetur per publicam vocem & famam: Oldr. *Cons.* 277. *num.* 2. Bald. *Cons.* 222. & stari arbitrio Judicis, an sit talis paupertas, quæ excuset pauperem. Alex. *Cons.* 213. *num.* 8. *lib.* 6. item probari per testes vicinos affirmantes, talem non possidere, vel non habere alia bona, & si haberet alia, non posset non sciri. Vid. Mascard. *de probationib. Conclus.* 1154. De Privilegiis autem pauperum inspicere lubeat supra laudatum de Velasco, ubi multa inexspectata reperientur.

187. In præsenti quæstione paupertatem à mendicitate vel egestate scrupulosè non distinguemus, sed notari volumus, Personis Ecclesiasticis, ne egestate pressæ, cum statûs Clericalis dedecore quasi mendicatò vivere cogantur, indultum fuisse à Jure Canonico *Beneficium Competentiæ*, vi cujus debitis onerati in plus creditoribus satisfacere non tenentur, quàm salva manente congrua statûs sustentatione; sic tamen, ut sub juramenti religione caveant de supplenda satisfactione, quando ad pinguiorem fortunam perventuri sunt. Ita provisum legitur in famigero *cap. Odoardus.* 3. *de Solutionibus:* ubi Odoardus Clericus Gregorio IX. *proposuit, quòd cùm P. Clericus, D. Laicus, & quidam alii ipsum coram Officiali Rhem. super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem ejusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis Sententiam promulgavit: Mandamus* (respondit Pontifex) *quatenus si constiterit, quòd prædictus O. in totum vel pro parte non possit solvere debita supradicta, Sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, receptâ priùs ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.* Quæritur modò, quibus Clericis, & quando hoc beneficium proficiat, quando non.

188. Resolut. prima: Privilegium competentiæ fuit introductum non solùm pro Clericis, qui Ordinibûs majoribûs sunt initiati, sed etiam pro constitutis in minoribus, vel etiam solâ primâ tonsurâ initiatis, dummodò (juxta Trident. Concil. *Sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.*) beneficium Ecclesiasticum habeant, aut habitum cum tonsura Clericali deferentes, de Mandato suî Ordinarii alicui Ecclesiæ serviant, aut in aliquo Seminario vel studio morentur. Hoc DD. colligunt ex generalitate tex. *dict. cap. Odoardus:* nulla siquidem ibi fuit instituta inquisitio, in quali Ordine Clericus Odoardus fuerit constitutus. Aliunde etiam Constitutio favorabilis potiùs amplianda, quàm restringenda est. Hinc non sunt exclusi ab ea Clerici Regulares, uti notat Magnif. P. Franc. Schmier p. m. *Jurispr. Canon. Civ. l.* 3. *tr.* 1. *cap.* 1. *n.* 218. cum Clariss. P. Ranbeck in *Panoplia disp.* 2. *sect.* 2. *cap. un.* Quòdsi Minorista prædicta requisita non habeat, adeóque nec privilegiô fori fruatur, sed Jurisdictioni laicali subjaceat, minùs verosimile est (licèt contrarium aliqui doceant) præfatum privilegium illi suffragari: tum quia *cap. Odoardus* emanavit de Clerico, qui gaudebat privilegiô fori Ecclesiastici, utpote coram Officiale Archidiaconi Rhemensis Ecclesiæ conventus: tum, quia tales in commerciis humanis pro laicis respiciuntur; adeóque eorumdem egestas in opprobrium statûs Ecclesiastici non vergeret; nimisque grave damnum creditoribus inferretur, si tam ingens numerus laicorum more, & in habitu sæculari conversantium, privilegiô tam insigni ab Ecclesia defenderetur.

189. Nec obstat primò, quòd præfati Minoristæ militibus Christi accenseantur, eóque ex titulo competentiæ beneficiô digni videantur, quemadmodum in ejus participium veniunt milites sæculi: nec secundò, quòd privilegium fori sit aliquid distinctum à privilegio competentiæ. Nam reponitur, illos Clericos equidem esse de militia Cœlesti secundùm aptitudinem, non autem secundùm exercitium alicujus Officii in hac militia, & ideò laicis æquiparari: & licèt privilegium *fori* sit distinctum ab isto privilegio, & unum quandòque competere possit sine altero (sicuti habetur decisum in *cap. un. de Clericis conjugatis in* 6. quòd tum *Canonis* tum *fori* privilegiô fruantur, si *cum unicis & virginibus contraxerint, tonsurámque & vestes Clericales* deferant, cùm tamen illi conjugati à privilegio competentiæ excludantur) attamen, ùt loquitur Mostaz. *de Piis Caus. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 29. in hac specie res se aliter habet: quia hoc privilegium fundatur in eo, ne Minister, ex publica deputatione Ecclesiæ actualiter serviens mendicare cogatur. Interim Sententia contraria & benignior, maximè propter authoritatem Patronorum (quos inter numerantur Barbosa, Fagnanus, Riccius, Belletus, & Antonellus) sua probabilitate non destituitur.

190. Resolut. secunda: Clericus pauper beneficiô competentiæ defenditur, sive actione personali, sive reali in causa Civili conveniatur: neque enim in tex. *cap. Odoardus.* inter actiones distinguitur. Excipitur tamen, si rem alienam forsan ex commodato, vel deposito detineat: nam tunc ad restitutionem tenetur, sive rei vindicatione, sive actione personali ex contractu contra ipsum agatur: quandoquidem ad creditorem non pertinet, Clericali dignitati conservandæ ex re sua propria prospicere, sed tantùm in necessitate succurrere. In quo respectu beneficium competentiæ, quod habet maritus, pinguius est: nam iste, in honorem matrimonii, quem etiam uxor procurare tenetur, actione reali pro dote restituenda in plus conveniri nequit, nisi in quantum facere potest. Mostaz. *d. cap.* 7. *n.* 52. cum citatis, qui etiam *num.* 31. observat, usui prædicti privilegii nihil obesse, tametsi Clericus sua culposa vivendi ratione ad paupertatem redactus fuerit. Quidsi Clericus ex delicto fuerit alteri debitor factus, attamen civiliter & ad interesse partis conventus? Resp. utile fore beneficium competentiæ: secus, si criminaliter fuerit actum, videl. ad pœnam & vindictam publicam: tunc enim carcerem non effugiet, sed luet in corpore, quod non habet in ære. Vid. de hoc fusiùs tractantem Mostaz. *loc. cit. à n.* 30.

191. Resolut. tertia: Usus Privilegii competentiæ cessat primò, si in judicio non recognoscat suum debitum, sed pertinaciter neget, ùt colligitur ex tex. *cit. cap.* Secundò, si in contrahendo debito se laicum finxerit aut divitem jactaverit, Barbos. ad *cit. cap. num.* 17. aut in fraudem creditorum sua bona vel absconderit, vel alienaverit: neque enim jura dolosis & decipientibus patrocinantur. Tertiò cessat per amissionem privilegii *fori*, scil. in consequentiam, *arg. cap. fin. de vit. & honest. Clericor.* & *cap. un. eod. in* 6. An similiter cesset per renuntiationem simplicem, aut saltem juramentô firmatam, DD. discrepant: censerem, negativam veritati propiorem esse: estò enim fa-

vori suo privato quisque validè & licitè renuntiet: aliter tamen judicandum, quando privilegium in favorem publicum (cui etiam adjectis juramentis à privatis præjudicari nequit) immediato respectu tendit, sicuti privilegium Clericalis *competentiæ* intuitu totius Ordinis Ecclesiastici, ut ab eo dedecus mendicantium Clericorum amoveretur, non minùs, quàm privilegium *fori*, introductum fuisse non dubitandum est.

192. Dantur & aliæ personæ inter laicos, quibus egestate afflictis in solamen subvenitur beneficiô competentiæ, ne à creditoribus usque ad saccum & peram excuti queant, sed congruam ipsis sustentationem in executione Sententiæ judicialis relinquere debeant: Tales sunt parentes & liberi inter se: maritus & uxor: donator, si ex donatione conveniatur: & socius, si ex societate conveniatur: de quibus, & nonnullis aliis adductis longam texunt exegesin post Fagnanum, & Eman. Gonzalez. ad *cap. Odoardus. de Solution. in Commentario à num.* 8. passim alii Canonum Interpretes.

## QUAESTIO TRIGESIMA OCTAVA.

### *An Parentum paupertas filium ab ingressu Religionis impediat?*

193. RESolutio: Filio non licet Religionem ingredi, si parentes sint in magna paupertate vel necessitate, in qua ipsis probabiliter in sæculo subvenire potest. Mostaz. de *P. C. l.* 4. *cap.* 9. *num.* 46. Velasc. *de Privil. paup. part.* 1. *quæst.* 11. *à num.* 1. cum D. Thoma *quodl.* 3. *art.* 16. & *quodl.* 10. *art.* 9. Et 2. 2. *q. ult. art.* 6. & *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. & ibi Cajet. Audiatur S. D. *cit. art.* 6. *per accidens tamen*, ait, *parentibus convenit, ut à filiis adjuventur, in quantum scil. sunt in necessitate constituti. Et ideo dicendum est, quòd parentibus in necessitate existentibus ita, quòd eis commodè aliter, quàm per obsequium filiorum, subveniri non possit, non licet filiis, prætermissô parentum obsequiô, religionem intrare.* Rectè: quia præcepto Divino-naturali: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, inculcatur, ut eos, à quibus vitam totùmque esse naturale, DEO licèt Auctore, per generationem accepimus, nostris subsidiis in suo esse conservare adjuvemus. Quod & Ulpianus Ethnicus observavit in *l. si. quis à liberis.* 5. *§. parens. ff. de agnosc. liber.* in verbis: *Parens quamvis ali filio ratione naturali debeat &c.* nimirum propter maximam sanguinis conjunctionem, & gravissimam obligationem gratitudinis: quam non solùm attenderat jus Civile in variis legibus, uti in *l.* 3. *Cod. de Patr. potest. l.* 1. & 2. *ff. de agnosc. & al. lib. l. fin. §. ipsum autem. Cod. de bon. quæ liber. &c.* Sed etiam jus Canonicum indicat in *cap. cæterum.* 20. *dist.* 86. ibi: *Cæterùm DEI traditio est, ut priùs pascas parentes: nam si juxta Divinum oraculum contumelia parentis morte luitur; quantò magis fames, quæ morte gravior est?* Sed contra

194. Arguis primò: Saltem filius, post emissum ingrediendæ religionis votum, parentibus relictis, religionem intrare non tantùm poterit, sed etiam debebit: votum quippe, ceu actus Religionis, & promissio DEO facta de bono meliori, non minùs servandum est, quàm juramentum, quoties validè emittitur. Resp. votum ingrediendi Religionem, cùm sit solùm quid de consilio, subsidium verò parentibus in necessitate, quæ aliter sublevari nequit nisi per filium remanentem in sæculo, sit de præcepto Divino, naturali, & positivo, non valere in præjudicium obligationis, quo filii in tali hypothesi ad parentes alendos adstringuntur. Nec juramentum in præjudicium tertii validè subsistere, res tralatitia est.

195. Arguis secundò: Fortè aliquis vovit ingressum religionis, quia timet periculum peccati mortalis & salutis. Talis utique cum propriæ salutis dispendio, ut parentes à fame & morte liberet, in sæculo moram trahere non tenebitur? Resp. ejusmodi casum fore exceptum, uti docet Div. Thom. *Quodlibet.* 10. *art.* 9. *in Corp.* inquiens: *aut iste, qui habet propositum intrandi religionem, videt, se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cùm magis teneatur saluti animæ suæ providere, quàm corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere. Si autem videt, se posse in sæculo conversari absque peccato, distinguendum videtur; quia si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret eos dimittens.* Et ne quamlibet necessitatem sub nostra assertione comprehensam autumes, idem S. Doctor subdit: si verò sine ejus (filii) obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorificè, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere.

196. Requiritur proinde gravis necessitas parentum, quæ filium ab ingressu religionis impediat. Quænam autem sit gravis parentum necessitas, regulâ certâ vix definies: igitur hoc arbitrio prudentûm dijudicandum & relinquendum censet Mostazzo *d. cap.* 9. *num.* 51. totum relinquens religioni, id est, conscientiæ & prudentiæ judicantis.

197. Ast Velasco *loc. cit. quæst.* 11. *à num.* 21. discernit inter ingressurum ex voto, & ingressurum absque voto. Ut ingressus à voto sejunctus suspendatur, non requiritur extrema parentum indigentia; sed sufficit magna, quæ latitudinem habet. Magnam verò necessitatem vel paupertatem dicit, si parentes in decentia statûs sui notabilem jacturam subire cogerentur, ex. gr. si nobiles ex stemate autem mechanicam exercere, mendicare, aut aliis famulari tenerentur cum notabili statûs sui diminutione: quare ingressus per hoc non impediretur, quòd parciùs, nec ita commodè, aut honorificè vivere possent, Conferantur dicta *quæst.* 32. Hæc de Piis Causis.

*In omnibus glorificetur DEUS.*

# INDEX ALPHABETICUS, RERUM, ET VERBORUM. TOMI SECUNDI.


## A.

*Acceptatio.*

ACceptatio regulariter requiritur ad jus proprietatis. tr. 14. n. 66.
Utrùm ex taciturnitate præsentis promissarii sit præsumenda acceptatio. n. 72.
Acceptatio ex commissione nomine alterius facta est valida, citrà commissionem facta invalida. n. 73. Secuta primùm post mortem promittentis nullum sortitur effectum. n. 76. diluuntur contraria n. 77. usque ad n. 83.

*Accessio.*

Accessione aquiritur dominium juris gentium. tr. 14. n. 387. Estque duplex, naturalis, & artificialis. ibid. quid illa n. 388. & quid hæc sub se comprehendat. n. 390.

*Acedia.*

Definitur, quòd sit tristitia de Bono D. tr. 11. n. 364. Reputatur pro mortali, vel veniali peccato. n. 365. numerat quinque filias n. 366. & seq.

*Actus.*

Quinam sint actus hominis, quinam actus humani? tr. 10. n. 4.
Omnes actus humani sunt propter finem. n. 5. occurritur objectionibus. n. 6. & seqq.
Actus virtuosus peccatoris, procedens radicaliter ex amore ipsius operantis, non est peccaminosus. n. 30.
Actus Spei Theolog. informis pro fine cui respicit ipsum sperantem. n. 31.
Actus metûs causâ eliciti sunt voluntarii simpliciter, & involuntarii secundùm quid. n. 62. Objectiones refelluntur. n. 64. usque ad n. 72.
Accipiunt speciem essentialem ab objecto. n. 184. à circumstantiis. n. 185. & à fine operantis. 186. & seq.
Non dari actum in individuo indifferentem, probatur authoritate. n. 192. ratione. n. 193. & fundamenta Scotistarum removentur. n. 196. & seqq.
Idem numero actus nequit simul esse bonus, & malus. tr. 11. n. 196. opponuntur, & solvuntur contraria. n. 200. & seqq.
Idem actus externus potest transire de bono in malum. n. 211. Secus internus. n. 212.
Actus merè interni subjiciuntur Potestati S. Pontificis. tr. 17. n. 105.

*Advertentia.*

Alia est plena, alia Semiplena tr. 11. n. 263. ad delectationem morosam sufficiens assignatur. n. 266. & seq.

*Anabaptistæ.*

Anabaptistæ reprobant Psalmos Davidicos tr. 7. n. 82. horum denominatio & origo n. 237. item diversa eorundem nomina. n. 238.

*Angelus.*

Angelis, & Protoparentibus in statu innocentiæ speciale donum perseverantiæ necessarium fuit. tr. 7. n. 136.

*Apostata.*

Apostatas non esse tolerandos monstratur ex S. Scriptura tr. 7. n. 568. jure civili. 570. jure canonico. n. 572. & ratione. n. 573.

*Appetitus.*

Appetitus quomodò in voluntatem influat. tr. 11. n. 226.
Dividitur in duas potentias. n. 227. estque distinctus à concupiscentia habituali. n. 228.
Utrùm in appetitu sensitivo possit esse peccatum veniale sine influxu voluntatis? n. 234. fundamenta, & Patroni sententiæ affirmativæ præmittuntur. n. 235. sequitur Conclusio negativa n. 244. Satisfit fundamentis adversariorum. n. 250. quorum considerationi relinquuntur duæ propositiones damnatæ. n. 259.
Statuuntur ad rem tres regulæ dignoscendi, quando motus inordinati possint vel non possint excusari à veniali. n. 260.

*Arduitas.*

Arduitas non constituit objectum formale *quo* spei. tr. 8. n. 5.

*Augustana Confessio.*

Augustanæ Confessionis descriptio tr. 7. n. 241. Unde sortita sit nomen Augustanæ? n. 242. Hanc non esse certam fidei, nec tutam salutis regulam ostenditur. n. 245. & seqq. occurritur argutiis Novatorum. n. 260.

*Avaritia.*

Quid, & quale sit peccatum. tr. 11. n. 348. Est insanabilis. n. 351. Remedia. num. 352.

*Auxilium.*

Auxilium sufficiens subdividitur in remotè, & proximè sufficiens. tr. 9. n. 154.

DEUS omnibus hominibus præparat auxilia sufficientia ad salutem. n. 155.

Item à Deo omnibus adultis, Infidelibus, & excœcatis dari auxilia remotè sufficientia probatur contra Jansenistas, & Calvinistas. n. 163.

Primum auxilium non est formaliter actus vitalis intellectus, vel voluntatis num. 220. neque actus vitalis ùt dependens à Decreto Dei, sed est virtuosa, & transiens motio Dei, ibid. vide *Gratia.*

## B.

*Beneficium.*

Beneficium competentiæ quid sit. tr. 16. n. 187. fuit introductum pro omni Clericorum Ordine. n. 188. Defendit contra omnem actionem realem, & personalem. n. 189. Excipe commodatum &c. ibid. Hoc Beneficium ex diversis causis suo effectu privatur. n. 191.

*Bestialitas.*

Quid sit? tr. 11. n. 324. afficitur iisdem pœnis, quibus sodomia. ibid.

*Bona.*

Temporalia ad salutem conducentia justus defacto meretur. tr. 8. n. 224.

## C.

*Cæremonia.*

Cæremoniæ Etymon. tr. 17. n. 305.

Cæremonias Ecclesiasticas turpiter calumniantur antiquiores, & moderni hæretici. n. 306.

Contra hos pugnat S. Scriptura. n. 309. item tota Antiquitas, Summi Pontifices, Concilia, SS. Patres &c. n. 314.

Cæremoniæ Mysteriis plenæ, sed à Calvino contemptæ, exponuntur. n. 315.

*Calvinus.*

Calvinus asserit, Ecclesiam veram sub visibili Capite defecisse. tr. 7. n. 121. Hujus erronea dogmata. n. 224.

Calvinus secutus exemplum Lutheri à se ipso dissentit. n. 225. & seqq.

*Cantus.*

Cantus Psalmodiæ non est signum & nota veræ Ecclesiæ. tr. 7. n. 81. & seqq. Occurritur instantiis novatorum. n. 89. usque ad n. 93.

*Catechumenus.*

Utrùm Catechumeni verè sint de Ecclesia? tr. 7. n. 29.

*Causa Pia.*

Duplicî piæ causæ definitione rejectâ. tr. 16. n. 1. Ponitur tertia, & genuina. num. 2.

Pro dispositione ad piam causam sufficit causa existimata. n. 4.

Utrùm censeatur causa pia, si quid diviti n. 5. vel pauperi consanguineo relinquatur. n. 9. & seqq.

Relictum pro redimendis captivis, n. 12. Nec non pro excarcerandis pauperibus pro pia causa habetur. n. 13.

Idem tenendum, quando puellam pauperem dotandi. n. 14. Item Concubinam aut meretricem ad meliorem frugem reducendi gratiâ aliquid relinquitur. n. 15.

Quid dicendum de expensis ad studia relictis expenditur. n. 16. & seqq. item quando Scholari consultiùs exsolvantur. n. 19.

Dispositionis ad piam causam etiam major viginti annis capax agnoscitur. n. 21. Quam licitè secum in Monasterium transfert. n. 22.

Privilegia piæ causæ in testamentis, & Legatis concessa. n. 28. item alia piæ causæ privilegia, præsertim favorem Ecclesiarum concernentia. n. 47.

Puella Religionem ingrediens dispositionem pro pauperibus maritandis factam licitè accipit. n. 5. & seqq.

Si Puellæ legentur mille, si nupserit; ducenta, si Monialis fiat, Monialis facta recipit mille. n. 54.

Occultè deflorata à legato pro virginibus maritandis relicto non excluditur. num. 60. In causis piis puellæ orphanæ impropriè sumptæ æquiparantur propriè dictis. n. 61. quibus etiam annumerantur puellæ expositæ. n. 64.

An, & qualiter S. Pontifex pias causas commutare valeat? n. 100. & seqq.

In æquale, vel in melius commutare possunt Episcopi. n. 107. Eadem potestas Sede Episcopali vacante conceditur Capitulo. n. 108. & seqq.

Ex quibus causis Episcopi pias causas commutare possint, & soleant. n. 111.

De pia causa Oblationum. & Eleemosinæ vide *Oblatio, Eleemosina.*

*Cessio Bonorum.*

Quid sit, & quomodo à restitutione re excuset. tr. 15. n. 39.

*Character.*

Characteris descriptio. tr. 17. n. 275. Est entitas physica pertinens ad secundam qualitatis speciem. ibid.

Hujus subjectum proximum est intellectus practicus. n. 304.

*Charitas.*

Cur inter virtutes Theolog. secundùm Apostolum dicatur major. tr. 8. num. 29.

Charitatis Theologicæ definitio. n. 30. Ejus objectum formale *quod* est Bonitas Divina in se ipsa super omnia amabilis. n. 31. Formale *quo* Bonitas naturæ D. formaliter involvens Bonitatem essentiæ, attributorum. ibid.

Objectum primarium est DEUS, secundarium proximus, rationem formalem Bonitatis à Deo participans. n. 32.

Charitas Dei, & proximi, ob bonitatem à Deo participatam dilecti, est una specifica virtus. n. 35.

Actus charitatis remissior habitu de condigno meretur augmentum gratiæ &c. n. 37.

Intensio Charitatis, & gratiæ non fit per novas entitates partiales n. 43. neque earum intensio directè minuitur peccatò veniali. n. 44. & seqq.

Quando præceptum Charitatis Dei & proximi obliget. 48. 49.

Actus Charitatis physicè procedunt à gratia habituali. n. 130. satisfit objectionibus. n. 132. usque ad n. 140.

*Christianus.*

Utrùm liceat Christianis uti vestibus, vel aliis notis infidelium. tr. 7. n. 562.

*Christus.*

In Christo non fuit spes Theologica. tr. 8. n. 8.

Non solùm quà Deus, sed etiam quà homo instituit Sacramenta. tr. 17. n. 159.

*Circumstantia.*

Quomodo circumstantiæ tribuant actui bonitatem, vel malitiam. tract. 10. num. 185.

*Clerici.*

Sunt veri Domini reddituum superfluorum. tr. 14. n. 155. Quos ex debito præcepti Ecclesiastici, non justitiæ in pios usus erogare obligantur. n. 172.

Distributiones quotidianæ separatæ ab ipsis præbendis dependent à sola, & libera dispositione Clericorum. n. 180. Secus Distributiones non separatæ. n. 181. & seqq.

Superflua in quales pauperes distribuant Clerici. n. 188. item quænam in congrua Clericorum sustentatione comprehendantur. n. 189. & seqq

Clerico nobiliori, & doctiori plura pro congrua sustentatione assignantur. num. 191.

*Commodatum.*

Commodati descriptio. tr. 15. n. 68.

Commodatarius præferens res proprias alienis in foro interno, & ante judicis sententiam non obligatur ad compensationem rei alienæ. n. 71.

*Compensatio.*

Promissione juratoriâ compensationi renuncians, nullatenus debitum compensare valet. tr. 15. n. 20. Non item si simpliciter, & sine renunciatione compensationis juraverit. n. 23. & seqq.

Compensatio respectu Principis, Civitatis &c. ex dispositione juris civilis est prohibita. n. 26. item respectu rei Depositæ ibid. quam tamen cautionem civilem in foro interno obligare negamus. n. 27. & seq.

*Concilium.*

Concilia Generalia, nisi Auctoritate S. Pontificis Congregata, & approbata, leges universales ferre nequeunt. tr. 13. n. 79. sequuntur formulæ subscriptionum in Conciliis consuetarum. ibid.

Quo titulo Imperatores, Reges, aut illorum Legati Conciliis Generalibus assistant. n. 80.

Omnia Concilia Oecumennica, & authentica referuntur. n. 81.

Qualis potestas legislativa concessa sit Conciliis Nationalibus, Provincialibus num. 82. Nec non Prælatis Regularibus. num. 83.

*Concubinatus.*

Concubinatus est duplex. tr. 11. num. 114. Pertinet ad speciem fornicationis. ibid.

Concubinarius ante expulsionem concubinæ licitè non absolvitur Sacramentaliter. 116. Respondetur quibusdam instantiis. n. 113.

*Concupiscentia.*

Quid, & quotuplex sit? tr. 10. n. 93.

Concupiscentia antecedens non minuit, sed auget voluntarium imperfectum. n. 94. Perfectum quandoque minuit, quandoque tollit. n. 95.

Disparitas inter concupiscentiam, & metum. n. 97.

Concupiscentia habitualis distinguitur ab appetitu sensibili. n. 228.

*Conscientia.*

Conscientia describitur tr. 12. n. 1. Dictamen Conscientiæ rectæ pertinet ad habitum prudentiæ, irrectæ ad habitum imprudentiæ. n. 2. Varia principia practica conscientiæ, ibid.

Conſcientia vera quid ſit? quid erronea. n. 9.
Veritas Conſcientiæ quandoque eſt ſolùm practicè, quandoque ſpeculativè & practicè ſimul perfecta. Item ex quo dignoſcenda practica rectitudo conſcientiæ. n. 10. Rejicitur opinio Maſtrii. num. 12.
Conſcientiæ invincibiliter erroneæ obſequi tenemur. 18. etiam contra præceptum Superioris. n. 27. non item conſcientiæ dubiæ ibid. & ſeqq.
Agere contra conſcientiam non eſt ſpeciale peccatum. n. 30. Satisfit Agneſto. num. 31.
Conſcientia proponens obligationem ſine quantitate malitiæ excuſat à mortali. n. 35.
Ad peccatum contra dictamen conſcientiæ invincibiliter erroneæ non ſufficit dictamen habituale, ſed requiritur inſuper actuale, vel virtuale. 37.
Peccatum veniale ob gravitatem à conſcientiâ erronea propoſitam aſſumit rationem peccati mortalis. n. 38.
Conſcientia invincibiliter erronea tribuit actui eandem honeſtatem, & ſpeciem virtutis erroneè propoſitæ. n. 39.
Conſcientia dubia quid, & quando cum hac operari licitum, vel illicitum ſit. n. 52.
Conſcientia dubia dubio *juris* non obligatur lege vel præcepto. n. 54. Solvuntur Objectiones. n. 57. usquè ad n. 68. quid tenendum in dubio *facti* reſolvitur n. 69. & ſeqq.
Natura conſcientiæ ſcrupuloſæ exponitur. n. 82. ſtante ſcrupulo conſcientia poteſt eſſe certa, vel probabilis. n. 83.
Indicium conſcientiæ ſcrupuloſæ. n. 85. Ejus cauſæ, & radices. n. 86. item contra eandem remedia præſcribuntur. num. 87.
Conſcientia probabilis explicatur. n. 97. & ſeqq.

*Conſtitutiones.*

Imperiales cur Receſſus Imperii dicantur. tr. 13. n. 91.

*Contritio.*

Contritio per abſolutam Dei potentiam nequit eſſe forma juſtificans. tr. 8. num. 126.
Actus contritionis phyſicè procedit à gratia ſanctificante, n. 130.

*Contractus.*

Quid, & quotuplex ſit. Tract. 15. n. 56. & ſeqq.

*Culpa.*

Alia eſt Theologica, alia juridica tr. 15. n. 96. qualis requiratur ad obligationem reſtitutionis in conſcientia. num. 97. & ſeqq.

**D.**

*Damnati.*

In damnatis non remanet habitus ſpei Theologicæ. tr. 8. n. 7.
Primum peccatum Angelorum damnatorum fuit peccatum ſuperbiæ. tr. 11. n. 501. & ſeqq.
Damnati pluribûs, quàm ſolâ pœnâ ignis cruciantur. n. 540.
Utrùm vermis n. 541. Et fletus damnatorum ſit corporalis. n. 242.
Damnati ſunt in tenebris corporalibus. n. 543. & ſine pœnitentia de malo commiſſo. n. 547.
Quomodò vellent non eſſe. n. 548. & notitiâ in mundo aquiſitâ utantur. n. 553. Vident gloriam Beatorum. n. 554.

*Debitum.*

Debiti proximi, & remoti diſcrimen. Tract. 11. n. 469.
Utrùm B. V. contraxerit debitum proximum peccati originalis? vide Maria.

*Delectatio.*

Ad delectationem moroſam, ut ſit mortale, qualis requiratur advertentia. tr. 11. n. 266. & ſeq.
Delectatio venerea ſumit levitatem, & gravitatem à qualitate objecti. n. 268.
Conſenſus in delectationem veneream extrà ſtatum matrimonii eſt peccatum mortale. n. 273. elinguantur in ſpeciem contraria. n. 274. usque ad n. 280.
Delectationis venereæ deſcriptio. n. 281. diverſæ cauſæ quibûs delectatio venerea excitatur. n. 282. vide *Luxuria*.
Delectationes ſunt ejusdem ſpeciei cum opere externo. n. 305. Occurritur inſtantiis. n. 308. & ſeqq.

*Detractio.*

Detractionis definitio. Tract. 15. num. 108. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale. n. 109.
Detractor obligatur ad reſtitutionem famæ, & damni. n. 110. Quandoque tamen abſolvitur à mortali. n. 111. & reſtitutione. n. 112.

*Diabolus.*

Quomodò Diabolus poſſit eſſe, & ſit cauſa peccati. tr. 11. n. 384. & ſeqq.

*Dilectio.*

Homo lapſus ſine auxilio ſupernaturali poteſt diligere Deum ut Auctorem naturalem. tr. 9. n. 87. & ſeqq.

*Diſpenſatio.*

Diſpenſatio legis quid ſit, & quis eandem exercere poſſit. Tract. 13. n. 120. & ſeq.
Ad legitimam diſpenſationem in lege poſitiva humana neceſſaria eſt diſcuſſio cauſæ. n. 122.

Causæ quædam particulares, quarum intuitu S. Pontifex in lege Ecclesiastica dispensare solet. ibid.

Dispensatio à summo legislatore facta ex causa injusta est illicita: facta ab inferiori est simul invalida. n. 122.

Dispensatione à Supremo illicitè concessâ, licitè uteris. ibid.

*Distributio.*

Distributiones quotidianæ sub distinctione dispositioni Clericorum subjiciuntur. tr. 14. n. 180.

*Dominium.*

Diversæ definitiones Dominii tr. 14. n. 89. item divisiones. n. 90. Illarum optima est, quòd sit potestas de re immediatè disponendi &c. n. 94. & seqq.

Quid nomine *Dominii in solidum* veniat. num. 100.

Præmissis fundamentis sententiæ affirmantis, & negantis Dominium ejusdem rei in solidum. n. 101. Eligitur sententia affirmativa. n. 117. Respondetur argumentis contrariis num. 118. usque ad num. 122.

Dominium est separabile ab usu in rebus unico usu consumptibilibus. n. 132. & seqq.

Dominiô reddituum superfluorum gaudent Clerici. n. 155. vide *Clerici.*

De Dominio Religiosorum, vide *Religiosus.*

Item de Dominio Peculii. Vide *Peculium.*

Quale dominium rerum sit inter conjuges expenditur à num. 243. usque ad num. 265.

Summæ Potestati negatur dominium in vitam civium. n. 270. & seqq. Similiter cuilibet in se ipsum. n. 279. Satisfit oppositis. n. 180.

Dominium in famam subditorum nulli competit potestati. n. 296. nisi ipsis subditis. n. 297. & seqq.

Utrùm, & quomodò per inventionem n. 370. item per accessionem Dominium aquiratur. num. 386. vide *Inventio. Accessio.*

*Dubium.*

Dividitur in dubium *juris*, & *facti*. Tract. 12. n. 50. In speculativum, & practicum. n. 51.

E.

*Ecclesia.*

Præmissâ definitione hæreticâ. tr. 7. num. 1. Ponitur Ecclesiæ Militantis definitio Catholica. n. 2.

Ecclesiam Militantem non ex solis prædestinatis constitui, probatur, & defenditur contra Wicleffum, Hufs &c. n. 3. & 4. Objectiones hæreticorum repelluntur. n. 5. usque ad n. 17.

De Ecclesia nec sunt infideles. n. 18. nec Hæretici, & Apostatæ. n. 19. Neque Schismatici. n. 12. & seqq. non item Excommunicati sententiâ injustâ. n. 28. Et Catechumeni. n. 29.

Lutherani Ecclesiam militantem invisibilem, & à Deo desertam prætendunt. n. 30.

Septem signa veræ Ecclesiæ assignat Lutherus. n. 35. Alii duo, ibid. Confessio Augustana plura. n. 36.

Symbolum Nicænum quatuor exprimit. n. 37. Explicantur. n. 38. & seqq. Quæ etiam soli Romanæ Ecclesiæ, minimè alicui Acatholicæ convenire per extensum ostenditur. n. 43. usque ad n. 63. & seqq.

Psalmodiæ cantus non habetur pro signo, & nota veræ Ecclesiæ. n. 81.

Veram Ecclesiam nec defecisse, nec deficere potuisse sub Visibili Capite contra Calvinum & alios probatur ex S. Script. SS. PP. n. 122. Justiniano Imperatore. n. 123. & deniqueex dissonis testimoniis Lutheri, & Calvini Sectatorum. n. 126.

Collatio Ecclesiæ Catholicæ veteris cum hodierna, olim Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi proposita. n. 146.

Ecclesiæ reformationem quo Zelo, & Authoritate attentârit Lutherus. n. 149. item quibus erroribus Ecclesiam Dei deformaverit. n. 160.

Catholici probando S. Biblia per Ecclesiam, & vicissim non committunt circulum vitiosum. n. 264. Secus Acatholici. n. 280. & seqq.

*Eleemosyna.*

Eleemosinæ largitio est actus Charitatis. tr. 16. n. 150. & seqq. procedit elicitivè à virtute Misericordiæ, imperativè, & effectivè à Charitate. n. 152.

Eleemosinæ opera distinguuntur in corporalia, & Spiritualia. num. 153. Corporalia præstant effectum spiritualem. num. 155.

Eleemosina utrùm, & quando sub præceptum cadat. n. 157. & seqq.

Propria necessitas absolvit à præcepto Eleemosinæ. n. 162.

Habens superflua pauperibus in omni necessitate succurrere. num. 165. Imò, talis etiam pauperes inquirere n. 172. Et Advocati eorum causam suscipere sub præcepto tenentur, ibid. Hoc quoque præcepto singuli afficiuntur divites. num. 173.

Utrùm, & quando licitum sit dare Eleemosinam de rebus injustè vel illicitè aquisitis? n. 174. & seq. item quibus sit prohibitum facere Eleemosinas. num. 178.

Sub præcepto Eleemosinæ comprehenduntur non solùm Christiani justi, & amici sed & infideles injusti, & inimici. n. 182.

*Epikia.*

Epikiæ, & interpretationis differentia. tr. 13. Epikiam aversatur jus naturale. n. 29. Secus positivum. n. 30.

*Error.*

Dividitur in formalem, & virtualem. Tract. 11. n. 386. Item in practicum, & speculativum. ibid.

*Excæcatio.*

Excæcatio & induratio peccatorum describitur. tr. 11. n. 369.
Utrùm, & quomodo DEUS dicatur causa excæcationis in peccato. n. 370. usque ad n. 81.

*Excommunicatus.*

Excommunicatus sententiâ injustâ adhuc censetur esse de Ecclesia. tr. 7. num. 28.

*Expositi.*

Puellæ expositæ in piis legatis annumerantur Orphanis. tr. 16. n. 64.

F.

*Fictio.*

Fictionis duplex acceptio. tr. 17. n. 122. Utrùm Sacramenta fictione remotâ causent gratiam. vide *Sacramenta.*

*Fides.*

Fides diversimodè sumitur in S. Scriptura. tr. 7. n. 432.
Fidei definitio explicatur. n. 433. Est vera virtus supernaturalis Theolog. num. 435.
Fides formata est virtus simpliciter, secus informis. n. 436.
Hæretici de distinctione Fidei formatæ, & informis convincuntur ex S. Scriptura. n. 446. & seqq.
Objectum formale *quod* Fidei. n. 455. & formale *quo*. n. 457. item objectum materiale assignatur, & explicatur. num. 458. usque ad n. 466.
Ad actum fidei Theolog. non sufficit revelatio ex parte rei privata. n. 468.
Actus Fidei stat cum evidentia Divinæ testificationis. n. 475. diluuntur objectiones. n. 479. usque ad n. 490.
Mysteria Fidei sunt evidenter credibilia tam fide humanâ quàm Divinâ. num. 491.
Ad præstandum assensum in rebus Fidei necessariò requiritur pia affectio voluntatis. n. 492.
Assensus Fidei D. est certissimus appretiativè. n. 493. Cui neque ex parte revelantis neque credentis falsum subesse potest. n. 494. & seq.
Fides habitualis est necessaria necessitate medii. n. 519. Quæ tamen in adultis non sufficit. n. 519.
Fides in Christum implicita in veteri lege necessaria fuit necessitate medii. n. 520.
Fides implicita in Christum explicatur. n. 521.
Quænam in nova lege fide actuali, explicita necessitate medii credenda sint. n. 523. & seqq. item quænam necessitate præcepti. n. 537.

*Finis.*

Omnis actus humanus est propter finem ultimum. tr. 10. n. 12.
Finis *cui* simpliciter ultimus peccatoris est ipse peccator; finis *qui* est bonum peccatoris. n. 13. & seqq.
Finis verò simpliciter ultimus & adæquatus est bonum proprium se extendens ad omnia bona. n. 16. & seqq.
De fine ultimo venialiter peccantis, *vide Peccator.*
Homo nequit appetere plures fines ultimos adæquatos. n. 45. solvuntur objectiones. n. 47. & seqq.
Finis operantis, & extrinsecus tribuit actui speciem bonitatis, & malitiæ. n. 186. & seqq.

*Furtum.*

Gravitas materiæ in furto censetur ex circumstantiis. tr. 15. n. 106. Item
Res furtiva cui restituenda sit. n. 107. vide *Causa pia.*

G.

*Gratia.*

Intensio Gratiæ habitualis non fit per entitates reales. tr. 8. n. 43. neque peccata venialia ejus intensionem directè minuunt. n. 44. & seqq.
Gratiæ gratum facientis, & gratis datæ explicatio, & distinctio. n. 65.
Gratia Sanctificans est justitia realiter inhærens animæ. n. 69. & seqq.
Est participatio naturæ Divinæ ùt natura est. n. 72. & unica causa nostræ justificationis. n. 95. item: per eandem adoptamur in Filios Dei absque favore aliquo extrinseco. n. 100.
Probabiliùs per absolutam Dei Potentiam nequit esse cum peccato mortali in eodem subjecto. n. 154. Probatur. n. 155. & defenditur usque ad n. 163.
Absque revelatione nullus est certus de Gratia, & justificatione. n. 165. & seqq.
Gratia habitualis educitur à solo Deo ex potentia obedientiali animæ. n. 174.
Primam Gratiam habitualem nemo meretur de condigno. n. 198. neque de condigno, vel congruo gratiam finalem. n. 218. Probatur ex Concil. Trid. ibid. & ratione D. Thomæ. n. 219.
Diversæ acceptiones gratiæ. tr. 9. n. 1.
Hæreses circa gratiam. n. 3.

Gratiâ speciali non indiget homo lapsus ad cognoscendas omnes Veritates speculativas divisivè sumptas. n. 16. neque ad aliquas practicas. n. 20. Sed ad omnes collectivè sumptas. n. 21. opponuntur, & solvuntur contraria. n. 22. usque ad n. 39.

Non est necessarius status gratiæ ad opus moraliter bonum intra ordinem naturalem. n. 41. item nec gratia specialis ad opera virtutis imperfectæ. n. 43. & seqq. Excipe opera difficiliora. n. 62.

In statu naturæ lapsæ tentationes leves possunt superari sine gratia speciali. n. 64. Non item omnes collectivè. n. 75. Neque tentatio gravis. n. 76. Solvuntur objectiones. n. 78. & seqq.

Pro implendis præceptis, & superandis tentationibus gravioribus requiritur duplex auxilium. 84.

In homine lapso datur potestas antecedens ad dilectionem Dei ut Authoris naturalis sine gratia supernaturali. n. 86. item potestas consequens. n. 98. & seqq.

Ad cognitionem veri Supernaturalis. n. 115. Nec non ad operationem supernaturalem requiritur gratia supernaturalis. n. 117. diluuntur opposita usque ad n. 124. Similiter ad finalem Perseverantiam specialissimum gratiæ donum. num. 126. & seqq.

Gratia dividitur in sufficientem, & efficacem. n. 139. in operantem, & cooperantem. 140. In prævenientem, concomitantem, & subsequentem. n. 142. in excitantem, & adjuvantem. n. 143.

De Gratiæ sufficientis necessitate convincitur Jansenius. n. 144. & seqq.

Omnibus hominibus præparantur media sufficientia ad salutem. n. 155. Nec non de facto omnibus adultis, infidelibus & obduratis communicantur auxilia remotè sufficientia. n. 163. eliduntur Argumenta Jansenii. n. 165. & seqq.

Utrùm faciens quod est in se ex solis viribus naturæ infallibiliter consequatur gratiam. n. 179. Præmissis Semi-pelagianorum & Molinæ rationibus ibid. resolvitur negativè. n. 184. Ad rationes antecedentes respondetur. n. 189. & seqq.

Gratia habet suam efficaciam ab intrinseco, antecedenter ad effectum. n. 195.

Respondent Jesuitæ ad octo puncta de efficacia gratiæ à Dominicanis proposita. n. 200. & seqq.

Doctrina Thomistarum de intrinseca efficacia gratiæ defenditur contra quosdam calumniatores à Clemente XI. n. 217. & Benedicto XIII. n. 218.

Gratia Sacramentalis quomodo distinguatur à non Sacramentali. Tract. num. 176. & seqq.

*Gula.*

Gulæ definitio. tr. 11. n. 360. item quinque gulæ species. n. 361.

Est ex genere suo solùm veniale. n. 362. Procreat quinque filias. ibid. & quatuor præcipua mala. n. 363.

## H.

*Hæretici.*

Negant distinctionem fidei formatæ, & informis. tr. 7. n. 446. item existentiam peccati originalis. tr. 11. n. 426. vide *Peccatum.*

Hæreticorum discrepantia in assignando Sacramentorum numero. tr. 17. n. 15.

Antiquiores, & moderni hæretici Cæremonias Ecclesiasticas calumniæ, & contemptui habent. n. 306.

*Hospitale.*

Dicitur ab hospitibus. tr. 16. n. 23. Plura sub hoc nomine comprehenduntur. num. 24.

Hospitale sine Auctoritate Episcopi erectum sed perpetuum assumit rationem Causæ piæ. n. 25.

Privilegia hospitali auctoritate Episcopi erecto concessa. n. 26.

*Ignorantia.*

Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter. tr. 10. n. 99. Concomitans involuntarium negativè. n. 100. Consequens involuntarium secundùm quid. n. 101. & seqq.

Ignorantia quænam, & quando antecedens, culpabilis, affectata, item crassa, & supina dicatur. tr. 12. n. 13.

Ignorantia invincibilis dividitur in ignorantiam *juris & Facti.* n. 20.

Non datur ignorantia invincibilis primorum principiorum. n. 40. Utrùm, & quando possit dari respectu juris naturalis. n. 40. usque ad n. 49.

*Immunitas.*

Immunitas Ecclesiastica est triplex. tr. 14. n. 334.

Immunitas personarum in genere est juris D. n. 335. Non item in particulari. n. 336. Respondetur objectis. n. 337. & seqq.

Violatores Immunitatis realis & personalis incurrunt excommunicationem latæ sententiæ. n. 340.

*Incestus.*

Gradus consanguinitatis, & affinitatis in incestu est exprimendus. tr. 11. n. 321.

*Indifferentia.*

Quid sit indifferentia contrarietatis, & contradictionis. tr. 10. n. 127.

Non prior, sed secunda est de essentia libertatis. n. 129. Objectiones solvuntur. n. 131. & seqq.

*Infideles.*

Infideles non sunt membra veræ Ecclesiæ. tr. 7. n. 19.

Inno-

*Innocens.*

Pro salute totius regni non licet occidere innocentem. tr. 14. n. 270. Nec hosti cum periculo vitæ extradere. num. 271. & seqq.

Utrùm Judex possit innocentem, qui probatus nocens, condemnare? n. 285. exposito casu ibid. resolvitur quidem negativè. num. 287. Sed affirmativè, si talem alio medio liberare nequeat. num. 295.

*Intellectus.*

Quomodo dicatur movere voluntatem. tr. 11. n. 230. & seqq. Imperium practicum intellectus quid sit. n. 231. Præsupponit motionem voluntatis. n. 232.

*Intentio.*

Est triplex: Habitualis, virtualis, & actualis. tr. 17. n. 249.

Ut Minister validè conficiat Sacramentum debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. n. 259. Et sine conditione de futuro contingenti. n. 2560.

Intentio virtualis sufficit pro valore Sacramenti, sed actualis suadetur: quæ tamen nunquam stringenda ad certam personam. n. 261. pro meliori hujus intelligentia ponuntur duo casus. ibid.

Utrùm, & qualis requiratur intentio ex parte fructuosè suscipientis Sacramenta. num. 263.

*Inventio.*

Inventio est modus aquirendi Dominium. tr. 14. n. 370.

Quæritur, utrùm res inventa sit priùs videntis, vel aprehendentis. n. 371.

Jure gentium minoralia &c. in loco publico primò invenienti. n. 372. in loco alieno detecta fundi domino debentur. ibid.

Cujus sit Thesaurus inventus sub distinctione resolvitur. n. 373.

Ob thesaurum in agro empto absconditum non augetur pretium. n. 378.

Inventione rerum derelictarum aquiritur verum dominium. n. 382. diluuntur contraria. n. 383.

*Invidia.*

Quid sit. n. 353. & quibus curanda mediis tr. 11. n. 354.

*Ira.*

Quid, & quale peccatum sit ira tr. 11. n. 355. tres iratorum species. ibid.

Quando sit mortale, vel veniale. n. 356. Remedia. n. 357. item diversa quæ causat mala. n. 358.

*Jus.*

Jus naturale in quo consistat? vid *lex.*

Juris gentium definitio tr. 13. n. 31.

Præmissa definitione juris proprietatis, sequitur ejusdem divisio. Tract. 14. num. 55.

Utrùm detur jus mixtum disputatur. n. 56. usque ad n. 64.

Ad consequendum jus proprietatis requiritur acceptatio. n. 66. item

Quando acceptatio censeatur efficax ad causandum jus proprietatis. n. 72.

*Justificatio.*

De Nomine Justificationis, & justitiæ. tr. 8. n. 51. & seqq.

Hæresis Lutherana justificationem nostram adjudicat soli fidei. n. 59. Calviniana imputationi justitiæ Christi. n. 63.

Doctrina Vera, & Catholica uni, & soli gratiæ habituali n. 95. & seqq.

Homo lapsus per absolutam Dei potentiam non potest justificari per actum dilectionis, vel contritionis. n. 126. Probabilius tamen potest justificari de absoluta Dei potentia sine retractatione peccati præteriti. n. 172.

Justificatio quomodo sit & dicatur opus maximum. n. 173.

*Justitia.*

Justitiæ definitio tr. 14. n. 1. Objectum formale *quod* n. 2. formale *quo* assignatur. n. 3.

Justitiæ medium est medium rei. n. 4. Respondetur ad instantias. n. 6.

Justitia convenienter dividitur in generalem, commutativam, & *distributivam.* n. 19. 20.

In Justitia distributiva dignitas personarum sumitur ex diverso capite, & diversis moribus. n. 22.

Justitia vindicativa ad quamnam justitiæ speciem sit reducenda. n. 23.

Justitiæ objectum remotum est homo. n. 24. Proximum voluntas. ibid.

Justitia commutativa in Deo erga *hominem* negatur. n. 30.

Neque Justitiam distributivam in Deo. n. 40. Nec legalem esse, colligitur. ibid. Quomodò verò vindicativa in Eodem concedi possit, ostenditur. n. 41.

Similiter nec justitia commutativa in homine erga Deum conceditur. n. 48. & seqq. Item nec inter Patrem, & filium quà talem justitia rigorosa. n. 239. Secus inter Patrem, & Filium quà hominem. num. 240. & quoad bona peculii profectitii. n. 241.

Utrùm, & qualis justitia reperiatur inter servum, & Dominum. n. 242.

## L.

*Legatum.*

Legatum puellæ maritandæ relictum, Religionem ingredienti licitè exhibetur. tr. 16. n. 50.

Legatum pro Virginibus maritandis etiam occultè deflorata participat. n. 60. similiter

liter puellæ orphanæ impropriè dictæ legatum orphanarum consequuntur. num. 61.
Legatum certæ puellæ pro nuptiis relictum, morte puellæ extinguitur 65.
Legatum mobile pro anniversario perpetuo debet sub pœna interdicti converti in res immobiles. n. 67. Quid in sub nomine rerum immobilium veniat? n. 71. Item quo tempore obligatio adimplendi missas incipiat. n. 72.
Legatum pro missis relictum valet sine expressione Ecclesiæ. n. 73. cui verò debeatur, expenditur. n. 74.
Commodum legati pro missis alicui Capellæ relicti pertinet ejusdem Rectori. num. 75.
Expenditur alia difficultas si quis tam tempore testamenti conditi, quàm mortis duabus Parochiis subjectus Ecclesiæ Parochiali aliquid indeterminatè relinquat. n. 76. vel si tempore mortis, & testamenti in alia parochia exsterit. n. 77.
Legatum missarum pro Ecclesia collegiata distribuitur inter Canonicos, & cæteros Beneficiatos. n. 78. secus si restrictivè ad Capitulum fuerit dispositum. n. 79.
Privilegia legatorum, quæ pro malè ablatis relinquuntur. n. 84. usque ad n. 93.
Utrùm in legatis piis Detractio Falcidia n. 96. Vel Trebelliana locum habeat. n. 97. vide *causam piam.*

*Lex.*

Lex naturalis in quo consistat? tr. 13. n. 1. Procedit à Deo tanquam vero Legislatore. n. 2. Solvuntur opposita. n. 3. & seqq.
Lex naturalis dividitur in affirmativam, & negativam. n. 17. Divisio in primariam, & secundariam non placet. n. 18. recipitur permissiva. n. 19.
Lex naturalis formaliter, & directè est immutabilis. n. 20. indirectè mutabilis. n. 22. & seqq.
Lex naturalis approbat præscriptionem. n. 25. item Matrimonium Fratrem inter, & Sororem. n. 27. Non item Epikiam. n. 29.
Necessitatem Legis Divinæ probat D. Thomas. n. 32.
Omnes leges moraliter directivæ procedunt à lege æterna. n. 33.
Lex D. positiva est duplex. n. 36.
Lex positiva veteris testamenti fuit abrogata per Passionem Christi. num. 38. & seqq.
Utrùm Pontifex dispensare possit in jure D. positivo? n. 45. Rationes affirmantium. n. 46. Negantium. n. 52. His consentit conclusio. n. 57.
Leges ab hominibus ferri perutile judicat D. Thomas. n. 58.
Lex positiva dividitur in Divinam, & humanam. n. 59. hæc variè subdividitur ibid. & seq.
Lex Ecclesiastica promulgata quo tempore obligare incipiat. n. 69. Item: An independenter à populi acceptatione. num. 70. Idem quæritur de lege civili. num. 71.
Utrùm, & qua nam potestate S. Pontifex, & Concilia condendi leges polleant. Vide *Pontifex. Concilia.*
Leges Sede Apost. vacante statutæ non obligant sine confirmatione Pontificis noviter electi. n. 81.
Utrùm Declarationes S. Congregationis Card. vim legalem contineant. n. 84. & seqq.
De potestate condendi leges civiles, & politicas. n. 91.
Legibus Ecclesiasticis Catholici, item omnes Christiani, nec non Heterodoxi subjiciuntur. n. 92.
Legibus Sæcularium non stringuntur personæ Ecclesiasticæ. n. 97. seqq. Secus Principes qui saltem indirectè obligantur. n. 103.
Quænam actiones objectum legis præceptivæ, quæ nam legis prohibitivæ, & denique legis permissivæ constituant. num. 104.
Lege Pontificia possunt præcipi & prohiberi actus merè interni. n. 105. Rationes contrariæ eliminantur. n. 107. & seqq.
Quælibet lex humana obligat in conscientia. n. 111. Excipe purè pœnalem, quam dari ostenditur. n. 112.
Lex fundata in præsumptione juris, semper obligat. n. 117. non item fundata in præsumptione facti alicujus particularis. n. 118.
Dispensatio legalis quid sit. n. 119. Hanc exercere potest Legislator, Ejus Successor, nec non Legislatoris Superior. n. 120. in quibusdam circumstantiis etiam inferior. 121. Facta ab inferiori ex causa injusta est invalida, facta à Superiore est solùm illicita. n. 122.
Lex Aquilia damnificantem sine culpa Theolog. non obligat in conscientia ad Restitutionem. tr. 15. n. 102.
Lex naturæ quo tempore inceperit. tr. 17. n. 7.

*Liber.*

Quid sint Libri Protocanonici, & Deuterocanonici. tr. 7. n. 286. Item quot sint Libri juris Canonici, & usu recepti. tr. 13. n. 90.

*Libertas.*

De Libertatis essentia non est indifferentia contrarietatis, sed contradictionis. tr. 10. n. 129.

*Liberum Arbitrium.*

De Libero Arbitrio quinam scripserint ex hæreticis & Ortodoxis. tr. 10. n. 111.
Consistit in actu voluntatis, non intellectûs, n. 112. hujus definitio. n. 113.

Hæretici de exiſtentia liberi arbitrii convincuntur S. Scripturâ. n. 114. Teſtimoniis SS. Patrum. n. 119. & ipſâ experientiâ. n. 125.

*Litteræ.*

Litteræ moratoriæ ſunt licitæ. tr. 15. n. 31. Quas in Imperio Romano ſolus Imperator. num. 32. Alii Principes ad ſummum in ſuis territoriis concedere poſſunt. ibid.

*Lutherus.*

Quo Zelo, & Auctoritate attentârit reformationem Eccleſiæ. tr. 7. n. 149. item quibûs erroribûs eandem deformaverit. n. 160.

Lutherus in pluribus à ſe ipſo turpiter diſſentit. n. 222. Et

Infantibus jam tempore Baptiſmi uſum rationis attribuit. tr. 17. n. 33.

*Luxuria.*

Practicè loquendo non datur parvitas materiæ in genere luxuriæ. tr. 11. n. 282. An ſpeculativè ſaltem loquendo, diſcutitur. n. 284.

Oſcula, & tactus, quæ fiunt ſine pollutionis periculo non excedunt veniale peccatum. n. 297.

Cur Delectatio voluntaria de muliere visâ excuſetur à mortali, non item de muliere tactâ. n. 298.

Prævisô periculô conſensûs venerei ſub mortali vitandæ ſunt cauſæ de ſe honeſtæ: n. 299.

Turpia loqui, canere &c. fine libidinoſo ſunt peccata mortalia. n. 300. item attrectatio partis verendæ in corpore alterius. 301.

Aſpectus mulieris pulchræ ex curioſitate erit veniale. n. 302. ſi fiat ex motivo honeſto, nullum ibid.

Aſpectus verò deliberatus partium verendarum, aut eis vicinarum in corpore alterius ſexûs non excuſatur à mortali. num. 303.

Utrùm, & qualis requiratur reſiſtentia contra motus carnales ex corruptione naturæ exurgentes. num. 311. Diverſa media contra tales præſcribuntur. num. 312.

Utrùm, & cur luxuria ſit peccatum mortale. n. 341.

## M.

*Maria.*

Beatiſſima V. Maria in inſtanti Unionis animæ cum corpore nullam peccati labem contraxit. tr. 11. n. 467. Defenditur D. Thomas ab opinione, quæ ipſi imputatur, contraria. n. 468.

Præmiſsis fundamentis ſententiæ in B. V. debitum proximum concedentis. n. 470. ſequuntur, & eliguntur fundamenta illud negantis. n. 457. & ſeqq.

*Medicus.*

Utrùm medico liceat ſequi ſententiam minùs tutam. tr. 12. n. 158.

*Medium.*

Medium rationis tr. 14. n. 4. & medium rei quid ſit. n. 5.

*Melanchton.*

Melanchtonis erronea dogmata memorantur. tr. 7. n. 223.

*Meritum.*

Hominem, juſtum poſſe aliquid mereri de condigno probatur contra Lutherum &c. tr. 8. n. 195. & ſeqq.

Nullus gratiam primam de condigno. n. 198. nec poſt lapſum vel de congruo, vel de condigno reparationem. n. 208. imò nec juſtus gratiam finalem. n. 218. bona verò temporalia ad ſalutem æternam conducentia meretur. n. 224. & ſeqq.

Merita per Pœnitentiam reviviſcunt. n. 252. & ſeqq.

*Metus.*

Quis metus gravis dicatur. Tract. 10. num. 62.

Actiones, quæ ex metu fiunt, ſimpliciter ſunt voluntariæ, involuntariæ ſecundùm quid. 62.

Utrùm metus reverentialis ſit metus gravis. n. 73.

Juramentum ex metu injuſtè incuſſo præſtitum tenet. 77. Secus vota ſolemnia. n. 82. Non item vota ſimplicia tam jure naturali. n. 83. Quàm poſitivo. n. 84. & ſeqq.

Sponſalia ex metu gravi indirectè annullantur. n. 88. ex metu ſolùm reverentiali contra poſſunt reſcindi. n. 89. idem dicendum de precibus importunis. ibid.

Ponuntur tria exempla pro praxi notanda. n. 90.

*Miraculum.*

Miracula ſunt ſolius veræ Eccleſiæ nota. tr. 7. n. 94. Quorum Gloria in ſola Eccleſia Catholica ſingulis ſæculis effulſiſſe abundè monſtratur. num. 101. & ſeqq. elinguantur argutiæ hæreticorum. num. 106. & ſeqq.

Referuntur tria miracula, quorum primum Lutherus. n. 115. Secundum Cirola Arianorum Epiſcopus. n. 116. & tertium Calvinus attentabat. n. 119.

*Motus.*

Motus primò primi, & ſecundò primi explicantur. tr. 11. n. 234.

Tres Regulæ, quibus cognoſcitur, quando motus

motus inordinati pro veniali vel non veniali reputentur. n. 259.

## N.

*Natura.*

Status naturæ puræ de potentia Dei ordinaria eſt poſſibilis. Tract. 8. num. 182. & ſeqq. Plura difficilia, & ſcitu utilia objiciuntur, & ſolvuntur. n. 186.

## O.

*Oblatio.*

Quid nomine oblationum propriè veniat. tr. 16. n. 115. Has ſub præceptum cadere quidam volunt. n. 116. At communior negat. n. 117. & ſeqq.

Conſuetudo faciendi oblationes laicis absque gravi damno Eccleſiæ inducit obligationem. n. 128.

Parochiani pro congrua ſuſtentatione Parochi ad oblationes compelli poſſunt. n. 131.

In oblationibus extraordinariis conſideranda venit intentio fidelium. n. 135. & conſuetudo, n. 136.

Oblationes factas imagini exiſtenti in domo laici ad Parochum pertinere quidam meliùs reſolvunt. n. 139.

Oblationum ſunt etiam capaces Regulares, n. 141. Deſtinatæ ad certum uſum, poſſunt ad alium converti. n. 142. Penes quem verò hæc commuttandi poteſtas reſideat, agitur. n. 144. & ſeqq.

Requiſita, & res ad oblationem piam neceſſaria. n. 147.

*Occaſio.*

Occaſio proxima peccandi quid ſit. Tract. 11. n. 316. item quid remota. ibid.

*Ommiſſio.*

Utrùm detur ommiſſio voluntaria ſine omni actu. tr. 10. num. 168. & ſeqq.

Actus de ſe bonus vitiatur ex malitia ommiſſionis. tr. 11. n. 66.

Externa ommiſſio eſt culpabilis non ſolùm tempore quo intenta. n. 78. verùm etiam quo commiſſa fuit. n. 79.

*Opus.*

Ad Opus bonum intrà ordinem naturalem non requiritur ſtatus gratiæ. tr. 9. n. 41. item nec ad aliqua opera virtutis imperfectæ auxilium ſpeciale. num. 43. ſeqq.

## P.

*Pactum.*

Pacti definitio, & diviſio. Tract. 15. num. 55.

Pactum antichesticum à jure Divino, naturali, & Canonico reprobatur. num. 87.

*Parochus.*

Utrùm teneatur in defectu congruæ ſuſtentationis ex artificio vivere. Tract. 16. n. 130.

*Participatio.*

Participatio moralis, & phyſica quid ſit. tr. 8. n. 67. Phyſica ſubdividitur in formalem, & virtualem. n. 68.

*Parvuli.*

Parvuli ſine Baptiſmo decedentes nullam ſentiunt pœnam poſitivam. tr. 11. n. 556. Nec ex pœna damni interiorem dolorem. n. 557. Unde nec ſunt nec erunt beati beatudine naturali. n. 558.

*Pœna.*

Varia quæſita circa pœnam damnatorum. tr. 11. n. 540.

*Paupertas.*

Notabile diſcrimen paupertatem inter, & inopiam &c. tr. 16. n. 185.

Paupertas parentum utrùm filium à Religionis ingreſſu impediat. n. 193.

*Peccator.*

Finis ultimus venialiter peccantis non eſt objectum inordinatum. Tract. 10. num. 34. Nec bonum proprium, ſed ſolus Deus. n. 35.

*Peccatum.*

Peccatum mortale per abſolutam Dei potentiam nequit remitti per condonationem extrinſecam. tr. 8. num. 141. & ſeqq.

Peccatum veniale habitualiter refertur in Deum tanquam ad finem. tr. 10. n. 36. formaliter, & virtualiter in bonum proprium peccantis tanquam finem ultimum actualem negativè. n. 37.

Definitio peccati. tr. 11. n. 1. Eſt accommoda peccato ommiſſionis. n. 2. Et veniali. n. 6.

Peccata cordis, oris, & operis non pertinent ad diverſas ſpecies completas. n. 7. Quæ ideò formaliter ſunt mala, quia contra legem. n. 9.

Utrùm peccatum commiſſionis formaliter in poſitivo, vel privativo conſiſtat? n. 13. & ſeqq. Concluſio ſtat pro privativo. n. 22. usque ad n. 52.

Peccatum Phyloſophicum quid ſit? & quid Theologicum? n. 54. Poſſibilitas prio-

ris sc. purè phylosophici exploditur. n. 56. & seqq.

Peccata convenienter dividuntur in spiritualia, & carnalia. n. 97. item in ea, quæ sunt contra Deum, se ipsum, & Proximum. n. 98.

Peccata commissionis sumunt specificam distinctionem directè ab objectis. n. 103. à diversitate præceptorum. n. 105. & à fine operantis. n. 106. Peccata ommissionis indirectè specificantur ab objectis. n. 109.

Notabilia practica de distinctione specifica peccatorum. n. 127. & seqq. De distinctione merè numerica vide n. 134. usque ad n. 151.

Mortalis peccati à veniali multiplex differentia. n. 152. & seqq.

Quænam peccata dicantur & sint vel ex genere suo, vel ex accidenti mortalia. n. 155. Item quomodo ex genere suo mortale possit fieri veniale. ibid.

Ex multiplicatis venialibus non consurgit mortale. num. 156. Nisi eorum materia coaluerit in gravem. num. 157. & seqq.

Voluntas committendi omnia peccata venialia, & vitandi sola mortalia absolvitur à mortali. n. 166.

Non omnia peccata sunt connexa. n. 173. Nec æqualia. n. 179. removentur contraria. n. 181. usque ad n. 195.

Utrùm peccatum possit esse in appetitu sensitivo. n. 214. vel in ratione tanquam in subjecto. n. 215. item.

An peccatum veniale possit esse à solo appetito sensitivo sine motione voluntatis. n. 234. & seqq.

Peccandi occasio proxima, & quænam remota censeatur. n. 316.

Peccatum sollicitationis quale sit. Vide *Sollicitatio.*

De peccatis capitalibus in specie agitur. n. 341. & seqq.

Utrùm omne peccatum præcedat aliquis error in intellectu? n. 391. Contrarium defendunt Scotistæ. n. 393. Quibus occurritur. n. 394. usque ad n. 399.

Peccati habitualis essentia consistit in privatione nitoris gratiæ Sanctificantis. n. 406. & seqq.

Existentia peccati originalis contra hæreticos probatur Authoritate S. Scripturæ. n. 427. Conciliorum. n. 428. SS. Patrum 429. & Ratione. num. 430. Fundamenta hæreticorum eliminantur. num. 431. & seqq.

Peccatum originale quomodo à posteris contrahatur. num. 334. Formaliter consistit in privatione Justitiæ originalis. n. 446. subjectatur in supposito tanquam subjecto remoto, in anima tanquam proximo. n. 463. Diffundit se etiam in alias potentias. ibid.

Peccatum in posteros traductum fuit peccatum inobedientiæ. n. 463. Non tamen quia tale sed quia primum, est peccatum Originis. n. 464. Nequit stare cum solo veniali. n. 488. & seqq.

Primum peccatum Angelorum damnatorum fuit peccatum superbiæ. n. 501. Objectum propria eorum excellentia num. 504. removentur contraria. n. 505. usque ad n. 517. Sequuntur diversi peccatorum effectus. n. 518.

Peccatum mortale ab intrinseco inducit reatum pœnæ æternæ. num. 521. Veniale per accidens punitur pœnâ æternâ. n. 523. & seqq. item: utrùm & quomodo veniale in altera vita remittatur. num. 535.

Nullum peccatum est ab intrinseco irremissibile. n. 538.

Veniale licitam receptionem Sacramenti non prohibet, nec gratiæ infusionem impedit. tr. 17. n. 273.

*Peculium.*

Quid sit. tr. 14. n. 225. Ejusdem divisio. ibid. & seq.

Dominium peculii castrensis, vel quasi est penes filium-familias. n. 229. in peculio adventitio ordinario gaudet nuda proprietate. n. 230. in extra ordinario autem pleno Dominio ibid. In peculio denique profectitio habet nudam administrationem. n. 231. & seqq.

Patre profitente Religionem usus fructus adventitiorum aquiritur Monasterio. n. 235.

*Peregrini.*

Utrùm ad particulares locorum leges teneantur. tr. 13. n. 96.

*Perplexitas.*

Orta ex ignorantia invincibili non est peccato obnoxia. tr. 12. n. 36.

*Perseverantia.*

Ad finaliter perseverandum requiritur donum specialissimum. tr. 9. n. 126.

Perseverantia finalis in quo formaliter consistat. num. 127. & seqq. item hujus, & gratiæ confirmationis differentia. n. 137.

*Pontifex.*

Summus Pontifex in controversiis fidei solus Judex agnoscitur. tr. 7. n. 365. Quod non tantùm Clerici, sed & Laici Ortotodxi, Summi Principes constanter professi sunt. num. 388. usque ad num. 399.

SuEjusdem Auctoritas extenditur supra Concilia. n. 400. & seqq.

mmum Pontificem legitimè electum esse verum Vicarum Christi, censetur articulus fidei. n. 408. diluuntur opposita. n. 412. & seqq. Quem nihilominus hæretici Anti-Christum calumniari non verentur. n. 423.

Summus Pontifex nequit tam in jure naturali, quam D. positivo dispensare. tr. 13. n. 57. Gaudet tamen summa potestate condendi leges sine dependentia à Concilio Generali. n. 77. quam etiam semel legitimè electus sine ulteriori confirmatione exercet. n. 78. Hujus potestatem neque actus merè interni excedunt. n. 105.

*Possessio.*

Possessionis varia acceptio. tr. 14. n. 398. definitio. n. 399. & divisio. n. 400. Aquiritur etiam nomine alieno. num. 401. Describuntur nonnulli possessionis favores. n. 402.

*Potestas.*

Legislativa penes quem resideat. vide *lex.*

Potestas Patria est facultas regendi liberos ad communem utilitatem familiæ. tr. 14. n. 224.

Potestas Excellentiæ, & purè ministerialis exponitur. tr. 17. n. 258.

*Præceptum.*

Præceptum fidei est quintuplex tr. 7. n. 516. Quando obliget ad actum fidei eliciendum. n. 541. Item quinam actus illud impleant. n. 547. Vel vi præcepti fides exteriùs profitenda sit. n. 557. & seqq.

De Præcepto Spei, & Charitatis. Vide *Spes. Charitas.*

*Prædeterminatio.*

Definitio Prædeterminationis. tr. 10. num. 110. Hujus necessitas ad actum liberum ostenditur ex S. Script. Conciliis, Augustino. num. 142. D. Thoma. n. 143. ac ratione. num. 145. Elinguantur AA. num. 148. & seqq. Non tollit, sed actualiter causat libertatem. n. 152. Rationes Molinistarum removentur. n. 159. usque ad n. 168.

*Præscriptio.*

Præscriptionem non contrariari juri naturali probatur. tr. 13. n. 25.

*Privilegium.*

Quid intelligatur per privilegium *Fori.* tr. 13. num. 126. Quid per privilegium *Canonis*, num. 127. & denique per privilegium *competentiæ.* n. 128.

Privilegium personale desinit cum persona privilegiata. num. 130. non item reale. ibid.

Privilegii cum forma: *Ad Beneplacitum meum.* Vel: ad beneplacitum Sedis Apostolicæ diversi effectus. n. 131. Item notabile discrimen inter privilegium *motu proprio*, & *ad Supplicationem* concessum. num. 132.

*Probabilitas.*

Probabilitas alicujus sententiæ quid sit. tr. 12. n. 89. & qualis requiratur apparentia *veri* ad opinionem intrinsecè probabilem. n. 90.

Licet sequi sententiam probabilem relictâ æque probabili, & tutiori. n. 95. utrùm etiam liceat relictâ probabiliori, & tutiori statuitur duplici conclusione. num. 147. & seqq.

Confessarius tenetur pœnitentem, rationabiliter judicantem actum fuisse licitum, contra propriam opinionem ùt innocentem absolvere. n. 155.

Quamnam sententiam sequi debeat, vel possit medicus resolvitur. n. 158.

*Promulgatio.*

Non requiritur in singulis provinciis ad valorem legis Ecclesiasticæ. tr. 13. num. 62. & seqq. item quo tempore obligationem inducat. n. 69.

*Propositio.*

Sexaginta, & octo propositiones Michaelis de Molinos ab Innocentio XI. damnatæ. tr. 12. n. 159.

*Psalmodia.*

Psalmodiæ Cantus utrùm sit signum veræ Ecclesiæ. Vide *Cantus.*

Psalmos Davidicos Anabaptistæ rejiciunt. tr. 7. n. 82.

*Purgatorium.*

Purgatorii nomine quid veniat tr. 11. num. 561. Hoc protervè negant diversi hæretici ibid. quos confundit S. Scriptura. n. 563. Concilia, SS. Patres. num. 569. Divus Thomas. 570. & denique ratio. n. 576.

Purgatorii locus assignatur. n. 578. Cujus existentiam confirmat mirabilis apparitio duarum Monialium. n. 581.

## R.

*Regula.*

Annectuntur Regulæ juris Libro Sexto Decretalium adjectæ. tr. 13. num. 133. aliæ

extrà Sextum. num. 134. Item addita, menta aliorum SS. Canonum. num. 135.

*Religio.*

Veræ Religionis motiva, quæ expendit Serenissimus Dux Lüneburgicus ad Religionem Catholicam conversus. tr. 7. num. 583.

*Religiosus.*

Statûs Religiosi descriptio. tr. 14. n. 192. Et origo. n. 195. & seqq.

Nullus Religiosus est capax dominii. n. 204. Non quidem ex natura voti, sed dispositione juris. n. 205.

Utrùm, & quale Dominium penes Episcopos Regulares resideat. n. 220.

*Restitutio.*

Utrùm fur ad restitutionem totius summæ per minora furta ablatæ obligetur. tr. 11. n. 167. Sequuntur alia ad rem notabilia. n. 169. & seqq.

Restitutio est actus justitiæ commutativæ. tr. 15. n. 1. Et necessaria necessitate præcepti. n. 3.

Ordo in restitutione observandus, si plures moraliter, vel physicè damnum causârunt. n. 10.

Bona Domini ignoti, at injustè aquisita vi restitutionis applicentur ad causas pias. n. 16.

Quo loco, & tempore sit facienda restitutio. n. 18. 19.

Debitor ingrediens Religionem, & cedens bona sua jure naturali excusatur à restitutione. num. 41. Secus si intra breve tempus solvendo fuerit. num. 43. & seqq.

Utrùm, & quando obligatio restitutionis incurratur propter impeditum Religionis ingressum. num. 49. usque ad num. 54.

Acceptum ex opere turpi, & contractu non est restitutioni obnoxium. n. 59. & seqq. Neque acceptum pro aliquo opere bono aliundè debito. n. 61.

Ad obligationem restitutionis ex delicto requiritur in foro interno culpa Theologica. num. 97. & seqq. Sine qua, & ante sententiam Judicis nec Lex Aquilia ad restitutionem in conscientia urget. num. 102.

Res furtiva cui restitui petat. num. 107. Hujus corruptio, vel ammissio obligationem restitutionis non tollit. tr. 16. num. 81. Et debet statim, ùt potest, restitui. n. 82.

Executores Legatorum in restituendis incertis, & malè ablatis sunt Episcopi. n. 94.

*Restrictio.*

Restrictionem mentalem Christus non fecit dicendo: *Vos ascendite ad diem festum; ego non ascendo.* tr. 7. n. 505.

Restrictio purè mentalis Confessariis est licita. n. 507. Item discrimen cur restrictio mentalis sit illicita amphibologia licita. n. 508.

*Revelatio.*

Revelatio alia est publica, alia privata tr. 7. num. 467. Privata ex parte modi sufficit ad actum fidei Theolog. secus privata ex parte materiæ. num. 468. Solvuntur ojectiones. num. 469. & seqq.

Absque revelatione nullus est certus de sua justificatione, & gratia. tr. 8. num. 165.

*Reviviscentia.*

Utrùm merita per Pœnitentiam reviviscant? tr. 8. n. 152.

## S.

*Sacramentarii.*

Horum Origo, & varia in alias sectas divisio. tr. 7. n. 239.

*Sacrilegium.*

Aliud est locale, aliud personale. tr. 11. n. 322.

*Saducæi.*

Saducæi. tr. 7. n. 335. & cum illis hæretici contemnunt Traditiones Patrum. n. 336. & seqq.

*Scriptura.*

Scripturæ Canonicæ à Synagoga Judæorum tr. 7. num. 287. Et à Catholica Ecclesia receptæ num. 288. Item Scripturæ Protocanonicæ. n. 290. Quas æquè recipiendas esse probatur contra Lutherum. n. 291. & seqq.

S. Scriptura sine interpretatione non est clara. n. 301. Unde ab Ecclesia Catholica ejus lectio omnibus promiscuè rationabiliter interdicta fuit. num. 323. Eluduntur argutiæ hæreticorum. n. 324. & seqq.

Explicantur quidam textus S. Scripturæ, qui aliquam falsitatem includere videntur. n. 502.

*Scrupulus.*

Quid sit. Tract. 12. num. 82. Stat cum conscientia practicè certâ. n. 83. Neque requiritur ejus depositio ad operationem, vel

vel omissionem licitam. n. 84. Indicium. n. 85. & Causæ Scrupuli. n. 86. item contra eundem remedia. n. 87.

*Semi-Pelagiani.*

Horum erronea opinio circa gratiam. tr. 9. n. 179.

*Sensualitas.*

Utrùm sit simplex potentia, quæritur. tr. 11. n. 227. item motus ejus primò primi, & secundo primi exponuntur. n. 234. vide *Appetitus.*

*Senatus Consultum.*

Macedonianum in foro interno tollit obligationem restitutionis. tr. 15. n. 91. idem dicito de Velleiano. n. 95.

*Servitus.*

Quid & quotuplex sit. Tract. 14. num. 403.

*Sollicitatio.*

Sollicitatio quale sit peccatum tr. 11. n. 325. Item Constitutio Papæ Gregorii XV. contra Sollicitantes in Confessionibus. num. 328. Dubia reflexa supra eandem Constitutionem. n. 329. usque ad n. 339.

*Sodomia.*

Una est perfecta, altera imperfecta. tr. 11. n. 323. Nefandum hoc crimen gravi vindicatur pœnâ. ibid.

*Spes.*

Est virtus, & Theologica. tr. 8. n. 1. pro objecto *quod* respicit Deum, tanquam Beatitudinem possidendam. n. 2. Pro objecto formali *quo* respicit Deum ùt Auxiliatorem &c. ibid. unde

Objectum Spei partiale, & formale *quod* non constituitur per Beatitudinem formalem. num. 4. Neque formale *quo* per arduitatem. n. 5.

Habitus spei Theologicæ non remanet in damnatis. num. 7. Utrùm vel qualiter in Christo fuerit docet D. Thomas. n. 8.

Spes Theologica habet suam certitudinem in viatoribus per fidem. num. 9. Estque necessaria necessitate medii ad salutem. n. 11. Item nequit stare cum damnationis certitudine. n. 12. & seqq.

*Stuprum.*

Comittitur etiam in virginem. tr. 11. num. 320.

*Superbia.*

Superbiæ descriptio. Tract. 11. num. 343. Perfecta non sed imperfecta excusatur à mortali. ibid. Nascuntur ex hac quatuor filiæ. num. 344. quibûs curanda remediis. n. 347.

*Symbolum.*

Nicænum quatuor præcipua signa veræ Ecclesiæ exprimit. tr. 7. n. 37. Explicantur. n. 38. & seqq.

## T.

*Tentatio.*

Levitas, vel gravitas tentationis unde dignoscatur. tr. 9. n. 63. Duplex modus superandi tentationes. n. 64.

*Testamentum.*

Testamenta pia, quid sint. tr. 16. n. 27. Hæc non exigunt præsentiam testium. n. 29. Facta solo nutu, vel signo sunt valida. n. 32. Etiam præcisè jure civili impeditâ testandi facultate. n. 34.

*Traditio.*

Traditio definitur. tr. 14. n. 84. & dividitur in veram, & fictam, éstque hæc triplex. n. 85.

Traditio non requiritur ad jus proprietatis ad rem. n. 87. sed ad jus in re. ibid.

*Tributum.*

Nomine tributorum quid veniat. tr. 14. n. 305. Licitè exiguntur ad decentem Principis vel Ministrorum sustentationem. n. 306. Utrùm, & quando sub conscientia obligent. n. 318. & seqq.

## V.

*Vectigal.*

Vectigalia in quo à tributis differant. Tract. 14. num. 310. Non sunt contra Justitiam n. 311.

Utrùm pro augendis, vel noviter introducendis vectigalibus requiratur consensus statuum provincialium. n. 313.

Vectigalia titulô Justitiæ instituta sine exactione Ministrorum obligant in conscientia. n. 318. Non item si iniqua deprehendantur. n. 321. & seqq. In dubio disponant Confessarii populum ad solutionem Vectigalium. n. 333.

*Venatio.*

Potest authoritate publica privatis justè prohiberi. tr. 14. n. 347. Respondetur ad quædam opposita. n. 348.

Occupans feram in naturali libertate constitutam non tenetur ad restitutionem. n. 351. Sequuntur ad rem celebres casus. n. 361.

Principes in conscientia stringuntur ad com-

compenſationem damni vel ex venatione, vel ex nimia ferarum copia cauſati. n. 368.

*Verum.*

Explicatur triplex verum ſupernaturale. tr. 9. n. 114.

*Violentum.*

Cauſat ſimpliciter involuntarium. Tract. 10. n. 57. Voluntas patitur violentum in actibus imperatis, non elicitis. n. 58.

*Virtus.*

Actus Virtutum ſupernaturalium, & per ſe infuſarum, ut ſint meritorii probabiliter non requirunt imperium actuale vel virtuale Charitatis. tr. 8. n. 233. & ſeqq.

*Voluntarium.*

Definitur, quod ſit à principio intrinſeco cum cognitione finis. tr. 10. num. 52. Variæ diviſiones voluntarii. n. 53. Item utrùm diviſio voluntarii in liberum & neceſſarium ſit ſubjecti, in ſua accidentia. n. 56.

*Voluntas.*

Quomodo moveat potentias ſibi ſubditas. tr. 11. n. 233.

*Uſura.*

Uſuræ definitio. tr. 15. num. 75. Merè lucratoria eſt reſtitutioni obnoxia, occurritur Uſurariis. num. 78. usque ad num. 81.

*Uſus.*

Uſus quomodo differat ab uſu-fructu. tr. 14. n. 123. dividitur in proprium, & improprium ibid.

In rebus unico uſu conſumptibilibus dominium eſt ſeparabile ab Uſu. n. 132.

W.

*Wicleffus.*

Wicleffi erronea dogmata. Tract. 7. num. 235.

*Ut in Omnibus Glorificetur DEUS.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS